PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

ALMA COLLEGE
20811
LIBRARY
M588
Alma, California

BIBLIOTHEK DER K.K. UNIVERSITÄT GRATZ
Ausgeschieden

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCII.

PETRUS CELLENSIS. URBANUS III, GREGORIUS VIII, ROM. PONT. GILBERTUS FOLIOT, LONDIN. EPISC. ROBERTUS DE TORINNEIO ABBAS S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS. JOANNES BELETHUS THEOLOGUS PARIS. HUGO ETERIANUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

8042

SÆCULUM XII

PETRI CELLENSIS

PRIMUM

DEINDE S. REMIGII APUD REMOS ABBATIS

DEMUM CARNOTENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

EX LIBRIS TUM EDITIS, TUM MSS. IN UNUM COLLECTA CURA ET STUDIO D. AMBR. JANVIER MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI.

ACCEDUNT

URBANI III, GREGORII VIII

ROMANORUM PONTIFICUM

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

NECNON

GILBERTI FOLIOT LONDINENSIS EPISCOPI, ROBERTI DE TORINNEIO ABBATIS S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS, JOANNIS BELETHI THEOLOGI PARISIENSIS, HUGONIS ETERIANI

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

ALMA COLLEGE
208.1
LIBRARY
M577
Alma, California

TOMUS UNICUS

BIBLIOTHEK DER K.K. UNIVERSITÄTS GRATZ

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*. PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1855

8342

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCII CONTINENTUR.

JOANNES BELETHUS THEOLOGUS PARISIENSIS.

Rationale divinorum officiorum. *Col.* 9

HUGO ETERIANUS.

Liber de regressu animarum ab inferis. 168
De hæresibus Græcorum. 227

PETRUS CELLENSIS.

Epistolæ. 405
Sermones. 637
Opuscula. — Liber de panibus. 929
Mosaici tabernaculi mystica et moralis Expositio. 1047
De conscientia. 1083
De disciplina claustrali. 1097
Adhortatio ad claustrales. 1145

GILBERTUS FOLIOT LONDINENSIS EPISCOPUS.

Epistolæ. 1146
Expositio in Cantica canticorum. 1147

ROBERTUS DE TORINNEIO ABBAS S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS.

Liber de gestis Henrici I regis Anglorum. 1307
Continuatio Sigeberti. 1307
Epistolæ. 1307
De immutatione ordinis monachorum. 1309
Prologus in abbreviationem expositionis Epistolarum Apostoli secundum Augustinum. 1319
Appendix ad Robertum de Torinneio. — Chronicon Montis S. Michaelis in periculo maris. 1321

URBANUS III PONTIFEX ROMANUS.

Epistolæ et privilegia. 1331

GREGORIUS VIII PONTIFEX ROMANUS.

Epistolæ et privilegia. 1537

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

JOANNES BELETHUS

THEOLOGUS PARISIENSIS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(Fabric. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, IV, 56)

—

Joannes Belethus, Pitseo *Bilethus*, qui Anglusne fuerit an Gallus, dubitat. Certe theologicæ scholæ rector Parisiis, ut testatur Henricus Gandavensis cap. 18 De S. E. Deinde in ecclesia Galliæ Ambianensi floruit, teste Alberico in Chronico ad A. 1182, pag. 383. Scripsit *Rationale divinorum* sive *Summam de divinis officiis*, editam Antwerp. 1553, Cornelio Lautimanno curante, et Dilingæ atque iterum Antwerp. 1570, 8°, et cum Durandi Rationali Venet. 1572, 1581, 4°; Lugd. 1565, 1583 et 1592, 1612, 8°. Præterea *sermones* ejus varios memorat Trithemius cap. 415. Pitseus etiam *Gemmam animæ*, laudato teste Henrico de Gandavo, sed in cujus Catalogo de illa ne γρύ.

RATIONALE
DIVINORUM OFFICIORUM

AUCTORE

JOANNE BELETHO

THEOLOGO PARISIENSI

Opus annis abhinc fere quadringentis conscriptum, nunc demum opera Cornelii Laurimanni in lucem editum.

(Lugduni, 1672, in-4°, ad calcem *Rationalis* Durandi.)

—

CORNELII LAURIMANNI

ULTRAJECTINI

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Non eram nescius, pie Lector, cum hunc De ecclesiasticis officiis librum typis primo excudendum proposuissem, quin infinitos prope in me carbones excitarem. Nam tum velut apertis oculis fore satis prævidebam ut noster hic qualiscunque labor in varias incurreret reprehensiones. Atque id quidem haud injuria. Ut enim omittamus hoc, qui, quantumvis pie satis de rebus istiusmodi ad Ecclesiam nihilrum pertinentibus sentiunt, non possunt tamen sese cohibere quin et aliorum laboribus censoriam virgulam quodammodo subducant certe ab eorum morsibus qui innumera in dies novorum dogmatum commenta excogitant; nullam mihi securitatem ausim polliceri. Hi sunt, quos se Evangelicos et Paulinos appellari non pudet, cum in iis nihil minus sit quam quæ in Evangelio præcepta sunt exsequi, quæque a Paulo, qui non sine causa dictus est vas electionis, sunt tradita, recta ratione expendere. Quod adeo verum esse jam inde a multis annis per varios scriptores, eosque non minus pios quam eruditos, abunde ostensum est. Eo enim humana rediit audacia, ne dicam stultitia, eo, inquam, inconsiderata illa ac præceps quorumdam hominum libido lapsa est, ut non vereantur quadam pervicacia in se recipere, quod ab iis quam longissime abest. Ab horum itaque virulentis impetitionibus, sat scio, tutus esse non potero, qui quod hac in parte fecimus nunquam sint probaturi. Nam qua ratione ea probent quæ cum suis insulsis et perniciosis videant pugnare institutionibus? Quæ nos huc sanis atque evidentibus probata rationibus adducimus, hæc illi plane rejiciunt. Et quid vero rejiciant, si novam sibi Ecclesiam invenerint, et in ea novas, si diis pla-

cet, instituerint cæremonias. Sed per Deum immortalem, quod insanire genus esse poterit apertius, quam velle magis sapere apostolis, qui nostram hanc præsentem Ecclesiam a Christo acceperunt, acceptamque nobis quasi per manus tradiderunt? Illi ergo multa mihi dicturi sunt, multa in eo, quem proferimus cavillaburtur, ne esset qui illorum ineptias manifeste convincat. Ejus enim rei potissimum gratia auctorem hunc in lucem emittimus, ut semel quam ridicule rideant quæ in nostra fiunt Ecclesia constare possit. Clamabunt imprimis vetustum esse, et qui jam a tineis et blatis propemodum confectus, sit itaque in tenebris obcæcatus, ut lucem intueri nequeat. Verum nos omnes adhibuimus operam, ut ab hujusmodi tineis ipsum vindicaremus : et omnino id fecimus, ut jam lucem facile agnoscat. In ea, nisi quid mea me fallat opinio, tam feliciter et prospere versaturus est, ut non leve vulnus inde hæretici sint accepturi, quod nullum, quantumvis efficax, medicamentum fideliter satis curare poterit. Non quasi plures non sint qui idem aut majus etiam præstare queant, sed omnino hoc nobis persuademus, quod cum hic aliis etiam Ecclesiæ nostræ propugnatoribus adjunctus sit, et fortiorem et faciliorem multo in hæreticorum aciem, si quam instruxerint, faciamus impressionem, usque adeo, ut vel hastam abjicere, vel arenam nobis cedere cogentur. Enimvero sane optarim et complures alios hujusmodi hæreticorum antagonistas quotidie exoriri, qui consimilibus lacertis cum iis dimicare non subterfugerent, sed validissimis rationibus, tanquam hastis in manu collocatis, inanes eorum argutias perstringere adorirentur. Nam si quid in me judicii est, quod sentio quam sit exiguum, non arbitror alia ratione fieri posse, ut commode horum novatorum obstinata pervicacia comprimatur, nisi semel communi marte eos ita sacrarum litterarum testimoniis vexet ensibus confodiamus, ut postquam terga dederint, deinceps nihil novi redintegrare audeant. Qua in re Deum Opt. Max. facile adjutorem habebimus, si modo prælium aggrediamur, ac cum pernicios.ssimis Christianæ reipublicæ civibus ceu publico certamine manus conserere non defugiamus. Nunquam enim patietur Deus ut quidquam detrimenti ferat Ecclesia, cujus ille caput est, quanquam vero non ignorem quin semper ab Ecclesia condita varii ac multi exstiterint hæretici, sed hoc ideo factum esse certo credimus, ut ita Christus nostram excitaret socordiam. Nunc vero quid dicemus? An non inerti luxu perditi adeo dormitamus omnes, ut permittamus sacrosanctam nostram Ecclesiam, quam unice defensare deberemus, a nautis, fabris, fullonibus, cerdonibus, palatronibus, tonsoribus, aucupibus, piscatoribus, cetariis, coquis, sartoribus, essedariis, bajulis in foro, in compitis et lustris, in compotationibus, in officinis, in tonstrinis, publice et privatim, ita lacerari, ita capi, proscindi et conculcari, ut jam mille, si dicere fas est, in ea nascantur hæreses. Nam nemo fere est qui non novam aliquam de ea excogitaverit opinionem. Sed quo feror?

Certe hoc vere dicere possum, pie Lector, nullum satis acerbum posse inveniri epiphonema, quod istarei conveniat. Quare, ut ad nos redeamus, haud dubie, quidquid in hujus operis editione præstiterimus, certi sumus, istiusmodi hæreticis ac novatoribus non probatum iri. Sed quid adeo ad nos, si iis non placeamus, quibus nostra exosa Ecclesia est, cui tanquam matri omnem, ut par est, honorem deferimus? Nihil equidem hos moror, si quod res est ingenue proferre liceat. Nihil, inquam, curo, si ab illis explodamur, modo a nostris, hoc est ab iis qui vere ac pie de Ecclesia unica sponsa Christi et matre nostra sentiunt, recipiamur. Non enim hic nobis cornea usque adeo fibra est, quin ab horum uno, si fieri posset, magis laudari optemus, quam ab illiusmodi improbis hæreticis, et Ecclesiæ corruptoribus decem. Fremant ergo illi (per me licet) quibus, ut diximus, nostra sordet Ecclesia, qua tamen an aliquid charius, purius et sanctius esse debeat, non ausim dicere. Quidvis enim potius fatendum est quam si hic contemnamus, quod nobis totius nostræ salutis fons Christus, dum hinc ad Patrem emigraret, tanquam optimum quod habuit, pignus reliquit. Quid, inquio, contemnamus? Imo vero ne tam quidem simus inconsiderati, ut quidquam ea de re sinistri suspicemur, quam Christus jam crucis ligno suffixus in sponsam et charissimam uxorem accepit. Hanc equidem esse arbitror, de qua delicatulus ille puer Salomon mystice hoc modo cecinit : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te ulla* (*Cant.* IV). Formosa admodum sit oportet in qua ne unus quidem inveniatur nævus, quæque ita omnibus formæ dotibus prædita est, ut nihil, quod ad eam rem faciat, deesse unquam deprehendas. Talis est Ecclesia, atque ita sponsi sui virtutibus exornata, ut si qui eam contaminent, ac suis spurcitiis fœde polluant morte potius sint piandi, quam ut ullam hic admittamus excusationem. Quamlibet profecto ignarus non sim serpentem illum Leviathan ita studiose operam dare per suos administratores, tantosque undique nimbos et procellas concitare, ut hanc velut unicam salutis nostræ naviculam ita semel tempestatibus queat involvere, quo tandem penitus immergeretur ac periret. Verum hæc omnia ille frustra laborat, et quando pugnare hac in parte cum Deo non desinit, certe adversus stimulum, quod aiunt, calcitrat. Ex his ergo quæ diximus, vel me deinceps tacente, quantopere fuerit necessarium, ut hoc opus de Officiis ecclesiasticis in apertum produceretur facile colligis. Si enim tam chara nobis Ecclesia esse debeat, quam istud ipsum a nobis Christus exigit; si ea innumera omnibus procul dubio Christianis præstet beneficia; si nos, de via lassos et gravibus peccatorum sarcinis onustos, advenientes ultro excipiat; si in ea, post æstuantis animi perniciosos ardores et desperata vitæ squalentis, solatia blanda recipiamus refrigeria, ac delectabiles auræ susurros sentiamus; si denique ad eam tanquam amœnissimum secessum limpidis fontibus ac ripis smaragdinis conspicuum nos conferamus, ubi onere peccatorum deposito tam dulci ac salubri cibo et potu refocillamur, ut quidquid molestum sit facile isthic excutiatur, profecto ejus sive leges, sive ritus et cæremonias omnino negligere non possumus. Atqui hac quidem in re omnes facile pastores ac sacerdotes habebo imprimis mihi benevolos, quorum munus præcipuum est, in ejusmodi cæremoniis ita populum et gregem sibi commissum edocere, ne quid amplius in hisce addubitent. Nam, si non illud ignorare volumus, quod lippis et tonsoribus etiam notum est, certe hinc omnis proficiscitur perturbationum in republica Christiana colluvies. Et proh dolor! quam multi hoc tempore, cum pastores, tum sacerdotes reperiuntur, qui horum non solum ignari sunt, verum etiam quos istiusmodi addiscere et piget et pudet! Sed hos quæso meminerint quid illis loquatur Ezechiel : *Et violabant*, inquit, *me ad populum meum, propter pugillum hordei, et fragmentum panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo credenti mendaciis* (*Ezech.* XIII). Propter hoc dicit Dominus Deus : *Væ pastoribus Israel, qui quod infirmatum fuit non consolidastis, et quod ægrotum non sanastis* (*Ezech.* XXXIV). Quid istud, obsecro te, dicam compendio, cum magis curant quibus ciborum cupediis ventrem saginent, quam qua ratione populi erroribus queant mederi? Nam tum demum hoc facere intelliguntur, si verbum Dei et quæ ad animarum pertinent salutem populo non interpretantur, posteaquam eos Deus animarum constituerit medicos et pastores ejusmodi, qui Dominicum gregem ex Dei sententia, hoc est, ut voluit Hieronymus, scientia et intelligentia pascant. Atqui profecto haud quaquam fieri posse existimo ut ea quis alterum doceat quorum, ipse rudis sit et ignarus. Benigne itaque hi nostram qualem qualem accepturi sunt industriam, si eam e re

sua esse aperte intellexerint. *Violabant*, inquit propheta, *me ad populum meum*, cum nimirum potius, quid fortunari, coli aut Veneris jactus portendat scire laborent, atque utrum vinum meratius sit dijudicare, quam eas addiscere disciplinas, quas cum maxima animarum salute ad populum Dei fideliter transfundant. Sed væ istiusmodi! Quemadmodum enim Josephus dixit suis fratribus se ad conspectum suum illos neutiquam admissurum, nisi et nimirum fratrem secum adduxerint (*Gen.* XLIII), ita quoque Christus verus ille Josephus, et cujus hic umbram tantum expressit cum suis fratribus, videlicet sacerdotibus et sacrosanctæ Ecclesiæ pastoribus expostulabit sanguinem, hoc est animam eorum fratris minimi, eumque e manu ipsorum requiret. Quem quidem si adducere non poterunt, bone Deus, quam male cum iis agetur. Non equidem quemquam judico, nec speciatim aliquem perstringo, sed si quid, ne quid, ut ait comicus. Nam, ut omittam cætera, oppido quam turpe est ea ignorare, in quibus in dies versamur.

Non potest igitur opus hoc non ad eos maximopere pertinere, quorum fidei Ecclesiæ gubernacula commissa sint. Hic enim præter rationem legitime legendi cantandique officium divinum, ritusque et Ecclesiæ cæremonias luculentam sane ad obscuriora quædam sacrarum litterarum loca explicationem non vulgaribus veterum orthodoxorum testimoniis confirmatam habebunt. Porro autem plerosque fore facile crediderim, qui nos cujusdam negligentiæ atque inconstantiæ insimulabunt, quasi parum considerate, quæ nos deceant, perpendamus, ut qui jampridem jurisprudentiæ nomen dedimus, et in ejus castris hactenus militavimus, modo iis nos interminceamus, quæ sunt theologorum. Fateor equidem me præter professionem facere, quod si peccare est, fateor id quoque. Verum, mea quidem sententia, omnis professio in iis silet, quæ communem spectant utilitatem. Et certe uniuscujusque professio est, ut prosit quam plurimis, et obsit nemini. Nec vero is sum qui tantum meo tribuam judicio, ut solus omne operis hujus in lucem proferendi consilium cœperim. Cum enim primo illud ad manus meas pervenisset, extemplo quibusdam amicis communicavi, quorum judicium et doctrina non vulgaris usque adeo mihi perspecta fuit, ut non dubitarim quidquid tandem mihi persuasissent vel perpetuo nominis periculo aggredi. Illi me non solum ad editionem adhortati sunt, verum etiam honestis monitis ita me interdum oscitantem et somniculosum excitarunt, ut hinc quoque factum sit, quo opus hoc magis excultum prodire non potuerit. Dedimus itaque operam, ut auctor hic, qui jam prope quadringentis annis horridus, incultus, jejunus et squalidus inter sedissimas chartas a muribus pene totus corrosus delituit, jam tandem in manus eruditorum aliquanto tersior, ornatior ac politior veniret, iis sublatis mendis, quæ lectori nauseam parere potuissent. Quod sane, quantis mihi constiterit laboribus, tum verius, lector, dixeris, cum singula attenta lectione diligenter discusseris. Vetus enim ille codex manuscriptus, ita arctis ac pressis characteribus fuit exaratus, ut legi admodum mihi fuerit difficile, usque adeo, ut sæpenumero, si quam sententiam elicere voluissem, debuerim profecto divinare : tamen siquidem me non lateat quam in hujusmodi rebus divinatio sit odiosa, ne dicam periculosa. Dabis interim veniam, si quæ interdum vocabula occurrant minus Latina, quæ ejusmodi sunt, ut mutari non debuerunt. Hic namque illud cogites velim, quod alibi libens feceris, nempe omnes artes peculiares suos habere dicendi modos. Nemo est vel mediocriter eruditus, qui non facile sciat Ecclesiam quoque non solum sua habere vocabula, sed et quamplurimas dicendi phrases Latinæ linguæ auctoribus prorsus inauditas. Verum hæ sunt istiusmodi, ut eas hic mutare si voluissem, non potuissem; et si potuissem, non voluissem, ne hic mihi accidat quod pluribus usu venire solet, qui, dum rem illustrare conantur, eam penitus pervertunt. Nec profecto quemquam offendere debet, si hic interdum dilutas ac, ut videbitur, futiles invenerit rationes, cum in nonnullis auctor hic non tam veras quam pias ac vulgo familiares habere studuerit, cujusmodi sunt de dissolutione stellæ a magis visæ, et cur missa de defunctis celebretur feria secunda, atque his similes aliæ, qua in re te etiam admonitum volui. Quare ad postremum unum hoc rogo, pie lector, ut nostram operam et industriam, si quam hic judicaveris, æquo animo accipias, et eam solum promptitudinem benigne amplectaris, qua non passi sumus hoc opere diutius aliquem defraudari. Certo enim speramus, si non utile, saltem minus molestum fore iis qui sacris litteris et pietati maxime operam dare consueverunt, ut hinc ita deinceps Ecclesiam studiosius amare, colere atque observare discant, quo ad æternam illam Ecclesiam, cujus nostra hæc duntaxat adumbratio quædam est, queant suo tempore pervenire. Quod ut faciat Christus, etiam atque etiam oramus, quem in hac editione maxime honoratum optamus.

VITA JOANNIS BELETH,

Ex Joanne Trithemio.

Joannes Beleth, Gymnasii Parisiensis olim insignis theologus, in divinis Scripturis eruditus et in sæculari philosophia sufficienter doctus, ingenio promptus, sermone scholasticus, inter doctores sui temporis non ignobilis, scribendo et disputando nomen suum ad posteritatis notitiam cum gloria deduxit. Scripsit enim non inutile opus De divinis officiis, et sermones quoque varios. Verum et alia non pauca scripsisse dicitur, sed ad notitiam meam non venerunt.

RATIONALE
DIVINORUM OFFICIORUM.

PROEMIUM
AC BREVIS TOTIUS OPERIS PARTITIO.

In primitiva Ecclesia prohibitum erat ne quis loqueretur, nisi esset qui interpretaretur. Quid enim, obsecro, prodesset loqui, si non intelligeretur? A Certe nihil. Hinc illa laudabilis inolevit consuetudo in quibusdam Ecclesiæ partibus, ut pronuntiato secundum litteram Evangelio, statim vulgari illud populo exponeretur. Quid vero de nostris temporibus dicemus, si vix ac ne vix quidem inveniatur

qui quæ legerit vel audierit intelligat, quique satis animadvertat quæ viderit, aut egerit? Unde profecto illud vere dicere possumus, quod olim propheta conquestus est : *Perit sacerdos quasi e populo unus.* Videtur ergo tacendum potius esse quam psallendum, silendum omnino quam tripudiandum, si in hanc temporum infelicitatem incidimus. Verum enimvero ne aliquando ora canentium ad te, Domine Deus, turpiter claudantur, ad hoc damnum evitandum triplex adhibebimus remedium, si primo de ecclesiasticis institutionibus, deinde de expositionibus divinorum sermonum, ac tandem etiam de dierum ratiocinationibus, quam fieri potest brevissime, dixerimus. Ac primum quidem ad eos pertinere poterit qui modo incipiunt, secundum vero ad eos qui jam profectum aliquem sentiunt, tertium denique ad illos qui ad perfectionem quamdam pervenerunt. De his igitur breviter et compendiose deinceps dicamus ut per nos aliqua ex parte eorum consulatur ignorantiæ, qui quemadmodum de his rebus sentiendum sit, vere nesciunt.

CAPUT PRIMUM.

De rebus specialiter Deo consecratis.

Tametsi quidem rerum hanc universitatem Deus, ad nostrum maxime commodum, ex nihilo creaverit, ut hinc merito, et sic vocetur omnium Dominus juxta illud : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII) ; ab illa tamen universitate quædam sibi specialiter retinuit. Quemadmodum enim illa in quatuor partes secari potest, ita hic a qualibet parte aliquid sibi proprie vindicavit : a locis, loca veneranda ; a temporibus, dies festos ; a rebus, decimas, primitias, oblationes, et si quæ sunt alia quæ donari solent ; a personis denique, quas velut sibi dicatas habet, ut sunt ministri altaris, monachi et moniales. De quibus sane omnibus, videlicet de locis, temporibus, rebus, personis ac earumdem multifariis officiis, deinceps ordine dicemus. Et primo quidem de locis.

CAPUT II.

De loco.

Locorum itaque venerabilium alia sunt orationi dicata, alia vero necessitati humanæ deputata. Loca humanæ necessitati deputata sunt hæc : Xenodochium, nosocomium, gerotocomium, orphanotrophium, prototrophium, brephotrophium. Sic cum Patres et religiosi imperatores loca quædam instituerunt, quo se reciperent peregrini, orphani, senes, emeriti, infirmi, imbecilles et saucii. Loca autem quæ orationi dicata sunt, quædam sacra sunt, quædam sancta, quædam religiosa. Sacra loca sunt, quæ per pontificem Deo rite sunt consecrata, et quasi sanctificata, quæ diversis appellantur nominibus, præcipue tamen his : Ecclesia, sacrarium, sanctuarium, sacellum, templum, oratorium, Dei tabernaculum, monasterium, cœnobium, κυριακὸν Dominicalis, domus orationis, basilica, capella. Sed ignorandum non est, quin oratorium pro ipsa ecclesia interdum accipiatur, atque etiam quivis locus alius ad orandum constitutus, vocetur oratorium : cujusmodi in suis cœnobiis sibi statuerunt monachi. Sancta vero, sunt loca immunitatis circa monasteria, sub certæ pœnæ interminatione confirmata ; quemadmodum apud nostram Lutetiam cernitur velut claustrum quoddam, in quo sunt ædes canonicorum. Nam cujuscunque sceleris reus sit, si illuc tanquam ad asylum perfugerit, maxima ei præstatur securitas. Sic muri etiam et portæ civitatis, ac theatra ut sancta essent, sancitum est legibus. Postremo locus religiosus ille dicitur, in quo integrum hominis cadaver sepultum est, vel tantum etiam caput. Corpus enim obtruncatum, nisi et caput adsit, locum religiosum facere non potest. Quare, cum hactenus de locis dictum sit, illud unum adjici oportet, ut quemadmodum ecclesia sit ædificanda paucis declaremus. Facto enim loco fundamenti necesse est ut episcopus eum primo aqua lustrali, quam benedictam vocant, aspergat, ac tum denique primum fundamenti lapidem, qui crucem sibi impressam habere debet ipse jaciat, vel jussum ejus sacerdos alius, si ipse adesse nequeat. Et omnino quoque necessarium est, ut ædificetur versus orientem, hoc est versus solis ortum æquinoctialem ; nec vero contra æstivale solstitium, ut nonnulli et volunt et faciunt.

CAPUT III.

De temporibus.

His igitur de locis ita breviter expositis, dicendum est de temporibus. Accipimus autem hic tempora, pro diebus, quorum alii sunt festi, alii solemnes, alii vero profesti. Ac profesti quidem sunt, quia nulla spirituali celebritate fulciuntur. At vero aliter Judæi suos vocant dies, aliter ethnici, eorumque philosophi, aliter demum Christiani. Hebræi primum diem appellant Sabbatum, qui præcipuus apud eos habetur. Reliqui omnes ab hoc denominati sunt. Vocant enim sequentem diem post Sabbatum, primam sive alteram Sabbati, et qui deinde sequitur secundam Sabbati, et sic de aliis, usque ad diem septimum, qui illis vel septima Sabbati, vel Sabbatum sabbatorum dicitur. Apud ethnicos vero, tam vulgus quam philosophi, iisdem utebantur nominibus, nisi quod in iis diversam inter se habuerint rationem. Utrique enim primum diem Solis appellabant ; secundum, Lunæ ; tertium, Martis ; quartum, Mercurii ; quintum, Jovis ; sextum, Veneris ; septimum, Saturni. Sed ideo hos vulgus ita nominabat, quia solem, Martem, Mercurium et alios deos esse arbitrabatur ; philosophi vero ob hanc causam, quod planetarum horum motibus humanæ vitæ natura constituatur. Proinde nomina hæc sacra Scriptura haud quaquam recipit, quanquam passim in usu habeantur. Christiani denique ab his longe aliter dies nominant, propriis nimirum appellationibus. Nam Sabbatum Judæorum usque adeo non objecerunt quin cum iis illud libenter habere velint, partim ob Hebraici sermo-

nis auctoritatem, partim etiam ob interpretationis significationem. Sequentem vero diem vocant diem Dominicum, tum propter Christi resurrectionem, tum propter Spiritus sancti e cœlis missionem, vel quia Joannes evangelista in sua Apocalypsi sic ipsum nominavit. Ait enim ibi hoc pacto : *Fui in spiritu in die Dominica* (*Apoc.* 1). Sed diem qui proxime Dominicam sequitur, feriam vocant secundam, itemque et alios dies ad Sabbatum usque. Dicuntur autem feriæ a feriando, non quod a necessariis vitæ operibus sit feriandum et abstinendum, sed quoniam toto vitæ nostræ tempore a vitiis feriari debeamus. Dies festi porro sunt dies solemnes, qui, ut soli servarentur, quasi præscripto et quodam instituto recepti sunt. A sole enim vel a solito solemne dictum est. Unde solemnia festa vocat Ecclesia, quæ certa sunt observatione constituta. Atque hinc etiam venit solemnitas, quæ quadripartita esse potest, videlicet festivitatum, stationum, litaniarum, et jejuniorum.

CAPUT IV.

De solemnitate festivitatum.

Primo igitur de festivitatum solemnitate agendum est, quæ pluribus nominibus vulgo exprimi solet, nimirum his : festivitas, festum, celebritas, exitus, transitus, obitus, assumptio, depositio, dormitio, passio, dedicatio, nativitas, natalis, vel natale et natalitium. Festivitas dicitur, quasi festi sancti alicujus nativitas. Nativitas vero proprie appellatur festum illius nativitatis, quæ est in carne et in mundo, ita ut hinc solum dicatur nativitas Christi, B. Mariæ et Joannis Baptistæ, quod horum nativitates duntaxat ab Ecclesia celebrentur. Natalis vel natale et natalitium vocatur sanctorum ex hoc sæculo commigratio, quia ut sæculo et mundo moriuntur, ita tunc cœlo nascuntur. Indifferenter autem tria hæc vocabula usurpantur. Dicitur porro transitus festum, quod est de morte beatorum, cum eorum animæ e corporibus exeuntes per varia loca sibi incognita transire debeant, nempe, si dicere liceat, per cœlum aerium, æthereum, crystallinum, donec pervenerint ad cœlum empyreum. Obitus appellatur, quasi tum animis angeli veniant obviam, cujusmodi de B. Martino legitur. Passio autem nuncupatur, quasi tum maxime corpus patiebatur, cum inde anima excederet. Quapropter fieri etiam potest ut uniuscujusque obitus appelletur passio, cum ille discessus animæ ac distractio a corpore, non sine magno dolore fiat. Nec enim sine causa est, quod D. Hieronymus in Vitis Patrum de quodam viro sancto narrat, qui Dominum rogaverat ut sibi vellet ostendere quemadmodum e corpore excederet anima absque dolore et angustia aliqua. Nam cum hic quodam die forte fortuna ab suo veniret tuguriolo, vidit juxta viam pauperem quemdam ante se misere prostratum, ac jam animam agentem, cui aliquot, ut perspicue videbat, astabant angeli, qui ejus exspectabant animam, ut eam ad superos deportarent. Verum hi, posteaquam illic multum diuque exspectassent, vox missa e cœlis ad angelos illico audita est : « Ad quid tandem moramini? » Ad quam illi responderunt Dominum præcepisse ut animam illius sine corporis anxietate educerent, quod certe facere non poterant. Haud injuria ergo cujusque obitus et passio dici potest. Assumptio vero proprie dicitur transitus B. Mariæ, et depositio S. Joannis evangelistæ, qui vivus sepulcrum ingressus est, et se quasi in illud deposuit. Tandem etiam dormitio mors appellatur sanctorum, quæ illis est velut optatissima quies. Sicut enim a somno validiores atque integriores surgere omnes soleamus, ita et sancti sine difficultate resurgent in corporibus glorificatis quasi e somno fuissent experrecti. Unde illud est quod Dominus de Lazaro dixit : *Lazarus amicus noster dormit* (*Joan.* XI).

CAPUT V.

De festis.

Festorum quædam sunt generalia, quædam particularia. Generalia sunt quæ generatim ab omnibus celebrantur, ut festa Trinitatis, B. Mariæ, Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, sanctæ crucis, apostolorum, evangelistarum, S. Joannis Baptistæ et evangelistæ, Laurentii, Nicolai, Sylvestri, Martini, etc. Festa autem particularia sunt, quæ tantum in una coluntur provincia, ut festum B. Hilarii, quod in Aquitania duntaxat observatur. Vel etiam quæ in uno fiunt episcopatu, vel in una villa aut parochia, dicuntur festa particularia. Notandum interim obiter hic est, in colendis festis dignitatem quamdam et ordinem esse attendendum. Festa etenim Trinitatis digniori cultu sunt celebranda, deinde festa B. Mariæ, præcipue tamen Assumptionis, ac tandem quoque festa S. crucis, quæ duo sunt. De aliis ante intelligenti facile est judicare. Quot sunt festa Trinitatis, tot B. Mariæ esse sciendum est. Causæ vero festorum quæ sint, et cur quædam non suo tempore, sed alieno celebrentur, sequentia commodius declarabunt.

CAPUT VI.

De stationibus.

De litaniis quidem modo non incommode dicendum foret, nisi de iis tum paulo opportunius essemus dicturi, cum de festis juxta temporum varietates tractabimus. Operæ pretium igitur est, ut hoc tempore his supersedeamus, ac modo de stationibus agamus ubi sex sunt consideranda. Primo, quid sit statio, et quam ob rem sic appellata; secundo, unde initium sumpserit; tertio, quot sint earum species; quarto, quare hujusmodi solemnitas stationum sit instituta; quinto, cujusmodi sint perficiendæ; ultimo denique, quæ sit differentia inter stationes, processiones et litanias. Et quidem statio, prout hoc in loco accipitur, est processio quæ fit ad aliam ecclesiam, ut Deo persolvantur gratiæ. Dicitur autem statio, quod stantes Deo agimus gratias, non flexis genibus sicut in litaniis, nec in eis supplicationis utimur vocibus, sed laudem Deo

cantamus. Videntur tamen stationes a veteri lege ad nos fluxisse. Tum enim populus Judaicus, atque etiam complures ethnici Jerosolymam conveniebant in maximis solemnitatibus, veluti in Paschate et Pentecoste, ut in templo adorarent, ibique et munera offerrent, ac Deo tandem gratias pro innumeris beneficiis agerent. Ab hac ergo est consuetudine, quod etiamnum nostra Ecclesia observat, ut omnes pariter ab oppidis, villis aliisque locis suburbiis in septimana Paschali et Pentecostes ad episcopalem ecclesiam convenirent. Sunt item aliæ stationes, quæ a Romanis originem traxerunt, qui in ejusmodi frequenter admodum versabantur. Si quando enim diversis temporibus se ab hostibus undique obsessos animadvertebant, aut graviora sibi imminere pericula, sanctorum intercessiones implorabant, ut quidquid esset periculi tandem cessaret. Quo quidem facto processionibus ad ejus sancti ecclesiam conveniebant, cujus patrocinio fuerant liberati, ut tanto beneficio dignas gratias Deo agere possent. Atque ita sane fiebat statio ad S. Paulum illo die, quo per ejus subsidii invocationem eos liberaverat Dominus. Et sic de aliis. Stationum autem duæ sunt species : Aliæ enim sunt generales, aliæ particulares. Generales sunt, quæ in iis duabus septimanis, quas modo diximus, ad majorem semper ecclesiam fieri solent ; particulares vero sunt, quæ in diversis ecclesiis ex causa quam statim attulimus fiunt. Quandoque etiam fiunt stationes causa venerationis, nulla alia causa interveniente, ut cum in alicujus sancti festo ad aliam ecclesiam itur processione a majori. Ursus interdum stationes fieri dicuntur, cum ob eamdem venerationis causam diebus festis ad diversa progredimur altaria. Quare ex iis quæ diximus, satis constare arbitror quæ sit stationum institutio. Quibus illud tamen addendum est, quod quemadmodum Romani in sua civitate ad pericula evitanda stationes annuatim fieri statuerunt, sic quoque in aliis civitatibus ob similem causam suas instituerunt stationes. Non est profecto, quod multum anxii simus circa vestes, quibus in stationibus uti oportet, cum ejusmodi esse debeant, quales in choro quotidie haberi licet, hoc semper observato, ut illi tempori maxime conveniant, quo fiunt stationes. Non hic jejunatur sicut in litaniis. Non hic flectuntur, ut dictum est, genua, sed lætitiæ voces cantantur, nimirum responsoria, ut diximus, et antiphonæ, vel his quidpiam simile. Fit nonnunquam ut, dum peraguntur stationes, in ea ecclesia, ad quam itur, missa celebretur, et interdum non. Ut ut tamen hæc sunt, absoluta stationis oratione semper unde exierant reditur. Inter stationes vero, litanias et processiones hoc interest, quod stationes ex causis supra dictis, eo, quo expositum est, modo fiant litaniæ quæ supplicationes ac rogationes significant; ad vitanda quidem fiunt pericula, atque omne effugiendum infortunium, sed non sine jejunio et veste humili aut habitu lugubri, vocibus in modum supplicatis. Unde profecto litaniæ dicuntur supplicationes. Sed evidentius hæc omnia patebunt, cum eadem plenius paulo post simus tractaturi.

CAPUT VII.

De processionibus.

Processiones denique duæ sunt : una est, quam singulis annis observamus in Ramis Palmarum. Sic enim illam vocamus Dominicam, quæ proxime præcedit Pascha. Atque hæc quidem illam repræsentat processionem, quæ Domino fuit exhibita a turbis Judæorum, et pueris cum ramis palmarum, cum insidens asinæ Jerosolymam veniret. Altera vero est, quam Dominicis diebus celebramus in ejus memoriam, quam discipuli Christo exhibuerunt ipso die Ascensionis, postquam cum eo simul ad montem Oliveti congrediebantur, unde illis videntibus assumptus est. Non quod illud die Dominico factum sit, sed processio et omnis istius dici celebratio in diem Dominicum translata est, ut a populo tunc maxime ad ecclesiam confugiente et simul et solemnius coli possit.

CAPUT VIII.

De jejunio.

Nunc videndum est quid sit jejunium, unde dicatur, de auctoritate et laude, sive commendatione jejunii, atque ejus multiplici distinctione. Primum sane pertinet ad definitionem, alterum ad interpretationem sive originem, tertium ad confirmationem, quartum ad amorem, quintum denique ad cognitionem. Jejunium est communis omnium membrorum satisfactio, ut scilicet membra satisfaciant pro peccatis, quæ admiserunt, ut si gula peccavit, jejunet ac sufficit. Qui solus est in culpa, solus sit in pœna. Si oculus similiter. Unde Jeremias : *Oculus deprædatus est animam meam* (*Thren.* III). Et : *Per fenestras oculorum meorum mors intravit in animam meam* (*Jer.* IX). Sic Augustinus : « Oculo nihil nequius. » Potest autem dici jejunium a jejunio, quod est intestinum quoddam, ut inquiunt anatomici, quod in homine mortuo prorsus vacuum reperitur. Nam et nos itidem cum jejunamus a vitiis omnino vacui esse debemus, idque tam in animo, quam in corpore. Unde plenius profecto Augustinus super Joannem jejunium definit hoc modo : « Magnum et generale est jejunium ab iniquitatibus et carnalibus voluptatibus abstinere. » Hoc enim jejunium omnibus numeris est perfectum et absolutum. Cui non absimile est quod Paulus ait : *Sobrie, et pie, et juste vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II).

Nam quod, ut sobrie vivamus, inquit, ad nos plane pertinet ; quod pie, ad Dominum ; quod juste, ad proximum. Hinc pietas est cultus Deo exhibitus, cum quo velut ex adverso pugnat impietas sive idololatria. Quare multi in hoc vocabulo pietatis errant, dum in eo vulgo assentiuntur, quod ille dicatur pius, qui e suis bonis libens pauperibus quidpiam partiatur ; contra ille impius, qui quæ pauperum sunt, ad se rapit. Verum ne diutius quadam similitudine labamur, et vitia impietati confinia, et vir-

tates, quæ pietatis nomini non obscure videntur respondere, breviter describemus. Multum sane interest inter flagitium, facinus atque impietatem. Nam flagitium in nobismetipsis est; facinus vero committitur in proximum, et impietas in Deum. Sic quoque magnum statuitur discrimen inter misericordiam, clementiam et pietatem. Ut enim misericordia maxime versatur circa naturam, sic clementiam esse dicimus erga justitiam, pietatem erga Deum. Verbi gratia, misericordia est, si quis ad supplicium aliquem juste damnatum duci videat, cui ita natura inclinatione compatitur ac commovetur, ut ipsum a supplicio liberet. Quemadmodum etiam dicitur misericordia, si quod pauperi est suffuratum, ipsi restituimus. At vero clementia est, si quem injuste punitum viderimus, et nos periculis objecerimus, ut per vim illum eripiamus. Pietas demum est colere Deum, idque ex mero amore, quam Græci vocant λατρείαν vel θεοσέβειαν; nos autem *Dei cultum* recte appellare possumus.

CAPUT IX.

De jejunii auctoritate.

Auctoritas jejunii triplex est. Habet enim auctoritatem partim ab antiquitate temporis, partim a loci qualitate, partim denique a præceptorum institutione et majestate. Ab antiquitate temporis, quod statim post orbem conditum in ipsa hominis creatione esse cœperit, cum dicebatur : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas* (*Gen.* II). A loci vero qualitate, quia in paradiso fuit institutum. A præceptore, quod non ab homine, sed a Deo ordinatum fuerit. Rursus commendatur a temporibus et personis. Et a temporibus quidem, quod in tempore ante legem, in tempore sub lege, et in tempore gratiæ jejunium semper fuerit observatum. Ante legem a Mose; sub lege ab Elia; in tempore gratiæ a Christo. Ejus autem commendatio plena est exemplis. Eva, quandiu abstinuit, virgo fuit incorrupta, mansitque in paradiso. Sed cum præceptum jejunii violasset, extemplo carnis sensit corruptionem, et sub viro est constituta, ac paulo post e paradiso turpiter ejecta. Ad eumdem sane modum Adam, simul atque jejunium fregisset, ex deliciis paradisi in hanc mortalitatis miseriam detrusus est (*Gen.* III). Moyses post jejunium cum Deo locutus est. Elias similiter post jejunium igneo curru in cœlum subvectus est (*IV Reg.* II). Jerosolyma a Sennacherib tempore Ezechiæ regis et Isaiæ, centum octoginta quinque millibus cœlitus una nocte interfectis, fuit liberata, et ne inter cineratos feterent, solus Sennacherib cum decem tantum aufugit in Ninivem, ubi sexagesimo die post a propriis suis filiis fuit interemptus (*II Paral.* XXXII). Item, Jona iram Dei concionante, Ninivitæ in sacco et cinere jejunium pœnitentiæ agentes consecuti sunt veniam (*Jonas* III). Sic quoque Josue filius Nave jejunio, dum illud per integrum diem agebat ad Gabaon, solis et lunæ cursum cohibuit, et hostes suos superavit. Ab his itaque personis jejunium commendatur; a loco vero, quod in paradiso natum sit. Sequitur jejunii distinctio.

CAPUT X.

De distinctione jejunii.

Jejunium sic primo dividi potest, quod aliud sit carnis, aliud mentis. Carnis est, cum quis abstinet a cibis; mentis vero quando quis jejunat a vitiis. Vel etiam carnis jejunium dici potest, si quando quispiam ob nimiam pinguedinem jejunat, ne corpore supra modum pinguescat. Verum illud nullius virtutis est, adeoque dicendum est potius esse attenuationis. Qua ratione et mentis jejunium esse volumus contra luxuriam, ne similiter plus æquo pinguescat, ac in multis luxurietur. Secundo jejunium et hoc modo distinguitur, aliud videlicet esse institutionis, aliud devotionis, aliud paritatis, et aliud dispensationis. Jejunium institutionis est Quadragesima a sanctis Patribus olim instituta. Quemadmodum enim in lege veteri sancti Patres rerum suarum omnium decimas et primitias Deo reddere consueverunt; ita nos quoque debemus ei decimas et primitias offerre, non solum ex rebus nostris, nempe ex frugibus, et aliis quæ possidemus, verum etiam ex nobismetipsis scilicet jejunando, idque corpore quidem a cibis, mente vero a vitiis. Est enim, ut statim diximus, carnis pariter et mentis jejunium. Offerimus autem Deo ex nobis primitias et decimas, si quando bene operamur.

CAPUT XI.

De institutione Quadragesimæ, et reliquis jejunandi formis.

Instituta igitur fuit Quadragesima, pro dierum decima. Sed cur potius quadragenario numero, quam alio appelletur, evidens ratio est; cum quadraginta dies in anno pro decima liquido possimus invenire. Sicut Levitæ ex decimis quæ eis offerebantur, summo sacerdoti partem reddebant decimam; ita et nos decimam damus Christo vero pontifici ex triginta sex diebus, qui sunt in decima trecentorum et quadraginta dierum, et ex sex horis cum quadrante, quæ sunt ultra dies trecentos et quadraginta. Cum ergo summatim sint dies quadraginta unus et quadrans, ex quadraginta habemus pro decima quatuor, quibus cum aliis triginta et sex computatis, exsurgunt quadraginta. Restat adhuc unus dies et quadrans, quæ sunt horæ triginta, quarum pars decima tres sunt horæ, pro quibus in Sabbato Paschæ jejunamus usque ad noctem. Sunt autem in anno dies trecenti et quadraginta sex, quorum decima pars triginta sex dies sunt, accepta decima quadrantis, pro qua voluit Augustinus ut in vigilia Paschæ, ejus diei missa nocte celebraretur. Unde est, quod in oratione, quam collectam dicimus, illo die legimus : *Deus qui hanc sacratissimam noctem*, etc. Dicitur ergo Quadragesima, quasi cum decima quatuor. Diebus enim triginta et sex adduntur quatuor, qui sunt ex decima. Primus est sanctificationis, hoc est mundificationis, si sic dicere liceat. Quia tunc homo mundatur et lavatur, tam anima quam corpore. Reliqui tres

sunt primitiarum. Primus dierum quadraginta est quarta Quadragesimæ. Tres alii sunt, ut dictum est, primitiarum. Et certe ignorandum non est tres dies jejuniorum in unoquoque tempore celebrari, qui appellantur primitiæ, quod ita de iis sit dispensatum. Proinde jejunium dispensationis est, quod in magnarum solemnitatum vigiliis fieri dicitur. Solebant enim majores nostri illa nocte, quæ proxime festum præcedebat, vigilare, unde et vigilias appellabant dies festa proxime præcedentes, ad quas conveniebant juvenes et puellæ, cantores et lusores, sicut adhuc fit in plerisque regionibus, ut in Pictavia, præcipue in festis patronorum ecclesiarum. Sed quoniam multa inde nascebantur incommoda, institutum fuit ut in locum vigiliarum succederent jejunia, ut eo demum modo comessationes superfluæ et ebrietates quæ crebro contingebant, tollerentur e medio. Quod in ea forma ab Ecclesia ita dispensatum accepimus. Si quis tamen jejunaret et vigilaret, his utique haud male faceret. Nihil enim vetat bonum duplicare. Dicitur autem hujusmodi institutio, dispensatio, quasi in diversis, ut sic loquar, pensatio. Nam jejunium hoc fuit introductum in compensationem vigiliarum, quæ idcirco fuerunt abrogatæ, ne crebræ illæ comessationes atque ebrietates posthac fierent. Aliquando tamen et canonici rigoris est dispensatio justa de causa ab eo cujus interest facta relaxatio, quemadmodum etiam in hoc loco. Viderunt enim quod melius erat jejunare quam vigilare. Jejunium porro devotionis est, si quando quis sua sponte jejunat, ut in vigilia B. Martini, et B. Nicolai. Jejunium paritatis est, cum in vigilia S. Jacobi, Bartholomæi, et aliorum apostolorum jejunamus, quibus ut jejunaretur, statutum non est. Facimus tamen ex eo, quod omnes apostoli in meritis ac præmiis pares sint. Quorum enim merita æqualia sunt, necessarium plane est ut eorum animæ in cœlis sint æquales.

Ob quam sane causam Ecclesia consideravit dignum esse ut pariter omnes jejunia haberent. Ex apostolis autem sex tantum jejunium habent institutionis, quorum item quatuor cum conjunctim jejunamus, quatuor duntaxat in universum existunt apostolorum jejunia. Nam Petrus et Paulus unum communiter obtinent, quoniam eodem die passi sunt. Sic Simon et Judas, qui ita simul duo jejunia efficiunt; tertium habet Matthæus, et quartum Andreas.

Cur vero his, et non etiam aliis jejunamus, ratio in promptu est. Ut hoc enim fieret in eorum vigiliis, ideo sancta Ecclesia statuit, quo sicut illi pro Christi nomine passi sunt, et nos quoque aliquo saltem modo cum eis patiamur, si beate cum eis vivere optemus. Eadem ratione etiam de aliis apostolis instituisset, nisi aliud quidpiam impedimento fuisset. Impedimenta autem sunt hæc : Festum Philippi et Jacobi quod ipsis Kalen. Maii habemus, quæ semper sunt inter Pascha et Pentecosten, quod sit tempus lætitiæ, et gaudii, jejunandum non est. Nec obstant jejunia, quæ in diebus Litaniarum sive Rogationum occurrunt, cum ea ob aliam fiant necessitatem, ut patebit dilucidius in sequentibus. Nam et tum jejunatur ab aliquibus propter Spiritus sancti exspectationem. Jacobus Zebedæi ab Herode obtruncatus est in diebus azymorum, ita ut neque jejunium habeat, neque illi festum celebrari possit. Festum namque ejus, quod septimo Kalendas Augusti observatur, non fit respectui illius passionis aut mortis, sed translationis. Tunc enim illi primo dedicata est ecclesia in Hispania, ut plenius ostendetur eo in loco quo ejus festum attingemus. Quod autem non jejunatur Bartholomæo, cujus festum est octavo Kalend. Septembris, aliud est impedimentum. Fertur enim uno die fuisse excoriatus, et altero obiisse, quanquam in legenda seu Vita ejus illud minime habeatur. Quod si ergo ita sit, necessarium foret, ut ejus vigilia secundo die ante festum coleretur, quod esset contra normam aliorum jejuniorum festivorum. Ut de beato Thomæ jejunetur, non oportet, quia festum ejus est in Adventu Domini, in quo quasi continuum jejunium debemus observare. Barnabas propterea non habet jejunium, quod non sit ex numero apostolorum. Nec profecto dicitur apostolus, nisi quod, cum erat Pauli socius, ut cæteri ad prædicandum missus sit. Unde illud : *Segregate Barnabam et Paulum* (*Act.* XIII). Mathiæ ideo non est institutum jejunium, quia festum ejus in Quadragesima frequentius solet contingere, quando alioqui semper jejunatur. Vel etiam ob eam rem, quod ex primitivis apostolis non fuerit, sed post Christi passionem per aliorum electionem loco Judæ substitutus (*Act.* I). De quo dicitur : *Et episcopatum ejus accipiat alter* (*Psal.* CVIII). Festum denique B. Joannis evangelistæ semper celebratur tertio die post Nativitatem Christi, quo jejunare non licet propter dies festos. Nihil interim vetat, quominus omnium apostolorum jejunia possint celebrari. Optime enim fecerit, qui jejunaverit, sicut in vigilia beati Jacobi septimo Kalend. Augusti jejunant hi, qui ipsum colunt. Sed istiusmodi jejunium vocatur paritatis, quod secundum merita suscipitur, non institutionis.

Et rursus jejunium aliud inspirationis, aliud circumspectionis. Inspirationis jejunium est, quale fuit in B. Nicolao, qui etiamnum infans in cunabulis bis in hebdomada ab uberibus matris abstinuit, ac tantum semel papillas quarta et sexta feria suxit. Jejunium circumspectionis est, quando præ imminente aliqua tempestate, vel hostium periculo, vel simili aliquo infortunio jejunamus. Deinceps vero jejunium aliud est rationabile, aliud irrationabile. Rationabile appellatur quod ipsa ratio facile admittit, cum moderate cibum et potum sumimus, ne inde corpus debilitetur. Unde inquit Apostolus : *Rationabile* sit *obsequium vestrum* (*Rom.* XII) : *Non in commessationibus et ebrietatibus*, etc. (*Rom.* XIII). Irrationabile est, si quis velit jejunare duobus aut tribus diebus continuis, aut integra etiam septi-

mana: cujusmodi Deus non approbat, qui ut vitia mori eogantur, non autem ut natura dissolvatur vult esse jejunandum. Hinc illud jejunium posse prohiberi, quod nonnulli continuant a Cœna Domini usque ad Pascha, satis manifestum est.

Sunt item aliæ jejuniorum formæ, quas eadem brevitate perstringemus. Nam aliud reperitur qualitatis, aliud quantitatis, aliud numeri, aliud summæ exactionis, aliud alteritatis, ut sic dicam, aliud xerophagiæ. Qualitatis jejunium vocamus, cum carnis esum nobis in posterum indicimus; quantitatis, cum quis ad certam mensuram sibi victum subtrahit, et omnino quantum quoque die comedat, quasi ponderatum habet. Jejunium numeri est, si quando quis ita secum statuat, ut quolibet die non nisi semel posthac cibum caperet, vel bis, idque ex eo quod qui idem sæpius faciunt, sic ipsi se abjiciant ac prosternant ut nihil inter eos atque inter bruta animantia plane intersit. Hæc enim ut ad pastum nata sunt potissimum, ita sæpius unoquoque die ventrem saturant. Bis sese refícere humanum est, semel autem, ut fertur, angelorum. Quare cum sint, quibus semel duntaxat cum angelis quoque die vesci decretum est, hujusmodi jejunium habere putantur. Sed tolerabilius hoc est, illud vero strictius, quod summæ dicitur exactionis, cujusmodi habent hi, qui radicibus et herbis vescuntur, ut in deserto Joannes Baptista, et in eremo Maria Ægyptiaca, quæ cum duobus tantum panibus trajecit Jordanem, vitamque austeram et solitariam egit annis quinque. Alternationis esse dicitur jejunium, cum quis alternatim jejunat, nimirum si cum hoc die abstinuerit, sequenti comedat Xerophagiæ adeo jejunium, et si quando quis cibum comedit aridum. Dicitur enim xerophagia a ξηρὸς *siccus*, et φάγω, quod est *comedo*, quasi dicamus *siccam comestionem*, quale esse potest in pomis, piris, castaneis, prunis, et id genus aliis. Quidam tamen siccam comestionem esse arbitrantur legumina cruda sive cocta, si modo absque jure comedantur. Postremo invenitur quoddam jejunium vanitatis seu simulationis, ut in hypocritis, qui ob fictam sanctimoniam jejunant, ut ab omnibus suspiciantur; quoddam necessitatis, ut in mendicis, et quoddam virtutis, ut in iis qui veram corpori inducunt abstinentiam, cum a culpa animis abstinent, cum sese victu defraudantes, cibum egenis benigne partiuntur, quem suis ventribus detrahunt, cum denique sese esurientibus velint alios suis satiari epulis. De jejunio igitur ejusque multiplici distinctione hactenus.

CAPUT XII.

De personis.

Postquam de temporibus Deo spiritualiter dicatis hunc usque a nobis dictum sit, res ipsa postulat ut eodem modo de personis divinis officiis addictis, hoc est ecclesiasticis, deinceps dicamus. Ad cujus rei majorem declarationem sciendum est in primis tres esse sectas, quæ hominibus maxime probantur, quarum una est ethnicorum seu paganorum, altera Hebræorum, tertia Christianorum. Prima est erroris, secunda veritatis, tertia salutis. In prima naufragium patimur, in secunda a periculo quidem eripimur, sed in tertia salvamur. Prima rursum nos a Deo secat et separat, secunda illuminat, tertia autem penitus salvat et liberat. Verum mos paganorum conversus est in ritum Christianorum. Quæ Dei Opt. Max. mutatio sane pulcherrima est. Christianorum enim personæ, tam sæculares quam ecclesiasticæ, ab aliis duabus sectis, nimirum ab Hebræa atque ethnica, desumptæ sunt. Quemadmodum enim apud nos duo sunt personarum genera, laicales videlicet sive populares (λαικὸς enim *populus* est) et ecclesiasticæ: sic apud ethnicos et Hebræos, a quibus nostræ habuerunt initium. Apud ethnicos personæ sæculares erant hæ: monarcha, scilicet Romanus imperator, patricii, qui et senatores dicebantur, quorum arbitrio universa ordinabantur; reges, duces, præsides, præfecti, tribuni plebis, tribuni militum, prætores, centuriones, decuriones, quaterniones, tribuni, quæstores, ædiles, aulæ janitores. In ritu vero templorum erant archiflamines, flamines, sacerdotes in utroque sexu. Namque apud illos non aliter, atque modo apud nos, erant et mulierum et virorum religiosi conventus. Inter poetas erant carminum judices, comœdi, tragœdi, historiographi. Apud Hebræos porro eadem fuit personarum diversitas. Erant enim quædam sæculares, quædam vero cultui divino in templis perpetuo addictæ. Et personæ quidem in templis erant hæ: summus sacerdos, et minores sacerdotes, levitæ, nathinæi, luminum exunctores, exorcistæ, janitores vel æditui, et cantores. Inter sæculares vero in primis dux populi erat ad regendum Moses, et sub eo, quos ipse ad consilium soceri sui Jethro constituerat, nempe erant hi: chiliarchi, hecatotarchi, pentecontarchi seu pentecosiarchi, et decarchi, hoc est, millenarii, centenarii, sive centuriones, quintagenarii, decani; χιλία enim *millenarium numerum* exprimit, ἀρχὼν *principem*, unde χιλιαρχος dicitur *qui præest mille*. Sic ἑκατὸν significat *centum*, unde hecatoncarchus est cui centum parent, et pentacontarchus cui quinquaginta. Nam πεντήκοντα *quinquaginta* sonat. Qui autem decem in potestate habent, recte appellantur decani a δέκα *decem*, quod sint supra denos. Apud Christianos quoque personæ sunt partim populares, partim clericales. Populares non sunt diversæ ab iis quas apud ethnicos esse dicimus, quamvis non ubique clericales sunt, quæ administrant ecclesiam, dicunturque ἀπὸ του κλῆρου, quod *sors* interpretatur, quasi sorte sint electæ. In veteri namque testamento sacerdotes sorte eligebantur. Quemadmodum etiam ethnici sortitione unum ex liberis suis ad clericatum eligebant. Possunt nihilominus dici clericales, quia ipsi accipiunt hæreditatem Domini, nimirum decimas et oblationes. Nam κλῆρος Græcis non solum est quod nobis *sors*, sed et *hæreditas*. Est enim iis æquivocum, unoquoque nomine duo hæc significat. Personæ autem clericales dividuntur in mona-

chos, quasi sint soli viventes a *μόνος solus*, et *ἔχω* A *habeo*, quod ab aliis seorsim soli habitare debeant, et ecclesiasticos. Quæ sit porro personarum diversitas inter monachos equidem satis notum esse existimo. Totum enim illud ab ordinum varietate petendum est, quam alii albi sive candidi, alii nigri appellantur.

CAPUT XIII.

De personis ecclesiasticis.

Ecclesiasticarum personarum genera duo sunt. Aliæ namque sunt dignitatis, aliæ ordinis. Dignitatis sunt, ut papa, patriarcha, cardinalis, primas, archiepiscopus sive metropolitanus, quod ejusdem est significationis, episcopus, archidiaconus, archipresbyter. In choro sunt decanus, hypodecanus, cantor, subcantor, thesaurarius, scholaster. Ordinis B personæ sunt sacerdos, diaconus, hypodiaconus, acolythus, exorcista, lector, ostiarius. Sunt autem in ordine septem gradus, ad designandam septiformem gratiam Spiritus sancti, cujus munere illorum ordinum officia exsequuntur. Sed quoniam de ecclesiasticis personis juxta nostrum tempus tractare proposuimus, videamus quemadmodum a veteri consuetudine tam ethnicorum quam Judæorum ad præsentis Ecclesiæ cultum facta sit personarum translatio, tum secundum ordinem, tum secundum dignitatem. Ac primo quidem secundum ordinem, in veteri testamento erant sacerdotes, quales fuerunt filii Aaron, qui pro populo sacrificia offerebant. Erant præterea aliqui in populo magistri, ut fuit C Nicodemus. In horum locum nostri successerunt sacerdotes, qui sacrificium altaris Deo pro nobis offerunt, quique ad hoc obligati sunt, ut verbum Dei populum sibi commissum doceant. Vocantur autem sacerdotes, quasi *sacra dantes*, et presbyteri, quasi *seniores*, non quidem ætate, sed eruditione et moribus. Ordo diaconorum, id est *ministrorum* (tantum enim sonat) vicem explent levitarum. Ut enim in veteri lege levitæ in sacrificiis inserviebant sacerdotibus testamenti veteris, ita hi in sacramento altaris ministrant sacerdotibus novi testamenti. Hypodiaconi in locum nathinæorum sunt substituti, qui sic dicebantur, quod in humilitate servirebant. Quemadmodum enim hi sub levitis sacra administrabant, sic illi sub diaconis, unde et hypodiaconi sunt ap- D pellati. In templo erant emunctores luminum, qui candelas et accendebant et exstinguebant. Hi sunt in nostra Ecclesia quos acolytos et ceroferarios dicimus, qui cereas candelas, thuribulum portant ac præparant. In tempore veteris legis exorcistæ, id est adjuratores, ex doctrina Salomonis dæmones ab hominibus abigebant : sed et nos similiter exorcistas habemus qui illos exorcizant qui efficiendi sunt catechumeni, nimirum cum ab iis adjurando expellunt dæmones. In templo erant cantores; apud nos sunt lectores sive anagnostes. Ostiarii in nostra Ecclesia vicem supplent templi janitorum. Officium enim janitorum erat templum claudere et aperire, mundos recipere, immundos excludere. Ostiariorum autem officium est catechumenos baptizandos, et pœnitentes per episcopos jam reconciliatos in ecclesiam introducere

CAPUT XIV.

Quomodo personæ dignitatis a veteribus ad nos fluxerunt.

Videndum modo est quemadmodum dignitatum personæ a veteribus ad nostram Ecclesiam pervenerint. Et dominus quidem papa, id est Pater patrum vel custos patrum, summi pontificis qui in lege fuit personam gerit, veluti Romanus imperator, monarchæ, senatoria potestas, et patriciorum dignitas, quæ forsitan apud Judæos observabantur, etiamnum in nostra Ecclesia permanet in tribus patriarchis, scilicet Antiocheno, Alexandrino et Constantinopolitano. Primates, qui tribus archiepiscopis præsunt, vel præesse possunt, regem exprimunt, cujus potestas ad tres se extendit ducatus. Metropolitani sive archiepiscopi comparantur ducibus, qui pluribus præsunt comitibus. Nam et archiepiscopi pluribus episcopis præesse dicuntur. Episcopi habent similitudinem comitum. Coepiscopi, quorum jam abolita est dignitas, præfectis adæquantur. Abbates imitantur tribunos militum, cancellarii prætores, archidiaconi centuriones, decani decuriones. Archipresbyteri loco sunt advocatorum, presbyteri ædilium, diaconi quaternionum, hypodiaconi tribunorum. Denique exorcistæ quæstores repræsentant; ostiarii, aulæ janitores; lectores, carminum recitatores; acolythi, carminum scriptores.

CAPUT XV.

De rebus quæ Deo potissimum debentur.

Nunc autem quod quarto a nobis fuit propositum aggrediamur, ut videlicet quæ res Deo spiritualiter debeantur, breviter exponamus; quod abunde satis pateant. Sunt etenim decimæ, primitiæ, vota, sacrificia, oblationes et donationes. Primitiæ e primis hominibus initium habuerunt. Legimus enim Caina et Abelem e frugibus suorum laborum primitias Deo obtulisse, sed Abelem agnos et Caina segetum manipulos. Horum tamen alter, quia et juste et læta fronte optimum quodque obtulit, Dei gratiam abunde demeritus est, ejusque grex in fetura maximæ fecunditatis abundavit, ob quam rem innocens sub Christi figura primus martyr exstitit. Alter vero, quoniam juste primitias non solvebat, cum pessima quæque daret, Deo displicuit, primusque in peccatum parricidii aut homicidii incurrit, quod laboris sui proventum non habebat exspectatum (*Gen.* IV). Eodem modo et populum Israeliticum ex omni suo labore Deo primitias dedisse, ex Dei præcepto accepimus. Quare ipsa ratio exigit ut et nos Christiani similiter faciamus. Quid autem et quomodo dandum sit, satis cumulate docet nos eventus Abeli Caino.

Profecto non possumus ejus non meminisse, quod a Deo omnia accepimus, et quidquid habemus, quod ab ipso sit profectum, ita ut vel ob id æquum sit, ei primitias offerre, et quodammodo de acce-

ptis beneficiis referre gratias. Sed si quæratur cui dandæ sint primitiæ, et in qua etiam quantitate, facile respondemus eas sacerdotibus esse largiendas. Quod ita tamen accipiendum non est, quasi necesse sit eas his solis dandas esse, ac non etiam aliis. Nam eremitis et iis, qui in terrarum abditis latent et inclusi sunt, aliisque religiosis, si placuerit, dare possumus. Nec vero certa et determinata in his quantitas est, adeo ut quantum visum fuerit, et non ultra largiri liceat, si modo ex affectu charitatis proficiscatur. In veteri lege præceptum est ut ex omnibus bonis darent decimas, quod ex omnibus Deus sibi decimam voluit, quam tribui Levi in celebratione sui officii appropriavit. Sic nos utique similiter facere debemus. Quod si vero a laicis injuste possideantur, nihilo tamen minus eas tenemur solvere. Nec sane licitum est iis connivere, aut de his dispensare, sed illos tantisper reddere, donec Deus injustam eorum possessionem in melius emendaverit. Proinde si quis decimam retinere præsumpserit, certe ille transgressor et prævaricator præcepti divini jam factus est, et mortaliter peccavit. Atque etiam qui hoc fecerit, sciat se non solum decimam retinere, sed quod et novem alias partes injuste non dubitet possidere. Tantum est non reddere quod ad Deum pertinet!

CAPUT XVI.

De votis et sacrificiis.

Vota nostra Deo debemus. Unde illud : *Vovete et reddite*. etc. (*Psal.* LXXV). Sed votorum aliqua sunt necessitatis, aliqua spontaneæ voluntatis. Necessitatis sunt, quæ sunt fidei annexa, cujusmodi in baptismo facimus, dum nos fidem Christi observaturos, et Satanæ operibus plane abrenuntiaturos vovemus. Sic necessitatis voto astringimur ad observationem decem præceptorum. Atque hæc quidem vota omnino mutari non possunt, sed perpetuo sunt observanda. Vota spontanea, nonnulla sunt discreta, nonnulla indiscreta. Indiscreta sunt vota puerorum, dum necdum suæ sint potestatis, sed parentum. Atque hujusmodi licite omitti possunt, si videatur expedire, vel parentibus, in quorum potestate sunt constituti, placuerit contraire. Sic vota mulierum indiscreta appellantur, cum sunt in potestate virorum. Verbi causa : Si aliqua puella, quæ nondum esset nubilis, et ad annos suæ pubertatis adhuc non pervenisset, perpetuam vovisset castitatem, et paulo post parentes eam ut matrimonium contraheret cogere vellent, et posset utique nubere, nec teneretur voto satisfacere. Sic eodem modo, si alicujus uxor, marito ignorante, votum fecisset de Hierosolymitana profectione, posset maritus eam, si vellet, revocare, quod sub ejus manu sit constituta. Sed contra uxor in eo casu maritum non revocaret, nisi ipse vovisset castitatem. Illud enim neutri illorum permissum est, nisi quatenus in hoc utrique consentiant. Alter igitur sine altero castitatem vovere non potest, nec debet, cum alter alteri debitum persolvere obligetur. Verum non in hujusmodi solum personis votorum indiscretio intelligitur, sed quandoque etiam in provectioribus, et quæ omnino liberæ sunt, vota fiunt indiscreta, quæ pœna potius digna sunt, quam ut ad effectum producerentur. Quale esse potest, si quis illud se facere voveat quod perficere nullo pacto possit, vel ex quo ita debilem suam efficeret naturam, ut periculum sit, ne oneri succumbat, et sui ipsius occisor habeatur. Certe quæcunque vota cum consilio et animi ratione facimus, ea perpetuo sunt observanda, nec ullo mutanda tempore. Cum autem in lege veteri multiplex ageretur sacrificium, ut in Levitico habetur, in Christianorum seu fidelium Ecclesia unum duntaxat celebratur sacrificium, scilicet corporis et sanguinis Domini, de quo quoniam in sequentibus latius dicturi sumus, cum officium missæ exsequemur, modo supersedeamus.

CAPUT XVII.

De oblationibus et donationibus.

Nunc de oblationibus. Sicut in lege veteri populus Hierosolymam ad magnas quasdam solemnitates conveniebat, nimirum ad Paschatis, Pentecostes et Scenopegiarum festa, ut orarent in templo, ubi etiam ex debito universi offerre obligabantur, ita omnes Christiani, ex institutione sanctorum Patrum, tenentur offerre, juxta modum suarum facultatum, in quatuor principalibus solemnitatibus, nempe Natali Domini, Paschate, Pentecoste, et in festo Omnium Sanctorum, ut inde sibi victum habeant sacerdotes. Præterea offerre debent, quo paschalis illa candela cerea ematur, quoque cum oleum, tum cera ad ecclesiæ illuminationem comparetur. Alias autem nemo ad oblationes compellendus est. Si tamen fiant, spontaneæ sunt, quemadmodum et illæ, quæ post confessiones dari consueverunt. Quod vero in quibusdam Ecclesiis vendantur sepulturæ, et pro campanarum pulsatione donationes exigantur, perinde est ac si Ecclesiæ sacramenta venderentur.

CAPUT XVIII.

Quod officium et quotuplex.

Cum ergo hactenus, ut propositum erat, de locis, temporibus, personis et rebus Deo spiritualiter dedicatis, expositum sit, sequitur ut de eo, quod quintum et ultimum in propositione fuit, nimirum de ecclesiasticis officiis deinceps dicamus. Et primo quidem videndum est quid sit officium, secundo unde dicatur, tertio quemadmodum de eo agendum sit. Officium est, ut ab Isidoro definitur, proprius vel conveniens uniuscujusque actus, secundum leges et mores civitatis vel instituta professionis. Alia enim officia habent monachi, alia canonici, alia solitarii atque eremitæ, et sic de aliis. Dicitur autem officium, ut in libro Officiorum, inquit Hieronymus, quasi officium. Consentaneum enim est ut suum officium unusquisque efficiat. De officiis agendum hic est partim generaliter, partim vero particulariter. Sunt enim quædam generalia officia et uniformia, quæ toto anno observantur, ut sunt

horarum preces, vesperæ, completoria, ac nonnullæ missæ et matutinæ. Sunt autem, quædam specialia, quæ pro varietate temporum et solemnitatum distantia variantur. Pro varietate temporum, quoniam alia paschali tempore celebrantur, alia in Quadragesima, alia in æstate, alia denique in Adventu; pro diastemate seu distantia solemnitatum cum aliter fiat in hac solemnitate, aliter in alia. Nam in ipso Paschate tres tantum lectiones recitantur, in Natali vero novem.

CAPUT XIX.

De officio generali.

De generali officio primo dicendum est, idque hoc ordine, ut primo quid canendum et psallendum sit videamus; deinde a quo fuerit institutum officium ecclesiasticum; tertio ad quid conducat, quamobrem et quando sit ordinatum; quarto denique a quo fuerit canonizatum et confirmatum. Et in primis quidem dicimus generaliter nihil esse cantandum aut psallendum, aut etiam legendum quod a summo pontifice non fuerit approbatum. In primitiva Ecclesia diversi diversa cantabant, quisque pro suo libitu, ita tamen si illud quod canebant ad divinam laudem pertineret. Pleraque tamen officia observabant quæ ab initio erant constituta, vel a Christo, ut Oratio Dominica, vel ab apostolis, ut Symbolum. Postea Ecclesia velut scissa est per varias hæreses et schismata. Quod quidem cum vidisset Theodosius imperator, qui suo tempore omnes hæreses exstirpavit, negotium dedit Damaso pontifici, ut aliquem sapientem et Catholicum ad se accerseret, qui ecclesiasticum officium ordinaret. Præcepit igitur Damasus Hieronymo, viro trium linguarum peritissimo, ut qui ad eam rem tum erat idoneus, ut quædam officia ecclesiastica in certum ordinem rediger et. Habitabat autem tum temporis Hieronymus Bethlemiæ cum Paula et Eustochio atque aliis virginibus religiosis, posteaquam jam antea Romæ sub septem apostolicis viris habitaverat. Ordinavit ergo hic quantum ad psalmos attinet, qui quibus diebus canerentur. Sed et evangelia et epistolas atque alia officia in ordinem quemdam redegit, ut quid quoque die cantandum esset, semel constaret. Nam omnes fere cantus composuit, iis exceptis quos alii Ecclesiæ doctores postea adjecerunt. Hieronymus itaque cum opus istiusmodi absolvisset, misit Romam, ubi a Damaso papa fuit approbatum, et in communi concilio canonizatum. Postremo papa Damasus eam dedit operi auctoritatem, ut postea semper in omnibus Ecclesiis observaretur, quemadmodum in eo erat ordinatum. Quare ostensum modo est a quo officia ecclesiastica fuerint instituta, qua de causa, quando, in quem finem et quis ea canonizaverit.

CAPUT XX.

De ipso officio.

His ita consideratis operæ pretium est ut ipsum officium persequamur, ordientes ab officio noctis. A Hic enim ordo aptus et conveniens est, ne a luce ad tenebras veniamus, sed potius a tenebris prodeamus ad lucem. Sciendum igitur est olim tempore primitivæ Ecclesiæ usu receptum fuisse ut nocte ter surgeretur ad divinum officium celebrandum: primo circa primum somnum habita ratione ejus temporis, quo vulgus se quieti dare consuevit; secundo circiter mediam noctem; tertio paulo ante diem, hoc nimirum ordine, ut cum nocturni finiti essent, et lectiones cum suis responsoriis perlectæ, priusquam lucesceret aurora apparente, cum pulsu campanarum decantarent *Te Deum laudamus*, et sic deinceps laudes matutinas. Ad primam nocturnam surgebant tantum ministri Ecclesiæ, qui cum tempestivius ivissent cubitum, jam B dormierant. Sed quoniam frequenter hoc nocturnæ vocabulo utimur, non incommode fecerimus, si quid per illud significetur exposuerimus. Accipitur ergo nocturna nocturnæ pro hora, et nocturna nocturnorum pro ipsis officiis. Vel nocturna nocturnæ psalmi appellantur, qui Dominicis diebus dicuntur, antequam recitantur lectiones. Similiter etiam illi, qui diebus profestis dicuntur, ut in secunda feria: *Dominus illuminatio* (*Psal.* XXVI), atque ita de reliquis. Nocturnæ nocturnarum, dicuntur tempora quibus psalmi cantantur. Nocturni nocturnorum, vocantur novem psalmi, et novem lectiones cum suis responsis.

Nunc igitur pergamus. In solemnitatibus ad secundam nocturnam pariter surgebant ministri et C conjugati, tam viri quam mulieres. Ad tertiam tandem nocturnam communiter surgebant omnes. Sed postea charitate erga Deum algescente, cum fervor ille cultus divini in hominibus tepesceret, ita ut jam pigriores essent, quam ut statis illis horis ad officium nocturnum surgerent tam ministri Ecclesiæ quam cæteri, consultum est, ut media saltem nocte omnes surgerent, juxta illud Prophetæ: *Media nocte surgebam*, etc. (*Psal.* CXXIII), atque ita tum continuo integrum noctis officium absolverent. Quod quidem etiam nunc plerique religiosorum conventus observant. Verum et hæc institutio brevi abiit in desuetudinem, cum jam conviviis et luxui magis vacabant, quam Dei servitio. D Quapropter iterum aliter statutum fuit, ut vel tempore nocturnæ ultimæ universi circa diei crepusculum surgerent. Nunc autem eo divini cultus ratio demersa est, ut citius surgant pueri quam ministri Ecclesiæ, et prius cantent passeres quam sacerdotes. Adeo amor ille Dei in hominibus penitus refrixit. In memoriam et recordationem primæ illius tam laudabilis consuetudinis, etiamnum ecclesia æstivali tempore nocturnum officium celebrat, tempore nimirum primæ nocturnæ, quod nos vigilias vocamus, tametsi vero aliquando tempestivius. Fit autem illud duplici nomine, vel ad veterum commendationem, vel ad nostram ipsius exhortationem, ut videlicet sciamus quam illi essent sobrii in officiis nocturnis tempore hiemali, quos

cum ter quaque nocte surgerent, brevitas noctis æstivalis, haudquaquam tardabat. Quotus autem quisque nostrum est, qui jam sole radiante ad illud officium alacriter surgere queat? Usque adeo hic sponsi videmur Penelopes, nati in medios dormire dies. Sed quid dico de officio nocturno? Quot sunt numero, qui diurnum recte curent officium? Certe, si quod res est, loqui liceat, admodum pauci. Verum ne quis dubitet quibus festis vetus illa observetur consuetudo, sciendum est in tribus illis vigiliis, scilicet Joannis Baptistæ, Petri et Pauli, et Assumptionis B. Mariæ. Quoniam hæ sunt præcipuæ solemnitates, quas in æstate habemus.

CAPUT XXI.

Cur ter nocte surgebant.

Causa vero et ratio quare ter nocte surgerent hujusmodi afferri potest, quod quadam similitudine majores nostri ad hoc moti fuerint. Quemadmodum enim ii, quorum civitas ab hostibus obsessa est, facile ab incursione interdiu, cum communes vires conferunt sese defendere possunt, et non vero noctu, ob id noctem ternis dividere solent excubiis, ut in prima quiete vigilent omnes, quod illud tempus sit periculosissimum, ac paulo post tantum ii circa muros permanent, quorum primo sic vigilare usque ad canticinium; deinde vero ut illi surgant, quorum est secundo loco excubias agere, et pernoctare ad galli cantum usque; atque ita demum et tertii vigiles surgant, donec jam dies sit. Sic sancti Patres similem excubandi vicissim consuetudinem sumpserunt ad tutandam sacrosanctam Ecclesiam, quæ una est omnium fidelium civitas, quam diabolus impugnat quotidie, quamque ut semel subvertat conatur modis omnibus, idque præcipue noctibus, quando nobis maxime insidiatur. Nox enim peccatis turpibus apta est, furtis, adulteriis, et compluribus aliis, cum homines sperant fore clam, et minus habent pudoris. Hinc est: *Qui male agit, odit lucem* (*Joan.* III). Nam sicut aperta est lux, ita nihil opertum relinquit; sed contra, nox ut est obscura, sic erubescere nescit. Quare profecto nocte accuratius excubare debemus contra inimici latentis insidias, ne iis ad turpia impellamur

CAPUT XXII.

De repræsentatione trium temporum.

Illud quoque notandum est quod in his trium nocturnarum officiis, tria tempora repræsentamus, tempus scilicet ante legem, tempus sub lege, et tempus gratiæ, quorum quodlibet tribus variatur distinctionibus. Temporis ante legem prima fuit distinctio ab Adam usque ad Noe; secunda, a Noe usque ad Abraham; tertia, ab Abraham usque ad Mosen. Tempus vero sub lege has habuit distinctiones: a Mose usque ad Davidem, a David usque ad transmigrationem Babylonis, a transmigratione usque ad Christum. Denique prima distinctio temporis gratiæ, fuit tempus apostolicæ et evangelicæ prædicationis; secunda, tempus impugnationis, quod omnes peperit hæreses; tertia, tempus pacis, quando omnis est hæresis penitus exstincta. His distinctionibus ita semel connumeratis, inveniemus novem fuisse temporum diversitates, quas non obscure in numero psalmorum quos in officio nocturno cantamus, invenimus. Diebus enim festis usurpamus novem psalmos, novem lectiones, novem responsiones, cum novem versibus. In unoquoque nocturno tres sunt psalmi, tres lectiones, tres responsiones, tres versus. Interim tamen sciendum est novenarium psalmorum, novenarium lectionum, novenarium responsorum, cum totidem versibus, pro uno eodemque accipi, quantum ad mundi figuram attinet. In his temporum diversitatibus, quas modo enumeravimus, optime vigilarunt sancti Patres, bonis operibus sedulo incumbentes. Quod quidem nos, ut eorum meritis quadam ratione similes efficiamur, in officio nocturno sub novenario numero psalmorum, lectionum, etc., in laudem Dei exprimimus, excitando nos mutuo ab insidiis diaboli. Atque ideo sane in tribus nocturnis novem dicimus psalmos et lectiones cum cæteris, ut Trinitati in primis placeamus ac novem ordinibus angelorum queamus associari. Nec vero ab re est quod hæc nocte potissimum facimus, cum præsens hæc nostra civitas, Ecclesia nimirum, velut umbra quædam sit cœlestis istius Ecclesiæ ad quam divina gratia perveniemus. Celebratur autem officium hoc trium nocturnorum diebus maxime Dominicis, in solemnitatibus Trinitatis et in festis sanctorum; ideo quoniam certo credimus illos Dominicæ resurrectionis, quam dies Dominica significat, gaudia jam eos esse consecutos. Simili ratione in eorum festis novem psalmos cum totidem lectionibus ac responsoriis proferimus, quo eos novem ordinibus angelorum associatos esse ostendamus. In noctibus vero istorum dierum qui solemnes non sunt, psalmi duodecim, quos vulgus dietam vocat, cum sex antiphonis canuntur, ac tres lectiones totidemque responsiones recitantur ea ratione, quod horæ duodecim diei ascribantur et totidem nocti. Quo quidem fit, ut pro unaquaque noctis hora psalmum Deo offeramus, quo a nocte erroris et a mentis nostræ cæcitate, ad quam nos per peccatum primi parentis detrusit diabolus, per innumeram Dei misericordiam liberemur. Sex antiphonæ designant sex opera misericordiæ, quæ si recte observaverimus, ab hujus noctis tenebris ad veram lucem, id est Christum, haud dubie perveniemus. Ob id autem hic duos psalmos conjungimus, ut per eos ostendantur laudes et opera nostra sine charitate nihil valere, quæ consistit in dilectione Dei et proximi, inter quos nullum est medium. Verum duos psalmos ita connexos propterea una absolvimus *Gloria*, quia laudes nostræ tunc sunt Deo acceptæ, quando in charitate persistimus. Tres postremo lectiones tres connotant ætates, videlicet pueritiam, juventutem et senectutem. In his enim, ne a diabolo seducamur, optime vigilando Dominum laudare tenemur.

CAPUT XXIII.

De ordinatione S. Benedicti.

Beatus Benedictus multo aliter noctis officium instituit, non quod a superiori Ecclesiæ institutione dissentiat, sed ob aliam causam, quemadmodum statim dicemus. Nec sane in quoquam ei est contradictum, sed quidquid fecisset, fuit approbatum et corroboratum a B. Gregorio. Cum enim hic vir sanctissimus, et qui Spiritu sancto illuminatus esset vere habebatur, creditum fuit quod alio pacto officium non instituisset, nisi idem a Spiritu sancto accepisset. Beatus itaque Benedictus ad perfectionis vitæ culmen aspirans, sex psalmos in nocturno primo cantari, et quatuor lectiones cum quatuor responsoriis instituit, totidemque in secundo, ut per hoc nobis duplicem vitam, contemplativam et activam aperte innueret. Nam senarius numerus psalmorum vitam nobis indicat activam, in qua sane conveniens est sex opera misericordiæ exercere, si ad perfectionem vitæ contemplativæ feliciter pervenire velimus, quæ itidem ut per quatuor evangelistas, ita hic per quatuor exprimitur lectiones. In tertio porro nocturno tria cantica in laude Trinitatis cantari instituit, a qua nobis omnem vitæ perfectionem dari certe credimus et speramus. Finiuntur autem illa cantica per *Alleluia*, quod est cœlestis lætitiæ canticum, ut per hoc evidenter notetur Trinitatem dignam esse cœlesti laude, nec ad eam plene perfecteque laudandam satis sufficere laudem humanam. Quæ vero quatuor sequuntur evangelicæ lectiones, significant laudatores Dei debere per doctrinam quatuor Evangeliorum, quatuor insigniri virtutibus, adeo ut hinc per quatuor responsiones designetur laudantium alacritas. Sed ne, dum hoc agunt, totum illud bonum sibi ascribant, verum ut potius laudi divinæ omne attribuant, et se servos Dei in omnibus esse agnoscant, commode subjungitur *Te Deum laudamus*. Postea legitur evangelium, quod denarium connotat, id est vitam æternam, quæ videlicet laudantibus digne redditur. Per hymnum qui sequitur, nimirum, *Te decet laus*, etc., gaudium, quod post laborem in denarii remunerationem habebunt sancti, denotatur. Sed quoniam officium monachorum nihil ad nos pertinere videtur, tantum de eo hactenus dixisse sufficiat, et nostrum propositum persequamur.

CAPUT XXIV.

De pulsu campanarum et matutini temporis initio.

Cum Ecclesiæ ministri ad nocturnum officium surgunt, quemadmodum in castris vigiles sese tubis excitant, ita hi primo pulsant campanas, in signum fidelibus ut pernoctent, et sese adversus insidiantem diabolum muniant, ac suum Creatorem laudibus extollant, per quem a peccatorum tenebris et ab iniquitate dæmonum se fore liberandos certissime sperant. Quemadmodum vero pulsandum sit in magnis solemnitatibus, diebus Dominicis, festis minoribus, et aliis diebus privatis, opportunius dicetur alias. Dum igitur pulsantur campanæ, ecclesia aperta est, quam simul atque ministri Ecclesiæ ingressi sunt, debent se ante omnia ad sanctorum altaria conferre, ibique pressa voce prostrati eos implorare, quatenus et se et suum gregem eorum auxiliis bene vigilando a principe tenebrarum valeant custodire et perpetuo in divinis laudibus perseverare. Sed quoniam campanarum mentionem fecimus, facile illud nobis concedetur, si quod mysterium hic lateat, detracto velut cortice aperiamus. Campana enim significat concionatores, qui perinde nos ad divinas orationes adhortantur. Lignum vero quod ultra campanæ caput protenditur, crucem declarat Domini, et cavilla (sic enim ferrum illud pensile vocant, quod Græci rectius ῥόπαλον nominant, cujus pulsu campana sonum reddit) mentem concionatoris. Nam ut campana pulsari non potest nisi mediante cavilla, ita quoque inutilis ille est concionator, qui mente non sit præditus. Cæterum chorda quæ campanæ appenditur, sacram exprimit Scripturam, quia sicut chorda ex tribus potissimum conficitur funiculis, sic triplex omnino esse dicitur Scriptura, nempe historica, allegorica atque ethica. Quod autem campana elevetur ac deprimatur indicio nobis est sacram Scripturam loqui aliquando alte et aliquando submisse. Jam ergo redeamus, unde diverti cœpimus.

Pulsatis campanis, hebdomadarius (ita eum appellamus cujus est tota hebdomada in choro administrare officium) alta voce incipit : *Domine, labia mea aperies* (*Psal.* L), id est aperi, ut sit enallage temporis. Domine, inquam, aperi, *et os meum annuntiabit laudem tuam* (*Ibid.*) At non et antea apertum os habuit, cum orabat? Habuit quidem, sed is est loquendi modus; non enim dicitur apertum os habuisse, quandiu submissa voce orabat, sed tunc aperuisse, quando illius vox aperte incœpit audiri. Vel necdum os aperierat ad laudandum Dominum, licet aperuisset ad orandum. Vel etiam tangit religionem sacerdotum primitivæ Ecclesiæ, qui cum irent cubitum signaculo crucis se muniebant vocem comprimentes ad tempus usque matutinum, et tunc demum vocibus in laudem Dei prorumpebant. Sed quia hoc habet homo a Deo, quod ipsum laudet, ideo ab ipso petit, ut sibi os aperiatur, inquiens: Domine, labia mea aperies. Verumenimvero cum diabolus semper odio habeat laudem Dei, et hominem, tunc acerrime impugnet, quando se Dominum laudare promittit, ne laudator Dei a diabolo superetur, cui haud facile est resistere, divinum implorat auxilium, cum ait : *Deus, in adjutorium meum intende* (*Psal.* LXIX). Unde profecto etiam nunc moris est, ut tunc crucis fiat signaculum. Tum divino fretus auxilio, quod semper præsto adest cum illud invocabimus, feliciter auspicatur promissam laudem non solum Patri, vel Filio, vel Spiritui sancto, sed toti Trinitati, cum inquit : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*. Inchoata ad eum modum Dei laude, cantor, qui est quasi præco Ecclesiæ, vel ejus vicarius, alios adhuc ante altare suis orationibus insi-

stentes ad laudandum Dominum hortatur, cum ait : *Venite, exsultemus Domino*, etc., (*Psal.* XCIV). In quo psalmo etiam quædam causæ, quamobrem Domino exsultandum sit, continentur.

CAPUT XXV.

De hymno et de iis quæ ad tertiam usque nocturnam fiunt.

Finita exhortatione, quæ ob id appellatur invitatorium, quod cæteros ad laudem Dei invitet, sequitur ipsa laus, videlicet hymnus, qui ideo stando canitur, ut in erectione corporum ostendamus quam in laudando Dominum corda sursum erigere debeamus.

Quia nisi mens linguæ consonet, certum est vocem, quantumvis clamosam, Deo non placere. Antiphona, quæ sequitur, quæque suaviter modulando B canitur, mentis devotionem, quam in laudando Dominum habemus, designat. Verum ideo illa primo incipitur, et finito psalmo, qui ei modeste accinitur, tota cantatur, quia tunc recte laudem nostram modulamur, si ex bona mentis devotione incœpta, simili devotione absolvatur. Antiphonæ autem sunt quasi quædam cantilenæ ad animorum recreationem divinis laudibus insertæ. Versiculus, qui postea cantatur, significat quod tunc ab officio psalmorum nos ad officium lectionum vertimus. A pueris hic canitur, ut tum demum intelligamus nostrum Deo placere servitium, si cum innocentia hoc agamus. Postea dicitur Dominica Oratio, quæ inter alias orationes habetur maxima auctoritatis privilegio. C Atque hæc ideo dicitur, ut per eam tentationes diaboli reprimantur. Cum enim diabolus sentit nos velle legere lectiones, in quibus sanctorum victoriæ ab iis contra ipsum obtentæ recitantur, vel quæ ad morum instructionem et virtutum informationem maxime leguntur, tunc acrius impugnat nos. Quare ne ab ipsius impugnatione devincamur, orationi magis quam voci incumbimus. Ultima autem pars orationis aperta voce recitatur, scilicet : *Et ne nos inducas in tentationem*, ut pateat ad quid illa dicatur oratio, ne videlicet qui lecturus est, id elationis gloria faciat, atque ita per diabolum seducatur et auditorum mentes lectionis intellectu ac profectu per ipsius phantasticas tentationes defraudentur. Tunc itaque lector ad librum accedit, ac, priusquam D legere incipiat, benedictionem tanquam legendi licentiam petit a sacerdote, inquiens : *Jube, domne, benedicere*. Per quod innuitur neminem debere in ecclesia legere, nisi petita venia, ut jussus sit, vel ad hoc ante concessus. Sed animadvertendum est, eum, qui lecturus est, hic *domne* dicere, non Domine, quoniam ad hominem loquitur, qui ut est semiplenus et imperfectus respectu nostri Domini, ita syncopato utitur vocabulo. In fine vero lectionis plene inquit Domine, hoc modo : Tu autem, Domine. Quod præter cæteros maxime observant monachi, cum dicunt domnus abbas, non dominus abbas. Hinc etiam est, quod famuli dominis suis inservientes, si quando illis pocula porrigunt, non A deleant utrumque genu flectere, sed duntaxat alterum, nempe sinistrum, per quam partem significatur corporalis servitus, quæ tantum debetur hominibus, et non spiritualis. Nec est acclinandum principi sæculari recta facie, sed ab aure sinistra capite flexo. Finita igitur lectione adjungit lector : *Tu autem, Domine*, non domne, ut qui perfectum alloquitur dominum, et omnino talem qui perfecto et pleno vocabulo dignus est. Nec illud sane ad lectionem pertinet, aut præmissæ lectioni continuatur, sed lector absoluta lectione dirigens sermonem ad Dominum et sese excusans inquit : *Tu, Domine, miserere nostri*. Quorum verborum sententia hæc est : Domine, forsitan ego peccavi in legendo modulate pronuntians humanæ laudis cupiditate, et fortassis etiam peccaverunt auditores, quod variis cogitationibus fuerint intenti et lectioni debitum non tribuerint auditum, sed, o tu Domine, miserere nostri. Quod autem a cunctis generaliter respondetur : *Deo gratias*, pertinet ad lectionem, et vox est Ecclesiæ gratias Deo persolventis. Ac si dicerent : Deus pavit nos verbis salutis, quæ sunt animæ cibus, de quo beneficio vicissim nos Deo agimus gratias.

CAPUT XXVI.

De tertia nocturna.

In tertia nocturna similiter recitantur lectiones, sed de homilia Evangelii. Quare autem hoc fiat, hæc est ratio : quod tertia nocturna declaret tempus gratiæ, ut prædictum est superius, quo tractabantur evangelica. Notandum interim hic est fuisse quoddam tempus, quo veritas Trinitatis ab hæreticis maxime impugnaretur; sed tantem hæresi confutata atque ejecta, ac populo ad veritatis cognitionem reducto, ordinaverunt S. Patres ut nona lectio de Trinitate legeretur cum suo responsorio. Quod quidem aliquandiu fuit observatum, sed postea tamen neglectum. Cum enim Ecclesiæ lectionem de Trinitate legere non fuerat necesse, universis jam Christianis sane credentibus, eam legere omisit, sed ejus responsorium retinuit. Inde est, quod in æstate Dominicis diebus novum semper responsorium de Trinitate cantamus. Quanquam tunc proprie responsorium non dicitur, quod præmissæ lectioni non respondeat. Nam responsoria lectionibus, quibus subjunguntur, semper debent respondere, ita ut inde sic sint nominata. Quemadmodum et versus appellantur, quasi iis finitis vertuntur responsoria, id est revertantur et iterum cantentur, vel saltem eorum particula aliqua. Atque ita solvitur quæstio illa musicæ quæ fit de versibus secundi toni, qui terminantur in *c*, cum secundus tonus semper in *d*, finiatur. Dicimus enim quod istic non est finis, sed in repetitione responsorii. Potest tamen dici quod commune appelletur responsorium, non quod præmissa respondeat lectioni, sed illi, quæ de Trinitate legi solebat. Absolutis nocturnis, ecclesiæ lumina accenduntur, et pulsantur campanæ, atque alta voce canitur *Te Deum laudamus*. Quo quidem significatur lætitia et gaudium ejus mulieris, quæ

incensa lucerna, drachmam quam perdiderat, invenit. Quod aut istius cantici finis, videlicet, *Per singulos dies*, et alii versus qui sequuntur, paulo altius canantur, designat vicinarum congratulationem, qua mulieri ob repertam drachmam congratulabantur. Nam et compulsatio earumdem repræsentat convocationem.

CAPUT XXVII.

De officio diurno.

Post noctis officium, agendum est de diurno, quod in septem partitur distinctiones, videlicet in laudes matutinas, horam primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, et completorium. Missa etenim ad officium tertiæ vel nonæ spectat. Nam his duabus horis missa regulariter celebratur. Quod autem diei officium septem horis distinctum agimus, a Propheta habemus, qui ait : *Septies in die laudem dixi tibi* (*Psal.* CXXIII). Sed cur, quæso, septies? Quia cum nocturnum officium misericordiæ tempus exprimat, quo genus humanum a diabolo obsessum misere servabatur, optime sequitur, ut diei officium tempus designet nostræ redemptionis, aut nostræ liberationis factæ per Christum solem justitiæ, qui claritate suæ divinitatis tenebras nostras illuminavit, atque ex diaboli servitute nos extraxit, ita ut inde septies quoque die laudes Deo cantemus, quoniam nos tantum boni munere septiformis gratiæ sancti Spiritus accepimus. Quandoquidem vero à tenebris peccatorum per viam pœnitentiæ ad vitæ libertatem pervenitur, hinc natum est ut diebus profestis seu feriis ad laudes matutinas caneretur psalmus ille pœnitentialis, nimirum, *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L). Diebus autem festis, excepto Quadragesimæ tempore : *Dominus regnavit, decorem* (*Psal.* XCII). De quo ut de psalmis aliis, dicetur postea.

CAPUT XXVIII.

Cur septies in die laudemus Dominum.

Est et alia ratio quamobrem septies in die laudemus Dominum, quod quilibet dies uniuscujusque repræsentet ætatem. Non quod eam omnis homo habeat, sed quam haberet, nisi peccaret. Hæc autem septem habet varietates, infantis, pueri, adolescentis, juvenis, viri, senis et decrepiti. Per matutinas laudes repræsentatur infantia, per primam pueritia, per tertiam adolescentia, per sextam juventus, per nonam ætas virilis, per vesperas senectus, per completorium ætas decrepita ac finis humanæ vitæ. In his profecto omnibus ætatibus Creatorem laudare tenemur. Quod autem infantiæ nostræ tempore Dominum laudare possimus, evidens nobis facit argumentum B. Nicolaus, qui quarta et sexta feria matris ubera virtute abstinentiæ non sugebat. De aliis ætatibus satis est manifestum. Sunt item quamplurimæ rationes, quare istarum horarum temporibus Dominum præcipue laudamus. Rubescente diei aurora cantamus laudes matutinas, quæ matutinæ nuncupantur, a mane quod bonum est, si lumen est bonum, atque nihil esse melius luce videtur : bonum igitur est mane, cum eo tempore nobis lumen redditur. Appellantur vero laudes, quod officium laudem potissimum sonet divinam, quam ei damus, quoniam a tenebris erroris nos ad lucem veritatis reduxit. Hoc igitur tempore laudes Deo canimus, quia ejusmodi hora mundum creavit, et angelos, qui statim atque conditi sunt, suavi cantu ac modulamine Creatori suo laudes jubilarunt. Eodem quoque tempore populum Israeliticum per mare Rubrum transduxit incolumem ac Ægyptios submersit. Rursus eadem hac hora Christus victor a morte surrexit.

CAPUT XXIX.

De aliis sex horis.

Sequitur de aliis sex horis, sub quibus item sex aliæ comprehenduntur. Dici itaque duodecim horæ attribuuntur, et totidem nocti. Sub prima hora duas complectimur, ipsam videlicet primam et secundam; sub tertia tres, ipsam tertiam, et quartam et quintam; sub sexta itidem tres, ipsam sextam, septimam et octavam; sub nona duas, ipsam nonam et decimam; vesperæ repræsentant undecimam; completorium duodecimam. At roget aliquis cur potius hisce diei horis diurnum celebretur officium, scilicet prima quam secunda, tertia quam quarta vel quinta, sexta quam septima aut octava, nona quam decima. Quoniam istæ horæ quibusdam insigniuntur privilegiis. Prima enim hora Christus Pilato a Judæis traditus fuit, et a morte resurgens prima hora Mariæ Magdalenæ apparuit. Prima hora visus est in littore septem discipulis piscantibus, quibus dixit : *Pueri, habetis aliquid pulmenti?* (*Joan.* XXI) Hora vero tertia crucifixus est linguis Judæorum et flagellatus, eademque hora Spiritus sanctus ipso die Pentecostes discipulis fuit datus; sexta hora Christus pro nobis ligno crucis clavis affixus est, atque eadem quoque hora, ipso die ascensionis, cum discipulis discubuit. Nona hora exclamans spiritum emisit, et lanceatus e latere corporis sui duo nobis eduxit sacramenta, aquam videlicet baptismatis et sanguinem redemptionis ac salvationis nostræ. Vespere de cruce depositus est, qua item hora in ultima cœna cum discipulis suis cœnavit, ubi illis sacramentum corporis et sanguinis sui tradidit, quod nobis saluberrimum testamentum hinc discedens reliquit. Eadem rursus hora duobus suis discipulis proficiscentibus in Emmaus in fractione panis fuit agnitus.

Postremo in completorio Patrem pro suis discipulis oravit, qua etiam hora in sepulcrum positus est.

CAPUT XXX.

De psalmis qui hisce horis cantantur.

Qui psalmi hisce horis et quæ cantica debeant usurpari, equidem satis notum esse puto. Quia vero ad aliam spectent editionem, ac nos de generali officio hoc tempore tractare proposuerimus, paucis quæ hic sunt præcipienda tradamus. Sciendum ergo est generaliter in matutinis laudibus sex psalmos

semper cantari, atque in aliis horis similiter, per quos sex opera misericordiæ designantur, quibus operarii in vinea Domini laborantes intenti necessario esse debent, quæque si pie ac mundo corpore exerceamus, a servitute diaboli liberati ad vitæ libertatem procul dubio perveniemus, et pro mercede fidelissimi laboris denarium divinum, hoc est sempiternam vitam recipiemus. Sane notandum hic venit quod in laudibus matutinis duos conjungimus psalmos, scilicet *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo* (*Psal.* LXII), et *Deus misereatur nostri* (*Psal.* LXVI), quos una tantum *Gloria* finimus. Sed quare hoc fiat, hujusmodi potest ratio adduci : Quoniam alter horum Dei significat dilectionem, alter vero proximi, quæ duæ dilectiones usque adeo inter se sunt annexæ, ut una sine altera in Christiana perfectione intelligi nequeat. Ad hymnum autem trium puerorum, scilicet *Benedicite, omnia*, etc. (*Dan.* III), *Gloria Patri* non adjungimus, quod propter ejusmodi fidei confessionem in caminum ignis sint conjecti. Quo quidem facto maxime derogatum est Trinitati. Vel quod ejus hymni postremus versiculus idem significat cum *Gloria Patri*, ne quid in sacris Scripturis supervacaneum reperiatur. In matutinis vero laudibus non jubilamus, nisi in ultima tantum antiphona. Nam cum per laudes Domini intelligamus resurrectionem, in qua nil penitus desideravit, beatitudine et immortalitate jam consecuta, certe nullo hic opus est jubilo, qui rei alicujus significat desiderium. Nec etiam in completorio, quod octavam connotat resurrectionem. Non quod post resurrectionem jubilus esse desinat, quando verius cum ipsis angelis Creatori nostro jubilum simus cantaturi, sed quod tum suam amittet significationem, qua alicujus rei dicitur esse desiderium. Tum enim nihil desiderabimus, ut inquit Dominus : *In die illa me non rogabitis quidquam* (*Joan.* XVI). Dictis itaque ad eum modum psalmis cum antiphona, legit sacerdos lectionem, quam alio nomine appellamus capitulum, quoniam ex capite epistolæ istius diei sumitur. Legitur autem absque *Jube, domne, benedicere*, et absque sacerdotali benedictione, quod prælatis Ecclesiæ ac sacerdotibus proprium sit eam semper legere, qui legendi veniam non petunt, cum eam aliis dare debeant. Nec est quod quis nobis objiciat, si in nocturnis (quod fere fit) sacerdos lectionem legerit, an etiam sit necessarium veniam postulare ac dicere: *Jube, domne, benedicere*, quod ejus sit benedictionem et licentiam dare? Dicimus enim quod si hoc pacto lectionem legerit sacerdos, eum præter officium suum facere, cum sit lectoris. Verum si hic non adsit, tum facile permittitur ut vel sacerdos, vel clericus sacerdotis, vel etiam quispiam alius ordinis minoris tanquam lecturus dicat : *Jube, domne*, atque ei benedictio a sacerdote reddatur.

Absoluto capitulo non subjungit, *Tu autem Domine*, quia ratio postulat ut sacerdos sit perfectus, et qui suggestionibus diaboli haud facile succumbat. Sacerdos igitur in persona Domini per capitulum nos sensu admonet, atque hortatur ore, ut in fide perseveremus, et operibus misericordiæ perpetuo incumbamus.

CAPUT XXXI.

De hymno et aliis sequentibus.

Deinde canitur hymnus, per quem lætitia quam ob assecutam habemus libertatem, exprimitur. Sed quia Christus nobis hanc lætitiam acquisivit, ne ingrati de beneficio accepto videamur, in laudem illius finito hymno prorumpimus, et quia nos liberavit, gratias ei referimus alta voce cantando, *Benedictus Dominus Deus Israel* (*Luc.* I). Et quare, obsecro: *Quia* nos *visitavit* existentes in miseria, *et fecit redemptionem plebis suæ* (*ibid.*). Hoc absoluto cantico cum antiphona, quæ notat dilectionem quam in laudando Dominum habemus, ait ad populum sacerdos : *Dominus vobiscum*. Quod sane sumptum est ex libro Ruth ; sic enim legitur Boos et Obed suos salutasse messores (*Ruth.* II). Ac statim a populo respondetur : *Et cum spiritu tuo*. Quod ex Epistolis Pauli sumptum est (*Gal.* VI ; *Philipp.* IV). Ac si sacerdos diceret : Laus nostra sit acceptabilis Deo, et gratam sibi accipiat, ac nos præmio vitæ remuneret. Cum autem populus respondet, *Et cum spiritu tuo*, idem est ac si diceret : Tu pro nobis preces ad Dominum effundes, sed quia illas preces tantum approbat Deus et exaudit, quæ ex bono animo procedunt, ipse, sine quo nullum bonum est, sit et cum spiritu tuo. Tum sacerdos quasi suæ bonitati diffidens, inquit ad populum : *Oremus*. Quod humilitatis et evitandæ arrogantiæ gratia dicitur, quasi dicat : Orate simul mecum, ut quod postulamus citius impetremus. Tunc dicit orationem, eaque dicta respondet chorus : *Amen ;* quasi dicat : Ita nobis fiat, quemadmodum orasti ; vel, feliciter tua sit oratio peracta Sumptum autem est Amen ex Apocalypsi Joannis (*Apoc.* I, V, VII, etc.). Atque ad eumdem modum rursus populum salutat sacerdos, repetitque quod antea dixerat : *Dominus vobiscum ;* quasi dicat : Si gratiam Dei impetrastis, in ea perseverate. Et iterum respondet populus : *Et cum spiritu tuo ;* quasi polliceatur : Orasti pro nobis, et nos vicissim pro te oramus. Tum pueri canunt : *Benedicamus Domino*. Quod ex psalmo tertio acceptum habemus. Quibus rursum chorus respondet : *Deo gratias*, quod Apostolo acceptum referimus (*Rom.* VI). Eo autem significatur, quod usque ad finem vitæ in innocentia Deo inservire debeamus, ac illi benedicere, pro beneficiis gratias persolvendo. Ultimo sequuntur suffragia sanctorum. Nam quandiu quidem vivimus, tanquam in lubrico solo et fragili glacie sumus constituti, in diesque cum dæmonibus vehementissime confligimus, ita ut sanctorum suffragiis non possimus non indigere. Post suffragia repetitur : *Benedicamus Domino*, non a pueris, sed a sacerdote, quemadmodum etiam in completorio et magnis solemnitatibus in quibusdam ecclesiis a majoribus. Quo quidem significatur nos fore in æterna beatitudine

cum Domino perfectos laudatores. In hac enim vita perfecti esse non possumus.

CAPUT XXXII.

De officio altaris.

Nunc de officio altaris dicamus. Et primo quidem de sacerdotum indumentis, eorumdemque significatione, ac deinde quid officium missæ, quid introitus, quidve tropi nominentur occurrit exponendum. Cætera vero breviter ordine veluti in summa quadam perstringemus. Res enim ardua est, et quæ ingenii nostri vires facile excedit. Sacerdos ergo tanquam advocatus et pugil cum antiquo hoste pugnaturus, vestibus sacris quasi armis induitur. Sandalia enim pro ocreis assumit, ne quid maculæ vel pulveris affectioni etiam inhæreat. Sic amictu pro galea caput contegit, pro lorica totum corpus cooperit alba, cingulum assumens pro arcu, et subcingulum pro pharetra. Vocatur autem subcingulum quiddam in stola, quod ligatur cum cingulo. Cum stola collum circumdat, quasi hastam contra retinentem vibrat. Manipulo pro clava utitur, casula quasi clypeo protegitur; manus armatur libro pro gladio. Atque ita instructus, ad postremum per confessionem diaboli renuntiat dominio.

CAPUT XXXIII.

De confessione sacerdotis ante missam.

Sacerdos enim prinsquam cantet missam, confessionem pronuntiet oportet. Nam, ut inquit Salomon, vir sapiens *in principio sermonis accusator est sui* (*Prov.* XVIII). Debet autem peccata confiteri generaliter, nec mensuram excedere. Sic itaque ad certamen munitus contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI), et pro sedanda judicis ira in subditos ad altare procedit, et populus, quasi pro suo pugile oraturus diebus profestis, terræ prosternitur. Cum vero cantat orationes, et reliqua recitat, tum quasi totis viribus adversus diabolum pugnat. Nam cum et casulam in humero plicat, velut gladium contra hostem præparat, ita ut, cum Evangelium legitur, diabolus tanquam gladio percutiatur. Sub finem autem pax datur, quo quies populo hoste devicto ac prostrato nuntietur. Exinde redeundi data licentia, populus Deo agit gratias, ac quisque ad sua revertitur.

CAPUT XXXIV.

De officio missæ.

Officium missæ, sive missa, appellatur totum illud quod ad principio usque ad finem dicitur, nempe ab introitu usque ad *Ite, missa est*, cujus mens et sententia hæc est: Ite ad Christum et ipsum sequimini, quia missa est pro vobis hostia ad Dominum placandum. Quandoque tamen restrictius et quasi specialius pars, quæ prima canitur, nimirum introitus, officium missæ appellatur, quæ sic dicta est, quod isthuc mittatur angelus. Distribuitur autem missa in quatuor omnino partes, in obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones. Est enim missa omnis obsecrationis, postulationis et gratiarum actionis. Prima pars extenditur usque ad ofA fertorium, altera usque ad finem Dominicæ Orationis, cum *Amen* respondetur; tertia usque ad communionem, quarta usque ad finem. Ac prima quidem est catechumenorum, vel neophytorum, quod fere idem est, cum catechumenus appelletur noviter instructus, sive baptizatus, sive nondum etiam; et neophytus quoque noviter instructus, sive baptizatus, sive non. Amplius enim aut diutius eis interesse non licet, non aliter atque Judæis aut ethnicis, quod necdum sint membra Ecclesiæ. Ob quam sane causam diaconus e pulpito alta voce dicere debet: *Exeant catechumeni foras.*

Hinc est quod pars ista nominetur missa, ab emittendo, quoniam tunc foras mittuntur. Cepit autem illud originem ab eo quod de Domino dicitur: *Jesus autem non credebat semetipsum eis, sciens quid esset in homine* (*Joan.* II). Nam per catechumenos illi significantur, de quibus hoc dictum est. Vocatur itaque missa totum illud officium, quod est ab introitu, usque ad *Ite, missa est*, quanquam et interdum missam appellamus ea verba, quibus corpus Domini conficitur.

CAPUT XXXV.

De introitu, tropis et linguis quibus missa celebrari potest.

Introitus vero dicitur, quod sacerdos missam auspicaturus primo ad altare debeat intrare, sicut episcopus qui extra chorum quandoque diebus festis Dei armis induitur. Dum enim canitur introitus, intrat ad altare. Quamobrem etiam diebus profestis bis cani solet, in solemnitatibus vero ter. Quandoque intermiscentur tropi. Dicitur autem tropus a Græcis, quod nobis est conversio, quoniam isthic quædam fieri solent conversiones. Animadvertendum hic est tribus linguis missam celebrari, Hebraica, Græca et Latina, quod titulus Christi jam in cruce pendentis scriptus fuerit Græce, Hebraice et Latine. Unde est quod in unaquaque missa harum trium linguarum aliquid apponatur. Et ab Hebræa quidem, quod sit præstantissima: *Alleluia*, *Amen*, *Sabaoth*, *Hosanna*. *Alleluia*, quoniam a diversis multis modis exponitur, quos et alibi sufficienter diximus, nunc præterire volumus. Juxta interpretationem tamen Hieronymi, quæ omnium est optima, interpretatur, *Laudate invisibilem*. Quid *Amen* sit, satis constat. *Sabaoth* est *exercituum* sive *militiarum*, *virtutum* et *victoriarum*. *Hosanna* denique est, *Salva*, *obsecro*. Et ubi, quæso? *In excelsis*. *Hosi*, id est *obsecro*, *anna*, id est *salva*. Inde *Hosanna*, quasi *Hosianna*, ex corrupto et integro.

CAPUT XXXVI.

De Kyrie, eleison, etc.

Sequitur *Kyrie, eleison*, et *Christe, eleison*, etc. quod ideo Græce canitur, ut ostendatur Ecclesiam primo in Græcia cœpisse, ac inde Romam postea delatam fuisse, unde reliqua sunt Latina. Cantatur autem ter propter Patrem et Filium et Spiritum sanctum continuo, idque ternis vicibus ut simul dicatur novies, propter novem ordines angelorum quibus associari petimus. In quibusdam Ecclesiis ad-

ditur κύριε, quasi dicant, o Domine, miserere nostri. Solemnibus diebus sequitur hymnus de Evangelio, sive evangelicus, *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II): quod antea solum ad missam dicebatur. Reliqua vero B. Hilarius Pictaviensis episcopus apposuit, scilicet, *Laudamus te*, et cætera, quæ sequuntur, quæ etiam ad missam cantari instituit. Verum enimvero tum illud consuetum est, cum festum agitur apostolorum, martyrum, confessorum et eorum quorum in honorem ecclesia est dedicata, quæcunque etiam illa sit. Eo autem finito sacerdos salutat populum, inquiens *Dominus vobiscum*. Quæ salutatio ex veteri sumpta est Testamento nimirum, ut dictum est, ex libro Ruth (*Ruth.* II), pertinetque ad minores sacerdotes. Est enim et alia, videlicet *Pax vobis*, quæ ut est sumpta ex Evangelio (*Joan.* XX), ita solum spectat ad episcopos, et qui iis sunt superiores. Quo sane illud expresse innuitur quod novum Testamentum dignius sit Testamento veteri. Responsio vero populi: *Et cum spiritu tuo*, ex apostolo in Epistola ad Titum desumpta est (*Tit.* III). Cum denique ait, *Oremus*, universalem ad se colligit Ecclesiam, quasi esset syndicus aliquis in persona multorum loquens. Hoc enim syndicus significat. Longa vetustate comprobatum est, quod *Oremus* dicimus. Antiqui enim, præmisso *Oremus*, extemplo orationem communiter subjungebant: omissa ratione, illud tantum, videlicet *Oremus*, reservavimus.

CAPUT XXXVII.

De oratione, et quoties sè in missa vertat sacerdos.

Oratio sive collecta statim subsequitur, quantumvis collecta proprie vocetur oratio illa quæ fit in processione, cum populus et universus clerus ab una ecclesia procedit ad alteram. Tum enim sacerdos aut episcopus, collecta omni multitudine, istiusmodi oratione super populum uti solebat quæ proprie dicebatur collecta. Nunc autem oratione illa prætermissa tantum, ut diximus, *Oremus* retinuimus. Notandum obiter hic est sacerdotem in qualibet missa se quinquies convertere et septies populum salutare. Primo in ipso exordio; secundo in evangelio, quod non in altari, sed in assere vel aliquo lectorio versus aquilonem legi oportet, plicata in humero casula, quod diaconi tum fungatur officio, tertio cum ad dextrum cornu altaris revertitur, unde venerat, dicto symbolo, si fuerit solemnitas: tum enim se convertit ad populum; quarto post offertorium, cum inquit: *Per omnia sæcula sæculorum*, et consequenter: *Dominus vobiscum*, sed non vertit se: nam, ut dici solet, nemo qui ad aratrum manum applicuerit, retrorsum respectare debet (*Luc.* IX); quinto cum ait: *Pax Domini sit semper vobiscum*, nec tum se convertit; sexto post communionem, et ultimo in fine. Quod autem ad orationem attinet, sciendum est nunc unam legi oportere, nunc tres, nunc quinque, nunc septem, sed non ultra. Et unam quidem propterea quod una sit epistola atque unum evangelium, vel propter Dei unitatem. Tres vero propter Trinitatem; nam et Deus numero gaudet impare, vel quia Dominus ter in passione oravit. Sic quinque legi possunt propter quinquepartitam Christi passionem, vel quinque ejûs vulnera. Verum septem ideo, quod septem in Oratione nostra Dominica habeamus petitiones, vel etiam propter septem dona Spiritus sancti, quæ apud Isaiam numerantur (*Isa.* XI). Septenarium enim numerum nullus excedere debet.

CAPUT XXXVIII.

De epistola, graduali, alleluia et prosa.

Deinde legitur epistola, quæ est sermo absentis missus ad absentem, a Græco verbo ἐπιστέλλειν, quod *mittere* significat, sic appellata. Tales sunt Petri, Pauli, Jacobi et Joannis ad varios missæ, quæ hoc in loco ut plurimum leguntur. Sed si contingat (contingit autem sæpe) ut vel ex Apocalypsi vel ex prophetis aliquid hic legatur, nihilominus dicetur epistola, idque ob eam causam, quod tum evangelium quodammodo mittatur. Summopere autem cavendum est ne quis epistolam legere præsumat, nisi sit hypodiaconus, aut diaconus, aut etiam sacerdos. Melius enim est ut sacerdos legat, etiam si cantet missam, quam acolythus. Post epistolam vero cantatur responsorium cum suo versu, sive graduale, ut vocant. Appellatum autem est graduale, quod a minoribus in gradibus ante altare vel a majoribus, etiam diebus profestis cani soleat. In solemnitatibus vero in altioribus, hoc est in pulpito etiam a pueris. Vel quia gradatim cantatur, vel quia de gradu ad gradum procedere debemus, hoc est de virtute in virtutem ascendere. Dictum est idem responsorium, quod versui respondeat, qui item a vertendo nominatus est, quoniam nos ad orientem vertimus, vel quoniam versu ad responsum sit regressio, aut ad officium aliud, ut in matutinis. Postea sequitur *Alleluia*, cujus interpretatio modo exposita est secundum Hieronymum. In hujus fine pneumatizamus, hoc est jubilamus, dum finem protrahimus, et ei velut caudam accinimus. Est enim differentia inter neuma neumæ et pneuma pneumatis. Neuma feminei generis est jubilus sicut in fine antiphonarum; pneuma vero neutrius generis est Spiritus sanctus. Postea versus dicitur, unde similiter conversio fit ad *Alleluia*. Sequitur deinceps sequentia quam nos prosam appellamus. Fertur Notgerus (1) abbas apud Sanctum Gallum, natione Teutonus, primo sequentias composuisse, atque eas postea in ecclesia cantari institutum fuisse per Nicolaum summum pontificem. Post hunc autem dicitur Hermannus Contractus inventor astrolabii fecisse duas has: *Rex omnipotens, die hodierna*, et, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, etc.

(1) Hic episcopus fuit Leodiensis, circiter an. 850.

CAPUT XXXIX.

De evangelio.

Finita sequentia legitur evangelium, quod triplicem habet inchoationem; vel per *Initium sancti Evangelii*, sicut in principio quatuor Evangeliorum; vel per *In illo tempore*; vel per aliam determinationem regiæ aut alterius alicujus magnæ potestatis, ut, *Fuit in diebus Herodis* (*Luc.* I), et, *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris* (*Luc.* III). Dicitur autem Evangelium ab εὖ *bene*, ἄγγελος *nuntius*, quasi dicatur bonum et lætum nuntium. Proinde vero Evangelium aliquando esse dicitur secundum historiam, quandoque secundum allegoriam, quandoque secundum personam, quandoque secundum partem, et quandoque etiam secundum totum. Secundum historiam, ut illud: *Maria Magdalena et Maria Jacobi et Salome*, etc. (*Marc.* XVI), atque illud etiam quod cantatur in natali Domini ad secundam missam de pastoribus. Secundum allegoriam cujusmodi illud quod in assumptione B. Mariæ legi consuetum est de Maria Magdalena et ejus sorore, Martha, nimirum: *Intravit Jesus in quoddam castellum*, etc. (*Luc.* X), quia cum per Mariam Magdalenam vita significetur contemplativa, per Martham vero, quæ administrabat, vita activa; hoc evangelio docetur in B. Maria Virgine utriusque vitæ fuisse consummationem, contemplativæ scilicet et activæ. Secundum personam Evangelium canitur, ut in festo B. Thomæ apostoli, ubi dicitur *Thomas unus de duodecim*, etc. (*Joan.* XX). Secundum partem, quemadmodum est in festo S. Crucis. Tum enim illud recitatur evangelium, quod est de Nicodemo propter ejus extremam particulam, quæ ejusmodi est: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* III). In hoc autem verbo Christus suam indicavit passionem, et sui corporis in cruce exaltationem. Quocirca evangelium hoc in quo hæc continetur particula, legitur in festo Sanctæ Crucis. Secundum totum denique, cujusmodi est eiguum illud quod in circumcisione Domini observatur: *Postquam consummati sunt dies octo* (*Luc.* II). Animadvertendum ergo hic est quod diebus profestis una duntaxat candela cerea præcedat diaconum, cum ad legendum evangelium accedit. Nec D id quidem injuria, cum per illud primus Christi significetur adventus, qui humilis fuit et occultus, et quem prævenit unus tantum præcursor, videlicet Joannes Baptista, qui fuit verbi lucerna. Festis vero diebus candelæ duæ præcedunt cereæ, quod in secundo adventu, qui solemnis erit et manifestus, duo sint præmittendi præcursores, Elias scilicet et Enoch. Vel ideo etiam quoniam Dominus ante faciem suam binos conjunctim misit discipulos ad prædicandum. Illud quoque diligenter notandum est, quod simul atque evangelium inchoatur, universus populus, tam clerici quam laici, tam qui illud profert quam qui audit, crucis signum imprimere debeat in fronte, in ore et in pectore. In A fronte, quod locus sit pudoris et verecundiæ: unde impudicos homines effrontes dicimus, quasi sine fronte. Per hoc ergo quod fronti signum crucis imponimus, evidenter ostendimus nos non erubescere, quod credamus in Crucifixum, et eum habemus Deum et Dominum qui a Judæis atque ethnicis nobis exprobratur. Unde mehercle Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus vero stultitiam* (*I Cor.* I). In ore autem ideo, ut significemus nos audacter crucem Domini prædicare. Denique in pectore, ob eam causam quo nos paratos esse pro Christi nomine pati ingenue ostendamus. Rursus in hoc quod os et pectus cruce signamus, aperte innuimus nos audacter ore fateri et corde credere B Christum crucifixum, cujus liber legitur, Deum et Dominum nostrum esse.

Sacerdos itaque, vel diaconus, evangelium lecturus signat se in ore, fronte et pectore, quasi dicat: Non erubesco crucem Domini, sed eam ore prædico et corde credo. Libro quoque crucem imprimit, tanquam si dixerit: hic est liber Crucifixi. Posset autem hoc loco quæri quemadmodum crucis signum fieri debeat, a dextrane in sinistram, an vero a sinistra in dextram. Ac nonnulli quidem sunt qui crucem a sinistra in dextram fieri velint, atque ex hujusmodi versu sumpserunt auctoritatem: *Egressus est a Patre*, etc. (*Joan.* XVI). A Patre venit Filius in mundum, et ideo crucem inchoamus a parte superiori, per quam designatur C Pater. Sed quod a parte absque ulla intercapedine in mundum venit, per quem sinistram partem intelligimus, ideo postquam a superiori parte descendimus, statim a sinistra in dextram pergimus; nam et postea ad partem ascendit, quod designat dextera. Alii vero putant quod a dextra in sinistram fieri debeat, quia Christus a dextra in sinistram, id est a Patre veniens, diabolum per crucem repulit, qui per sinistram significatur.

Dicto igitur evangelii titulo, respondetur ab omnibus: *Gloria tibi, Domine.* Proposito namque evangelio ad legendum, in quo agitur de gloria partim Dei, partim nostra, quatenus videlicet Christus diabolum vicit, ac nos redemit, et victor ad Patris D gloriam ascendit; auditores Evangelii lætantes ad laudem sui Creatoris inquiunt atque exclamant, *Gloria tibi, Domine;* quasi dicant: Gloria tua, quæ nobis in hoc evangelio prædicatur, in ævum nobis sine fine permaneat, semperque crescat et augeatur. Lecto jam evangelio, quisque dicere debet, *Amen.* Vel ut alii volunt, recitato evangelio, statim dicamus oportet, *Deo gratias*, quemadmodum post quamlibet lectionem sive capitulum. Sed melius est ut dicatur, *Amen*, ac nos cruce contra diabolum muniamus, ne ipse sermones Domini ex pectore nostro rapiat. Necessarium etiam plane est, ut, dum legitur evangelium, velamina capitum deponantur. Evangelica enim prædicatio omnia legis velamina dimovit, atque homines, qui prius Do-

minum in ænigmate quodammodo et quasi per transennam videbant, modo ipsam veritatem aperta legis cognitione videre et intelligere fecit. Viri itaque aperto capite evangelium audire debent, ut quinque sensus ad audiendum magis fiant idonei. Inde est quod clerici non nutriant longos capillos, sed alte tonsos, ut rectius ac perfectius possint audire. Verum enimvero propterea coronam habent, ut demonstretur inter eos et Dominum nullum esse medium. Non ergo longos habeant capillos clerici, si per longitudinem capillorum significetur multitudo peccatorum. Mulieres vero debent audire evangelium tecto ac velato capite, etiamsi sit virgo, propter pomum vetitum. Et si eveniat ut virgo capite sit aperto, aut velamen non habeat, necesse est ut mater aut quævis alia mulier capiti ejus pannum vel simile quidpiam imponat. Itemque erecti stare debemus, donec evangelium pronuntietur, aut capite inclinato, si modo non sedeamus, nisi cogente necessitate. In lege quidem præcipiebatur ut, dum comederent agnum paschalem, baculos in manibus tenerent (*Exod.* XII); nos vero, diacono legente evangelium, baculos deponimus, quod Christo prædicante legales observantiæ sint depositæ.

CAPUT XL.

Quid symbolum, quando canendum, et quot sint numero.

Post evangelium statim debet subjungi symbolum fidei, scilicet : *Credo in unum Deum Patrem*, etc., si solemnitas fuerit. Nec tamen in omni solemnitate, sed eorum tantummodo festis, quorum in symbolo fit mentio, ut in festo Trinitatis, in Natali, Circumcisione, Epiphania, Paschate, Ascensione, Pentecoste, in festo Omnium Sanctorum, Transfigurationis Domini, B. Mariæ, et omnium Apostolorum, S. Crucis, et omnibus diebus Dominicis. In aliis autem solemnitatibus dici non debet. Nec vero in solemnitate angelorum cantari solet, quia illi non crebunt, imo jam sciunt, cum plenam et perfectam habeant scientiam. Nec præterea cani consuetum est in solemnitate duorum evangelistarum, qui non fuerunt apostoli, scilicet Lucæ et Marci. Sunt qui dicunt symbolum dici debere in festo B. Joannis Baptistæ, quia tum fuit commemorata Christi nativitas. Sed eadem ratione qualibet die fit mentio B. Mariæ, adeoque omni die canendum foret. Nonnulli etiam putant quod in eorum festivitatibus cantari debeat qui illud composuerunt, atque ejus rei gratia huc illud afferent quod in Evangelio Joannis invenitur quod nimirum in dies fides apostolorum crescebat propter miracula quæ fiebant (*Joan.* II), quanquam alibi auctoritas habeat, fidem non habere meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Pronuntiato symbolo sub finem ipsius debet fieri signum crucis, quoniam verbum est evangelicum non secus atque ipsum evangelium, nisi quod sit verbum abbreviatum. Unde dictum est de eo : *Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram* (*Rom.* IX). Et hoc modo : *Veniet verbum abbreviatum super filios Dei* (*Isa.* X). Similiter quoque in omnibus verbis evangelicis signum crucis fieri oportet, quemadmodum sub finem Orationis Dominicæ, *Gloria in excelsis*, *Benedictus*, *Magnificat*, et *Nunc dimittis*, quæ omnia perinde atque evangelium stando audiri debent. Notandum est quatuor esse symbola, minimum quod a cunctis communiter in quotidiana oratione dicitur, et quod apostoli simul composuerunt; secundum est quod in prima recitatur : *Quicunque vult salvus esse*, quod ab Athanasio patriarcha Alexandrino contra Arianos hæreticos compositum est, licet plerique eum Anastasium fuisse falso arbitrentur; tertium est quod Constantinopolitana synodus edidit, videlicet quod in missa hactenus cani consuetum est; quartum est quod ex Nicæno concilio prodiit. Scripsit vero B. Hilarius Pictaviensis episcopus librum De synodis, in quo et illud composuit, ac legi oportet in omni synodo, vel totum vel saltem ejus aliqua particula. Ex quo sane liquido apparet quam illi errent qui aliam ibi legunt lectionem.

CAPUT XLI.

De offertorio.

Dicto symbolo cantatur offertorium sive offerenda, ut aliqui dicunt. Appellatur autem offertorium ab offerendo, quia tunc offerimus. Sed necessario hic considerandum est tria omnino esse quæ offerre debemus : primo, nosmetipsos, ac deinde ea quæ sacrificio sunt necessaria, scilicet panem, vinum et aquam, et si qua sunt alia sacrificio apta. Obiter tamen hic dicere possumus panem hunc quasi nominatum esse a Græco vocabulo πᾶν, παντὸς, quod *omne* vel *totum* significat. Quoniam cum hic, tum in futuro sæculo panis iste tota vita nostra est. Vinum autem a vite simili fere modo deducere licebit, cui Dominus in Evangelio se comparat, hoc pacto inquiens : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV). Nec denique ignotum esse puto aquam ab æqualitate dictam esse, quia per hoc sacramentum nos angelis æquales fore certo et credimus et speramus, quanquam vero interdum aqua significet populum. Unde : *Aquæ multæ*, *populi multi* (*Apoc.* XVII). Quia nec sanguis sine salute populi, nec salus populi potuit esse sine sanguine. Tum vero aqua benedicitur, quando admiscetur vino : sed haudquaquam vinum, quoniam peculiarem suam exspectat benedictionem. In quibusdam Ecclesiis in magnis solemnitatibus pretiosa offeruntur ecclesiæ utensilia, et in altari ponuntur vel in locis competentibus. Tertio demum sequuntur manuales laicorum oblationes. Clerici enim non offerunt, nisi in exsequiis mortuorum et in nova celebratione sacerdotis. Nam inhumanum videretur, si ii offerre tenerentur, qui ex oblationibus vivunt aliorum. In offertorio nulla ratione permittitur sacerdoti, ut pyxidem aut aliud hujusmodi manu teneat, quo omnem avaritiæ effugiat suspicionem.

CAPUT XLII.

De sacrificio.

Sacrificium dicitur quasi quo *sacrum efficitur*, ubi cognoscendum est quod olim sacrificium ab apostolis et viris apostolicis in primitiva Ecclesia vasis ligneis ac vulgaribus vestibus celebrabatur. Tum enim erant, ut dici solitum est, lignei calices et aurei sacerdotes. Nunc vero est econtra. Paulo tamen post, Severinus papa instituit idem vitreis fieri vasis. Sed quia erant fragilia, Urbanus papa voluit ut argenteis vel aureis sacrificaretur, vel etiam ob paupertatem stanneis, quæ tamen non facile æruginantur. Hostia secundum Hebræos ab ostio nuncupata est, quia ad ostium tabernaculi offerebatur. Secundum ethnicos vero ab hoste derivata est. Nam ab hostibus domitis, ut ille ait, hostia B nomen habet. Dicta est etiam victima a vincendo; et immolatio, quod isthic Christus sacramentaliter immoletur, quod in veritate semel pro peccatis nostris in cruce est immolatus. Appellata autem est immolatio a mola, qua in sacrificiis conteri solebat genus quoddam frumenti, quod far vel ador dicitur. Unde :

. . . . . *Et adorea liba per herbam.*

(Virg. *Æn.*, l. vii, 109.)

Ponebatur enim inter cornua altaris vel animalis cultro isthic facto foramine. Mola vero in altari dicitur pars media sub qua reliquiæ sigillantur, et cui in dedicatione ecclesiæ crux imprimitur, atque ubi corpus Christi consecratur.

CAPUT XLIII.

De secunda parte missæ.

Jam vero secunda pars missæ quæ proprie missa appellata est, proxime sequitur, nimirum quam orationis esse diximus. Nam prima pars, de qua hactenus dictum est, vocatur obsecrationis. Hæc ergo pars missæ, ut missam appellemus totum officium ab introitu usque ad *Ite, missa est*, si strictim accipiatur, proprio nomine missa appellata est. Habet autem ea quatuor distinctiones. Prima dicitur secreta, altera præfatio, tertia canon, quarta oratio Dominica cum sua præfatione. Atque hæc quidem pars extenditur usque ad Dominicæ orationis finem, *Sed libera nos a malo, Amen*, quod tacite a sacerdote D proferri debet. Hic itaque considerandum est tot debere dici collectas, eodemque ordine, ac de eisdem in secreta post communionem, quot præcesserunt in obsecratione ante epistolam in exordio missæ, nec plures, nec etiam pauciores, hoc semper observato, ne ultra septenarium numerum progrediatur. Summopere item cavendum est quod si forte collecta pro defunctis intermisceatur, ne finalis, sed penultima vel antepenultima dicatur. Quoniam finis ad suum debet retorqueri principium. Ad postremum generaliter cognoscendum est quod in missa pro defunctis nulla debeat pro vivis oratio intermisceri, hac tamen communi excepta, *Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum.*

CAPUT XLIV

De secreta.

Secreta dicitur, quia secrete pronuntiatur, cum tamen olim alta voce diceretur, ita ut omnibus facile laicis teneretur. Contigit ergo ut quodam tempore pastores panem super lapidem quemdam ponerent, qui, dum hujus secretæ verba proferrent, in carnem conversus est, et forsitan transsubstantiatus, ut sic loquar, in corpus Christi. In quos divinitus facta est acerrima vindicta. Nam ad unum omnes percussi sunt divino judicio cœlitus misso. Ex quo quidem facto statutum fuit, ut posthac tacite ac submisse diceretur, aut ideo sane occulte et quasi sub silentio dicitur, ne scilicet vilescat, sicut ob eamdem causam sacræ litteræ dicuntur esse obscuræ; aut tandem ne a laicis cognoscatur, ita ut hinc triplex silentii sit ratio. Cum autem ait sacerdos : *Orate, fratres*, statim incipit orare; et nos similiter hoc audientes secreto orare debemus, ac duos psalmos canere, nempe : *Exaudiat te Dominus*, et sequentem. Sed quando interim dicit, *Orate, fratres*, perinde est ac si diceret : *Dominus vobiscum* tacite, cum sese vertat ad populum. Quare meminerimus sacerdotem se quinquies ad populum convertere dicendo *Dominus vobiscum*, propter quinque apparitiones quæ fuere ipso die Paschatis. Et quia una apparitio fuit non manifesta, quando apparuit B. Mariæ Magdalenæ, ut plerique sentiunt, ideo occulte et quasi sub silentio ait, *Dominus vobiscum* C tunc, cum aperte satis dicit : *Orate, fratres. Per omnia sæcula sæculorum*, id est per sæcula sibi mutuo succedentia. Vel dicuntur sæcula per antonomasiam, sicut Cantica canticorum. Quæsitum est cur secreto dicantur orationes quæ sequuntur post oblationes. Sed nos ideo hoc fieri respondemus, quod Judæi post suscitationem Lazari, statim Jesum voluerunt occidere, qui sese occultavit in civitate Ephrem in solitudine (*Joan.* xi), et a prædicatione ac miraculorum operatione penitus quievit et tacuit in Sabbatum usque, quod est ante Dominicam in Ramis palmarum, quo venit in domum Simonis leprosi, et aperte prædicavit (*Matth.* xxvi). Atque hoc quidem expresse indicat sacerdotis illa vocis exsultatio, qua inquit, *Per omnia sæcula sæculorum*, D Cui subditur, *Amen*, propterea, ut quæ a sacerdote dicta sint, liquido confirmemus, quia per Christum sæculum creatum est. *Amen* namque nomen Dei est. Unde in Apocalypsi : *Ego sum Amen, testis fidelis* (*Apoc.* iii). Subjungitur porro, *Dominus vobiscum*, ac deinde, *Sursum corda*, quæ scilicet sursum habere debemus ad Dominum in cœlestibus, non in terrenis, ut non quæramus benedictionem Esau, quæ ut caduca ac debilis est, ita in terrenis plane sita est. Idem prorsus nobis manifeste significant episcopi sandalia, quæ cum superius sint aperta, iis admonemur, ut semper corda hactenus erecta ad Dominum, cumque inferius sint solida, volunt ut habeamus in terrenis mentem omnino obtusam, quasi non debeamus quærere benedictionem quæ in

terrenis est, sed benedictionem Jacob, quæ est in cœlis. Postea sequitur : *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Quia pro omnibus beneficiis, quæ ille in nos benigne contulit, gratias ei merito rependere debemus. Invenitur autem ibi quædam figura (2) ad similitudinem nostrorum delta, D scilicet undique clausum, quod in parte præcedenti V nostrum complectitur, quod in summitate apertum est, in quorum parte media tractulus per transversum ducitur, utramque in modum crucis partem copulans. Quod quidem non sine causa factum est. Per delta enim circulariter clausum, divina figuratur natura, quæ nec principium nec finem habuit. Per V exprimitur humana Christi natura, quæ principium in Virgine habuit, sed fine carebit. At vero tractulus in medio utramque partem conjungens, crux est per quam humana sociantur divinis.

CAPUT XLV.

De præfatione.

Præfatio dicitur quasi *prælocutio*, quæ est ad ministerium præparatio. Notantur enim isthic novem ordines angelorum, quos ibi præsentes esse certo credimus. Majestas quoque de qua hic fit mentio, appellata est quasi major stans, vel major potestas. Sciendum vero est in missa decem esse in universum præfationes, primam de Trinitate (3), alteram de Natali, tertiam de Epiphania, quartam de Quadragesima sive jejunio, quintam de Cruce Domini, sextam de Resurrectione, septimam de Ascensione, octavam de Adventu Spiritus sancti, nonam de Apostolis, decimam et ultimam de B. Maria Virgine. Post canitur ter, *Sanctus, sanctus, sanctus*, quod sumptum ex Veteri Testamento. Ait enim Isaias se vidisse Dominum super solium excelsum, et Seraphim clamantia : *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Isa.* VI). Sed quod sequitur : *Benedictus qui venit in nomine Domini! Hosanna in excelsis!* acceptum est ab Evangelio (*Matth.* XXI), ita ut, cum illud cantatur, signum crucis fieri debeat. Postremo hic cantica angelorum canimus, quia per hoc sacrificium terrena jungi cœlestibus non dubitamus, et ideo cum eis in excelsis salvari clamamus.

CAPUT XLVI.

De canone.

Deinceps vero sequitur canon ; ita enim Græcis dicitur, nobis autem regula, quod per eam regulariter sacramenti hujus fit confectio. Nuncupatur etiam actio, quia tunc cum Deo nostra agitur causa. Quamobrem et in festis stantes oramus, in profestis vel jejuniis prostrati. Sub silentio tribus de causis dicitur : primo, quoniam Deus non oris, sed cordis clamorem intendit ; unde et Mosi dixit : *Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV) ? cum tamen ipse taceret. Nihilominus tamen proferimus verba, ne quæ petimus, aut quæ petere debemus, penitus ignorare æstimemur ; secundo, ob id submisse canon dici oportet, ne, si alta voce esset proferendus, longo clamore deficiamus ; vel tertio ob hanc rationem, ne tanti mysterii per usum quotidianum verba vilescant, et in locis competentibus passim indiscrete pronuntientur, atque ita tandem exstinguantur ac pereant, quemadmodum paulo ante de pastoribus narratum est. Prohibitum enim est per decretum, et sub anathemate datum, ut nullus nisi hæc sacris vestibus, ex libro in altari consecrato, hæc verba proferat. Dicit ergo sacerdos : *Te igitur, clementissime Pater*, etc. Alloquitur Dominum, tanquam præsentem. Incipit autem a littera thau, T, quæ in modum crucis effecta est. Quoniam per Christi passionem hæc omnia in cruce sunt completa, habentque suam efficaciam. Unde profecto est quod isthic Crucifixi imago adpingi debeat. Sequuntur postea multa, ut sunt nomina apostolorum, martyrum, pontificum, virginum, qui omnes pro Christo nostro se sacrificio exposuerunt. Atque item alia quædam sequuntur, quæ nobis explicare non licet, nisi forte solis sacerdotibus, et ideo de illis tacebimus. Unum hoc tamen addemus, nulli hic concessum esse aliquid vel detrahere vel addere, nisi quandoque nomen illorum pro quibus specialiter aut nominatim offertur sacrificium.

CAPUT XLVII.

De Oratione Dominica.

Nunc dicendum est de Oratione Dominica, in qua continentur septem petitiones. Quod autem præmittitur, est quasi benevolentiæ captatio. Tres priores ad futuram vitam pertinent ; quatuor posteriores quæ sequuntur, ad præsentem. Media autem, ut nonnulli volunt, a communi sumi potest, ita ut ad utramque referatur, quam videlicet dicimus : *Panem nostrum quotidianum*, quem ἐπιούσιον Græci, *segola* Hebræi, nos appellamus aut *superessentialem*, aut *egregium*, aut etiam *familiarem*. Sed animadvertere oportet, cum sacerdos ait : *Oremus, Præceptis*, etc. nos debere prostratos orare usque ad finem Orationis Dominicæ, si dies fuerint profesti. Si vero festum sit, aut dies paschalis, certe non prostrati, sed stantes orare debemus, ac respondere : *Sed libera nos a malo. Amen.* Quod autem Dominicam hanc Orationem non tacite aut sub silentio dicat sacerdos, ratio est quoniam ex Evangelio petitum est.

CAPUT XLVIII.

De pace.

Postea inquit sacerdos : *Pax Domini sit semper vobiscum ;* quod spectat ad tertiam partem missæ. Notandum tamen est quod tacite hic sacerdotem quamdam orationem dicere oporteat, quæ in Ambrosiana Ecclesia aperte pronuntiatur. Accepto itaque pacis osculo ab ipsa eucharistia, ut quibusdam placet, vel ut censent alii, ab ipso sepulcro et altari, impartit illud diacono aut subdiacono, ut per eos descendat ad alios. Sed cavendum est ne ab ipsis viris tradatur mulieribus, ne forsitan lasciviæ quid-

(2) Fortassis hujusmodi figura depicta fuit in libris veterum.

(3) Undecima esse potest communis illa de S. Trinitate.

piam in animum, aut carnalitatis clanculum subrepat. *Agnus Dei* ter canitur. Hic est ille verus Agnus declaratus et adumbratus in paschali, de quo sic habetur in Evangelio : *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Ter autem ideo canitur, ut ejus corpus triforme intelligatur, illud videlicet quod in cœlo est glorificatum ; mysticum, quod etiamnum in terra ambulat, et quod in sepulcris usque ad extremum judicii examen quiescit. Bis dicitur cum *Miserere nobis*, tertio cum *Dona nobis pacem*. In cœna vero Domini ter debet dici, cum *Miserere nobis*. Sed horum neutrum adjungitur in missa pro defunctis, verum ter cum *Dona eis requiem*. Ubique observandum est, ut non continuo, sed interpolate ac sejunctim cum oratione interposita dicatur. Ἀγνὸς vero Græce dicitur purus et pius, quia sola pietate ut pura hostia nos redemit. Vel ab agnoscendo, quod sicut agnus solo balatu matrem cognoscit, ita Christus in passione matrem suam cognoverit, ac Virginem virgini commendaverit. Atque hinc quoque esse potest, quod ter cantatur *Agnus Dei* : quoniam Christus pendens in cruce Patrem suum cognovit, ei ad mortem usque obediendo, et eadem cruce suffixus agnovit matrem suam, eamque virgini commendavit, ac tandem etiam ibidem humanum genus redimendo agnovit. Quod autem hic bis repetitur, *Miserere nobis*, et tertio variatur per *Dona nobis pacem*, totum illud ex veteri Testamento depromptum est, ubi cum clamarent ad Dominum, dicere soliti erant : *Parce, Domine, parce populo tuo* (*Joel* II), ac subjungere tertio : *Ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium* (*ibid.*). Cum igitur dicimus, *Agnus Dei qui tollit peccata*, expresse Joannem Baptistam imitamur, qui ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Illud certe ignorari non debet, olim in primitiva Ecclesia singulis diebus qui canoni missæ intererant solitos fuisse communicare. Sed postea, crescente multitudine fidelium, fuit institutum ut tantum Dominicis diebus communicaretur. Quod etiam paulo post, cum observari non potuit, abiit in desuetudinem, ac tertia subsecuta est institutio, ut saltem ter quoque anno, in Natali, Paschate et Pentecoste omnes Christiani eucharistiam sumerent. Invento tamen triplici remedio, ut singulis nimirum diebus osculum pacis daretur, ac Dominicis diebus eulogia, id est panis benedictus et consecratus, quod in Quadragesima et temporibus abstinentiæ deputatis salvo jejunio observari non potuit. Quare tunc hujusmodi fuit promulgata institutio, ut collecta diceretur super populum sub finem missæ, dicendo : *Inclinate capita vestra Deo*, cum videlicet minor aliquis sacerdos celebrat. Sed si episcopus, inquiet : *Humiliate vos ad benedictionem*.

CAPUT XLIX.

De ultima parte missæ.

Ultima pars missæ modo sequitur, quæ dicitur gratiarum actio, atque incipit a communione. Vocatur autem communio, quasi participatio, quam ideo canimus, ut per eam cum sanctis divinæ gratiæ participes efficiamur. Appellatur etiam completio, quoniam per illam missa, ut sic dicam, completur. Tribus vero modis finitur missa, primo per *Ite, missa est* in solemnitatibus, quod est quasi abeundi licentia, ac sumptum est ab Exodo (*Exod.* XII). Non quidem secundum verba, sed juxta mentem et rei intelligentiam, quando Israeliticus populus ex Ægypto permissu Pharaonis egressus est. Vel etiam quando e Babylonica captivitate, permittente Cyro, ad propria regressus est, Deo referens gratias. Sic et nos accepta benedictione ultima, ad cœlestem patriam remeare debemus, ubi in gratiarum actione semper feliciter vivemus. Dicitur autem, *Ite, missa est*, quoties cantatur, *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelsis*, et *Alleluia*. Pronuntiato *Ite, missa est*, oportet nos respondere *Deo gratias*, quæ vox est gratulantis. Secundo vero diebus profestis, dicitur, *Benedicamus Domino*, ac petitum est ab Apostolo (*Ephes.* I). Tertio denique in missa pro defunctis *Requiescant in pace*, quod ex sola consuetudine generali natum est. Cum ergo dicitur, *Ite, missa est*, debet sacerdos vultum dirigere ad populum ; quando autem *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, versus orientem. Necesse tamen est ut hæc tria a sacerdote vel diacono tantum proferantur. Sed in prima missa Natalis Domini, non debet dici *Ite, missa est*, ne videatur populus licentiam habere redeundi.

CAPUT L.

Quibus horis celebretur missa.

Tribus horis tantummodo regulariter missa poterit celebrari, tertia nimirum, sexta et nona. Et quidem tertia, ideo quod tum linguis Judæorum sit crucifixus, dum instanter clamarent : *Crucifige, crucifige eum* (*Joan.* XIX), pertuleritque ludibria, maledicta, convicia, alapas, flagra, insultantium sputa, et coronam spineam. Sexta vero ob eam causam, quod tum in crucem actus sit, ac tolerare debuerit clavos rigidissimos et pocula felle tincta, ut sic tandem pro nobis immolaretur. Nona demum, quia tunc animum exhalavit ac spiritum Patri commendavit. Poterit tamen fieri ut ante primam in Dominicæ resurrectionis memoriam missa celebretur, quod vicarii faciunt, et post primam ante tertiam in ejus rei commendationem, quod Christus inter primam et tertiam traditus fuerit Pontio Pilato Judæis vociferantibus : *Crucifige eum*, ipso tacente. Cantatur ergo missa diebus festis hora tertia, profestis sexta, et nona in quadragesima ac aliis diebus jejuniorum. Nec tamen omnium, quia in Sabbatis jejuniorum Quatuor Temporum valde sero celebrari et potest et debet propter sacros ordines : quod etiam ad sequentem spectet Dominicam. In Sabbato Paschæ et Pentecostes sero canitur propter cereæ candelæ, quam cereum nominamus, consecrationem, quod ex eo facile perpendi aut colligi potest, ubi dicitur : *Hæc nox est*, atque ex ista oratione : *Deus, qui hanc sacratissimam noctem*, etc. Ipso vero die Natalis Do-

mini prima missa cantatur nocte. Potest tamen licite cantari summo mane, sed tamen prima et tertia prius absolutis. Sic itaque ab illis horis excipitur dies qui Domini nativitati sacer est, cum noctu prima canatur. Nec id quidem sine causa, ut postea dicemus. Atque etiam Sabbatum Paschæ et Pentecostes, quoniam tum temporis expresse dicimus : *Hæc nox est;* et : *Deus, qui hanc sacratissimam noctem.* Excipiuntur denique dies jejuniorum propter sacros ordines.

CAPUT LI.

Quæ missæ quibus diebus debeant celebrari.

Nunc dicendum est quæ missæ, quibus diebus debeant celebrari. Fuit enim quoddam tempus quo Dominicum officium necdum erat ordinatum, ac variæ passim hæreses pullulabant. Quo quidem factum est ut prima feria, ne divinum officium periret, de Trinitate, secunda de Charitate, tertia de Sapientia, quarta de Spiritu sancto, quinta de Angelis, sexta de Cruce, septima de B. Maria Virgine cantaretur. Sed postea sancitum est ut cessante causa et illud cessaret quod urgente necessitate factum fuerat. Quapropter sane Dominico officio ordinato statutum est ut prima feria suum peculiare haberet officium de Trinitate, et secunda de Angelis, quod tum creati in bonis gratuitis fuerint, ac lux divisa a tenebris, hoc est boni angeli a malis. Nam eo tempore mali cecidere, et boni fuerunt confirmati ; sed prima feria fuerunt angeli creati et in bonis naturalibus constituti. Cantatur autem alia de causa pro defunctis, ut nimirum iis adhibeamus suffragium angelorum; eodem quoque die missa pro defunctis celebratur, quoniam, ut plerique aiunt, feria prima refrigerium habent ii qui sunt in purgatorio, statimque altero die post ad pœnas solitas et ad laborem redeunt, ita ut eo die, quo eorum laboribus aliquo modo subveniatur, missa pro illis cantetur. Tertia autem feria oportet repeti introitum missæ diei Dominici. Præterea institutum quoque fuit ut quarta feria jejunaretur, ideoque Dominici diei missa tum caneretur. Sed et quinta feria similiter dicere convenit officium diei Dominicæ, videlicet introitum, epistolam atque evangelium, quod dies Jovis maxime cognata sit diei Dominicæ. Ejusmodi enim die fieri solebat processio in memoriam ascensionis Domini, quæ postea in diem Dominicam, ut supra dictum est, fuit translata. Porro autem sexta feria agitur de Cruce, et septima de B. Maria Virgine, quod non temere ita constitutum accepimus; miraculosum enim habet initium. Nam cum olim Constantinopoli in quadam ecclesia imago B. Virginis habebatur, ante quam velum quoddam dependebat quo tota ea cooperiebatur, contigit ut sexta semper feria velum hoc a vesperis ab imagine nullo movente decideret, et divino miraculo quasi deferretur in cœlum, ita ut jam plene ac perfecte ab omnibus conspici posset, ac deinde rursus in Sabbato vesperis absolutis ad eamdem imaginem descenderet, ibique permaneret usque in proximum diem Veneris. Hoc ergo miraculo sæpius viso, sancitum est ut semper illo die de B. Maria in ecclesia caneretur. Potest tamen et aliam habere rationem, cur Sabbato die officium cantetur de B. Maria. Nam cum ipsa nobis sit porta regni cœlorum, quod per diem Dominicam commodissime figuratur, certe ideo de illa solemnizamus eo die qui Dominicam proxime præcedit. Hactenus igitur officium missæ explicuisse satis sit, si intellexerimus neminem debere uno eodemque die duas celebrare missas cum uno sacrificio, vel cum duobus, sed unam cum sacrificio, et aliam siccam. Quare huic rei finem imponemus (1) si duas adhuc quæstiones paucis enodaverim, quarum una est, an si sacerdos ante vesperas comedat, nec postea possit dormire, die postero debeat aut possit missam celebrare? Nam ipsum non debere aperte respondemus. Sic altera est, possitne celebrare secundam missam in eo casu quo in præcedenti, dum manus ablueret, aliquantulum aquæ degustavit? Certe enim et illud vetitum esse sciendum est. Nunc ergo ad alia.

CAPUT LII.

De vesperis.

In vesperis a nobis cantantur quinque psalmi, qui sumus imperfecti, propter quinque sensus, videlicet quod per quinque sensus corporeos commissum est, per quinque psalmorum cantionem penitus demittatur. Hinc notandum est nos eadem ratione quinque digitis pectus tundere, quam quinque canimus psalmos. Monachi vero, in quo se perfectiores esse ostendunt, tantum quatuor dicunt. Quidquid enim quadratum est, in quamcunque partem vertatur, manet semper idem, firmum ac solidum. Ad eumdem sane modum profectus, quocunque loco aut quocunque tempore, semper idem atque immobilis permanet. Finitis psalmis parva sequitur lectio sine *Jube, domne,* et sine *Tu autem, domine,* hoc est capitulum, ac deinde responsorium vel ejus loco versus, cum hymnis et antiphona, ac deinceps *Magnificat.* Plerumque tamen hymnus beatæ Mariæ, videlicet *Magnificat,* loco hymni ponitur, ut præterea nullus alius canatur. Sequitur tandem collecta, quam orationem diximus. Volumus autem, ut huc usque a nobis factum est, consuetis et ecclesiasticis, ut qui officia tradamus ecclesiastica, deinceps uti vocabulis. Sciendum ergo est quod de eodem die eodemque festo parva debeat cantari lectio. Verbi gratia : Si de præcedenti Dominica unum, et reliquum; si de sequenti unum, et reliquum. Animadvertendum præterea est quod, quando fuerit solemnitas novem lectionum, illius vesperæ totæ debent celebrari, ut in festo B. Stephani et B. Joannis evangelistæ. Post vesperas necessario dicitur collecta de sancto cujus est festum sequens, vel antiphona cum *Magnificat.* Unum tamen excipitur,

(1) De consec. dist. 1, cap. *Tribus.*

festum videlicet S. Sylvestri, quod etiamsi novem habeat lectiones ejus, tamen vesperæ sunt festi sequentis.

CAPUT LIII.

Quot psalmi canantur in completorio.

Quatuor psalmi cantantur in completorio, ad significandam perfectionem : cum enim quodammodo ostendimus peccata, quæ per quinque sensus corporeos perniciosissimos satellites admiserimus, jam esse quinque psalmis præcedentibus remissa. Alia ratio est, quod diabolus semper nostro insidietur calcaneo, ita ut postea nec loqui cum aliis debeamus, nec aliud dicere nisi orationes. Quod monachi diligenter observant, qui postea non bibunt. Putat enim diabolus se vicisse, si tunc vicerit. Quare ut breviter quæ hic restare videntur, percurramus, post psalmos sequitur capitulum et versus, et deinde hymnus, eoque finito, antiphona ac *Nunc dimittis*. Postea vero Dominica legitur Oratio, ac fidei nostræ symbolum, quibus posteaquam nos collectam annexuimus, statim subjungi oportet *Benedicamus*. Atque hoc quidem in vesperis, ut a puero canatur omnino consentaneum est, ut per hoc demonstretur nos esse pueros, nimirum ad laudes Deo referendas.

CAPUT LIV.

Quomodo finiendæ sint orationes.

Ut autem evidens habeatur et plena cognitio quemadmodum orationes, quas collectas vocamus, sint terminandæ, prius nosse oportet quod in eis sermo interdum ad Patrem dirigitur, interdum ad Filium, interdum ad Spiritum sanctum, et interdum etiam ad totam Trinitatem. Quando ad Patrem, rursus considerandum est, num ita ad eum sermo sit institutus, ut fiat mentio ad Patrem de Filio, vel Spiritu sancto, an vero non. Et quidem si in oratione, quæ dirigitur ad Patrem, fiat mentio Filii, multum interest scire illane fiant ante partem finalem, an ipso fine. Quæ ideo diximus, quod secundum has diversitates, diversimode orationis finis existat. Si ergo dirigatur sermo omnino ad Patrem absque mentione Filii et Spiritus sancti, finietur hoc modo : *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.* Si de Spiritu sancto mentio ibi fiat, dices : *In unitate ejusdem Spiritus sancti, Deus*, cæteris remanentibus. Si vero fiat mentio Filii, ante finalem partem dicetur : *Per eumdem Dominum*, etc., ut supra. Si contra in ipso fine dicemus tantum : *Qui tecum vivit et regnat*, etc., quemadmodum videri potest in hac collecta B. Stephani : *Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum in beati levitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, ut ipse pro nobis perpetuus intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Si ad Filium oratio instituatur, ut in hac : *Excita, Domine, potentiam tuam et veni;* ac in aliis de Adventu Domini, finietur hoc pacto : *Qui vivis et regnas cum Deo Patre*, etc. Si autem ad Spiritum sanctum, dicemus sic : *Qui cum Patre et Filio vivis et regnas unus Deus*, etc.; et ad Trinitatem ita : *Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas*, etc. At vero in exorcismis, et quæ fiunt ad pueros efficiendos catechumenos, ac fontes consecrandos, quandoque fit aqua benedicta, et in id genus multis aliis, dicetur sane hoc modo : *Per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* Hoc autem ideo fit, quia nulla vox ita terret diabolum, atque hæc, *qui venturus est*, etc., usque adeo ut statim fugere cogatur simul atque vocem hanc audierit. Maxime enim præter cætera judicium ignis extimescit, quod certus sit se post diem judicii æterno igne punitum iri. Quare ob eamdem causam voluit D. Gilbertus ut simili modo finirentur orationes in officio mortuorum. Verum ei contradicit vulgare nostrum Collectarium, affirmans dici oportere : *Per Dominum nostrum*, etc.

CAPUT LV

De diversitatibus officiorum.

Jam ergo dictum est hactenus de ecclesiasticis officiis generaliter, ita reliquum modo sit eorumdem explicationem latius per totius anni sæculum aggredi. Nam pro temporum varietate ipsa variantur officia. Sed operæ pretium me facturum existimo, si priusquam ad ipsam expositionem veniam, distinctio quatuor temporum præmittatur. Ut ergo solaris noster annus quatuor temporum potissimum successione dilabitur, scilicet hiemis, in qua semina jaciuntur; veris, in quo semina prodeunt; æstatis, in qua ad messem albescunt, et falce succiduntur; autumni, in quo per ventilationem grana a se mutuo separantur, et in horrea reponuntur, paleæ autem comburuntur : ita quoque magnus vitæ præsentis annus durans ab initio usque ad finem sæculi, quatuor temporum varietate mensurantur. Fuit enim tempus quoddam deviationis in humano genere, ab Adamo videlicet usque ad Mosen, quo declinaverunt homines a cultu divino ad idololatriam. Tunc enim homo reliquit Dominum suum Creatorem, ac lapidibus et manuum suarum operibus dixit : Tu es Deus meus. Hoc tempus haud male convenit nocti et hiemi. Quia sicut nox aut hiems nihil lucis habet, nisi contingenter et ex accidenti, ut ex igne vel candela, sic tempus istud plane erat cæcitatis et ignorantiæ. Alterum item tempus fuit revocationis, nimirum a Mose usque ad nativitatem Christi, quo edocti fuere homines per leges et prophetas de adventu Christi, de evitatione peccati, et unius Dei dilectione. Tum dixit Deus Israeli : *Audi, Israel : Deus tuus, Deus unus est, illum solum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* II, VI.) Tertium vero tempus fuit regressionis, sive reconciliationis, vel justificationis, quod fuit a nativitate Domini usque ad ascensionem ejusdem, per quem facta est gratia hominibus, et prædicatio Evangelii.

Quartum denique tempus est peregrinationis, quod ab ascensione Domini fuit, et duraturum est usque ad finem judicii, ubi erit consummatio sæculi. Hæc eadem tempora solent aliis nominibus appellari. Tempus enim deviationis dictum est tempus culpæ et pœnæ. Nam propter deviationem homo subjectus est culpæ, et propter culpam pœnæ. Tempus revocationis nuncupatum est tempus doctrinæ et prophetiæ. Et quidem doctrinæ propter Decalogum, per quem Deus humanum genus docuit, inquiens : *Audi, Israel : Deus tuus, Deus unus est.* Prophetiæ vero, quoniam tum hujusmodi salutare accepimus vaticinium : *Ecce virgo concipiet* (*Isa.* VII). Tempus proinde reconciliationis appellatur gaudii et lætitiæ, ac denique peregrinationis, tempus luctus et pugnæ. Unde profecto necessarium est ut pugnemus adversus carnem nostram, mundum atque aereas potestates. Maxime vero contra carnem, utpote quod multa cum nobis sit familiaritas, ac nulla sit pestis sævior quam hostem habere domesticum.

Præterea tempora hæc possunt considerari secundum principales partes diei, ut sunt, nox quæ ad tempus spectat deviationis, mane ad tempus revocationis, meridies ad tempus reconciliationis, vel regressionis, vesperum ad tempus peregrinationis. Atque horum quodque proprium modo perpende epitheton, ut nox est obscura, et qui a veri Dei cultu aberrabant erant cæci. Eleganter sane quadripartita hæc temporum divisio in homine notari potest. Ante siquidem baptismum nascitur homo et fit filius iræ ; in baptismo renascitur, ac filius gratiæ ; dehinc bene operatur, et justitiæ efficitur proles, cum fervore quodam charitatis Deum diligit in primis, et proximum ; tandem cum Christo simul regnabit per mortem transiens ad vitam æternam, factus modo hæres æternitatis et gloriæ. Atque in qualibet præmissarum partium expositione possunt intelligi hiems, ver, æstas, et autumnus. Eadem quoque tempora designantur per quatuor principales Christi actiones, quæ sunt hujusmodi nativitas, passio, resurrectio, adventus ad judicium, cum omnium horum appendicibus ; adeo hæc humano generi conveniunt. Christi igitur vita nostra est doctrina, Christi actio nostra est lectio ; universa denique Christi conversatio nostra et instructio. Dixi autem cum suis appendicibus, quia ad nativitatem pertinent circumcisio, apparitio, baptismus, purificatio ; ad passionem referuntur jejunium, tentatio ; ad resurrectionem, in cœlum ascensio, et S. Spiritus missio ; ad adventum tandem judicii spectant transfigurari et miraculorum operatio. Efficacior enim fuit ac plus potuit post mortem quam ante transfigurationem, quod tunc demum nobis ostendit quid simus futuri. Passio comparatur hiemi, nativitas veri, resurrectio æstati, judicium autumno quando sedebit Vetustus ille dierum tenens ventilabrum in manu sua, permundabit aream, etc. (*Matth.*, III.) Item rursus Christi nativitas comparatur et concordat tempori revocationis, propter prophetas, qui eam multis modis prædixerunt ; passio tempori deviationis ; resurrectio tempori regressionis propter lætitiam ; adventus judicii tempori peregrinationis, quia hujusmodi tempus durabit usque ad extremum diem judicii. Unde Propheta : *Ego miser et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Ps.* XXXVIII).

Hæc ergo tempora magni istius anni considerans Ecclesia in servitium Dei transformavit, pro qualitate eorum et varietate singulis annis laudabili utens officiorum diversitate. Sed cum ita faciat Ecclesia, maluit incipere a tempore revocationis, quam a tempore delationis. Quare incipit : *Ad te levavi animam meam* (*Psal.* XXIV), aspiciens a longe, etc. Quandoquidem nos etiamnum quasi per speculum et cancellos aspicimus. Et durat usque ad nativitatem Domini. Toto igitur tempore Adventuum usque ad Natale Domini, Ecclesia reminiscitur temporis revocationis, quæ facta est per legem et prophetas, malagma vulneri apponens. Atque ideo tunc legit Isaiam, qui cum incurabile vulnus vidisset, dixit : *Omne caput languidum est, et omne cor mœrens*, etc. (*Isa.* I.) Et rursus non est malagma apponere, etc. Malagma autem est genus emplastri, quod epithema appellatum est. Tum ergo inchoatur graduale : *Ad te levavi*, ac si diceret : Tempore deviationis homines levabant manus et corda ad opus manuum suarum, atque agebant lapidi et ligno ; tu es Deus meus, ego vero ad te levavi animam meam, Deus meus, etc. Atque ita sane a tempore revocationis militiæ suæ auspicatur officia, non a tempore deviationis, ne videatur incipere ab errore. Bene itaque rem ipsam observat, sed ordinem non sequitur, quod frequenter etiam faciunt evangelistæ. Quare si bonam quærat valetudinem, optetque quam optime curari, omnino fuit necessarium ut a medicis inciperet.

CAPUT LVI.

De cæteris temporibus.

Tempore vero Septuagesimæ, quæ est a Dominica vulgo appellata, *Circumdederunt me*, usque ac octavam Paschæ, recolit Ecclesia tempus deviationis. Unde est quod tum legitur liber Geneseos usque ad Regum, ubi de excessu agitur primorum parentum, et multorum aliorum, qui omnes cataclismate aut diluvio sunt submersi. Breviter ergo tum temporis Ecclesia orat, flectit genua, ac jejunat. Tempore autem paschali, quod est Pascha, vel potius ab octavis Paschæ usque ad octavas Pentecostes, tempus gaudii meminit, et reconciliationis, quippe in quo legatur Apocalypsis, ubi fit mentio de nova civitate Jerusalem, et epistolæ canonicæ cum Actibus apostolorum. Hinc pauca sibi Ecclesia indicit. Non jejunat, a genuflexione cessat, albis utitur vestibus, ternario numero psalmorum et lectionum contenta est, cum tribus responsoriis ac totidem versiculis. Ab octavis demum Pentecostes usque ad adventum Domini, recolit tempus peregrinationis. In hoc est nobis perpetua pugna et lucta adversus tres, ut dictum est, infestissimos hostes, mundum videlicet, carnem

et diabolum. Mundus est hostis sophisticus, caro hostis domesticus, diabolus hostis antiquus. Nullus tamen istorum hostis est efficacior ad nocendum, quam inimicus noster familiaris, scilicet caro, quam fovemus indumentis, et reficimus alimentis, cui tanquam jumento tria debentur : cibus ne deficiat, onus ut mansuescat, virga ut non indirecte, sed directe incedat. Propter hujusmodi pugnam significandam, legit tunc Ecclesia librum Regum, in quo agitur de pugna. Et quia in pugna maxime opus est sapientia, ideo continuatur liber Salomonis. Sed quoniam cum pugna nihil tantopere habere debeamus, atque patientiam, apposite profecto Jobi liber subjungitur. Deinde porro et Tobiæ liber sequitur, propter singularem misericordiam quam in hoc certamine requirimus. Cui deinceps quoque subjungimus librum Judith, Ruth, Esther, propter fortitudinem, justitiam et temperantiam. Verum enimvero cum adhuc frequens sit lucta, necessario annectitur liber Machabæorum, in quo crebra est adversus superbiam conflictatio. Nam devictis omnibus vitiis, restat etiam vincenda superbia. Roget ergo modo aliquis, sub quo illorum temporum contineatur illud quod est a Natali usque ad Septuagesimam? Verum facile istiusmodi quæstioni occurremus. Nam et ei non ineleganter per quosdam satisfactum esse accepimus. Ejus itaque pars una continetur sub tempore regressionis, quod est tempus gaudii, ut dictum est, a Natali usque ad octavam Epiphaniæ. Unde in quibusdam Ecclesiis albis tam diu utuntur vestimentis, sicut tempore Paschali, et neque tunc jejunatur, neque flectuntur genua. Pars vero altera, quæ est ab octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, complectitur sub tempore peregrinationis, et leguntur duodecim epistolæ Pauli, ubi agitur de labore ejus, quem luctando ac pugnando pertulit. Nec vero quantumvis ipso die Nativitatis Domini Isaias legi soleat, credas diem illum pertinere ad tempus revocationis. Fit enim hoc alia consideratione, et ante evangelium in nocturnis et ante epistolam in missa, quod videlicet velut basis columnæ supponatur, ut per utrumque Testamentum nativitas Christi perhibeatur.

CAPUT LVII.

Quis ordinaverit officia ecclesiastica de quibusdam diebus.

Hæc autem ecclesiastica officia, ut dictum est, instituit B. Hieronymus rogatu Damasi papæ, et quæcunque etiam alia ex Veteri et Novo Testamento leguntur in Ecclesia. Gregorius tamen quosdam cantus apposuit, Gelasius quosdam hymnos, et alii alia. Tempore siquidem Theodosii imperatoris inordinate psallebant, qui rogavit Damasum papam, ut curaret sapienter ordinare officium ecclesiasticum. Quod diligenter ille effecit, ut supra diximus. Sunt autem in prædictis temporibus dies quidam duplices, ut pote si quando simul festa concurrant, in quibus illud observandum est quod in morali philosophia dici solet: « Cede majori, et locum da melioribus. » Hoc est, ut excellentius A celebretur officium, ac duntaxat de minori fiat commemoratio ipso die, et suum officium reservetur in crastinum; ut de Petro et Paulo in quibusdam Ecclesiis diebus Dominicis. Nam primo quidem celebratur de Petro, quod princeps fuerit apostolorum; sequenti vero die de Paulo. Sic de quibusdam aliis in diebus Dominicis, ita ut Dominica debeat quiescere, ac postea in hebdomada peragi. Quemadmodum sane factum videmus in Testamento Veteri. Cum enim Salomon templum dedicasset duodecimo die mensi, quo occurrebat scenopegia, celebravit dedicationem templi septem diebus continuis, et post dedicationem distulit scenopegiam. Sunt propterea in supra dictis temporibus quædam principales Dominicæ, quibus cætera cedunt festa præter Pascha B et Pentecosten, quæ præter resurrectionem et S. Spiritus missionem sunt aliis longe superiores. Atque earum quidem aliquæ ut sunt præstantiores et solemniores, ita in iis mutantur officia, cujusmodi sunt Dominica in principio Adventus et Septuagesima, ac illa quæ est in octava Paschæ. Aliquæ vero non sunt ita præstantes, quales duæ hæ sunt, videlicet quam vulgari nomine appellamus: *Lætare, Jerusalem*, et Dominica in Ramis palmarum. Nam si contingat dies Annuntiationis in Ramis palmarum, aut ipso die Resurrectionis, de eo penitus tacebitur, ac die sabbato, qui præcedit Dominicam, quam in Ramis palmarum vocatam diximus, universum Annuntiationis fiet mysterium. Ipsum enim sabbatum jus suum majori facile cedit. Ad eumdem C sane modum si eveniat ut ipsa Domini passione fit festum dedicationis, certe omni jure ejus mysterium celebratur in hebdomada sequenti, ut in Ascensione, si idem festum fuerit. Necesse enim est ut in aliud tempus differatur.

CAPUT LVIII.

Quomodo officia ecclesiastica fieri debeant, et qui sint eorum libri.

Ut igitur ab Adventu incipiamus, atque ita de ecclesiasticis officiis per totius anni circulum tractare pergamus, duo in universum nobis sunt diligenter in iis præcavenda, ne videlicet coacte fiant et indiscrete. Coacta esse non debent, juxta Prophetam qui ait: *Voluntarie sacrificabo tibi*, etc. (*Psal.* LIII.) Sic D Obal qui et Berseleel appellatus est, dicitur spontanee ædificasse templum Domino. Quanquam vero sint qui putant duos fuisse Obal et Berseleel, et utrumque spontaneum in tempore indiscrete prohibentur esse, quia immundum est pecus quod ruminat et non findit ungulam. Fissio autem ungulæ accipitur pro discretione. Qui ergo spontanea sacrificia facit et discreta, eum diligit Dominus. Hinc statutum est a sanctis majoribus quemadmodum Deo serviremus discrete. Statuerunt enim in unaquaque hora lectionem, verbi gratia, in matutinis et in missa instituerunt epistolas et evangelia, in aliis horis parvas lectiones, quæ dicuntur capitula. Sed quoniam in lectione et cantu universum fere versetur officium ecclesiasticum, operæ pretium est scire quinque esse libros lectionum in Ecclesia, ac tres cantus, scilicet

Graduarium, Antiphonarium et Trophonarium : Antiphonarius a digniori nomen sumpsit, hoc est ab ant phonis, cum in eodem libro contineantur responsa et versus. Legitur enim in Tripartita historia Ignatium patriarcham Antiochenum audivisse angelos cantantes antiphonas in monte, qui exinde quasdam antiphonas in Ecclesia cantari instituit, et psalmos juxta antiphonas tonizari. Unde etiam antiphonæ sunt appellatæ, respectu psalmodiæ sicut responsum, historiæ. Et cum antea confuse et quasi chorea cantarentur psalmi et antiphonæ, statutum est a majoribus, ut seorsum chorus sederet, et alternatim caneret, id est ut una pars chori unum psalmi versum caneret, atque alia alium. Incipit ergo antiphonarius hoc modo : *Aspiciens a longe*. Tametsi vero non sit Gregorianum, hoc est, a Gregorio compositum, sed solummodo ab alio quodam mona ho appositum : quamobrem quidem non deberet merito procedere ea quæ Gregorius composuit. Usu tamen receptum est ut ab omni Ecclesia diceretur. Nec facile profecto est quæ longo usu inoleverint emendare aut mutare. Cætera vero sunt S. Gregorii.

CAPUT LIX.

De reliquis libris.

Secundus liber est Graduarius, ita a gradibus appellatus, eo quod diebus festis in gradus ascendi debeat, atque isthic cantari in ambone. Dicitur autem ambonis ab *ambio*, *ambis*, eo quod locus ille ambitur gradibus, vel ab *ambo*, *ambæ*, *ambo*, quod nimirum duæ sint viæ isthic, hoc est in pulpito, quod situm est ante eum locum, ubi recitatur evangelium. Oportet itaque sint ibi duo paria graduum, unum a sinistris, quo fiat ascensus; alterum a dextris, quo descensus fiat, juxta illud : *Per aliam viam regressi sunt in regionem suam* (*Matth.* II). Diebus autem profestis canitur in medio chori ante gradus altaris. Ejus libri principium est : *Ad te levavi*. Tertius liber dicitur Trophonarius, a Græco nomine τρόπος quod est *conversio*. Nam a fine regredimur ad principium cantus, unde et trophium zona nominatur, quod ab uno latere vertatur in aliud, circumeundo usque ad umbilicum. Est autem Trophonarius liber, in quo continentur ii cantus, qui cum introitu missæ cantari solent, et maxime quidem a monachis, cujusmodi sunt tropi, sequentiæ, Kyrie eleison et neumæ. Tropi dicuntur, quia prius canitur versus, ac postea eleison, et iterum versus, et eleison deinde. Hic etiam notandum, quod semel diximus neumam feminei generis absque *p*, accipi pro jubilo; pro Spiritu autem sancto dicitur Græce hoc pneuma, pneumatis, Hebraice Ruath, Latine spiritus. Unde quidem in prosa : *Descendet in te sanctum Pneuma*. Postremo Trophonarius non habet certum principium, quod ad placitum canatur. Nemo enim tenetur potius hoc vel illud Kyrie eleison in aliquo festo dicere, quam aliud. Contra vero Antiphonarius certum habet initium, nimirum hoc : *Aspiciens a longe*, quemadmodum graduarii principium est : *Ad te levavi*. Ab Adventu enim incipit Ecclesia.

CAPUT LX.

De quinque libris lectionum.

Nunc de quinque libris lectionum videamus. Et primus quidem est bibliotheca a βίβλος quod *liber* est, et θήκη *positio*. In eo enim totum continetur utrumque Testamentum. Atque hinc propter excellentiam, tanquam si dignior et major esset, solus omnium librorum materiæ nomen retinuit. Fiebant enim omnes libri ex biblio : unde bibliopolæ venditores librorum appellantur. Vel rectius ideo liber hic dictus est bibliotheca, quod instar cujusdam bibliothecæ multos et varios libros complectatur. Secundus vero liber est passionarius, qui tamen plures sunt. Tertius est legendarius. Quartus homeliarius. Quintus denique sermologus, sive liber sermonum. Redeamus igitur ad primum, et singulos paulo accuratius examinemus.

Bibliotheca vox est ambigua et homonyma, sive, ut nunc loquuntur, æquivoca. Uno namque nomine et locum ubi libri reponuntur, nempe armarium significat, et volumen aliquod magnum compactum ex omnibus libris Novi et Veteris Testamenti. Sunt autem viginti duo volumina Veteris Testamenti, quæ ibi continentur, et octo Novi, scilicet evangeliotæ quatuor, Epistolæ Pauli, Apocalypsis, Epistolæ canonicæ, et Actus apostolorum. Volumina Veteris Testamenti sunt quinque libri Mosis, videlicet Pentateuchus, qui proprie apud Judæos dicitur Thoral, id est lex, vel libri legis, super quos jurant illi, ut nos super Evangelia tanquam sanctiora in novo Testamento. Sunt præterea qui hoc pacto enumerantur, Josue scilicet, Judicum, cujus extrema pericope pars est libri, Ruth, Samuel, Malachim, quæ duo volumina unum reputamus, videlicet Regum, quod tamen quatuor habeat partitiones vel distinctiones. Postea in uno volumine sequuntur alii quatuor : Isaias, Jeremias, Ezechiel et David. Sub uno volumine comprehenduntur duodecim prophetæ minores propter nimiam brevitatem. Novem quæ deinceps sequuntur reputantur hagiographa, ita tamen ut sint authenthica, nimirum liber Psalmorum, liber Jobi, tres libri Salomonis, scilicet Parabolæ, sive mavis dicere Proverbia, Ecclesiastes et Cantica canticorum, liber Paralipomenon, Judith et Esther. Quatuor tandem enumerant apocrypha, librum videlicet Tobiæ, Machabæorum, Philonis, cujus principium est, *Diligite justitiam*, et Jesu filii Sirach, qui sic incipit : *Omnis sapientia a Domino*, etc., appellaturque etiam Ecclesiasticus. Verum hos quatuor quidam non recipiunt, Ecclesia tamen eos approbat, quod argumentum fere habeant librorum Salomonis, etiamsi eorum auctores pro certo ac vere non sciat. Alios duos credimus Esdram composuisse, qui totam bibliothecam Veteris Testamenti restituit, cum a Babyloniis esset combusta. Nos itaque bibliothecam nostram, scilicet Vetus et Novum Testamentum diversis temporibus legimus juxta varias historias singulis mensibus, ut sic tandem cum totius anni circulo universa absolvatur. Unde equdem non ignoro, quin illud in adventu

Domini primo sit assignandum et declarandum, sed facilius et dilucidius apparebit, si ab alio tempore incipiat assignatio.

CAPUT LXI.

Quid legi debeat in Septuagesima.

In Septuagesima ergo legimus totum Pentateuchum, quoad dies isti sint, videlicet quindecim ante Pascha. Atque ita quatuor omnino cantantur historiæ, nimirum ex libris Geneseos, et quartus de Exodo. Primus liber Mosis est Genesis, in quo agitur de origine mundi; secundus Exodus, in quo de exitu agitur populi Israelitici ex Ægypto; tertius Leviticus; Quartus est Numeri; quintus Deuteronomius, hoc est lex altera, cujus velut quamdam tradit anacephaleosin, sive recapitulationem. Per illos autem dies quindecim usque ad Pascha legitur Jeremias et liber Baruch notarii ejus, ut quidam testantur, sub eodem volumine. Et quidem Jeremiæ Threni, sive Lamentationes, recitantur per triduum illud ante Pascha, quod appellamus Tenebras. Dicuntur autem Threni, eo quod tripliciter exponantur a Paschasio, scilicet historice, allegorice et tropologice. Vel a monte Threnaro, ubi primo auditæ sunt animarum lamentationes. Vel ideo etiam Threni appellati sunt quod in iis post tertium quemque versum littera sit alphabeti. Scriptum enim est opus illud quadruplici alphabeto, hoc est in eo quater ipsum alphabetum de integro repetitur. Vel denique, quod verius esse puto, hæ lectiones propterea dictæ sunt Threni, quod lamentationes contineant. Apud Græcos namque θρῆνος planctus est. Sic itaque historia, quæ quindecim illis diebus narratur, sumpta est partim ex libro Jeremiæ, partim ex passione Domini in Evangelio. Nunc transeamus ad octavam Pentecostes, ut ordinem Veteris Testamenti simili ratione persequamur.

CAPUT LXII.

Quid legi debeat ab octava Pentecostes usque ad Natale Domini.

Tunc ergo usque ad Kalendas Augusti legitur Samuel, Malachim, id est Liber Regum et Paralipomenon cum historia : *Deus omnium.* Solet tamen in octava Pentecostes cantari et legi de Trinitate, quantumvis Alexander papa interrogatus an etiam fieri debeat, dixerit se nescire diem peculiarem de Trinitate, nec de unitate. Sed officium ejus præcipue propter hæreticos institutum fuisse credimus. Quare hic usque ad Kalendas Augusti meminerimus, quod paulo ante cavendum esse præcepimus. Si enim festum erit die Dominica, secure mutabimus historiam. Similiter si secunda feria, si tertia, si quarta Kalendæ fuerint mensis Augusti, præcedenti Dominica historiam libere mutabimus. Si vero quinta, sexta aut septima, idem facere poterimus Dominica sequenti. Atque hanc tanquam generalem habemus regulam. Quod si denique mensis Kalendæ fuerint die profesto, illa Dominica mutabimus historiam, quæ Kalendis sit proximior, sive ea præceda', sive subsequatur. A Kalendis igitur Augusti usque ad Septembrem leguntur tres libri Salomonis et duo Sapientiæ, qui sunt apocryphi, ut ita media pars Cantici canticorum reservetur usque ad Nativitatem B. Mariæ in Septembri, atque altera legatur in ejusdem Assumptione. Nam sermones qui ibi sunt, ut : *Cogitis me, o Paula et Eustochium*, et : *Approbatæ consuetudinis est*, etc., potius in triclinio, seu refectorio legi debent. Tunc cantatur historia : *In principio Deus* (*Gen.* 1), antequam terra, etc., quod ad creationem pertinet. Nam istud aliud in principio, quod est in Sexagesima spectat ad creationem. Proinde a Kalendis Septembris legitur Jobus per quindecim dies, et per quindecim alios dies Tobias, Esdras, Judith et Esther cum historia, *Peto, Domine.* In Octobri legitur liber Machabæorum cum historia : *O Adonai, Domine Deus*, et : *Adaperiat Dominus.* In Novembri Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ, cum historia, *Vidi Dominum.* Denique in Decembri Isaias totus usque ad Natalem Domini, nisi quod transire debeat idem lector id quod ipso Natali legitur, ut : *Populus gentium, Consolamini, Consurge*, et quod recitatur in Epiphania, ut : *Surge, illuminare, Jerusalem.* Hæc namque pertinent ad Christum jam natum ; cætera vero quæ in Adventu leguntur, ad Christum nasciturum. Atque hinc est quod illa oporteat prætermitti usque ad Natale, quoniam tunc nova audiri debent. In jejuniis tamen Quatuor Temporum, quæ sunt in Adventu, et in vigilia Nativitatis Domini nihil Isaiæ legitur, quoniam proprias habent lectiones, et propria officia. Unde et alia jejunia ab his tanquam magis solemnibus officia petere soleant.

Quare autem hæc habent et non illa, ratio est quod olim pontifex Romanus hisce jejuniis ordines conferre consuevit. Sed si festum Thomæ evenerit in ipsis jejuniis, dicet Ecclesia lectiones de sancto et non de jejunio. Ita enim usus inolevit. Hoc ipsum tamen Romana Ecclesia non observat, ut quæ sex recitet lectiones de jejunio, et tres ultimas de homilia Evangelii ipsius festi. In Adventu aliquando tres sunt historiæ, aliquando quatuor si ipse fuerit quatuor hebdomadarum, quod raro fit. Et tantum quidem habemus de Veteri Testamento, modo videamus de Novo. Ab octava Paschæ usque ad Pentecosten legitur Joannis Apocalypsis tribus septimanis, et Epistolæ canonicæ duabus sequentibus usque ad Ascensionem, quæ numero sunt septem. Prima est Jacobi Alphæi, tres sequentes Joannis evangelistæ, quinta et sexta Petri principis apostolorum, septima denique Thadæi, qui et Judas appellatus est, frater Simonis. Ab Ascensione Domini usque ad Pentecosten leguntur Actus apostolorum : *Primum quidem*, etc. Historia est, *Dignus est, Domine*, ad omnia præmissa. Ab octava Epiphaniæ, usque ad Septuagesimam leguntur quatuordecim Epistolæ Pauli, tam quæ sunt missæ ad personas quatuor, quam quæ ad decem Ecclesias, ut ad Titum, Corinthios. De Evangeliis et Psalmis dicetur suo loco. Ad hunc ergo modum de utroque Testa-

mento dispositum ab Ecclesia habemus. Notandum interim obiter hic est, quatuor modis finiri lectiones, videlicet per : *Tu autem, Domine ; Hæc dicit Dominus: Convertimini ad me et salvi eritis;* et in Threnis Jeremiæ per *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum :* atque ultimo in lectionibus mortuorum, per *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Cujus tamen rei usus in Ecclesia admodum rarus est. Sed nos dicimus non quid fiat, sed quid fieri debeat. Cæterum homiliarius, quem quartum librum esse diximus, legitur in natali et in festis eorum, qui propria habent evangelia, ut in festo B. Thomæ, in Paschate, Pentecoste cum suis feriis, ac tandem etiam recitatur diebus Dominicis. Octo vero dies Paschæ computantur cum Septuagesima, quod illa septima sit septimana a Quadragesima, per quam idem designatur, quod per Septuagesimam in cujus septima decade filii Israel acceperunt redeundi licentiam, et jam quasi liberi erant, ideoque diebus illis cantica lætitiæ inclamantur. In sabbato autem in Albis, geminatur *Alleluia*, quoniam finitur Septuagesima. Quo quidem significatur absoluto præsentis hujus vitæ cursu nos duplicem accepturos stolam, cum ad nostram illam Jerosolymam pervenerimus. Vocatur autem Sabbatum istud in Albis, quod in paschali Sabbato baptizati tunc albas vestes deponebant, quas octavo die sumpserant. Proinde vero libri passionarii leguntur in ipsis diebus martyrum. Sed horum aliqui, teste Gelasio, apocryphi sunt, ut de B. Gregorio, de Quirico et C Julita martyribus, ac qui omnino ejusmodi sunt, ut eos composuisse ferantur hæretici, ob quorum infamiam ab Ecclesia interdicuntur. Quod autem sint canonizati, suo loco dicetur. Nec quidem omnes homiliæ sunt approbatæ, ut quædam sunt Origenis, qui ad hæresin declinavit. Quædam tamen ejus leguntur ab Hieronymo castigatæ, sed in iis subticetur nomen auctoris propter infamiam hæresis. Quemadmodum etiam Salomonis nomen in lectionibus supprimitur ob notam idololatriæ, et Moysis propter hæsitationem, quam habuit ad Aquas Contradictionis, quia Dominum exacerbavit. Non enim dicitur. Lectio libri Genesis Mosis legislatoris, sicut dicimus : *Lectio libri Apocalypsis Joannis apostoli*. Nonnulli tamen hoc pacto in principio homiliarum dicendum esse existimant : Homilia Origenis ab Hieronymo castigata. Atque in sequentibus quasi hoc modo : Homilia ejusdem. Sunt autem fere hi qui Homilias posteris reliquerunt : Augustinus, Gregorius, Beda et Origenes.

Breviter ergo passiones legi debent in festis martyrum : legendæ in festis qui propria habent evangelia, ut in B. Thomæ, tres ultimæ lectiones ex homiliis sint oportet, atque aliæ ex passionibus. At vero legendarius appellatur liber, qui vitas et obitus tradit confessorum, cujusmodi sunt Hilarii, Martini et aliorum quos sacrosancta Ecclesia confirmavit, ita ut in eorum festis istiusmodi liber necessario legatur, ultimo tandem liber sermonum, qui et ser- A mologus nominatur, legi convenit ab Natali usque ad octavam Epiphaniæ, quos Leo papa et complures alii composuerunt. Sed idem liber legitur in Purificatione B. Mariæ Virginis, et præter festa alia, etiam ipso die Omnium Sanctorum. Proinde præcipuas homilias composuerunt Gregorius et Beda, qui tamen nullas, præterquam eas, quas ante Augustinus ediderat, composuit. Namque ille hoc unum de suo addidit, quod eas suis verbis quodammodo vestivit, usque adeo, ut cum in Augustino verba duntaxat essent disputationis, in Beda sint verba sermonis et lectionis.

CAPUT LXIII.

De libris cantuum.

Nunc redeamus ad libros cantuum, idque juxta B dies adventuum. Primum itaque responsum sequitur tres versus, quod si per universum annum vagemur, non amplius fieri liquido comperiemus. Fit enim illud propter tria tempora antiquorum Patrum adventum Christi exspectantium. Ac primum quidem tempus fuit ab Adamo usque ad Noe, nempe ad diluvium, secundum vero usque ad Moysen, et tertium usque ad Christum. Et quod terna fiat in eodem responso repetitio, prima videlicet ab altiori, secunda a minus remoto, et tertia rursum a minus remoto et minori, causam habet hujusmodi : Eo namque modo ostendimus Patres primi temporis remotius ab adventu Christi abfuisse, quam partes secundi vel tertii, atque iterum longius fuisse C partes secundi quam tertii. Sic quoque tria sunt tempora patrum novitiorum secundum Christi adventum exspectantium. Nam horum primum fuit Ecclesiæ primitivæ de Judæis ad fidem conversis, et secundum modo præsto est, simul atque gentium sive ethnicorum facta est introductio. Sed tertium erit, cum omnis Israel salvabitur. Magis ergo remoti sunt, aut potius fuerunt primi quam ultimi, ut hoc pacto ad utrumque adventum allegoria hæc accommodari possit. *Gloria Patri* tribus versibus tandem subjungitur, quod omne nostrum desiderium et servitium ad trinum Dominum sit referendum. Non enim isthic fit repetitio alicujus partis, sed totius responsorii, quoniam post hoc hanc præsentem vitam omnia tempora consummabuntur. Tunc Deus D erit omnia in omnibus (*I Cor.* xv), hoc est consummatio omnium et sufficientia. Verum enimvero de qualitate officii videamus, deque temporis reverentia, continentia et abstinentia. Ad qualitatem pertinet quid tenendum sit vel omittendum. Et quidem quid tenendum seu observandum sit jam aliqua ex parte docuimus, addimusque sub finem Adventuum cani debere septem antiphonas secundi toni, et unamquamque juxta ordinem suo die usque ad Natale. Quæ quidem omnes vel ob id secundi toni sunt, quod geminam nobis significent dilectionem, Dei videlicet et proximi, vel etiam propter duas naturas in Christo. Sunt autem septem, propter Spiritum septiformem, quo illuminati erant ii qui Christum exspectabant. Sciendum tamen est his septem anti-

phonis quæ sunt de Sacramento, additas esse duas alias, unam videlicet de beato Thoma, aliam vero de B. Maria Virgine.

CAPUT LXIV.

Quæ omittenda sunt in Adventu.

Omittenda sunt in Adventu, ut in Septuagesima, quædam cantica lætitiæ, quemadmodum *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelsis*, *Ite, missa est*. Verum enimvero cum tempus istud partim sit lætitiæ, non subticetur *Alleluia*, sicut in Septuagesima, quod tempus totum mœroris est. Quare considerare poterimus tria ista sese mutuo sequi quidem, sed non semper. Quædam enim Ecclesiæ in cathedra B. Petri, etiamsi sit in Quadragesima festum istud, dicunt *Te Deum laudamus*, cæteris vero laudibus tacitis, quia hoc cantico solemus uti ad inthronizandos aliquos in suas sedes. Nam et eodem die Petrus in cathedra Antiochena fuit constitutus. Rursus *Gloria in excelsis*, et *Ite, missa est* dicitur ipso die solemni Cœnæ si episcopus præsens sit, et celebret officium de tribus Oleis, sed *Te Deum laudamus* non dicitur, quoniam surgitur ad Tenebras. Ob quam etiam causam subticetur in psalmis et in responsoriis hisce diebus *Gloria Patri*, quia tunc multum dehonestata est Trinitas, maximeque illo triduo. Item in prima missa Natalis Domini canitur *Gloria in excelsis*, nec tamen dicimus, *Ite, missa est*, donec et tertia missa sit absoluta. Alioquin enim recederet populus, et non audiret matutinas. Unde nonnulli sacerdotes reservant collectam sive orationem finalem primæ missæ donec cantentur matutinæ, ac postea dicunt et concludunt missam cum *Benedicamus Domino*. Deinde vero incipitur missa secunda, et pari modo finitur, vel per *Ecce completa sunt*, in quibusdam Ecclesiis, ne populo licentia abeundi detur, sciatque se adhuc debere tertiam audire missam, sub cujus finem exprimitur, *Ite, missa est*, quæ laus pertinet ad Resurrectionem, sicut *Gloria in excelsis* ad Nativitatem. Atque hæc quidem est ratio, quamobrem utrumque in Adventu subticeatur, quod tunc utrumque avide exspectetur, sed *Te Deum laudamus* ideo tacetur, ut cum majori ardore resumatur ipso die festo, vel, quia nondum præsens est quem exspectamus, cum ad præsentes hoc cantico uti soleamus. Sic et pro *Dominus regnavit* (*Psal.* XCVI), dicitur *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L), et cantica illa, quæ sunt Annæ, Moysis, Habacuc, atque alia quæ isthic sunt, ut : *Ego dixi* (*Isa.* XXXVIII); et : *Audite, cæli* (*Deut.* XXXII), quæ per singulas hebdomadas dicuntur. Horæ vero B. Virginis idcirco subticentur, quod totum illius temporis officium ad ejus laudem sit.

Hinc etiam animadvertendum est quod in festis novem lectionum, si quæ sunt, in Adventu, ad tertiam debeat celebrari missa solemnis, cum *Gloria in excelsis*, et, *Ite, missa est*. Unde etiam in plerisque ecclesiis nigras cappas deponunt ad missam illam tanquam in paschali tempore, nec genua tunc flecti debent. Missa vero absoluta cappæ resumuntur, et sexta ac nona cantata, auspicatur missa de jejunio atque tum diaconus pronuntiare debet ad hujusmodi missam, et in omni tempore jejuniorum, *Flectamus genua*, exceptis feriis iis quæ Pentecosten proxime sequuntur, in quibus propter reverentiam festi cantica lætitiæ non subticentur, scilicet *Alleluia*, *Te Deum laudamus*, atque *Ite, missa est*. Proinde vero neque hic ullius sancti commemoria fieri oportet, sive Christi Adventum præcesserit (cum ejus temporis omnes ad inferos descenderint, unde et pro eis non solemnizat Ecclesia), sive secutus fuerit Christi Adventum cum eorum singulis diebus hic commemoratio fieri debeat. *Ecce Dominus veniet*, etc. (*Isa.* LXVI), antiphona est, quæ canitur post *Benedicamus Domino*, et sequitur oratio hujusmodi, *Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Jesus Christus, cum omnibus sanctis paratam sibi in nobis inveniat mansionem, qui tecum*, etc. In antiphona ponitur, *omnes sancti ejus cum eo*, et in oratione, *cum omnibus sanctis*, ita ut hinc necessarium non sit fieri speciatim aliquorum sanctorum commemorationem. Sed oportet intelligamus hanc orationem pertinere ad secundum adventum, qui efficitur in mente hominis, cum videlicet legitur : *Ut veniens Dominus Jesus Christus paratam sibi in nobis mansionem inveniat*. Verum tunc addi non debet *cum omnibus sanctis*. Nam si illud adjiciatur, jam ad tertium adventum videbitur pertinere. Est enim adventus Christi triplex : in carne, in mente, qui singulis diebus in humanis animis contingit per Spiritum sanctum, et tertius in majestate, qui adventus erit in die judicii. De secundo adventu, qui fit in humana mente, inquit Salomon ; *Domine, mitte sapientiam tuam, ut mecum sit, et mecum laboret* (*Sap.* IX). Est rursus et alia ratio, quæ ejusmodi est, ut duos nobis significet adventus, nimirum : *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis*, etc. Ad primum adventum pertinet, cum dicitur : *Te protegente mereamur eripi;* ad secundum vero, cum legimus : *Te liberante salvari*

CAPUT LXV.

De temporibus quibus non debent nuptiæ celebrari.

In Adventu non debent celebrari nuptiæ, sicut nec in Septuagesima, quod hujusmodi tempora orationi potissimum sint deputata, ac tunc potius ab uxorio lecto quilibet debeat abstinere, quam eidem adjungi. Pari modo faciendum est in sacris solemnitatibus, cum earumdem feriis, sicut in Pascha et Pentecoste. Et certe quidem diebus quoque Dominicis, ac in festis apostolorum præcipue continendum est. Solemnitates namque institutæ sunt, ut liberius vacari possit orationi. Verum enimvero rustici contra libentius illis diebus conveniunt, ut vacent potationi. Sed in omnibus his cautum oportet esse sacerdotem. Sæpenumero enim accidit ut mutum pecus doceat animal divinum, hoc est laicus clericum. Ac generatim quidem observandum est quod quocunque tempore abstinetur a nuptiis, abstinen-

dum sit ab amplexu conjugis, si nisi quando ob fragilitatem incontinentiæ poscat debitum ab uxore, vel illa a viro. Illud enim exigenti persolvendum est, quia *vir*, ut inquit Apostolus, *non habet potestatem suæ carnis, sed mulier* (*I Cor.* VII), et contra. Secundum has ergo rationes, non debent nuptiæ celebrari, etiam tribus illis septimanis, quæ festum S. Joannis Baptistæ præcedunt. Verum hoc in quibusdam Ecclesiis jam pridem in dissuetudinem abiit. Fuit tamen ratio, quare Ecclesia constituerat jejunandam esse Quadragesimam ante festum S. Joannis, sicut ante Natale. Sed propter fragilitatem humanam, duæ illæ Quadragesimæ redactæ sunt in unam, atque illa tunc bipartita fuit in tres septimanas præcedentes Natalem, et tres præcedentes festum S. Joannis. Quoniam igitur tempora hæc orationi sint maxime dedicata, quam ideo instituimus, ut ad cœlos perveniamus, quod tamen efficere non possumus sine duobus aliis, scilicet jejunio et eleemosyna, quæ ad cœlos hominem facile deferunt, ideo ordinatum est jejunium, ut quod nobis remanserit propter jejunium pauperibus erogetur, ideoque et sponsus debet abstinere a lecto uxoris, ut liberius ac commodius vacet orationi. Atque ita non fiunt nuptiæ a prima Dominica Adventus, usque ad Epiphaniam, nec etiam fierent nisi ad octavam usque Epiphaniæ, nisi Dominus nuptias, tum sui præsentia, tum miraculo decorasset. Præterea in Adventu sciendum est quemlibet versum dici posse, si sit de Adventu, ut : *Egredietur Dominus de loco sancto suo in majestate sua, et veniet ad judicandum* (*Isa.* XXVI). Et : *Veni, Domine, ad liberandum nos* (*Isa.* XXXVI), quod potest dici de quolibet adventu. Adventus enim qui fuit in carne liberavit animas nostras a servitute diaboli; adventus vero in mente liberat animas a peccato; adventus denique in majestate, liberat corpora. Postremo obiter notandum est festum B. Luciæ hic adjunctum habere Italice *charthar :* quia tunc maxime carnes solent deponi, quemadmodum secunda Dominica Septuagesimæ dicitur vulgo carnisprivium.

CAPUT LXVI.

De festis et jejuniis Adventus.

Deinceps modo videamus de iis quæ accidunt Adventui, ut de ejus festis et jejuniis. Et in primis quidem hic cognoscamus, si festum S. Andreæ contigerit prima Dominica, id persequendum esse II feria. Idem observari volumus, de quolibet festo tam apostolorum quam martyrum, si contingant Dominicis privilegiatis, quos paulo post commemorabimus. Sic quoque si festum ejusmodi ipso Dominico contigerit, quod vigiliam habeat, ejus secunda feriâ celebrabitur officium critque jejunium in Sabbato, si videlicet inofficiata sit vigilia, id est, si proprium habeat officium. Item si qualibet alia Dominica ex privilegiatis, festum apostoli, vel præcipue alicujus martyris, vel alterius sancti, qui proprium habeat officium evenerit, restat videre an septimana sequens sit inofficiata, hoc est, an proprium singuli ejus septimanæ dies habeant officium. Quod si non habeant, illius Dominicæ officio supersedebimus, atque ejus loco festum hospitis, id est sancti advenientis ad Dominicam celebrabimus; si vero habeat, manente officio Dominicæ festum transferetur ad secundam feriam, atque hoc pacto dies Dominica interdum cedit festo, interdum vero non. Et quidem quare? Quoniam ibi officium renovatur. Proinde jejunia Quatuor Temporum, in tertia septimana adventuum oportet celebrari. Adventus autem debent viginti et unum diem, id est tres septimanas integras habere, præter vigiliam Natalis Domini. Cum ergo adventus semper incipiant a die Dominica, si etiam simili die videlicet, Dominica Natalis Domini contigerit, necessarium est, ut adventus protrahantur quatuor hebdomadis. Alioqui vigilias Natalis Domni, et jejunia Quatuor Temporum concurrerent quorum utrumque peculiare habet officium, et ad diversa pertinent tempora. Nam vigilia spectat ad tempus gaudii, cum non sit de adventu, sed de Nativitate, quare ad eumdem modum non haberet adventus viginti et unum dies, excepta, ut dicimus, vigilia. Si autem contigerit Natalis Domini in II feria, vel deinceps usque ad Dominicam, tunc præter dies viginti et unum, facile habebimus diem, quo faciamus vigiliam, quia ipso die Dominico, qui proprium officium non habet, celebrabitur vigilia et *alleluia* canetur propter Dominicam. Sed jejunabitur Sabbato præcedenti, tam pro jejunio Quatuor Temporum quam pro vigilia Natalis Domini. Quantum vero attinet generaliter ad jejunia, cognoscendum est cum jejunia vernalia primo instituta sint in prima septimana veris, æstivalia in secunda Junii, autumnalia in tertia Septembris, hiemalia in quarta Decembris : id omne propter multas confusiones, quæ inde nascebantur abrogatum esse et regulariter definitum quo tempore eorum quodque fieri debeat. Et de hiemalibus quidem dictum est, quod semper in tertia septimana Adventus fiant. Sed de aliis regulariter sciendum est quod in prima septimana Quadragesimæ semper incipiant vernalia, in septimana Pentecostes semper æstivalia, autumnalia veterem servent institutionem, cum semper in tertia septimana Septembris fiant. Cavendum interim diligenter est ne in computatione illarum septimanarum fallamur. Nam si Kalendæ illius mensis, hoc est ipse mensis incipiat prima feria, vel secunda vel tertia, vel etiam quarta, tum illa ejus mensis septimana computabitur, et in ea quæ est ab illa tertia, fient jejunia. Si vero mensis inceperit quinta, vel sexta, vel septima feria, tres illas septimanas numerare ordiemur a sequenti Dominica, et eodem modo in tertia fient jejunia. Atque ita sane dies præcedentes quoad computationem septimanarum plane erunt inutiles. Sic igitur hujusmodi habemus regulam, ut ab illa Dominica, quæ propinquior fuerit Kalendis Septembris, id est pridie mensis semper numeranda sit prima septimana, sive subsequatur, sive præcesserit.

CAPUT LXVII.

De anniversariis mortuorum, et vigiliis sanctorum.

De anniversariis vero mortuorum dicemus, quod si contigerit Dominica die, vel alia quamvis celebri solemnitate, non debeant mutari, et in sequentem diem differri, quemadmodum de festis sanctorum diximus, sed potius fiant die præcedenti, ut citius succurratur eorum pœnis, quas igne purgatorio sufferunt. Ut enim sancti non indigent nostro auxilio et beneficio, ita cæteris defunctis omnino est necessarium. Omni tempore potest celebrari missa pro defunctis præsente cadavere, nisi Parasceve. Tunc enim non debet corpus Christi immolari, nec missa cantari, sed die crastino, id est Sabbato poterit missa pro eo cani, et corpus sepeliri. Pari modo etiam faciendum est ipso die Paschæ. Si enim quis tunc moriatur, postero die missa est celebranda, servato corpore tantisper super terram. Nam fieri non debet ut sepeliatur absque missa. Porro autem de vigiliis sanctorum generaliter dicimus, quod si propriam habeant collectam in missa, eam debere dici ad vesperas. Et si Dominica sit in vigilia, dicemus vesperas de Dominica, et post alias de sancto, vel cum *Magnificat* legimus duntaxat collectam, ut Moguntina facit Ecclesia, et monachi; vel cum sola antiphona dicemus orationem sive collectam de festo, si propriam et peculiarem non habeat vigiliam, cui ad postremum subjungemus : *Benedicamus Domino.*

CAPUT LXVIII.

De vigilia Natalis Domini.

Sequitur vigilia Natalis Domini, quæ propriam habet missam, et propriam in ea collectam, quæ item in vesperis dici debet, quod item observatur in aliis vigiliis. Sin contra fuerit, hoc est, si vigilia peculiare officium non habuerit, collecta in vesperis de sequenti festo dici oportet. Cantantur ergo in vigilia Natalis Domini hi Psalmi : *Laudate, pueri, Dominum* (*Psal.* CXII), *Laudate Dominum, omnes gentes* (*Psal.* CXVI), *Lauda, anima mea, Dominum* (*Psal.* CXLV), *Laudate Dominum, quoniam bonus* (*Psal.* CXLVI), *Lauda, Jerusalem, Dominum* (*Psal.* CXLVII), sed in completorio cani debet hymnus *Veni, Redemptor gentium.*

CAPUT LXIX.

De Nativitate Domini.

Nunc de ipso die Nativitatis agamus, quo ante primos nocturnos tres pannos super altare poni consuetum est, ad declarationem trium temporum singulisque nocturnis unum auferri. Et primus quidem niger erat, pro tempore ante legem; secundus subcandidus, pro tempore revelationis; et tertius ruber, pro tempore gratiæ : propter dilectum sponsum candidum et rubicundum. Poteris alibi facile invenire quemadmodum veteres interpolate et diversis vicibus ad nocturnos surgere solebant, videlicet in conticinio, nocte media, et in antelucano. Post tertium nocturnum incenduntur lumina ecclesiæ, et recitato Evangelio, *Liber generationis* (*Matth.* 1), cantatur *Te Deum laudamus*, ad consignandam congratulationem, quæ facta fuit ob inventam drachmam quam mulier perdiderat, in cujus inveniendæ gratiam ea lucernam incendit totamque domum evertit, hoc est, Ecclesia triumphans ex inferno per Christum omnino extrahitur. Quatuor autem illo die leguntur Evangelia, unum Matthæi, alterum et tertium Lucæ, quartum Joannis, ut de Nativitate Christi quatuor testes perhibeant testimonium. Quanquam sane duo, vel ad summum tres sufficere possunt, cum in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* XVII). Quamobrem vero Isaias legatur in primo nocturno, supra a nobis ostensum est. Verum diligenter hic animadvertere debemus, trium præcipue Scripturas hoc tempore in Ecclesia frequentari magis, quam aliorum. In primis nimirum Davidis prophetæ qui fuit homicida, proditor et adulter; deinde Matthæi apostoli, qui et publicanus dictus est, et hoc ipso nomine infamis, postremo Pauli apostoli, qui persecutus est Ecclesiam. Quod quidem non abs re ita institutum fuit, ne videlicet desperent alii, quantumlibet peccatores, propter facta præcedentia, eleemosynas vel orationes Deo displicere, quin si pœniteant, certo sciant se veniam facile consequi posse, quantumvis gravi noxa perplexi sint. Post *Te Deum laudamus*, dici oportet a sacerdote jam e vestiario egresso, *Confiteor*, atque inchoari prima missa, ubi de æterna Christi generatione obscura et ignota agitur. Quo quidem fit ut illa etiam nocte cani debeat. Absoluta vero illa dicuntur laudes, et finiuntur eadem oratione cum missa, ut hanc atque illas idem plane officium innuere exprimamus. Apparente aurora, statim incipitur secunda missa, in qua agitur de completione sive impletione promissorum de Christo nascituro. Unde profecto sic illam auspicamur : *Lux fulgebit*, cum illucente die, ac matutino apparente inchoetur. At dixerit hic semidoctus aliquis grammaticus : Ergo deberet ibi esse lux fulgens; quod verum non est, quia tunc rubet. Sed intelligendum est, ut diximus, de impletione promissorum, quasi dicamus tum, *lux fulgebit*, cum Christus advenerit, qui vera et æterna lux est, cumque omnia quæ de ejus adventu jam multo tempore dicta sunt, complebuntur. Proinde hæc missa, ut et ante dictum est, finitur hoc modo : *Ecce completa sunt*, etc. Prima ergo pertinet ad generationem ex Patre sine matre, videlicet æternam; secunda ad eam quæ fuit ex matre sine patre, ut temporalem; tertia autem quasi compacta et conjuncta est, tradit enim utramque. Nam quod in ejus exordio dicitur : *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX), ad temporalem spectat generationem; ad æternam vero Evangelium Joannis : *In principio erat Verbum* (*Joan.* 1). Pars tamen illius Evangelii, postrema nimirum : *Verbum caro factum est*, etc., ad temporalem nativitatem referenda est. Dicitur autem hujusmodi duplex nativitas, ut nos haud obscure intelligamus nativitatem Christi terrestrem nobis procul dubio contulisse nativitatem

cœlestem. Unde illud est quod in festo B. Stephani dicitur : *Heri natus est Christus in terris, ut hodie Stephanus nasceretur in cœlis.* Denique neumæ quæ fiunt in missa, gaudium repræsentant, quæ potius per *e*, ut *Kyrie*, vel per *a*, ut *alleluia* fieri solent, quam per alias vocales, ut per has significemus gaudium spirituale quod restitutum est nobis in partu Virginis, cum facta est immutatio hujus vocabuli Eva, salutante angelo et dicente : *Ave, Maria* (*Luc.* I). Ejus enim nominis, scilicet Evæ significatio manserat usque ad salutationem angeli. Hanc autem significationem, nempe luctus Adæ et Evæ, nascentes exprimunt pueri, si nimirum puella nascatur profert, ut vulgus quidem existimat *e*, cum masculus *a*. Ille igitur neumæ repræsentant dolorem, quem nobis contulit transgressio Adami et Evæ. Sed gaudium plane restitutum est in B. Virgine cui non dictum est Eva, sed *Ave*.

CAPUT LXX.

De festis Nativitatem sequentibus.

Deinceps sequitur ordine convenienti, ut de iis festivitatibus modo tractemus, quæ Christi Nativitatem proxime sequuntur. Debent ergo vesperæ Natalis primo integre celebrari, ac postea conveniunt diaconi quasi in tripudio, cantantque *Magnificat* cum antiphona de S. Stephano, sed sacerdos recitat collectam. Nocturnos et universum officium crastinum celebrant diaconi, quod Stephanus fuerit diaconus, et ad lectiones concedunt benedictiones, ita tamen, ut ejus diei missam celebret hebdomadarius, hoc est ille cujus tum vices fuerint eam exsequi. Sic eodem modo omne officium perficient sacerdotes ipso die B. Joannis, quod hic sacerdos fuerit, et pueri in ipso festo Innocentium, quia innocentes pro Christo occisi sunt. Sed ignorandum non est passionem beati Stephani factam fuisse in Augusto, illo die, quo ejus celebratur inventio; econtra inventionem ejusdem fuisse postero die nativitatis Domini. Verum enimvero cum dignius et præstantius sit festum Passionis inventione, idcirco translatum est ad tempus Natalis Domini. Vel etiam ob hanc rem, quod ei eodem hoc die dedicata sit basilica. Poterit tamen et alia esse ratio, quoniam Stephanus post Domini passionem pro Christo primus martyrium perpessus est, quod nasci dicitur in cœlis, cujusmodi natalem nobis Christi nativitas in carne contulit. Consentaneum ergo fuit ut Nativitati Christi continuaretur Natale S. Stephani, quo per hoc notaretur, nativitatem unam sequi ex alia. Unde etiam est, quod in ipsius Vita legitur : *Heri Christus natus est in terris, ut Stephanus hodie nasceretur in cœlis.* Eodem fere modo de festo S. Joannis Evangelistæ censendum est, quod cum ille dies quo se deposuit in foveam post celebrationem sacrorum, Natalis fuerit sancto Joanni Baptistæ, hic tamen cum illi cessit, de quo dictum erat a Domino : *Inter natos mulierum non surrexit major*, etc. (*Luc.* 7), atque festum hujus translatum est ad tertium diem Natalis Domini, ut omnes suos comites haberet sponsus, qui rubicundus est et candidus. Vel ob id etiam, quod eo die ipsi dedicata sit basilica, vel tandem quia eo die insulatus est : Fuit enim patriarcha Ephesinus. Tunc autem scripsit Evangelium de quo Beda inquit : « Quod si paulo altius intonasset, universus mundus vix capere potuisset. » Ita ut hinc quoque Hieronymus eum vocitet vocem aquilæ. Simili ratione Innocentes non statim quidem quarto die post passi sunt, sed quarto die anno revoluto, quandoquidem, cum Herodes a filiis suis accusatus erat, debuit Romam proficisci, ibique coram Augusto Cæsare causam suam defendere, ita ut simulatque causam obtinuisset, ac jam rediisset, immane istud facinus perpetraverit, omnes interimens pueros *a bimatu et infra* (*Matth.* II). Credebat enim puerum natum magnum fore, cui astra famulabantur, et timebat ne per illum regnum suum amitteret, de quo plenius in Matthæo legitur. In festo itaque Innocentium penitus subticentur cantica lætitiæ, quoniam ii ad inferos descenderunt. Si vero contingat eorum festum die Dominica, tunc nullum subticetur, propter diem resurrectionis. Nec etiam in illorum octavis aliqua cantica lætitiæ supprimuntur, ut significemus gaudium, quod accepturi sunt in octava, id est in resurrectione.

CAPUT LXXI.

De Circumcisione.

In Circumcisione duo simul facta concurrunt, parientis scilicet et partus, propter octavas. Unde sane est quod eo die duas missas celebrare debeamus : prima de Beata Virgine, scilicet, *Vultum tuum*; aliam de Octavis, nimirum *Puer natus est nobis*, et dicitur illo die evangelium Lucæ : *Postquam impleti sunt dies octo* (*Luc.* II), etc. Sunt nonnulli alii, qui tria huc festa concurrere arbitrentur, de B. Virgine, de octavis, et de Circumcisione. Nam etiamsi tum circumcisus non fuisset, nihilominus tamen fierent octavæ. Sed quoniam modo de octavis mentionem fecimus non incommodum erit, si eas paulo plenius persequamur. Sunt enim nonnullæ octavæ institutionis, ut sunt eorum qui habent vigilias, nonnullæ devotionis, cujusmodi fieri possunt in honorem cujuslibet sancti; nonnullæ etiam venerationis, ut sunt eæ quæ solius Dei esse dicuntur. Nam octavæ Nativitatis, Paschæ et Pentecostes sunt venerationis Christi. Sunt item et octavæ significationis, ut Innocentium, per quas nostra significatur resurrectio, quo quidem fit ut tunc lætitiæ sive laudis canantur cantica. Nam tametsi quidem ad inferos descenderint, resurgent tamen nobiscum in gloria. Quanquam nihilominus et de quibusvis aliis sanctis octavæ significationis dici possunt. Totum interim tempus, quod est ad purificationem usque tractat infantiam Salvatoris, ita ut hinc aliorum sanctorum commemorationes fieri non debeant, et quidem maxime sanctæ crucis, juxta illud vulgare dictum; *Non coques hœdum in lacte matris* (*Exod.* XXXIV).

CAPUT LXXII.

De festo hypodiaconorum.

Festum hypodiaconorum, quod vocamus stultorum, a quibusdam perficitur in Circumcisione, a quibusdam vero in Epiphania, vel in ejus octavis (5). Fiunt autem quatuor tripudia post Nativitatem Domini in Ecclesia, levitarum scilicet, sacerdotum, puerorum, id est minorum ætate et ordine, et hypodiaconorum, qui ordo incertus est. Unde fit ut ille quandoque annumeretur, inter sacros ordines, quandoque non, quod expresse ex eo intelligitur quod certum tempus non habeat, et officio celebretur confuso.

CAPUT LXXIII.

De Epiphania.

Post hæc sequitur dies apparitionum, sive epiphaniarum, quæ plures leguntur fuisse eodem die, annis tamen diversis. Quarum quidem una effecta est per stellam decimo tertio die a nativitate Christi. Atque hæc proprie dicitur Epiphania, a Græco verbo ἐπιφαίνομαι, quod est *appareo*. Altera vero facta est per vocem Patris, eodem die anno trigesimo, et appellatur θεοφανία, a θεὸς, quod nobis est *Deus*. Tertia denique nominata est Bethania, nomine conflato ab Hebræo et Græco, videlicet a *beth*, quod *domus* est, quæ item alio anno eodem die contigit. Apparuit enim in domo per transformationem aquæ in vinum. Atque hæ quidem tres epiphaniæ leguntur in Evangelio tanquam eodem die factæ. Quartam addidit Beda in Commentariis in Lucam eodem die fuisse factam anno revoluto, videlicet quæ fuit de refectione panum,' diciturque phagiphania a φάγω, quod est *comedo*. His omnibus manifestatus est Christus esse Deus. Quatuor ergo festa sunt uno die. Si quæratur qua ratione tam cito reges venire potuerint, cum ipso die nativitatis primo eis stella visa sit, ita ut difficile fuerit ab exteris regionibus spatio dierum tredecim itinere terrestri venire Jerosolymam. Sed huic nos bifariam respondere possumus, quod nimirum ut plerique affirmant eis ante nativitatem stella apparuerit, vel quod, ut alii putant, dromedariis venerint. Est autem dromedarius animal paulo minoris staturæ quam camelus, cum tamen cursu sit multo velocior. Potest enim uno die tantum itineris conficere, quantum equus diebus tribus. Si rursum roget quis quonam stella illa evanuerit, respondebimus iterum duobus modis, quod vel ceciderit, ut quibusdam placet in puteum, ubi etiamnum facile sit conspicua iis tantum qui sunt virgines; vel quod, ut alii opinantur, in priorem materiam sit dissoluta. Cæterum ipso festo Epiphaniæ ad primum nocturnum non dicimus : *Venite*, idque duplici de causa, tum quia reges ad adorandum Christum non invitati venerunt, tum ne videamur Herodem imitari. Ipse enim omnes regni sui sapientes ad consilium convocavit, non ut Christum adoraret, quemadmodum falso dicebat, sed magis ut ipsum perderet. Ad eadem profecto ratione et proditori hoc profectum est, quod triduo ante Pascha osculum pacis non damus, ut prodito Judæ nos dissimiles esse ostendamus. In secundo autem nocturno ad sextam antiphoniam canimus : *Venite, exsultemus* (*Psal.* XCIV), quia in sexta mundi ætate gentes ad Christi fidem pervenerunt, quarum primi fuerunt tres illi reges, qui ad Christum adorandum e regnis suis profecti sunt. In tertio denique nocturno cantamus antiphonam : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV) ; et psalmum, *Deus noster refugium* (*ibid.*), ordine psalmorum retrogrado, quod amplius in toto anno non fit, nisi in festo Omnium Sanctorum. Sed quare tunc fiat, dicetur alibi. Ideo tertio nocturno, quia tertio tempore, id est, tempore gratiæ *fluminis*, baptismatis scilicet, impetus, *civitatem Dei*, nempe sanctam militantem Ecclesiam, *lætificat*, hanc mundando et ab omni labe purgando, ut ad septimam ætatem quiescentium feliciter pervenire possit, ubi tum plenius ac cumulatius lætificabitur. Et quoniam quidem Dei civitas in ætate septima quiescentium quasi plenum recipiet statum, cum ab omni pœnalitate eximetur et sui Conditoris gratissimo fruetur aspectu, ideo istiusmodi antiphona septimo loco cantatur. In tertio nocturno *Alleluia* propterea frequentamus, ut in tertio tempore per baptisma lætitiam advenisse monstremus. Ad hunc ergo modum incipi debent matutinæ : *Domine, labia mea aperies* (*Psal.* L). Deinde sequitur hymnus si sit monachalis Ecclesia. Si vero non, exemplo subjungitur : *Afferte Domino, filii* (*Psal.* XXVIII); et : *Deus noster refugium* (*Psal.* XLV). Ad postremum igitur, ut progrediamur ad cætera, facile suspicandum est reges non venisse solos, sed eos secum magnum advexisse principum comitatum.

CAPUT LXXIV.

De evangeliis Apparitionis.

Sunt autem tria Evangelia hujus festivitatis, unum de baptismo, scilicet *Factum est, cum baptizaretur* (*Luc.* III), secundum de magis, nempe *Cum natus esset Jesus* (*Matth.* II); tertium de nuptiis (*Joan.* II), atque hoc quidem legitur Dominica sequenti. Cæterum illud nos latere non debet duo evangelia de Christi generatione legi nocte, alterum videlicet in Nativitate, alterum vero in Epiphania. Quoniam utraque Christi generatio erat nocte, hoc est, obscura et quæ primorum Patrum sensibus percipi non poterat. Una generatio fit descendendo, altera ascendendo, quod una sit carnalis, altera spiritualis. In una ponitur, *Genuit* (*Matth.* I), ut carnalis et temporalis generationis exprimatur successio : in altera ponitur, *Qui fuit* (*Luc.* III) : ut donetur spiritualis generationis adoptio. Prima terminata est in Virginis partu, secunda inchoata est per baptismum. Inter octavas Epiphaniæ et Septuagesimam, legunt quidam responsoria de psalmis quæ

(5) Vide Innocentium papam III, const. 79.

sic dicuntur, quoniam lectionibus debent respondere et convenire, cum tamen psalmi non debeant legi nisi illo triduo ante Pascha.

CAPUT LXXV.

De festis sanctorum.

Nunc ergo ad festa proxime sequentia breviter transcurramus. Ac de B. Agnete quidem, cujus vitam composuisse dicitur Ambrosius, hoc solum scire sufficiat quod octavas non habet institutionis. Cætero quin octavas habet alterius significationis causa. Ejus autem solemnitas celebrari cœpta est propter quoddam miraculum, quod octavo die suis contigit parentibus, ad ejus tumulum lamentantibus. In festo B. Pauli cantantur quidam versus cum antiphonis, quemadmodum etiam fit in festo B. Laurentii et B. Stephani. Paulus enim plus omnibus laboravit in concionando et prædicando. Laurentius gravius cæteris passus est, et Stephanus pro fide Christi primus martyr exstitit. Idem etiam fieri oportet de B. Maria, quod privilegiata sit in virginitate, quia Virgo virginum et fuit et dicta est.

CAPUT LXXVI.

De Dominica post octavas Epiphaniæ.

Dominica post octavas Epiphaniæ canitur : *Omnis terra adoret te* (*Psal.* LXV). Quare autem hoc fiat, rationem tradunt hujusmodi : Cum enim Augustus universo orbi imperaret ad gloriam Romani imperii, hujusmodi edictum proposuit et promulgavit ut quoque anno e singulis mundi civitatibus Romam aliquis veniret, tantum terræ secum afferens quantum complexu pugni comprehendere posset. Quod quidem ideo factum est, ut per hoc certo atque evidenter constaret omnes subjectos esse Romano imperio. Sed postea cum ex illa terra factus esset quasi monticulus quidam, in hoc a Romanis ad fidem conversis, Ecclesia in honorem Dei fundata est illa Dominica. Ad cujus dedicationem Christiani ex diversis regionibus convenerunt. Quia ergo ex omni terra factus est monticulus ille in quo hujusmodi Ecclesia sit collata, ideo in dedicationibus illius diei cantatur officium, *Omnis terra adoret te*, etc.

CAPUT LXXVII.

De Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, et Quadragesima.

Postquam dictum sit de illo tempore, quod est inter Natalem Domini et Septuagesimam interjectum, ordo postulat ut deinceps de ipsa Septuagesima et ejus gratia, de Sexagesima, Quinquagesima et Quadragesima dicamus, idque hoc potissimum ordine : Primo quid significent, secundo ubi incipiant et ubi finiantur, tertio de earum institutione et quarto de officiis. Septuagesima igitur repræsentat tempus deviationis, sive pœnæ et culpæ. Unde statim ipsa prima Dominica incipit legi historia libri Geneseos, et legitur usque ad Dominicam, quæ præcedit eam Dominicam, quæ in Ramis palmarum appellata est, ubi agitur de deviatione et errore primorum parentum. Deponimus hic etiam *Alleluia*, in quo scien- A dum est illud nonnullos facere Sabbato, eo quod præcedit ad horam sextam, nonnullos ad nonam, nonnullos ad vesperas, nonnullos etiam nocte ad nocturnos, nonnullos denique ipso die Dominico ad primam; quæ quidem varietas nata est ex varia dierum inchoatione. Sunt enim quædam nationes, quæ diem auspicantur a meridie, eumque finiunt meridie diei sequentis; alii vero ad nonam, et terminant in sequentem nonam; alii rursus a vesperis, et eum deducunt in alias vesperas, qui rectius faciunt; alii denique inchoant a media nocte, et sequenti nocte media eumdem finiunt, quod etiamnum observatur, secundum decreta Romanorum. Si enim quis alteri pactum fecerit ad certum diem, non videtur pactum fregisse ante mediam noctem sequentem, si B ei tum satisfecerit. Sunt nonnullæ Ecclesiæ, quæ cum magno tripudio deponunt *Alleluia*. Inchoatur autem Septuagesima a Dominica qua cantatur *Circumdederunt me* (*Psal.* XVII), et finitur Sabbato in Albis, quod est post Pascha.

Et, ut nos simul de omnibus expediamus, Sexagesima incipit sequenti die Dominica post *Circumderunt me*, et terminatur in quarta feria post Pascha. Quinquagesima quoque inchoatur tertia Dominica post *Circumdederunt me*, et ipso Paschate finitur. Quadragesimam vero auspicamur Dominica qua canitur in Ecclesia : *Invocavit me*, atque eamdem finimus in Cœna Domini. Septuagesima autem dicitur, quod septies decem habeat dies. Verum enimvero hæc Septuagesima dierum, quam præsens observat Ecclesia, indicat nobis septuaginta illos annos quibus Israel fuit in servitute Babylonica. Nam quemadmodum illi deposuerunt sua organa, dicentes : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*Psal.* CXXXVI)? ita et nos quoque deponimus cantica laudis. At vero postea sibi data a Cyro sexagesimo anno redeundi facultate, cœperunt lætari, quemadmodum et nos in Sabbato Paschæ resumimus et cantamus *Alleluia*, eorum innuendo lætitiam, quam ipsi habuerunt ob redeundi licentiam sibi præstitam. Sed quemadmodum illi in apparatu reditus, suas colligendo sarcinulas multum laboraverunt, sic nos quoque post *Alleluia* hujusmodi statim tractum subjungimus : *Laudate Dominum*, D quo laborem significamus. Illi rursus quemadmodum cum lætitia redeuntes, itineris tamen labore vexabantur, ita nos per totam paschalem septimanam graduale cum *Alleluia* cantamus. Per graduale enim laborem exprimimus, per *Alleluia* lætitiam. Præterea ut illi patriam ingredientes plenam acceperunt lætitiam, sic nos Sabbato quo Septuagesima terminatur, Domino canimus *Alleluia*. Et profecto tam nostra dierum Septuagesima, quam illorum Septuagesima annorum quasi quædam historia est, qua totum humani generis exsilium ab Adamo usque ad finem mundi quodammodo figuratur, quod revolutione septem dierum peragitur, et sub septem annorum millibus concluditur, ut per septuaginta dies vel septuaginta annos intelligamus septuaginta an-

norum centenas. Ab initio enim usque ad Ascensionem septem millia annorum computamus. Exinde vero quidquid temporis sequitur usque ad finem mundi sub septeno millenario comprehendimus, cujus terminum solus Deus novit. Quemadmodum ergo filii Israel septuagesimo anno per Cyrum a captivitate Babylonica fuerint liberati, sic nos per Christum in septima mundi ætate vel in septimo millenario a servitute diaboli sumus redempti, restituta nobis innocentiæ stola per remissionem baptismi. Atque hinc est quod in Sabbato Paschæ unum *Alleluia* cantamus jam spe æternæ quietis et recuperationem patriæ gratulantes. Israel laborabat in apparando reditum, et in redeundo : nos quoque in Ecclesia præsenti pro satisfactione decem præceptorum legis laborare debemus. Sed cum finito tempore nostri exsilii ventum erit ad patriam, tum utraque stola decorabimur, cum videlicet corpus et anima simul glorificabuntur, quod significatur per duo *Alleluia*, quæ sub finem Septuagesimæ decantantur. Obiter ergo nota quod Septuagesima incipit a mœrore, et finitur cum gaudio, sicut psalmi pœnitentiales, ut vocant. Septuagesima vero sonat *sexies decem*, et significat tempus viduitatis Ecclesiæ, ac mœrorem ejus propter absentiam Sponsi. Licet enim Christus sit nobis præsens secundum divinitatem, juxta illud : *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII), tamen secundum quod est homo, in cœlo est, et sedet ad dexteram Patris, id est Patri est coæqualis. Unde ipse ait : *Nondum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joann.* XX), hoc est, nondum sum ei coæqualis, ut vos opinamini. Dantur hic tamen sponsæ in remedium et consolationem sex opera misericordiæ, quæ sunt, pascere esurientem, potum dare sitienti, visitare infirmum, vestire nudum, hospitio pauperem excipere, et peregrinum : quibus septimum ex Tobia additur, nimirum mortuos sepelire (*Tob.* I). Hæc sunt data sponsæ, ut in eis se exerceat, utque per eorum et Decalogi observationem sibi mereatur sui sponsi januam aperiri, et illius suavissimo amplexu frui. Sic Quinquagesima dicta est quasi *quinquies decem*, significatque tempus remissionis, quemadmodum in lege veteri annus quinquagesimus dicebatur annus remissionis. Unde hoc tempore maxime cantatur psalmus quinquagesimus, scilicet : *Miserere mei, Deus*, qui est pœnitentiæ et remissionis. Hoc igitur tempore jejunamus, ut peccatorum remissionem obtineamus. Postremo Quadragesima commendatur potissimum a loco institutionis, ut dictum est, a tribus temporibus, et a personis quæ in illis jejunarunt. Ab institutione, quoniam in paradiso fuit instituta, quando Deus Adamo prohibuit ne comederet de fructu ligni scientiæ boni et mali ; a temporibus vero et a personis, quoniam in tempore ante legem a Mose fuit jejunatum, in tempore legis ab Elia, in tempore gratiæ a Christo.

CAPUT LXXVIII.

De institutione prædictorum.

Viso quid prædicta significent, de eorum institutionibus subsequenter agamus, et primo de Quadragesima. In primis ergo videndum est quare vocetur Quadragesima, cum potius dici deberet decima, quod sit dierum decima. Verum hoc ita factum est ex consuetudine ethnicorum sive gentilium. Quemadmodum enim Hebræi ex omnibus suis bonis decimam partem dabant, ita gentiles quadragesimam, et tales reditus vocabant quadragesimam, vel decimam. Juxta similitudinem igitur regii fisci vel telonei, aut Romanæ exactionis dierum decimam, quam Deo persolvimus, quadragesimam appellamus. Tametsi quidem non habeat nisi triginta et sex dies de decima, et incipiat quadragesima, ut dictum est, Dominica qua cantatur *Invocavit me*. Sed quia Christus jejunavit quadraginta diebus, et nos debemus esse illius imitatores, additi sunt quatuor dies, ut similiter quadraginta dies jejunemus. Atque etiam ideo quadraginta dies jejunamus, ut diebus illis quadraginta a Pascha usque ad Ascensionem quos in lætitia acturi sumus, non excedamus, quin Christum caput nostrum ad cœlos consequi valeamus. Similiter sentiendum est de Quinquagesima. Cum enim clerici considerabant se præcedere populum ordine, rati sunt æquum esse, ut et sanctitate præirent. Quare duos dies addiderunt et, a die Dominica ante *Invocavit me*, incipiunt jejunare. Atque ita instituta est Quinquagesima. Vel ideo etiam quinquaginta dies in pœnitentiam ducimus, ut peractis quinquaginta diebus lætitiæ post Pascha, ipso die Pentecostes digni habeamur qui Spiritus sancti gratiam suscipiamus. Verum Septuagesimæ institutio hujusmodi sumpsit initium : Melchiades papa et S. Sylvester statuerunt ut bis quoque Sabbato comederetur, ne propter abstinentiam et afflictionem carnis quam sustinuerant sexta feria, quæ omni tempore jejunabatur, et adhuc debet ab omnibus jejunari, natura debilitaretur. In redemptionem ergo Sabbatorum illius temporis, addiderunt unam septimanam, et sic instituta est Sexagesima, quæ tantum protenditur usque ad quartam feriam post Pascha. Sic quoque aliam habet originem Septuagesima. Nam cum propter venerationem diei Ascensionis, in qua natura nostra cœlos ascendit exaltata vel ultra choros angelorum, statutum est a sanctis Patribus, ut quinta feria semper celebris haberetur. Sed cum nos eadem die nostra melius procuramus, factum est ut illam diem secundum antiquam consuetudinem solemniter non observemus. Pro illis ergo rursus unam septimanam Sexagesimæ addiderunt, incipientes jejunare a *Circumdederunt me*. Atque ita instituta est Septuagesima, quæ, ut dictum est, usque ad Sabbatum post Pascha protenditur.

CAPUT LXXIX.

De officio istorum temporum.

His ita breviter consideratis, videndum est de

officiis istorum temporum generaliter. Sciendum igitur est quod quædam hoc tempore omnino intermittuntur, quædam variantur, et quædam pro aliis mutantur. Intermittuntur tria cantica laudis, scilicet, *Alleluia*, *Gloria in excelsis*, et *Te Deum laudamus*, excepto tamen quod in Cathedra beati Petri canimus : *Te Deum laudamus*, cum hymnus ille intronizandorum proprius sit, et ideo eum cantemus. Quemadmodum in die Cœnæ (quod etiam excipitur) *Gloria in excelsis* dicimus, et *Ite, missa est*, atque in ipso Sabbato Paschæ similiter *Gloria in excelsis Deo*, sed non *Ite, missa est*, nec *Te Deum laudamus*. *Alleluia* a Septuagesima usque ad Pascha non proferimus, sed voces quasdam loco ejus usurpamus. In principiis enim precum horariarum, *Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ ;* et in antiphonis, ac responsoriis pro *Alleluia* dicimus, *In æternum*. In missa loco *Alleluia* cum suo versiculo, canimus tractum, ut nos dicimus. Quanquam vero vox hæc : *Laus tibi, Domine*, etc., videtur æquipollere voci huic *Alleluia*, magnum tamen inter utramque statuitur discrimen, quod vox hæc *Alleluia* angelica sit, illa humana ; atque hæc majorem habeat auctoritatem propter Hebraici sermonis dignitatem, illa vero minorem, ob Latinæ linguæ inopiam et paupertatem. Atque in his quidem generatim observandum illud est quod duo hæc *Flectamus genua ;* et, *Inclinate capita*, sese mutuo comitentur ; neutrumque dici debeat die Dominica.

CAPUT LXXX.

De variatione officiorum.

Variantur vero officia ut cum iste psalmus : *Dominus regnavit* (*Psal.* XCII), qui est psalmus lætitiæ, ac cani consuetus est primus in laudibus, hoc tempore non cantatur, sed loco ejus : *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L), qui psalmus est pœnitentialis. Cantatur tamen diebus Dominicis ad primam, ut per hoc significetur nihil debere in psalterio prætermitti, quin totum per septimanam saltem legatur, quod antiqui uno die facere solebant. Ad primam quoque propter eamdem causam canitur : *Confitemini Domino* (*Psal.* CXXXV), quo innuitur pueros debere instrui, ut in Ramis palmarum sciant Domino laudes decantare, quoniam hic psalmus ad illum præcipue diem pertinet, idque potissimum ob hunc versiculum : *O Domine, salvum me fac*, etc. (*ibid.*). Hoc tempore splendidas et ornatas vestes debemus omnes deponere, atque assumere vestes humilitatis. Tempore quoque Quadragesimæ carnes deponi debent et intermitti, tam solidæ quam liquidæ. Sunt autem duo genera carnis liquidæ : alia enim est artificio liquida, ut eliquata per frixuram nempe sagina, alia vero naturaliter, ut sunt casei et ova. Ait enim Hieronymus contra Jovinianum : Ovum et caseus nihil aliud est, quam caro liquida. Sed quæritur cur hoc tempore pisces comedere liceat, ac non itidem carnes ? cur non in quovis jejunio perinde pisces, atque carnes nobis omnibusque religiosis sint interdicti ? Atque ratio quidem hæc esse poterit, quia Deus aquis non maledixit. Sciebat enim per aquas baptismatis ablutionem fore peccatorum, ita ut elementum hoc merito sit præstantissimum, quod facile est animadvertere, quod abluat sordes, ac Spiritus Domini ante mundi constitutionem ferri solitus sit super aquas, quemadmodum nobis Scriptura recenset (*Gen.* I). Sed terræ maledixit Deus in opere hominis : inde est quod omne genus carnis, quod in terra versatur, tam quadrupedia quam aves in jejuniis comedere non liceat. Quanquam enim aves quædam versantur in aere, quædam in aquis, quæ vel in his, vel extra eas nascantur, magis tamen dicuntur morari in terra, et ad naturam terræ pertinere. Unde mehercle cum quidam pisces sint, qui ex una parte habeant formam piscis, et ex alia formam animalis quadrupedis, ut porcus piscis, canis piscis, lupus piscis, qua parte piscis videtur posse in jejuniis comedi, qua vero non, haud quaquam.

CAPUT LXXXI.

De festis quæ sunt in principio Septuagesimæ, et primo de Purificatione B. Mariæ.

Nunc dicendum est de duobus festis, quæ in principio Septuagesimæ quandoque contingunt celebrari, de festo videlicet B. Mariæ et S. Blasii. Festum autem B. Mariæ tribus nuncupatur nominibus. Dicitur enim vel Purificatio B. Mariæ, vel Candelaria, vel ὑπαντὴ Domini. Purificatio B. Mariæ appellatur, quoniam illo die, qui est quadragesimus a Natali Domini, venit ad templum virgo Maria secundum consuetudinem legis, ut purificaretur. Non quod immunda esset, sed propter partum, more aliarum mulierum. Non enim erat obnoxia legi, quæ hoc pacto præcipit : *Mulier, si susceptio semine masculum pepererit, ab ingressu templi immunda erit diebus triginta tribus* (*Levit.* XII), a consortio hominum septem. Beata autem virgo Maria non pepererat ex suscepto semine, juxta illud, non ex viri semine, etc., voluit tamen legis consuetudinem observare, quoniam non venit Christus legem solvere, sed adimplere (*Matth.* V). Quare autem Candelaria vocetur aliam auctoritatem non habet, sed potius fluxum est ab antiqua consuetudine ethnicorum sive gentilium. Erat enim antiquitus Romæ consuetudo, ut circa hoc tempus in principio Februarii urbem lustrarent, eam ambiendo cum suis processionibus gestantes singuli candelas ardentes, et vocabatur illud amburbale. Atque ita ab hujusmodi consuetudine illud quod fiebat ab ethnicis in usus indiscretos circiter initium Februarii, a Christianis modo fit in festo beatæ Mariæ ad laudem et venerationem ipsius. Vel ideo candelas portamus, ut per hoc imitemur sanctas virgines, quarum beata Virgo Maria caput est, ut nimirum accensa nobis lampade castitatis, cum ea templum gloriæ ad verum sponsum ingredi mereamur. Vel etiam appellata est Candelaria, propter multitudinem candelarum, et significationem quæ in eis est. In candela enim est cera, ignis et liguum. Cera

connotat carnem Christi et virginitatem; ignis, Spiritum sanctum; lignum, deitatem in carne latentem. Ὑπαντὴ Domini ideo dicitur hoc festum, quod Simeon atque Anna prophetissa Christo venerint obviam, cum a suis parentibus afferretur in templum ut præsentaretur. Ὑπαντὴ enim oblatio sive præsentatio dicta est.

CAPUT LXXXII.

De festo sancti Blasii.

Alterum hujus temporis festum est Blasii. Fuit autem hic sanctissimus medicus, qui multo tempore in rupe quadam latitans hominibus ad se venientibus medebatur, atque eos sanabat. Simili ratione, si quæ sua animalia ad eum ducebant ægrota, ea illico curabat. Tandem cum factus esset episcopus urbis Sebastæ, captus fuit et in carcerem inclusus, in quem pia quædam mulier cibum ei multo tempore cum candela attulit. Cum autem ille mortis suæ diem jam imminere præsciret, dixit huic mulieri ut, quandiu viveret, singulis annis ipso die obitus sui candelam in ejus memoriam offerret, Deus ab infirmitatibus eam tutaretur, atque in magna prosperitate conservaret. Quod quidem ita factum est. Multi ergo similiter ita fecerunt si forte infirmarentur, et valetudinem receperunt. Inde apud omnes passim in consuetudinem abiit ut si forte ex dentibus laborat, vel ex aliqua alia sui parte, vel etiam si sua ægrotarent animalia, offerrent in ejus honorem candelas.

CAPUT LXXXIII.

De Cathedra sancti Petri.

Hoc item tempore celebrari solet Cathedra S. Petri, tam quæ Romæ fuit, quæque tempore posterior est quam illa quæ fuit Antiochiæ. (6) Verum illa quæ fuit Antiochiæ, solemnior profecto est alia, ut vel hujus diei collecta quæ est de incathedratione Antiochiæ facta, abunde testatur, diciturque festum B. Petri epularum. Fuit enim consuetudo veterum ethnicorum ut singulis annis mense Februarii certo quopiam die epulas ad parentum suorum tumulos apponerent, quas nocte dæmones consumebant, cum inde non minus falso quam ridicule animæ refici credebantur. Putabant enim hujusmodi epulas ab animabus circa tumulos errantibus absumi. Hæc autem consuetudo atque hujusmodi falsæ opinionis error a Christianis vix exstirpari potuit. Quod quidem cum viri sancti animadvertissent, ac penitus illam consuetudinem exstinguere voluissent, instituerunt festum de Cathedra S. Petri, tam de illa quæ fuit Romæ quam quæ Antiochiæ, idque illo eodem die quo abominanda illa ab ethnicis fiebant, ut solemni hoc festo parvæ istius consuetudinis festum omnino exstingueretur. Unde etiam ab illis epulis festum hoc appellatum est beati Petri epularum. Atque hic obiter intelligamus veteres dicere solitos fuisse animas esse, quando etiamnum in humanis corporibus essent institutæ; manes appellari, si quando forent apud inferos; spiritus vero cum ad cœlos ascendissent, atque umbras, quando adhuc recens erat sepultura, sive quando circa tumulos errabant

CAPUT LXXXIV.

De festis generaliter quæ tempore fiunt Septuagesimæ.

Ut autem de omnibus magnis solemnitatibus, quæ infra Septuagesimam celebrantur, sive ipso passionis tempore, sive ante, nos simul expediamus, ut sunt tria illa festa prædicta beatæ Agathæ, S. Matthiæ, Annuntiationis Domini, S. Gregorii, et si forte contingat festum ipsius patroni Ecclesiæ vel ejus anniversarium vel Pascha alicujus annotinum, dicimus generaliter quod cantica laudis, scilicet *Te Deum laudamus*, *Gloria in excelsis*, et *Ite, missa est*, et alia, quæ si aliis temporibus contingerent, cantarentur, in iis cani debent, præter *Alleluia*. Nam hujusmodi festa ad paschale tempus generatim videntur pertinere. Si vero hic objiciatur quod in Annuntiatione Domini, *Gloria in excelsis*, quod canticum est proprium Natalis Domini, et *Ite, missa est*, quod proprium est resurrectionis, et *Te Deum laudamus*, quod gaudium drachmæ inventæ designat, cantari non debeant, quoniam hæc in Annuntiatione Domini illa tempora non habebant, dicimus breviter quod, etiam si Natalis Domini, vel passio, vel drachmæ inventio, necdum revera erant, tamen jam certo fore sperabantur. Nam hoc festum est quasi fons et initium festorum Christi. Vocatur autem Pascha annotinum, quando aliquis diem, quo baptisma suscepit, annuatim celebrat, atque eorum ipsius diei Paschæ officium integre cantari debet, præter *Alleluia*, si accidat tempore Quadragesimæ. Sed certus interim sis Ecclesiam Lugdunensem et Mediolanensem ubi Ambrosius archipræsulatum obtinuit, tempore passionis nullam celebrare solemnitatem, verum duntaxat facere commemorationem.

CAPUT LXXXV.

De officio Quadragesimæ ac littera laicorum.

Quoniam de officio Quadragesimæ hucusque generaliter tractatum est, nunc deinceps de ejusdem officio pro tempore agendum est. A Dominica igitur, quam dicimus, *Isti sunt dies*, usque ad Pascha, versiculus ille, videlicet *Gloria Patri*, qui ad laudem pertinet Trinitatis, in officiis plane subticetur, quoniam ab illa Dominica incipit passio Christi celebrari, in qua tota Trinitas a Judæis quasi dehonestata videtur. Qua etiam ratione fit, ut in cantico trium puerorum, scilicet *Benedicite*, versiculus ille nunquam cantetur, quia tunc Deo magna facta est dehonestatio, quando tres pueri, qui ipsum maxime colebant, idola plurimum exsecrantes, conjecti sunt in caminum ignis. Maxime vero idem iste versiculus triduo illo ante Pascha subticetur, quod tum demum Trinitas maximo affecta sit dedecore. Nam

(6) Hæc omnia Durandus in suum transtulit Rationale, ut vel ipse fatetur.

præterquam quod in primis de nece Christi hic agitur, nunc verberatur, nunc fœde conspuitur, alapis cæditur, nunc etiam crucifigitur. Unde Isaias : *Vidimus*, inquit, *eum non habentem speciem neque decorem* (*Isa.* LIII). Horarum quoque initia, et lectionum tituli tunc plane supprimuntur, nempe *Deus, in adjutorium*, et *Lectio libri*, etc., quia Christus caput nostrum a nobis sustollitur juxta præsentiam carnis. Ad lectiones non petuntur benedictiones, neque dantur, quoniam pastor Christus, qui gregi suo benedicat, jam non adest. Vel ideo benedictio non petitur, nec *Tu autem*, *Domine*, dicitur, quod apostoli his diebus nec ad prædicandum missi sint, nec inde redierint. Ut ergo hoc significemus, nec *Jube, Domine*, dicimus, nec *tu autem*. Illud quoque considerandum est quod in Quadragesima duæ recitentur præfationes, una jejunii et altera passionis. Ea quæ est jejunii a primo jejunio cantatur usque ad Dominicam in Ramis palmarum. Illa vero quæ est passionis, ab eo die cani incipit usque ad Pascha. Sed absurde fortasse alicui factum videbitur, quod Dominica die istiusmodi cantetur præfatio, cum non sit dies jejunii. Verum dici potest, quod etiamsi illo die non jejunetur numero, qualitate tamen, hoc est cibo carnali jejunatur, quemadmodum etiam diebus aliis.

Sed quoniam ea quæ a nobis dicta sunt, ad clericos maxime pertinere videntur, nunc pauca dicenda sunt de laicorum scriptura, quæ in duobus potissimum consistit, nempe in picturis et ornamentis. Nam ut ait Greg., quod clerico littera, id laico est pictura ; picturarum igitur aliæ sunt supra ecclesiam, ut gallus vel aquilæ ; alia extra ecclesiam, ut in fronte forium bos et leo ; aliæ intra ecclesiam, ut sunt icones, statuæ, figuræ, et diversa alia picturarum genera, quæ in vestibus, vel in parietibus, vel etiam in vitris depinguntur. Verum de his omnibus postea suo loco dicetur, hoc uno tamen modo observato, ut sciamus Salvatoris nostri imaginem tribus hisce modis aptius et convenientius in ecclesia depingi, ut videlicet, aut in throno sedet, aut in crucis patibulo pendeat, aut etiam in matris suæ gremio conquiescat. Ornamenta vero in tribus consistunt, in ornamento videlicet ecclesiæ, chori et altaris ; et ornatus quidem ecclesiæ consistit in cortinis, aulæis, pallis, sericis, purpureis et consimilibus. Ornatus vero chori, in dorsalibus, ut vocant tapetis et sustratoriis. Ornatus denique altaris, versatur in velamentis, crucibus, capsis, textibus et philacteriis. Et etiam ornatus personarum, quæ vel cantant in choro, vel altari inserviunt. Sed de his et similibus dicimus omnia illa quæ ad ornatum pertinent tempore Quadragesimæ debere abscondi, vel removeri, vel etiam contegi. Nec crux quoque illo tempore nisi cooperta in ecclesia portari debet. Duo tamen vela retinentur, quorum alterum ponitur per chori circuitum, alterum suspenditur inter altare et chorum, ut non appareant quæ sunt intra sancta sanctorum. Quo quidem significatur mentibus infidelium divinarum Scripturarum intelligentiam nondum esse apertam. Hæc duo vela diebus Dominicis complicantur, quod hi dies ad tempus Paschatis pertineant. Sic quoque ad primas tenebras, quartæ videlicet feriæ ante Pascha, ubi de morte Domini agitur, omnino renoventur, quoniam eo mortuo velum templi scissum est, ita ut tunc quæ intra sancta sanctorum delituerant, primo omnibus fuerint manifesta.

CAPUT LXXXVI.

Quomodo sit pulsandum in Quadragesima.

Nunc quemadmodum in ecclesia pulsandum sit, paucis etiam exponamus. Quod ut melius pateat, primo sciendum est sex esse instrumentorum genera, quibus pulsatur : tintinnabulum, cymbalum, nola, nolula, campana, et signa. Tintinnabulum pulsatur in triclinio et in refectorio ; cymbalum in choro, nola in monasterio, nolula in horologio, campana in turribus, cujus diminutivum Hieronymus ad Eustochium in cœnobium esse ait : « Quousque campanula in claustro pulsabitur. » Signa autem pro quibus pulsandis instrumentis accipi possunt, ut quibus quidpiam significetur. Generaliter ergo cognoscendum est, quod non debeamus in tota Quadragesima diebus profestis compulsare, nec depulsare (liceat enim hic vulgaribus et consuetis uti vocabulis), sed simpulsare, id est, simpliciter pulsare ad horas vel matutinas. Atque in bene constitutis ecclesiis ad primam pulsatur duabus campanis, una ad invocandum, altera ad inchoandum. In tertia autem pulsatur tribus juxta horarum numerum, quæ sub illa cantantur, una ad mutandum, altera ad congregandum, tertia ad inchoandum. Pari modo fit in sexta et nona, sed et eodem ordine eædem campanæ pulsantur simpliciter ad matutinas. Ad missam vero et ad vesperas duabus pulsatur campanis. In minoribus autem ecclesiis solummodo pulsandum est simpliciter. Diebus vero Dominicis et in solemnitatibus, prout in aliis temporibus compulsatur. Sed de his in sequentibus latius dicturi sumus.

CAPUT LXXXVII.

Quare non jejunemus eo tempore quo Christus jejunavit.

Solet autem quæri cum in hac Quadragesima Christi jejunium imitemur, cur non eo tempore etiam jejunamus, quo Christus dicitur jejunasse. Tradit enim Scriptura quod jejunare statim cœperit simul atque esset baptizatus. Verum quadruplex est ratio, quamobrem Paschæ jejunium nostrum continuamus. Prima est, ut si volumus cum eo resurgere, debeamus etiam nos pati cum eo, quod pro nobis ipse passus sit. Secunda causa est, ut per hoc Israeliticos filios imitemur, qui eo tempore primo ex Ægypto egressi sunt, et postea eodem tempore exierunt a servitute Babylonica. Quod inde profecto facile probatur, quia tam illi, quam hi statim celebrarant Pascha, atque egressi sunt. Tertia

est hujusmodi, quod quandoquidem fervor libidinis, tempore veris nos magis soleat incendere, tum temporis maxime jejunamus, ut corporis æstus refrenemus. Quarta est, quoniam post jejunium statim debemus Christi corpus accipere, ut mystice paschalia capiamus sacramenta. Hoc est quemadmodum filii Israel priusquam comederent agnum sese affligebant, et agrestibus lactucis vescebantur. Ita debemus nosmet prius per pœnitentiam affligere, ut digni habeamur comedere Agnum vitæ. Animadverte interim quod si in quadragesima concurrant duo officia, quos dies duplices vocamus, necessarium esse ut cantetur officium ad tertiam de festo : absque genuflexione, officium veri jejunii ad nonam, non sine curvatione genu.

CAPUT LXXXVIII.

De diebus privilegiatis.

Post hæc vero tradendum est qui dies sint velut privilegiati, qui hoc potissimum tempore comprehenduntur. Sunt enim privilegiati dies quatuor quartæ feriæ, quatuor Sabbata, tres dies Dominici, una quinta feria, unaque sexta feria, atque una integra septimana. Quartæ feriæ sunt hæ : Prima est qua nos incipimus jejunare in Quadragesima; secunda septimana, sequenti; tertia, in hebdomada post *Lætare Jerusalem;* quarta, in ultima septimana. Quatuor vero Sabbata hæc sunt : Sabbatum primæ septimanæ, quando celebrantur ordines; Sabbatum quartæ, Sabbatum quintæ et Sabbatum in vigilia Paschæ. Sic Dominicæ dies sunt hæ tres ; *Invocavit me; Lætare, Jerusalem*, et Dominica in Ramis palmarum. Sed quinta feria est in Parasceve. Septimo denique privilegiata est ultima septimana Quadragesimæ, quæ vel ob id major dicitur quod majus et prolixius habeat officium. Vel appellatur quoque pœnosa, quia tum maxime corpora et vitia nostra punire debemus. De privilegiis ergo istorum dierum ordine prosequamur.

CAPUT LXXXIX.

De prima quarta feria.

Prima quarta feria quatuor insignitur privilegiis. Primum est quod tunc incipiamus jejunare, idque ideo facimus, quia Christus quarta feria, ut legitur, suum auspicatus est jejunium, quod diligenter perscrutanti verum esse satis aperte constabit. Natus enim est die Dominico, ita ut si quis diligenter exinde computet annos usque ad trigesimum, juxta rationes computi, facile inveniet eum tertia feria fuisse baptizatum, ac sequenti die desertum intrans jejunium inchoasse. Secundum privilegium ejusdem diei est quod confessiones illo die in ecclesia audiantur, et judicia confitentibus imponantur; tertium autem, quia tunc cineres in signum humilitatis capitibus imprimuntur; quartum denique est quod illa die ejusmodi fit processio, qualem per universum annum amplius fieri non contingit. Pœnitentes enim tunc ab ecclesia cum processione et A cruce ejiciuntur, ut ipso die Cœnæ in eamdem recipiantur. Nam tunc pœnitentes ab ecclesia ideo ejiciuntur et repelluntur, quo Adami et Evæ exsulatus propter esum pomi repræsentetur.

CAPUT XC.

De secunda quarta feria et tertia.

Quarta feria sequens ob id privilegiata est quod tum ii qui Sabbato sequenti ordinandi sint, ex sacris litteris interrogentur atque examinentur, probenturque num idonei etiam satis sint ad suscipiendos ordines. Inde profecto est quod duæ lectiones ad missam leguntur, una voce naturali vel nocturnali, hoc est gravi ac pressa, altera vero communi. Prior Vetus Testamentum significat, posterior Novum, ut per hoc declaretur eos qui suscepturi sunt B ordines, utriusque Testamenti peritos esse debere. Atque illud quidem tanquam generalem regulam habemus, quotiescunque quarta feria duæ lectiones ad missam leguntur, sequenti Sabbato possint ordines celebrari. Cæterum tertia quarta feria in eo habet privilegium, quod illo die in ecclesia instructio et examen fiat eorum qui in Sabbato ante Pascha sint baptizandi. Fit autem instructio illa in hunc modum : Qui baptizari volunt conveniunt ad portas ecclesiæ, feminæ a sinistris, mares a dextris; atque a diacono, vel sacerdote interrogantur an velint baptizari ; aut idem percontatur a susceptoribus. Exorcista tamen debet prius interrogare num etiam abrenuntient Satanæ, et omnibus ejus pompis, ita ut puer, si sit adultus, respondeat se abC renuntiare ; si non adultus, pro eo susceptor. Verum nullus in susceptorem admitti debet, nisi Orationem sciat Dominicam, et minus symbolum calleat, quod tenetur suos docere filios. Nec vero Christianus censeri debet, nec ad testimonium aliquod admitti secundum decreta qui horum ignarus est. Quare omnino necesse est ut illud ex susceptoribus sacerdos inquirat. Alioqui enim si nesciant, recipi non debent, nisi forte promittant, quod quam fieri potest citissime illa addiscent (7). Tunc demum acolythus scribit eorum nomina, qui volunt baptizari : unde etiam hic notarius est appellatus, quod baptizandorum scribat nomina. Postquam igitur a sacerdote satis in fide sint instructi, atque exorciD stæ super eos fecerint adjurationes, ab ostiario in ecclesiam introducuntur, et in navi ecclesiæ constituuntur, masculi quidem a dextris, feminæ vero a sinistris. Duo tamen intra sancta sanctorum deducuntur, masculus videlicet et femina, quo significatur aliquos ex baptizandis fore salvos. Atque tum denique leguntur Oratio Dominica, et minus symbolum, Græce et Latine, propter earum linguarum dignitatem. Sunt enim cæteris digniores : Græca utique propter sapientiam, Latina autem propter potentiam Romanorum. Postea vero quatuor recitantur lectiones et quatuor Evangeliorum initia, tandemque inchoatur missa, cujus cantato offerto-

(7) 2, q. 7, *Non potest*, et seq.

rio, archidiaconus vel diaconus pulpitum ascendit, et clamat alta voce : *Si quis*, inquiens, *est hic cathechumenus, exeat foras.* Isti enim connotant, ut supra expositum est illos de quibus dictum est : *Jesus autem non credebat se illis. Ipse enim sciebat quidquid esset in homine* (*Joan.* II). Atque ita tum omnes catechumeni exeunt foras, quod septies eodem modo de illis agitur, antequàm baptizentur.

CAPUT XCI.

De quarta feria.

Illa autem quarta feria, quæ est post Dominicam, *Lætare, Jerusalem*, in eo est privilegiata, quod tunc divæ legantur lectiones, quoniam Sabbato sequenti celebrantur ordines. Sic quarta feria ultimæ septimanæ, nimirum ea quæ est ante Cœnam, privilegium obtinet, quia duæ item lectiones tunc leguntur, idque ob eam causam quod illo die Christus triginta denariis fuerat divenditus, quemadmodum Joseph triginta argenteis. Non enim servus major Domino est, nec discipulus suo magistro (*Matth.* X). Ab hac ergo quarta feria sumptum est quod omni quarta feria jejunare et abstinere a carnalibus semper debeamus. Ex quo quidem fit ut post sextam feriam hic dies pœnitentibus in abstinentiam semper injungatur.

CAPUT XCII.

De Sabbatis privilegiatis.

Sabbatum primæ septimanæ et quartæ, ideo gaudent privilegio, quod in iis celebrentur ordines, Verum hic scias in omnibus festis apostolorum et Dominicis diebus fieri posse ordines, videlicet minores; majores vero non utique, nisi in sex tantummodo Sabbatis. Et quidem in illorum primo plures leguntur lectiones, inter quas una est, quæ quandiu canatur, nullus sedere debet. Hæc nimirum est hymnus ille trium puerorum, qui pro fide Trinitatis ab eis jam in fornace constitutis cantabatur. Ad hunc ergo hymnum genua flectere non decet, quod isti sua flectere noluerunt coram Nabuchodonosoris statua, sicut multi fecerant principes alii. Similiter in Parasceve genua non flectimus ad orationem quæ fit pro Judæis, ob derisionem eorum, qui, dum Christum deridebant, inquiebant : *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit* (*Matth.* XXVI). In Sabbato ante *Lætare Jerusalem*, recitatur epistola Susannæ. Nam tum fit statio Rômæ in monasterio Beatæ Susannæ virginis. Atque ita etiam ob similitudinem quamdam Evangelium est de muliere deprehensa in adulterio, quam Dominus liberavit (*Joan.* VIII). Ecce quomodo concordant Evangelium et Epistola, ut conveniunt et multa alia. Sabbatum vero, quod est ante Ramos palmarum, hinc suum accipit privilegium, quod eo tempore Dominus papa eleemosynas largiatur, hoc est suum faciat mandatum, quod deberet facere ipso die Cœnæ. Sed quia tunc non posset propter prolixum ejus diei officium, ideo illud hoc Sabbato commode facit. Aut certe hinc maxime privilegium habere videtur, quoniam eo die Dominus in domo Simonis leprosi pransus est Martha ministrante, et quo Maria pedes ejus lacrymis suis lavit, ac propriis tersit capillis, unguentumque in capite ejus fudit (*Luc.* VII). Meminerimus tamen ex omnibus mandatis Dei hoc solum antonomastice dici mandatum quod Christus majori exhibitione illud observari atque obsequii præceperit, cum suis discipulis pedes lavaret, inquiens : *Si ego lavi vobis pedes Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes* (*Joan.* XIII). Et cum quadam interminatione, quæ Petro interminatur : *Si non*, inquit, *lavero tibi pedes, non habebis partem mecum* (*Ibid.*). Quare propter hujusmodi præceptum vacat Sabbatum illud ab officio. Hinc nata est illa auctoritas, quod si quis fuerit adeo negotiis intricatus atque oppressus, ut difficulter possit vacare orationi et eleemosynæ simul, saltem mutet cum oratione eleemosynam, et contra. Sabbatum denique ante Pascha inde privilegiatum est, quod tum celebrentur ordines, catechumeni baptizentur, et candela illa cerea paschalis consecretur. Verum eadem missa communis esse oportet diei et ordinibus, pluresque tum recitantur lectiones.

CAPUT XCIII.

De Dominicis diebus privilegiatis.

Sequitur de diebus Dominicis : et quidem prima Dominica Quadragesimæ in hoc est privilegiata, quoniam inde inchoatur ipsa Quadragesima, quæ repræsentat tempus illud, quo morati sint atque hæserint in deserto filii Israel. Sicut enim illi isthic morati sunt per quadraginta duas mansiones manna cibati, ita nos quoque ab hac Dominica usque ad Pascha per quadraginta duos dies a deliciis corporeis abstinentes verbo vitæ reficimur, et orationi vacamus; ut per Christum in terram viventium introducamur, quemadmodum illi introducti per Jesum Nave filium, sive per Josue in terram promissionis. Tria notanda sunt in populo Israelitico, scilicet peregrinatio, quæ fuit in Ægypto, quando Jacob et filii ejus profecti sunt in Ægyptum; captivitas quæ in Babylone contigit : atque horum duorum nos meminimus. Tertium fuit dispersio, et adhuc est per universum orbem. Cujus quidem nos mentionem non facimus, quia ab illa nunquam revocabuntur, quæ facta fuit Tito et Vespasiano. Unde dictum est : *Tradam eos in manu, de qua non poterunt surgere* (*Thren.* I). Dominica vero *Lætare Jerusalem*, quæ septima est a prima Dominica Septuagesimæ, ob id privilegio insignita est, quod libertatem nobis exprimat redeundi, quæ fuit concessa filiis Israel in Babylonia anno sexagesimo, quanquam plene obtinuerunt anno septuagesimo. Ex quo sane totum ejus diei officium de lætitia est, ut partim illorum exprimamus lætitiam, partim etiam nostram, quam finitis septem ætatibus, a mundi exsilio liberati habebimus, cum cœlestem paradisum, quæ vere patria nostra est, intrabimus.

CAPUT XCIV.

De Dominica in Ramis palmarum.

Dominica in Ramis palmarum ob triplicem rationem meruit privilegium. Primo quod eodem die filii Israel terram promissionis ingressi sint, et siccis pedibus Jordanem transierint. Sic enim contigit, quod eo anno tot fuerunt dies usque ad Pascham, quot sunt ab hac die Dominica. Secundo autem ideo, quoniam hoc die veniens Jesus a Bethania in Jerosolymam maximo honore exceptus sit, quo etiam die vendentes e templo potentissime ejecit, quod ejus diei privilegiis tertia est ratio. Hic dies tribus nuncupatur nominibus. Dicitur enim Dominica in Ramis palmarum, quod illo die rami palmarum in processionibus deportentur in significationem illorum, quos filii Israel statuerunt (in via Christo jam veniente. Vel quos etiam deferimus in figuram ramorum et florum virtutum, quos portare debemus, si quando ad Christum ibimus. Cum autem palmas non habemus, laurum vel buxum, quod perpetuo suo virore virtutes connotent, deportamus; vel flores etiam, qui simili ratione virtutem significant. Hoc ergo die magnam et insignem exhibemus processionem, ad designandum, quod Dominus veniet ad nos, et ducet nos ad æterna tabernacula. Post processionem oportet veniamus ante crucifixum, ac dicamus : *Benedictus :* nec ideo alia processio cessare debet, sed fieri ante tertiam. Obiter itaque hic considera uxorem Lot in salis effigiem fuisse mutatam et transformatam, quod retro respexisset, ut scilicet nos condiret atque instrueret, ne retro eamus. Nam, quemadmodum ait Scriptura, nullus qui ad aratrum manum adjecerit, retro debet respectare (*Luc.* IX).

CAPUT XCV.

De quinta feria.

Feria quinta, quæ Cœna Domini appellata est, quatuor insignitur privilegiis, quorum primum est pœnitentium jam in Ecclesiam redeuntium. Tunc enim Ecclesia ad se recipit pœnitentes, quos ante primo die jejuniorum ejecerat. Recipiuntur autem pœnitentes in Ecclesiam et separantur a malis pœnitentibus : quinta potissimum feria, quod Deus volucres fecerit quinta feria ex aquis. Qua ratione etiam fit, ut quod quasdam in aquam remiserit, significemus malos in carnalibus rebus sese oblectantes, et quod quasdam in aera sustulerit, intelligamus bonos atque eos, quos delectant cœlestia. Secundum privilegium est, quia novum Testamentum tum incœpit, et vetus fuit terminatum. Tertium autem privilegium hujus diei est olei consecratio. Verum enimvero tres sunt potissimum in Ecclesia Dei sacræ unctionis species, chrisma, oleum infirmorum, et oleum quo ungantur baptizati. Chrisma conficitur ex balsamo mundissimo atque oleo purissimo. Namque oleum claritate alios liquores facile superat et balsamum odore. Quod autem oleum alio liquore sit clarius, hoc pacto ostendi potest : Nauta quandoque mittit anchoram in mare, et si forte illa A lapidi affigatur, ita ut extrahi non possit, tunc nauta illuc descendit, habens os suum plenum oleo in eum usum, ut si fortassis non possit lapidem illum videre, cui anchora adhæret, ob turbulentam et tenebrosam aquam, effundit oleum. Quo facto tanta isthic nascitur claritas, redditurque aquarum perlucida propter oleum effusum, ut lapidem nauta facile videre queat. Chrisma initium traxit a Veteri Testamento, quando Dominus præcepit Mosi ut conficeret chrisma, quo ungeret tabernaculum in dedicatione, et arcam testamenti. Atque Aaron et sacerdotes illo similiter ungebantur, et reges. Moses tamen non legitur unctus fuisse, nisi unctione spirituali, quemadmodum et Christus. Voluit nihilominus Christus materiali nos inungi unctione, ut per B illam materialem consequamur spiritualem. Inungitur enim quilibet chrismate bis in vertice a communi sacerdote, et in fronte ab episcopo. Cæterum ideo bis, quia post resurrectionem duabus vicibus datus fuit Spiritus sanctus, tum etiam quando Christus insufflavit discipulis, inquiens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XXI), tum etiam quando missus est eis idem e cœlo in igneis videlicet linguis.

Cum igitur aliquis istiusmodi oleo sancto inungitur, necesse est ut illud fiat in scapulis, et in pectore potissimum. Ac in scapulis quidem ideo, ne laborem suum frustra expendat in vana, sed sit robustus ad legis onus fideliter portandum; in pectore vero, ut suscipiat intelligentiam mandatorum Dei. Proinde oleo, quod vocatur infirmorum, C inunguntur ægri atque infirmi. De qua sane unctione ait B. Jacobus in sua Epistola : *Si quis infirmatur inducat sacerdotes et orent super eum, et inungant eum oleo sancto, et alleviabitur ejus infirmitas*, si nimirum ei expediat et utile sit, *et remittentur ei peccata* (*Jac.* V), videlicet venialia, vel si non fuerit in mortali peccato. Potest tamen fieri hujusmodi inunctio per unum sacerdotem; sed hoc fieri non debet, si plures possint adesse. Quartum demum hujus diei privilegium est mandatum. Est autem differentia inter hoc mandatum et illud quod fit Sabbato præcedenti. Illud enim fit a prælatis, et Ecclesiæ magnatibus, repræsentatque illud, quod fecit Christus : hoc vero quilibet sacerdos facere D debet, idque hoc modo : Primo oportet ut reficiant pauperes, ac postea parum comedant, nec ultra tamen quam consuetum est. Deinde debent surgere a mensa, ac pauperum pedes lavare. Quo facto possunt sese ad mensam recipere, atque iterum comedere : quod jejunium non frangit, sed interrumpit. Non enim debet quispiam eo die bis comedere, ne jejunium frangatur, tam respectu unius horæ, quam totius septimanæ, quamvis tamen et in multis locis ita fiat. Est autem iste dies omni alia solemnitate solemnior, exceptis tamen solemnitatibus Trinitatis, usque adeo ut qui possint solemnes vestes induere, debeant non secus atque in aliis solemnitatibus. Quocirca etiam hoc die omnia lætitiæ cantica canuntur, quemadmodum in cæteris solemnitatibus,

præter *Alleluia*. Nec dicitur vero *Dona nobis pacem*, ob eam rem quod nocte sequenti osculo Judas Christum tradiderit. Atque hic animadverte tempus recreationis incœpisse ab illa hora quo Adamus e paradiso ejectus fuit, et adhuc est, duratque usque ad uniuscujusque obitum. Quo quidem patet majus esse recreare quam creare, ita ut hinc etiam dictum sit gravius esse ac majus ex impio facere pium quam creare cœlum et terram, ac majus fuisse paulum suscitare in mente quam Lazarum in corpore. Itemque et hoc animadvertas Natale Domini festum esse Patris, cum per eum Pater innotuit mundo. Quanquam vero, quod festum Patris est, festum etiam sit Filii, et Spiritus sancti. In hoc enim, quod dicitur Verbum intelligitur Pater Verbi. Aut etiam hac alia ratione, quod Filius Patrem omnibus manifestaverit. Pascha autem est festum Filii, quia tunc a mortuis resurrexit, et verus Deus apparuit. Pentecoste vero festum est Spiritus sancti. Istarum tamen solemnitatum quælibet festum dicitur totius Trinitatis. Indivisa enim sunt opera Trinitatis, sed ita tamen ut quædam magis videantur propria esse uni quam alteri.

CAPUT XCVI.

De sexta feria privilegiata.

Sexta deinceps feria, quæ et Parasceve appellata est, in eo gaudet privilegio, quod hoc die Christus passus sit. Quare etiam ab hac sexta feria omnes aliæ sextæ feriæ suum habent privilegium, sicut a sequenti Dominica omnes aliæ Dominicæ. Parasceve autem interpretatur *præparatio*, quod tum Judæi cibos suos soliti sint præparare, quibus vescebantur Sabbato, cum eis Sabbato quidquam præparare interdictum sit. Porro autem ipso die Parasceves uno duntaxat ferculo vescimur, quoniam Christus illo die unum sibi solummodo comparavit, videlicet latronem. Unde ipse dixit : *Singulariter sum ego donec transeam* (*Psal.* CXXX). At quæritur cur istum diem celebremus in mœrore, tristitia atque abstinentia, cum soleamus sanctorum passiones in gaudio celebrare. Verum hoc ideo fieri respondemus, quod sancti statim, simul atque perpessi sint martyrium, ad cœlos ascenderint : Christus vero descenderit ad inferos. Sed cum jam tartara fregit, et sanctorum animas inde reduxit dieque tertio resurrexit, ideo tum maxime lætamur. Hinc etiam est quod sanctorum Patrum passiones, qui ad inferos descenderunt, non celebramus. Solet hic etiam a nonnullis quæri, cum asinæ insidens Christus honorifice susceperus sit, et in cruce videatur dehonestatus, cur potius adoremus crucem quam asinam. Verum facile illud discuti potest, cum honor iste quem in asina accepit, terrenus fuerit, nec curandum sit de terrenis, ita ut nec hinc quidquam de asina curandum sit. Per crucem vero ruptus fuit ac destructus murus ille peccatorum, qui erat inter nos et Dominum interjectus; Christus enim satisfecit pro nobis. Unde certe nullus recenter baptizatus, etiam adultus, si vel maxima commiserit pec-

A cata, ullo eorum tenebitur, neque secundum pœnam, neque secundum culpam; tenetur tamen habere contritionem. Quemadmodum ergo gladius Davidis, quo Goliam obtruncavit, multo tempore servatus fuerit et in honore habitus, ita etiam crux Domini, quæ per illum gladium quodammodo figuratur.

Tandem quoque consideremus hujus diei officium carere capite, quod Christus caput nostrum tum e nobis sublatus fuerit. Caret enim invitatorio, ut non imitemur perversam illam imitationem quam fecerunt Judæi, quando consilium inierunt, quomodo Jesum caperent in sermone, eumque morti traderent. Inde etiam est quod non damus osculum pacis alicui, propter osculum Judæ, nec aliquem salutamus, quia cum quadam salutatione Judas Christum
B tradidit, inquiens : *Ave, Rabbi* (*Marc.* XIV). Verum ideo signa dedit illis Judas, qui Christum ceperunt, ne Jacobum pro eo caperent, qui illi admodum erat similis, ut hinc etiam frater Domini dictus sit. Nota ergo Judam dixisse : *Tenete eum* (*ibid.*), quasi dixerit : Fortiter eum ligate, et tenete, quia alioquin poterit manus vestras facile evadere. Credebat enim eum esse fortem propter illud quod ipse viderat, cum vendentes et ementes e templo ejecisset. Præterea viderat, quemadmodum illorum manus evasisset qui ipsum volebant apprehendere, unde dicitur : *Et transiens per medium illorum ibat* (*Luc.* IV). Causa autem quamobrem Judas vendidit Christum et tradidit, fuit hujusmodi : Odium recens susceperat in Jesum propter unguentum quod Magdalena in
C caput ejus fuderat. Ipse enim erat Domino a loculis, quos portabat. Cum autem mortis esset apud veteres, ut qui hujusmodi fungeretur officio, pro mercede sua decimam partem haberet eorum, quæ in dominorum loculos ponebantur, æstimavit Judas unguentum quod beatæ Maria Magdalena fuderat, trecentos valere denarios. Unde est quod ipse dixerit : *Utquid perditio hæc? potuit enim istud*, etc. (*Matth.* XXVI). Cœpit ergo secum cogitare, quo pacto in Christo recuperaret quod amiserat in unguento, ita ut, cum trecentorum denariorum decima sint triginta denarii, ea summa ipsum vendiderit ac tradiderit. Non debet quoque officium mortuorum habere invitatorium, nisi corpore præsente, nec in
D missa dici, *Dona nobis pacem*, neque per universum officium, *Gloria Patri*, quia sequitur et imitatur exsequias sui Salvatoris.

Sex itaque hujus diei sunt privilegia : Christi immolatio, inferni exspoliatio, mortis conculcatio, humani generis redemptio, paradisi apertio, et Scripturarum manifestatio. Ubi animadvertendum est quod Christus sua passione non tantum illos redemit, qui tum erant in lymbo inferni, qui locus dicebatur sinus Abrahæ, verum etiam omnes homines futuros, qui sancta morte vitam erant finituri. Nec sane omnes homines, qui in inferno erant extraxit. Unde Osee propheta : *O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XIII). Scripturarum hodie facta est manifestatio, quia scripturæ Vete-

ris Testamenti, quæ prius erant obscuræ, hodie sunt declaratæ. Unde Dominus : *Consummatum est* (*Joan.* XIX), inquit, quasi dicat : Omnia quæ de me hucusque scripta sunt, modo sunt impleta, quod scandalum est Judæis, stultitia gentibus. Crux igitur Domini multis modis in Veteri Testamento fuit præfigurata. Dictum est enim angelo percutienti Ægyptum : *Quamcunque domum intraveris, in ea occide omnes primogenitos, tam parvulos quam senes; tam viros, quam mulieres. Sed sic ubi scriptum fuerit* Thau, *non intrabis* (*Ezech.* IX). Thau vero signum est crucis, ita ut omnes damnentur, nisi per signum crucis salvantur. Sic Moses in deserto serpentem æneum erexit, et omnes qui eum intuebantur statim a morsu serpentum sanabantur (*Num.* XXII). Serpens æneus similitudinem habet serpentis nec est verus serpens. Similiter Christus habuit similitudinem carnis peccatricis, sed non veræ peccatricis, utpote qui nunquam peccaverit. Dictum est item Danieli ab angelo : *Duæ erunt septimanæ, et post septuaginta septem occidetur Christus dux noster* (*Daniel* IX). Ita aperte Moses : *Die*, inquit, *ac nocte erit vita nostra pendens, et videbitis et non cognoscetis* (*Deut.* XXVIII). Verum profecto est quod nocte pependerit, quia tenebræ factæ sunt a sexta hora, etc. (*Matth.* XXVII). Quod autem *die*, certum est. Item Jeremias ait : *Ponens filiam pharetræ in renibus meis* (*Thren.* III). Filiam, inquam, pharetræ, id est, lanceam. Itemque : *Congregabo omnes gentes, et erit signum eis*, Thau T. (*Isa.* LXVI), quod crux est Domini. Sic rursus : *Ezechias convertit faciem suam ad parietem* (*IV Reg.* XX). Et David : *Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum* (*Psal.* CI); hoc est, novus populus, nimirum gentilis. Atque in alio loco alius : *Plantavi*, ait, *vineam meam electam, et versa est in amaritudinem* (*Jer.* II). Et quare, quæso? Quia *dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII). Quemadmodum etiam alibi inquit Davidi : *Partiti sunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI). Quamquam hoc de tunica Domini inconsutili dictum videri potest. Sed eodem in loco idem expressius : *Dinumeraverunt omnia ossa mea* (*ibid.*), quoniam usque adeo eum in cruce extenderunt, ut omnia ejus ossa facile dinumerari potuissent. Sic postremo et Isaias ait : *Et erit principatus ejus super humerum ejus* (*Isa.* IX). Nam Christus portavit crucem, in qua triumphavit, ita ut vulgo dici consuetum sit Cyrenæum quidem crucem portasse, sed non sicut homo et Deus.

CAPUT XCVII.

Cur non conficiatur corpus Christi in Parasceve et de ordine ejus officii.

Corpus Christi non conficitur hoc die quatuor de causis : prima est quia Christus hoc die pro nobis revera immolatus est et, veritate veniente, debet cessare figura, ac ei dare locum; secunda, quod istiusmodi die reipsa Ecclesiæ Sponsus sublatus sit, descendit enim ad inferos; tertia est quoniam tum temporis velum templi disruptum est, et cornua altaris sunt transversa, ita ut nobis non esset ubi corpus Christi conficeretur; quarta, quia Moyses dixit in Exodo : *Alius pugnabit pro vobis, et vos tacebitis* (*Exod.* XIV); alius, id est Christus. Sequitur ut de ordine officii hujus diei dispiciamus. Nam primo leguntur duæ lectiones ex Veteri Testamento, una ex rege, altera ex prophetis, scilicet ex Osee idque sine titulis. Deinde vero tractus quem vocant, canitur unus quatuor versuum; alius plurium, post quem legitur passio etiam sine titulo. Qua quidem absoluta fiunt orationes pro omni gradu Ecclesiæ, hoc est pro gentilibus sive ethnicis, pro Judæis, pro hæreticis et pro schismaticis. Atque ita deinceps crux extrahitur, ac cum ea ter in genua procedimus, cantando ter Græce ἅγιος, et Latine *sanctus Deus*, etc., cum tribus versibus. Postea vero Dominicum corpus, quod reservatum fuit ipso die Cœnæ, altari imponitur, et cantata Dominica Oratione cum præfatione præposita, scilicet : *Oremus, præceptis salutaribus moniti*, etc., communicatur, ac deinde vero psalmi vesperarum cantantur cum oratione : *Respice, Domine.* Atque ita tandem officium terminatur.

CAPUT XCVIII.

Quare ita hujus diei officium sit institutum.

His itaque historice prosecutis, quid significent deinceps videamus. Quod enim duæ lectiones legantur, declarat Christum passum fuisse pro duobus potissimum populis, Hebræo nimirum et gentili. Sed earum una ex lege sumpta est, videlicet ex Levitico, altera ex prophetis, nempe Oseæ, quia Christi passio et a lege fuit ante præfigurata, et a prophetis prædicta, et a patriarchis sub velamine quodam nobis revelata. Abraham enim carnem Christi tectim immolavit, cum arietem sacrificaret; sic Abel quoque cum agnum in hostiam offerret. Quæ ita fuerunt Christi figura tanquam velamine tecta, ut intelligi non potuissent, nisi explicarentur. Assimilatus est præterea in prophetis, unde Dominus : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ* (*Matth.* XII). Recitantur autem lectiones cum passione sine titulo, quod caput nostrum videlicet Christus nobis auferatur. Per tractum quatuor versuum intelligimus hominem Christi passione fuisse redemptum, qui ex quatuor conflatus est elementis. Hinc est quod Christus non in cœlo, neque in terra sit crucifixus, sed in medio, hoc est in aere. Fecit enim pacem inter cœlestia et terrena, atque etiam inter ipsa terrestria pacem conciliavit, postea quam erant simultates et inimicitiæ inter unum hominem atque alterum, sed majores tamen erant inter angelum et hominem. Ipse vero Christus in omnibus per crucem pacem composuit, quod quæ inter se disjuncta ac discreta erant conjunxerit, et ex duobus unum fecerit. Est enim lapis angularis. Aut etiam quatuor illi versus tractus significant quatuor

partes crucis, quæ similis est ultimæ litteræ alphabeti Hebræorum, videlicet Thau, quæ sonat, si interpretetur *signum*. Omnia volumina veteris legis significarunt crucem Domini.

Hoc ergo die quatuor in uno tractu versus dici debent, ad declarandas quatuor partes crucis, sicut et quinque dicuntur in quarta feria, quod quinquies Christus sanguinem suum effuderit : primo in circumcisione, secundo in oratione, tertio in flagellatione, quarto in crucifixione, quinto cum esset lanceatus. Tractus qui prolixior est, repræsentat magnum istud bellum Davidis contra Goliam. Nam et Christus noster David hodie magnum Goliam, id est diabolum, debellavit. Quædam Ecclesiæ tractum canunt, videlicet : *Qui habitat*, etc. (*Psal.* XCX), quia Christus a diabolo primum latenter fuit tentatus, velut a dracone quopiam latitante sub petra, sed posteà in passione tanquam a forti leone acriter fuit vexatus, quod per hunc versum facile exprimitur : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*ibid.*). Passio legitur ideo, quia tum Christus reipsa patiebatur. Cum autem ventum est ad illum locum : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Matth.* XXVII), tunc duo hypodiaconi duo mantilia, vel duos alios pannos altari impositos, auferunt. quod quatuor illi milites qui Christum crucifigebant ex duabus ejus vestibus sibi indumenta confecerunt, historiam ipsam repræsentantes. Aut certe remotio pannorum fugam significat apostolorum, qui erant quasi vestes Christi. Petrus enim ad vocem unius ancillæ ipsum negavit, et Joannes nudus aufugit. Tertia vestis, quæ in altari relinquitur, designat vestem Domini inconsutilem non fuisse scissam, vel partitam, sed sortitione uni contigisse. Unitas enim Ecclesiæ non potest, nec unquam potuit ab hæreticis et schismaticis scindi, cum nulla sit sapientia adversus Dominum. Christus cum in cruce pateretur et maxima animi angustia affligeretur, prolixe oravit decantans decem psalmos, scilicet : *Deus, Deus meus, respice in me* (*Psal.* XXI), usque ad, *In te Domine, speravi* (*Psal.* XXX), donec pervenisset ad istum versum : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* (*ibid.*), quo emisit spiritum. Quare et nos quoque, postquam passionem recitavimus quæ Christi anxietatem et dolorem exprimit, oramus, quantumvis sane mos iste orandi infrequens et insolitus sit. Usu enim jam pridem receptum est ut diebus aliis ante evangelium dicantur orationes. Verum hoc die contra fit ordine permutato : quod et in initio a nobis dictum est, quo quædam officia in Quadragesima transmutari ostensum est. Oravit autem Christus pro tribus, pro se, inquiens : *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII); pro suis, aiens : *Pater, pro eis, quos dedisti mihi rogo* (*ibid.*), et pro illis etiam qui crediturі erant in eum, dicens : *Pater, non tantum pro eis rogo, sed pro omnibus illis qui credituri sunt in me* (*ibid.*).

A Ex quo sequi videtur quod non debeamus orare pro illis quos scimus non esse salvandos, veluti pro eis qui in inferno remanserunt, et pro Juda qui desperavit. Sed et nos similiter oramus, partim pro nobis, partim pro omni gradu Ecclesiæ, scilicet pro neophytis, gentilibus, Judæis, hæreticis et schismaticis, ut eis Deus gratiam suam infundat, et ad fidem Catholicam convertat, flectentes quidem genua pro aliis, verum non pro Judæis, quoniam illi illudentes Christo genua flexerunt. Obiter ergo hic animadverte id quod legitur ante genuflexionem non esse orationem, sed adhortationem quemadmodum est *oremus* et quasi quamdam ostensionem pro quibus simus oraturi. Quod vero postea dicitur, oratio est. Item rursus animadverte tres fuisse illusiones,
B quas Judæi genibus flexis Christo exhibuerunt. Et quidem prima fuit, velata ejus facie in atrio pontificis, altera vero prætorio. Quoniam illo tradito Judæis a Pilato ut ipsum crucifigerent, milites spineam plectentes coronam flexis genibus illudebeant ei. Quod quamvis a Judæis factum non fuerit, ascribitur tamen illis, quod causam præstiterint. Tertia denique illusio fuit, cum prætereuntes illi jam in cruce pendenti dicebant : *Vah, qui destruis*, etc. (*Matth.* XXVII). Contra illas tres illusiones nos ante crucis revelationem tres præmittimus adorationes cum dicimus ter *Agios*, etc., quasi ter honorantes illusum propter nos; idque duabus linguis, quia tertia adhuc silet. Hinc igitur et illud notandum
C venit, quod, cum multa sint genera linguarum, tres tamen potissimum existant principales; prima Latina, propter nobilitatem et dominium Romani imperii; secunda Græca, propter sapientiam; tertia Hebræa, utpote quod cæterarum linguarum mater sit. His autem tribus linguis descriptus fuit titulus Domini in cruce. Quare præter reliquas linguas hæ tres solum in missa usurpantur, dum in ea canimus Græce *Kyrie eleison*, Hebraice *Alleluia*, etc. Latine. Adversus tres Judæorum accusationes in Christum, dicimus nos tres excusationes in persona Salvatoris, scilicet, *Popule meus*, ubi Christus exprobrat illis sua beneficia, liberationes videlicet ab Ægypto, regimen in deserto, introductionem in terram optimam. Quasi dicat Christus : Tu accusas me, quod
D tributum dari negaverim, deberes potius gratias agere, quia te liberavi a servitute Ægypti. Tu accusas me, quod regem me fecerim, verum satius foret quod gratias ageres de eo quod splendide et regulariter te in deserto paverim. Tu denique me accusas, quod dixerim me Filium esse Dei, sed gratitudinis signum potius exhibe, quod tibi dederim terram lacte et melle manantem.

His ergo ita dictis, crux aperta ac nudo profertur ad significandum omnia quæ fuerant obscura, tunc fuisse manifesta, et salutatur crux hisce verbis : *Ecce lignum*, etc., quoniam per crucem omnibus salus reformatur ac restituitur. Postea autem adoratur, id est cum reverentia osculatur; solus enim Deus adorandus est, et cætera illius causa ve-

neranda. Crux ergo adoratur ideo, ut ostendamus nos debere humiliter facere quod illi fecerunt superbe. Osculata cruce, Dominicum corpus altari apponitur, et tunc sacerdos cum præfatione præposita, videlicet : *Oremus, præceptis*, etc., quam addidit beatus Gregorius, cantat Orationem Dominicam. Quo quidem repræsentatur antiqua apostolorum consuetudo, qua in celebrandis missis utebantur. Olim enim apostoli hæc tantum verba proferebant, quæ dixit Dominus : *Hoc est corpus meum*, etc. (*Matth.* XXVI); et, *Hic est sanguis novi testamenti*, etc. (*Ibid.*), quibus ipsi apostolici postea addiderunt Orationem Dominicam. Atque hæc est consuetudo apostolorum quæ hic representatur, eo modo quo antiquitus celebrabatur, sed Gelasius papa, Gregorius et Cœlestinus multa tandem addiderunt, ut supra dictum est. Facta autem communione, statim cantantur vesperæ cum oratione, et tam missa quam vesperæ una finiuntur collecta. Hoc ita peracto, crucifixus in suum locum reponi debet, ante quem necesse est, ut chorus psalmos psallat, etiam episcopus vel loco ipsius vicarius ejus, idque tantisper usque ad horam illam, qua Christus resurrexerit. Atque ita tum celebrare debet mysterium de resurrectione. Primo namque provenit labor, secundo clamor, tertio autem exauditio, unde Psalles ille : *Ad Dominum*, inquit, *cum tribularer, clamavi, et exaudivit me* (*Psal.* CXIX.) Quare et nos oportet ejus esse imitatores.

CAPUT XCIX.

De duabus partibus sacramenti.

Nunc dicendum est, quare una pars sacramenti, scilicet corpus, sub specie panis reservetur die Cœnæ, et altera pars, scilicet sanguis, sub specie vini non reservetur. Ac duæ quidem sunt causæ, quamobrem corpus reservetur. Prima est ne fortasse quispiam ex hac vita sine viatico discedat, quod evenire posset, ni reservaretur ; atque institutum ita est ab Innocentio papa. Secunda est quod illis tribus diebus maxime omnes ii religiosi quibus necessitas est, debeant communicare. Quare oportet ut sacramentum illud reservetur, quoniam eo die consecrari non debet : ut supra ostensum est. Cur autem sacramentum vini non servetur, triplex est ratio : Prima est quia, cum vinum liquidum sit, non posset tam bene reservari, quin quadam negligentia facile queat labi ; secunda est quod duos sacrificiorum ritus suis temporibus approbaverit Deus, veterem legis, videlicet suo tempore, et novum hoc tempore. Hos duos ritus significant panis et vinum, licet utraque res sit novi sacramenti, panis nempe novum, et vinum veterem. Nec mirum videri debet, si per rem novi sacramenti vetus sacrificium significetur, cum et contra inveniatur, rem videlicet veteris Testamenti declarare novum. Nam quartis feriis septimanarum quando ordines celebrantur, duæ lectiones ex veteri Testamento recitantur, quarum altera quæ sub nocturnali tomo exprimitur, vetus significat Testamentum ; altera vero quæ sub tono communi, Novum. Ex eo itaque, quod vinum non reservetur, ostenditur vetus sacrificium cessare debere. Tertia ratio est, quod idcirco non reservetur, quia Christus dixit in cœna : *Amen dico vobis, quod amodo non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei* (*Matth.* XXVI).

Si quis autem roget, num istud vinum, quod eo die in communione sumitur, ex Dominici corporis contactu consacretur, quamvis complurium scripta illud asserere videantur, nos tamen veritatem magis sequentes et ea quæ sancti Patres tradiderunt, dicimus vinum illud omnino non esse consecratum ex illo contactu, sed sanctificatum. Est enim differentia inter consecratum et sanctificatum. Consecratum dicitur quod in consecratione, ut ita dicam, transubstantiatur. Sanctificatum vero est quod per verborum significationem efficitur sanctum sine aliqua transubstantiatione, ut aqua lustralis, quam ideo benedictam dicimus. Rursus sanctificatum dicitur, quod a tractu rei sanctificatæ magis efficitur referendum. Si autem diceretur, quod solo contactu vinum vel aqua consecraretur, magna profecto inde sequeretur rerum perturbatio et confusio. Sic enim contingeret calicem non posse lavari, indeque efficeretur, ut jam sexcenti panes unius hostiæ contactu, sine verbo possent consecrari ; et si una aliqua gutta aquæ lustralis seu benedictæ in stagnum vel puteum, qui ex lacunis scaturit, infunderetur, aqua illa perpetuo benedicta maneret : atque ejusmodi infinita alia incommoda ex ea re nascerentur. Jam etiam prætereo, si Dominici corporis tactu vinum consecraretur, contra decretum fieri quod prohibet, ne hoc die consecratio fiat.

Quod autem hic quæritur quamobrem Christus discipulis prius corpus suum dederit mysticum quam in veritate illud offerret, discussum satis apud alios est. Advertendum ergo hic est, et repetendum, quod paulo ante a nobis dictum est, utpote secundum triplicem Christi crucifixionem, quæ hoc die re ipsa facta est, tribus horis, tertia videlicet sexta et nona per universum annum missas celebrandas esse. Hora enim tertia crucifixus est linguis Judæorum aientium : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.*, XIX). Hora sexta in cruce positus fuit, et nona exspiravit ; quapropter hæ horæ ad celebrandas missas canonice sunt institutæ, quæ Christi immolationem mystice repræsentant. Diebus enim festis cum a libidine est abstinendum, missa debet tertia hora celebrari ; pro festis, sexta, et in jejuniis nona, sin aliter fiat certe canonicum et regulare non est. Exceptis interim iis temporibus, quibus nocte missa celebrari debeat, ut in Natali Domini et in Sabbato Paschæ. Missa enim quæ tunc celebratur, non ad Sabbatum pertinet, sed ad diem Resurrectionis. Unde etiam nunc Romæ et per universum Ravennensium archiepiscopatum, sub quo et Bononiensis Ecclesia continetur, tunc missam non celebrat usque ad noctem. Quòd autem sic fieri debeat, satis

ipsa ostendit oratio, quæ tum dicitur : *Deus, qui hanc sacratissimam noctem*, et illud quod in cerei, quem vocant, benedictione canitur : *Hæc nox est.* Sic itidem quotiescunque ordines conficiuntur, nocte missa celebrari debet, quoniam officium majorum ordinum ad diem spectat Dominicam. Sed quia a jejunio incipere oporteat, ideo in Sabbato post vesperas illud inchoamus, et ad noctem usque protelamus.

CAPUT C.

De officio tenebrarum.

Nunc vero considerandum est quamobrem tribus noctibus continuis officium quod tenebræ appellatur celebremus, quemadmodum ad illud officium pulsandum sit, quare et quot candelæ accendantur, et quomodo eæ exstinguantur, et deinde etiam de officii qualitate. Posito itaque Christo in cruce tribus horis fuerunt tenebræ, a sexta usque ad nonam, ita ut complectamur sextam et nonam, dum sol patiebatur eclipsim, non quidem naturalem, sed miraculosam, quanquam eam infideles juxta naturam ita accidisse mentiebantur. Quamobrem sane propter tanti illius miraculi memoriam, per noctes tres illas horas repræsentamus. Ad officium tenebrarum non campanis pulsandum est, sed ligneis tabulis. Campanæ enim significant, ut dictum est, concionatores. Atque ideo campanis non pulsatur, quia concionatores, hoc est discipuli Domini, non solum nomen ejus non prædicarunt, sed et negaverunt, ut Petrus et fugerunt. *Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Matth.* XXVI). Unde Dominus videns eos ad fugam paratos ait : *Quem quæritis?* (*Joan.* XVIII). Quasi diceret : *Si me quæritis, sinite eos abire* (*ibid.*). Magnus tamen ex ligno editur sonus. Tabula lignea Christum significat qui in ligno clamabat, prædicabat et orabat, dicens : *Pater, dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Pulsatur igitur ligno, quod tum solus Christus exstitit concionator.

CAPUT CI

De numero candelarum.

Dicendum modo est de candelis, atque hic quidem in numero diversitas est. Quidam enim septuaginta duas accendunt, quidam viginti quatuor, quidam quindecim, quidam etiam duodecim, quidam novem, et quidam septem. Sed hi tamen omnes non absque mystica significatione hoc faciunt. Nam septuaginta duæ candelæ septuaginta duos discipulos significant, quorum prædicatio, sive concio, in morte Christi exstincta est; vel ad designandum quod Dominus septuaginta duabus horis in sepulcro quieverit per synecdochem, quemadmodum dicitur tribus diebus et tribus noctibus, in corde terræ latitasse; vel septuaginta duas nationes, et septuaginta duo genera linguarum. Viginti quatuor candelæ quæ prius accenduntur, et postea exstinguuntur, hunc versiculum : *Gloria Patri et Filio*, etc., significant, qui viginti quatuor vicibus in nocturnis festivitatum cantari soleat et in hoc officio omnino tacetur, quoniam laus Trinitatis, ad quam pertinet versus ille in morte Christi videtur exstincta. Quindecim candelæ duodecim apostolos et tres Marias significant, qui omnes laudem Dei tunc subticuerunt. Sed apostolis tamen fugientibus, tres Mariæ, ut quæ minus metuebant, circa eum, quoad poterant, versabantur. Unde legitur : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos* (*Job* XIX), id est, mulieres quæ unt quasi pellicula quædam. Duodecim candelæ duodecim exprimunt apostolos. At vero novem humanum genus significant, quod propter peccatum suum a consortio novem ordinum angelorum semotum est, et a vera luce exclusum. Per septem candelas, septiformis Spiritus sancti declaratur gratia, quæ in cordibus discipulorum pene fuit exstincta.

Ut autem de numero candelarum sit, omnes manu cerea debent exstingui. Et quidem per manum cereum intelligitur manus illa quam vidit Balthasar rex Assyriorum, scribentem in pariete verba hujusmodi : *Mane, Thecel, Phares*, quæ sic exposuit Daniel : Mane, id est *enumeravit*, Thecel, *appendit*, et Phares *divisit* (*Dan.* V). Hic ergo sensus est : Dicit Dominus : Numeravi tempus regni tui, et opera tua bona et mala, et appendi et inveni plus mali quam boni, atque ideo dividetur regnum tuum in Persas et Medos. Quod utique factum est per Cyrum et Darium. Quemadmodum igitur regnum illud propter mala opera regis exstinctum fuit, et divisum in perpetuum, ita quoque regnum Judæorum, propter peccatum in morte Christi commissum, divisum est et in posterum penitus deletum. Vel, quod melius est, manus cerea repræsentat manum Judæ, quæ fuit cerea, id est ad malum flexibilis, per quam Christus, rex noster et lucerna vera, traditus fuit et exstinctus, quantum in ipso fuit. Atque ita per manum cereum significatur illius manus, de quo Christus ait : *Qui mecum intigit manum*, etc. (*Matth.* XXVI). Ut enim hæc exstingnit lumen, ita illa verum lumen exstinxit, quantum in se fuit. Aliquando vero plures candelæ sine certo numero incenduntur, nec observatur aliquis numerus, ita ut vel quælibet mulier aut vir suam isthic sibi accendat. Per quas candelas significantur prophetæ et alii sancti Patres, qui propter Christum lumen mundi venturum annuntiantes, atque aliis verba salutis concionantes et prædicantes, variis vexati pœnis mortui sunt et exstincti. Nec vero omnes candelæ simul exstinguuntur, sed successive nunc hæc, nunc illa, quoniam discipuli non simul ab eo recesserunt, sed paulatim, cum unus decessisset, abiit et alter. Una tamen quæ in earum medio est collocata, non exstinguitur, sed absconditur et occultatur, posteaque in apertum profertur, ac ejus luce omnia ecclesiæ lumina rursus accenduntur. Hic est Christus, qui licet videretur secundum corpus exstinctus, secundum divinitatem tamen vivebat, quæ illis erat occulta. Hic enim paulo post resurgens cum luce clarissima se suis discipulis manifestavit, quando

in eorum mentibus charitatem jam propemodum exstinctam sua illustratione iterum inflammavit.

Nunc de ipso officio prosequamur, quod universam Christi sonat passionem. Primus ergo versus, a quo noctis officium alioqui incipi consuevit, nempe : *Domine, labia mea aperies* (*Psal.* L), subticetur, quod Christus caput nostrum a nobis auferatur. Sic nec *Deus in adjutorium* dicimus, quia nostro pastore percusso nos illius oves, a quo petamus auxilium non habemus. Invitatorium autem ideo non exprimitur, ne per hoc pravum istud Judæorum consilium contra Jesum factum quodammodo imitemur, sed potius ut ipsum per invitatorii silentium detestemur. Ad lectiones quoque benedictio neque petitur, neque datur, quod pastor qui gregi suo benedicat modo non adsit. Vel quia per *Jube, domne*, significantur illi qui eunt concionatum, et per *Tu autem*, illi qui concionandi munus obierunt, et inde reversi sunt. Sed nec hi, nec illi tum aderant, siquidem aufugerant. Debent ergo dici lectiones etiam lamentando, et maxime illæ quas Threnos appellamus Jeremiæ, qui deflevit sanctum illum regem Josiam. Luget Ecclesia etiam tunc passionem, et mortem Domini. Sed quia propter peccata nostra ipsum amisimus, si eumdem volumus recuperare, certe ut ad pœnitentiam convertamur, ideo sub finem lectionum per hunc versiculum, scilicet : *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum*, eo admonemur. Leguntur Threni Jeremiæ, hoc est lamentationes, si verbum verbo interpretemur, quæ ita a Trenaro monte sunt appellatæ, ubi animarum lamentationes, quæ isthic puniuntur, sæpius audiuntur. Possunt tamen ideo vocari Threni, quod semper post tertium quemque versum sequatur littera ex Hebraico alphabeto, quod universum in illis lamentationibus quater ordine ponitur. Idcirco autem Jeremiæ lamentationes legimus, quoniam sicut ille deploravit mortem Josiæ et destructionem gentis suæ futuram, ita nos deploramus mortem Christi.

CAPUT CII.

De expositione trium quæ præterea in eiusmodi officio observantur.

Restant deinceps tria inquirenda : primo quamobrem in hoc officio noctis antiphona quæ ad *Benedictus* canitur, atque etiam totus psalmus tam alta voce, et quasi terribili cantetur ; deinde vero quare quidam tropi hujus officii fine lamentabiliter dicantur. Postremo cur tribus hisce noctibus ipsum officium noctis alta voce, quasi terribili et manifesta decantetur, diurnum autem tacite ac voce omnino dimissa. Verum enimvero quod antiphona ad *Benedictus*, et ipse etiam psalmus exstinctis candelis, voce elevata et velut horribili canatur, significat tumultum cohortis, quam cum gladiis et fustibus secum Judas adduxit, quando Christum traderet. Per nocturnum autem officium tenebrarum declaratur prophetia prophetarum, et per diurnum, prædicatio sive concio apostolorum. Quapropter officium noctis alta voce canitur, quia prophetæ aperte quæ de Christo erant ventura prædixerunt, et quod illis Spiritus sanctus dictabat omni semota formidine nuntiaverunt. Sed diurnum officium submissa voce cantatur, quod apostoli aut omnino tacuerint, aut certe occulte prædicaverint, et concionati fuerint. Continet autem cohors quinquaginta milites qui ob id tanto numero cum Juda missi sunt ad Christum capiendum, quoniam Judæi verebantur ne populus, qui eum libenter audiebat, si hanc proditionem sciret, suas interponeret partes ad ipsum liberandum. Aut certe ideo, quia facile opinabantur eum esse fortissimum, et omnino talem, ad quem capiendum pauci non sufficerent. Videbant namque Dominica præcedenti ipsum solum flagello ex funiculis confecto omnes vendentes et ementes potenter e templo ejecisse, ac nummulariorum mensas fortiter evertisse. In quo quidem facto præterea viderant fulgorem quemdam, quasi quosdam radios igneos, ex ipsius facie exire. Porro autem tropi, id est versus illi, qui tribus istis noctibus in fine officii cum *Kyrie eleison*, et *Domine, miserere*, velut lamentabiliter decantantur significant lamentationes et dolores mulierum, quæ propter cognationem Jesum ab Galilæa fuerant secutæ. Inter quas erant Maria Magdalenæ, Maria Jacobi et Salome, plorantes juxta sepulcrum (*Matth.* XXVII). Tropis cantatis, in quibusdam Ecclesiis ad terram procidentes dicunt : *Miserere mei, Deus* (*Psal.* L), et collectam, videlicet *Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam*, etc.

CAPUT CIII.

De purgatione pavimenti.

Post hæc dicendum est, cur Quinta feria ecclesiæ pavimentum mundetur et altaria denudentur, ac deinde quamobrem eadem feria ipsa altaria vino et aqua laventur, atque asperis ramis, præsertim taxi aut buxi quasi frixentur. Ad primum quidem prompte intelligendum, oportet cognoscamus Ecclesiam esse corporalem, aliam spiritualem. Corporalis est domus in qua divinum officium perficitur ; spiritualis vero est velut convocatio quædam fidelium. Sicut enim ecclesia corporalis lapidibus ex diversis locis congregatis construitur, ita quoque spiritualis Ecclesia ex diversis convocatur hominibus, ita ut hinc Ecclesia ipsa appellata sit convocatio, quanquam nomen illud proprius ac verius spirituali Ecclesiæ conveniat quam corporali. Homines enim convocantur, non lapides. Sæpenumero tamen fit ut nomen ejus, quod significatum est, significanti attribuatur. In Ecclesia igitur spirituali sunt pavimentum Christi pauperes, hoc est, pauperes spiritu, qui in omnibus sese humiliant, ut hinc propter humilitatem pavimento maxime assimilentur. Quare obiter notemus tria esse genera paupertatis, quorum primum paupertas dicitur necessitatis, quæ est in egenis ; alterum simulationis, quæ in hypocritis est ; tertium autem vocatur paupertas spiritualis, quæ consistit in bonis. Prima paupertas tolerabilis est, secunda detestabilis, tertia laudabilis, ita ut omnibus iis benefaciendum sit propter Dominum. Nec sane ullus sit fortunæ respectus quantum ad primam pauper

tatem, vel causæ quantum ad secundum, sed naturæ hominis. Pavimentum ergo ecclesiæ mundat ille, qui pauperibus propter Dominum pedes lavat cæteraque misericordiæ opera exhibet.

CAPUT CIV.

De nudatione altaris

Sequitur de nudatione altaris, quæ pars est in ecclesia dignior, usque adeo, ut si altare removeatur, ac rursus ædificetur tota ecclesia, iterum sit consecranda. Verum contra, etiam si ecclesia removeatur, hoc est pars ejus aliqua aut plures, altari immoto, ecclesia non consecratur, sed alia sanctificatione mundatur. Altare enim Christum significat. Præcepit namque Deus in lege : *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* xx). Altare de terra est Christus natus de Virgine. Unde dicitur : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* lxxxiv). Hæc est terra quæ dedit fructum suum, fructum sublimem, Christum videlicet sublimatum super choros angelorum in cœlis. Nudatio ergo altaris declarat quod Christus in passione sua denudatus visus sit, et despoliatus illis signis quibus ante in faciendis miraculis apparuerat gloriosus, cum solus vendentes atque ementes e templo ejecerat, facie ejus splendoris radios emittente. Qui enim prius tam potens tam gloriosus apparuerat, modo in passione visus est debilis et abjectus. Unde Isaias : *Vidimus*, inquit, *eum non habentem speciem neque decorem* (*Isa.* liii) ; et Hilarius : « Ante, ait, passionem apparuit Deus et homo, in passione totus homo, post passionem totus Deus. » Vel etiam altaris nudatio repræsentat ipsam ac veram Christi nudationem, quando milites eum spoliaverunt, et ejus vestimenta partim sunt partiti, partim sortitione abalienarunt. Aut certe vestem Christi apostolos esse dicimus, quibus Christus tanquam vestibus quibusdam ornabatur, et per quos nomen illius erat magnificatum. Altare igitur nudatur quoniam Christus a suis discipulis fugientibus, et nomen ejus tacentibus, relinquitur. Proinde vinum et aqua quibus altare lavatur significant sanguinem redemptionis nostræ et aquam regenerationis, quæ ex latere Christi fluxerunt, quando latus ejus lancea fuit apertum. Altare ergo abluitur, quia corpus Christi verum altare, sanguine et aqua in cruce aspersum fuisse creditur. Rami autem asperi quibus altare fricatur, significant spineam coronam, qua coronatus est Christus, aut flagella amara, et ictuum vibices, et graves dolores quos in morte sustinuit. Sunt ideo rami hispidi sicut rami taxi, quibus pavimentum mundatur, quod nos debeamus vitiis mundari, et in eleemosynis pauperibus providere, quatenus hi sint, qui nos in æterna tabernacula recipiant. Ipsorum enim est regnum cœlorum, quod intelligendum est de pauperibus bonæ voluntatis, sive spiritus.

CAPUT CV

De Sabbato.

His ita de VI feria prosecutis, transeundum est ad Sabbatum, in quo dicendum prius est de ipsius diei nomine, ac postea de ejusdem officio, servato ordine. Hoc ergo Sabbatum κατ' ἀντονομασίαν proprie Sabbatum sanctum appellatur. Sabbatum autem interpretatur *requies*, quoniam tempore creationis mundi quam Deus sex diebus absolvit et septimo die ab opere requievit. Quamobrem in lege Deus præcepit hunc diem ab omni servili opere observari, ita ut in veteri lege haberetur sanctus. Verum hoc Sabbatum κατ' ἐξοχήν, seu *per excellentiam* ita est appellatum, quia significat requiem Christi ab opere recreationis in VII ætate. Quemadmodum enim Deus opere creationis mundi, sexto die completo, septimo conquievit ; ita quoque in sexta ætate, recreationis opere absoluto, scilicet nativitate, passione et cæteris omnibus, quæ de illo prædicta fuerant, VII ætate requievit, quæ secundum quorumdam opinionem ab ipsius passione fuit auspicata. Alii tamen dicunt eam incœpisse a morte Abeli Quando enim anima Christi mortalitatem et omnem patibilem corporis qualitatem exuisset, quasi in requie corquievit.

CAPUT CVI.

De officio Sabbati.

Nunc de ejusdem diei officio videndum est ; et in principio quidem officii omnis ignis in ecclesia exstingui debet, posteaque e saxo calibe aut ferro alterum excuti : quod fieri debet ex sarmento, quoniam Christus de se dixit : *Ego sum vitis vera* (*Joan.* xv) ; deinde debet benedici cum cruce et aqua lustrali. Quo quidem facto cereus paschalis, ut vocant, benedicetur, atque incenditur cum duobus parvis aliis cereis, qui ab illo accenduntur. Unus enim ab una parte consistit, alter ab alia ; inter quos maximus statuitur cereus. Duo igitur minores cerei declarant sanctos veteris et novi testamenti, qui, tam videlicet hi quam illi, omnes per Christum sunt illuminati. Vel duo cerei significant doctrinam apostolorum et prophetarum, qui cum Christo in doctrina concordant et conveniunt. Tandem vero viginti quatuor in quibusdam Ecclesiis leguntur lectiones. Ac Romæ quidem hoc pacto fieri solet, ut duodecim recitentur Græce, et totidem Latine. In nonnullis autem Ecclesiis legunt tantum duodecim, et in nonnullis duntaxat septem. Atqui viginti quatuor legunt, duodecim ob id Græce recitant propter auctoritatem septuaginta Interpretum, quorum auctoritas quondam in Græcia maxime floruit, atque etiam in illa parte Italiæ, quæ magna olim dicebatur Græcia. Verum duodecim ideo dicuntur Latine, propter auctoritatem translationis Hieronymi. In minimis tamen Ecclesiis non habent, nisi sex ob senarium numerum qui quodammodo perfectus est. Qui vero duodecim servant, illud faciunt propter numerum apostolorum. Lectis ergo lectionibus itur ad fontem cum litania, atque aqua benedicitur et consecratur. Sed peracto eorum baptismo qui fuerant baptizandi, reditur pari ratione cum litania. Qua quidem finita ipsam missam auspicamur a *Kyrie eleison*. Nam in ea missa introitus, graduale, offertorium et commu-

nio præter solitum subticentur. Eodem modo et *Agnus Dei* a quibusdam quidem dicitur, a quibusdam vero non. Suscepta hostia, statim vesperæ cantantur, idque cum duobus tantum psalmis, nimirum: *Laudate Dominum, omnes gentes*, etc. (*Psal.* CXVI), cum *Magnificat* (*Luc.* I). Atque ad eum modum una adjecta oratione totum ejus diei officium absolvitur.

CAPUT CVII.

Quare hæc omnia fiant.

His itaque sic breviter, et quasi historice enarratis, rationes quare hæc omnia fiant prosequamur, et quid significent suo ordine videamus. Ignis, qui antequam novus excuteretur erat in Ecclesia, veterem connotat legem. Quod ergo vetus ignis exstinguitur, significat omnia legalia Veteris Testamenti Christi passione fuisse completa, et exinde debere illa cessare. Saxum, ex quo ignis excitatur, Christus est, super quem tanquam solidam ac firmam petram ecclesia est ædificata, a qua Spiritus sancti ignis procedit. Elicitur tamen aliquando ignis ex crystallo. Nam si crystallus supponatur orificio phialæ aqua plenæ ad solem, sine mora ignis e crystallo illico excutietur, si igni fomentum, quod apponi solet, adjunctum fuerit. Crystallus significat puram et pellucidam Christi carnem, quæ sine labe fuit. Cereus et renovatus et illuminatus significat quod Christus resurgens a mortuis, in carne gloriosa verus Deus apparuerit. Atque ita cereus illuminatus exprimit Christum, divinitatis splendore illuminatum. Quod autem ex igne maximi cerei duo minores ac cætera Ecclesiæ lumina incenduntur, declarat non solum prophetas et apostolos, qui per minores duos cereos, ut paulo ante dictum est, intelliguntur, igne sancti Spiritus illuminatos, sed quod omnes etiam Ecclesiæ fideles eodem igne illustrentur. Simili ratione declaratur divinitatis plenitudinem in Christo fuisse, quod a quibusdam in principio benedictionis cereus accendatur, quanquam profecto melius et commodius tum primum accendi debere videatur, cum in benedictione agitur de igne. Crux ex thure cereo imprimitur, quod nimirum significat holocaustum, id est totum incensum, et totum combustum, sine igne assumptum. In veteri namque testamento duo solebant facere sacrificia, matutinum quod totum incendebatur, et dicebatur holocaustum. Crux de incenso designat sacrificium legis vespertinum, quod immolationem Christi in ara crucis factam, idque in ipso mundi vespere præfigurabat, quodque in ejus passione completum fuit.

CAPUT CVIII.

Quid per cereum paschalem significetur

Annotatur quidem in cereo paschali annus ab Incarnatione Domini. Christus enim antiquus et magnus annus est, ac dierum plenus, si sumamus computationis nostræ initium a conceptione, quando B. Maria dixit: *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I). Eo namque dicto statim Christus fuit homo, atque ipsa Spiritu sancto plena. Ideo ergo Christus annus dicitur, quod quemadmodum in dierum anno sit fructuum plenitudo, ita in Christo et fuit, et etiam nunc est omnium bonorum plenitudo et abundantia. Habet enim Christus suos menses, habet suos dies, siquidem duodecim apostoli duodecim menses sunt, et reliqui dies Christiani omnes et fideles, quorum horæ sunt neophyti. Inscribuntur quoque cereo paschali indictio vel æra atque epacta, quoniam actiones omnium et successiones temporum per Dei dispositionem recte disponuntur. Vocabatur autem indictio antiquitus spatium quindecim annorum, quod ex tribus constat quinquenniis, in quibus orbe triumphato persolvebatur Romanis tributum ex universo orbe. Primo autem quinquennio solvebatur aurum, secundo argentum, tertio ferrum, ad conficienda arma, et æs ad ornandam civitatem. Et sic singula quinquennia illius spatii quindecim annorum similiter appellabantur indictio. Finitis autem quindecim annis revertebatur tributorum indictio, ut prius, quæ quod ita tribus lustris indicebatur, sic dicta est. Appellatum item est tributum hoc æra æræ, quod eodem modo singulis annis omnis orbis reipublicæ Romanæ quodcunque genus æris persolvere professus fuerat. Prius ergo fuerunt indictiones, et postea æræ, ob *æs*, *æris* sic dictæ. Ad cujus tandem nomenclaturam accessit epacta, quod *additionem* significat a Græco verbo *ἐπάγω*.

CAPUT CIX.

De consecrando sive benedicendo cereo.

Cereus a diacono benedici et consecrari oportet, non autem a sacerdote vel episcopo, etiamsi sint præsentes, quantumvis majoris sint ordinis et dignitatis. Per quod quidem intelligitur quod Christus resurgens ex mortuis primo sese obtulerit et ostenderit mulieribus, per quas, utpote quæ erant sexus debilioris, gloriam suæ resurrectionis discipulis suis nuntiavit. Sed nec illud temere fecit Dominus. Nam quemadmodum principium mortis per feminam in mundum intravit, ita quoque necessarium fuit ut initium nostræ restitutionis et salutis per mulierem mundo annuntiaretur. Unde profecto cursorie considerandum est mulieres tribus gaudere privilegiis, quorum primum est, quod in paradiso sit condita ac creata; alterum, quod ex muliere natus sit Christus; et tertium, quia resurgens a mortuis primo apparuit mulieri (*Joan.* XX).

CAPUT CX.

Cur tituli hic taceantur, et de baptismo.

Duabus de causis tituli lectionum non præcinuntur, quarum prima est, quoniam Christus caput nostrum necdum nobis sit restitutum. Secunda vero, quia qui sunt baptizandi, ad quos totum illius diei officium pertinet, adhuc in ima ignorantiæ Scripturarum profunditate immersi detinentur. Cum ergo Scripturas non intelligant, non expedit earum nominare auctores. Inde quoque est quod tum lectiones recitentur ex Veteri Testamento, cujus cognitio non nisi spiritu renatis perfecte manifestatur.

Absolutis lectionibus in magnis quibusdam Ecclesiis litania juxta numerum religiosorum, qui isthuc conveniunt decantatur. In quibusdam vero Ecclesiis ter dicitur; ut fides Trinitatis repræsentetur. Quod autem eundo ad fontem ac redeundo litania cantetur, declarat sanctos orare pro baptizandis, ut baptismi sacramentum vera fide percipiant, et jam baptizati deinceps in veritate fidei et sacramento confirmentur. Sciamus ergo quod in baptismo tempore apostolorum aliud nihil dicebatur, nisi hoc tantummodo : *Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Sed B. Clemens ex doctrina B. Petri inunctionem chrismatis et olei addidit. Postea Leo et Damasus, summi pontifices, ac beatus Ambrosius reliqua adjecerunt, priusquam baptizabant in fluviis et stagnis. Quod vero sacerdos in aquis suaviter anhelat, significat fidelem facile diabolum posse abigere. Anhelat igitur isthic, ut diabolus inde expellatur : levi enim flatu potest repelli ab illo qui in Domino confidit. Cereus in aquis ponitur, quod contactus corporis Christi in baptismate aquas sanctificaverit et vim regenerandi illis contulerit. Repræsentat autem cereus super columnam positus et accensus columnam ignis, quæ nocte præcedebat filios Israel, quando Ægypto exeuntes intrarunt mare Rubrum, in quo præfigurabatur baptismus, ut per desertum venirent in terram promissionis. Extinctus vero ostendit columnam nubis, quæ item eosdem præibat interdiu. Columna enim tria præstabat : protegebat namque illos a sole, ab hostibus, et nocte eis lucem præbebat. Pari ratione Christus præcedens baptizatos, obumbrat eos contra incitamenta vitiorum et protegit ab hostibus, scilicet a dæmonibus et mundanis cupiditatibus, atque illuminat per charitatem. Unde dicitur : *Ignis consumens* in nobis vitia.

Proinde quod chrisma in aquas funditur, significat cœlestia terrenis per fidem baptismatis conjungi. Ob quam etiam causam fieri dicimus quod sacerdos vocem mutet, et quandoque utatur voce alta, quandoque demissa. Eo enim nobis innuitur quod ima, id est terrestria per baptismum jungantur cœlestibus. Consecrata igitur aqua veniunt baptizandi, vel a susceptoribus afferuntur, et baptizantur, sed prius tamen de fide interrogantur. Postea vero oleo inunguntur in pectore et in scapulis. In pectore quidem, ut capaces sint intellectus mandatorum Dei; in humeris vero, ut sint robusti ad portandum jugum et onus legis. Deinde ter merguntur, quod in fide Trinitatis baptizentur. Primo recta facie versus aquam, et capite versus orientem debent immergi, secundo ad aquilonem capite verso, tertio capite verso ad meridiem. Ac primo quidem dicere debet : *In nomine Patris*, mergendo puerum in aquam facie versa ad orientem, postea paululum lavare et dicere, *et Filii*, mergendo eum versus sinistram partem, et iterum paululum lavare, ac dicere, *et Spiritus sancti*, eumdem mergendo versus dexteram partem. Atque ita tandem ipsum in altum sublevare, ac susceptoribus committere debet sacerdos, a cujus manu puerum ut hi suscipiant oportet; unde et susceptores sunt appellati. Non enim debet sacerdos ipsum in aquis relinquere, sed susceptoribus tradere. Tunc baptizatus in vertice capitis inungitur, in ejus significationem, quod Spiritus sanctus ei datur. Bis autem datus est Spiritus sanctus. Primo, Christo adhuc degente in terra, quando discipulis discumbentibus inspiravit, inquiens : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc. (*Joan.* xx). Secundo e cœlo, atque ideo bis quilibet homo inungitur chrismate : Primo in baptismate, et in vertice, postea in confirmatione ab episcopo in fronte. Datur enim nobis bis Spiritus sanctus : In baptismate quidem datur, ad emundationem et collationem virtutum ; in confirmatione vero ad corroborationem. Inuncto chrismate baptizato, imponitur capiti ejus chrismale, rotunda quædam mitra quæ coronam vitæ significat; vel candida induitur vestis, quæ ad similitudinem cuculli ex albissimo panno conficitur filo rubro supertexto. Candida illa vestis innocentiæ stolam designat, quæ nobis redditur in baptismo. Et notandum est quod hujusmodi albam vestem gestare debeant septem integris diebus, nec confirmari nisi illis septem plene absolutis, propter septiformem Spiritum qui datur in baptismo. Sed rubra illa fimbria, quæ vesti isti assuitur et supertexitur, significat passionem Christi, per quam baptismi sacramentum impletur. Aut sane rubra illa fimbria exprimit funem, quem Raab in Jericho per fenestram dimisit, propter hospitium quod ipsa præstiterat exploratoribus missis ab Josue, ad cujus signum salvata est domus ejus cum tota sua familia (*Josue* II).

Cæterum rursus hic animadverte quod supra dictum est, neminem debere in susceptorem accipi, nisi Orationem sciat Dominicam, et duodecim suæ fidei articulos. Hæc enim duo omnes susceptores ut filios suos doceant obligantur, eum illorum fidei sint quasi fideijussores. Quocirca eos observare quam fieri potest studiosissime debent, ne unquam fide et justitia excidant, utpote responsuri in die judicii de omnibus illis quæ enormiter isti perpetraverint. Sacerdos quoque pater et susceptor illorum est quos baptizat, ita ut eos instruere etiam teneatur. Sed quia propter multitudinem omnibus vacare non posset, totum illud curæ susceptorum committitur. Itemque et spiritualis pater esse dicitur sacerdos illorum, nempe quibus verbum vitæ concionatur, et quorum audit confessiones. Unde sane gravius ille peccare dicitur, qui ei mulieri concumbit, quæ suæ est parœciæ quam mulieri quæ est alterius, cum ejusmodi mulier spiritualis sua appelletur filia. Solet apud nonnullos quæstio exoriri de numero susceptorum, et quot debeant esse necessario ad puerum e sacro fonte suscipiendum. Verum non dicimus quod unus facile posset sufficere. Sed cum in ore duorum vel trium testium

consistat omne verbum (*Deut.* XIX), ideo ad minus tres necessario requiruntur, quorum unus vir sit oportet, et duæ mulieres, nec etiam plures, ne carnalis copula per spiritualem conjunctionem impediatur. Quatuor autem sunt genera personarum, quas Ecclesia in susceptores non recipit, ut sunt abbates, monachi, abbatissæ cum suis monialibus, qui sunt unum genus. Ad alterum referimus infideles; et ad tertium illos qui necdum sunt confirmati. Hi enim fideles vere appellari non debent, ita ut nec hinc veri testes esse possint. Ad postremum genus referendus est vir cum sua uxore, nisi prius castitatis ambo fecerint votum. Nam si permitteretur, ut ambo eumdem puerum e fonte susciperent, jam ejusdem fierent patres spirituales, ita ut inde in posterum sese mutuo carnaliter cognoscere non liceret, quemadmodum in decretis prohibitum est (8). Sed et hoc egregie admittendum est ut aliqui eum puerum e fonte susciperent, qui cum illis jus est cognationis. Nam dilectio charitatis, quantum fieri potest, per baptismum extendi debet. Proinde vero quanquam pagani sive gentiles templa sua circa fontes conficere soliti sint, atque aquam isthic semper in promptu habere, per cujus aspersionem se purificari credebant, ita ut illos fontes delubra nominaverint a *diluendo*, atque sic naturaliter ad baptismum accesserint, nos tamen ab eorum consuetudine baptismorum non sumpsimus. Habemus enim illud a tribus potissimum, quæ in Veteri Testamento fuerunt, nimirum a cataclismo, id est a diluvio, a mari Rubro et ab Jordane, quæ nobis velut figuram baptismi præbuerunt.

At roget aliquis num etiam liceat in cocta aqua, ut in cervisia vel mulso, vel in vino, vel in oleo, vel in alio liquore aliquem baptizare? Verum enim vero nulla in alia re istud facere permissum est, nisi tantummodo in pura aqua, sive illa ex nive et glacie sit resoluta, sive marina, sive fluvialis. Sed hoc animadvertendum est quod non debeat celebrari baptismus, nisi in Sabbato paschali et Pentecostes. Fieri tamen potest causa necessitatis, quæ triplex est: prima est causa munitionis, ut si rex civitatem aliquam vellet obsidere, tunc loci ejus pueri licite baptizantur, ne contingat eos aliquo periculo mori nedum baptizatos; altera est ægritudo: accipitur autem hic late ægritudo pro quavis naturæ infirmitate, quæ facile potest dissolvi, ita ut nesciamus diem neque horam, et ideo frequenter sit baptismus non solemnis, nec tempestivus, hoc est, non congruo et convenienti tempore factus; tertia est, quæ fit causa persecutionis gentilium. Solebant tamen Græci baptismum celebrare in Epiphania, quod tum Dominus esset baptizatus, atque ita baptizabant tribus diebus contiuuis. Consideremus interim quatuor esse genera aquæ benedictæ: aqua videlicet, in qua fit judicium purgationis, quæ in Ecclesiæ dedicatione sanctificatur et qua diebus Dominicis aspergimur, atque aqua baptismi qua aspergi solebamus priusquam chrismate ungeremur, quod in quibusdam locis etiamnum observatur. Sed postea interdictum est, ne stultulus quispiam atque rerum imperitus hujus aquæ aspersione se iterum a peccatis mundari putet, cum evidenter satis manifestum sit neminem posse bis baptizari. Iis ergo duobus Sabbatis ideo celebratur baptismus, quia in primo per Christi passionem redimimur; in altero, quoniam ipso die Pentecostes datur nobis Spiritus sanctus, per quem facta est remissio peccatorum

CAPUT CXI.

De reliquo officio in vigilia Paschatis.

Nunc ad propositum redeamus. Celebrato baptismo reditur ad chorum cum litania, eaque cantata, ipsum sacrum sive missa sine introitu inchoatur a *Kyrie eleison*. Sed introitus propterea subticetur, quod caput nostrum videlicet Christus necdum nobis sit restitutus. A *Kyrie eleison* ideo incipitur, ut vetus inchoandarum missarum consuetudo, quæ fuit ante Cœlestinum summum pontificem, repræsentetur. Canitur autem ideo *Gloria in excelsis*, quia angeli ob renatos baptismate et neophytos in cœlis gloriantur, qui Domino jam nato hunc hymnum decantarunt. Epistola vero Pauli tono ac voce communi legi debet, quoniam doctrinam significat apostolorum, quæ modo baptizatis est prædicanda et aperienda. Sed lectiones præcedentes nocturno tono pronuntiantur, quod prophetas connotent. Graduale propterea non canitur, quia baptizati nulla adhuc opera, nullumque gradum in virtutibus fecerunt. *Alleluia*, quæ vox est plane angelica, vel ob id maxime cantatur, quod angeli lætentur baptizatos ex servitute diaboli ereptos, et ad fidem conversos esse. Sed quoniam adhuc eis sit laborandum quandiu quidem in hac vita fuerint, idcirco tractus, scilicet, *Laudate Dominum, omnes gentes*, confestim subjungitur. Subticetur porro offertorium, ut per hoc expresse indicemus mulieres tacite ad monumentum venisse. Tres enim Mariæ stabant juxta sepulcrum cum silentio et voce compressa (*Matth.* XXVII). Nec pacem ad hanc missam dare debemus, quod Christus necdum resurrexit, qui nostra pax est, sed *Agnus Dei* ter dicitur cum *Miserere nobis*. Quod tamen nunc de resurrectione canitur sciendum est hoc fieri in gratiam renatorum, hoc est eorum qui sunt modo baptizati. Tacetur præterea et communio, quoniam baptizati nondum communicaverunt. Nam ipso die Paschatis debent communicare. Facta igitur communione statim ante collectam sive orationem cantantur vesperæ cum uno psalmo duorum versuum, scilicet *Laudate Dominum, omnes gentes*, et cum hymno, videlicet *Magnificat*, dicunturque ambo sine *Gloria Patri*. Breviores ideo sunt vesperæ, ne neophyti qui divinis nondum assueve-

(8) 30, q. 4. Quod videtur extra de cogn. Spirit, c. II et IV.

runt, aliquo officii tædio afficiantur. *Gloria Patri* ob eam causam non dicitur, quod Filius qui tertia in Trinitate persona est, nondum nobis sit redditus. Sed ideo quoque vesperæ ante orationem missæ decantantur, ne finita missa populus videatur habere redeundi facultatem, quasi amplius nihil debeat exspectare. Vel sane idcirco una oratione totum absolvitur officium, quoniam baptismi sacramentum universum in Christi passione consummatur.

CAPUT CXII.

De tempore regressionis.

Dictum est hactenus de duobus temporibus revocationis nimirum et deviationis. Nunc vero sequitur tempus ipsum regressionis, non quidem ordine temporum, sed ratione officiorum. Hoc itaque tempus vocatur Paschale, significatque tempus illud quod futurum est post diem judicii. Quoniam tum temporis ad vitæ patriam quam per Adamum amisimus, propitiante Deo regrediemur. Cognoscendum tamen est primam hujus temporis septimanam communem esse et huic tempori et præcedenti. Pertinet enim tota ad Septuagesimam, ut supra dictum est. Unde profecto illud est, quod tractus, qui in ipso Sabbato Paschæ canitur, et graduale per totam illam septimanam cantentur, quæ laborem nobis indicant. Duo etenim illa respectu cantantur Quadragesimæ. Alleluia vero et cætera cantica lætitiæ, propter tempus regressionis. Dicitur autem hæc septimana paschalis, quæ a Paschate, primo hujus temporis die, sic denominata est.

CAPUT CXIII.

De officio hujus temporis.

Ut ergo temporis hujus officium commode tradamus et a primo die incipiamus, necesse est videamus primo de ipso nomine ejusque ratione et causa, ac deinde de ipsius diei officio. Vocatur dies hic Pascha sive Resurrectio Domini. Est autem Pascha Græca vox, diciturque nobis *transitus*, non passio ut plerique arbitrantur. Hebraice vero dicitur phase. Sed ideo diem hunc Græco nomine, et non Hebraico appellamus, licet Hebraica lingua dignior sit, ut non solum in aliis, verum etiam ne in nomine quidem videamur judaizare. Propter hanc eamdem causam et Pascha et Pentecostes, quas ipsi celebrant, in nostris kalendariis certo die non annotantur, nec unquam eas illo tempore celebramus quando illi, ne eos in aliquo imitemur, neve hic rursus quosdam sequamur hæreticos, qui dicebant Evangelium non posse sufficere ad salutem sine cæremoniis legalibus. Vocamus autem diem hunc Græco potius vocabulo quam Latino, quod Græca lingua olim apud Romanos tantæ fuerit auctoritatis, ut dies solemnes, ac dignitates suas Græcis nominibus vocarent, ut Pascha, Pentecoste, ὑπαντὴ Epiphania, Apostolus, Episcopus, Archiepiscopus, etc. Vel dici potest juxta Augustinum nomen hoc Paschæ divina constitutione compositum fuisse a Græco verbo τοῦ πάσχειν, quod pati interpretatur, et hoc nomine Hebræo Phase, quod si Latine reddatur sonat transitum. Recte enim duo hæc nomina πάσχειν et Phase, conveniunt in hoc nomine Paschæ, tam secundum significationem, quam secundum voces. Secundum quidem significationes quoniam in passione Christi fuit transitus. Per passionem enim Christus transivit a morte ad vitam, et fecit nobis viam credentibus in resurrectione ejus, ut transeamus et nos de morte ad vitam. Quare non immerito nomen hoc utriusque nominis habet significationem, atque ita artificiose etiam in re complectitur significationem ejus vocabuli Latinam, ut ex duabus linguis fiat tertia, nempe Latina. Appellatur enim Pascha ipsa dies resurrectionis. Verum tempus paschale dicitur a Dominica in Ramis palmarum usque ad octavam Paschæ, ita tamen, ut Dominica in Ramis palmarum appelletur minus Pascha, quia tunc inducebatur agnus qui sexta feria debebat immolari. Proprie vero dicebatur Pascha dies quo agnus immolabatur.

Modo de causa nominis dicendum est. Vocatur autem tempus hoc Pascha secundum historiam, tropologiam, allegoriam, et anagogen. Et quidem secundum historiam, quoniam populus Israeliticus quando primum celebratum est Pascha, transivit per mare Rubrum, cum ex Ægypto egrederetur. Vel quando angelus ille exterminator per Ægyptum transivit, interfecitque totius *Ægypti primogenita ab homine usque ad pecus* (*Psal.* CXXXIV), ad illas domos pertransiens in quarum foribus non inveniebat sanguinem agni in formam litteræ hujusmodi T. Secundum allegoriam, quandoquidem hoc tempore per baptismum Ecclesia ab infidelitate transiit ad fidelitatem. Dicitur enim allegoria alieniloquium, vel potius inversio, cum aliud verbis, aliud sensu ostendimus. Secundum vero tropologiam, quoniam, hoc tempore per confessionem transimus a vitiis ad virtutes, diciturque tropologia, quasi sermonis ad mores conversio. Denique secundum anagogen, quia Christus nunc a mortalitate ad immortalitatem transivit, fecitque ut quemadmodum jam resurrexit, nos in ultima et universali resurrectione ex hac mundi miseria ad æternam beatitudinem transiremus. Nam et illi qui in inferno erant tunc transierunt, idque ab inferno ad portam paradisi. Dicta est autem anagoge ab ἀνὰ *sursum* et a γωγὴ id est *ductio*, quasi sursum ductio. Volente enim Deo a mortalitate transibimus ad immortalitatem : qui transitus subtilis et excelsus est. Sic enim in hoc nomine Jerosolymæ quatuor ista possunt inveniri : historia, quemadmodum de ea civitate ad quam pergunt hospites et peregrini ; allegoria, ut est Ecclesia militans ; tropologia, ut quævis anima fidelis ; anagoge denique, ut Jerosolyma cœlestis. Intellige tamen Christi transitum anagogice non allegorice in prædictis, scilicet Pascha, et cæteris.

De officio autem hujus primæ septimanæ generatim dicimus ad nocturnos nocte tres duntaxat psalmos cum tribus antiphonis, tres item lectiones cum tri-

bus responsoriis, idque ex homiliis tantum dici debere. Cæterum in quibusdam Ecclesiis ad unum quodque responsum annectunt *Gloria Patri*. Fit etiam in plerisque Ecclesiis ut cantato ultimo responso, cum candelis cereis et solemni processione eant ex choro ad locum quemdam, ubi imaginarium sepulcrum compositum est, in quod introducuntur aliquot in personis mulierum et discipulorum Joannis et Petri, quorum alter altero citius revertitur, sicut Joannes velocius cucurrit Petro, atque item alii quidam in personis angelorum qui Christum resurrexisse dixerunt a mortuis. Quo quidem facto personæ eæ redeunt ad chorum, referuntque ea quæ viderint et audierint. Tunc chorus, audita Christi resurrectione, prorumpit in altam vocem, inquiens: *Te Deum laudamus*. Ad primam vero nonnulli dicunt tota hac septimana psalmum hunc, *Confitemini Domino quoniam bonus* (*Psal.* cv); quod præcipue de Christi resurrectione agit. Symbolum autem Athanasii, *Quicunque vult*, etc., toto illo tempore non cantatur, quoniam maxime pertinet ad fidem. Sed hoc tempus indicat octavam ætatem, ubi non fides erit, sed res; ubi non figura erit, sed veritas. Paulo tamen aliter in quibusdam Ecclesiis solet fieri, ut in nostra Parisiensi. Sed animadvertere quod cum *Credo in unum Deum* perinde fidei sit symbolum, ad missam tamen legatur, et quod illud quidem fiat ad instructionem neophytorum in articulis fidei. Aliud vero symbolum quod minus appellatum est, ad primam plane subticetur ob suam significationem. Nam *cum venerit quod perfectum est*, tum perimetur id *quod ex parte* constat (*I Cor.* XIII). Præterea animadverte hanc solemnitatem usque adeo esse magnam, ut per antonomasiam atque excellentiam vocetur Solemnitas solemnitatum.

CAPUT CXIV.

Quæ circa hoc tempus sint observanda.

Posthæc priusquam cætera prosequamur de quibusdam quæ huic consideranda veniunt, oportet paucis tractemus, videlicet de ornatu templi, de reconciliatione proximi, de modo salutandi, de veneratione hujus temporis, de mensa corporis, et postremo de quadam libertate Decembris. Ac templum quidem aliud, ut diximus, est materiale, aliud spirituale. Materiale est quod ex lignis, cæmentis, saxis, lapidibus, et cæteris ædificandi materiis confectum est, spirituale vero nos sumus. Utrumque circiter hoc tempus mundandum est, utrumque ornandum et poliendum. Necesse enim est ut hoc tempore ad balneas veniamus, non utique ad voluptatem, sed ad ejus rei declarationem, ut per extrinsecam corporis ablutionem interiorem animæ purgationem fieri debere intelligamus. Exigit præterea tempus hoc ut barbas radamus ac tonsuras et coronas, quas in vertice capitis gestamus, capillosque demamus. Abrasio enim capillorum et barbæ, quæ ex superfluis stomachi nascuntur humoribus, ut ungues ex superfluis humoribus cordis, significat quod debeamus vitia et peccata, quæ nobis sunt superflua, re- A secare. Capillos ultra aures demere debemus, ut quinque corporis sensus expeditos et promptos ad serviendum Deo habeamus. Sed ideo summitatem capitis radimus, quo per hoc nihil inter nos et Dominum esse demonstremus. Oportet ergo hic mundas et solemnes induamus vestes, maximeque candidas depositis nimirum nigris et pœnitentialibus. Indicat enim tempus hoc secundam illam resurrectionem, qua nos stolam salutis vel glorificationis corpore induemus, et animo stolam justitiæ; vel etiam propter renatos, qui albis vestibus tunc sint induti; vel denique ob angelos, qui in resurrectione Domini albis vestibus apparuerunt.

CAPUT CXV.

De ornatu templi materialis.

B De emundatione materialis templi superius dictum est. Nunc vero de ipsius ornatu exponamus, qui triplex est, in ornandis parietibus, in choro et in altari. Ad parietes quidem sunt appendendæ cortinæ, aulæa, et pallæ sericæ. In choro habenda sunt dorsalia, tapeta, sedilia clericorum. Sunt autem tapeta tegmina variis coloribus depicta, quæ præcipue sub episcoporum pedibus sternuntur, quod mundana pedibus penitus calcare debeant. Sic et velamen adesse debet, quod ante crucifixum removetur, retro quem ponitur pallium, quod quæ prius erant operta ante Christi passionem, modo manifestentur, In quibusdam locis crux in altum erigitur cum vexillis, per quæ Christi victoria designatur. Altare C quoque suis ornamentis decoratur, ut crucibus ordine collatis, capsis testibus evangelicis, phylacteriis. Est tamen discrimen inter phylacterium et phylacteriam. Phylacterium enim chartula est, in qua decem legis præcepta scribebantur, cujusmodi chartas solebant ante suos oculos circumferre Pharisæi in signum religionis. Unde in Evangelio: *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias* (*Matth.* XXIII). Atque hoc quidem phylacterium a φυλάσσω id est *custodio*, dictum est et thoral, quod est *lex*. Phylacteria autem phylacteriæ vasculum est vel argenteum vel aureum, vel etiam crystallinum, in quod sanctorum cineres et reliquiæ reponuntur. Porro autem tres sunt causæ quamobrem Ecclesiæ thesaurus in magnis solemnitatibus in apertum proD feratur. Et primo sane propter cautelæ considerationem, ut appareat quam cautus ille fuerit in servando qui istum servare debuerit. Tum vero propter solemnitatis venerationem, tandemque ob memoriam oblationis, quo videlicet in illorum offeratur memoriam qui istiusmodi bona Ecclesiæ prius obtulerunt. Ante altare dependi oportet pulchrum aliquod velamen nimirum pallium, vel ei simile quidpiam, seu tabula vel aurea, si habeatur. Ante quod quidem ornamentum in nonnullis magnis ecclesiis velamenta trium colorum poni solitum est, unum rubrum, alterum subalbum, tertium nigrum, quæ tria significant tempora. Paschate enim cum prima lectio finita est cum suo responsorio velamen nigrum, quo tempus ante legem indicat, removetur. Post-

quam vero secunda cum responsorio absoluta est, removetur velamen candidum, per quod tempus sub lege exprimitur. Ita demum et tertia lectione finita ac responsorio, deponitur velamen rubrum, quo tempus gratiæ significatur, in quo per Christi passionem ad sancta sanctorum, id est ad æternam gloriam nobis patet aditus.

A

CAPUT CXVI.

De reconciliatione proximi.

Sequitur de reconciliatione proximi : Cum enim illo die communicare omnes debemus, si cum aliquo discordes fuerimus, necessario oportet ut ipsum nobis reconciliemus. Alioqui certe judicium nobis sumeremus, quod eleganter a minori probari potest, juxta illud evangelicum : *Si offers munus tuum*, etc. (*Matth.* v). Unde est quod sacerdos diebus Dominicis postquam concionem absolverit, teneatur populo Orationem Dominicam, et fidei articulos vernacula lingua exponere. Ex qua etiam causa fit, quod Oratio Dominica alta voce in missa cantetur, ut omnes eam addiscant, et hinc ad conciliationem proximi admoneantur. Tota hac paschali septimana æquum foret ut, nisi aliter modo usus obtineret, hoc pacto unumquemque salutaremus, videlicet *Resurrexit Dominus* (*Matth.* XXVIII), et qui ita salutatus esset responderet, *Deo gratias*; datis sibi mutuo osculis in signum dilectionis et charitatis.

B

CAPUT CXVII.

De veneratione hujus temporis.

Vero nunc quoque de veneratione hujus temporis pauca dicamus. Usque adeo tempus hoc venerandum et colendum est, ut omnia ergastula et operatoria et officinas tam mulierum quam virorum occludere debeamus, ac nulla venalia exponere, exceptis illis sine quibus cœnari non posset. Præterea oportet nos latomias et cætera genera carcerum relaxare, et captivos communi aeri restituere integra hac septimana, ut gaudio nostro nobiscum communicent. Sunt autem latomiæ lapidicinæ, in quibus cæduntur lapides, et ad quas damnari solebant ii qui in opus metalli damnabantur. Tametsi quidem et pro quovis carcere accipi possit, vel quod Romæ hujusmodi latomia in carcere prope Tullianum fuerit, vel quod lingua sæculorum latomia Syracusis carcer appellabatur. Servos autem et ancillas ac omnes qui nostro servitio sunt addicti, profecto ab omni servitutis severitate eos hoc tempore laxare debemus, quemadmodum etiam nostros pastores, sive sint equorum, sive porcorum, sive armentorum, sive etiam ovium et caprarum, ut libere et secure omnes possint ad audiendum divinum officium convenire, et communicare. Inhumanum quoque est hoc tempore debita a debitoribus exigere, ita ut vel hinc tum temporis pascua communia esse dicantur.

C

D

CAPUT CXVIII.

De mensa corporis.

Nihil quod non sit a sacerdote benedictum, hoc die Paschatis comedere debemus. Unde etiam nunc in quibusdam regionibus pro more receptum est ut in magno vase omnia quæ velint illo die comedere fercula ad ecclesiam deferant, in cujus atrio et vestibulo a sacerdote cum cruce et aqua lustrali, quam benedictam dicimus, in sacris vestibus benedicuntur. Postea vero sacerdos aliquid sibi de singulis ad suam necessitatem sumit. Et certe nullus quovis die quidquam vel edere, vel bibere deberet, quod non ante sit benedictum, unde B. Hieronymus de quadam moniali recenset in eo libro, cui Vitas Patrum titulum fecit : « Cum enim illa forte fortuna in ortum suum iret, et lactucas absque benedictione comederet, simul etiam diabolum qui sub eas sese abdiderat, imprudens deglutiit, qui multo tempore eam acerbe vexavit. » Debet autem quivis homo hoc die tria potissimum exercere, misericordiam videlicet, liberalitatem et sobrietatem. Misericordiam, ut egenos et vagabundos ad se suscipiat, eisque misericordiæ opera exhibeat, et illis aliquid juxta quod in lege præceptum est, mittat, qui nihil sibi aut coxerunt, aut præpararunt. Liberalitem vero maxime hoc tempore quemque exercere oportet, ut, si abundat, vicinis et amicis suis quidpiam impartiatur. Sed et sobrietatem ideo, quod debeamus illo die magis sobrie comedere, ut sibi quisque parcus sit, aliis vero largus. Observet ergo quilibet misericordiam quantum ad pauperes, liberalitatem quantum ad amicos, et sobrietatem quantum ad seipsum.

CAPUT CXIX.

De parvo prandiolo.

Exponendum modo est de parvo quodam prandiolo, quod fieri debet ante magnum prandium in Paschate quando communicatum est. Statutum enim est in quibusdam Ecclesiis, et ubique terrarum sic debere fieri, ut illo die panis et vinum in ecclesia habeatur, et cum homines communicaverint, detur statim unicuique panis buccea priusquam recedant, et paululum vini, ne forte quidpiam de sacramento in ore remanserit, quod exspuendo facile emitti queat. Posset enim facile contingere, si non statim comederetur. Quæ sane laudata consuetudo omnibus probatur, sumpsitque originem ex institutione B. Benedicti. Instituit namque vir ille sanctissimus ob eamdem causam ut illi, qui aliis fratribus debent in prandio post communionem ministrare, aliquid prius comederent. Atque hoc quidem prandium mistum appellari solet. Debent autem singulis diebus religiosi communicare, qui vel pomum, vel aroma aliquod, vel tale quidpiam saltem comedere debent, quod nauseam compescat. Eadem etiam consideratione statuit Ecclesia ut missæ tribus certis horis pro dierum qualitatibus celebrarentur. Tertia videlicet hora diebus festis, sexta profestis, et nona in jejuniis, ut absoluta missa, et peracta communione, statim accedatur ad prandium, ne prædictam causam incurrant hi qui communicaverunt. Dixi his tribus horis, quia his cele-

bratis licet prandere pro qualitate dierum, et non prius. Si autem forte contingat ut vel hoc die vel quocunque etiam alio sacramenti aliquid e calice excidat, sciendum est, si de corpore fuerit, quod sumi oporteat; si vero de sanguine super pannum ceciderit, quod debeat illud omne lambi quantum fieri potest, et si pannus iste lavandus sit, lavetur in piscina. Sed si super lapidem vel lignum ceciderit, debebit omnino eradi, et quod abrasum est comburi, ac cinis ille sub altari recondi. Idem faciendum est, si simile quidpiam nausea acciderit.

Animadvertamus ergo hic quod ob duas præcipue causas aliquid lavatur : nempe propter venerationem sacramenti, sicut sacerdos lavat manus quando sacramentum tetigit; et propter immunditiam, ut quod immundum est, mundum efficiatur. Itemque et illud animadvertamus decretum fuisse in quodam concilio Pictaviensi, ut nullus unquam sine lumine aut communicaret aut missam celebraret. Proinde cum eo quod statim diximus, observemus neque laicum, neque sacerdotem debere post communionem in talem locum exspuere, quo sputum istud facile possit conculcari, videlicet ante comestionem. Ubi etiam diligenter cavendum est, ne in locum immundum et impurum exspuatur. Quod autem hic quæritur, quemadmodum canon dici debeat, citone an tarde? respondemus verba debere cito pronuntiari, sed tamen discrete. Et cur obsecro, cito? ne videlicet muscæ venientes auferant suavitatem unguenti. Quod quidem constat etiam ex Veteri Testamento in Exodo, ubi hoc pacto dicitur : *Comedetis festinanter* (*Exod.* XII). Dictum enim illud de immolatione agni.

CAPUT CXX.

De quadam libertate Decembris.

Restat ut de eo nunc agamus, quod ultimo loco in partitione superiori propositum fuit, nimirum de quadam libertate Decembris, quæ hoc tempore in quibusdam locis observatur. Sunt enim nonnullæ Ecclesiæ, in quibus usitatum est ut vel etiam episcopi et archiepiscopi in cœnobiis cum suis ludant subditis, ita ut etiam sese ad lusum pilæ demittant. Atque hæc quidem libertas ideo dicta est Decembrica, quod olim apud ethnicos moris fuerit ut hoc mense servi et ancillæ et pastores velut quadam libertate donarentur, fierentque cum dominis suis pari conditione, communia festa agentes post collectionem messium. Quanquam vero magnæ Ecclesiæ, ut est Remensis, hanc ludendi consuetudinem observent, videtur tamen laudabilius esse non ludere.

Notandum quoque est in plerisque regionibus secundo die post Pascha mulieres maritos suos verberare, ac vicissim viros eas tertio die, quemadmodum licebat servis in Decembris dominos suos impune accusare. Quod ob eam rem faciunt, ut ostendant sese mutuo debere corrigere, ne tempore illo alter ab altero tori debitum exigat. Unde sciendum est in concilio Elibertino sub Sylvestro ponti fice hujusmodi decretum fuisse : ut vir et uxor quando deberent communicare, tribus diebus antequam communicarent, ab amplexibus abstinere, et postea item tribus sequentibus ad minimum, vel quinque vel septem, propter septem dona Spiritus sancti. Quod sane decretum sumptum est ex lib. Regum, idque ex eo loco ubi dicitur, David fugiens a facie Saul venisse Nobe, ad sacerdotem Abimelech, et petiisse ab eo cibum. Qui cum non haberet quod ei daret, nisi panes propositionis, quos non licebat nisi sacerdotibus comedere, et illis etiam mundis : cum postularet tamen illos sibi dari David : *Sunt*, inquit, *pueri tui mundi? Cui David respondit : Si de mulieribus quæris, ab heri et nudiustertius abstinuimus* (*I Reg.* XXI). Alii autem codices sic legunt : Si pueri tui sunt mundi, maxime a mulieribus, manducent. Quasi diceret : Necessitas non habet legem. Si tamen ex coitu sunt immundi, ne in necessitate quidem eis dabo. Et inquit ad eum David : *Ab heri et nudiustertius nos continuimus : et sunt vasa puerorum sancta*, id est, corpora in quibus continentur animæ vel ipsi pueri. *Porro via polluta est, sed hodie sanctificabitur in vasis* (*ibid.*). Quasi dicat : Forte in via hac aliquid immunditiæ contraximus, sed munditia corporum sufficit ad eam mundandam. Nec vero dico quod si vir ab uxore tori debitum postulet, quod huic illa non reddet, sed debet ipsum placide monere ne exigat. Si vero instet, nec ullis monitis acquiescat, persolvat, ne exigenti forte hinc magis peccare accidat, quemadmodum non ita pridem quibusdam Germanis fertur evenisse. In Germania enim cum caste integra Quadragesima viventes vir et uxor seorsum cubuissent, forte fortuna paschali nocte cum ad matutinas surrexissent, mulier exegit debitum. Quam diligenter vir corrigens, cum nihil bonis admonitionibus proficeret, promisit se illud facturum quod peteret simul atque rediret, et sic ad matutinas abiit. Illa vero quasi furibunda domi remansit, et accessit ad juvenem quemdam sui mariti fratrem, in eadem domo dormientem, petens ab eo ut se cognosceret. Qui nolens ei acquiescere, tum propter temporis venerationem et sanctitatem, tum propter incestum, quod illa impudenter petebat, prorsus se facturum denegavit, atque iterum hic obdormivit. Tum mulier ob repulsam, quam passa fuerat, vehementius ardens, dormientem juvenem obtruncat. Viro autem redeunti domum omnem rem narrat ordine, inquiens : « Hujus mali tu auctor es, qui hæc me facere coegisti. » Proinde longam, multamque ambo egerunt pœnitentiam, nec ideo sunt separati.

¶ Quare hac in parte intelligendum est, virum mulieri in omnibus præesse, et in mulierem omne habere imperium, exceptis genitalibus, in quibus utrique par est et dominium et imperium. Unde dicitur : *Vir non habet potestatem suæ carnis, sed mulier; nec mulier sui corporis, sed vir* (*I Cor.* VII), hoc est genitalium; sic enim exponit Augustinus. Hinc etiam est quod sacerdotes non habeant mulieres. Si

enim haberent, quotiescunque ab iis debitum exigerent, istud solvere tenerentur, et sic non possent infra tres dies sequentes aliari ministrare. Ac sciendum præterea est quod tribus diebus Pascha sequentibus plane sit feriandum; sed quarto die licet viris rustica exercere opera, feminæ autem debeant a nendo abstinere. Magis enim sunt necessaria ea quæ ad agrorum culturam pertinent, quam ista alia. Unde Gregorius : « Melius est, inquit, fodere et arare die Dominico, quam ducere choreas. » Ex hoc sane fieri dicimus, quod singuli isti dies propria et peculiaria habeant officia et propria responsoria, alia autem non item, sed quasi per quamdam accommodationem. In hac porro septimana nihil legendum est ex Veteri Testamento, sed quælibet dies sua habet officia. Nec cantandum etiam est, *Quicunque vult*, quia hoc tempus significat futurum illud tempus, quod adfore post resurrectionem credimus, quando omnis fides, omnis spes omnino destructur. Post officium autem hic versiculus dicitur, scilicet, *Domine, probasti me et cognovisti me* (*Psal.* CXXXVIII), et quidam tacent *sessionem meam* (*ibid.*). Sed tamen utrumque dici potest, quo indicatur duplex in Christo nativitas. Bifariam prima cantari potest, aut brevius, aut prolixius. Prolixius quidem, cum plena esse dicitur, fitque in litania et cum precibus. Brevius autem, cum minus plena esse appellatur, ac fit vel tantummodo cum precibus et sine litania, vel sine litania ac sine precibus. Atque hæc est, quam hisce diebus canimus sine precibus, et omnino brevius quam alio tempore.

Magna item in communicandis cautione opus est, ut videlicet sacerdos prius audiat confessionem eorum qui sunt communicaturi, et si quis adversus fratrem suum odium vel criminale aliquid habeat, admonendus prius est ne communicet antequam fratri suo reconcilietur. Sed si hujusmodi aliquis se cum aliis imprudenter ingerat, non est ei negandum, nec agendum ut quidam agunt, qui hostias habent et consecratas, et non consecratas ita ut si aliqui accesserint, qui fraternum odium exercuerint, vel aliquid criminale, communicent de non consecratis, verum eos graviter peccare satis manifestum est. Fallunt enim eos, quanquam non minus, imo magis peccant alii qui sumunt, cum sponte et voluntarie rei sint. Nam putant se verum corpus sumere, et non pertimescunt illud sumere indigne. Debet ergo sacerdos panem habere consecratum, ut si tales accesserint illo etiam pane communicent. Quatuor autem modis communicatur in Ecclesia, vel sumendo corpus Domini, vel pacem dando, vel benedictionem accipiendo, vel etiam sub finem missæ cum dicitur : *Humiliate vos ad benedictionem*. Quod ideo institutum est, ut si quis hoc modo non communicet, saltem illo. In primitiva enim Ecclesia præceptum erat ut singulis diebus corpus Domini sumeretur : postea vero crescente numero fidelium, ut singulis diebus Dominicis. Unde etiam nunc in Græcia sub anathemate ponitur qui a tribus diebus Dominicis non communicaverit. Modo autem nos tenemur in tribus solemnitatibus, nimirum Paschate, Pentecoste et Natali. Appellatur autem prima illa solemnitas Paschæ agnus et transitus, salutandumque eo tempore est hoc modo : *Resurrexit Dominus*. Sic et eodem die in principio missæ populo est concionandum, vel post Evangelium : et admonendi sunt discordes ad concordiam. Ob quam quidem causam fieri putatur, ut cum Dominica Oratio in prima dicitur voce submissa, et alta et expressa eadem pronuntietur in missa, ut vel eo pacto adhortentur qui in fraterno sunt odio, et ad concordiam discordes excitentur, antequam communicent. Nunquam etiam magis indigne corpus Christi sumi potest quam ad eum modum.

CAPUT CXXI.

Expositio quorumdam, quæ cum circa hoc tempus, tum alibi etiam observantur.

Quamobrem autem episcopi et alii ecclesiastici feriis hisce paschalibus ludere possint, modo expositum est. Sed deinceps ut et alia nonnulla, quæ cum hic tum alibi, fiunt explicemus, hinc ordiemur, videlicet apud quosdam hoc tempore aquarum fieri demersiones, ne quia tota Quadragesima vigilaverunt, his sanctis diebus velint dormire. Induimus autem hoc etiam tempore albas vestes, tum quod pueri regenerati eas habeant, tum quod eo die angeli in albis visi sint. Ob causas supradictas tacetur, *Quicunque vult*, et canitur *Credo in unum Deum*. Animadverte hic obiter, si forsitan vinum in calice congeletur, sacerdotem debere tantisper exhalare, donec glacies resolvatur. Quod si vero non possit eo modo resolvi, necessarium est ut igni apponatur. Sed si quid casu in calicem ceciderit, sive nimirum musca, sive aranea, certe quidquid illud est, omne istud sacerdotem deglutire oportet. Proinde vero Sabbatum sequens in Albis appellatum est, idque ex veteri consuetudine, cum eo die nigras vestes omnino deponebant atque induebant albas, sed hoc nonnulli faciunt in Sabbato Paschæ. Statim autem Dominico sequente novem lectiones cantandæ sunt : unde et historiam habent, videlicet, *Dignus es, Domine*. Sic enim fit Romæ. Nec his diebus flectenda sunt genua, sed recte orandum est, quia, ut inquit Ambrosius sub finem Lucæ, mulieres venerunt ad monumentum, nec flexerunt genua, sed recte inspexerunt sepulcrum. Nota interim non debere in festo B. Mariæ Annuntiationis sequentiam, quam etiam prosam appellatam esse diximus, cantari, etiam causa devotionis, nec unquam nisi canatur *Alleluia*. Moris enim fuit ut post *Alleluia* cantaretur neuma. Nominabatur autem neuma cantus, qui sequebatur *Alleluia*. Postea vero quidam Papa instituit loco neumæ dici sequentiam; quæ, quod *Alleluia* sequetur, sic appellata videri potest. Conceditur nihilominus, ut hoc tempore aliquis genua flectat, modo id non aperte, sed secreto faciat, et jejunet etiam qui velit. « Nam, ut ait Hie-

ronymus, utinam possemus omni tempore jejunare? » Sunt autem prohibitæ in jejunio carnes, quemadmodum et ova, caseus, lac, quod, ut idem putat Hieronymus, hæc omnia sint carnes liquidæ. Beatus tamen Benedictus permisit ova, lac et caseos comedere, ut, quamvis libibinis quædam sint incitamenta, ad majorem tamen coronam et victoriam comedantur. Verum eis, qui jejunant pisces permissi sunt, sed, ut ait Hieronymus, pisciculi pauci : quo facile intelligitur, quod et parvi et pauci esse debeant. Dicitur autem tempus hoc Quinquagesima, quod per tempus hoc jubilei, quo plena erit libertas, et nostra nobis reddetur hæreditas. Unde profecto et *Alleluia* cantamus. Verum genua non flectimus, imo stantes oramus, nisi in litaniis.

Ad postremum autem animadvertamus Pascha Judæorum fuisse figuram nostri Paschatis, et nostram vicissim significare Pascha futurum, quod erit in fine mundi. Quod ut pateat sciendum est duo esse opera Dei, scilicet opus creationis et opus recreationis. Opus creationis fuit in principio, cum Deus mundum et omnia quæ in ipso continentur, creavit. Opus vero recreationis fit quotidie; sed Deus illud maxime exercebit in die judicii, quando omnia innovabuntur. Tempori utriusque operis nostrum Pascha convenit et concordat. Et quidem tempore creationis, quia tunc angeli Dominum laudaverunt, unde dictum est Job : *Ubi eras cum astra matutina laudarent me, et omnes filii Dei jubilarent ante me* (*Job* XXXVIII). Sic et nos in nostro Paschate renati. *Alleluia* laudando Dominum cantamus. Tempus vero recreationis pari ratione nostrum Pascha e vestigio repræsentat. Tres enim illi dies qui Pascha præcedunt, indicant tempus Antichristi, cui tres reges manus dabunt, cuique postea per eos septem sibi regna subjicient, et decem regna ejus imperio inservient. Nam apud nos quemadmodum illo tempore, videlicet ipso die Cœnæ pœnitentes in ecclesiam recipiuntur, eodemque die pedes, qui sunt corporis Christi extrema pars, lavantur, ita et Judæi aqua baptismatis extremo tempore mundabuntur. Vide reliquiæ Israel salvæ fient (*Rom.* IX). Die vero Parasceve passio recitatur, sicut et tunc Ecclesia maxime persequetur. Tum enim solvetur Satanas, qui a passione Domini ligatus in inferno detentus fuit; utque hoc die cymbala non pulsantur, sic tunc concionatores sive prædicatores conticebunt. Quare et in tenebris *Benedictus* alta voce canitur, quia tum temporis Antichristo interfecto multi gaudebunt, ita ut ignis qui in tenebris modo videbatur penitus exstinctus et postea elicitur, significet quod nimirum illo tempore in iis in quibus Spiritus sancti ignis videbitur exstinctus, rursum relucescet. Sic in Sabbato baptizantur pueri, et tunc baptizabantur Judæi. Ipso die resurrectionis in persona Christi cantamus : *Resurrexi et adhuc tecum sum* (*Psal.* CXXXVIII), sed tunc dicemus illud ipsum in persona nostra, quando resurgentes transibimus ex hac mortalitate ad immortalitatem. Debent ergo in octavis Paschæ novem dici lectiones ex Apocalypsi, quod ostenditur per responsorium, *Dignus es, Domine* (*Apoc.* IV). Ideo enim responsorium nominatur, quia ut jam sæpe dictum est, lectioni quæ præcessit, debet respondere. Nec est quod quis objiciat in ætate qualibet Dominica responsorium dici de Trinitate, cum tamen de ea nulla lectio recitetur. Fuit enim illud ita in primitiva Ecclesia institutum ut videlicet singulis diebus Dominicis diceretur et lectio nona et responsorium de Trinitate. Sed quia lectio illa in dissuetudinem abiit, tantummodo responsorium remansit. Toto tempore Paschali non debemus flectere genua, nec ex necessitate jejunare. Sed ex pietate et devotione utique, ut diximus, licitum est. Nam tempus hoc paschale octavam significat ætatem, in qua erit perfectum gaudium omnibus sanctis. Unde est, quod hic non jejunamus, nec genua flectimus, sed stantes oramus, ac delicatius et lautius comedimus, nisi in duabus litaniis, de quibus hic agendum est.

CAPUT CXXII

De litaniis.

Primo ergo videndum est quid sit litania, secundo cum sint duæ litaniæ, quare una dicatur major; altera minor, tertio quamobrem fuerint institutæ, quarto quemadmodum in his jejunandum sit et vestiendum, quinto et ultimo quid populus in litania debeat cantare. Litania interpretatur Latine *supplicatio* sive *rogatio*. Supplicatio dicitur, quia tunc Deo supplicamus ut a morte subitanea et ab omni adversitate nos defendat. Rogatio appellatur, quia tunc sanctos rogamus, ut pro nobis ad Dominum intercedant. Duæ sunt litaniæ, major et minor. Major fit in festo B. Marci evangelistæ. Dicitur autem major, tum auctoritate institutionis, quod eam instituit Gregorius papa ejus nominis primus, qui et magnus Gregorius dictus est, tum auctoritate loci. Fuit enim instituta Romæ, et publico decreto sancitum ut ubique celebraretur. Alia litania nominatur minor, quia a minori instituta fuit, scilicet a B. Mamerto episcopo, idque Viennæ. Atque hæc non celebratur nisi in Ecclesia Cisalpina. Quare autem fuerit instituta prior litania, hanc reddit causam Paulus Montiscasinii monachus, Longobardorum historiographus. « Nam, » ut inquit ille, « tempore Pelagii papæ tanta fuit aquarum inundatio in universa Italia, ut aqua ascenderet ad superiores usque fenestras templi B. Zenonis, quod erat Veronæ, nec tamen miraculose aqua templum influit. Ex qua inundatione per Tyberim affluxit in agros multitudo serpentum, inter quos exstitit maximus draco, et omnes per duo ostia Tyberis intrarunt mare. Ex horum serpentum venenato afflatu et maxime istius draconis, corruptus est aer et infectus usque adeo ut inde gravissima pestis inguinaria nata sit, qua homines passim moriebantur. Tum Pelagius papa indixit jejunium, et præcepit ut processionem instituerent; quod ita factum est. Sed in ipsa processione ipsemet cum septuaginta aliis exspiravit In ejus

autem locum institutus est Gregorius magnus, qui hujusmodi litaniam ubique terrarum observari præcepit

De secunda litania quæ per triduum celebratur, ait Gregorius episcopus Turonensis, « quod tempore Beati Mamerti Viennæ et circà Viennam fiebant crebro terræmotus et tanti etiam, ut vel maximæ domus et multæ ecclesiæ inde collapsæ sint et corruerint; quæ tempestas toto anno duravit. Sic etiam Sabbato paschali, dum ipse Mamertus divinum celebraret officium, igne cœlitus demisso, combustum est civitatis palatium. Præterea bestiæ, ut lupi et apri ex silvis in civitatem exibant, atque homines devorabant. Pro his ergo incommodis Beatus Mamertus triduanum indixit jejunium, ad similitudinem Ninivitarum. præcepitque ut processionem facerent, ut quemadmodum illi per triduanum jejunium urbis evaserunt subversionem, ita hi liberarentur ab istiusmodi adversitatibus; quod ita factum est. » Gregorius autem ille, cujus paulo ante mentionem fecimus, legitur statura fuisse admodum exigua, usque adeo ut cum forte Romam veniret, omnes ipsum parvipenderent, atque ipse etiam papa miratus fuerit quod tam parvus homuncio factus esset episcopus, ad quem ille honeste respondit: *Ipse Deus fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal.* LXXXIV). Simile quidpiam dixit beatus Hilarius cuidam ipsum vocanti gallum : « Non sum, inquit, natus Gallus, sed ex Gallia; et tu es Leo, sed non ex tribu Juda; sic enim vocabatur

CAPUT CXXIII

De institutione et modo litaniarum.

Instituit igitur B. Mamertus, ut singulis annis hæc litania tribus diebus continuis in Ecclesia Cisalpina celebraretur, quod ita Romæ fuit canonicatum. Papa etiam Liberius instituit ut pro fame, pro peste, pro clade, et hujusmodi adversitatibus imminentibus semper litanias facerenus, ut sic illa per supplicationes, orationes et jejunia evitaremus. Vocantur autem hæ processiones litaniæ, Græco vocabulo propter auctoritatem Græci sermonis, sicut Pascha et Pentecoste. In his litaniis jejunandum est cibo quadragesimali, in vestibus pœnitentialibus. Nam et omnes illo die a mundanis operibus prorsus abstinere debent, etiam et servi et ancillæ, ac interesse tantisper processioni, donec ipsa celebretur : ut quemadmodum omnes peccaverunt, ita etiam omnes pro venia supplicent. In hujusmodi autem processionibus itur in magnis ecclesiis septeno ordine, unde septiformes dictæ sunt. In primo ordine sunt clerici, in secundo monachi et canonici, in tertio moniales, in quarto pueri, in quinto laici provectæ ætatis, in sexto viduæ, et in septimo conjugati. Sed quod nos non possumus in numero personarum, id supplemus in numero litaniarum. Septies enim litaniam dicere debemus. Ubi obiter animadvertemus quod Rupertus Tuitiensis abbas dixerit ultimam litaniam multis annis in- A cœpisse ante primam. Nos autem has Litanias ideo maxime hoc tempore facimus, quoniam tum præcipue bella exoriri soleant, et terræ fructus, qui adhuc sunt teneri, vel in flore, corrumpi injuria nebularum, vel pluribus aliis modis possint. Ut ergo Deus hæc omnia avertat, instituimus litanias, continuantes ultimam Ascensioni, ut per jejunium et orationes Christum sequi, et ad cœlos ascendere mereamur. Draco qui triduo illo deportatur inflata et longa cauda duobus quidem diebus ante crucem et vexillo, postea ultimo retro, significat diabolum, qui tribus temporibus ante legem, sub lege et tempore gratiæ, quæ per hos tres dies indicantur, homines fefellit, aut fallere conatur.

Primis duobus temporibus quasi erat dominus B orbis, unde Christus eum vocat principem mundi (*Joan.* XIV). Tempore vero gratiæ per Christum fuit devictus nec audet ita aperte regnare, ut prius, sed per suggestiones homines latenter seducit, quos pigros, et remissos videt in bonis operibus, nec viam vitæ sectantes, sicut in deserto debiles et infirmos, et eos, qui remanebant ultimi, hostes a tergo venientes, quasi aberrantes interficiebant. Inde profecto est quod primis duobus diebus præcedit, et ultimo sequatur. Ipse est draco et leo. Draco modo est, quia homines non ita aperte, sed latenter decipit. Leo erit tempore Antechristi, quoniam tunc manifeste sæviet in nomen Christi. Draco fuit, quando Christum super pinnaculum templi ubi multos ante per vanam gloriam seduxerat, latenter C fallere voluit, et tentavit inquiens : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Matth.* IV). Et quasi hoc facere posset secure addidit : *Quoniam angelis suis mandavit*, etc. (*Psal.* LXXXIX.) Bene enim intelligebat Scripturas; sed quod sibi malo erat subticuit, videlicet, *Super aspidem et basiliscum ambulabis*, etc. Leo autem fuit in passione Domini, cui ipsum crucifigere etiam curavit, de illo ait Joannes in Apocalypsi : *Ecce draco magnus rufus habens capita septem et cornua decem, et in capitibus suis diademata septem et cauda ejus trahebat secum tertiam partem stellarum.* (*Apoc.* XII.) Per stellas hic significantur homines qui tripartito dividuntur : in perfectos, imperfectos et reprobos. Tertiam ergo partem stellarum trahit secum diabolus, nimirum reprobos; nam hi D sunt cauda illius. Alibi vocat eum Christus Satanam : *Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem* (*Luc.* X). Et ad Petrum inquiens : *Vade retro me, Satana* (*Marc.* X). Non est autem intelligendum quod vocet eum diabolum, sed *adversarium*, quod interpretatur Satanas. Hæc enim ejus loci mens et sententia est : *Vade* retro me, *Satanas*, id est, sequere me per imitationem passionis : Noli disturbare passionem meam. Vel certe hæc videbat enim Christus, ut ait B. Hilarius, dæmonem in aurem Petri suggerentem, ut impediret suam passionem et ait ei : Satan, satan. Ac si diceret : Nequidquam et frustra laboras. Et conversus ad Petrum dixit : *Vade retro me*, id est, sequere, imitando meam passionem.

CAPUT CXXIV.

De festo apostolorum Philippi et Jacobi.

Nunc dicendum est de quibusdam solemnitatibus, quæ hoc tempore in Ecclesiis celebrantur, videlicet de festo S. Philippi et Jacobi, et omnium apostolorum (sic enim est in magnis et plenis kalendariis) de Inventione S. crucis, de festo Joannis ante Portam Latinam, et B. Mariæ ad Martyres, et de commemoratione sancti Michaelis. Hoc ergo tempus, ut prædictum est, significat octavam ætatem, ubi bonum quod erit in dispari claritate singulorum, et futurum est omnium. Unusquisque enim gaudebit perinde ob alterius bonum ac propter suum, bonum omnium erit singulorum. Quare cum tempus hoc maxime solemnitatibus conveniat, cumque in primitiva Ecclesia apostoli non haberent particulares solemnitates, statutum fuit ut ipsis Kalendis Maii celebraretur solemnitas in honorem omnium apostolorum. Hoc etiam die festum est Philippi et Jacobi, idque adeo quia forte illo die passi sunt. Hic Jacobus Minor appellatus est, non utique ætate, sed vocatione, sicut fit inter monachos; ut qui ante factus est monachus etiamsi vel puer sit, tamen præcedat eum, qui quantus sit postea cœnobium ingressus est. Dictus est præterea frater Domini, vel quia similis erat ei faciei, ut dicitur, vel ideo, quia erat filius Alphæi, fratris Josephi viri beatæ Mariæ, et Mariæ sororis ejus. Et qui ita ex utraque parte sanguinis sese contingebant, apud Judeos fratres vocabantur. Jesus autem putabatur esse Josephi filius. Hic Jacobus dictus est primus post passionem Christi Jerosolymæ missam celebrasse, et Petrus Antiochiæ. Idem hic Jacobus factus est episcopus Jerosolymitanus, qui cum nomen Christi prædicaret, et publice fateretur, præcipitatus est a Judæis e pinnaculo templi, et pertica fullonis interfectus. Alter vero Jacobus Major, appellatus est, et vocatione et dignitate, quia familiarior fuit Christo. Ad secreta enim sui operis eum vocabat, ut quando transfiguratus est, et quando mortuum suscitavit in domo.

CAPUT CXXV.

De Inventione sanctæ crucis.

Cruce Domini inventa ab Helena matre Constantini per Judam, ut narrat historia, festum ejus primo celebratum est Jerosolymæ. Sed Eusebius papa trigesimus a B. Petro illud postea ubique terrarum celebrari præcepit. Judas ille, per quem crux inventa fuit, legitur postea ad finem fuisse conversus, et appellatus mutato nomine Quiriacus, creatusque tandem episcopus Jerosolymitanus. De quo quidem diabolus, cum alterum sibi amicum exspectaret, sic dixisse fertur: « Per Judam Christus morti traditus est, et per hunc Judam Christus mortuus exaltatus, sed brevi Julianus amicus meus rex erit, qui me de illo egregie vindicabit. » Quod sane ita factum est, ut qui ipsum interfecit, quemadmodum dicitur. Ferunt Julianum hunc monachum fuisse, et magnum religionis simulatorem, adeo ut quædam mulier tres ollas auro onustas, ita ut in earum orificiis aurum cinere cooperiretur, ne facile inveniretur apud eum deposuerit, ejusque fidei concrediderit. Quando quidem virum illum sanctum esse credebat, nec tamen confessa est in iis aurum inesse. Sed eo invento ab illo et furato ollas cinere implevit, et mulieri requirenti depositum reddidit, Cum vero Paulo post mulier aurum sibi quæreret, nec inveniret, non potuit, quod ipse haberet, convincere, quod de auro nullos habebat testes. Nam alii monachi, ad quorum testimonium ollas tradiderat, nihil in eis præter cineres viderant, atque ita aurum obtinuit. Quo cum Romam fugisset, et frequenti tempore consulatum obtinuisset, factus est imperator. Qui cum magicæ artis a puero peritus esset, ac eam multum adamaret, plures sibi magistros ascivit. Cum ergo quodam die absente suo, magistro solus domi mansisset, ac legere inciperet dæmonum conjurationes, convenit ante ipsum magna multitudo demonum, qui omnes erant nigri ut Æthiopes. Tunc ille præ timore fecit signum crucis, et omnes illico evanuerunt. Quod cum Julianus magistro suo referret quærenti quid ipse vidisset, dixit ei magister, signum illud dæmones maxime odio habere. Electus ergo hic in imperatorem, et adhuc ejus rei recordans, cum artem magicam exercere vellet, factus est apostata. Signa crucis ubique destruxit, et Christianos, quantum potuit, persecutus est credens, aliter fieri non posse ut sibi dæmones obtemperarent. Quare etiam tunc Judam modo appellatum Quiriacum interfecit, per quem crux fuerat inventa.

Legimus præterea militem quemdam similiter Quiriacum vocatum hunc Julianum interfecisse. Nam cum hic per Ephesum suum duceret exercitum alios gentiles expugnaturus, qui adversus eum et Romanos insurrexerant, et videret isthic quamdam abbatiam, mandavit eis ut sibi prandia pararent. Sed hi plane negaverunt tum quia apostata esset, tum quia pauperes erant. Tunc ille ad hæc ita excandescens, eis rursus nuntiavit se, priusquam annus finiretur, locum istum deleturum, eosque interfecturum, et omnino effecturum ut isthic segetes succrescerent. Quo sane audito timuerunt monachi, sed abbas eorum vir sanctissimus eos in Domino confortavit, et effecit ut sua confortatione jam ad martyrium essent parati. Quadam vero nocte, cum abbas in oratione persisteret, visa est ei beata Maria monasterium aperire, et ad tumulum cujusdam militis, qui dicebatur Quiriacus, quique mortuus erat nondum septem diebus et isthic sepultus, venire ac ei ut inde surgeret et se armaret ac de Juliano eam vindicaret præcepisse. Tum ille surgens, se armis suis, quæ adhuc in templo affixa erant, induit, et equum suum, qui adhuc in stabulo erat, vidente abbate ascendit, et ad fines Juliani se contulit. Sequenti die quæcunque viderat abbas, suis monachis narrat ordine. Qui militis tumulum aperientes, ut rem probarent, nec invenerunt cor-

pus, nec equum, nec arma. Tertia vero die confligente Juliano cum suis hostibus, interfectus est a prædicto milite, et sequenti nocte miles, vidente abbate, ad sepulcrum suum rediit, equumque et arma in locis suis reposuit. Post hunc Julianum fuit Cyprianus homo gulæ et luxui deditus, qui ad beatam Justinam virginem, cum ad suam luxuriam concitare vellet, misit quemdam dæmonem, qui lujusmodi immunditiæ præerat, sed signo crucis repulsus est. Misit rursus alium fortiorem, qui eodem modo crucis signo se devictum fatebatur, ita ut hinc Cyprianus ad fidem conversus sit. Tantæ potestatis est crux Christi, per quam ille nos plane immeritos æternæ felicitati restituit.

CAPUT CXXVI.

De sancto Joanne evangelista ante Portam Latinam.

Nero interfecerat Petrum et Paulum. Quo mortuo, successit ei Vespasianus, atque ei Titus, cui postea Domitianus. Sub hoc beatus Joannes evangelista profectus est Romam, ut isthic verbum Dei concionaretur. Domitianus autem ipsum poni curavit in dolium ferventis olei plenum ante Portam Latinam, sic enim vocabatur. Sed B. Joannes nullam isthic sensit læsionem, divina gratia ipsum protegente. Quantum tamen ad illum attinet, martyr fuit. Quapropter festum de illo agitur, non secus ac si martyrium ibi sustinuisset. Tum a Domitiano in Pathmos insulam deportatus est. Sed tandem a Nerva imperatore revocatus est. Notemus hic tres tantum apostolos vivos fuisse Romæ, Petrum nempe, Paulum et Joannem : ac tres item evangelistas, Joannem, Marcum, et Lucam. Præterea animadvertamus Christi apostolos sive discipulos non ideo fuisse passos, quod Christum prædicabant, sed quod ipsum deificabant ac Deum esse aiebant sine Romanorum auctoritate; quod ipsi prohibuerant.

CAPUT CXXVII.

De festo B. Mariæ ad Martyres.

Cum singula Romanorum idola non possent templum Romæ habere, fecerunt Romani unum templum omnibus idolis, quod dictum est Pantheon. Illud templum imperavit dari Ecclesiæ Christi Bonifacius quartus Papa a Phoca Cæsare Constantinopolitano imperatore, et illud, rejectis idolis omnique eorum spurcitia, dedicavit in honorem B. Mariæ et omnium martyrum (nondum enim fiebant festa confessoribus); et statuit ut singulis annis celebraretur illo die festum martyrum, sicut ipsis Kalendis Maii festum apostolorum. Sed quia in illo mense non est tanta copia victualium, ut in aliis (solet enim tunc annona deficere) et populus qui confluebat ad illa solemnia, propter inopiam ciborum quandoque non poterat bene celebrationi vacare; ideo Gregorius Minor, qui ejus nominis quartus fuit, duo hæc festa transtulit, et ea Kalendis Novembris, quando major est rerum copia, fieri instituit. Nec solum apostolorum et Martyrum, sed etiam Trinitatis, omnium angelorum et archangelorum, patriarcharum, prophetarum et aliorum sanctorum atque sanctarum, velut festum generale, ejus officium ordinavit,

CAPUT CXXVIII.

Quare non celebremus festa sanctorum qui cum Christo surrexerunt.

Quæritur quare non celebremus hoc tempore festa sanctorum qui cum Christo surrexerunt, vel cum illo in cœlos ascenderunt. Debemus enim de eorum glorificatione gaudere et solemnizare, sicut de aliis sanctis, cum certi simus eos ascendisse. Verum ejus rei ratio talis est. De morte eorum non solemnizamus, quia ad inferos descenderunt : de glorificatione autem in anima festum aut in Pascha aut saltem in ascensione Domini deberemus celebrare, sed non possumus propter auctoritatem et magnitudinem officiorum illorum dicrum. Obumbraretur enim eorum festivitas dignitate majoris solemnitatis. Quemadmodum si cum rege veniret alicujus familiaris, propter præsentiam regis non tam diligenter ei obsequeretur, quam si solus veniret. Ideo ergo statutum est ut aliis anni temporibus, iis diebus quibus ecclesiæ sibi dedicatæ fuerunt, festa illorum celebrentur, ut festivitas beati Joannis Baptistæ sub finem Augusti, qui tamen circa Pascha mortuus est. Propter eamdem sane rationem festum beati Jacobi Compostellæ in Julio observatur. De festo beati Petri ad Vincula alibi dicetur. Animadverte ergo quod festa sanctorum Veteris Testamenti, ut Abrahami, Isai, Jacobi, Davidis, Danielis et aliorum in Græcia et Venetiæ colantur, habeantque isthic suas ecclesias.

CAPUT CXXIX.

De sancto Michaele.

De festo S. Michaelis dicimus, quod hoc tempore barbari Apuliam ingressi sint, eamque misere depopulati. Quare Christiani in dicto jejunio triduano auxilium S. Michaelis imploraverunt. Et cum essent congregati instructaque acie exercitum adversus hostes producerent, apparuit eis sanctus Michael, quasi illis auxilium præstans : tum hostes versi sunt in fugam. Quia ergo per beatum Michaelem victoriam obtinuerunt, ideo statutum est ut eo die semper festum ejus celebraretur.

CAPUT CXXX

De varietatibus hujus temporis.

Dicto de festis, considerandæ sunt quædam hujus temporis varietates. Sunt enim hæ tres septimanæ quasi propriis vocabulis nuncupatæ. Prima est paschalis, secunda in albis, tertia exspectationis, illa videlicet quæ est post Ascensionem Domini. Prima dicitur sanctificata, quia homines per baptismum sanctificati tota illa septimana vestem gerunt in qua baptismum susceperunt, quæ significat primam stolam. Secunda septimana appellatur in Albis, quoniam tunc baptizati altero Sabbato vestes baptismi deponentes, albas induunt vestes. Vel quoniam tunc solent illi qui baptizati sunt confirmari ab episcopis, et alias albas vestes induere, usque ad sequens Sabbatum. Vel certe ideo nomi-

natur in Albis, quia significat vitam æternam in qua utraque stola vestiemur. Tertia tandem nuncupata est, ut diximus, septimana exspectationis, quod repræsentet tempus illud quo apostoli exspectaverunt adventum Spiritus sancti. Atque hinc animadvertamus quosdam solere jejunare ab Ascensione usque ad Pentecosten, quia apostoli eo tempore dicuntur jejunasse. Sed D. Gilberto videtur non esse jejunandum, quod ad Paschale tempus pertineat. Alia item varietas hic est attendenda. Septimana enim paschalis non protenditur nisi usque ad Sabbatum in Albis, atque ita Pascha pro octavis sex duntaxat dies habet. Septimana in Albis incipit a Sabbato in Albis, et finitur in altero Sabbato, et sic durat octo diebus. Octavæ Ascensionis cum deberent terminari v, Feria ante Pentecosten. Nam licet duo dies qui octavis supersunt, ad missam officium suum facile possint ab Dominica accipere, tamen non haberent ad nocturnos invitatorium vel responsoria, nisi ab Ascensione Domini illa peterent. Unde profecto decem illi dies pro una octava reputantur. Nec id quidem mirum cum totum Paschale velut una habeatur octava, quemadmodum etiam tempus illud a Nativitate Domini usque ad octavas Epiphaniæ.

CAPUT CXXXI.

De Pentecoste.

His breviter de Paschali tempore expositis, de Pentecoste Domini deinceps agendum est. Populus Israeliticus quatuor præcipue celebrat solemnitates, Pascha scilicet, quia tunc eos Dominus liberavit ab Ægyptiorum servitute, et a percussione angeli, aspersis immaculati agni sanguine postibus. Non enim fuit domus alicujus Ægyptii, in qua non mortuus aliquis conspiceretur. In domibus vero Hebræorum minime. Celebrant præterea Pentecosten, quia tunc acceperunt legem, et Scenopegiam in Septembri, quæ interpretatur *fixio tabernaculorum*. In hieme denique celebrant Encænia, id est *dedicationem templi*. Nos autem tantum duo istorum servamus, Pascha videlicet et Pentecosten, sed alia ratione atque illi : illi enim celebrant Pascha, quod tunc ab Ægyptia servitute fuerint liberati : nos ideo Pascha celebramus, quia tunc per Christum redempti sumus. Illi celebrant Pentecosten, quod tum legem acceperunt; nos ideo, quia tunc accipimus Spiritum sanctum. Illi acceperunt legem in tabulis lapideis extrinsecus scriptam. In tabulis quidem lapideis, ad designandum eorum duritiem; extrinsecus vero scriptam, quod litteræ spiritualem intelligentiam non pertingebant. Sed Spiritus sanctus datus est septuaginta duobus discipulis, in corde digito Dei intus spiritualem intelligentiam eis dictante. Verum animadverte aliud esse Pentecosten, aliud quinquagesimam, itemque quinquagesimam multifariam accipi. Est enim quinquagesima dierum annorum, psalmorum, personarum et denariorum. Rursus quinquagesima hæc dierum triplex est. Est enim una a Dominica, quæ vulgo appellatur *Esto mihi*, usque ad Pascham; alia a Paschate ad Pentecosten, et tertia, a Sabbato in Albis usque ad Sabbatum post Pentecosten. Prima est pœnitentiæ et afflictionis, secunda lætitiæ et exsultationis, tertia velut figuræ : præfigurat enim octavam ætatem, in qua utraque stola induemur. Ex quo quidem fit quod duo *Alleluia* illa quinquagesima cantamus, quorum primum significat corporis stolam, secundum animæ. Sic quoque tres sunt psalmorum quinquagesimæ, prima est a *Beatus vir* usque ad *Miserere mei;* secunda a *Miserere mei* usque ad *Domine, exaudi;* tertia denique a *Domine exaudi* usque ad *Omnis spiritus laudet Dominum*. Hæ quinquagesimæ dies diluvii significant. Tot enim diebus aquarum fuit inundatio, scilicet centum et quinquaginta diebus. Ideo autem tres quinquagesimas psalmorum cantamus, ut Deus a tali nos diluvio et ab omni malo defendat. Quinquagesima porro annorum erat jubileus. De quinquagesima personarum habetur in Genesi, ubi Abraham in hunc modum a Domino quærit : *Si septuaginta*, inquit, *in populo inveniantur justi, nunquid eis parces?* (*Gen.* XVIII.) Ita, respondit Deus, et sic postea de sexaginta, et quinquaginta, usque ad decem (*ibid.*) De quinquagesima vero denariorum habetur in Evangelio, ubi de duobus agitur debitoribus, quorum unus debebat centum denarios, alter quinquaginta. Sed hæc de illis dixisse satis sit.

Dicitur ergo Pentecoste a πεντήκοντα quinquaginta, quod dies hæc a resurrectione Domini distat quinquaginta diebus. Hinc πεντεκοστὸς Latine dicitur quinquagesimus. Sicut enim populus Israeliticus quinquagesimo die a Pascha, quod celebraverunt in Ramasse, venerunt ad montem Dei Horeb vel Sina, quod idem est, et legem tunc acceperunt (*Exod.* XX), ita die quinquagesimo a passione Domini Spiritus sanctus discipulis in superiori cœnaculo adventum ejus exspectantibus datus est in linguis igneis. Et in linguis utique, ut in omni genere linguarum et sermonum facundi essent (*Act.* II); in igneis vero ideo, ut inflammarentur amore charitatis. Datus est igitur Spiritus sanctus discipulis, cujus gratia est septiformis, quoniam numerum scilicet septenarium, maxime observant Judæi in omnibus, idque non sine specie figuræ. Ipsi enim celebrant septimum diem, videlicet Sabbatum; septimam septimanam, nempe Pentecosten; septimum mensem, nimirum Septembrem, qui apud eos fere habetur celebris; et septimum annum, utpote qui servi a Judæis manu mittebantur, si vellent. Si autem aliquis manumitti non vellet, sed in domini servitute remanere, is ad postes tabernaculi vel templi ducebatur, atque ejus aures subula perforabantur, quod erat signum servitii, ne amplius manumitteretur, si forsitan postea ex servitute manumitti vellet. Sic quoque hoc anno quæcunque terra ex se gratis procreabat, erant communia. Non enim colebatur eo anno. Pari ratione nos septimo die, videlicet in Sabbato, baptismum celebramus. Sabbatum enim requiem significat, et nos per baptismum sab-

batizamus, id est requiescimus, quoniam quando homo baptizatur, habet anima ejus quietem, cum per Spiritum a vitiis emundata in fidei unitate quiescit. Sciendum ergo est duobus tantum Sabbatis regulariter baptismum celebrari. Sabbato videlicet paschali, et Pentecostes : paschali quidem Sabbato, quoniam in passione Christi omnes baptizamur, hoc est redimimur ; Sabbato vero Pentecostes, quia tunc per Spiritum sanctum mundamur et sanctificamur. Atque hujus quidem Sabbati officium nunc tractandum est.

CAPUT CXXXII.

De officio sabbati Pentecostes.

Officium hujus diei nihil discrepat ab officio sabbati Paschæ, excepto quod in eo prima lectio sit de Adamo, id est de mundi creatione. Hic vero prima est de Abrahamo. Et huic quidem lectioni de Abrahamo, canticum subjungitur, illi vero de Adamo, non utique. Duæ hæ lectiones illos duos parentes significant, quorum unus fuit pater erroris et deviationis, scilicet Adamus ; alter fuit pater fidei et revocationis, videlicet Abrahamus. Lectioni de Adamo non subjungimus canticum, quod ille non bene nobis cecinerit, quoniam transgressus est Dei mandatum. Unde non respondemus ei, quasi nobis male cantanti. Quod autem male cantaverit ex eo patet, quod ei dictum est : *Maledicta terra in opere tuo* (*Gen.* III). Lectioni de Abrahamo canticum subjungimus, ut qui bene nobis cecinerit, unde ei dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII). Tacentur autem hac die tituli, propter parvulos qui necdum cognoscunt auctores Novi et Veteris Testamenti. Missa hoc sabbato ita incipit, quemadmodum sabbato Paschæ videlicet per *Kyrie eleison*. Proinde *Gloria in excelsis* tam hoc, quam illo sabbato canitur, atque etiam die Cœnæ, sed non nisi in illa ecclesia, in qua consecratur chrisma. Alibi enim cantari non debet. In vesperis denique hi dicuntur Psalmi : *Laudate, pueri, Dominum* (*Psal.* CXII) ; *Laudate Dominum, omnes gentes* (*Psal.* CXVI) ; *Lauda, anima mea, Dominum* (*Psal.* CXLV) ; *Laudate Dominum quoniam bonus* (*Psal.* CXLVI) ; et *Lauda, Jerusalem, Dominum* (*Psal.* CXLVII).

CAPUT CXXXIII.

De jejuniis Quatuor Temporum.

Dicendum modo est de jejuniis primitiarum, quæ in septimana Pentecostes solent contingere. Et primo quidem de origine, secundo de institutione, tertio de nomine et ejus ratione, deinde de officio, et ultimo de ordinibus quæ in iis celebrantur, oportet dispiciamus. Origo istorum jejuniorum sumpta est ex Veteri Testamento. Sicut enim populus ille Deo ex omnibus rebus suis dabat primitias, sic nos ex temporibus primitias, et non solum ex temporibus, sed etiam ex omnibus quæ possidemus dare debemus. Nunc sequitur de institutione.

(9) Dist. 66.

CAPUT CXXXIV.

De institutione jejuniorum Quatuor Temporum.

In primitiva Ecclesia fuit institutum ut jejunia hæc quoque anno ter fierent. Sed Calixtus papa instituit (9) ut quater fierent, sumens rationem ex Veteri Testamento. Judæi namque quater jejunabant in anno, ante Pascham, Pentecosten, Scenopegiam, id est ante fictionem tabernaculorum in Septembri, et ante Encænia, id est dedicationem in Decembri. Præterea si ter fierent, et tres dies singulis vicibus jejunarentur, anno diviso in tres partes remanerent semper aliquot dies, quorum primitias non redderemus. Sunt rursus et multæ aliæ rationes, quamobrem quater fiant in anno. Una est quod in humanæ naturæ constitutione quatuor sunt qualitates, ut pote quod simus calidi, frigidi, humidi, sicci, ex quibus qualitatibus quilibet peccandi petit delectationes. Ut ergo quatuor has qualitates a peccandi libidine refrenemus, quater in anno jejunamus. Vel talis etiam ratio reddi potest : Homo constat ex anima et corpore. Corpus autem consistit ex quatuor elementis. Sed anima tres potissimum habet proprietates, uti ratione, irasci, et concupiscere. Quare ut hæc in nobis moderentur, quater in anno tribus diebus jejunamus, ut quaternarius numerus referatur ad corpus, ternarius ad animam. Rursum, annus in quatuor tempora dividitur, quorum unumquodque tres habet menses. Quater igitur in anno jejunamus tres dies, pro quolibet mense diem unum. Est iterum alia ratio, cur quater jejunamus, ob quatuor videlicet anni tempora. In hieme enim mandamus terræ semina, in vere arbores florescunt et vineæ pubescunt, in æstate metimus nonnullas fruges, et in autumno colliguntur uvæ. Quater denuo jejunamus, quia ut veteres quoque anno quater jejunabant quadragesimam diem, et nos his temporibus tres dies jejunamus. Dicuntur autem jejunia Quatuor Temporum, vel jejunia primitiarum, vel jejunia duplicia, quia fiunt tribus diebus, quibus solemus jejunare in una septimana. Sunt vero instituta, ut dictum est, a Calixto papa, et prima hujusmodi jejunia fiunt in Martio, in prima videlicet septimana Quadragesimæ, ut in nobis marceant vitia. Non enim omnino possunt exstingui. In æstate fiunt secunda, nimirum in septimana Pentecostes, ut quoniam tunc venit Spiritus sanctus, et nos esse debeamus ferventes spiritu. Tertia jejunia fiunt ante festum sancti Michaelis, in tertia septimana Septembris, quod quemadmodum tunc arborum fructus colligantur, et nos quoque deceat Deo reddere bonorum operum fructus. Quarta postremo fiunt in septimana, ante Natale Domini scilicet in Decembri, quia sicut tunc herbæ moriuntur, ita et nos oportet mori mundo, et renasci Deo.

In horum jejuniorum quarta feria dici debent duæ lectiones tono sive voce nocturnali : una ex Veteri Testamento, altera ex Novo, tono et voce

communi, ad significationem ejus, quod qui ordinandi sunt Sabbato sequenti, oporteat ut sint utriusque Testamenti periti. Idem indicat mitra episcopalis per duo illa cornua (10). Debet enim hic utriusque Testamenti non esse ignarus, quo tanquam duplici cornu possit ferire fidei inimicos atque hæreticos. Sexta jejuniorum feria, una duntaxat dici debet lectio, quod auctor Veteris et Novi Testamenti unus et solus sit Deus atque ex Veteri et Novo Testamento unum factum sit Evangelium. Sabbato autem quatuor recitantur lectiones, antequam celebrentur ordines, quarum prima pertinet ad populum, secunda ad Ecclesiæ primates, tertia ad ministros, quarta ad omnes religiosos. Lectio Danielis ideo sequitur de tribus pueris, quod qui sunt ordinandi, in fide debeant esse probati, sicut illi fuerunt. Sunt autem hi circa tria potissimum inquirendi, circa naturam, utrum videlicet ex legitimo matrimonio sint procreati : circa litteras et circa vitam ac bonam conversationem. Notemus ergo hic quod archipresbyter ordinandos prius debeat offerre archidiacono : unde hic etiam dicitur vicarius, quoniam in hoc vicem supplet sacerdotum. Eorum enim esset hoc facere. Archidiaconi officium est eos examinare et scrutari in vita, in natura et honesta conversatione, atque ita eos tradere in manus scolasteris, cujus munus est periculum facere in litteris. Sic itaque diligenter inquisiti debent tradi in manus episcopi. Post lectionem Danielis subjungitur cantus *Benedicite*. Sed quare ad lectionem Danielis non flectuntur genua, supra dictum est. Epistola Pauli deinde legitur, ad quam genua non flectimus, quoniam ad Novum pertinet Testamentum. Huic deinceps tractus subjungitur cum gravi cantu, quod ordinati graves esse debeant et constantes, ne facili superbiæ flatu afferantur. Obiter tamen animadvertere non permissum esse, ut eadem die bis aliquis ordinetur. Sed si necesse fuerit, potest ordinari Sabbato in diaconum, et Dominica sequenti in sacerdote, et postea in octavis Pentecostes potest consecrari in episcopum.

CAPUT CXXXV.

De tempore peregrinationis ac festis in eo contentis.

Ab hoc ergo Sabbato incipit tempus peregrinationis, quoniam sumus quidem in itinere quo venitur ad patriam, sed hostes et adversarios habemus antequam illuc perveniamus, nimirum carnem nostram, mundum et diabolum. Legimus hoc tempore librum Regum, ubi bella nobis proponuntur et victoriæ, ut et nos contra hostes fortiter pugnemus, et adepti victoriam in cœlis tandem coronemur. Et notemus obiter apud auctores tribus potissimum nominibus appellari Judæos. Primo, quia vocantur recutiti, unde Isaias : Recutita, inquit, sabbata, id est Judaica, quoniam recisam verendorum cutem habent. Appellantur etiam Palæstini : unde Ovidius :

Terra Palæstino septima culta viro.

(Ovid. *De Art. amat.* lib. I, vers. 415.)

(10) 23, q. 1, c. *Episcopus*.

Et communi nomine Judæi ab Juda filio Jacob, qui unus fuit ex duodecim patriarchis. Quantumvis enim duodecim fuerint tribus, quæ a duodecim filiis Jacob descenderunt, a Juda tamen Judæi ideo sunt appellati, quod de regno Judæ hoc pacto prophetaverat Jacob : *Non deficiet princeps de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat qui promissus est* (*Gen.* XLIX). De tribu autem Juda venit Dominus noster Jesus Christus. Notemus præterea, quod aliquæ sint octavæ devotionis, ut sancti Nicolai, et sanctæ Mariæ Magdalenæ, qui octavas non habent, sed quoniam sunt quarumdam ecclesiarum patroni, ideo eis fiunt octavæ. Sunt et octavæ venerationis ut in magnis solemnitatibus ; et significationis, ut Petri et Pauli quæ secundam significant stolam quam habituri sunt, videlicet corporis glorificationem. Paulus historiographus diaconus Romanæ curiæ, monachus Cassiniensis, cum die quodam paschalem cereum consecraret, fauces ejus raucæ factæ sunt, cum prius esset satis vocalis. Ut ergo vox ei restitueretur, in honorem S. Joannis hymnum hunc composuit : *Ut queant laxis*, etc., unde in principio petit vocis restitutionem, sicut restituta est Zachariæ merito S. Joannis. De quo quidem dicemus, si primo festum Gervasii ac Prothasii breviter exposuerimus. Et quidem hoc unum hic dicimus, quod in eorum officio cantatur : *Loquetur Dominus pacem in plebem suam* (*Psal.* LXXXIV). Nec hoc sane sine causa tum temporis dicitur, quod in horum festo reformata fuerit concordia inter Longobardos et Romanum imperium. Cætera de illis historia plene perstringit.

CAPUT CXXXVI.

De Nativitate sancti Joannis.

Videamus igitur modo de ipsius S. Joannis Nativitate, et primo quamobrem nativitas ejus celebretur cum in peccatis fuerit conceptus. Nullius enim conceptio facta in amplexu maris et feminæ potest esse sine peccato. Quidam enim sunt sine patre et matre, ut Adamus, alii ex patre sine matre, cujusmodi fuit Eva ; alii vero ex patre et matre, quod est frequentius, ut Abelus ; alii tandem ex matre sunt sine patre, qualis est Christus. Unde in persona illius dictum est : *Ego sum vermis et non homo* (*Psal.* XXI), hoc est secundum legem vermium natus, non autem hominum. Sed animadvertatur hic hominem prius, ut ita dixero, seminari, ac postea in vulva concipi, ibique carnem formari. Verum post quadraginta et sex dies creari animam, et corpori infundi, secundum theologos, quibus magis credendum est quam physicis. Celebratur ergo hujus nativitas secunda, quando nimirum primo exit in lucem. Nam prima est, quando ipsa anima corpori infunditur ; secunda vero, cum prodit in lucem : quare juxta secundam, sine peccato fuit conceptus. Sanctificatus enim fuit in utero quemadmodum Jeremias, in cujus prophetia hoc ita continetur : *Antequam exires*

de vulva sanctificavi te, etc. (*Jer.* I.) Quod quidem in hujus figuram fortasse dictum fuit. Sed de quo genere sanctificationis hoc isthic dicatur Deus novit. Sunt qui putent de sanctificatione originali dictum fuisse, idque hoc pacto probare conantur, quod videlicet Spiritus sanctus puerum repleverit, atque adeo ut ex istiusmodi Spiritus sancti repletione, et repleta fuerit mater. Atqui si esset in originali, foret utique et in mortali. Ergo neque puer sancto Spiritu esset repletus, neque ejus mater. Nec vero refert, quod et mali quam plurimi prophetarunt ut Caiphas et Balaam, et quod asina etiam locuta sit. Verum contra videtur, quod ei peccatum illud originale remissum non fuerit. Dixit enim Joannes ad Christum : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me baptizari* (*Matth.* III). Ex quo intelligitur ipsum voluisse ablui a peccato originali. Sed intelligendum plane est ipsum hoc dixisse in persona Ecclesiæ, in qua etiam opinione glossa est pervulgata.

CAPUT CXXXVII.

De vigilia sancti Joannis.

Festum sancti Joannis habet vigiliam, hoc est ejus festi dies præcedens dicitur vigilia vel ejus loco jejunium, quod vice vigiliarum est institutum. Fuit enim moris apud veteres ut in festivitatibus viri cum uxoribus et filiabus suis ad ecclesiam convenirent, atque isthic cum lumine et candelis vigilarent. Sed quoniam in his vigiliis crebro contingebat ut puellæ vitiarentur, ac malitiosi opportunitatem haberent, quo flagitia sua commode perficerent, ideo factum est ut vigiliæ mutarentur in jejunia. Unde etiam nunc antiquitatis nomen retinuit. Vocatur enim vigilia. Celebratur autem Nativitas Joannis, tum propter historiam (habet enim Evangelium : *Et multi in nativitate ejus gaudebunt* (*Luc.* I), quod observant Christiani et pagani) tum propter allegoriam et mysterium. Per Joannem enim significatur ortus gratiæ, ex quo quidem fit ut tum magis solemnizemus propter mysterium quam propter ipsam personam. Credimus autem quod hic in utero sanctificatus est, sicut Jeremias, unde eo die de Jeremia legitur. Sed quo genere sanctificationis nec satis liquet, nec legimus. Plerique tamen affirmant ipsum ab omni peccato fuisse mundatum. Salvator autem attulit nobis ortum gratiæ. Hunc Joannes præcessit annuntiatione, nativitate, prædicatione, passione, et ad inferos descensione. Officium ejus partim constat ex Veteri Testamento, partim ex Novo, quoniam ipse fuit finis Veteris et initium Novi. Fuit namque quasi lapis angularis, hoc est Novum et Vetus conjungens Testamentum. Quod autem hoc festo jejunamus, totum illud natum est ex sympathia quadam et compassione qua ei compatimur, quod jejunaverit in deserto, atque isthic vitam egerit admodum acerbam. Solent porro hoc tempore ex veteri consuetudine mortuorum animalium ossa comburi, quod hujusmodi habet originem. Sunt enim animalia, quæ dracones appellamus, unde in psalmo : *Laudate Dominum, de terra dracones* (*Psal.* CXLVIII), nos thracones, ut quidam mendose legunt, scilicet terræ meatus. Hæc, inquam, animalia in aere volant, in aquis natant, in terra ambulant. Sed quando in aere ad libidinem concitantur (quod fere fit), sæpe ipsum sperma vel in puteos, vel in aquas fluviales ejiciunt ex quo lethalis sequitur annus. Adversus hæc ergo hujusmodi inventum est remedium, ut videlicet rogus ex ossibus construeretur, et ita fumus hujusmodi animalia fugaret. Et quia istud maxime hoc tempore fiebat, idem etiam modo ab omnibus observatur. Est et alia causa quamobrem ossa animalium comburantur, quod ossa sancti Joannis in civitate Sebastæ ab ethnicis combusta fuere. Consuetum item est hac vigilia ardentes deferri faculas, quod Joannes fuerit ardens lucerna, et qui vias Domini præparaverit. Sed quod etiam rota vertatur hinc esse putant, quia in eum circulum tunc. sol descenderit ultra quem progredi nequit, a quo cogitur paulatim descendere, quemadmodum vulgi rumor de B. Joanne Christo adveniente ad summum pervenit, cum Christus putabatur, posteaque descendit ac fuit diminutus, ut vel ipse de se testis est : *Me*, inquiens, *oportet minui, illum autem crescere* (*Joan.* III). Quod quidem propterea dictum esse nonnulli arbitrantur, quod tum dies incipiant minui et decrescere, et in Christi nativitate crescere. Verum enimvero quia aliquando dies ante festum sancti Joannis decrescant, et ante natale Domini crescant, intelligendum est istud de nativitate in matre, quando scilicet uterque conceptus est. Conceptus enim est Joannes diebus decrescentibus, ut in Septembri, et Jesus crescentibus, ut in Aprili. Proinde missa hujus diei officium petit partim ex Veteri, partim etiam ex Novo Testamento, cum in eo quædam sint Testamenti Novi, quædam Veteris. *Nam lex et prophetæ fuerunt usque ad Joannem* (*Matth.* XI), ita ut hic fuerit tanquam in medio constitutus Veteris et Novi Testamenti. Postea tamen circumcisus est Christus. Eodem vero die et Joannes evangelista in fossam descendit, sed quia propter nativitatem B. Joannis Baptistæ, ejus festivitas plene venerari non posset translata est ad Natale Domini. Quare cum neque ibi propter festum S. Stephani vigiliam habere potuerit, hinc esse dicimus, quod hoc die duplex missae anatur, altera quidem de vigilia evangelistæ, nimirum, *Justus ut palma florebit;* altera vero de vigilia Baptistæ, quanquam dicere possimus vigiliam Joannis Baptistæ plenum habere et absolutum officium. Ex quo sane fieret, ut illo die non celebraretur vigilia sancti Joannis evangelistæ.

CAPUT CXXXVIII.

De festo apostolorum Petri et Pauli.

Hucusque de Nativitate S. Joannis ejusque vigilia actum est, sequitur deinceps festivitas duorum apostolorum, Petri videlicet et Pauli. De his magna est controversia, utrum eodem die passi sint. Henricus enim solitarius velle videtur eodem die eos, anno tamen revoluto, passos esse. Sed Pelagius papa, atque alii sancti Patres qui de illis scripserunt,

in Decretis, volunt illos eodem die eademque hora sub pessimo illo imperatore Nerone fuisse passos. Alioqui enim falsæ essent historiæ de illis proditæ. Sed tamen in diversis locis passi sunt, et diversis pœnis. Petrus enim cruci fuit affixus; Paulus vero obtruncatus, quæ pœna videbatur esse honestior. Nam civis erat Romanus, ut habetur in Actibus apostolorum. Postea vero eorum corpora fuere eodem loco eodemque sepulcro posita, ubi multo tempore simul permanserunt. Sed ad fidem Christianam converso imperatore Romano, et Christiana religione magis ac magis crescente, utrique apostolo suam peculiarem ædificaverunt ecclesiam et cum vellent corpora separare, dubitarentque quænam ossa Petri, et quæ Pauli essent, illis orantibus, jejunio peracto, responsum est cœlitus, majora esse ossa prædicatoris, minora vero piscatoris. Atque ita sane seorsim a sese mutuo ossa fuere separata, et in suis ecclesiis posita. Quanquam vero horum festa eodem die celebranda occurrant, beatus tamen Gregorius instituit ut festum Petri ipso die tantum celebraretur : major enim fuerat sanctitate, et Romæ primas tenuerat, sequenti vero die coleretur festum Pauli. Ipso tamen die Petri dicitur in missa oratio, sive, ut vocant, collecta, illis duobus communis. Potest ergo hic missa inchoari vel de S. Petro, vel per hujusmodi introitum : *Terribilis est locus iste* (*Gen.* XXVIII), quia eo die ecclesia Petri fuit dedicata.

Quæritur autem hic de Lino an papa fuerit, atque itidem de Cleto. Sed responsum est, et negatum, eosque fuisse discipulos Petri, ac ejus vicem in his duntaxat supplevisse, quæ ad activam pertinebant vitam, unum videlicet intra muros, alterum vero extra. Sed Petrus vacabat orationi, unde etiam nunc Romæ præter papam et alius quispiam episcopus est. Considerandum porro est interdum inveniri Paulum Petro esse minorem, et quandoque etiam majorem, vel inter sese eos esse æquales. Sed istiusmodi controversia hoc modo dissolvi potest : Fuit enim Paulus minor Petro, videlicet dignitate, quod hic fuerit princeps apostolorum. Verum eodem major fuit prædicatione, et æqualis et par vitæ sanctimonia. Horum itaque festum tria habet præcipua, jejunium, octavas et solemnitatem. Jejunium quidem, quia si cum eis regnare optemus, oportet nos etiam cum iis compati. In solemnitate vero propter eorum glorificationem gaudemus. In octavis denique ob illorum futuram beatitudinem in corpore et anima, cujus certi sumus, lætamur.

CAPUT CXXXIX.

De divisione apostolorum.

De festo divisionis apostolorum magnæ auctoritatis scriptores varii dissentiunt. Quidam enim volunt divisionem hanc intelligendam esse quasi quæ Jerosolymæ post duodecim annos facta esset, cum videlicet apostoli partiti ac separati fuerint ad concionandum ethnicis : Nonnulli vero putant festum hoc esse accipiendum de divisione Petri et Pauli, illa videlicet, de qua superius mentio facta est. Illam enim tali die factam fuisse arbitrantur quod utique bene fieri potuit. Dicitur autem hoc die magna illa apostolorum sequentia, cujus initium est hujusmodi. *Cæli enarrant*, et Evangelium Ascensionis, sed non integrum, ut quod ibi incipit : *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est* (*Marc.* XVI). Ad cujus extremæ partis probationem nonnulli hic mentionem faciunt de duobus discipulis Petri, qui cum ad prædicandum missi essent, et circiter viginti dies iter ingressi, alter eorum mortuus est, et alter ad Petrum rediit. Hunc aiunt fuisse B. Maternum. Sed Petrus ei tradidit baculum suum, ac ipsum remisit, præcipiens ut ad corpus socii sui adiret, et illud suo baculo tangeret. Quod quidem cum hic fecisset, e vestigio alter revixit ad tactum baculi, qui jam mortuus fuerat quadraginta diebus. Et sic verum esse completum est, quod dixerat Dominus : *Et majora horum facietis* (*Joan.* XIV). Dominus enim quatriduanum suscitavit Lazarum, quod sane oppido quam magnum fuit : sed magis quod ad tactum baculi Petri revixit ille, qui jam mortuus fuerat quadraginta diebus.

CAPUT CXL.

De festo sancti Jacobi.

Festum hoc Jacobi est majoris, fratris Joannis evangelistæ et filii Zebedæi. Hujus corpus quiescit in Compostella, quæ Hispaniæ pars est. Missus enim fuit ut Hispanis verbum Dei concionaretur. Sed propter malitiam et duritiam principum extra unum C ad fidem Christi neminem convertere potuit. Quod cum videret vir sanctus Jerosolymam rediit, ut conspiceret an illi, quos isthic reliquerat, etiamnum satis essent in Christi fide confirmati, et invenit multos in ea errantes, imo qui jam fere omnino eam deseruerant, propter Hermogenem et Philætum, qui magicis artibus quasi miracula faciebant, quibus homines misere decipiebant. Verum hos magos aggrediens apostolus ad fidem convertit, populumque ad cultum Dei reduxit. Deinde vero cum ad Herodem duceretur, in via paralyticum quemdam sanavit, et qui ipsum ducebat ad fidem convertit, ac baptizavit. Tandem ab ipso Herode fuit obtruncatus. Tum magi illi, qui jam ejus facti erant discipuli, cum aliis tribus eisdem discipulis cum corpore D in navim ascenderunt, et sese sine rectore mari commiserunt, ut ei divina providentia sepulturæ locum tribueret. Tandem navis illa Hispaniæ applicuit ad regnum Lupæ. Erat autem tum temporis regina quædam in Hispania isthoc nomine, cujus vita et mores nomini plane conveniebant. Ad hanc ergo reginam discipuli aliqui exierunt, et illi dixerunt hoc pacto : « Dominus Jesus Christus misit ad vos corpus sui discipuli, ut quod recusastis vivum, saltem mortuum recipiatis. » Ac narravit illi totum istud miraculum, quo pacto illuc appulissent. Quod cum audiisset Lupa misit eos ad crudelissimum quemdam virum qui eos in carcerem detrusit. Sed cum hic pranderet, angelus Domini eos e car-

cere eduxit, qui civitatem exeuntes velut peregrini, populo videnti ac nemine impediente, ad suos redierunt socios.

Absoluto prandio, tyrannus ille ad se captivos adduci jussit. Sed cum venissent ad carcerem qui illuc missi erant, invenerunt carcerem apertum, nec in eo captivos, quod domino suo retulerunt. qui ita percitus extemplo famulis præcepit, ut eos insequerentur. Verum cum hi a civibus passim duos tales viros sibi visos fuisse, et pontem civitatis transiisse intellexissent, et ad eos impetu quodam cucurrissent, pons fractus est, et in aqua submersi sunt. Quod quidem simul atque audivisset princeps, et sibi et suis timens, motus pœnitentia, alios misit, qui sanctos illos viros rogaret, ut ad se securi redirent, promittens quodcunque eis placeret se facturum. Illi autem redierunt, et populum civitatis ad fidem Christi converterunt. Quod factum Lupa regina summopere doluit, et redeuntibus ad se discipulis non ausa aperte eis nocere, fraudem verbis dissimulans, ait : « Accipite boves quos habeo, et plaustro eos jungite, et quo placuerit corpus domini vestri abducite. » Dicebat autem istud animo plane malevolo. Noverat enim boves esse indomitos, ac fieri non posse ut vel jungerentur vel currui applicarentur; aut certe si posset, ut currerent nunc horsum, nunc illorsum, atque eos ita dissiparent et occiderent, ac corpus ipsum caderet. Sed nulla est sapientia adversus Dominum. Discipuli enim posteaquam crucis signum fecerunt, statim boves mansueti velut agni facti sunt, nec hominis contrectationem veriti. Illi ergo apostoli corpus in grandi saxo posuerunt, quod ita se corpori aptum reddidit, quasi humana opera ad id fuisset confectum, sepulcrumque corpori præbuit. Quod cum ita simul cum corpore currui imposuissent, boves sine aliquo rectore recta ad palatium Lupæ currum advexerunt, nec quieverunt, donec ad ipsius palatii medium pervenerunt. Qua re stupefacta regina, et tanto miraculo exterrita, ad fidem conversa est, et ex suo palatio sancto dedicavit ecclesiam, omniaque ornamenta, quæ possidebat isthic ad cultum ecclesiæ consecravit, ac felicissima tandem morte obiit. Colitur autem festum B. Jacobi octavo Kalendas Augusti, non quod tunc obierit (passus enim est circa Pascha, ut liquido in hujus diei Epistola constat : *Misit Herodes rex*, etc. (*Act.* XII), sed quod hoc die ei sit dedicata ecclesia in Compostella. Nec vero habet jejunium institutionis festum hoc, ea ratione qua supra ostensum est.

CAPUT CXLI.

De festo Petri ad Vincula.

Theosebia, uxor Theodosii imperatoris, cum per Alexandriam proficisceretur Jerosolymam, incidit in ejus regionis homines, qui tum temporis festum in honorem Augusti Cæsaris colebant de triumpho habito adversus Cleopatram et Marcum Antonium. Quod cum animadvertisset Theosebia ægerrime tulit tantum honorem exhiberi ethnico homini et damnato. Cum autem venisset Jerosolymam datæ sunt ei cujusdam beneficio catenæ, quibus sub Herode ligatus fuit Petrus. Tandem vero Romam rediens super eo, quod in Alexandria viderat, summum consuluit pontificem, eique ostendit catenas, quas Jerosolymæ dono acceperat. Jussit item papa illas afferri catenas, quibus sub Nerone ligatus fuerat Petrus, quæ simul atque tangerent alias, ita fuerunt conjunctæ atque implicatæ, ac si semper eædem fuissent. Quo quidem viso Theosebia jussit consilio pontificis ædificare ecclesiam in honorem beati Petri, et in ea catenas illas collocavit. Dedicatio autem ejusmodi facta est Kalendis Augusti ; statuitque pontifex ut quod indiscreta et inepta hominum voluntas huc usque fecisset principi Romano, modo idem Christianorum pietas in universo orbe semper faceret principi apostolorum Petro. Atque ad eum sane modum solemnitas Petri extinxit solemnitatem Augusti.

CAPUT CXLII.

De festo Machabæorum.

Hic animadvertendum est Machabæos hos non illos esse ex quibus unus fuit Judas Machabæus, sed qui fuerunt filii Felicitatis, ut quibusdam placet. Alii affirmant Felicitatem matrem fuisse aliorum septem fratrum, qui Christi nomine passi sunt et quorum nomina ignorat Ecclesia. Hanc Felicitatem vocat B. Gregorius plusquam martyrem, quod septies passa sit in septem filiis, et octavo tandem in proprio corpore. Certe illa Felicitas, cujus hi sunt liberi, quorum festum hic agitur, duplex sustinuit martyrium, vidit enim filios diversa pati tormenta, et deinde ipsa martyrium sustinuit. Erant enim ejus septem filii, tametsi non hos fuisse quidam putent. Meminit autem eorum festum Ecclesia tam Orientalis quam Occidentalis, quanquam nullius sancti Veteris Testamenti præter hos, si ita sint, contra multorum habet festa. Verum hos utraque colit Ecclesia, quod propter legis observationem passi sint, cum carnem porcinam comedere recusarent. Est rursus alia ratio quoniam numero septem fuerunt. Atqui septenarius numerus, ut est præter cæteros plenus et perfectus, ita numerum exprimit universitatis. Quare in his septem significantur omnes martyres, tam Veteris quam Novi Testamenti. Atque exhibentur martyribus Novi Testamenti in exemplum, ut quemadmodum illi pro sua lege passi sunt, ita et nos vel mortis periculum pro nostra adire non horreamus, si necesse fuerit. Sane ergo hujusmodi festum magis celebratur gratia eorum qui significantur quam qui significant.

CAPUT CXLIII.

De Inventione sancti Stephani.

Sequitur dicendum de festo B. Stephani (11), id-

(11) Festum hoc instituit Callistus III, ita ut hinc dicere sit necessarium caput hoc non esse hu-

que de ipsius inventione. Verum enimvero considerandum est ejus inventionem fuisse factam eo die quo ejusdem celebratur passio, et contra. Mutatio tamen hæc facta fuit duabus de causis : Prior est, quia Christus natus est in terra, ut homines nascerentur in cœlo. Cum ergo beatus Stephanus fuerit protomartyr, et martyrium sanctorum sit eorumdem nativitas in cœlis, merito post Natalem Domini colitur nativitas protomartyris Stephani. Unde illud vulgo protritum : « *Heri natus est Christus in terris, hodie Stephanus nascetur in cœlis.* Posterior ratio est, quia ad ejus inventionem cum maxima hominum multitudo convenisset, qui miracula quæ quam plurima in inventione Deus fecit videbant, majori cultu annuatim illum diem celebraverunt quam vel diem ipsius passionis. Statuerunt ergo sancti Patres ut festum passionis transferretur ad hunc diem inventionis, et contra festum inventionis, ad festum passionis, quia hoc dignius est, ut ideo majori cultu diem illum annuatim celebrarent, et populus diem illum qui Natale Domini sequitur, ferventiori cultu colebat in Augusto. Animadvertamus hic obiter, si festum alicujus martyris et confessoris concurrant, si illustrior sit confessor et plenum habeat officium, collectam sive orationem ejus esse præponendam, et in altera solummodo alterius faciendam mentionem sive commemorationem.

CAPUT CXLIV.

De festo beati Sixti et Transfiguratione Domini.

Post hæc ordine dicendum esset de festo B. Sixti ; sed quia ejus passio manifesta satis et nota omnibus est, ad alia transeamus. Hoc ipso die festum fit de Transfiguratione Domini. Non quod tali die transfiguratio facta sit, sed quod tunc temporis ab iis qui secum fuerant in monte, primo manifestata et publicata fuerit. Præceperat enim Dominus, ne cuiquam dicerent, donec a mortuis resurrexisset (*Matth.* xvii). Illi autem usque in hanc diem tacuerunt. Enimvero sane transfigurationem hanc certo constat factam fuisse sub finem hiemis et circa principium veris, cum videlicet de illa legitur Evangelium. Et notemus quidem Christi sanguinem eadem hac die confici ex novo vino, si inveniri possit, aut aliquantulum ex matura uva in calicem expressa, et quod racemi benedicantur, indeque homines communicent. Quare autem hoc fiat, hæc est ratio : Quia ipso die cœnæ dixit Dominus Jesus apostolis et aliis qui cum illo cœnabant : *Amen dico vobis, posthac non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Patris mei.* (*Matth.* xxvi). Quoniam ergo tum dixerit novum, et Transfiguratio Domini pertineat ad illum habitum quem nactus est post resurrectionem, ideo quæritur hoc festo vinum novum.

CAPUT CXLV.

De sancto Laurentio.

Nunc de festo B. Laurentii breviter est dicendum. Beatus Sixtus, cujus paulo ante mentionem fecimus, in Hispaniam profectus, inde secum duos juvenes, videlicet Laurentium et Vincentium ejus cognatum adduxit Romam. Horum alter Laurentius nimirum cum eo mansit Romæ, ac gravissima perpessus est tormenta, quemadmodum satis copiose tradit ipsius historia. Cognatus vero ejus Vincentius reversus est in Hispaniam, vitamque ibi glorioso finiit martyrio. Hoc autem festum tria habet præcipue, cujusmodi habere solent magnæ solemnitates, nempe jejunium, ipsius diei solemnitatem et octavas. In tribus enim potissimum sanctus hic habet privilegium. In jejunio quidem primum quod solus inter martyres habeat jejunium, utpote institutionis. Alterum vero in octavis, quoniam hic duntaxat et B. Stephanus octavas habent inter martyres ; beatus vero Martinus inter confessores, ut dicetur postea ubi de ipsius festo agemus. Postremum ejus privilegium quod habet, consistit in regressibus antiphonarum, veluti habet B. Paulus. Sed ille habet propter supremam pœnam martyrii, hic ob excellentiam prædicationis. Tria autem sunt in sacrosancta Ecclesia privilegia, baptismus videlicet, prædicatio et martyrium, verum Laurentius privilegium obtinet martyrii. Nam quamlibet multi alii æque gravia sustinuerunt tormenta, ut B. Vincentius et Georgius et forsitan etiam majora ac plura, non tamen ista universa observat Ecclesia, quæ de illorum tormentis feruntur. Vel etiam propter loci cognitatem eo gaudet præ cæteris privilegio, quod Romæ passus sit.

CAPUT CXLVI.

De Assumptione beatæ Mariæ Virginis.

Agendum deinceps est de Assumptione B. Mariæ. In primis tamen scire oportet quod sanctorum transitus multis appellatur modis. Dicitur enim exitus, transitus, obitus, natale, nativitas, natalitium, dormitio, depositio, quemadmodum est Joannis evangelistæ, passio et assumptio. Sed hoc nomen quasi per antonomasiam solummodo de beata Maria dicitur. Verum esse beatam Mariam, quod ad animam ejus attinet, assumptam fuisse certo novimus ; an vero corpus illius postea etiam assumptum fuerit, profecto incertum est. Pie tamen credimus ipsam integre fuisse assumptam, sed prius anima, ac deinde corpore. Nihilominus tamen mulier quædam religiosissima appellata Elisabeth, quæ etiam nunc in vivis est, habitatque in finibus Saxoniæ, ait sibi esse revelatum quod circiter dies quadraginta assumptum fuerit corpus post Assumptionem animæ. De qua re opusculum quoddam composuit, sed non est in Romana Ecclesia comprobatum. Quæritur autem quamobrem illo die cantetur evangelium de beata Maria Magdalena et Martha ? Ad cujus rei evidentiorem declarationem sciendum est quandoque evangelium legi in ecclesia tot rationibus, quot a nobis ante satis expositum est. Fit namque ut inter-

jus auctoris, sed a scriptore quopiam fuisse postea adjectum. Sed cum in ea omnia, quibus usus sum, exemplaria constanter conveniant, temere hic omittendum esse non putamus.

dum legatur evangelium propter rem ipsam quam continet, cujusmodi est de Trinitate; interdum vero propter rei partem aliquam, ut est *Liber generationis* (*Matth.* I), quod ob ultimum versiculum quo Christi fit mentio, recitatur. Legitur et aliquando propter totum, quale istud profecto est quod in Circumcisione dici consuetum est : *Postquam consummati sunt dies octo*, etc. (*Luc.* II). Si nonnunquam propter tempus, ut in prima die Quadragesimæ, ac propter jejunium, nonnunquam propter litanias, cujusmodi istud est evangelium, quod ovi, piscis, ac panis mentionem facit. Nonnunquam denique causa loci, veluti hoc quod in Septuagesima legitur : *Exiit homo qui seminat, seminare semen suum*, etc. (*Matth.* XIII). Dicitur autem homo hic B luisse beatus Paulus, qui seminavit semen, id est verbum Dei. Atque ideo illo die recitatur collecta de sancto Paulo, sub cujus finem habetur : *Doctoris gentium*, etc. Eo namque die D. Papa in beati Pauli ecclesia sacrum celebrat. Postremo evangelium aliquando vero juxta historiam, ut in Circumcisione, aliquando vero juxta suam allegoriam, quemadmodum hoc est quod in Assumptione Mariæ virginis de Maria Magdalena ac Martha legitur. Quod ergo hic istiusmodi legatur evangelium, indicat utramque vitam, et contemplativam et activam in una Maria virgine fuisse. Ipsa enim fuit Magdalena, hoc est quæ circa vitam contemplativam versabatur. Ipsa fuit Martha, id est quæ circa activam vitam tota etiam fuit occupata, quemadmodum ex C multis locis liquido probari potest. Nam et in contemplativa ipsam sedulo versatam fuisse, vel hæc verba satis declarant : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc.* II). Habet autem festum hoc jejunium atque octavas præter cætera Mariæ festa, cum et nullum ejus sit majus aut celebrius, quemadmodum de quolibet etiam alio sancto censendum est, utpote cujus transitus solemnior sit quam ejusdem festum aliud. Ab hoc tamen excipitur festum Joannis Baptistæ, quippe quod ejus nativitas longe major sit quam passio, idque ob ejusdem significatum atque annuntiationem.

Notemus vero hic quinque esse festa Mariæ Virginis authentica ac comprobata, quorum primum est Nativitas. Festum enim Conceptionis aliqui in- D terdum celebrarunt (12), et adhuc fortassis celebrant, sed authenticum atque approbatum non est : imo enimvero prohibendum potius esse videtur. In peccato namque concepta fuit (13). Alterum vero est parientis, hoc est in Natali Domini. Sed quoniam A tum et Filii festum agitur, quod plenum exigit officium, nullam ejus servamus solemnitatem usque in octavas. Tum enim omnia responsoria de beata Maria cantantur cum prima ejus diei missa, cujus introitus est : *Vultum tuum*. Missa autem secunda de puero est. Tertium festum Mariæ est Purificationis, et quartum Mariæ ad Martyres, quod modo festum Omnium Sanctorum appellatum est. Denique quintum est Assumptionis, cujus gratia hæc omnia tradimus.

Præterea et illud hic animadvertere operæ pretium est, nempe quatuor in universum esse de beata Maria evangelia, quorum unum est, *Missus est Gabriel* (*Luc.* I), tametsi quidem non nisi in Adventu et in ejus Annuntiatione usurpetur; alterum, *Extollens vocem quædam mulier;* tertium, *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione* (*Luc.* XI), etc. (*Luc.* I), ac quartum tandem, *Stabat juxta crucem* (*Joan.* XIX). Atque hæc quidem tria postrema ejusmodi sunt, ut quotiescunque peculiaris missa de ipsa celebratur, cani aut legi possint. Meminerimus interim festum Annuntiationis non tam Mariæ esse quam Domini, imo potius hujus quam illius, ut hic sint quod eadem habeatur præfatio in Natali Domini quæ in ejusdem Annuntiatione. In hoc itaque Assumptionis festo psalmi atque alia quæ generatim diei consueverunt in Dedicatione ecclesiæ, speciatim de B. Maria cantantur. Ut enim Ecclesia mater est omnium sanctorum, nomenque tenet virginitatis, videlicet mentis ac fidei, quæ corporis præfertur virginitati, sponsa Christi dicta. Unde illud, *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* IX), sic profecto B. Maria dicta et Virgo est, et sanctissima sanctorum. Recitantur autem lectiones ex Cantico amoris, nempe, *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I). Unde et responsoria atque antiphonæ petuntur. Illud quoque diligenter observandum est, nimirum hoc tempore legi oportere libros Salomonis, primo quidem Parabolas, idque ab initio Augusti, deinde Ecclesiasten, ac tandem etiam Canticum amoris cujus dimidium in hoc festo usque ad octavas legitur, reservato altero dimidio usque in Nativitatem B. Mariæ. Quarto vero recitatur Ecclesiasticus, quinto liber Sirach, sexto denique liber Philonis, scilicet Sapientiæ, qui appellatus est Salomonis, quod sententias contineat Salomonis; Philonis autem, quod ille eas in librum redegerit. Nec vero convenit ut

(12) Vide concil. Basiliense, etc. Firmissime de consec. dist. 4.

(13) Vox linguæ Christianæ indigna, etsi non hæretica, siquidem dogma *immaculatæ conceptionis*, ab Ecclesiæ præcordiis, in quibus ab initio viget foveturque, nondum eruperat, imo, nec nostris, eheu! temporibus erupit! Quamvis enim quintum jam currat sæculum, ex quo sacrosancta Basileensis synodus « doctrinam illam tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, et sacræ Scripturæ, ab omnibus tenendam et amplectendam » diffinivit; licet tamen, quod vix absque lacrymis fatendum est; licet, inquam, illæso orthodoxiæ nomine, Matris Domini honorem lædere sanctissimamque ejus conceptionem calumniari. Instat vero dies quam fecit Dominus, dies omnium catholicorum votis exoptata, octava scilicet Decembris anni hujus (1854), in qua Matrem dilectam eruet Christus a lingua dolosa. Surgens enim in die illa Pius papa nonus, quem elegit Deus secundum cor suum, eructabit ex cathedra Petri verbum bonum, beatæque Mariæ *immaculatam conceptionem*, inter dogmata fidei, cum universi orbis plausu et tripudio recensebit. (Edit. Patrol.)

ipso die Assumptionis sermo hic Hieronymi in ecclesia legatur, sed in capitulo, utique, ad quod nimirum proprie compositus videri potest. Ad postremum ergo hic animadvertere quod paulo ante dictum est, virginitate videlicet mentis prævalere integritati corporis. Quod enim hoc verum sit facile ex verbis B. Mariæ constare potest. Ait namque hoc modo : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* (*Luc.* 1). Non, inquit virginitatem, sed humilitatem, hoc est fidem et puritatem mentis. Atque hæc de festo Assumptionis dicta sufficiant.

CAPUT CXLVII.

De Decollatione sancti Joannis.

Ut modo Decollationem Baptistæ aggrediamur, præcipue illud cognoscendum est, ipsum tempore Paschali fuisse decollatum et corpus quidem a discipulis suis Sebastæ sepultum, caput vero minime. Quid autem de capite ejus postea actum sit, et quemadmodum in Aquitaniam venerit, dicetur alibi. Movetur hic quæstio, cum truncus in alio loco, atque in alio caput fuerit sepultum, in utro illorum dicatur Joannes sepultus, sed huic controversiæ ex supra dictis dari potest solutio. Pergamus ergo. In eo loco ubi corpus erat situm multa in dies Deus et maxima operabatur miracula, ita ut isthuc magna Christianorum turba confluëret. Quod sane cum ethnici vidissent, moleste admodum tulerunt, et quoniam hoc tempore imperabat Julianus apostata, maximus Ecclesiæ persecutor, in dedecus Christianorum S. Joannis mausoleum destruxerunt, et ossa ejus per agros sparserunt. Sed cum et illuc Christiani venirent, nec miracula cessarent, rursus ethnici ossa collegerunt et combusserunt. Verum digitus ille quo Dominum ad Jordanem venientem demonstraverat, inquiens : *Ecce Agnus Dei*, comburi non potuit. Multi tamen Christiani, qui ethnicis intererant, dum ossa colligerent, quæ potuerant, reservarunt. Atque ob hanc quidem rationem placuit D. Gilberto festum hoc potius collectionis dici debere, quam decollationis. Non desunt qui putant B. Theclam digitum S. Joannis, qui comburi non potuit, ex oris transmarinis detulisse in Mauritaniam, ibique in honorem B. Joannis ecclesiam construxisse, quæ hoc die fuit dedicata. Quare statutum fuit a pontifice ut hic dies per universum orbem Christianum beato Joanni sacer haberetur, juxta quod videtur festum hoc appellandum esse dedicationis. Festum Bartholomæi prætermittimus, quod quæ hic essent dicenda, satis cumulate ejus tradat historia. Concionatus tamen est verbum Dei in India, ubi primo die fuit excoriatus, altero obtruncatus et translatus Beneventum.

CAPUT CXLVIII.

De sancti Augustini festo.

Circa festum Augustini hoc tantum inquisitione dignum esse videtur, ut cum eodem die plura concurrant festa, veluti Augustini, Hermetis, et Juliani, cujusnam potius officium celebrari illo die debeat consideremus. Nam in eam rem hujusmodi tradi potest responsio, et in alia his simulia : Si omnes martyres essent illius, qui inter eos majoris esset nominis officium celebraretur. Si vero alius confessor, alius martyr, vel plures fuerint martyres, et si confessor majoris sit nominis, quam martyr, aut privilegium aliquod habeat, ut B. Martinus, et ejus officium generatim in Ecclesia Dei sit institutum, dicendum profecto est officium de confessore, et mentio sive memoria facienda est de martyre. Si autem non, celebrandum est de martyre.

CAPUT CXLIX.

De Nativitate beatæ Mariæ.

Deinceps sequitur Nativitas B. Mariæ. Festum hoc olim fieri non consuevit, sed quodam tempore vir quispiam pius, cum noctu oraret, audivit angelos in cœlo canentes. Idem accidit pluribus annis eamdem per noctem. Quare petiit a Domino ut quid hoc sibi rei vellet ipsi revelaretur. Et indicatum est ei angelos ita in cœlis gaudere, ac velut solemnizare, quod istiusmodi nocte nata esset beata Virgo. Ille igitur rem, quam audiverat, ad papam defert : qui cum intellexisset eum virum esse sanctum et magnæ auctoritatis, credens ipsum vera loqui, instituit ut per totum mundum christianum, festum hoc celebraretur. Nec vero habet jejunium, vel octavas institutionis. Potest tamen nihilominus habere devotionis. Legitur hoc festo evangelium : *Liber generationis* (*Matth.* 1), ubi agitur de genealogia Christi. Sed quæritur cur in generatione potius computetur Joseph, quam B. Maria, cum Christus non sit filius Joseph. Verum enimvero in Veteri Testamento potius solet fieri computatio per viros quam per feminas, nec multum refert per quem hic fiat computatio, cum Joseph et B. Maria eamdem habuerint generationem. Et sane Christus maluit fabri filius vocari, quam ut mater sua lapidibus obrueretur. Revera filius fabri fuit, non illius Nazaræni, sed fabri ejus, qui fabricatus est auroram et solem.

CAPUT CL.

De sanctis Sapientia, Felice et Audacto.

Sapientia mulier fuit sancta quæ tres habuit filias : Fidem, Spem, Charitatem, quæ omnes martyrium cum matre susceperunt. Sed de beatis Felice et Audacto sciendum est quod, cum beatus Felix pro Christi nomine ad martyrium duceretur, quidam subito sese in medium protulit, inquiens : *Et ego sum Christianus.* Ad quem responderunt carnifices : *Ergo et tu venies.* Cum igitur nomen illius ignoraretur, appellatus est Audactus, quasi beato Felici audacter associatus.

CAPUT CLI.

De Exaltatione sanctæ crucis

Exaltata fuit sancta crux, ejusque festum institutum eo tempore quo Heraclius vicit Cosroen regem Persarum. Hic autem Cosroe cum, destructa Hierosolyma, crucem Domini inde abstulisset, facta domo ad similitudinem cœli, fecit sibi in ea sedem, ac lignum a dextris posuit loco Filii, gallum a sinistris loco Spiritus sancti, atque ita ipse in medio

stans se Deum et Dominum appellari voluit. Quod audiens Heraclius imperator Romanus aciem movit juxta Danubium illum, qui apud Persas est, non hunc qui in Suevia oritur. Nam alterum illum forte ex his partibus in illas venisse dicere possumus et nomine hujus esse appellatum, sicut Trojani fecisse dicuntur. Hinc victo filio Cosroes singulari certamine, crucem Domini tulit Heraclius, voluitque illam in suum locum restituere. Sed cum appropinquaret Hierosolymam, portæ civitatis per se fuerunt clausæ, ut non intrare potuerit. Quod cum vehementer admiraretur, audita vox est e cœlo, inquiens Regem regum non sic intrasse Jerosolymam phaleratum, sed humilem et super asinam sedentem. Atque hic statim suam agnoscens elationem, ex equo desiliit, et valde est humiliatus, ac portæ sua sponte ei apertæ sunt, nudisque pedibus civitatem intravit. In hujus ingressu multi diversorum genere morborum per crucem curati sunt. Ferunt ab Adamo Seth filium ejus missum fuisse in paradisum, qui ramum inde sibi datum ab angelo retulit ad patrem, qui statim illius arboris mysterium cognoscens, eam terræ inseruit, in magnam arborem procrevit. Postea vero cum in templi ædificatione ex diversis mundi partibus arbores afferrentur, allata est illa et relicta tanquam inutilis. Unde deinceps ad foveas quasdam civitatis posita est, per quam commode transire possit. Hanc cum vidisset regina Saba, noluit transire, sed adoravit. Postea autem rejecta est in probaticam piscinam, quæ tempore passionis Christi desiccata fuit, ac tum apparuit lignum, cui cum aliud non invenirent Dominum affixerunt. Major vero est festivitas inventionis quam exaltationis, quod ab Eusebio fuerit instituta, qui eo die fecit populum convenire ad adorandum crucem. Fuit enim hic pontifex Romanus trigesimus.

CAPUT CLII.

De beato Mauritio, ejusque sociis.

Sequitur videndum de festo B. Mauritii, et Thebæa legione. Multæ sunt Thebæ, una in Ægypto a Busiride rege Ægypti condita, dicta alio nomine Heliopolis. Ex hac oriundus fuit Mauritius atque inde dicuntur Thebæi. Alia est in Beotia a Cadmo Agenoris filio condita, a qua dicti sunt Thebani. Tertia est in Judæa, unde appellati sunt Thebites. Illi vero qui cum Mauritio mortui sunt, erant ex Thebe Ægyptiorum. Cum ergo Galli exercitum suum in Romanos eduxissent, dux Ægypti collegit exercitum in quo fuit beatus Mauritius, qui sub se habuit legionem, virorum scilicet sex millium sexcentorum et sexaginta sex. Verum cum jam essent in exercitu, tyrannus voluit eos cogere ad adorandum idola, qui ut non voluerunt, ita decimam accepit partem atque interfecit. Quod animadvertens Mauritius, sermonem suum convertit ad socios, orans ut viriliter agerent et starent, qui sic ab eo corroborati, martyrium perpessi sunt. Sed illi priusquam Romam venissent sunt baptizati.

CAPUT CLIII.

De sancto Matthæo.

De beato Matthæo hoc tantum dicimus, quod levita fuit, ideoque in lege magis edoctus. Inde est quod profundæ significationis oppositiones adversus hostes suos fecerit. Fuit autem Hebræus, quare et Hebræis Evangelium Hebraice scripsit. Ubi obiter animadverte nos Hebræos dicere, si quando de lingua loquimur; Judæos cum de ritu vel gente. Postea hujus liber translatus est in Græcum, et deinde de Græco in Latinum. Prædicavit autem sub Caio Caligula, qui sic nominatus est, quod cum nasceretur in expeditione caligis fuerit coopertus. Scripsit vero Joannes sub Nerva; Marcus sub Nerone. Sed quo tempore Lucas scripserit, incertum est. Nomen hoc Matthæus, ut inquit Beda, in sua orthographia per duplex *tt* scribitur.

CAPUT CLIV.

De festo angelorum sive Michaelis.

Festum angelorum, quod hoc tempore colitur est Dedicationis, quando eis basilicæ dedicatæ sunt, quoniam hoc festum omnium angelorum dicitur. De barbarorum autem fuga et tauro agitur inter Pascha et festum Ascensionis, quando de festo angelorum agitur. Proinde vero de nominibus angelorum dicimus, quod nec sibi nomina imposuerunt, nec eis a Deo data sunt, sed ab hominibus : a quibus autem, nescimus. Cæterum in festo S. Michaelis cum de angelis omnibus agatur, Michael nominatur, quia ipse præest paradiso, et ad suscipiendas animas princeps est constitutus. Hic quoniam in Gargano monte visus sit, ac ipse locum sibi in alto elegerit, ideo ei ubique fere terrarum in edicto loco basilica constituitur. Sanctis vero quasi hominibus et terrenis in imo templa dedicantur. Dicunt autem nonnulli tot esse in quolibet angelorum ordine legiones, quot sunt legionis unitates, scilicet sex mille sexcentæ et sexaginta sex. Certum est tamen plures esse legiones quam ordines, unde Dominus inquit Petro : *Nescis, quod si rogavero Patrem meum, mittet mihi plusquam duodecim legiones angelorum* (*Matth.* xxvi). Ait Haymo tertius episcopus Halberstatensis, quod si quis posset videre spirituales creaturas, ita eas videret ebullire in aere, tanquam minimas atomos in splendore solis. Constantinus etiam imperator, cum ad oras transmarinas proficisceretur, invenit Eusebium virum sanctissimum, cui dixit : « Vir sancte, pete a me quo tua Ecclesia ditetur. » Ille vero respondit, Ecclesiam suam satis divitiis abundare, sed se rogare, ut in omnibus mundi plagis scrutentur nomina sanctorum, et eorum passionum tempora, ac sub quibus et quemadmodum passi sunt, rescribat. Quo quidem facto refert Eusebius, quolibet anni die plusquam quinque millia sanctorum festa concurrere. Unde fertur Gregorius dixisse : « Totus mundus sanctis plenus est. » Quod autem Michael dicitur pugnasse contra draconem, allegorice quidam intelligi volunt, videlicet Michael, id est Christus. Dicunt tamen alii historice esse in-

telligendum, quoniam scilicet ministerio Michaelis et angelorum ejus depulsus est diabolus. Quamobrem ita etiam depingitur in Ecclesia propter laicos. Quæritur præterea utrum Michael sit nomen unius angeli, an vero plurium? Dicunt aliqui unius esse. Sed putant alii, quod quando unus angelorum mittitur ad aliquod magnum et mirabile faciendum, is Michael nuncupetur. Certum est autem Michaelem fuisse, qui missus est in Ægyptum, et celebres illas ac famosas plagas fecerit, et mare Rubrum diviserit.

CAPUT CLV.

De sancto Remigio.

Sanctus Remigius Gallorum dicitur pontifex, quoniam primus regem Gallorum inunxit, atque ideo in tanto honore et veneratione habetur in Francia, ut festum illud obfuscet festum beati Michaelis.

CAPUT CLVI.

De sancto Luca.

Lucas natione fuit Syrus, patria Antiochenus, et prædicavit in Bithynia, atque isthic propria morte absque martyrio vitam feliciter finivit. Vixit autem octoginta annis, et duo volumina posteritati reliquit, Evangelium videlicet et Actus apostolorum. Fuit discipulus Pauli, a quo quæ docuit didicit, sicut Marcus a Petro. In prologo tamen Evangelii invenitur, quod ipse didicisset a quibusdam qui a principio fuerunt cum Domino. Ex quo sequi videretur, quod non ex Paulo didicisset, cum hic a principio cum Domino non fuerit. Verum quædam ex Paulo didicit, quædam etiam ex aliis, sed maxime tamen a Paulo edoctus est.

CAPUT CLVII.

De Simone et Juda.

Jacobus, Simon, Judas, qui et Thadæus, Joseph Barsabas, qui et Justus cognominatus est, ne propter injustitiam ab apostolatu fuisse repulsus credatur, fratres fuerunt, inter hos scilicet Joseph Barsabam, et Matthiam facta est sortitio. Atque ille quidem Jacobus frater Domini dictus est, quoniam omnes cognati Hebræo idiomate fratres vocabantur, vel quia ipsi erat quam simillimus. Joseph vero cognatus dicitur Domini, vel quia pater putativus erat, vel quia cognatus esset ex parte matris, nimirum B. Mariæ. De Simone fertur quod sit crucifixus. Sed prius tamen in Ægypto prædicavit, ac postea venit Jerosolymam, atque isthic post beatum Jacobum minorem, qui dictus est frater Domini, creatus est episcopus. Vixit autem centum et viginti annis, suscitavitque antequam moreretur triginta mortuos, filium nempe sui hospitis submersum fluctibus, et ejus gratia cæteros. Obiit vero annorum centum et viginti in Bosphoro, non in Pastophorio, ut quidam censent. Est autem Pastophorium, ut nonnulli volunt, porticus templi, in qua jacebant custodes templi. Judas vero prædicavit apud Persas et Medos, atque isthic mortuus est apud Hermenios.

CAPUT CLVIII.

De festo Omnium Sanctorum.

Posteaquam hæc de sanctis hucusque prosecuti simus, necessarium plane est ut ad maximum illud et generale festum veniamus, videlicet Omnium Sanctorum. Sed quamobrem istud fuerit institutum et quare hoc præsertim tempore fiat, satis, ut ego quidem arbitror, supra ostensum est. Pauca tamen adhuc de eo dicenda restant, nimirum de jejunio et ordine ipsius officii. Festum ergo hoc jejunium habet institutionis, nec debet profecto aliquis comedere nisi a vesperis, nec jejunium oportet mutari, ut quidam faciunt propter festum S. Quintini. Ait enim ille : « Putasne sancti gaudeant cibis, qui meruerunt vitam jejuniis? » Quoniam autem festum hoc Omnium est Sanctorum, ideo variatur illius officium, prout habetur varietas sanctorum. Prima enim antiphona, prima lectio, et primum responsum cantatur de Trinitate, quod festum est Trinitatis. Secundo loco canitur de B. Maria, tertio de Angelis, quarto de Prophetis, quinto de Apostolis, sexto de Martyribus, septimo de Confessoribus, octavo de Virginibus, nono de Omnibus Sanctis. Atque in horum quidem officiorum lectionibus observatur auctoritas. Nam præstantior in ecclesia, si episcopus præsens fuerit, recitabit lectionem de Trinitate, vel decanus, vel saltem sacerdos, et sic fiet descensus in legendo personarum usque ad pueros. Octavam namque lectionem leget unus ex pueris. Nonam enim lectionem majoris est recitare.

CAPUT CLIX.

De officio mortuorum ac ratione sepeliendi.

Nunc agendum est de officio mortuorum, et quidem primo de loco ubi debeant sepeliri, secundo de iis qui sunt sepeliendi, et de modo ac ratione sepeliendi, tertio quis eam invenerit, et quamobrem, ac tandem de ipso officio. Non puto esse operæ pretium ut eam repetamus divisionem quam in initio de locis fecimus, ad quam nos lectorem modo remittimus. Verum illud duntaxat hic sciamus religiosum locum dici eum, juxta leges et instituta Romanorum, in quo sepelitur corpus alicujus hominis, seu caput tantum. Ac ideo caput dico, quoniam nullus duas habere potest sepulturas, sed ubi caput est, isthic alicujus esse dicitur sepultura. Sive ergo Christianus, sive paganus, sive infans, etiam non baptizatus, aliquo in loco sepeliatur, secundum Romanorum instituta, locus ille religiosus appellabitur : at vero Christiani non eum locum censent esse religiosum. Ubi sepelitur Judæus vel paganus, vel infans non baptizatus, sed tantum ubi Christianus, usque adeo, ut si excommunicatus aliquis sit ibi sepultus, inde extrahatur, atque extra cœmeterium ejiciatur.

Locus autem iste diversis appellatur nominibus, ut cœmeterium, et polyandrium. Atque ipsum sepulcrum hujusmodi : Mausoleum, dormitorium, monumentum, ergastulum, sarcophagus, pyramis, tumulus. Dicitur autem cœmeterium a Græco verbo κοιμάω, quod est *sopio*, quasi quod isthic mortui dor-

miant, unde etiam nominatum est dormitorium. Polyandrium locus appellatur, ubi multa sunt sepulcra publica. Mausoleum dictum est a Mausoli sepulcro quod Arthemisia ejus uxor ædificavit ita egregiis operibus ut inter septem orbis miracula numeretur. Attollitur enim in altitudinem viginti quinque cubitorum, ac columnis cingitur triginta sex. Quare ab hoc sepulcro omnia pretiosa sepulcra isto nomine mausolea sunt appellata. Monumentum vero nominatur a monendo, quod nos prætereuntes qui in monumentis et sepulcris sunt, admoneant, et se olim fuisse et perinde mortales, ut et nos meminerimus, quod cineres simus et in cineres revertimur, pulvis et in pulverem redibimus. Tumulus appellatus est, quasi terra tumens, id est collis, quod ibi coacervari terra consuevit. Ergastulum dictum est per antiphrasin ab *ἐργαζομαι*, *operor*, quasi quod in sepulcris corpora minime laborent, sed requiescant, qui in Domino moriuntur. Sic item sarcophagus appellatus est a *σάρξ σάρκος*, *caro*, et *φάγω*, *comedo* quasi isthic caro consumatur et comedatur. Dicitur etiam pyramis sepulcrum ejusmodi, quod flammæ habet similitudinem, ita ut a lato in acutum tendat. Est enim altissimum genus sepulturæ. Tale Romæ visitur, in quo positi sunt cineres Julii Cæsaris, vocaturque acus S. Petri, atque etiam nunc in dubio est, an ex uno constet lapide, an vero ex pluribus. Similem pyramidem exstruxit Cæsar Turonis, juxta ripam Ligeris et in ea inclusit cujusdam sui amici cineres, qui fuit interfectus.

Nunc ergo deinceps de iis qui sunt sepeliendi dicamus, et prius quidem quibus locis debeant sepeliri, et an locus eis etiam aliquid conferat, necne. Ac nonnulli sane arbitrantur locum mortuo non prodesse, quod hinc confirmare volunt, cum Lucifer e cœlo fuerit ejectus, et Adam e paradiso expulsus, quæ tamen loca sunt optima, nec quidquam bonitatis eis contulerunt. Item Joab in tabernaculo fuit interfectus, et Job in sterquilinio triumphavit. Potest autem locus obesse, ut si quis sepeliatur in ecclesia, cum non sit dignus. Certe nullum corpus in ecclesia debet sepeliri, nisi sint corpora sanctorum Patrum, qui dicuntur patroni, id est defensores. Ipsi enim meritis suis totam patriam defendunt. Sed cæteri circa ecclesiam debent sepeliri. Dicunt enim quidam, quod locus triginta pedum circa ecclesiam in eum finem debeat consecrari. Alii vero putant solam episcopi circuitionem, quando ecclesiam dedicat, sufficere. Olim enim apud veteres solebant homines in suis ædibus sepeliri. Sed propter fetorem cadaverum statuerunt, ut extra civitatem sepelirentur, et locum quemdam communem ad hoc quasi sanctificarent. Nobiles vero sepeliebantur in montibus, sive in eorum medio, sive in radicibus. Proinde si quis interficiatur in obsidione, vel aliquo tumultu, nec posset habere cœmeterium, sepeliant ipsum ubi possunt. Si vero aliquis moriatur in mari, et terra fuerit vicina, navigent illuc, ipsumque ibi sepeliant. Sed si procul a terra abfuerint, videantque in medio mari insulam, vertant eo vela, et sepeliatur in insula. Verum si terram penitus non videant, paretur ipsi domuncula quædam ex lignis, si possit haberi, et projiciatur in mare. Quo etiam modo fiat, si dives fuerit. Sed cum thesauro suo, si habet, ejiciatur, ut qui eum invenerint ex thesauro ipsum nobilem fuisse cognoscant, aut certe amore thezauri ipsum terræ mandent. Verum enimvero animadverte quandocunque sepelitur Christianus, vel quocunque etiam loco crucem capiti ejus apponi debere, ad designandum illum fuisse Christianum. Vel ob id etiam quod summopere diabolus signum hoc pertimescat et ad eum locum horreat accedere, qui cruce est designatus.

Videndum deinceps est unde cœmeterium initium habuerit, videlicet ab Abrahamo. Hic enim emit agrum ab Ephron Hethæo in quo duplex erat spelunca, ubi ipse sepultus est cum Sara, Isaac, Jacob, Adam et Eva. Ad hoc enim emit, ut sibi et suis sepultura esset (*Gen.* XXIII). Duplex spelunca ideo dicebatur, quoniam ibi duo sepeliebantur contigue maritus et uxor. Vel quia duæ aderant speluncæ, et in una sepeliebantur viri in altera mulieres; vel etiam, quia duplex fiebat unicuique spelunca sepeliendo in modum cathedræ. Sepeliebantur enim quasi sedentes, et pars speluncæ superior quæ a naribus truncum capiebat, dicebatur una spelunca: pars vero quæ continebat pedes, crura et femora, dicebatur spelunca alia. Opportune hic considera non legi in prima ætate nisi duo duntaxat sacramenta fuisse inventa, oblationem nimirum et pœnitentiam, sed in secunda cultum Dei fuisse ampliatum. Fecit enim Noe arcam, atque illi inclusit multa animalia ad sacrificandum Deo. In quarta autem ætate divinus cultus magis auctus est. Tunc enim lex data est, et multa genera sacrificiorum offerebantur Domino. Sic in quinta ætate magis adhuc auctus est. Tum namque factum est templum, et cultus divinus optime sane habuit incrementum. In sexta tandem ætate venit Christus, qui seipsum obtulit Deo hostiam placentem et sufficientem pro omnibus.

Porro autem in cœmeterio Christianorum, non nisi Christianus sepeliri debet, nec tamen omnis. Nullus enim in suo maleficio interfectus, sepeliri debet in cœmeterio, ut latro, si in latrocinio interficiatur. Intellige autem hic maleficium, si sit mortale peccatum, ut interfectus in adulterio, et in ludis ethnicorum. Si vero moriatur subito in ludis consuetis, ut in ludo pilæ, potest sepeliri in cœmeterio, sed sine psalmis et sine exsequiis. Si præterea aliquis ex prostibulo rediens, vel ex alio loco ubi fornicatus sit, et in via occidatur, aut alio casu non confessus moriatur, si legitimis testibus potest probari eum fuisse fornicatum, nec postea confessum, in cœmeterio sepeliri non debet. Si non potest probari sepeliri licebit. Latro in eo loco in quo suspenditur sepeliatur, nisi prius satisfecerit, si autem satisfecerit, in cœmeterio sepeliatur. Mulier si in partu moriatur, utique in ecclesia sepulturæ tradi

non debet, sed extra eam. Quare canantur ei exsequiæ, et postea sepeliatur in cœmeterio, sed puer excidatur e ventre ejus, ac sepeliatur extra cœmeterium. Debent autem mortui ad hunc modum sepeliri, sudariis videlicet induti, et ut caligas circa tibias habeant et soleas in pedibus, quo significent ita se paratos esse ad judicium. Ponantur præterea capite versus occidentem, et pedibus versus orientem. At vero clerici, si sint ordinati, illis indumentis sepeliantur, quibus fuerant ordinati : Si non habeant ordines, more laicorum, et tondeantur ac radantur. Omnium autem corpora debent lavari, ad significandum quod, si anima per confessionem a culpa fuerit mundata, utrumque, hoc est anima et corpus, in die judicii sempiternam habebunt glorificationem. Si vero aliquis in hastiludio moriatur absque pœnitentia, quando videlicet sacerdotem ipse non quærit, sepeliatur instar asini, atque ita quoque si in ripa. Sed si ludi gratia vel propter negotium suum conficiendum naviget ac pereat, potest sepeliri in cœmeterio. De istiusmodi enim non judicat Ecclesia manifeste. Si quis subito moriatur non propter aliquam causam manifestam, sed occulto Dei judicio, honorifice sepeliatur. Justus enim quacunque causa moriatur, salvabitur. Qui denique si manum inserunt, ac mortem propria voluntate depaciscuntur, non debent in cœmeterio habere sepulturam.

Solet autem hic quæri utrum post diem judicii homines sint futuri nudi, an vero vestiti. Et videtur quidem quod vestiti, quoniam angeli semper vestiti solent apparere, et Christus etiam post resurrectionem cum veste visus est, ac in transfiguratione quoque fuit vestitus. Unde illud : *Apparebant vestimenta ejus alba sicut nix* (*Matth.* II). Contra vero videtur quod erunt nudi, idque ex ea auctoritate quod ea tum sumus futuri forma in qua fuit Adam ante peccatum, atque etiam in meliori : atqui tunc nudus fuit, ergo et nos similiter erimus nudi. Verum nihil nos dicendo præsumamus de veste vel de qualitate, nisi unum hoc, videlicet isthic neque deformitatem fore, neque infirmitatem.

CAPUT CLX.

De institutione officii.

Sequitur de officio, et primo quidem a quibus fuit institutum, secundo a quibus fuit actum, tertio a quibus habuit initium, quarto de modo celebrandi. Officium ergo mortuorum primo ab apostolis fuit institutum, sed ab origine, ut testatur Isidorus in libro De ecclesiasticis officiis, fuit actum, et ex maxima parte ordinatum. Unde ipsum commendat beatus Aug. in quodam libro quem ille appellat Enchiridion, inquiens eum fuisse secundum in ecclesiast cis officiis post apostolos. Officium hoc initium habuit a veteri lege. Legitur enim quod, mortuo Jacob, Joseph et alii fratres ejus ut eis præceperat, cum multis Ægyptiis attulerunt eum in Hebron, sed prius fleverunt ipsum in Ægypto triginta diebus, ac postea septem in area Athad (*Gen.* L). Præterea legitur quod, mortuo Mose, populus Israeliticus eum deploravit triginta diebus (*Deut.* XXXIV), quemadmodum etiam ferunt factum fuisse de Aaron et Maria. Verum animadverte quod, mortuo Josue qui eos in terram promissionis introduxerat, non legatur ipsum populus flevisse, quamvis tamen contra credatur. Ideo de Josue tacet historia, quia præfiguravit Christum, et mors ejus mortem Christi, videlicet ejus qui nos a morte redimens ad vitæ patriam reduxit, ubi neque luctus neque dolor est. Propter figuram igitur de morte illius historia tacet, sicut alibi de patre Melchisedech qui Christum figuravit, quoniam non legitur habuisse patrem, quemadmodum nec Christus patrem habuit hominem. De Mose, licet melior credatur fuisse quam Josue, et de aliis qui mortui sunt in deserto, populus dicitur flevisse, quoniam desertum aliquando alienationem a Deo significat. Pro illis itaque flendum est qui per peccata sua a Deo alienantur. Ex qua quidem re, inquit Salomon : *Luctus filii tui sapientis mortui septem diebus* (*Prov.* X) : Luctus filii tui stulti æternus, quandoquidem in æternum punietur. Sic : *Filius sapiens lætificat patrem, stultus vero mœstitia est matris suæ* (*Eccli.* XXII).

Septenarius igitur mortuorum luctus et trigenarius a Veteri Testamento sumpsit exordium, quemadmodum enim Jacob filii fleverunt septem diebus, et Moysen quandoque triginta suorum mortuorum celebrat officium. Notemus interim quatuor modis subveniri mortuis, oratione videlicet, amicorum eleemosyna, cognatorum jejunio et missarum celebratione. Septem ergo diebus nostris mortuis officium facimus, ut ad Sabbatum animarum citius valeant pervenire. Aut certe propter septenarium animæ et corporis. Habet enim anima tres potissimum proprietates, uti nimirum ratione, concupiscere, et irasci. Corpus vero ex quatuor constat elementis. Ut itaque peccata quæ homo commisit per hæc septem deleantur, septenarium mortuis celebramus. Ter decem triginta faciunt. Per ter intelligimus Trinitatem, per decem Decalogum. Quare trigenarium mortuis ideo facimus, ut quod in observatione decem præceptorum deliquerunt, Dei misericordia eis condonetur. Quidam tamen tribus diebus hoc faciunt, ut in eo triduana Christi sepultura repræsentetur, et quod vivus peccaverit cogitatione, verbo et opere mortuo remittatur. Quod autem plerique officium faciunt novem dierum, licet ea consideratione hoc faciant ut per hujusmodi officium illorum mortui a pœnis liberentur, ac novem ordinibus Angelorum associentur, non tamen approbatur, sed omnino interdicitur, quoniam ab ethnicis sumptum esse videtur, qui nono die cineres et busta suorum recondebant. Sicut enim non imitamur Judæos in celebrando pascha, ita etiam in hoc officio ethnicos imitari plane prohibitum est. Sunt præterea nonnulli qui quinquagenarium faciunt, et alii qui quadragenarium, sed hi utrique satis cum oratione facere videntur. Qui enim quin-

quagenarium faciunt ab Abrahamo occasionem sumere videntur, qui ex Domino volente Sodomam subvertere, quæsivit, num si quinquaginta in ea essent justi, illis parceret. Nam et quinquagenarius numerus perfectus est, et significat annum jubilæum, id est octavam ætatem, in qua erit remissio et plena libertas. Ut ergo animæ mortuorum plenam libertatem et suorum peccatorum remissionem adipiscantur, quinquaginta diebus pro illis a quibusdam celebratur officium. Quadragenarium vero ideo quidam faciunt, ut illis qui decesserunt et transgressi sunt in decem præceptis, et in doctrina quatuor evangelistarum, condonetur.

CAPUT CLXI.

De celebratione Mortuorum officii.

Præterea modo videamus de ipsius officii celebratione. Ac primo quidem, ut sciamus, quæ sint tacenda, et secundo quæ sint dicenda, quoniam officium mortuorum imitatur triduanam Christi sepulturam, et illius omnino vestigia sequitur. Sicut ergo tribus illis diebus, ita et in hoc officio omnia cantica lætitiæ subticemus. Inde etiam est quod, *Domine, labia mea aperies*, ad matutinas, vel vigilias mortuorum et *Deus in adjutorium*, non dicatur in principiis horarum, neque *Venite exsultemus* (*Psal.* XCIV), neque *Gloria Patri* ad responsorium, aut sub finem psalmorum. Pari modo ad lectiones neque benedictiones petimus neque damus, nec *Tu autem, Domine*, nec *Deo gratias* unquam dicimus, usque adeo ut ne ad missam quidem. Posset tamen et alia ratio reddi, quamobrem in officio mortuorum hæc taceantur : cum enim mortuorum exsequias celebramus, ad plangendum venimus, et lacrymandum, non ad solemnizandum : OD quam rem sane lætitiæ cantica subticemus. Nam non bene convenit huic officio *Venite*, *exsultemus*, nec, *Domine, labia mea*, sed potius cum eo videntur repugnare. Officium autem mortuorum a vesperis incipit, quas in hunc modum auspicamur : *Placebo Domino* (*Psal.* CXIV). Quibus absolutis sequitur completorium, ac postea vigiliæ, quarum tria sunt genera. In quibusdam enim Ecclesiis novem leguntur lectiones ex Job : in aliis vero totidem sed ex lib. Sapientiæ. Incipiunt autem hæ hoc pacto : *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). Sunt rursus aliæ Ecclesiæ, in quibus itidem novem recitantur lectiones, verum ex sermone quodam beati Augustini, quem ille composuit de mortuis, et quem finivit in hunc modum. *Beati mortui qui in Domino moriuntur* (*Apoc.* XIV), quod a quibusdam dicitur sub finem lectionum loco. *Tu autem, Domine :* quemadmodum in adventu Domini, in Nativitate, et in Epiphania lectiones Isaiæ finiuntur hoc pacto : *Convertimini ad me et salvi eritis*, et lamentationes Jeremiæ ad tenebras hac ratione : *Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum.* Verum aliis diebus hoc modo : *Tu autem, Domine*, etc. Atque ita sunt quatuor modi finiendi lectiones.

Ad missam proinde thus offerri non debet, quamlibet hoc tempore ita usu receptum sit. Nam in veteri lege prohibitum fuit ne pro peccato offerretur oleum lætitiæ nec thus suavitatis ; ubi enim peccatum, ibi tenebræ, atque isthic non debet esse lætitia, nec suavitas, sed luctus et contritio cordis. Quocirca et exsequiæ, quas nos facimus ob mortuorum commissa, celebrantur.

Animadverte interim in lege Moysi prohibitum fuisse a Domino, ne thimyama boni odoris, vel thus sibi sacrificium aliquis adoleret in usus suos, ut odore ejus frueretur, quod si quis faceret, periret e populo suo. Atque ideo moris est in Ecclesia, ut ad altare benedictum ac consecratum thus offeratur ; cum vero descendit thuribulum vel ad clericos, vel ad laicos, ut tum aliud thus sine benedictione usurpetur, atque hominibus offeratur. Consuetum est hic quæri, cur ad missam mortuorum pax non detur : et sane triplex assignatur ratio. Prima est, quia officium hoc uti dictum est triduanam Christi significat sepulturam, quando pax non datur propter osculum Judæ. Secunda, quoniam non communicamus mortuis, quod nobis minime respondeant Unde profecto etiam est, quod corpus sive cadaver in ecclesia esse non debeat quandiu missa de die celebratur, atque adeo si adsit, quod isthinc oporteat asportari, dum de mortuis missa canatur. Tertia est, quia sicut ex multis granis simul collectis, unus efficitur panis, et ex multis racemis vinum exprimitur : ita quoque ex multis fidelibus quorum quidam sunt boni, et quidam mali, una constituitur Ecclesia. Quoniam ergo mortuo homine nescitur utrum sit ex conformitate Ecclesiæ, et pacem habeat cum suo Creatore, ideo ad missam pacem non damus. Non autem dicimus *Benedicamus Domino*, nec *Deo gratias*, nec laudes aliquas referimus, quia non est unde sint agendæ, cum nec dum appareat eorum requies.

Illud præterea animadvertendum est officium mortuorum finiri nona hora, et non habere secundas vesperas, quo significatur quod hoc officium finem habebit, quandoquidem animæ salvandorum ab omni pœna liberatæ sempiterna lætitia perfruentur, nimirum sancti, de quorum glorificatione in anima certa est Ecclesia. Primas et secundas vesperas habent, si in eorum officio novem lectiones decantentur. Et quidem primas, propter glorificationem animæ, secundas vero propter glorificationem corporis quam habebunt, quæque nunquam finem sit habitura. Si autem non nisi tres lectiones canantur, primas tantum vesperas habebunt. Nunc porro dicendum est, quemadmodum corpus sit sepeliendum, et quomodo tumulandum, et ad ecclesiam deportandum, a quibus, et quando. Quando ergo jam aliquis animam agere videtur, humi collocari oportet super cineres, vel paleas, quo innuitur quod cinis est, et in cinerem revertetur, quod ut aliis de se exemplum præberet, B. Martinus fecisse legitur. Debet præterea recitari passio Domini, vel ejus pars ali-

qua ante morientem si sit litteratus et doctus, ut moveatur ad majorem compunctionem. Sic quoque et crux ante pedes ejus esse oportet, ut jam moriens eam intueatur, quo vel inde magis conteratur. Debet recta jacere facie, ut cœlum aspiciat. Priusquam vero expiraverit, necessarium est ut campanæ pulsentur, idque ideo ut populus audiens oret pro eo. Pro mulieribus quidem bis, quoniam mulier invenit alienationem. Ipsa namque primo fecit quo homo alienaretur a Deo. Quare secundus dies non habuit benedictionem, pro viro autem ter pulsatur, quod ab ipso Trinitatis quoddam in homine apparuerit exemplum. Primo enim Adamus formatus est e terra, deinde mulier ex Adamo, ac postea ex utroque creatus est homo, ut ad eum modum hinc nata sit Trinitas quædam. Ad postremum pro ecclesiastico tot vicibus debet compulsari, quot habeat ordines, ut sciat populus pro quo sit orandum. Pari ratione pulsari oportet quando portatur ad ecclesiam, et quando rursus ex ea ad tumulum. Priusquam autem corpus sepeliatur pannus sublevetur, debet sacerdos vel ejus vicarius illuc venire cum aqua lustrali seu benedicta ac orationes pro eo ad Dominum effundens, sanctos invocare, et rogare ut ejus animam suscipiant, atque in locum gaudii deferant. Sunt enim quædam animæ, quæ sunt perfectæ, ut quam cito exeunt e corporibus, ad cœlos evolent. Sunt et aliæ prorsus malæ, quæ illico ad inferos cadunt.

Verum præter has sunt et aliæ mediæ pro quibus hujusmodi fit commendatio, idque tantum propter incertitudinem. Proinde abluto corpore et velato oportet portari ad ecclesiam, ac tunc debet missa cantari, ubi profecto animadvertas in quibusdam ecclesiis unicuique dari candelam in choro in altera manu et in altera quod offeratur, ac sic lecto evangelio ea offeruntur sacerdoti pro mortuo, atque tum hujusmodi cantari solet versus, *hostias et preces*. Missa celebrata, ante cadaver præcantat sacerdos, et si plures sint sacerdotes omnes debent habere stolas, ac cum eo orationes dicere. Peracto autem officio præcantationis, portatur ad sepulcrum cum hujusmodi psalmis in exitu. *Confitemini*, et aliis, quid ad hoc peculiariter sunt instituti. Verum portari debet a similibus, ut si diaconus fuerit a diaconis, si sacerdos a sacerdotibus, si isthic præsto sint. Sin vero non, minime : cum necessitas legi non subjiciatur. Sic clericus a clericis, Catholicus a Catholicis. Si vero fuerit ex fraternitate (et quam ita vocant, et sæpe faciunt inter homines), ab eis debet portari. Sed mulieribus non est permissum aliquorum cadavera deportare, ne earum corpora nuda videantur, quod fortassis aliquando contingeret quemadmodum nec licitum est eis pacem dare ad evitandam lasciviam. Deinde vero ponitur in sepulcrum, et isthic aqua apponitur benedicta, ac prunæ cum thure. Et profecto aqua benedicta ideo ne ad corpus dæmones accedant, quos hujusmodi aqua abigit ac propellit. Solent enim diaboli sæpenumero in mortuorum desævire corpora, et quod non potuerunt in vita, id faciunt saltem post mortem. Thus autem apponitur propter corporis fetorem removendum, et prunæ ad designandum quod terra illa in usus communes amplius redigi nequeat. Diutius enim carbo sub terra conservatur, quam iliud quidpiam, quod possit isthic, in testimonium relinqui. Hedera vel laurus, quæ in perpetuum frondium servant, virorem in sarcophago prope corpora ponuntur, ad declarandum, quod illi qui moriuntur, in illo vivere non desistunt, quia quantumvis corpore moriuntur, anima tamen vivunt. Alia sane ratione in funeribus habebatur cupressus. Nam quemadmodum hæc cæsa non iterum revirescit, sed tota moritur : ita homo ex eo quod moritur, non rursum reviviscit. Hæc de mortuis dicta sufficiant, ac de festis Quatuor Coronatorum deinceps agamus.

CAPUT CLXII.

De festo Quatuor Coronatorum.

Fuerunt quidem novem, sed quatuor eorum dicuntur Coronati, quod eorum nomina hominibus erant ignota. Hi fuerunt lapicidæ, qui venerant ad construendum templum Diocletiani, quod erat Romæ. Sed cum cognovisset eos esse Christianos, martyrio coronati sunt et cum nomina illorum nescirentur, dicti sunt Coronati.

CAPUT CLXIII.

De solemnitate beati Martini.

Sciendum vero est de B. Martino quod par et æqualis apostolis sit appellatus pro suscitatione quorumdam mortuorum, ut plerique arbitrantur, cum idem et multi alii martyres fecerunt et confessores. Verum potius ob quoddam miraculum quod contingit, cum Turonis esset episcopus. Nam cum hibernis mensibus pauper ei seminudus obviam veniret, orans sibi vestimentum dari : accersito archidiacono statim algentem jussit vestiri. Quod cum archidiaconus facere distulisset, irrupit pauper in sacrarium, quod intraverat Martinus conquerens se a clerico dissimulatum, atque algere deplorans. Eo audito Martinus illico occulte suam eduxit tunicam, ac suo concessit precatori, petitque ab archidiacono priusquam celebraret tunicam, quam pauperi emere jusserat, atque eam vilem, hispidam et brevem clanculum induit. Atque ita sane paravit se ad celebrandarum Missarum solemnia. Sed cum ante altare, ut moris est in præfatione, sisteret, manusque ad Dominum sublevaret, ita ut brachia ejus facile, ob amplitudinem et brevitatem manicarum, conspicerentur, illico aurei torques ipsa honeste operuerunt, et supra caput ejus igneus globus visus est. Quo quidem declaratum fuit Spiritum sanctum in eum descendisse, ad confirmationem et robur, sicut in apostolis ipso die Pentecostes. Quapropter ergo non immerito dictus est par apostolis. Fuit autem oriundus ex Pannonia, quæ est prope Austriam, unde etiam fuit B. Hieronymus. Fecit præterea

multa signa et innumera miracula, quæ conscripserunt Sulpitius et Fortunatus, ut qui ipsum multum adamarunt. Quod autem ad officium attinet considerandum est, hunc solum inter confessores institutionis octavas habere, sicut et beatus Laurentius vigiliam, quod ipso die passionis suæ dixerit, quod in ejus festo repetit Ecclesia : *Igne me examinasti* (*Psal.* XVI), etc. Sed Martinus in agone mortis dixit astanti dæmoni: Nihil in me invenies cruenta bestia. Ecce quam optime conveniunt merita. Ergo ille tanquam qui cæteros martyrio longe superarit, vigiliam habet atque hoc confessor cæteris item præstantior, solus habet octavas.

CAPUT CLXIV.

De festo Andreæ et Thomæ apostolorum.

Cognoscere operæ pretium est Andream colore fuisse nigro, barba prolixa ac statura mediocri. Hoc ideo a nobis dictum sit, ut sciatur qualis in Ecclesia pingi debeat, quod simili ratione faciendum esse in omnibus apostolis atque aliis sanctis. Cæteroquin enim mentiremur in littera laicorum, nempe in picturis. Concionatus autem est in Achaia et Athenis, ac circa illas partes. Valde excellentis fuit meriti, nec id quidem sine causa beatus Gregorius adeo ipsi fuit addictus, ut primum ejus fecerit officium, et monasterium ei condiderit, ubi item et monachus exstitit. Quadraginta mortuos simul suscitavit, quod de nullo alio legitur; filius namque sui hospitis, cum navigaret cum triginta et novem sociis nave fracta submersus est, cujus pater cum misere lamentaretur in littore, misericordia motus Andreas fudit preces ad Dominum, et redditi sunt vitæ universi. Tandem ad se procopsul Ægeas vocavit Andream, ut idolis sacrificaret, qui quemadmodum noluit et recusavit, ut in ipsius vita legitur, ita ut eum cruci affixerunt, reclamanti et invito populo. Pependit itaque integro biduo in cruce per transversum ut nonnullis placet, positus. Nihilominus tamen prædicavit, et verbum Dei concionatus est. Tandemque feliciter ad superos migravit. Vigiliam institutionis non habet, quia in tempore est jejuniorum, quare necesse non fuit, ut ei vigilia institueretur. De beato autem Thoma nihil equidem quod hic dicere necesse sit habeo, cum vita ejus ex historia, quæ de ipso conscripta est, satis abunde cognosci queat. Hoc tamen adjiciendum putavi, ipsum jejunium institutionis non habere, ob eamdem causam, qua neque Andream habere diximus. Legitur vero hic evangelium : *Thomas unus ex duodecim* (*Joan.* XX). Qua ratione id fiat satis ex iis patet, quæ supra a nobis dicta sunt.

Totius operis conclusio.

Jam ergo duplici hactenus ratione pro ingenii nostri tenuitate ecclesiastica officia, et quæ ad ea pertinere videbantur exposuimus : primo quidem generaliter, ac deinde etiam specialiter, sigillatim eo ordine explicando quem anni circulus nobis demonstravit. Festa item sanctorum in suo loco, hoc est, eo die quo celebrari consueverunt, commode, ut nos quidem putavimus, reservavimus, ut quo die cujusque festum fieri dicimus, isthic et ejusdem festi ratio haberetur. Nec vero est, quod quis æstimet : ita hæc absolute a nobis tradi potuisse, ut in iis nihil plane desideraretur cum divina officia ejusmodi sint, ut plane ac sufficienter in multis explicari non possint.

ANNO DOMINI MCLXXVII-MCLXXX...

HUGO ETERIANUS

—

NOTITIA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.* III, 292.)

—

Hugo Eterianus, Etherianus, Ætherianus, Heterianus, vitiose *Eretrianus*, Tuscus (1), an. 1177 ad Alexandrum III papam, et ad Leonem Tuscum, fratrem suum, et ad Caciaredam (2) ex Constantinopoli, ubi in aula Manuelis Comneni versabatur, misit libros III. *De hæresibus, quas Græci in Latinos devolvunt*, sive *De processione Spiritus sancti ex Patre et Filio*, adversus errores Græcorum. Inter Alexandri III epistolas undequinquagesima est, qua Hugoni agit gratias. Libri tres illi Latine scripti viderunt lucem Basileæ 1543, atque inde in Bibliotheca Patrum Bigneana an. 1589, eamque secutis Parisiensibus, Colonensi et Lugdunensi, tomo XXII, pag. 1198, subjecti libro ejusdem Hugonis. *De anima corpore jam exuta*, sive *de animarum immortalitate*, et *regressu earum ab inferis*, ad clerum Pisanum : qui lucem primum viderat Coloniæ 1540, 8°, repetitus deinde etiam in Orthodoxographis, Basileæ 1569, fol., atque separa-

(1) Inter scriptores Florentinos celebratur a Julio Nigro, p. 522.

(2) Apud Trithemium cap. 398, De S. E, *ad Ardoinum cardinalem*.

tim quoque excusus Germanice, Hamburgi 1579, 4°. Epistola hujus Hugonis ad Aimericum Antiochenum patriarcham, qua illi librum De processione Spiritus sancti mittit, exstat in Edmundi Martene tomo I Anecdotorum, pag. 479, cum epistola Aimerici, pag. 480, qua gratias agit Hugoni, et utraque lingua Græca et Latina missum ad se librum celebrat. Cæterum Hugonis librum a Græcis in Græcam linguam nec inelegantor translatum notat Allatius De consensu utriusque Ecclesiæ, pag. 654. Alia ejus leguntur in Anonymi tractatu adversus Græcos, quem Latine edidit Stevartius, et qui ex plurium scriptis videtur concinnatus esse : recusus deinde in nova editione Canisii Basnagiana, tomo IV, pag. 29 seq., et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi, tomo XXVII, pag. 590. Vide, si placet, Bibliothecam Græcam, tomo X, p. 443 et 425. Præter hæc Trithemius c. 398 testatur ab Hugone hoc scriptum esse *librum de immortali Deo*.

HUGONIS ETERIANI

LIBER

DE ANIMA CORPORE JAM EXUTA

SIVE

DE REGRESSU ANIMARUM AB INFERIS.

AD CLERUM PISANUM.

(Ex *Bibliotheca Patrum Lugdunensi*, t. XXII, p. 1176.)

CLERI PISANI EPISTOLA AD HUGONEM.

Clarissimo, prudentissimo Hugoni tam Græca quam Latina lingua elimate instructo, universus clerus Pisanus, salutem et optatæ felicitatis partum.

Prudentiæ tuæ ac miræ scientiæ fama, veluti solis jubar, universum prope orbem terrarum in dies magis magisque spargitur : quod nobis procul dubio tam acceptum esse credito, quam cum maxime. Quis enim hujusmodi profectu, et gratia, corporis totius et animæ jucunditate non impingueseeret? Egregii horti præstans fructus, adeo sua suaviolentia omnium nares, sensusque officit, ut nullus animus ad eam non aspiret. Tu hujus gentis columen es. Quare ex æquitate, tuæ provideas civitati, in cujus honestis muniis haud postremas tenebis. Sed cum et hactenus id non segniter feceris, laudandus admodum nobis es, et gratiarum justa relatione dilatandus. Porro, commune votum nostrum est, ut quædam pro tuo ingenio multijuga eruditione conscribas, ex quibus judicium tuum de justis, quæ pro Christianorum defunctorum vita et animis absolvuntur, appareat. Ea non minori studio amplexaremur, quam si beati Augustini essent. Sunt enim apud nos, qui seu desperantes dicant mortuis fidelibus neque orationes neque denique sacrificia conferre. Atque iidem cum et in hæsitationem de resurrectione provolvantur, spes et desiderium est, te eam non præteriturum in iis quæ concinnabis.

Vale, totus optime.

RESCRIPTUM HUGONIS.

Reverendo urbis Pisæ clero, Hugo Eterianus, animo rectitudinis abundare, illumque semper complecti animo, qui est.

Uberibus glebis semina constanti fide committuntur. Quippe cum exorta fuerint, aquilonis frigiditatem, vehementiam Euri, ac intemperantiam Austri rectius perferunt. Felicem ingenio, et eloquentes suspicantes, me rogastis tanquam peritum cantandi, ut μελικοῖς a passibus aliquem efficacissimum concentum efficerem, quo hircosa et mordax pituita naribus et obtorto gutturi tonsillæ illorum exciderentur, qui de resurrectione dubitant. Necnon beata oratione depravati mores eorum dirigentur, qui hostiam salutarem, et cæteras oblationes defunctis conferre inficiantur. Proclivius sane est mandare hujusmodi quam negotium exsequi, eo quod præsentem animum, elimatas assertiones, clausularum distinctiones apertas, et crebris lucubrationibus omnimodam exigat diligentiam Suscipite igitur quod duce Deo elaboravi, et præclarissimum consulite Albertum et illustros ejus collegas, quoniam hoc vestro prudenti judicio transmisi nempe, ceu spero, jucunditatem præstabit auribus, ori erit melliferum, infirmos vitio animi reformabit, et Satanæ retibus præpeditis, si legere, si audire atque intelligere dignabuntur, cœlum aperiet.

Valete in eo, sine cujus auspiciis nihil usquam validum fuerit.

CAPUT PRIMUM.

A quærito, quibus existo prorsus inferior, corpus ab anima pene sejunctum est separatum. In multis nimirum, ad apum similitudinem tam Græcorum quam Latinorum codicibus quæsivi, et inveni favum mellis confectum, qui per ora vestra distillari debeat. Adhuc incertus agor, præstolans ut judi-

Fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII) : et defecatæ benevolentiæ meraciter custoditum pignus. Etenim amica vestri petitione minime abdicanda, et exhortatione atque adjutorio dilecti fratris mei Leonis, imperialis aulæ interpretis egregii, dum ea

cium vestri examinis me certificet, et quæ mitto legenda examinet, et examinando (si meruerint) approbet et confirmet. Quod quidem haud ambigo futurum esse, cum non mea, sed modo sensus, modo voces sint sanctorum, scilicet Gregorii, Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Gregor. Nysseni, Hieronymi, Basilii, Augustini, Joannis Damasceni, Hyppoliti martyris, Nili martyris, Anastasii, Cyrilli, et aliorum quos sua nomina indicabunt, ut audituri estis jam nunc. Ponite igitur, quæso, in cordibus vestris, quid prædicta Deo amabilis societas de humana sentiat anima, quid de pœnitentia et confessione, quid de morte, quid de resurrectione atque judicio, pronuntiet; similiter autem quam constanter asserat, quod ea quæ pie defunctis fiunt fidelibus (magis autem salutaris hostiæ immolatio) efficacissimam eisdem medelam præstent, pervigili mente animadvertite. Plena forsitan hæc conscriptio formidinis et horroris aliquibus videbitur : verum præstantibus fidem, exuberantissimam (licet cursim singula delibet) instillabit consolationem. Postremo suapte natura indigens modulaminis, auditu digna, intellectum assequenda, et in sedibus memoriæ tenacius servanda est.

CAPUT II.

Initium loquendi a nota domesticæ valetudinis, et naturæ communis fragilitate sumo, eo quod nihil in hominibus statum habet perseverantem (*I Par.* XXIX). Siquidem umbræ vespertinæ arentique feno humana vita et gloria comparatur (*Isa.* XL). Sed quid umbra tenuius? quid feno languidius? His certe nostra infirmiora sunt inediæ, languores, æqualitates, et quæ repente nobis pericula superveniunt, terra marique, morsque ex insidiis emergit intempestiva. Quid enim facilius quam hominem mori? Tumescit homo miser, et quia nondum moritur, belluino impetu efferatur. Ideo Propheta dicit : *Verumtamen in imagine pertransit homo, thesaurizat et ignorat cui congregabit ea* (*Psal.* XXXVIII). *Vanitas omnis homo vivens* (*Eccle.* per totum), quia respectu illius beatitudinis ista vita vanitas est. Ac divites vapori comparantur dissoluto : frustra ædificant et in vanum accumulant divitias, cum nihil a picta imagine differant (*Jac.* IV). Deficiunt certe ad imaginis similitudinem vetustate temporis, et tamen nihilominus contendunt, decertant, rixantur, laboribus, sudoribus, afflictionibus, ut divitias acquirant, ignari quis post eos futurus sit hæres. Vana est ista conturbatio, quia in desideriis vanis, in victu et vestitu conturbantur. Non vacat certe quod ex omnibus vitiis avaritiam Propheta elegit, quia *radix omnium malorum, et fomes omnium vitiorum est cupiditas* (*I Tim.* VI). Audi Salomonem : *Vanitas*, inquit, *vanitatum et omnia vanitas, et afflictio spiritus* (*Eccle.* I, XI). Quid enim vanius homine cum terra remaneat, quæ hominum causa facta est, et ipse homo terræ dominus in pulverem repente dissolvatur? (*Genes.* III.) Vivens homo est vanitas, mortuus vero vanitas vanitatum : et tamen cœlum et terra, et omnia quæ in eis sunt, bona sunt, *quia vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I); sed ad Dominum comparata reputantur pro nihilo. Veluti lucernæ lumen ardente rota solis, quando ab Oceano erumpit festina. Invisibilia enim respectu Dei vanitas dicuntur, visibilia vero vanitas vanitatum. Conturbatur miser homo ad capiendum aptissima venatio : statua non manufacta, idolum animatum, obumbratio quotidiana, famulus perfuga, animal passibile ac dissolubile, mutabile ac volubile, modo ad melius, modo ad pejus. Qua de re creaturam Creatori suo a principio præposuit. Scriptum est enim, quia *cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Multis quidem malis subjiciuntur nostra usque hodie, quia fovemus antiquam contumeliam et inæstimabilem gloriæ decorem pro nihilo computamus. Certe rationalis imago repetenda erat et prima similitudo, sed, proh dolor! dum in his visibilibus detinemur, ab intelligibilibus porro exsultamus. Inhonoramus imaginem nostram, quæ est ad similitudinem Dei, et imaginem terreni portantes, et secundum carnem viventes : cœlestis autem imaginem qui portat virtutes amplectitur (*I Cor.* XV). Homo certe ad imaginem Dei factus est (*Genes.* I), quia innominabilis et incognita, intelligibilis et immortalis animæ substantia, ad imaginem et typicam similitudinem innominabilis, incogniti et immortalis Dei existit. Nam neque rationalis animæ substantiam quisquam hominum novit a mundi origine, quæ cum unica sit, constitutiva et gubernatrix est quadrifidæ naturæ corporis, et hoc ad imaginem Dei, qui gubernat hanc universam quadrifidam, et quadriterminam creaturam, et illam similiter quæ sursum est. Et quemadmodum Dei locum nescimus, et ubi habitet, sed tantum crede quoniam ubique est, sic et animæ locum ignoramus, sed tantum scimus quia in toto corpore est, et operatur. Amplius autem et in hoc ad Dei similitudinem animalis existit. Nam sicut Deus non est aliquid eorum quæ sunt, sed ab omnibus diversus, ita rationalis anima diversa est ab omni creatura. Ad hæc autem quod mirabilius est, et in hoc alio ad similitudinem Dei existit, quia neque substantiæ Dei rationem humana mens valet comprehendere, neque animæ hominis essentiam valet invenire, unde et quomodo adesse provenerit. Quapropter qui hanc comprehendere arbitrati sunt, a cæca caliginis voragine absorpti, a veritate recesserunt. Si quidem alii cœlitus missam corporibus infundi affirmaverunt, alii ex traduce, alii ex coitu masculino et feminino gigni : veluti ex ferro et lapide ad invicem concussis favilla excutitur. Et alii quidem angelis consubstantialem autumaverunt, quorum, licet multiplex fuerit error, una veritas, quam omiserunt, satis eos confundit. Verum sicut superius comprehenditur, ad imaginem Dei facta est, quod ex hoc maxime patet, quia neque visibili

neque comprehensibilis spiritus vel figura, qualitate vel subsistentia seu pulchritudine, est tamen pulchritudinis et decoris inæstimabilis. Qua de re quamdam æmulationem videntur habere cœlestes spiritus, præcellentissimam pulchritudinem illius intuentes in eo maxime, quod hæc sola inter alias creaturas ad Dei similitudinem esse facta legatur (*Gen.* I), et est. Omnis quippe incomprehensibilitas, difficultas, incertitudo, nihil aliud indicat, nisi quod vere ad imaginem Dei condita est. Ideo quia omnia quæ penes ipsam sunt ignorantes, ex solis, quas exercet in corpore, actionibus illius essentiam atque præsentiam percipimus, sic utique Dei essentia ex his tantum percipitur quæ in suis creaturis agit et operatur. Denique discors gentilium philosophorum turba, tripartitam esse asserit animam rationalem, siquidem hujus animi, hoc quidem concupiscibile, aliud autem rationabile, irascibile vero aliud. Inquiunt enim quod per concupiscentiam ad Dei amorem excitatur, per rationem vero scientiam et sapientiam ab ipso Deo accipit, per iram spirituales nequitias repellit et abdicat. In qua quidem trifaria divisione imago Dei rursus describi potest. Omnes enim tres partes universitatis, cœlestia dico, terrestria et quæ infernorum (*Philipp.* II) sunt, tribus modis dispensat et gubernat, conditrice videlicet potentia, sapiente providentia, et expultrice vitiorum clementia (*Sap.* XIV). Omne enim quod facit, secundum aliquem horum trium modorum perficit, aut condendo, aut præsciendo, aut castigando. Concupiscibilitas igitur animæ quodammodo conditioni Dei assimilatur, siquidem concupiscentia producit concupiscentem ad actum, rationalitas autem Dei præscientiam imitatur, sed irascibilitas ad Spiritum sanctum pertinere videtur, juxta illud : *In spiritu Dei ejicit dæmonia* (*Matth.* XII); et illud : *Cum venerit Paracletus, arguet mundum de peccato*, etc. (*Joan.* XVI.) Et ex concupiscibilitate rationalitas emanat et irascibilitas. Nam antequam loquatur puer, ubera concupiscit, et somnum appetit : similiter autem ratio irascibilitatem præcedit. Etenim antequam discernat, nequaquam irascitur virtus, sunt tamen tria simul appetentia. Quemcunque igitur scire delectat quomodo ad imaginem Creatoris sui formatus sit, hæc investigato, hæc scrutato, hæc cogitato : sui ipsius naturæ constitutionem perquirat, omnia quæ sunt animæ rationalis, minutatim et subtiliter perdiscat quæ sint hujus partes, et quæ sint partes partium; qui modi, quæ accessiones, quæ discretiones, et quid animæ sit uniforme, quid informe : et quomodo cum una sit, in tribus consideratur.

Verum nullo modo putanda est anima personis insigniri, cum de nulla suarum partium possit appellari. Una quidem est in substantia, sed non est una in speculatione suarum partium, habet enim concupiscentiam, rationem et iram. Si concupiscentiam boni ab anima separes, desinit esse anima; si rationem sejungas, irrationalem ipsam constituis; si mentem amoveas, erit utique mortua, et non vivifica. Apparet igitur quod in anima tria quædam sunt secundum rationem, unum autem secundum naturam, et secundum substantiam, et sunt incomprehensibilia hæc, et indivisibilia : semper enim una est anima.

Si hæc velis attendere nunquam præcipitaberis in ambiguitatem Trinitatis, sed naturæ rationibus quod supra naturam est investigabis, neque dices : Si Deus est Trinitas, non est unitas, et si est unus, non est trinus; ideo enim fecit animam tuam ad similitudinem trinitatis suæ, ut in harum inquisitionum vertiginem non labereris. Invisibilis enim est anima et invisibiliter manet in corpore, et invisibiliter egreditur a corpore. Nisi corpori adesset anima, neque intus corpus vivificaret, neque foris pungentem sentiret. Sed quoniam de anima multa inter veteres existit dubitatio, circumscriptis opinionibus, congruum visum est quid super hac re sanctorum chorus ediderit manifestum facere audire cupientibus. Omnium igitur eorum quæ existunt aut sensu cognoscuntur, aut intellectu concipiuntur. At vero quæ supponuntur sensibus, per eosdem ipsos affatim manifestantur. Nimirum contractu ipso, absque intercapedine, fantasiam nobis rei subjectæ ipsi conficiunt. Sed quæ intellectu deprehenduntur, non per se, sed tenus affectibus percipiuntur. Anima ergo cum per se incognita sit, suis tantum affectibus in corpore dignoscitur et demonstratur, quod qualiter fiat attentus auditor animadvertat. Corpus nostrum cum movetur, aut interius moveri necesse est, aut exterius. Sed exterius nostrum corpus non suscipit motum, nisi forte in pactionibus, seu distractionibus, ad similitudinem corporum inanimatorum. Qua de re intus solummodo motum accipiens, movetur quidem, sed non solum naturaliter. Etenim si secundum naturam nostrum corpus tantum moveretur (veluti ignis qui nunquam a motu desistit, quandiu extra propriam regionem permanserit), aut tantum sursum, aut tantum deorsum moveretur. Cum itaque sursum et deorsum, ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum moveatur ab anima præstante vitam, eo pene modo quo ab artifice instrumenta, prorsus moveri non restat ambiguum : propter quod animam esse in corpore liquido patet. Quæ quidem cum ab ipso separatur, manet corpus inefficax, ut ipse tibi visus demonstrat. Nec certe secus quam instrumenta cujuslibet fabri, si ab eo qui minat dimissa fuerint. Et quoniam hujusmodi anima una et eadem manens, nunc quidem justa, modo autem injusta : nunc quidem studiosa, modo autem vitiosa : hodie quidem fatua, cras vero sapiens : substantia esse indubitato evincitur. Nam proprium est substantiæ justitiæ ac injustitiæ, virtutis et malitiæ, atque aliorum contrariorum esse susceptibilem. Est igitur anima in corpore; quam si sensus vehementer pulsantes adipiscantur, tunc subjugata servit, et potestatem cum pontificio mittit, eademque amens efficitur : ægra quasi facta crebris passionibus. Quam-

obrem competenti motu minime utens, per diversa naturæ vitia præcipitatur, et e vestigio in ipsa bonitas et honestas caligant. Item et alio modo monstratur quod anima substantiæ veritatem non deserit. Animam esse aliquid eorum quæ sunt justitia et sapientia, et actiones ipsius manifestum faciunt, quæ cum per se nequeant existere, oportet ea subjectum habere. At vero non est quidpiam eorum anima, quæ rationem substantiæ non suscipiunt. Non est enim quantitas. Nam omnia quibus ratio quantitatis convenit, parvarum sive magnarum rerum mensuræ possunt esse. Anima vero nullarum rerum mensura est, neque augetur, neque minuitur, sicut patens erit. Sed neque complexio est anima, justa quorumdam medicorum assertionem, quia cum omne corpus ex elementis constitutum habeat complexionem, omne [debet] habere animationem; quo dato, altera species corporis interimitur, inanimatum scilicet. Sed neque qualitas est anima. Siquidem qualitates inseparabiles sunt, quia sine subjecto esse non possunt. Anima vero rationalis ubi deserit corpus, secum est ac existit per se. Cum itaque anima non sit quantitas, neque qualitas, de quibus magis videbatur, manifestum quod ipsa non est accidens, sed substantia. Sed utrum corporea substantia sit anima seu incorporea, breviter discutiendum est. Non defuerunt philosophi qui animam esse corpus assererent. Nam stoici spiritum calidum et ferventem animan esse affirmabant. Critias vero sanguinem, Democritus ignem, et alii plures similia complasmabant, dicentes quia non per corpus tantum similes parentibus existimus, sed et per animam, veluti consuetudine, passionibus, quæ spectant ad naturam corporis. Quorum opiniones Amonius, Plotinus Mimmius, argumentis et rationibus improbant. Omne, inquiunt, animatum corpus convertibile ac dissipabile prorsus et in infinitum divisibile est. Omne autem tale corpus quantumcunque tenue divisionem non effugiens, continente ac gubernante opus habet, ut status, quem accepit, hujusmodi non tabescat : ex quibus colligunt individuum esse atque incorporeum, quod animatum corpus continet. Rursus omne corpus compositum aut intrinsecus movetur, aut extrinsecus; sed quod intrinsecus movetur, animatum est; quod extrinsecus, inanimatum. Horum autem neutrum de anima potest prædicari. Nam neque animata est anima, neque inanimata. Item omne animatum corpus corporeo alimento indiget, sed anima nutrimenti non indiget corporei. Quare nullo modo anima suscipit rationem corporis animati. In quo manifeste ostenditur falsam illorum esse sententiam, qui ex traduce animam esse putaverunt, cum a generatione sit aliena. Omne utique quod per generationem adesse pervenit est corruptibile; anima vero humana incorruptibilis est, et immortalis, hoc non ex traduce. Porro animæ brutorum animalium, quiex traduce per naturam fiunt, mortis interitum non effugiunt, et in suis speciebus pollent similitudinibus. Nam lepores similiter timidi, lupi astuti, porci sordidi, genus simiarum passim habet ingenium æmulandi. In homine vero non sic multiformes utique sunt viæ humanorum actuum. Nimirum liberum quid, et sui juris est, quod rationale dicitur.

Qua de re non unum et idem singulorum hominum exstat ingenium, artificium, opus et effectus. Verum in aliorum animalium diversitatibus idem secundum uniuscujusque naturam, motus et impetus, eadem astutia, et fatuitas. Sed rationalium actus non ex necessitate apud omnes idem. In brutorum quippe corporibus congruam animam indidit conditor, ut per dispositionem in suis actibus non amplius haberent quam ingenita eorum simplicitas exhiberet. Unumquodque sane brutum animal, impetu naturali movetur ad illum operis usum quem a principio sortitum est, et ad ea solum quibus corporis non contradicit effigies. Sed neque sine adjutorio conditor ille primus ea dereliquit, cum singula naturali quodam sensu non rationali prudentia insigniverit, quibusdam vero astutiam tribuerit, veluti artis imaginem, et umbram animæ rationalis, ut per hæc et præsentes insidias declinarent, et futuras præcognoscerent. Quoniam vero non per rationem hæc faciunt, manifestum ex eo quod in sua specie quodvis animal similiter hoc faciat, et nullam in faciendo nisi secundum magis et minus differentiam habeat : eodem quippe impetu species universa, parili varietate actuum insignita movetur, quod per animam fieri non est ambiguum. Ea enim est cujus præsentia consistunt quæ animantur, et cujus absentia deficiunt. Ad hæc autem dicentibus animam tres habere dimensiones, eo quod corpus quidem, quod tribus extenditur distantiis, totum occupet, respondendum puto animam nullo modo tres habere distantias, licet totum corpus vivificet : sicut nec unitas qua homo dicitur unus. Quare anima corpus non est. Fallebantur quoque qui sanguinem seu aquam ipsam esse dicebant, cum plura inveniantur animalia quæ neque potu aluntur, neque sanguine irrigantur. Chrysippus autem ad probandum animam esse corpus hoc utebatur argumento : Mors est, inquit, animæ a corpore separatio. Nullum autem incorporeum a corpore separatur. Non enim corpori coaptatur incorporeum : anima coaptatur corpori et separatur a corpore. Quare non est anima incorporea substantia. Verumtamen anima non contingit corpus. Nam contingere proprie est extrema tantum habere simul. Corpus toti prorsus non potest non adjacere corpori. Nullum quippe corpus locum alterius invadit, ni sibi occupanti cedat quod continetur. Quod si alicui anima corpori adjaceret, ipsum animal totum nequaquam animaret. Cum igitur animal totum sit animatum, neque adjacet anima corpori, neque corpus esse poterit.

Rursus inquiunt, nullum incorporeum compatitur corpori. Anima vero compatitur cæso corpori, atque

languenti : similiter autem et corpus animæ. Nam cum anima confunditur corpus rubet et patitur. Quare anima corpus est, quod ab omni veritate remotum. Etenim circa generationes et corruptiones, qualitates patiuntur, et cum corpore alterantur, quæ tamen corpus non sunt. Cum igitur anima non sit corpus sicut monstratum est, nec accidentium aliquod : manifestum quoniam incorporea substantia est, intelligibilis atque immortalis. Non enim omnimode subjaceret corruptioni. Vivit sane ipsa non propter corpus, imo ipsa vitam corpori præstat. Quasdam tamen virtutes habet, quas præter corpus exercere non valet, ut est appetitiva, nutribilis. Intelligibile vero exercet perpetuo. Vis scire quoniam anima hominis spiritus est rationalis et immortalis, audi quid dicat Moyses, ille Dei amicus : *Formavit*, inquit, *Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II). Nullo tamen modo credendum est hujusmodi flatum aliquod fluentum spiritus factum ex ore Dei. Nam divinum incorporeum cum sit, simplex est sine omni compositione : sed ita esse animam a Deo, aut rem quam condidit et creavit. Nihil enim aliud est Deum sufflare, quam animam facere. Cui sententiæ accedit quod dicit Isaias : *Spiritus enim a me prodit, et flatum omnem ego feci, et propter peccatum*, inquit, *pusillum contristavi eum, et percussi eum* (*Isai.* LIV). Quid ergo dicit flatum nisi animam, quæ propter peccatum percussa est et contristata? Sic est igitur anima ex Deo, ut non sit substantia Dei, et non sit corpus, sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed Deus est fictor illius sicut scriptum est : *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum* (*Psal.* XXXII) Non enim datur a genitoribus anima, sicut et ille sapiens affirmat : *Convertatur*, inquit, *pulvis in terram unde fuit, et spiritus revertatur ad Dominum qui dedit illum* (*Eccle.* XII). Quo sane testimonio satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam primi hominis, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra. Qua de re cum redit, non habet quo redeat, nisi auctorem qui condidit eam. Audi Job dicentem : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum* (*Job* X) : post creationem corporis mira est aspiratio vivificationis.

At hinc quidem calamosita vilitas, hinc vero dignitas inexplicabilis : dignitas spiritus est ; utilitas vero per carnem, quæ judicem vocet ad pietatem. *Memento* inquit, *quæso*, per hæc utique nuptialis conventus, natorum propagines, et unum torum in infinitas species transfiguratum monstravi : animam a Deo conditam et corporis gubernationi præpositam, rationalem quoque atque immortalem. Nisi enim indubitato credatur anima immortalis, fides perit inter homines, et locus virtutis. Quomodo enim posset virtus in illis existentiam habere, quibus cum anima interimitur, et amplius ultra nihil separatur? Porro rationalis anima procul dubio est incorruptibilis singulari quadam sua natura, per se existens, penes corpoream grossitiem. Nam ut omnem hunc mundum cognoscentes per susceptionem sensuum, et per actus nostros, qui circa sensus versantur, ad ea quæ supra sensum sunt, extollimur, oculo nobis facto interprete omnipotentis sapientiæ, gubernantis per se omnia : sic et ad nostrum respicientes mundum, non modicas habemus occasiones, et de occultis et apparentibus conjectare. Absconditum autem maxime illud est, quod per se quidem existens, intellectu solo cogitatur ; quia cum sit invisibile, refugit sensuum investigationem. Anima certe rationalis quanquam incorporea existat et sine materia, per corporea tamen instrumenta quædam secreta conjicit, præterea quæ auris audit, docet et oculus. Inde est quod medicus languidi arterias contingens digitis, per pulsum quodammodo inclamitantem audit naturam, et ægritudinis causas interpretantem. Quippe pulsu latenter indicante, animadvertit causas languoris medicus, et usque ad quot dies insanire debeat æstuum intentio.

Quid igitur? Nonne incola qui domum regit et sustinet, hæc pandit et reserat? Quid enim manus vel alia corporis pars per se medicum docuisset, nisi per tactum scientiam latentium morborum intellectus aperuisset? Non est procul a vero quod quidam philosophorum inquiunt : Mens cujusque is est quisque. Ipsa enim est quæ meminit, audit, et intelligit. Quomodo enim solem intuendo (splendidissimum illud corpus), non quantus apparet plerisque, tantum illum esse asserit geometra circuli magnitudine, sed multis partibus universum terræ ambitum excedere? Quomodo lunam lucere dabit luce aliena? Manifestum sane talia nequaquam esse facultatis corporis elementaris. Quid referam alios geometricos excursus, qui per sensibiles figuras ad ea nos elevant, quæ omnes sensus exsuperant? Hæc quidem et omnia his similia rationalis anima, quæ penitus diversa est a natura corporis percipit, et comprehendi. Nam nullum ex elementis consistens corpus in eo quod hujusmodi est, virtutis seu intellectus capax potest. Siquidem incorporearum substantiarum hoc cognoscitur singulare atque proprium. Qua de re anima rationalis, quia est incorporea, potest adhærere Deo ut ei existens similis. Omnis quippe natura similium sui quodammodo attractiva est, ex quo manifeste intelligitur quod a Deo spiritus hominis attrahitur. Oportet enim quod suum est, Deo reddi. Igitur si anima superflua sibi non fuerit, ingravescentibus maculis, ad trahentem se accelerat, jucunda existens et agilis. Quod si peccati mole ingravans, premit eam iniquitas, rumpitur trahens funiculus : et misera facta et dissimilis linquitur in terra, ut Dei auxilio destituta. Jam puto, patet nobis quod ex similitudine, calles anima complectitur virtutis. Nam si cum Deo similitudinis aliquid non haberet, nequaquam naturæ suæ terminos transcendens relictis ter-

ris, quæ sursum sunt quæreret. Ut enim quæ ratione carent animalia humano more fari non appetunt, socia et quam secundum naturam habent, voce utentia, neque detrimentum putant absque ratione degere, ac tantum ventri obedire : sic anima si esset exspers naturæ superioris, nunquam in desiderium accenderetur virtutis. Huic quidem animæ, cum esse incipit, pro sui conditoris voluntate, libertas arbitrii, et potestas quod voluerit faciendi. Quod qualiter fiat, cuique corporeus oculus manifeste indicat. Cui quidem ex natura videre inest, non videre autem ex voluntate, vel ex irrepente passione. Eodem vero modo, anima exclusa necessitate, suo arbitrio relinquitur, ut illud quod sibi melius placet, amplectatur, sive bonum ex voluntate, seu malum ex insidiis inimici domestici, qui oculum lædit clausum, et excæcat, utpote subversor vitæ hominis, et callidissimus insidiator (*Genes.* II). Itaque irrepente in ipsa malitia excæcatur, et quia non probavit Deum habere in notitia, in reprobum sensum traditur (*Rom.* I); nimirum quia sponte oculos clausit, et solem videre noluit, sua manifestissima culpa in foveam corruit. Nam non soli lumen, sed lumini solis oculos ipse subtraxit. Quemadmodum igitur fide intelligimus sæcula aptata verbo Dei, id est præcepto, ut ex invisibilibus visibilia fierent : sic fide intelligere debemus animam in corpore jam formato a Deo locari, ut ex ipsa invisibili pleræque fiant, quas in corporibus nostris cernimus, actiones (*ibid.*). Quæ quidem si a principio perfectæ non sunt, nulli mirum debet videri corporis indigentia, et defectu impediente. Hinc est quod sensus, qui corpori familiares existunt, statim post nativitatem emergunt, deinde ipsi conveniens rationis virtus illucescit, cum jam corpus ad pubertatem venerit. Sed forsitan huic sententiæ aliquis videtur sapiens obviare, qui quidem asserere videtur, quod animæ hominum aliqua in regione locatæ sint, donec perfectis corporibus ipsæ ad ea mittantur vivificandæ. *Sortitus sum*, inquit, *animam bonam, et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (*Sap.* VIII). Nonne tibi depromere videtur, quod de supernis animæ veniant in corpora, et quod in illa regione animarum, aliæ sint bonæ, aliæ non bonæ ? quæ sorte quadam exeant, quænam cui hominum tribuatur, ut fortassis secundum animarum merita derivari putentur in corpora. Quod manifeste Apostoli sententiæ repugnat, qui dicit : *Cum enim nondum nati fuissent, nec egissent aliquid boni aut mali* (*Rom.* IX), ut præscientia Dei secundum gratiam impleretur, non secundum debitum meritorum. Dictum est Rebeccæ, *major serviet minori* (*Gen.* XXV), quia alterum sprevit, alterum elegit præscientia. At vero quod Sapiens dicit, positæ sententiæ non contradicit : ait enim : *Puer eram ingeniosus et sortitus sum animam bonam* (*Sap.* VIII, 19), per datam mihi sapientiæ abundantiam.

Cum noviter essem editus, sensum non habebam, optavi, et datus est mihi sensus. Invocavi et venit super me spiritus sapientiæ. Et cum per datam sapientiam essem valde bonus, veni per ætatis processum ad corporis incoinquinamentum, et scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Apparet quia Salomonis spiritus sapientiam ab artifice superno accepit, precibus impetravit, bonitatem per gratiam invenit : et corpus suæ ætatis incremento a gratia quam acceperat destitutus, multipliciter inquinavit. Audisti Moysi, David, Job et Isaiæ de spiritu hominis testimonium. Omnes quoque prophetæ, a superno artifice docti, his consona præcinuerunt, ut nullus suspicetur Græcos aliter, aliter Latinos, Ægyptios aliter, Persas, Messagetas, Sauromatas, aliam substantiam fuisse sortitos. Nam qui scripsit Genesim, docuit quod unum hominem Deus a principio fecerit, et ex ejus costa mulierem formaverit (*Gen.* I, II) : ex quorum conventu orbem hominibus implevit. Ideo utique humanum genus ex uno jugo voluit producere, ut nullus differentes hominum esse naturas auderet existimare. Mulierem autem de costa formavit, tum quidem, ut neque ancillam viri, neque dominam constitueret, tum vero ne viri una, feminæ vero altera putaretur natura. Leges contra easdem indixit utrisque. Nam forma quamvis distarent corporis similitudine, tamen æquales erant animæ rationalis. Ambo certe rationales erant æqualiter : et eligendi, et ambigendi nihilominus capaces. Utrique pro delicto pœna, utrique pro virtute præmia promittebantur (*Genes.* I). Humanæ quidem leges cruciant delinquentes, Deus vero interminatur peccatoribus ignem inexstinguibilem : et utique merito. Nam cum sit rationalis, et liberum habeat arbitrium, coercere potest impetum passionum, sponte legum fit prævaricator, sponte frequenter omittens vitium, per viam virtutum graditur. Si homo peccaret ex necessitate, nequaquam dedisset per Moysen Deus leges suppliciorum. Neque qui sortiti sunt principatum, si fati aut naturæ necessitate homines compellerentur delinquere, acerbissimis eos cruciatibus destinarent. Sub appetitu hominis igitur vitam et mortem posuit medicus animarum. Hinc est quod nolentium medelam recipere, voluntatem minime cogit : principem enim et sui juris rationalem naturam condidit. Instructionibus, legibus, a malis prohibet, ad potiora exhortatur, sed invitum neminem cogit, aut legem naturæ cœquasset. Unde per prophetam clamat : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis.* Et iterum : *Discite benefacere* (*Isai.* I). Et David : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos* (*Psal.* XXXIII), et quamplura his similia inveniuntur. Sed, quæso te, o auditor, si rursus super ratione animi connecto ut omne tollam ambiguum, non moleste feras.

CAPUT III.

In rebus certe occultis, perutiles sunt hujuscemodi assertiones. Age igitur, spiritus hominis artes, quæ numerosa commoda humanæ vitæ conferentes, laude multa dignæ sunt, adinvenit. Quid-

quid autem vere laudabile, a ratione inventum et elaboratum est. Nonne consideras quod institorum navis quanquam nullius armamenti sit indigna, ima tantum petat profundi, circumscripta ratione gubernatoris. Nonne vides quod non sufficimus ad rerum cognitionem, sola sensuum exercitatione? Nam quæ figuris sunt æqualia similiaque coloribus sensus, quia rationem non habent in discernendo hebescunt. Cum itaque sensus irrationales sint, falsamque nobis rerum phantasiam convehant, cogitandum nobis est, utrum comprehendi vere possint imaginata, seu non. Et si quidem comprehenduntur, haud ambiguum aliam esse virtutem, sensibus multo potiorem, quæ hanc perficit absque fallacia. Qua de re, si nostræ aperiuntur cognitioni ea quæ sensus falso imaginantur, mens procul dubio est, quæ illa omnia ratione comprehendit, et dijudicat. Hæc est animæ virtus; hæc est animæ oculus; hæc est intelligentiæ capacitas, hæc non ignitur ab extrinsecis, imo ipsa quidem in se consistens, exteriora disponit, singulariaque describit: deinde ad effectum perducit. Maxima vero et excellens animæ dignitas est, omnia cum ratione facere: per quod ipsa mens apertissime differt a sensibus. Verumtamen quædam bona insunt homini per animam, ut castum esse, justum esse, sobrium esse: et quæ his propinquant. Neque absque his corporales affectus solent apparere. Quædam sibi reservavit anima, in quorum exercitaminibus corporis non eget instrumento. Talium est ratio, memoria, et earum rerum quæ vere existunt contemplatio. Et quoniam luce clarius patet humanam animam rationalem esse, satisque singulariter dictum est de ipsa: æquum est ut de compositione ipsius ad corpus sermo instituatur. Quare non est prætereundum quod de Adam immortalitate tradiderunt Hebræi: aiunt enim hominem a prima origine neque fuisse mortalem, neque immortalem; sed naturam inter utramque asserunt fuisse creatum, ut corporis passionibus corporeas incideret passiones. Quod si animæ bona proponeret, hæres constitueretur vitæ immortalis. Inquiunt enim: si ab ipso exordio mortalem illum fecisset, post peccatum non ut reum mortis condemnasset. Mortalem enim morte non est æquitatis condemnare. Quod si immortalem fecisset eum, nequaquam esca indigentem statuisset. Nam nullum immortale corporali esca opus habet. Neque vero tam subito pœnituisset, ut quem fecisset immortalem, continuo pœna multasset.

Angeli certe licet peccaverint, a prima tamen natura non destiterunt, aliam præter mortem pœnam de peccato subeuntes. Plerique tamen doctorum hanc sententiam improbant, asserentes quod mortalis factus ut fuerit, poterat tamen sub virtutis processu immortalis fieri: eo quod potestate immortalis fuisset. Est autem a ligni gustu prohibitus ut sui ipsius naturam non ante cognosceret, quam obtineret culmen perfectionis: nam minime conferebat. Propterea nolebat Deus ut ante perfectionem propriam cognosceret naturam, ne se multis egere animadvertens, corporis persequeretur usus, cura animæ omissa. Inter pretiosa paradisi ligna illud erat, cujus gustus boni malique scientiam simul præstabat: de quo Adam vetitus gustavit. In cujus gustu obedientiam temeravit; seipsum agnovit: a perfectione decidit, factus egenus usuum corporis, indumentum postvaluit continuo. Scriptum est enim, quod *aperti sunt oculi amborum. Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia fici, et fecerunt sibi perizomata* (*Gen.* III). Aperti sunt oculi adinvicem concupiscendum, ad peccatum, pœnam carnis ipsius morte conceptam. Neque clausis oculis facti erant, et in paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, ut vetitum etiam lignum nescientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Ad aliquid igitur intuendum, et cognoscendum aperti sunt: quod ante non adverterant. Nullo modo autem ambigendum est, quin in paradiso corporali Adam positus fuerit, quem et quatuor flumina irrigabant, et arbores pretiosissimi germinis et fructus decorabant. Hunc Adam ad colendum et ad operandum a creatore suo accepit, sicut scriptum est: *ut operaretur et custodiret illum* (*Gen.* II). Operaretur quidem delectationem, custodiret autem ne pateretur expulsionem. Flumina quæ egrediebantur, atque nomina ipsorum, orbi universo notissima sunt, Gyon scilicet, Physon, Tygris et Euphrates, quorum nominum interpretationes atque figurationes exponere, non est præsentis temporis. Lignum quoque in medio paradisi, dignoscendi inter bonum et malum, Deus posuerat. Nec quidpiam cogere debet allegoria, ut lignum non sit, et aliquid aliud nomine ligni significet. Nam quamvis scriptum sit, quod *sapientia est lignum vitæ amplectentibus eam* (*Prov.* III): et Jerusalem æterna, et in cœlis dicitur, et in terris civitas condita est, et significatur. Factus est Adam reus mandati, et corpus suum mortis subjecit necessitati, quia prius non habebat necessitatem moriendi. Nam antequam præcipitaretur, hoc tantum restabat, ut immutaretur, et factum spirituale plenam perciperet immortalitatem: ubi cibo corruptibili non egeret. Sed quia de corpore primi hominis quod dictum est sufficit, ad ea quæ ab ipso decisa sunt, ad modicum sermo utendus est: haud abs re: nam sic palam fiet, an ea quæ de animæ conditione superius prælibata sunt, persistant veritate subnixa.

CAPUT IV.

Igitur quam plurimi fuerunt, qui animum sicut corpus per decisionem ex traduce fieri multis allegationibus firmarent: Pauli testimonium in medium producunt, ut suas sisterent opiniones. Audis, inquiunt, Paulum dicentem: *Sic per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V). Et iterum: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi consti-*

tuuntur multi (*Rom.* v). Inquiunt igitur : Si secundum solam carnem potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur his verbis ex parentibus animam credere. Si autem quamvis per illecebras carnis, tamen non peccat nisi anima, quomodo accipiendum est, quod dictum est, *in quo omnes peccaverunt?* Quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt, si tantum secundum carnem in illo, non etiam secundum animam fuerunt? Cavendum est enim, ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit, vel possit esse anima præter ipsius Christi gratiam. Cui liberandæ a peccato non sit Christi gratia necessaria, quia non peccavit in Adam. At vero si secundum carnem tantum, et non secundum animam peccavimus in Adam, carnis tantum vinculum, non etiam animæ in baptismo solvitur puerorum. Quod si tantum per hoc sacramentum corpori eorum consulitur, non etiam animæ, debent et mortui baptizari. Sed hæc Ecclesia exsecratur, tantum id ministrans viventibus. Restat igitur unumquemque parvulum et secundum corpus, et secundum animam, existentiam habere de primo parente Adam, ohque id Christi gratiam omnibus esse necessariam. Ætas quippe illa in seipsa nihil egit vel boni vel mali : proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est. Unde quomodo possit inde ire in condemnationem, si de corpore absque baptismo exierit? Scriptum est : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem* (*Galat.* v). Sed caro sine anima nihil videtur posse concupiscere, ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnali causa non est in anima sola, sed multo minus in carne sola. Ex utroque enim fit : ex anima scilicet, quia sine illa delectatio nulla sentitur; ex carne autem, quia sine carne carnalis delectatio non perficitur. Caro igitur concupiscens et spiritus, delectatio carnalis est procul dubio, quam de carne et contra carnem spiritus habet adversus delectationem, quam solus habet. Solus quippe habere videtur illud desiderium non carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commistum, quod desiderat *et deficit anima in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII). Solus etenim habet illud de quo dicitur : *Concupisti sapientiam, serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi* (*Eccli.* LI).

Hanc quidam objectionem responsio quæ subjungitur interimit. Vitium quidem corruptio et languor ante animæ conjunctionem in carne persistunt, ex qua tabe anima maculatur. Quemadmodum, si testa odore malo imbuta sit, quemcunque liquorem susceperit sua corruptione inficit. Nam et si ante animæ infusionem non sit in carne culpa, eo quod ratione caret, locum tamen mortalitatis cum passibilitate obtinet. Ideoque peccatum in carne habere dicitur, quia peccati causa ex carne, non ex anima est, quia caro quæ per traducem fit, origo existit peccati. Caro enim primi hominis per prævaricationem enervata et emollita, induit mortalitatem. Unde anima singulorum languore atque mortalitate affligitur, ignorantia cæcitatis in umbroso et caliginoso loco non voluntate, non necessitate, sed sola societate percellitur : ægrescit, et debilitatur. Nam si voluntate corrumperetur anima, non originale, sed actuale peccatum censeretur. Rursus si necessitate caderet in præcipitium peccati, non ultra esset imputandum illi hujusmodi vitium. Etenim quod necessitate contingit, non est alienum a remissione. Hinc manifestum est quomodo intelligendum sit illud Apostoli : *Per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi* (*Rom.* v). Uno peccante atque in mortem præcipitato, qui ex ipso sunt tales fieri, nihil inconveniens. Sed ex illius inobedientia alterum constitui peccatorem, quam habet consequentiam? Si de voluntate peccator factus non est, quomodo pœna dignus? Peccatores ergo dicit pœnarum reos et morte condemnatos. Ergo ex sola conjunctione labefactatæ molis, pestiferam atque calamitosam attraxit conditionem, quæ nisi per gratiam adjuvetur, neque cognitionem veritatis adipiscitur, neque concupiscentiæ carnali poterit resistere. Hinc est quod filii originale peccatum a patribus (quibus per fidei sacramentum dimissum est) contrahunt. Nam quamvis ad culpam dimissum sit, ad pœnam tamen retentum obsidet genus humanum. Est enim originale peccatum fomes actualis peccati, concupiscentia; languor naturæ, qui movet mala desideria. Quod quidem peccatum primi hominis ex voluntate prodiit, sed posteris non ex voluntate inest, sed sicut dictum est, ex societate. Nec mireris si a parentibus ab illo peccato mundatis per baptismum filii traducunt originale peccatum; quia in puro seminis grano remanet palea.

Item pater non generat filium, in eo quod baptizatus, sed in eo quod carnaliter ipse generatus fuit. Anima igitur filii, neque per decisionem, neque per traductionem, aut alio quopiam modo de patre nascitur. Nulla enim rationalis creatura potest esse alicujus materia, in sua semper simplicitate consistens, nimirum incorporea substantia est, et ab omni motu corporis semota. Non augetur, non minuitur, non generatur, non corrumpitur, ut esse desistat hujusmodi substantia nequit propagari. Si transiret, tota transiret, una enim res et prorsus individua, ut plura essentialiter dividi non potest, ut tota et integra transeat ad filium, et tota et integra in patre commaneat. Denique auctoritas tibi dicit : *Revertatur pulvis in terram de qua sumptus est, et spiritus redeat ad Dominum qui dedit illum* (*Eccli.* XII). In quo patet quia non anima de anima, sed caro de carne materialiter traducitur. Nam sicut primi hominis corpus compactum est limo in quo animam insufflavit opifex, ita omnes filii Adam primam ab ipso corporis materiam, et a Creatore procul dubio animam accipiunt. Audi David dicentem : *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum* (*Psal.* XXXII); non enim gi-

gnitur unus spiritus ab alio spiritu, sicut aliud ab alio generatur corpus, sed de nihilo quotidie novas creat animas opifex ille mirabilis. Audi et super hac re Moysi testimonium. Ait enim : *Si litigaverint duo viri, et percusserint mulierem prægnantem, et exierit infans ejus nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris. Quod si fetus formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo*, etc. (*Exod.* XXI.) Ecce legislator hic aperte demonstrat quod caro ex carne propagatur, sed anima de anima non generatur. Nam si animam in carne pater seminasset, æquum fuisset ut in abortivo et formato, eidem pœnæ percussor subjacuisset. Sed cum in abortivo pecunia, in formato autem reddatur anima, palam est quod alterum quidem animam habuerit, alterum vero non habuerit. Ordo certe qui fuit in primo homine in posteris sine mutatione perenniter servatur.

Primo quidem terrigena ille de limo accepit effigiem, deinde factus est ille in animam viventem. Similiter autem in vulva prius humanum genus formatur, membrisque formatis, confestim auctor vitæ rationalem spiritum infundit. Cavendum profecto est cuique ne illi litteræ adhæreat : *Omnia vadunt in unum locum. Omnia facta sunt de humo, et omnia revertentur ad humum. Et quis scit si spiritus filiorum hominum ascendat sursum, et spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram?* (*Eccli.* III.) Non est mirandum si in hac vita inter justum et impium nulla est distantia, sed incerto eventu volutantur. Nam inter pecus et hominem nulla evidens est differentia, secundum corporis vilitatem. Eadem est conditio nascendi, et sors una moriendi. Simul venimus ad lucem, et pariter dissolvimur in pulverem. Non tamen arbitrari debemus Salomonem sensisse animam simul perire cum corpore, et unum hominum et bestiarum esse receptaculum; sed ideo talia disseruisse, quoniam ante Christi adventum omnes in infernum descendebant. Unde Jacob dicit se ad inferos descensurum (*Gen.* XXVII); et Job pios in inferno detineri conqueritur (*Job* VII, XIV, XVII). Et revera antequam flammeus ille gladius tolleretur a foribus paradisi, clausa erant cœlestia, et spiritus pecoris hominisque cœqualis vilitas coarctabat (*Gen.* III). Et quanquam aliud dissolvatur, aliud reservetur, non multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri. Ideoque, inquit, hoc solum inter homines et jumenta Deus esse voluit, quia nos loquimur, illa sunt muta. Nos voluntate sermonem proferimus et in sermone a bestiis differimus, et tamen juxta corporis fragilitatem pecora sumus. Sicut jumentum moritur, ita moritur et homo, et omnibus unus est flatus aer iste. Eventus filiorum hominum eventus pecori, sicut mors hujus et mors illius, et spiritus unus omnibus secundum corporis rationem. Eumdem aerem spiramus, mortem similem sustinemus, fame, siti ac aliis passionibus, bestiis consociamur : propter quod sub specie animalis hominis eumdem esse asseruit hominum eventum atque bestiarum. Sciebat enim spiritum bestiarum simul interire cum corpore, rationalem, hominis dico ad superiora festinare. Nam ipse post plura seipsum explanat inquiens : *Revertatur pulvis ad terram de qua sumptus est, et spiritus revertatur ad Deum qui fecit illum* (*Eccle.* XII). Audi quoque David : *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* (*Psal.* CXVIII). Magno commendationis utitur exordio, cum opus Dei se esse dicit secundum utramque sui naturam, quo facilius circa se sui favorem inclinaret auctoris et grandis contra hominis prærogativa monstraretur. Sed *fecerunt* quidem ad animam, *plasmaverunt* vero ad corpus retulit. De aliis namque legitur operibus : *dixit et facta sunt* (*Gen.* I) : hominem vero manibus conformem Filio et Spiritui paracleto figuravit. Est igitur in hominis corpore anima substantia immortalis, rationis particeps, regina corpori accommodata.

CAPUT V.

Quomodo vero anima corpori cohabitet, qui potest explicare, deorum spiritum habere dicendus est. Quæ aliquid constituunt ut unum fiant, non permanent quod prius fuerant : sicut videmus in complexionibus elementorum ad invicem. At anima jungitur corpori, in eo perseverans sine confusione; et absque corruptione in partem migrat animantis. Quid ergo dicendum? Non est certe anima in corpore, ut turba in foro. Neque adjacet corpori, ut calculo adhæret calculus. Neque miscetur corpori, ut aqua temeto. Quippe in istis tum actu, tum intellectu præter corruptionem fieri potest separatio; scilicet in illa nequeunt ab invicem separari, sine alterius miseranda corruptione. Cum igitur neque unita, neque contigua, neque commista sit, quæ est ratio ut animal unum dicatur? Propterea quidam philosophorum ex anima et corpore animal consistere diffitebantur, affirmantes eam uti corpore, ut corpus vestimento potitur : non attendentes quod is qui induit cum veste nequit unum fieri. Confert vitam anima corpori, nullum substantiale admittens in copula, quam init cum corpore : et quam unita est corpori, compassio declarat. Nam totum animal uniformiter sibi compatitur, ut unum existens. Quod autem inconfusa persistat in corpore, manifeste ex eo scilicet est, quod in somnis quodammodo a corpore sequestratur. Sæpe enim quando dormit homo, anima futura prævidet, atque intelligibilibus appropinquat. Vigilando etenim nullo instrumento corporis utens, ea quæ vere sunt pertractat atque considerat, et in sua specula quasi residens, quoad fieri potest seipsam a corpore dirimit. Sane in corpore, absque corpore omnia corruptibilia speculando transilit, incorrupta et inconfusa commanens et inconvertibilis. Nam quemadmodum jubar solis aera ipsa permutat in lumen, totumque sui præsentia facit perlucidum, lucemque suam eidem inconfuse simul atque perunit diffuse : sic rationalis anima corpori unita, omni-

fariam sine confusione perseverat. Verumtamen non abest differentia. Siquidem sol quia corpus est, loco circumscribitur, nec loca per omnia comes suorum radiorum efficitur; sed in cœlo existens, absentibus porrigit splendorem luminis. Anima vero incorporea exstat, loco non circumscribitur, lumine ipsius præsentis corpus universum illustratur, nec usquam corporis pars quæpiam, in qua non est ipsa, illuminatur. Non enim tenetur sub corpore, sed corpus ipsa dirigit, sustinet, atque gubernat, quia non est in eo ceu in utre aut aliquo vase, sed tanquam lux solis in aere. Nam permutat ipsa corpus, nec tamen quod est esse desinit. Sicut esca quæ permutat corpus, et desinit esse quod erat invicem a corpore permutata.

CAPUT VI.

Verum de animæ quidem habitudine, qua tenetur in corpore, quidam philosophorum præter communem opinionem senserunt. Inquiunt enim animam sic in corpore detineri, ut mulier sobrietatis et honestatis comes, viri sui amore atque affectione tenetur. Non localiter, non corporaliter, sed secundum habitudinem. Quippe cum individua omnino sit et expers tumoris atque magnitudinis, nullum profecto ambitum circa se suscipere potest circumscriptionis. Quod enim partes nullas habet, quo pacto, quæso, potuerit circumscribi loco? cum per tumorem locus videatur subsistere; siquidem locus est terminus continentis, quo circumscribitur id quod continetur. Quod si quis instet dicens animam esse in paradiso seu in inferno, Romæ sive Jerosolymis, inquiunt rursus, acta agit. Nam hujuscemodi nomina locorum significativa sunt, sed jam dictum est, quia secundum habitudinem intelligitur anima, non secundum locum, nisi forte secundum accidens, quia id quod continet animam, est in loco. Abusive igitur anima isthic, aut illic esse dicitur, eo quod actio ejus loco in isto vel illo appareat : locus pro habitudine aut actione subintelligatur. Apparet ergo quam anima individua est, nec loco circumscribitur, quia Deo similis est, cujus factura est. Hoc quidem Salomon testatur : *Deus*, inquit, *creavit hominem incxterminabilem, et ad imaginem suæ similitudinis fecit illum* (*Sap.* II). Quare ad ipsum anima, quando separatur a corpore, reditura est : si a corpore separata non viveret anima, sancti apostoli et martyres Christi præsentem vitam non despexissent. Et morte carnis animas non ponerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent. Quod quia crediderunt, quotidianis miraculis coruscant. Siquidem sanctorum corporum ex præsentia infirmi liberantur, leprosi mundantur, et mortui suscitantur. Attende et obstupesce : mausolea regum et principum orbis : magni Pompeii, Germanici Cæsaris, Augusti; nequam Neronis, et aliorum, quæ gentilium parum sciuntur, et coluntur minus. Sepulcra vero apostolorum a dominatoribus mundi adorantur, et multa in veneratione habentur. Manifestum igitur quod animæ post mortem vivunt, et corporibus quæ prius inhabitabant, post venerabilem exitum, magnos honores conferunt. Et cum mirabiliter a corporibus egrediuntur, a sanctis viris videntur multoties.

CAPUT VII.

Vir quidam vitæ venerabilis, Benedictus, sororis suæ Scholasticæ animam a corpore egressam cœli penetrantem intuitus est. Similiter autem vir quidam, solitarius magnæ vitæ, in insula quæ dicitur Lipparis eadem die qua in Italia fuerat mortuus, Theodoricum regem vidit. Qui quidem cum inter Joannem papam, et Symmachum patricium distinctus, manibus vinctis atque discalceatus deduceretur, in ollam Vulcani, quæ viro Dei vicina erat, jactus est. Quare manifestum, quam sis, o homo immortalis, et a corpore separabilis, pretiosum te artifex et gloriosum debet facere imago. Monere debet operatio artificis, et commemoratio tuæ originis. Vis audire de dignitate atque excellentia sua orâditus est homo? paucis id absolvam.

CAPUT VIII.

Mirabiliter quidem homo conditus est. Nimirum non solum ad decorem, verum etiam ut in sensibus per tactum cætera exsuperaret animalia : non est circumamictus crosso corio, veluti boves, et alia quæ densis vestiuntur pellibus. Neque obtectus pilis, ut pecudes, capræ, lepores atque vulpes. Neque squammis septus ut coluber, et pleræque piscium maneries. Neque instar alitum pennatus. Hinc est quod vestibus eguit, quia leni pelle ut expeditus sentiret, fuit ambitus. Medicinæ peritia et medelæ suavitas ei tributa est, ne sub intemperantia qualitatum dissiparetur continuitas. Datus est cibus et potus, evacuationum restaurativi et evaporationum. Quid multa? inferiora hæc omnia propter hominem fecit artifex, et ejus servituti subjugavit, quod habitus et vultus ejus tam patenter demonstrat : volatile, terrestre atque aquatile animal homini famulatum præstat. Alit, vestit, medelam porrigit, delectationem confert, interdum etiam ingerit admírationem. Quare patet quia facta sunt causa solius hominis. Nam quæ propter aliud fiunt, ad aliquem defectum supplendum proveniunt aut alimenti, aut vestium, aut medelæ, aut alicujus talium. Verum neque angelus, neque cœlestis quæcunque creatura, rebus hujuscemodi opus habet. Quærenda est igitur rationalis creatura, cujus causa creata hæc omnia fuerint. Sed nulla præter hominem inventa : restat propter hominem fuisse condita. Ob amplitudinem igitur dignitatis, quam habet homo, minor mundus nominatus est. Cui non solum inferiora, imo etiam superiora jugem famulatum exhibent. Ecce præclara et spectabilis firmamenti moles, cum sua militia, ut hominis non desit obsequio, supra verticem ejus vertitur assidue. Deus etiam qui est omni creatura excellentior, propter hominem factus est homo. Quis hujus animalis, ad imaginem Dei conditi, edisserat amplitudinem dignitatis? Pelagus transit, cœlum speculando vestigat motus stellarum,

ortus et obitus, mensuras et distantias considerat, quod mare, quod aer, quod tellus possidet, usurpat. Cete grandia, et immanissimas bestias despicit, omnem disciplinæ viam emendat, et absentibus, quibus cum vult litteris loquitur : omnibus præsidet, omnia tenet, et suo ipsius obsequio destinatis omnibus fruitur. Cum angelis et Deo disputat, naturæ præcipit, dæmonibus imperat. Rerum vere existentium naturam exquirit, domus et templum fit Dei, si largitæ potestatis non obliviscitur.

CAPUT IX.

Inter cætera quæ homo adeptus est, duo hæc sunt admiratione digna : unum quidem, quia si pœnitet, indulgentiam habet, alterum vero quia hoc corpus mortale, cum surrexerit, fiet immortale (*I Cor.* xv). Peccatum certe diaboli venia caret, quia non suggestione, sed propria superbia corruit. Homo vero quia non per se cecidit, sed per alium, resurgere potest per Jesum Christum. Verum post mortem, languida est confessio, quando omnium malignorum instantia spirituum vehementissima est, qui non solum peccatorem, verum etiam justum enituntur ut præcipitent in inferni profundum : quod Judas testatur apostolus : *cum Michael*, inquit, *archangelus, cum diabolo disputans de Moysi corpore altercaretur, non est etiam ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : Increpet te Dominus* (*Jud.* unic. cap.) Volens Deus diaboli tyrannidem in genus humanum manifestam facere, permisit inter sepeliendum Moysi corpus diabolum obviare, ut disceremus quoniam Satanas cum suo comitatu et apostatico exercitu cohibet transire spiritus ad loca quietis et beatitudinis. Nullo certe modo ambiguum esse debet Christiano, quin egredientes de carceribus corporum animas angeli suscipiant. Etenim cum molem corporum deserunt, boni protinus angeli, et invida dæmonum acies occurrunt, investigatione subtili qualitates operum discutiunt, et cujus partis de jure censeatur, ad invicem contendunt. Hoc tibi Michael demonstrat de Moysi corpore cum diabolo rixatus. At contra hunc bonus angelus nullum tulit convicium, dans omnium dominatori litis illius judicium. Ideoque adversus catervas dæmonum, per bona opera dum vita fruimur, nobis comparare debemus angelica præsidia.

Quis sordibus peccatorum decoloratus, non formidet præsentiam dæmonum obmurmurantem adversus se ; frendentem atque distrahentem invidiose per aera nimis inclementer ? Qui quidem postquam in aere exactiones et vilicationes suas peregerint, ad inferum succedunt, et exsecrabiles incolatus. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die sui exitus ignis reprobos exurat. Audi quid de morientibus Areopagita dicat Dionysius : « Cum ad extremam vitæ hujus, inquit, perveniunt viam, incorruptionis suæ qua ituri sunt, jam enudatam de propinquitate manifestius aspiciunt, quia quanto magis nox sæculi propinquat fini, tanto amplius dies judicii illucescit. » Hi delectatione replentur, quomodo ad deterius flecti ultra nequaquam trepidant, certi sunt quod ea quæ possident, immutabili perennitate obtinebunt. Sed flagitiorum pleni, qui sacræ instructionis libamen quandoque adepti ad corruptificas concupiscentias versi, postea interemptoriis voluptatibus domesti carum passionum colliquescunt. Hi vitam a qu. insipienter exciderunt beatificant, et inviti cun multa formidine ab ista secedunt, quia nullam spem bonam animo complectuntur. Hic pœnitere oportet delicta confiteri oportet, ne in exitus tempore fidelium, aliquis inveniatur reus timiditatis. Formidabile est mysterium mortis, quando quærit animam exercitus ille horribilis. Incutit timores, formas mutat, delicta improperat, ad se trahit exeuntem, interminatur lugubria, ut ante tormentum, talis molestia sufficiens sit ad cruciatum. Tunc quidem miser horrescit, veluti mortiferum venenum degustaverit. Ingravescit calamitas instabilis tenoris et atrocium facinorum fit attonitus, obmutescit sensuum vigor, deflorescit inconsiderata dolorum perpessio ; affligit acrimonia vehementi, et ignominia ineluctabili penitus deficit. Nunquid ignoras quomodo in novissimo die vexant animam flagitia, quomodo cor deorsum premunt

Hinc est quod timoribus plerique corripiuntur, vultus horrendos conspicantes, quorum ulterius aspectum sustinere nequeant. De subito enim attollentes caput, innituntur cubito, et lectum ipsum cum multo impetu concutiunt, oberrantibus oculis huc illucque prospiciunt, ab intrinsecus anima cum metitur nolens a corpore separari. Nam si homines horrendos conspicantes veremur, angelos miniferos, virtutes inflexibiles cominus videntes quid non patiemur ? Audi quid tibi dicitur : Ne differas de die in diem, ne cadas, inquam, non exspectans diem, quando deserent te vivendi occasiones, defectus autem et tribulatio inconsolabilis superveniet, quando medici cedent, domestici fugient : quando difficultas respirandi erit densa et sicca, febre incendente te ac depopulante. Quando suspirabis ab intimo cordis, nec invenies adjuvantem falleris gracile ac languidum, sed non erit qui te audiat (2*). Nam omne quod tunc a te dicetur, quasi deliramentum, quasi insania, quasi dementia contemnetur. Nullus itaque te decipiat frivolis et vanis sermonibus, superveniet tibi repentinus interitus, et vertigo procellarum. Veniet angelus immitis seducens cum violentia, et trahens tuam animam ligatam peccatis ; frequenter se vertentem ad ea quæ sunt hic, et lugentem sine voce, organo lamenti ac tristitiæ intercepto. O quoties lacerabis te ipsum ! o quoties suspirabis otiose pœnitendo, in his quæ male voluisti et fecisti ! Quoties loqueris in dolore cordis tui : Væ mihi quia non valeo abjicere grave hoc pondus peccati ! Væ mihi quod maculæ nequeunt ablui ! O prava consilia ! o fœdi concubitus ! quia usum peccandi ad

(2*) Locus corruptus.

tempus habui, æternaliter cruciabor. Propter carnis voluptatem et ardorem, igni trador. Justum est judicium Dei : vocabar, et non audiebam ; contestabantur me, et ego deridebam. Hæc et hujusmodi conclamabis, si præreptus fueris pœnitentiæ. Hic miserere tui. Imprime menti tuæ novissimum diem exitus, angustiam, suffocationem, et horam direptionis spiritus, sententiam Dei urgentem, angelos festinantes, animam inter hæc fluctuantem ; obtenebrescentem, trementem vehementer, dubitantem inutiliter, pœnitentem quando nihil prodest. Audisti Deum dicentem : *Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, et noluit pœnitere* (*Job* XXIV). Non est quod cum causa dubites, non est quod sine causa desperes.

His ad confitendum exemplis accingere, his ad pœnitentiam armare. Differt enim Deus pœnam, ut inveniat pœnitentiam, et moraturis utens spatiis, protelat patientiam, ne invadat censura quod clementia possidebat, non præterita mala exspectat Deus, nec errata computat, sed correcta laudat. Habes promissum ad pœnitentiam suadentis tibi, si non pœnitueris, imputabit. *Et dedi*, inquit, *illi tempus, ut pœnitentiam ageret, et noluit pœnitere.* Huc similiter accedit illud propheticum : *Et dixi, postquam fornicata es omnia, ad me convertere, et noluit ad me reverti* postea (*Jer.* III). Quare si in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus te immersere, illico tibi spes promissæ reparationis demitur, rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum, clauduntur oculi nocte peccati, ne veri luminis videant radium permicantem. Huc atque illuc te circumducent angeli deceptores, fient grata cuncta flagitia, et peccandi licentia tibi penitus adlubescet. Tenebit te diabolus sub specie libertatis addictum, ut sit tibi liberum peccare, non vivere. Captivum te tenet auctor scelerum, pedes tibi libidinis imposuit, et undique te sepsit armata custodia, legem tibi dedit, ut licitum putes omne quod non licet : et vivum te in æternæ mortis foveam demersit.

Confitere, quæso, cuncta quibus te reum memineris, confitere et faciem Dei præveni satisfactionis officio ; humilia ante eum cor tuum, et in conspectu ejus curva cervicem ; flecte genua, et eliso vultu terræ prosterne te. Suscipiet continuo gemitum tuum cœlestis medicus, qui fidem præbere consuevit pœnitentibus patrocinium. Scriptum est enim : *Misereris omnium, Domine, quia omnia potes, et negligis pœnam hominum propter pœnitentiam* (*Sap.* II). Substenim tibi, cum voles, posse. *Convertimini ad me*, inquit, *et ego convertar ad vos* (*Zach.* I). Hæc est indignatio quam de pietate minatur, hæc est ira quæ infert misericordiam. Felix homo qui Dominum suum agnoscit vocantem, qui conversionis suæ tempus non prolongat delectationibus, qui in fletu sternitur ut in lætitia erigatur, qui serit in lacrymis, ut in gaudio metat. *Ne tardes converti ad Dominum, ne ira ejus in tempore vindictæ disperdat te : misericordia enim et ira ab illo* (*Eccli.* V). Non demus corpora nostra scelerum ditioni, sed obediamus A Apostolo dicenti : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis ei* (*Rom.* III) : ut, quia deesse non potest, certe non regnet, hoc est, non sine respectu evadendi, abrupta fiat peccandi licentia. Quomodo putas restare tibi tempus, cum nobis inopinatus superveniat exitus interminabilis : et vitæ nostræ dubiæ sint curricula præ incertitudine mortis ? (*Isa.* XXXVIII.) Audi dicentem Scripturam : *Vivens et sanus fateberis, et laudabis Dominum, et in partem vade sancti sæculi, cum vivis et dantibus confessionem* (*Eccli.* XVII). Certum enim habet donum veniæ cui pœnitere permittitur.

De pœnitentibus scriptum est quod dederit eis Deus viam justitiæ, et confirmaverit deficientes sustinere, et destinaverit illis sortem veritatis. Ideo- B que in Evangelio monet te dicens : *Quando vadis cum adversario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde donec novissimum etiam quadrantem reddas* (*Matth.* XV). Sed nunquam redditurus est, quia non erit aliud judicium. Quare nunquam debebit cruciatum. Magnum sacramentum pœnitentiæ. Audi Christum quanti faciat pœnitentiam : *Aderant*, inquit Lucas, *ipso in tempore quidem nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis. Et respondens dixit illis Jesus : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt ? Non, dico vobis : Sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (*Luc.* XIII). De Juda Galilæo in Actibus apostolorum legitur. Hic legisperitus existens, dicebat nullum hominum, nec etiam ipsum Cæsarem, Domini appellatione censeri debere, nec aliud quam quod Moyses præceperat sacrificium fieri (*Act.* V). Et propterea Judæ sanguinem atque discipulorum ejus, sacrificiis quæ pro Cæsare fiebant, commiscuit Pilatus. Sed hoc Judæ peccatis et sociorum Judæi ascribebant. Salvator autem Judam et ejus socios non negat fuisse malos, sed ideo quod alii sceleratiores fuerint, non confitetur fuisse passos. Ideo ait, *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Talibus fideles debent instrui, non exaltari. Non enim si nobis in portu navigantibus alii succumbunt tempestatibus, ideo justi sumus.

Imo tunc eorum erudimur eventu, ut absque dilatione in melius nos emendemus. Ut non pereamus sicut illi a Tito et Vespasiano sunt perditi, et in inferno cruciantur sine fine, quia non pœnituerunt. Ad pœnitentiam similiter pertinet parabola quam de ficulnea subjungit, cujus fructum triennio dominus exspectaverat. Ficulnea quidem unusquisque nostrum dicitur in vinea plantatus, et aqua baptismi regeneratus in Ecclesia. Procurator vineæ angelus datus nobis ad custodiam, qui gravioribus periculis cum affligimur, ad Dominum interpellat pro nobis : Domine, inquit, dimitte eam, quæ etiam hoc anno pœnitentiam aget. Hic tibi monstrat foveam, cui committenda stercora. Foditur peccator, quando

pulverem animæ negotiis sæcularibus excutit, et factus levior bonis fructibus perturbatur. Stercora vero tunc in circuitu mittuntur, quando pro pretiosa et molli veste, fructus causa vilis et aspera inditur, cum pro gloria et pompa hujus sæculi monasticam, seu cujuslibet sanctæ conversationis normam amplectitur. Si non feceris post spatium trienne fructum, ut otiosus, ut ineptus, ut terram tantum occupans, e vinea excideris. Nam triennio te in peccatis perseverantem, in adolescentia, juventute, senecta, proximus contuens et causarum gnarus scandalizatur fitque deterior. Quare merito ille succidendus est, cum sterilitate pudendus, ad ferendos fructus, proximum vehementer impediat. Non potest fructum facere, quem jucunditas gaudiorum assolet dissolvere. Omne quod carpitur desiderio corporis finis calce succiditur. Deformis certe anima remanebit, si saltem pœnitentiæ velaminibus et confessionum amictibus non obtegatur. Turpitudinem corporis festinas abscondere, et animæ maculas non contendis abolere per pœnitentiam ? Si hæc pœnitendo non aboleveris, confitendo coram non averteris faciem Dei a peccatis tuis : in inferno te nolente nota erunt, et manifestabuntur omnibus

CAPUT X.

Omnes quidem mortui se vicissim cognoscunt, et cognoscuntur (*Luc.* xvi). Hoc te docet Abraham, hoc Lazarus suggerit, hoc dives ille affirmat. Si enim Abraham Lazarum minime cognovisset, nequaquam ad divitem in tormentis positum de transacta ejus contritione fuisset locutus, quod mala receperit in vita sua. Et si malos mali non cognoscerent, nequaquam dives in tormentis positus fratrum suorum absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam pro absentium memoria exorare curavit? Ergo et boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam et dives ab Abraham cognoscitur, cui dictum est : *recepisti bona in vita tua* ; et electus Lazarus a reprobo divite est cognitus, quem mitti flagranter precatur, dicens : *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia valde crucior in hac flamma* (*ibid.*). In qua videlicet cognitione, utriusque partis cumulus retributionis in longum excresceret, ut et justi amplius gaudeant, quia secum eos lætari conspiciunt, quos amaverunt, et mali dum cum eis torquentur, quos in hoc mundo, despecto Deo dilexerunt, non sua, sed etiam eorum pœna consumuntur. Fit etiam in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt, quos in hoc mundo noverant, sed tanquam visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt. Videtur autem quod dolor tangat mortuos de his quæ in suos post mortem contingunt. Nam dives iste de quo sermo nunc est, dum tormenta apud inferos pateretur, levavit oculos ad Abraham, et inter alia dixit : *Habeo quinque fratres, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum* (*ibid.*). Habent ergo mortui curam de vivis quos bene sciunt vivere, quia nec in locis pœnarum vident eos. At dives, qui sine fratribus erat, nec in requie beatorum, Abraham et Lazarum, quamvis a longe cognoscebat.

CAPUT XI.

Chaos autem quod erat inter divitem et Lazarum, justorum a peccatoribus differentiam atque distantiam significavit. Nimirum quemadmodum differentes exstiterunt voluntates, ita et mansiones. Infernum autem hi quidem putant regionem sub terra caliginis et tenebrarum. Unde per Psalmistam dicitur : *Eruisti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal* lxxxv). Ut infernus quidem inferior sub terra esse, inferus vero supra ipsum vere intelligatur, et utereque multis locorum varietatibus dispertitur. Hanc sententiam Joannes in Apocalypsi comprobare videtur, qui signatum librum septem sigillis per leonem de tribu Juda dicit apertum esse. Nullus enim inventus dignus aperire in cœlo, quia nequit angelus, nullus in terra, quia nequit vivens homo in corpore. Nullus subtus terram, vel in inferno, quia nequit spiritus diaboli, vel hominis (*Apoc.* v, vi). Nullus utique præter Salvatorem nostrum inventus est qui pennas columbæ deargentatæ, ac posteriora dorsi cum pallore auri, utrumque dico Testamentum potuisset interpretari. Alii vero infernum ex apparitione ad disparitionem animæ nominaverunt. Quandiu anima est in corpore, per proprias videtur actiones. Sed ubi a corpore discessum est, omnibus modis incognita nobis existit (*Psal.* lxvii). Intuere miserum divitem de se diffidentem, et pro aliis effundentem deprecationes : ecce in tormentis memoriam non perdidit, quia Lazarum quem contempserat, ad fratres amandari efflagitabat, ut quem viderant sanie profluentem, ulceribus dehiscentem, paupertate deficientem, illum conspicerent sanatum esse, atque honorem amplissimum habere : *Non potest*, inquit dives, *sed si quis ex mortuis ierit, credent. Habent Moysen et prophetas, audiant illos* (*Luc.* xvi). Patriarcha respondit : Si ab inferis regressio ad fidem conferret, frequenter humano generi Salvator hoc præstitisset. O dives, tu obloquebaris cum dicentibus : *Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur* (*Isa.* xxii). Quis ab inferis regressus est ut credamus ei ? O fatue, si pater tuus resurrexisset, iterum moriturus ei credidisses? qui Scripturæ docenti te fidem non adhibuisti. Scrutentur ergo fratres tui Scripturas, et fidem eis accommodent. Mortuos quippe per phantasiam resurgere faceret etiam diabolus, a veritatis tramite insipientes corde abduceret, et de his quæ in inferno sunt, dogmata erroris et nequitiæ disseminaret : cujus astutiis, cujus versutiis, ut non decipiamur, sacra instruimur pagina. Ipsa est lucerna, qua lucente fur apparet et invenitur. Huic itaque credendum est, et non est exigendum ut mortui resurgant, quasi ea prædicaturi quæ fiunt in inferno. Et quoniam miser dives ille in flamma cruciatur, de igne inferni paucis absolvendum est.

CAPUT XII.

Unus igitur gehennæ ignis est in inferno, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscujusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentitur et pœna. Nam sicut hic unus sol non omnia corpora æqualiter calefacit, ita illic unus ignis animas pro qualitate criminum dissimiliter exurit. Nec est in dubitationis parte locandum, ignem illius modi esse corporeum, in quo certum est spiritus cruciari. Adeo pertinax incendio, ut si mare influeret, caloris nullam remissionem sentiret. Similiter autem et intolerabile frigus penes inferna esse dicitur. Scriptum est enim : *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium* (*Job* XXIV); quod quidem in constringendo tam efficax esse putatur, ut igneos montes contactu in glaciem permutaret. Hinc fletus et dentium stridor oboritur (*Matth.* XII). Illic sunt vermes, qui nunquam moriuntur, quibus alimenta præstant ultrices curæ, vipereus livor, et situs pallens. Illic est palus frequentia dæmonum horrenda ad compediendum, armata vinculis ferreis : sunt et aliæ formæ quam plures, præter fidem terribiles (*Isa.* LXVI). Illic certe rivus est, qui Græce dicitur ἀχέρον, turbidus, cœnolentus, vasta voragine formidabilis, nebulam exhalans intolerabilis fetoris. Sed quid tartareas difficultates et ingratitudines numerare conor? Plures sunt quam lingua exprimere, vel intelligentia hominis explicare, aut comprehendere valeat. Timete igitur judicem, amici, formidate pœnas et cruciatus inferni : quia si hic tenebræ vitiorum diliguntur, ibi lumen obscuritate latibulorum non videbitur. Si hic pro peccatis nostris non flagellamur, ferreis malleis sedulo ibi quassabimur. Audi quid dicat David : *In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* XXVII). Quia non flagellati cum sanctis, æternum eis supplicium præparatur : *Ideo superbia tenuit eos, operti sunt iniquitate et impietate sua* (*Psal.* LXXII), superbia tenentur, ne evadant : iniquitate operiuntur, ne retro sapiant. Miseri sunt, quia felices putantur, et transeunt in affectum cordis implendum desiderio, non necessitate constricti. Mensuram humanitatis rejiciunt, ignorantes quia eorum superbia velut araneæ tela succidetur.

Abjice, o auditor, omnem pravam consuetudinem, memor supplicii et infernalis incendii. Nunquid ignoras quod ex improviso tolleris, avellerisque hinc subito, dies mortis ut fur nocte veniens adrepet, et proclivem in vitia præcipitem dabit. Molem omnium durissimarum pœnarum insatiabilis inferni ante oculos tuos propone, conditionem mortis animo providus retine, tumultus, molestias, acerbitates dæmonum verere, tempore non absorbebit te impius tartarus, non urgebit te infernus, neque contra te aperiet os suum puteus ille formidabilis. In quo quidem est ardor perpetuus, qui sine lignis existens, nunquam opprimetur. Ignis enim inferni ab homine non succenditur; non inuritur lignis, et semper inextinguibilis manet. Accensionis non indiget, et semper habet fervorem nimium. Lucet quidem ad pœnam tantum flamma gehennæ, in quam anima miserabilis et flagitiosa jactatur, ut illos videat, quorum amore deliquit, et augmentum damnationis sentiat, quia contra præceptum conditoris sui eos in errore dilexit. Cruciatur spiritus miser igne corporeo, quia hic dum corpus coluit perpetravit scelera. Volutatur in stagno ignis ardentis et corporei, qui angelis diaboli paratus fuit, ut cum suo duce constringatur eodem debito damnationis, et fiat quod scriptum est : *Vindicta carnis impii, ignis et vermes* (*Eccli.* VII), uterque enim et ignis et vermis, erit pœna carnis. Ardent animæ in inferno, et ipse (quo se igne esse conspiciunt) penitus ab nostro igne alienus existit. Nam neque visu, neque auditu, neque intellectu, nisi solo tactu, iste ignis contingentia se adurit. Verum dives in inferno tenebatur, quando Abraham quasi precabatur ejulans : *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui* (*Luc.* XVI). Nota quod anima Lazari digitos, divitis vero linguam habere significatur. Quia omnis anima rationalis, similitudinem exprimit humani corporis, ad instar (ut quibusdam visum est) simulacri quod in speculo resultat habens effigiem. Ergo per hujusmodi effigiem in hoc mundo, in inferno, et in paradiso, ut Lazarus et dives cognoscitur, videt et videtur. Incorporea existens corpus esse putatur. Alicubi esse videtur, sed nulla circumscriptione locorum includitur. Quæ quidem licet instrumentis sensuum careat, intellectu memoriaque pollet, gaudio afficitur et tristitia, metu evanescit, et spe robur accipit. Aufer sensum, tolle intellectum ab animabus hominum, nulla eis pœna timoris remanebit apud inferos. Sed cum miser spiritus pœnis deputatur, affligitur, dolet, torquetur, inclamat, vociferatur; conquerendo de injuriis dæmonum, de perdita libertate, de otio quod voluptatibus præbuit. Quare aures, o auditor, quæso, accommoda : et non me loqui, sed ipsum spiritum absque mendacio et omni fallacia scias, quas in inferno patitur ærumnas enarrare, atque pro se supplicare puta.

CAPUT XIII.

Acutissimus amici super dolorem, dolor, quem cœtus prævaricatorum ad me cruciandum infigit, vociferare compellit, et injurias quas patior, inter initia misericordiæ vestræ notas facere. Iste hostis apud quem nunc hospitor, lucem promisit, et palpabilibus me operuit tenebris. Apostata quoque qui acriora supplicia intentat, involutus amaritudine, remedium pœnitentiæ mihi auferre voluit : mala laudavit, congeminavit culpam, et peccandi occasionem porrigendo sceleris excusationem edocuit. Tortuosus serpens, qui abysso subsidit interdum profunda, suis me coarctavit insidiis, sua adulatione demulsit, falsa spe illaqueavit. Hei mihi! nunc æstuo, nunc angustiis perstringor. Circumseptus miseriis, et magnum perdidi refugium. Minuendi doloris quam medicinam assequar? Dæmones me calumniantur, insaniunt et frendent adversus me mali-

tiam suam detegunt, nunc venenum quod occultaverant effundentes, palam nolenti mihi propinant. Jam in facie scelus ostendunt, quod in imo cordis latuerat, facinoris nodos complicant, crimen objicientes in crimen, et in periculum præcipitant me dolentem. Et quia dolo me acciverant, factus sum eis otiosus in manifesto. Quotidie moliuntur contra me demolitiones, quærunt quæ accusent, non quiescentes. Sæviunt persequendo me obstrepentes, clamoribus irruunt in me violenter. In frigora nivis, in hiemis algorem, in tempestatem formidinis, in æstum gehennæ jactare me volunt, ut moriendo vivam, vivusque colliquescam. Carnifices substantiæ meæ, remedio ab omni abducere nituntur : ideo compedibus vinciunt, stringunt catenis, et in me multiplicia crudelitatis genera exercent. Ideo lacrymæ defecerunt, præ abundantia luctus. Quare pro lacrymis sanguis emanat. Præterea chaos et interitus os suum ad absorbendum me aperiunt. Quid igitur faciam? Fortunæ quidem meæ casus miserandus est ; verum exercitus dæmonum omnis, sine misericordia existens, non potest flecti ut misereatur : vos, in quibus spes mea, qui superstites estis, et in Christo fratres mei, nunc longe a me vitam ducitis, et propterea arbitramini nullam vos posse mihi, et his qui simili immanitate hic distrahuntur opem ferre. Sed misereamini, precor, mei, et potestis, scio, juvamini esse nobis miseris in hoc carcere durissimo. *Non est* enim *abbreviata manus Domini*, aut misericordia *ut liberare nequeat* (*Isa.* LIX). Ecce psalmista David dicit : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXVII).

Antequam ergo a vobis recederem, antequam corpus exirem, antequam tortuosis colubris adjudicarer, pignus sanctæ Ecclesiæ suscepi. Et si usque in diem exitus, usque in horam mortis noxios actus, sordidantem libidinem, et nefaria complexus sum facinora ; cor tamen in novissima hora contrivi, et humiliavi, munus redemptionis nostræ, scilicet corpus Salvatoris, pleno fidei manducavi sacramento. Si dum loqui dabatur, tacuissem, jure me nunc, omnesque mihi similes tartarus suffocaret. At vero Christum ego confessus sum (et omnes qui veniam mecum precantur) scelera mea detexi, lacrymas fudi. Quare cum his qui mecum sunt, salvari debeo. Jus procul dubio videtur exigere, ut si taciturnitas extrema causa est perditionis, confessio similiter extrema sit salvationis causa. Dominus prophetæ loquitur : *Tu, fili hominis, dic ad filios populi mei : Justitia justi non liberavit eum in quacunque die peccaverit, et impio non nocebit ei in quocunque die conversus fuerit ab impietate sua, et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit* (*Ezech.* XXXIII). Malefacienti dictum est, morieris ; bene agenti dictum est, vives, et ubi te invenero, ibi te judicabo. In pœnitentia, fide, confessione unusquisque inventus est. Paulus conscius secretorum Dei, ait : *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, corde que credideris quod Deus excitavit illum a mortuis, salvus eris* (*Rom.* X). Ergo quod in corde habui, ore confessus sum. Nam credidi quod Filius hominis venit quærere et salvare quod perierat, et de faucibus Satanæ evellere captivatos. In hanc certe fiduciam ultima confessio latronis me adduxit, et alterius latronis animus obstinatus. Hunc, quia non credit, ignis devorat gehennæ. Alter vero quanquam similiter latrociniis cruentatus fuisset, semperque feritatis diabolicæ exstitisset armiger, nunquam Dei meminisset, nulla mandata legis servasset, cujus spes tota erat desperatio ; tamen quia resipuit in ipso supplicio constitutus, magnum et præcellens invenit remedium Domini, et ubi pendebat judicem futurum agnovit. Et quia illi publicavit crimina conscientiæ, cum eo paradisum eadem die introiit. Credidit et veniam meruit, sacratissimo sanguine ille aspersus est, ipsis angelis celsior factus est. Ideoque in ictu oculi cum ipso Salvator paradisum intravit. Ego quidem, et si corpus quod in ara crucis pependit, non sum sensibiliter intuitus, nec illo contactus sanguine (in specie dico sanguinis) spiritualiter tamen alterum bibi credendo, alterum manducavi penes eumdem modum. Esto mihi ideo ex inferno tardior exitus, quia sceleratissimus sum latronum, neque similiter cum Christo crucifixus : attamen quia crimina mea confessus sum, et exsecravi actus temulentos, remedio medelæ perennitas cruciatus debet recidi. Miseremini et sociorum, o viri Christiani, vestro adjutorio nunc opus est, ut pro nobis paschalem victimam offeratis, Agnum videlicet salutarem, qui tollit peccata mundi. Sic sic vere de baratro inferni educere potestis. Exorate Deum pro nobis, coram ipso effundite orationes, et egentibus eleemosynas porrigite. His divitiis, his petitionibus, his largitionibus vorago inferni captivos reddit, absolvit, et abire in vitam permittit. Sed scio plerosque vanis opinionibus deformari, putantes non esse orandum pro mortuis, eo quod neque Christus, neque apostoli ejus successores hæc scriptis intimaverint. Nesciunt quidem illi plura esse ac persumme necessaria, quæ sancta Ecclesia frequentat, quorum traditio ex Scripturis non habetur. Nihilo tamen minus ad cultum Dei pertinent, et vigorem maximum obtinent : quæ si contemnantur, eam fidem quæ per Evangelium claruit, vulnerabunt. Sed propter compendium ex pluribus pauca quædam referre volo.

CAPUT XIV

Frontes credentium, sempiternamque salutem sperantium consequi sub typo Dominicæ crucis, in nomine Christi Jesu, nulla Novi Testamenti scriptura instituit signari. Similiter autem in oratione constitutos, faciem versus orientem intendere quæ scriptura monstravit? Item mystica verba quibus ad sanctificandum panem vitæ, Spiritus sancti gratia invocatur, in nulla serie Novi Testamenti reperiuntur. Benedictio aquæ baptismatis, ter aquis

immergere illum qui baptizatur, et benedictio chrismatis in Ecclesia sine Christo et apostolorum scripturis observantur. Noluit Christus Ecclesiam suam scriptis tantum traditionibus astringi. Nam quæ non licet profanos scire, illorum doctrinam non expediebat litteris publicare. Verum his omissis, quoniam aliquos vestrum forsitan latet, quare cum orat Ecclesia, in orientem perfigat intuitus paucis edisseram. Omnis igitur Christianus in oratione constitutus ad orientem faciem dirigit. Quare? ut antiquam patriam quam perdidit, perorando requirat, ut paradisum, ex quo pulsus est, quemque ad orientem Deus plantaverat, sinceris petitionibus recipiat; ut in occidentem versum vultum Christi pendentis in cruce videat. Quippe Christus crucifixus plagam occidentalem, ad quam conversus erat, conspicabatur. Quare in prima Sabbati stando quisque fidelis orationes suas in atriis domus Domini perficit, ut consurgens cum Christo quod sursum est quærat, sicut egregius doctor hortatur. Tenor quippe orationis, qui sine inflexionis vicissitudine diebus fit Dominicis, futuram resurrectionem portendit. Futuri enim sæculi dies illa imago est, in qua genua orantium non succidunt. Unde a Moyse non prima, sed una nominatur. *Et factum est*, inquit, *vespere et mane dies unus* (*Gen.* I), quasi per circuitum reducta frequenter, eadem una sit, et octava, quæ nullam habebit varietatem : nil declive post hujus temporis decursum, siquidem erit sine vespere, sine successione, absque senio. In aliis vero diebus cum terra genibus contingitur, humani generis casus per peccatum, et expulsio de paradiso significatur. Sed rursus cum os in sublime tollitur, per clementiam Redemptoris ad cœlum revocari exsulem liquido manifestatur. Planum ergo est, ut opinor, quam multa sint in Ecclesia plena vigoris, exuberantia sanctitate, fidem corroborantia, et hominum actus dirigentia in melius, quæ chartis a primo pastore commendata non sunt.

Sed occulto suo judicio habenda ipse tradidit, et per vicarios apostolos paginis et atramento amiciri non permisit. Apostolicis sane mandatis, non scriptis insistendum est. Audi Paulum dicentem : Laudo vos per omnia, quoniam memores mei estis, et sicut tradidi vobis, traditiones tenetis, sive per sermonem, sive per epistolam, id est, sive verbo, sive scripto (*II Thess.* II). Earum traditionum quas sive scripto fecit Apostolus, una est pro defunctis exorare. Hujusmodi traditionem non solum Paulus, sed omnis chorus apostolorum, a primordio Ecclesiæ constituit. Nec quidem traditio usu temporis semper emanans ex longa consuetudine, Ecclesiæ Dei radicitus inhæret. Quamobrem, sicut multa sacramenta sine scriptionis intimatione ipsa observat, sic pro fidelibus defunctis non habens emolumentum scripturæ novæ legis, preces jugiter ad Dominum sancte ac pie ab initio fundit. Certum esse novi apud vos quod scripto minime invento, probata testium fides, omne ambiguum excludit: *In ore*, inquit Omnipotens, *duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*II Cor.* XIII). Suscipite igitur testium qui fallere non noverunt, probationem. Hermannus Capuanus episcopus Paschasium diaconum, qui dudum ex mundo transierat, quem nequam ista dæmonum caterva cum poterat, huc deducebat, in thermis Puteolanis invenit. Qui quidem episcopi oratione veniam promeruit, sicque promissum pro quo tenebatur, confessionis animadversione non damnaverat. Siquidem omnium unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque in diem sui exitus perstitit, Laurentium amando atque præferendo, quem episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutarat. Ideo enim pœnali loco deputatus fuerat, quia in parte Laurentii contra senserat Symmachum. Mei ergo (quem pœnituit) vestræ deprecationes non potuerint delere condemnationis chirographum? Donabit Dominus propitius, orationi vestræ et eleemosynæ quem destinaverat ardentis gehennæ stagnis atque sulphuribus.

CAPUT XV.

Judas Machabæus vir justus, Deique amicus extitit. Hic quidem vir cum multis et magnis sæpissime Domini misericordiam precibus consecutus fuerat, spe ad superiora elevatus, pro mortuis etiam offerre sacrificium pia devotione sensuit (*II Mach.* XII), verum pro illis qui mandatorum legis prævaricatores exstiterant, et idolis a Timothæo et Sosipatre comprehensis, obsecuti fuerant. Quippe cum Judas pietate commotus eos sepulturis paternis traderet, donaria idolorum, a quibus lex prohibebat Judæos, sub vestibus interfectorum invenit. Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse, propterea benedixerunt justum judicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt Dominum, ut id quod factum erat delictum, oblitteraretur. Hac itaque de causa Judas argentum collegit, et Jerosolymam offerri pro admisso jam dicto mandavit, memor illius : *egredietur vas purissimum* (*Prov.* XXV). Non est arbitratus eos qui legem violaverant æternum supplicium perpessuros. Litteræ superficiem non est veritus, sed per intellectum complexus misericordiam opificis Dei, ad offerendum congregavit argentum multi ponderis, ut qui damnati erant, ab incendiis æternis erueret. Tunc populum alloquebatur, cum ad misericordiam fratrum videbatur pronus, quando commovebantur pro delicto fratrum viscera. Collationem argenti fecit, sed non elegit numerum quemvis. Nam duodecimum et millesimum solummodo assumpsit, ut per duodecimum sanctæ Trinitatis fides, quæ per quatuor mundi partes prædicanda erat, insinuaretur; per millesimum vero ejus integritas et perfectio commendaretur. Drachma vero denarius erat argenteus, insignitus imagine regia; hujusce denarii oblatione, qui ad imaginem summi Regis conditi fuerant, Machabæus capitali decreto suppositos redimere statuit. Si pro mortuis orandum non esset, nunquam vir Domini tale quid cen-

suisset fieri. Si Deum offensurum se scivisset, ne- A quaquam collationem fecisset drachmarum, pro transgressoribus legis. Quomodo amicus Dei oblationem pro defunctis Jerosolymam misisset non exaudiendus?

Denique sacra Scriptura non hujus, ut amici Dei memoriam in hodiernum usque servasset, si contra Dominum aliquid præsumpsisset tali oblatione. Scio Scripturam dicentem : et *tu reddes unicuique juxta opera sua, et, quæ seminaverit homo, hæc et metet, in inferno quis confitebitur tibi?* (*I Cor.* III; *Galat.* V.) Verum in secundo adventu Redemptoris, in terribili judicio illo et mundi consummatione, complebitur hæc sententia. Tunc indubie omne mundi tempus evanescet : tunc erit irrita omnis deprecatio. Nam ubi tunc pauperes? ubi missarum B solemnia? ubi psalmodiæ? ubi beneficia? Ubi quidem facta est nundinarum solutio, frivola regressio est ad mercandum. Propterea precor, amici, ante illam horam leviora facite onera mea, quia delictum meum non contexero caligine negationis. Effundite preces coram clemente ac misericorde Domino. Exauditurus est certe clamorem vestrum pro me atque aliis, qui ad pœnas nondum migravimus sempiternas. Quando apud vos in mundo oravimus, ut vestris juvaremur obsequiis utcunque promeruimus. Non exurimur in ea flamma, in qua dives cruciatur. Nondum chaos magnum nobis objicitur, nondum regressus obstruitur : præstate auxilia, et offerte pro nobis hostiam redemptionis. Nam talibus suf- C fragiis pœnæ nostræ mitigantur, et tabescunt, locus quietis aperitur, et verum lumen faciei divinæ quod erat nobis absconditum, paulisper illucescit. Horrendæ sunt minæ omnipotentis Dei, sed vincit eas ineffabilis ejus clementia. Propter hæc enim salutifer ejus descensus, tartarea hæc irradiavit antra. Propter hoc multos, qui in eum crediderunt, reges, et prophetas, principes et judices, et ex Hebræis numerosum populum ab inferis reduxit.

Propterea puto omnes qui hominem illum esse, verumque Deum natum de virgine crediderant, et miracula quæ supra naturam fecerat, mortuorum, cæcorum, mutorum et surdorum, leprosorum, hydropicorumque, aridorum, a dæmonibus obsessorum; gressuum maris, multiplicationis panum et D piscium, et commutationis aquæ in vinum, æquo animo susceperant, esse voluit eos in parte prædæ atque morsu : quibus infernum hunc antequam resurgeret, sauciavit. Vult utique misericors Deus, ut nostrum qui mortui sumus onera, vos qui vivitis portetis : si tamen ante, vel etiam dum vocabamur, pignus Ecclesiæ suscepimus, si sacramentis ipsis fidem pleno corde præstitimus, et si carnem et sanguinem Jesu-Christi non specie, sed fide, non exteriori visu, sed interiori affectu spiritaliter manducavimus. Vult plenus misericordia Deus, ut in adjutorium nostrum et proximum intendatis. Non est enim opus sanis medico. Ut quid per incruentam hostiam occasionem dedisset faciendi memoriam pro nobis, qui vos anticipavimus? Ut quid in scripturis et trigesimis, et anniversariis diebus omnium obituum commemorationes apostolica et catholica per fines orbis terræ celebraret sancta Ecclesia? Si enim impium, si abominabile, si frivolum, si inutile Redemptor humani generis tale obsequium reputaret, quomodo etiam multi hactenus sancti Patres decesserint, neque alicui eorum revelatum foret, quatenus hujusmodi errores a Dei Ecclesia amoverentur? Sed neque inter sacrorum solemnia successores apostolorum, in ipsis mysteriis pro dormientibus deprecationes semper fieri censuissent in hunc modum. Non habentibus etiam locum refrigerii lucis et pacis, qui potest, commodet. Num ignoratis quid dialogus Gregorii, cui summi angeli in solemnitatibus sacrificiorum famulabantur, fecerit? Hic aliquando per lapideum pontem, quem imperator Trajanus exstruxerat, gradiens modicum tardato eundi officio, ex industria ardentem orationem ad Dominum pro remissione peccatorum Trajani fundit. Et continuo vox ad eum cœlitus facta est, dicens : « Orationem tuam audivi, indulgentiam Trajano donaturus, sed tu amplius abstineas pro impiis orare. » Nolite, quæso, dicere in cordibus vestris, falsum hoc aut fictum esse. Quærite, si placet, apud Græcos : Græca certe omnis testatur hæc Ecclesia. Et quanquam multorum martyrum sanguinem effuderit Trajanus, oratione tamen sancti viri coactus est illum reddere tartarus alioqui implacabilior. Sed magnus Athanasius ille in sermone quem scripsit de dormientibus, sic loquitur : « Oratio pro fidelibus defunctis non est omittenda, ubicunque morte præoccupati fuerint. Offerenda est salutaris hostia, offerendum est oleum. Offerendi sunt quasi pro sepeliendo cerei, Christum Dominum vocando in adjutorium. Sunt, inquit, Deo acceptabilia hæc, et multam ex ipso ferentia retributionem. Et oleum quidem et cereus fragrantiam odoris emittunt. Incruenta vero hostia propitiationem impetrat. Largitio eleemosynarum accumulationem conficit retributionis. » Talis debet esse pro dormientibus offerentis intentio, qualis est habentium infantem tenerum et debilem, quo languescente hostiam, oleum, cereos in templo parentes offerunt. Verum puer neque contingit, neque offert, prorsus existens ignarus sacrificii, sicut abrenuntiationum et professionum, in regeneratione baptismi.

At vero promittentium atque offerentium fides absque dubio efficit, ut hæc multam in his pro quibus geruntur, habeant efficaciam. Talia docti a Spiritu sancto apostoli constituerunt. Talia successores apostolorum confirmaverunt in Spiritu Dei. Talia postmodum Ecclesiæ doctores docendo comprobaverunt: Inde est quod incrementum suscipiunt, et dilatantur ab ortu solis in occasum, ab aquilone in austrum ad gloriam et laudem Regis omnium sæculorum. Suscipit utique Deus sacrificium altaris, hostiam laudis, quia sitit generis humani salutem. Nunquid Deus angelis mercedes laborum seu coro-

nas præparavit? Nunquid propter angelos in terras descendit, carnem assumpsit, homo factus est, passionem et mortem debellavit? Nunquid angelis dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est?* (*Matth.* xxv, 24.) Non subest fides affirmationi, sed sicut propter hominem passus est, ita omnia propter hominem præparavit. Cujus mortem perosus, vitam diligit. Quis enim aliquando conviviuni magnum paravit, amicos invitavit, mensas ferculis instruxit, et expositis epulis convivas vesci prohibuit? Sed ego quidem, et qui mecum sunt, per negligentiam, per desidiam et spurcitiam, indigni facti sumus et a janua convivantium prohibiti. Gerite igitur nobis morem, vicem supplete, sed transmittite ad nos quæ omisimus. Quæ debueramus, vos pro nobis erogate, et reconciliate miseris nobis Redemptorem, quem offendimus. Verum nulla macerari ambiguitate convenit egenorum atque pauperum causa, ut salutem non consequantur, eo scilicet, quia non relinquant superstitem, qui sacerdotem ad sacrificandum invitat, qui eleemosynas dispergere, aut qui orationibus vacare debeat. Putasne, injustus est Deus ut habenti intercessorem indulgeat, non habenti verò immisericors existat? Absit hoc! Justus est utique Deus, non habentes beneficos, habentibus connumerans, nam beneficia quæ pro suis mortuis quique faciunt, misericors Deus pro omnibus, qui meruerunt in vita ut juvari possent, acceptat. Ideoque magis annitendum est vobis ut sacrificium offeratur, ut orationum fiat instantia, ut eleemosynarum succrescat largitio, quia quod putatis singulare, benignus judex ut commune accipit.

Item justorum animæ quæ sidereas mansiones percolunt, quanquam pro omnibus, illorum tamen qui viventium famulatu et singulari obsequio destituuntur propensius orationes suas ad communem Dominum fundunt. Namque ut pro se judicem deprecentur, non indigent. In cœlo quippe (ubi sunt) summum bonum est, et nullum malum. In inferno autem inferiore adest nullum bonum, sed malum summum. Apud nos vero malum quidem est, verum haud summo discruciamur. Quare beneficiis vestris possumus adjuvari, iis nostri reatus expiari poterunt, ut aut tolerabiliorem nunc damnationem patiamur, aut integram adipiscamur remissionem. Accingimini ad persolvenda beneficia pro defunctis vita Christianis: quæ quidem si his quorum sinistra trutina terram contigerit, parum conferant, eorum tamen qui faciunt, remedia sunt et consolationes. Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Semper judex aliquid de pœna mali relaxat. Si iniquitatem observaret, quis judicem sustineret? Si in fluctibus interioris et exterioris calamitatis, quantum potest, attereret, obliviscetur misereri Deus, et contineret in ira misericordias suas. Quare non exercet juxta molem scelerum pœnas miserorum. Omnis humana vita peccatis circumsepta est, omnis conscientia suis cogitationibus accusatur; sed propitiatio non cessat, quia non est tantum judex in observatione iniquitatum, sed in omnium judicio misericors. Vultis audire quantum paschalis victima nobis conferat? Felix episcopus ei, quem dudum defunctum in vaporibus sibi obsequentem invenerat, indulgentiam per sacrificium impetravit. B. quoque papa Gregorius pro quodam suo monacho, qui hoc in igne cruciabatur per triginta continuos dies, hostiam salutarem offerri præcepit. Et factum est ut, trigesima oblatione completa, monachus communionem susciperet, simul et evaderet supplicium. Sustinetis accipere quantum eleemosynæ pro defunctis exhibitæ, nobis conferant? Apud Alexandriam episcopus quidam vitæ admodum venerabilis, quemdam in vicinia sua philosophum habuit, Evagrium nomine: qui quidem, quanquam gentilis fuisset, episcopi tamen amicus erat, quia in philosophorum gymnasio exstiterat ejus discipulus. Hunc episcopus ad fidem Christianorum promovere cupiens, ei salutis verba frequenter prædicabat. Quibus cum nequaquam philosophus caperetur, episcopo perhibetur dixisse: « Domine mi, inter omnia mihi displicet, Christianos vos somniare mundum finiendum, corporum resurrectionem futuram, mercedes secundum opera reddendas fore, asserentes insuper quod qui miseretur pauperi, feneratur Domino, qui in nomine Christi pro animabus vestrorum defunctorum Christianis pauperibus subvenit, centuplum recipiet. Quæ omnia quoniam procul a vero sunt, ludicris et fabulis adnumero. » Verum episcopo confirmante multis argumentis nihil falsitatis esse in dogmatibus Christianorum, discessit philosophus: et haud multo post tempore credidit episcopi prædicationi, atque baptizatus est.

Tandem aliquando, cum rerum suarum facturus esset rationem, accersivit episcopum, illique ait: « Sume auri libras sexaginta, pauperibus, prout dixisti, distribuendas: data syngrapha, quod a judice Christo pro una centum in illo (de quo tanta sonas) sæculo recepturus sim. » Quod cum episcopus sine cunctatione fecisset, accepit pecuniam eo modo quo prædixerat philosopho, eam pauperibus erogaturus. Denique, cum jam moreretur philosophus, jussit filiis suis ut sibi chirographum pontificis in manu sepeliretur. His ita peractis post diem tertium philosophus episcopo in somnis apparuit dicens ad eum: « Vade ad sepulcrum meum, o episcope et recipe chirographum tuum: nam debitum omne recepi, neutiquam jam mihi obligaris, cum jamdudum de Christo centuplum certe acceperim: quin etiam ut nullo te ambiguitas circumagat, propria manu subscripsi. » Obstupuit igitur episcopus, prorsus eorum quæ gesta fuerant ignarus. Qua de re sub diluculum filios accersiri jussit philosophi; a quibus cum didicisset verum esse quod in somnis viderat, convocato urbis clero, perrexit ad monumentum. Quo aperto philosophum sedentem conspicati sunt, manumque protendentem cum litteris. Quas unum clericorum episcopi accepturus, de manu

illius evellere nequivit; porrigebat enim episcopo. Pontifice igitur accipiente litteras, philosophus recubuit; episcopus in conspectu omnium eas perlegit. Tenor autem scripturæ, quam paulo ante ediderat ipse philosophus, hujuscemodi erat : Evagrius philosophus, sanctissimo episcopo in Domino gaudere. Noverim te, Pater, ignorare, quod pecuniam omnem, quam tibi adhuc in corpore vivens dedi, centuplicatam, sicut mihi promiseras, recepi. Quamobrem nulla debiti ratione mihi astringeris. His auditis, obstupuerunt omnes qui astabant. Ast cautio episcopi haud negligenti jussione reposita est. Qua re, o amici, manifestum est, quid sacratissimi corporis oblatio, quid oratio, quid eleemosynæ nobis conferant; procul dubio perversitatis plumbum convertunt in argentum sinceritatis.

CAPUT XVI.

Postremo quod officium extremi muneris non debeatis intermittere, Joseph docet et Nicodemus, qui quidem mistura myrrhæ et aloes quasi libras centum ferentes, corpus Dominicum condierunt; maximam laudem et gloriam consecuti.

CAPUT XVII.

Item sanctæ mulieres, ut eadem officio exhiberent, multa et pretiosa unguenta paraverunt. Unde ipsum Salvatorem meruerunt videre. Atque quanto præconio extollantur quotidie per orbem universum, non est in ambiguo. Si sepulcra, rationes, obsequia defunctis fieri magister noster Christus renueret, nequaquam suum corpus mundo in exemplum exposuisset universo. Ecce Joseph et Nicodemus multam insumpserunt pecuniam, ut illud tantum corpus a vermibus defenderent. Certe qui potest, divitiarum copiam erogare debet, ut corpus amici honeste sepeliat, maxime vero ut animam eripiat dæmonum faucibus. Sed et pro nobis orantes beneficiis vestris conducite, succurrite pauperes nobis. Atqui et ad illud quod ante omnia maximum præstat remedium obnixius enitamini, ut Agnus scilicet, qui tollit peccata mundi, in memoriam defunctorum frequentius immoletur.

CAPUT XVIII.

Hujuscemodi oratione ad vos transmissa rationalis spiritus, quia credit persuasisse, adminiculum exigit simul et favorem vestrum, quæ quidem haud dubium est exhibituros fore vos : qui fide vivitis, cum quibus nos jampridem ejusdem conditionis fuimus, habituri hic vos prope diem socios. Sed, quia oratio jam longius processit, reliquum est, ut animo incalescente, innovatoque auditu, pauca, quæ dicenda supersunt, de lamentationibus funerum, de adventu Antichristi, et de die extremo Domini, deque resurrectione ejus atque judicio enodemus.

CAPUT XIX.

Movet me conflictus humanarum necessitatum, ut rememorem amicis aliquas causas nostræ communis calamitatis. Sed multo amplius avolare me facit altitudo divini consilii, cum cogitem qualiter in utero infantes format, membra coaptat, nervos et arterias compaginans, cuique humani corporis particulæ congrua officia dispertit. Animat lutum, et pulveri jungit spiritum, cibum in carnem, vinum in sanguinem, phlegma in ossa permutat. In vulva ut bonus pictor, imagines adumbrat; colores distinguit, qualitates distinguit; statuit terminos vitæ, quos diffinivit ante fundamina mundanæ molis, quam cernimus. Hæc consilii profunditas exquisite quidem corpori animam indit, et mirabilius, ut puto, dirimit a corpore. Nam *quis est homo qui vivit, et non videbit mortem?* Mortales sumus, terrei, et in pulverem reversuri. Hinc dolor innascitur, hinc oboritur pavor, et hinc gemitus concrepitant. Etenim qui heri fulgebat veste auro texta in hemicyclo sublimatus, elevatus superciliis, undique astantium multitudine splendide septus, hodie exanimis atque adeo putens ad sepulcrum in feretro portatur : miserandus humatur, amicorum quidem magna pompa atque frequentia vallatus, luctibus, decantationibus honoratus, illustratus funeralibus. Sed post modicum hæc amittentur, etiam cum nominis memoria. Non enim ulterius sepulcro amicitia cujuspiam progreditur ; adeo qui heri tumescebat, hodie anhelat languoribus. Qui paulo ante formidandus erat, hodie olidus cernitur : heri speciosus, hodie abominabilis ; heri in domo, hodie in sepulcro. Ubi dives? ubi tumor, ubi apparitores conturbantes omnia? Ubi violentiæ, ubi potentatus, ubi moles rerum, ubi bella, ubi collatio signorum? Omnia sunt pulvis cinis omnia, omnia favilla, et umbris ipsis prætereuntia celerius. Quo abierunt hæc omnia? gloriæ magnitudo evanuit? primores? ubi filia? dulcisque filius? ubi procax uxor? ubi amicus? ubi adversarius? defecerunt universi, et hic quidem paulo ante. Ille vero pro patria interiit, hunc æquoris procella subruit, alius morsibus ferarum internectus est. Vere listud umbraculum nihil distat a vernis floribus. Nam ad illorum similitudinem liquescit, et marcescit homo.

Unde satis apparet quod compago nostri corporis a jumentis in nullo dissimilis est. Præcede modicum; preveni, præcurre, inspice sepulcra mortuorum et videre non renuas, triste et nequaquam delectabile spectaculum. Incumbe diligenter, et deformatum quod est mortuorum, reforma. Vide pulverem dissolutionis, et nostri fastus calamitatem sustine. Replere odore nimio, intolerabili fetore. Vestra sunt hæc, non aliena. Patere fortiter evaporantem de putredine halitum, et tabem exspirantem. Suffer vermium acervos aspicere. Intuere diligentius, si libet, discerne, si tibi posse suppetit. Apta rursum os ossi, et si vis singulas eorum, quæ cernis soluta, partes partibus compone, considera, si vales, cujus hæc, cujus illa sit; quis iste, quis sit ille; utrum senex an adolescens, felix an pressus infortuniis vixerit, longævus an cito vita functus, gloriosus an ignobilis. Hæc expende, circumspice, quanto mœrore quantaque maceraberis tristitia? Quo, inquies, figura horum et decor abiit;

Quam ingratus est iste aspectus, quam displicens, quam sordidus, et quam tristifer : heu hanc sortem! Carnes solutæ sunt, viscera dirupta, partes disgregatæ plasmationis et fabricæ, decor exterminatus. Ad horum certe similitudinem quisque nostrum in loculis deponetur, computrescet, deinde eadem vermium ingluvie consumptus dissolvetur. Intelligis, homo, quid dicatur? Circumspice sepulcra, et vide ossa humanæ compaginis, reversusque ad te collacryma, ingemisce, suspira de profundo, animadverte humanam calamitatem, qualem finem sortita sit, animadvertito. Quis rex, quis dives, quis pauper, quis nobilis, quis ignobilis, quis liber, quis miles, quis princeps, quis justus, quis damnatus, quis sapiens, quis insipiens, quis orator, quis barbarus, quæ concepit, quæ pepererit, quis pater, quis filius, ex aspectu aut contradictione horum ossium nequiveris pronuntiare.

Quid multa? Optimum quod apud nos sensu percipitur, æqualem ossa videns, corruptionem patietur, et tamen humana cura omnis ad hoc enititur, ut in vita hæreatur. Propterea domorum ædiumque fabrica excogitata est, ut neque frigoribus neque caloribus corpora nostra exanimentur. Agricultura quoque quid aliud est, nisi quædam vivendi præparatio? Cura conservandæ vitæ formidine mortis tantum exercetur. Medicina similiter in honore penes homines eadem ratione habetur. Nam quodam artificio videtur supplicio mortis resistere. Loricæ, clypei, galeæ, cuspides, ocreæ, armorum apparatus, parietum ambitus, portæ cum vectibus ferreis. Muhimina vallorum ob quid aliud, nisi propter metum mortis excogitata sunt. Cum utique mors adeo formidolosa odio vitam premat acerbissimo, quomodo superstes, mortui nulla tangetur pietate? At non tristitia dignum est : cum intueamur illum, qui paulo ante vivebat, mutum factum de subito et immobilem? Exstincta esse instrumenta naturæ, neque visu, neque alio sensu operantibus. Cui sive ignem apponas, sive ferrum, sive corpus gladio confodias : aut si volatilibus quæ carne pascuntur projicias; aut si in cœnum abjicias, ad omnia qui jacet, similiter afficitur. His ita factis permutationibus, vitalis causa, cujuscunque modi sit, evanescit et in ictu oculi abit. Velut si lucerna exstinguatur quæ ardebat, neque in lichno flamma perseverante, neque locum ad alium demigrante, sed in disparitionem omnimodam secedente. Quomodo id fieri potest, ut tantam tristitiæ molem quispiam sine dolore sustineat? Exitum animæ audimus, corpus relictum cernimus ; sed qui vivificabat, spiritus quid sit secundum naturam, et quo abierit, ignoramus. Non aer, non unda, nec aliud quid monstrat illam virtutem, quæ corpus exercebat. Qua egressa, mortuum jacet quod relictum est, et invidæ corruptioni obvium. Quis igitur vel si ferreus sit, potest a lacrymis temperare tali superveniente jactura? Hinc comæ dilaniantur, stillant oculi, et pectus adductis palmis sonat

CAPUT XX.

Verumtamen in vanum lamentis miser afficitur, pro mortui causa plorans et deficiens. Vanum est lugere in sepulcris habitantes, dissolutos, et in suum pulverem jam reversos, aut post modicum reversuros. Quousque luctus et clamor, tumultus et crepitus, mœrores, blasphemiæ, ad sepulcra usque dilaniatio? Curata humatione et post ora dissecantur, lamentatur in foro atque in ædibus. Quid facis, o homo, mortuum dormientem conspicaris, et prorumpis in convitia? Filium primitus mortuum plangis, quasi non sis moriturus? Illius finem in conspectu habes, et tuum non præstolaris. Hæc cogita tecum quis sis, et cum sis mortalis, quem genuisti similis tui erat. Cujus principium habuisti, finem illius debuisti exspectare. Noli molestus esse cum juvenem avocari conspicias, et transmigrare ad statum meliorem. Tu ipse haud multo post quem lugens sequeris, comitaberis, eum terminum nullus hominum effugere poterit. Non est a potioribus ad deteriora ista sevocatio, imo a corruptibilibus ad incorruptibilia, a visibilibus ad invisibilia, quibus nos sumus destinati. Noli ergo fletu mensuram excedere. Juxta illud quidem, quod Dominus ac Salvator noster dicit : *Beati qui lugent.* (*Matth.*, v, 5), non propter funera, sed propter peccata sua. Sed scio quod dicis : At homo sum, non possum non tristari. Non prohiberis lacrymari et dolere. Natura enim angit, huc impellit. Requirit consuetudinem et confabulationem quotidianam. Non prohiberis contristari, uti Christus te docuit; nam super Lazarum lacrymatus est. Lacrymare tu quoque, sed cum honestate, sed cum timore Dei.

Quod si obiit singularis peccator, qui Deum offendit vehementius, solummodo lacrymari fas esto, quod illi tamen nihil attulerit, utilitatis. Sed tribuere solatium quod potes eleemosynarum, oblationum, hoc est ei adesse. Propterea gaudendum, quoniam præcisa est malitia illius. Rursus, si justus exstitit, lætandum est : ad portum enim quem cupierat, pervenit ab incertitudine hujus stadii semotus. Quod si juvenis, gratulari oportet, quoniam laqueis mundi præreptus est. Si senex, non est dolendum, adepto enim quod desiderabile ante omnia videbatur omnibus, satiatus decessit. Contristare, si adeo libet, sed modum non transcendas. Nam mors naturaliter accedit, hinc enim intravit homo in mundum, ut exiret. Peregrinatio est vita hominis super terram. Cum multum ambulaverit, redeundum est. Ad idem dies ducunt singuli. Num ignoras quod ille qui anxiatur plus justo, aliquid majus ipsa natura requirit. Homo natus est mortalis. Si natura iter suum peregit, quare tristaris? Nullus dolet, quod esculentis et poculentis alitur. Nullus absque his gestit vivere. Sed expers mortis esse contra naturam appetis : solæ leges naturæ. Mors certe de illarum rerum numero est, quæ semel homini contingunt. Excipe, quod natura omnibus communiter dedit Non involvat mordaces curas in animo

tuo, mœror duplicatus. Mites sunt plagæ, quare dolores sunto decentes. Animo sano et recto fortuna quævis contemnitur, et sarcina tentationis quantacunque sit, levigatur. Anxietas ista mœroris ideo tibi apparuit, ut a frequentibus procellis, a variis sæculi fluctibus indemnis egrediaris. Hæc tibi Sapiens persuadet : *Conjungere*, inquit, *Domino, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua* (*Eccli.* II). Quam plura sunt, quæ sine vulnere sanari nequeunt. Dolores isti putantur nocentes, sed si tuleris, remedia tibi præstabunt. Nam in adustione ignis, in sectione ferri, remedium exspectatur. Mordax adjumentum, interdum fomes est medelarum. Medicus cœlestis ad te curandum venit, tu noli quod spirituale est facere animale, bonum est a Domino redargui? jucundum esse debet a Domino castigari. Et quidem moleste ac supra modum dolorem admittentibus terribile est, quod dicitur : Recedant a me iniqui. Vias enim illorum scire nolo, quoniam lucerna illorum exstincta est, et gemitum habebunt in vita sua. Erunt enim sicut paleæ, quæ a vento agitantur, et sicut pulvis qui a tempestatibus tollitur.

Una via est Christus, quæ ad cœleste palatium credentes perducit. Per illam viam qui pro mortuo immodestius dolet, non gradietur. Casus ejus festinanter veniet, ægritudine vexabitur, quia medicum populit assistentem. Flendum est, dolendum est. Flendo intravimus mundum, ut lacrymis hauriremus dolorum primitias. Audi Sapientem quid dicat : *Ego*, inquit, *natus accepi communem aerem, et in similiter factam decidi terram, primam vocem emisi similem omnibus plorans, fasciis involutus, curis magnis nutritus sum. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo omnibus introitus, et similis exitus* (*Sap.* VII). Quare necesse est, uti qui venit transeat. Quid igitur tristitia maceraris? Angustum certe satis est tempus vitæ mortalis. Simul homo gignitur, simul obruitur morte. Vince ferendo impositum onus æquo animo. Quodvis onus gravius lædit si gravate portetur. Non est sub hominis potestate non mori, quia nasci humani non exstabat arbitrii. Rari sunt in hoc sæculo prosperi eventus, turbulenti vero sunt densissimi. Votiva debent esse pericula, ut virtus inhabitans examinetur. Cessantibus ventis, nec probatur, nec cognoscitur gubernantis peritia. Congruit famulis Christi probari calamitatibus et sub pressuris, et angustiis excrescere ad modum ignis succensi. Talibus exercitationibus, hujusmodi certaminibus virtus crescit, et dilatatur : et portum attingit optandæ felicitatis. Audi Paulum dicentem : *Quoties*, inquit, *infirmor, tunc verius probor : et placeo mihi in infirmitatibus meis* (*II Cor.* XII). Usus frequens laborum, robustissimum cornus efficit, otium et desidia virtutem faciunt abjectam et dissolutam.

CAPUT XXI.

Audite, mulieres, quibus dolorum amicus est, quæ luctum acerbiorem exercetis, quoniam vestigia illorum qui fidem non habent imitamini, quorum plerique pro suis mortuis dissecant facies, dilacerant carnes, et capillos evellunt. Dic, mulier, quare luges, si credis quia resurget? Mihi crede, dormit. Irrepens somnus clausit oculos. At, inquies, fortasse, propter familiaritatem, opitulationem et curam rerum quam gerebat, et propter alia multa quæ administrabat. Verum cum puerum perdis, qui obsessus ab infantiæ debilitatibus omnifariam inefficax exsistit, et ad omne opus inutilis. Quare ploras? Quid requiris? Bonæ, inquis, erat indolis, et ideo fructum præstolabar : ex me genitus erat. Idcirco maritum conqueror ereptum, pro filio lamentor : ob hæc fleo, dissecorque. Non ut incredula quo minus resurgant, sed magna spe viduata, et privata solatio. Caput mihi ablatum est, domesticum amisi. Qui omnium consors fuerat, cujus præsentia refovebat, qui consolabatur, exstinctus est. Hæc defleo. Scio quia resurget, sed nequeo sustinere patienter, quæ interponitur, separationem. Multa rerum perturbatio me circumvenit. Omnibus exponor injuriis. Clientula quæ prius me reverebatur, nunc despicit. Insultat nunc mihi, quisquis aliquid mali sub ipso passus est, et in me iram suam declarat. Hæc sunt quæ me æquius quod accidit non permittunt ferre. His et similibus irritatur animus, spiritus acescit, et tota colliquescit corporis machina. Quod remedium huic dolori præstabitur? Quis sermo tristitiam mitigabit, et expellet de illius animo

CAPUT XXII.

Primum ergo redarguenda est, quoniam non sunt hæc doloris causa, et irrationabilis passionis. Nam, si hæc deplorares, oportebat ut semper lugeres illum qui obiit. Sed, antequam prætereat annus, obliviscaris, ac si non fuisset, maxime si secundo nubere volueris. Sed talem in præsentiarum non quærit oratio; at eam quæ mariti torum intemeratum custodiat. Tu quare luges puerum, quare maritum deploras? Et hunc quidem, quia fructum non ediderit, illum vero quia præstolabaris, ampliorem. Quantæ incredulitatis et perfidiæ est arbitrari, quod maritus vel filius te in securitate statuat, et non Deus? Quomodo non putas te ipsum exacerbare? Ideo tales tollit Deus de medio, ut non eis ita vehementer alligata permaneas, ut ab illis spem tuam amoveas. Nam Deus æmulator est, et nobis ab omnibus diligi vult, quia multum amat ipse nos. Scit enim consuetudinem immoderate amantium vehementer zelotypam esse, qui potius animam dare vellent, quam suis amatoribus displicere. Propter hæc dies temporis illorum detruncat. Non erant antiquitus viduæ neque infantes orphani. Quare Abrahæ et Isaac multo permisit tempore vivere, quia, dum viverent, Deum suæ voluntati præposuerunt. Dixit enim ad Abraham : Macta, et mactavit. Similiter autem et Sara ideo consenuit, quia Deum magis audivit quam se : sed neque propter filium, neque propter maritum Deum exacerbavit. Nunc autem quia declives, o mulieres, estis, vestros viros Deo præpo-

nitis, ideo ipse vos invitans ad sui ipsius desiderium abstrahit. Noli diligere maritum plus quam Deum, viduitatem aliquando non senties. Vis audire quomodo amandus est Deus? Non primo patrem aut matrem, deinde Deum diligas; non filii, vel filiæ plusquam Dei charitate tenearis. *Qui amat*, inquit Christus, *patrem aut matrem supra me, non est me dignus* (*Matth.* x). Ama virum tuum ut carnem, ama et Deum, sed ama illum non ut carnem et sanguinem, sed ut spiritum (*I Cor.* vi). *Qui enim adhæret Deo, unus spiritus est* (*Matth.* xxii). Deum quidem primo loco debes diligere ex toto corde, et ex tota mente, et tota virtute, proximum vero tuum sicut teipsum. Non debes diligere proximum ex toto corde, mente, atque virtute. Rursum inquit, *diligite inimicos vestros* (*Matth.* xxii), non addidit ex toto corde, nec diligite inimicos vestros ut vosmetipsos, sed tantum, *diligite inimicos vestros*. Sufficit eis quod diligimus, et odio non habemus. Deus igitur præ omnibus diligendus est (*Matth.* v). Quod si Deum magis amas, noli flere. Nam qui magis diligitur, immortalis est, et non permittit ut minus dilecti sensum accipias doloris. Ideo B. Job nihil animum discruciavit, audita filiorum morte repentina (*Job* i). Quid dicis, o mulier? Maritus et filius assistebant, Deus autem non opitulabitur tibi? Quis illum tibi dedit? Nonne ipse, te quoque qui condidit? Nonne ipse? qui quidem de non esse perduxit ad esse, animam insufflavit, intellectum tribuit, mentem inseruit, qui filio suo unigenito pro te non pepercit, tui obliviscetur, et servus memor erit? Hæc verba sunt plena ferventissimæ indignationis. Maritus tuus si tibi benefecerit, vicem accepti reddidit beneficii. Sed in Deo nil tale habemus dicere. *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* Nam bonorum nostrorum non indigens, benignitate sola humano generi beneficia præstat regnum tibi promisit, vitam incorruptibilem, adoptionem filiorum tribuit, et cohæredem unigeniti sui te fecit. Tu vero post tanta beneficia, nati potius aut mariti reminiscerisl Quid tibi ambo dederunt? dolores, labores, contumelias, improperia, increpationes, multiplices molestias. Deus autem solem suum super te oriri fecit, imbrem serotinum et temporaneum tribuit, et hornotino pane, vino atque oleo te reficit. O quanta magnitudo. Ideo aufert tibi virum, ut magistrum requiras. At tu viro abeunte hæres, et Deum derelinquis, inquiens: vestibus auro textis vestiebat me, pectus monilibus adornabat. Annulis fulgentibus, armillis discriminalibus, Eoo sideri similem efficiebat. Certe si feres, ornatu multo decentiore ornaberis. Nonne sobrietas te facit admirandam cunctis? Habet rex iste pretiosas vestes, intextas varietatibus. Quibus anima operitur, ut non fiat contemptibilis præda dæmonibus. Tunc ordini famulorum dominaberis, si forte possidebas. Tunc incorporeæ virtutes, principatus tibi et potestates famulabuntur. Sed et pupillos et orphanos quis pascat sollicitaris? Pater orphanorum, et judex viduarum alimenta ministrabit superstitibus et utrinque afflictis: ipse Dominus ac Salvator loquitur: *Nonne anima est plus quam esca, et corpus plus quam vestimentum?* (*Matth.* vi.) Deum habes patrem, et esuriem metuis? Quod quidam homines incedunt magnifice etiam cum hominum maxima frequentia, non alicujus est hic emolumenti. Si vis. in cœlo tibi licet militare, et in illo adnumerari exercitu. Qui illic eliguntur, non in equis, sed feruntur in nubibus. Non habent mortales exploratores, sed ipsos angelos. Non mortali assistunt regi, sed immortali. Respice in cœlum, et vide quanto aula regia sit splendidius. Quod si regia superior ista adeo ab hac inferiore distat, ut illius comparatione hæc lutulenta videatur, quisquis illam adeptus fuerit, qua non erit dignus beatitudine? Si ergo resurrectio et nostrorum corporum renovatio est in certissima spe, nullus locus querelæ relinquitur. Sane ut hujuscemodi spe fovearis, carnem nostram, quam Filius Dei assumpsit, nec in terram abscondit, sed in cœlos asportavit, depositum suum requisivit, et quod potestate deposuerat, repetiit. Ipse resurrexit, præparavit viam, januas aperuit, ergo et nos resurgemus.

CAPUT XXIII.

Quoniam igitur eo ventum est, ut de resurrectione disputandum sit, quam Antichristus diesque Domini præcedent, prælibatis quæ de Antichristi adventu, et de die Domini dictu digna existimavi, hic elaborabit oratio, ut quanta est mortis, tanta penes unumquemque aboriri debeat resurrectionis certitudo. Antichristi adventum et omnium mortuorum universalem resurrectionem Daniel propheta non in caligine asserit, sed in manifesto. Nam inter cætera hæc de Antichristo vaticinatur: *Et dominabitur*, inquit, *thesaurorum, auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyas quoque et Æthiopias transibit. Et fama crebrescet de eo ab oriente, et ab aquilone, et veniet in fortitudine magna, ut conterat et interficiat plurimos: et figat tabernaculum suum ante Dominum: inter duo maria super montem inclytum et sanctum, et veniet usque ad summitatem ejus, atque nemo auxiliabitur ei* (*Dan.* xi). Quæ omnia Porphyrius Antiochum fecisse falso commemorat. Nam Antiochus Libyam Antippiamque tenuit. Sed Antichristus ut Libyam et Æthiopiam expugnaverit, est auditurus de aquilonis et orientis partibus, adversum se bella consurgere. Qui veniens cum magna multitudine, interficiet plurimos et figet tabernaculum suum in Appadano non longe ab Jerosolymis posito, juxta Nicopolim quæ prius Emmaus vocabatur, ubi incipiunt Judææ provinciæ montana consurgere. Denique deinde se erigens, usque ad montem Oliveti ascendet, ibique figet tabernacula sua inter duo maria: quorum alterum appellatur mortuum ab oriente, et alterum mare magnum, in cujus littore Cæsarea, Joppe, Ascalon Palestinæ civitates sitæ sunt. Tunc venie: ad summitatem provinciæ illius, ad verticem montis Oliveti, quæ inclytus vocabatur et sanctus, quia ex eo Dominus et Salvator

noster ascendit ad Patrem. Nullus poterit Antichristo tamen auxiliari, contra illum Domino sæviente. Nam ibi est periturus ille impius, unde ascendit ad cœlos Salvator noster et Dominus. Idem propheta in consequentibus ait : *In tempore illo consurget Michael, princeps magnus, qui stat pro filiis populi sui.* Nam, ut hic propheta innuit : Michaeli archangelo cura tradita Judæorum, ut resistentes eis in confusionem et fugam convertat. Qua de re Antichristo Judæos opprimenti, occurret Michael ex adverso, ut Elias, qui veniens adventum denuntiabit Salvatoris, ut credentes præmium salutis consequantur. Deinde exuberantiam malorum enarrans, quæ ille consummaturus est, subdit : *Et erit tribulatio qualis non fuit, ex quo gentes esse cæperunt, usque ad tempus illud* (*Dan.* XII). Etenim tempore Antichristi, futura est tribulatio, qualis nec ante fuit, nec postmodum futura est. Cum igitur Antichristus oppressus fuerit, et spiritu Salvatoris exstinctus, *salvabitur populus qui scriptus fuerit in libro Dei.* Librum Dei præscientiam appellat, quasi ita diceret : Qui digni reperientur, ut a Deo prædestinati, Eliæ prædicationi obedient. Et pro diversitate meritorum, alii resurgent in vitam æternam, alii vero in opprobrium sempiternum. Apparet certe, quod communem omnium resurrectionem propheta pronuntiat (*Dan.* XII). Opinantur quidam ex hoc loco doctores in resurrectione cœli similitudinem habituros, et stellarum fulgori, qui alios erudierunt, comparatum iri (*Apoc.* XII). Non enim sufficit scire sapientiam, nisi et alios erudias. Tacitus enim sermo doctrinæ alium non ædificat, ideoque mercedem recipere non potest. Cui enim merces aliquando reddita est pro otio ? Volunt ergo tantum distare virum sanctum et eruditum, a viro sancto et simplici, quantum distant cœlum et stellæ. De Antichristo Apostolus sic loquitur : *Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thes.* II) : *ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus* (*Matth.* XXIV). Manifestas facit in loco vias Antichristi Apostolus, et magna revelat mysteria, et ipsum etiam Antichristum. Quem discessionem et hominem peccati nominat, uti daturum multos discessioni atque perditioni a fide ut etiam scandalum in electos ipsos, si fieri queat, injiciat, uti innumera facinora operaturum, quibus sequaces suos dabit in præcipitium. Filius quidem perditionis idem Antichristus vocatur, quia per eum veniet in mundum perditio. Homo non Deus, totus peccati et diaboli servus, non per naturam, sed per imitationem : homo, non angelus, qui adversabitur Christo, et membris ejus, inde Antichristus appellandus. *Extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*II Thess.* II), falsa seu vera opinione, diabolum ex integro suscipiens, cum ipsius actibus. Verum idolis nullum obsequium præstabit. Non enim idololatra erit, sed Deo nostro per omnia contrarius. Omnes deos gentium ut muta simulacra confringet. Nullius penitus imagini cultum exhibebit, quia se solum pro Deo jubebit adorari. *Sedebit in templo Dei*, in Ecclesia *ostendens se tanquam sit Deus.* Qui merito nominatus est discessio. Siquidem ipso veniente, in voluptatibus plerique lascivient, filii patribus insidiabuntur. Conjux imminebit mariti exitio, doli erunt in pretio et fraudes. Amor habendi sceleratus, princeps erit cordium humani generis. Ipse vero Antichristus, ut pessimæ generationi satisfaciat, opes malorum irritamenta, effodiet et exponet. Qua de re bella exorientur, concutientur arma, pietas vincetur, amor fratrum nullus habebitur, ratio erit unicuique quidquid affectus persuaserit. In servos inhumani erunt domini, neque servi dominis subdentur. Canitiem nullus reverebitur, pulchritudinis juvenum miserebitur nemo, templa Dei erunt despectui. Ecclesiarum subversiones ubique fient. Sacræ Scripturæ, vel leves fabulæ spernentur. Aures illius discessionis complicium maledictis, blasphemiis, mendacio, irritationi obtemperabunt, impudicis cantibus et abominabilibus sonis delectabuntur, invicem se criminabuntur, instigabunt ad lites, calumnias movebunt, et quæcunque indigna sunt Christiano, effutient. In omnem lasciviam proruent, in omnem libidinis gurgitem volutabuntur infrenes : obscenis et fœdis cupiditatibus penitus inhiabunt. Veneficia, incantationes ab his qui nominabuntur Christiani, palam exercebuntur : pseudoapostoli et falsi prophetæ ad invicem insurgent mentientes, avari, perjuri, detractores lupi fient, sacerdotes Christi amplexabuntur mendacia : monachi adhærebunt his quæ sunt hujus mundi. Divites immisericordes erunt, pauperum principes non miserebuntur. Judices iniqui manibus datis magno studio servientes, sacrosanctam, et penitus necessariam domum justitiæ justo præcludent, nec legum examina servabunt, sed excæcati donis, injustitiam sectabuntur. Sed quid nostrorum hominum detestabilia enumero facinora ? Elementa mundi, præscriptas leges deserent. Nam terræmotus erunt per omnes civitates, per omnes regiones validissima fames. Tonitrua tristia, coruscationes horrendæ, domos et villas incensuræ. Ventorum conflictibus dispergetur tellus omnis. Nodosa robora subvertentur, æther insonabit et e nubibus ignes exsilient. Ab imis sedibus æquora concutientur molimine ventorum. Terra contundetur magnitudine grandinis : hiemis acerbissima incommoditas, gelu asperitas intolerabilis, æstus immoderatus. Repentina fulgura, et inopinata incendia emergent. Et ut simpliciter sit dicere, fletus, luctus sine spe consolationis, omnem animam viventem invadent. Etenim ubi abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Cum igitur Antichristi tempore concordia tantam cladem passura sit, discordia inundante, jure pestis illa nuncupatur discessio (*Gen.* XLVII), qui nasciturus est de tribu Dan : sicut Jacob prophetavit : *Dan*, inquit, *coluber in via et cereastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus*

retro (*Dan.* XII). Serpens cerastes cornutus esse perhibetur, per quem digne significatur Antichristus, qui contra vitam fidelium morsu venenosæ prædicationis armabitur. Equus hunc mundum significat, ungula vero equi, finem mundi. Ungulam equi mordebit Antichristus, quia extrema vexabit feriendo et retro cadet, quia ex hac vita plenus iniquitatis et malitiæ ex divinitate repente corruet, ad supplicia æterna distrahendus, quod Apostolus aperte insinuat dicens : *Tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* (*II Thess.* II). Veniet Antichristus, sed non est timendus, quia Dominus Jesus interficiet eum virtute Spiritus sancti, qui dicitur Spiritus oris Christi, quia ab eo procedit. In tempore Antichristi de medio tolletur regnum Romanorum, ut sancti doctores perhibent. Quemadmodum enim regnum Medorum a Babyloniis destructum est, Persarum a Macedonibus demolitum ; Macedonibus autem Romani principatum abstulerunt : sic Romanum imperium ruinam per Antichristum sentiet. Ipse vero Antichristus destruetur per Christum Dominum liberatorem nostrum. Illius quidem Antichristi adventus erit secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seditione iniquitatis. His quidam peribunt eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Sic peribit brachio Christi Antichristus pestifer, ut minuta animalia magno superveniente incendio videas, idque haud immerito. Quippe operatio illius in falsitate, non in veritate erit. Magica enim arte homines eludet et phantasia, ut Simon magus fecisse credendus est, qui quod non faciebat, facere videbatur. Multa et insueta faciet Satana Antichristus, tunc soluto, docente semitas omnis erroris, omnis figmenti, omnisque Deo adversi. Inde est quod minis, blanditiis et omnibus modis seducet eos, qui dediti sunt animalibus affectibus, qui Christum non receperunt, in quo promissa omnia sunt completa. Æquum certe est, ut qui non receperunt veritatem, perditionem inveniant. Omnia igitur quæ facturus est Antichristus, aut phantasticæ erunt illusiones, mendacii cujuslibet plenæ : aut ludibria falsas insanias inferentia perituris. Hic quidem, ut Daniel inquit, sermones contra Altissimum loquetur, et sanctos Altissimi conteret, laborans mutare tempora et leges. Nam tres annos et sex menses contra sanctos sæviet Antichristus, quos dum superaverit, erigetur in superbiam, ut leges Dei et cæremonias mutet. Completo autem trium annorum spatio cum semestri additione, præsidebit judicio ; ut auferatur potentia, et conteratur et dispereat usque in finem. Quare, inquis, Deus hoc permisit fieri ? Quænam est ista dispensatio ? Quod lucrum ? Quis fructus ? Quæ fiducia in adventu illius ? Cum ad perniciem nostræ generationis venturus sit ? Beatus Paulus ait, quia in his qui pereunt perutilis est adventus ejus, quia nisi sibi venisset Antichristus, prætendere causam possent injustæ damnationis (*II Thess.* II). Quid vero hic commodi ? Quoniam illi iidem qui pereunt, quodammodo examinabuntur. Nam sive venisset Antichristus, sive non venisset, illi Christo minime fuerant crediturí. Veniet ergo Antichristus, ut arguantur incredulí perfidi, ut non sint dicturi, quia Deum se quidem dicebat Christus. Nos vero ex lege didicimus, quoniam unus Deus ex quo omnia, ideo non credimus. Hanc illorum Antichristus excusationem infirmabit. Quippe cum ille venerit nihil sanum præcipiens, nihil integre faciens, mendacibus phantasiis, et fictis prodigiis os suorum discipulorum oppilabit. Etenim si Christo non creditis, nulla ratione Antichristo debueratis credere. Ecce Christus dicebat a Patre se missum fuisse. Antichristus vero contrarium asserebat. Ideo Christus dicebat ad Judæos : *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me, si alius venerit in nomine suo illum suscipietis* (*Joan.* V). Scio dicturi estis : Stupenda in conspectu nostro signa fecit, miraculis coruscavit, monstravit prodigia (*Act.* X). At vero Christus multa et magna operatus est. Cui prophetæ omnes testimonium de bono perhibent. Sicut e diverso de Antichristo testimonium detestabile reddunt, siquidem filium perditionis secundum operationem Satanæ, ac discessionem eum cognominarunt.

CAPUT XXIV.

Veniet quidem Antichristus multimodam persecutionem in Christianos facturus. Sed noli formidine concuti, quia in his qui pereunt, efficacia malitiæ ipsius nidificabit. Nam Elias tunc veniet ad confirmandum credentes, ut in Evangelio scriptum est : *Elias venturus est, et restituet omnia* (*Luc.* I). Ipse enim Hebræos, qui tunc inventi erunt, cum a sorte paterna quasi exciderant, restituet ; et prophetiam Evangelii reducet ad eorum memoriam. Audite, inquiet, Salvatorem dicentem : *Si quis vobis dixerit : Hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exsurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos* (*Matth.* XXIV). Vos videte. Ecce vobis hæc omnia prædixit, ut non decipiamini. Nam, sicut fulgur exit ab oriente, et emicat in occidentem, ita erit adventus Filii hominis. Ideoque non indiget indice, qui omnibus utique manifestus erit, sicut fulgur quod apparet subito universis. Non enim de loco ad locum iturus est Christus, cum ad judicandum venerit, sed in ictu oculi aderit ubique. Et sicut ubi cadaver est illuc aquilæ congregantur, sic ubi Christus erit in nubibus raptim sancti venient. Et statim post tribulationem dierum illorum, veniente veri luminis claritate, sol et luna videbuntur obscurati splendore supervenientis lucis. Virtutes quoque cœlorum obstupescent, sentientes mundi renovationem, et omnes ab Adam homines usque ad illud tempus rationem reddituri judici illi magno. Tunc plebs Antichristum formidabit, lapsi a fide pavebunt, tunc miseri contremiscent Pharisæi, a quibus Christus interrogatus, quando veniet regnum Dei, respondit : *Non veniet regnum Dei cum observatione.*

Ecce regnum Dei intra vos est (*Luc.* XVII). Non est de hoc mundo regnum Dei, ut vos arbitramini, nec ita observabile. Non enim habet diffinitum tempus, sed volenti semper adest regnum Dei. Relinquite quæ mundi sunt non loco, sed animo; non proficiscendo, sed proficiendo. Et Deus regnabit in vobis. Et hoc quidem Pharisæis responsum dedit : ad discipulos autem dicebat :

CAPUT XXV.

Venient dies, quando desiderabitis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis (*Luc.* XVII). Cavete ne seducamini. Nam in judicio non concludar loco, non fovebo latebras, sed sicut fulgur ab extremo terræ usque ad aliud extremum coruscabo. Interea exspecto pretiosum fructum terræ, temporaneum et serotinum juventutis et senectutis. De illa die Domini Petrus vaticinatur. *Veniet*, inquit, *dies Domini ut fur, in qua cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur. Et terra, et ea quæ in terra sunt, exurentur* (*II Petr.* III) : per noctem quidem incertum, per furem vero insperatum Domini adventum significavit. Res enim nox usibus humanis subtrahit. David quoque de cœlorum transitu scripsit : *Initio*, inquit, *tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt et mutabuntur* (*Psal.* CI). Nisi forent cœli opera manuum Dei, nequaquam possent permutari, neque mutationem susciperent; si cœlum factum non fuisset, interminabile atque inalterabile foret. Nunc autem, quia Deus est factor cœlorum, potens est ipsos permutare cum voluerit, quia stabilivit cum non erant. Unum quidem solum est quod permutari non est, et quod semper manet idem ; in cujus substantiæ pelago nihil est semotum, nihil est obtensum, nihil futurum, nihil præteritum, Deus scilicet, apud quem unus dies sicut mille anni, et mille anni, sicut dies una (*Psal.* LXXXIX). Ideoque actus hominum et cogitatus non possunt latere judicem hujuscemodi, quin singulos in momento discutiat, singulis prout gesserunt, redditurus. Merito igitur cœlum transibit, quia Deus solus idem ipse est, cujus anni non deficiunt. Qua de re idem Apostolus scribit : *Novos cælos et novam terram, et promissa Dei exspectamus, in quibus justitia inhabitat* (*II Petr.* III). Idem Joannes in Apocalypsi confirmat, dicens : *Vidi*, inquit, *cælum novum et terram novam. Primum enim cælum, et prima terra abiit, et mare jam non est* (*Apoc.* XXI). Idem propheta Isaias concinit : *Ecce enim, ego creo cælos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora* (*Isai.* LXV). Et iterum : *Quia sicut cæli novi et terra nova, quæ ego facio stare coram me dicit Dominus, sic stabit nomen et semen vestrum* (*Isa.* LXVI). Renovabitur quidem homo in resurrectione, renovabuntur quoque cœli, maria et terra. Omnia enim hæc vanitati, id est corruptioni subjecta fuerant propter hominem. Sane quia corpus mortale homo induit et passibile : suscepit tantam maledictionem, et spinas et tribulos protulit. Cum ergo hoc immortale liberum statuetur a servitute corruptionis, æquum est ut creatura nostræ comes existens afflictionis, resumat vigorem prioris incorruptionis. Sicut cœlo et terra renovatis, mare jam non erit, quia vicissitudo mutationum, generationis et corruptionis prorsus in exterminium dabitur. Non est ergo ambiguum quin veniat dies, et Dominus judicii. Ecce Zacharias propheta ejusdem sermonis auctor est. *Veniet*, inquit, *Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus et gelu. Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox : et in tempore vesperi erit lux, et exibunt aquæ de Jerusalem ad utrumque mare* (*Zach.* III). Præsentis sæculi finem revelaturus propheta Christi de cœlo adventum ut judicet, orbi prænuntiat. Veniet, inquit, Dominus in gloria Dei et Patris cum sanctis angelis suis cumque prophetis et apostolis suis. David quoque idem concinit *Quoniam non repellet Dominus plebem suam* (*Psal.* XCIII), quoadusque justitia convertatur in judicium. Justitiam nominat Salvatorem, qui utique post resurrectionem in cœlum ascendit, ad judicium in novissimo reversurus ; et cum eo universi, qui recto sunt corde. Nunc quidem dies et nox ad invicem discernuntur per temporum diversitatem, sed postquam omnes peccatores frigus suum geluque contraxerint, una dies erit atque perpetua, nequaquam sibi luce et tenebris, die ac nocte succedentibus ; ipse Dominus lux erit omnium de quo Isaias : *Non erit*, inquit, *tibi sol in lucem diei, neque ortus lunæ illuminabit te per noctem, sed erit lux æterna, et Deus tuus gloria tua* (*Isa.* LX). Sed illi erunt in tenebris quos frigus enecaverit, et illi ambulabunt in lumine, qui secuti fuerunt apostolos et prophetas : tunc in tempore noctis erit per Christum dies. Sub cœlo enim ipse fulgebit, abolitis tenebris prorsus, ut nequaquam ultra cœlos sanctorum offendant. Illa dies soli Deo altissimo nota est. De illa die Christus ac Salvator noster dicit : *Diem illam nullus scit, neque angelus in cælo, neque Filius, sed solus Pater* (*Zach.* XIV) : verum in eo quod homo est filius ignorare dicitur. Nam in eo quod Deus, nihil eum latere poterit. Ab illa die Christus erit sanctis lumen perpetuum : ut Joannes dicit : *Et civitas non habebit necessariam lucem solis, quoniam Deus omnipotens lumen ejus erit* (*Apoc.* XXI). Ab illa quoque die juxta Zachariæ vaticinium, egredientur aquæ viventes de Jerusalem, quarum media pars ibit ad mare orientale quod vulgo appellatur Mortuum (*Zach.* XIV), eo quod nihil in aquis ejus possit vivere et media pars ad mare novissimum, quod ad Ægyptum ducit. In æstate Salvator noster, inquit, et in hieme ita erit, ut nec gelu constringantur hiemis, nec æstatis nimio siccentur calore. Nam pone diem judicii, effundet Salvator de cœlesti Jerusalem aquam vivam, spiritum super sanctos suos, sed non ut pignus. Quippe in templo penitus peccato, non erit ultra in nobis ad mensuram spiritus, imo plenitudine ipsius irrigabimur affatim : qui quidem congrue de cœlesti Jerusalem venire perhi-

betur, quia in cœlis habitare Deum omnium, sacra Scriptura manifeste denuntiat, et in cœlis quidem existens replet orbem terrarum. Quoniam vero sacris litteris consuetudo est, Spiritum sanctum comparare aquis, idem Spiritus dator testatur, dicens : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura : Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ :* quod Evangelista interpretatus est dicens : *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII), et attendendum quod eadem mensura, his qui ex Israel, et his qui ex gentibus crediderunt, gratiam Spiritus distribueret. Hoc enim per aquam vivificam significatur, cujus pars media effluet ad mare orientale, reliqua vero medietas ad mare novissimum. Et primum quidem mare, Israel nominavit, novissimum vero gentes : quæ post ipsum crediderunt. Nec Propheta dixit Spiritum sanctum dividi, et absque perfectione populo in utroque inveniri, eo quod medietatem huc, reliquam partem vero illuc exisse pronuntiavit. Imo vero magis confitendum est quod utrisque gratia ex æquo distribuitur. Nam medium et medium est æquilibrantis gratiæ designativum. Erit igitur illarum aquarum perfusio in hieme et in æstate, id est per omne tempus, ut de oriente et occidente veniant qui recumbant cum Abraham et Isaac, quando vox turturis audietur in terra, hieme transeunte, quando ver necessarium erit, quando flores apparebunt in terra, ut celebremus Pascha et Pentecosten, in quibus de terrenis transmeamus ad cœlestia, et omnes fructus nostros offeramus Deo. Tunc erit Dominus rex super omnem terram, quando dicemus : *Dominus regnavit, exsultet terra, et dicite in gentibus quia Dominus regnavit et correxit orbem terræ, qui non commovebitur* (*Psal.* XCVI) ; quando amovebit omnem errorem, ut nullam deinde alterationem sentiat. In justitia quidem judicabit, ut orbi judicium subeunti reddatur merces pro merito sanctitatis. In veritate autem, ut populis penes quos locum habuerunt Dei miracula, perfectionem largiatur scientiæ, ea cessante quæ ex parte est, orbem judicabit, non partem ; sed totum, quia non partem emit. Nam pro toto dedit pretium. Erit ergo æquitas et veritas in illo judicio. Quid enim æquius, quam electos statuere ad dextram, et reprobos ad sinistram ? In præsenti quidem vita omnes commisti sunt, nec boni a malis discernuntur. Tunc vero segregabit a peccatoribus justos, semovens eos a certaminibus ut faciat certos securitatis. Qua de re hos quidem hœdos, illos autem oves nominat. Hœdi, ut nostis, steriles sunt, et natura infecundi ; sed rationale animal ex libero sterilescit arbitrio, propter quod nulla excusatio suppetit. At ovium plurimus proventus est, lactis, fetuum, lanæ, carnium. Item, oves cum pabulum inveniunt, abundanter pascunt, atque id in semetipsis recondunt, ut tempore famis de ventre ad palatum referentes, pro alimentis iterum ruminando habeant. Has imitare, quarum nomine appellatur, qui Deum diligit. Nunc rapiendum est regnum Dei, nunc prælibandus est cœlestis cibus, et in ventre cordis servandus, ut in tempore resurrectionis, membra omnia protegantur, et foveantur in illius revelatione. Nunc spiritu vivendum est, nunc sinistris abrenuntiandum actibus, ut a dextris locus reperiatur, ubi Filius Dei, qui Patri consubstantialis est, sedere decrevit. Porro qui a dextris erunt, communem licet cum omnibus habituri sint resurrectionem, insigne tamen quiddam præ aliis obtinebunt. Vehementi quippe irradiabuntur splendore a Deo, ut lucifero orbi videantur æque coruscare, sumentes pennas ut aquilæ. Nimirum si aquilarum corpora earumdem animæ, dum vigent sustollunt in æthera, multo proclivius credere est humanos spiritus sua post resurrectionem corpora inferre sideribus. Aquilæ quidem sancti nominantur, eo quod in excelsum obviam Christo ituri avolabunt. Et qua sicut aquilæ solem ipsum intuentur absque reverberatione, ita justi a servitute corruptionis exuti, veræ lucis radios, Christum scilicet intuebuntur venientem in nubibus, sicut in Apocalypsi legitur : *Ecce veniet cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super omnes tribus terræ* (*Apoc.* I). Sicut enim in nube ascendit, ita in nube veniet, quæ quidem sanctis erit refrigerio, impiis vero terrori, ut in deserto nubes Hebræos refrigerabat, et cruciabat Ægyptios. Similiter autem ignis qui judicem præcedet, bonos illuminabit, et inimicos ejus inflammabit in circuitu. Qui plangent se super eum cum viderint ignem æternum sibi paratum, et contemplantes gloriam, a qua tollentur, intolerabili angustia et dolore cruciabuntur. De illo adventu similiter Daniel Propheta vaticinatur : *Aspiciebam*, inquit, *in visu noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem quæ non auferetur, et regnum quod non corrumpetur* (*Joan.* VII). Deleto enim Romano imperio, et mortuo Antichristo jam ultra non erit terrenum imperium, sed sanctorum conversatio, et adventus filii Dei triumphantis. Regnum autem Christi sempiternum erit et potestas. Nam diaboli potestas, imperfecta est, et terminum habebit. Plerumque enim vult nocere et non potest, quantum accepit, tantum fecit. Cujus virtus et potestas in die judicii evacuabitur, et cum suis sequacibus æternis destinabitur cruciatibus. Hanc diem expavescens propheta inclamat : Ut quid timebo in die mala : iniquitas calcanei mei circumdabit me. Diem malam vocat diem cladium, diem pestium, diem suppliciorum. Talis est futura peccatoribus in judicio illo terribili. Dies illa calamitatis, ideo absolute dies nominatur, quia omnia nudabuntur, quæ occulta erant, et manifestabuntur in ea. Illa quidem dies iræ mala quoque nuncupatur, quia malis plena causa condemnationis erit. In illa miser timebit, cujus calcaneum ipse truculentus tyrannus vulneravit observando, et blanda suggestione

præcipitavit in sententiam libidinis. Diabolus quidem hominum calcaneo insidiari certissimo perhibetur, quia finem vitæ mortalium nimium alioqui ærumnosæ, maxime custodit, ut suffocet spiritum, decipiatque eum ante discessum, quatenus post exitum, inextricabili retinaculo pestilentis malitiæ suæ protrahat ad supplicium interminabile. Calcaneus interdum deceptionem significat, ut levavit super me calcaneum suum. Hujusmodi res peccatum est. Allicit enim, illaqueat et decipit. Unum igitur solum est, quod in die homo debeat timere. Non paupertas, non ægritudo, non ignobilitas, sed tantum certe timenda est macula sceleris, et vitæ iniquitas, ne in die mala comprehendat te. Dies illa finis est humanæ dieiet principium diei Domini. Ideoque permultum formidabilis. Nam in die sua, quod volebat operabatur homo. In die vero Domini tollitur actus, cedit effectus, et omnis exstinguitur potestas arbitrii. Sistetur in judicio purissimis angelorum conspectibus : ubi prorsus secreta conscientiæ reserabuntur. Quisque seipsum demonstrabit, et quæcunque fecerit confitebitur absque peregrinorum allegatione testium : operibus quæ fecerat, palam astantibus, et testimonium perhibentibus, cui contradici non possit. Manifestum ergo est quod erit judicium atque resurrectio corporum.

CAPUT XXVI.

Pereat igitur secta Sadducæorum, qui dicebant non fore corporum resurrectionem, quibus Salvator et magister noster tale responsum dedit : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium* (*Matth.* XXII ; *Marc.* XII). Docet procul dubio in hoc loco resurrectionem corporum vere futuram, sed non qualem sadducæi arbitrabantur. Ipsi enim putabant quod post resurrectionem nuptiæ, partus et coitus reformarentur : et quod iterum homines vitam morte finirent. Unde dicitur eis : *Erratis, et Scripturas non intelligitis.* Si Scripturas cognosceretis, sciretis utique quod Deus non est mortuorum, sed Deus viventium. Et si virtus Dei vobis ita nota fuisset, profecto crederetis, quia omnia Deo possibilia sunt, et quod homines resurrectione, angelorum similimos facturus sit. *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham, Isaac, et Jacob.* Non est Deus mortuorum, et eorum qui non sunt, sed eorum qui permanent et existunt. Si Abraham atque cæteri ad nihilum devenissent, Deus nequaquam dixisset : *Ego sum Deus Abraham*, sed fui. Licet enim mortuus sit Abraham, et cæteri, spe tamen vivunt resurrectionis. Paulus quoque magistrum secutus ait : *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Et rursum : *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur corpus animale*, pingue scilicet et passibile : *surget corpus spiritale* (*I Cor.* XIII), inalterabile, impassibile et tenue : quale fuit corpus Domini Salvatoris post resurrectionem : quod quidem januis clausis ad discipulos introiit, non escarum indigens, non somni, nec alicujus talium. Sed dicit aliquis : Quomodo resurgent mortui ? O insipientiam ! o incredulitatem ! Qui pulverem in corpus voluntate sua permutavit, nonne dispertita coadunabit ossa ? Quod si adhuc dubitas, opus tibi tuum fidem faciat. Tu quod seminas non vivificatur nisi moriatur prius. Et cum tu seminas, non corpus futurum seminas, sed nudum granum : ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. Non enim seminas herbam vel stipulam, vel quæ in palea sunt multiplicia tegumenta granorum, cum quibus tamen semina exsurgunt. Deus autem dat grano corpus cum palea, et arista, sicut vult. Sicut ergo semen vestitum resurgit cum multo incremento et decore, ita mortuus Dei virtute potest vivere et corpore resurgere glorificato. Unicuique semini dat Deus proprium corpus, quod naturaliter debet habere. Non omnibus granis idem corpus dat ; sed unicuique suum ; tritico tritici, et ordeo ordei. Considera igitur in sulcis tanquam in sepulcris semina humari : quis radices inserit, stipulas præstat, folia et aristas ? Nonne omnium factor et conditor ? Sic itaque crede mortuorum resurrectionem futuram esse. Itaque Apostolus : *Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit : ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo* (*I Thess.* IV, 13), Christus quidem surrexit a mortuis, primitiæ dormientium, ut credamus, quod eadem potestate, qua ipse resurrexit, ac virtute in die novissimo debeat nos excitare. Etenim Christi resurrectio, chirographum est universalis omnium resurrectionis. Si mortuorum resurrectio futura non esset, neque Christus resurrexisset. Ideo utique ipse resurrexit, ut inveniretur primitiæ dormientium. Si Christus non resurrexisset, inanis esset apostolica prædicatio ; inanis esset et procul dubio fides nostra. Si Christus non resurrexerit, quomodo apostoli signa in nomine ipsius fecerunt ? Et si signa non fecerunt, quomodo gentilis populus piscatoribus et idiotis credidit ? Quod si Christus seipsum mortuum non potuit suscitare, neque peccata mundi tulit, neque infernum exspoliavit, neque mortem destruxit, neque paradisum aperuit, et sic omnes qui dormierunt in Christo perierunt. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Christi resurrectione omnes resurgent, eo quod ipse solus sine peccato inventus fuerit. Sed unusquisque in suo ordine resurget : primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Fideles quidem in illa die resurgent primi, Christo de cœlis ad judicium descendente, in voce archangeli, et in tuba Dei. Et ii quidem, qui justitiæ merito pollebunt, bono misericordiæ sublimati rapientur in nubes obviam Christo in aera. Impii vero et peccatores, judicem in terra exspectabunt, ut rei, ut condemnati, ut sulphureis ignibus addicti. In tuba et voce archangeli descendet, quia per uni-

versum orbem dispersos in terræ pulverem, quasi ad bellum tuba milites convocabit, et ad solemnitatem æternæ gloriæ invitabit. Sed et illos qui tunc vivi erunt, celerrimo raptu in mortem, et rursus mortuos in vitam permutabit. Græci tamen illos, qui tunc vivi reperti erunt, non morituros, sed de mortalitate in immortalitatem mutandos tantum putant : quod Epistolæ Pauli ad Corinthios testimonio firmant : *Omnes quidem*, inquit, *resurgemus, sed non omnes dormiemus* (*I Cor.* xv, 51), id est, moriemur ; in Latino autem habetur, non omnes immutabimur : quod Ambrosius exponit in gloriam, scilicet beatitudinis. Quare animarum resurrectio exspectanda non est, sed corporum, quæ ipsæ incoluerunt. Quippe si nihil aliud mors est, nisi separatio animæ a corpore, resurrectio erit prorsus utriusque copulatio, et dissoluti et omnifariam dilacerati restauratio. Ipsum igitur corpus quod dispersum et dissipatum fuerat, in momento reformabit. Si mortui non resurrexerint, animalia bruta multo nobis essent præstantiora, quippe quæ sine tristitia cæterisque ægris affectibus vitam ducunt. Si immortalitas frustra speratur non providentia divina, sed casu, humana cæteraque reguntur. Nonne quam plurimos cernimus justos egentes, angustia septos, nihil habentes consolationis : peccatores autem et iniquos locupletes, potentes, affluentes deliciis? Quis non compositæ mentis hoc justi judicii, et sapientis providentiæ opus suspicetur? Erit ergo mortuorum resurrectio, quia justus est Deus singulis prout meruerunt, præmia redditurus. Quid in hoc sæculo boni, Joannes Baptista, et Jacobus frater Domini, ut alios taceam, quorum virtus maxima fuit, habuerunt? Quantis Nero nequam, et pessimus Herodes inundaverunt deliciis? Hæc qualis, Dei justitia putaretur, si congrua his et illis non redderetur merces? At vero reddi nequit, nisi corpus animæ restituatur. Profecto æquum est, ut animæ, quæ in corporibus de virtute seu vitio contenderunt, in eisdem corporibus accipiant coronas, vel cruciatus. Præterea talis successionis ac permutationis terminus, non modo fide, verum necessitate quadam præstolandus est. Non enim semper hominis natura influet et effluet, ut per sibi succedentia, recta deorsum linea propagetur, non inveniente finem successione filiorum. Omnis quippe natura superiorum æternitati sortita numerum, in propria plenitudine consistit. At natura hominum, similis est superiorum. Quare conveniens est, ut deserta propagatione finem aliquando nanciscatur consummationis. Nimirum, si semper in propagatione versaretur, semper foret deficiens nunquam adeptura statum, nunquam inventura perfectionem, quæ in naturis sunt amplissimæ commendationis. Ad hæc si numerus creationis animarum semper augendus esset, nullus unquam numerus illius creationis fuerit extremus. Quod si nullus extremus est, non est penes Deum scientia, quot animas creaturus est. Sed hæc existimare, patens est quam sit abominabile. Attinget ergo plenitudinem humana vita : consistet prorsus radicalis. Hæc naturæ promotio est, superveniente corporum resurrectione. Natura vero extremum terminum de necessitate cum est complexa, status huic vitæ alius succedet, ab ea vita, quæ in generatione ac corruptione versatur, separatus. Sed generatione cessante, nec quod dissolvatur erit, siquidem alterius generatio, alterius est corruptio. Terminabitur ergo aliquando augmentum numeri creationis animarum. Quare cessabit prorsus corruptio, et sequetur vitæ indissolubilis atque interminabilis beatitudo exoptanda. Deniquè propheta Ezechiel de resurrectione mortuorum loquitur : *Ossa*, inquit, *arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his : Ecce ego intromittam vobis spiritum, et vivetis. Et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum, et vivetis et scietis quia ego Dominus* (*Ezech.* xxxvii). Ecce hic propheta corporum resurrectionem manifeste futuram denuntiat. Sed tu inquis : Ille naufragium ubi fecit, ponto in medio periit, quem piscium multitudo devoravit. Pisces hi capti mortalium usui cesserunt; at iis qui pasti sunt forte a feris dilaniuntur. Feræ rursus venatorum industria prostratæ, gulæ humanæ, satisfaciunt. Naufragus vero ille qui tam varia mutatione multis animantibus nutrimento fuit, qua ratione, quæso, in horrendo illo die resurrexerit? Quare hoc dicis, homo, et deliramenti telas contexis, et quasi dubius hæc ponis? Quis est qui pulverem colligit de humo? Dic : quid si in mare delapsus non est, neque a piscibus devoratus, neque pisces a piscibus, et hi postea ab hominibus infinitis : et ita deinceps : sed exsequiarum ritu peracto, locetur in mausoleo qui obiit, et neque vermes, neque aliud quippiam ullum detrimentum inferat, quomodo resurget, quod penitus omnimodæ dissolutioni subjacet? Quomodo cinis et pulvis se recolligent. Unde flos reliquus adveniet corporis? Certe corporis toties devorati, et hujus quod nullam talem sensit alterationem æque difficilis est resurrectio. Quid miraris, quid dubitas de resurrectione? Num ignoras quod omnis vita corporis fit a corruptione? Omnis plane. Omnia semina dicto modo attolluntur in vitam. Nonne vides ficum, quantum quidem habeat stipitem, quantum truncum, quot ramos, quot folia, quot radices in alto defixas. Hæc quidem quæ tanta cernitur quasi de milii grano? et illo prius putrefacto exorta est. Nam nisi prius putrescat et dissolvatur, nihil horum quæ dicta sunt, consequitur. Vitis quoque quæ tam pulchra est, lateque suam propaginem spargens, et visu delectabilis, de humili acino nascitur : quod quidem granum non solum in lignum, et pampinos, verum etiam in vinum permutatur, atque racemos. Explicet qui potest, qua ratione illud modicum in tanta, et tam varia vertatur. Sed non suppetit respondendi ratio. Considera humanum semen, quod tibi est vicinius, qua ratione post conceptum vertitur in oculos : quomodo in aures, quo

modo in manus, quomodo in cor, quomodo per tam diversa insigniatur et coaptetur. Nonne innumeræ differentiæ sunt in corpore : figurarum, magnitudinum, qualitatum, positionum, virtutum, ordinum. Membra quoque diversa : nervi, venæ, carnes, arteriæ, articuli, et alia plura : quorum penes medicos consideratio est, quæ nostram naturam constituunt ex modico semine. Nonne videtur tibi hoc illo multo magis in dubium vocandum? quod humidum est et molle in os, quod est durum et frigidum densatur, quomodo in carnem, quomodo in nervum, qui est tener et frigidus? Unde hæc omnia? Edissere si poteris. Nunquid hujusmodi non ambigis, intueris quotidie resurrectionem fieri et mortem in ætatibus? Quomodo juventus abiit! unde venit senectus? Quomodo qui consenuit, non potest facere ut juvenescat? Puerum quidem gignit infantulum : quod sibi non potest præstare, alii præstat absque difficultate : hoc in arboribus, hoc est in animalibus videre. Quanquam quod alii quidem præstat, secundum humanam rationem prius possidere debeat. Sed ubi Deus artifex est et conditor : et omnis humana cesset inventio, et disputatio. Cum itaque super vite ac fico, et cæteris hujusmodi, sensus hebescat humanus, quid in operibus quæ solius Dei sunt, assumis negotium disputationis? Sed dicis quia quod fit, non est acini, sed terræ vis : at, ut verius fatearis, non est terræ quod fit neque seminis, sed sementis atque telluris Domini. Ideo cum semine et absque semine fecit talia exoriri. Et in altero quidem virtutem, in altero autem potentiam demonstravit quando dixit, producat terra herbam virentem. In altero autem facto potentiæ judicio, instruit nos ad laborem, et amorem agriculturæ. Hæc dicta sunt, ut de resurrectione nostrorum corporum, nullatenus ambigamus. Erit enim corporum reformatio non solum ex terra, verum etiam ex aliorum, elementorum secretissimo sinu : quo illapsa cadavera recesserunt, in temporis momento reddenda, et reintegranda. Hoc est, quod in Evangelio Dominus loquitur : *Audient*, inquit, *qui in monumentis sunt, vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii* (*Joan.* v). Lazarum certe atque alios mortuos ideo suscitavit, ut fidem illius quam mors non sequitur, faceret resurrectionis. Utrum enim facilius est, an ex eo quod non est aliquid facere, an quod dissolutum est iterum excitare? *Viri Ninivitæ*, dicit Christus, *resurgent in judicio cum generatione ista et condemnabant eam*, etc. (*Matth.* XII.) Isaias quoque dicit : Resurgent mortui, et resurgent, qui erant in sepulcris, per verbum factum in carne Filium hominis (*Isa.* LXV). Ipse utique in forma humanitatis, suscitaturus est corpora : prædicato prius Evangelio in universo mundo, et in eadem forma cunctis in judicio apparebit, et vocem dabit qua mortui de monumentis surgent et procedent. Angelis ante illum signum crucis deferentibus sicut Matthæus ait : *tunc apparebit signum Filii hominis*. Et attendendum quod non solum Christus judicabit, sed sancti cum eo judicabunt nationes. Ipse enim apostolis suis dixit : Sedebitis et vos super sedes duodecim, id est, eritis in perfectione judicantium eorum scilicet, qui relictis omnibus secuti sunt Christum (*Matth.* XIX). Tunc formam Christi quam secundum quod homo est habet glorificatam, boni et mali videbunt, sed terribilis quidem apparebit impiis, justis vero mitis et clemens (*Matth.* XXIV). Tunc Satanas ille magnus, qui de custodia sua per annos tres et sex menses ad seducendas nationes exierat, perdet decipiendi et nocendi efficaciam, iterum in latebris malitiæ suæ et angustiæ religandus. Ordinem vero illius tremendi judicii, series evangelica nobis exponit : *Mittet*, inquit, *angelos suos cum tuba, et congregabunt electos, a quatuor ventis*. Et rursum : *Exibunt angeli et separabunt malos e medio justorum, et mittent eos in caminum ignis*. Et item : *Mittet angelos suos, qui colligent de regno ejus omnia scandala, et mittent iniquos in caminum ignis* (*Matth.* XXIV). Veniente autem Domino ad judicium, præcedet ante eum igneus fluvius cum multo impetu, quasi mare plenum ventis et æstuans : quo facies mundi ardebit, et cœlum et terra non secundum substantiam, sed secundum formam peribit, tum et mare. Æther dissolvetur, stellæ cadent, sol convertetur in tenebras, et luna : cœlum sicut liber involvetur. Verumtamen ut quidam sanctorum asserunt, tantum ascendet ignis in judicio, quantum ascenderunt in diluvio aquæ. At vero ille ignis malorum, qui reperti fuerint, erit consumptio : bonis nullam inferens læsionem.

CAPUT XXVII.

Hac quidem purgatione mundi consummata per ignem, magna illa vox audietur, qua mortui vitæ restituentur, simulque ministerio angelorum area ventilabitur, et separabuntur grana a paleis. Nam boni a quatuor partibus orbis angelico ministerio congregabuntur, et illico eodem rapientur obviam Christo in aera, malis in terra quam dilexerunt hærentibus. Et tunc præconia illa bonorum : *Esurivi et dedistis manducare*, et increpationes illæ malorum : *esuriri, et non dedistis*, exponentur. Tunc certe proferetur sententia : *Venite, benedicti* (*Matth.* XXV), venite, prophetæ atque patriarchæ, qui pro nomine meo exsules fuistis, qui antequam in carne apparerem, obedistis mihi, adventum meum desiderantes. Venite, apostoli, qui mecum in variis versati estis tribulationibus. Venite, martyres, qui coram regibus et præsidibus non me erubuistis, et cruciatus et tormenta sustinuistis propter me. Venite, sacerdotes, qui quidem immaculate corpus meum et sanguinem meum assidue immolastis. Venite, sancti, qui in montibus, et speluncis, et cavernis terræ nomen meum sanctificastis. Venite, qui vendidistis quæ possidebatis, et dispersistis pauperibus. Venite, qui sermonibus meis credidistis, et in lege mea die ac nocte meditabamini mihi

placere cupientes. Ecce regnum meum paratum est vobis. Ecce paradisus meus apertus est, coronæ immortalitatis paratæ sunt. Cujus os enarrabit bona illa, quæ neque oculi viderunt, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se? Quoniam igitur cognovistis gaudium sine successione, cognovistis regnum sine permutatione, cognovistis delicias bonorum finem nescientes, cognoscite formidabilem vocem illam quam justus Judex in ira, furoreque in illos qui a sinistris erunt, pronuntiabit : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*ibid.*), quem vobis præparatis. Ego plantavi, et alius possidebit. Ego de vulva eduxi, et me sprevistis. Ego pavi et nutrivi, et mihi noluistis servire. Ego plenitudinem terræ marisque usui vestro dicavi, et vos mandata mea post dorsum abjecistis, et infandis sceleribus provocastis me ad iracundiam : *Ite, maledicti, nescio vos :* Dominum adepti estis alium : estote cum eo in caligine tenebrarum, ubi est vermis qui non moritur, et ignis qui non exstinguitur. Esurivi, sitivi, nudus fui, et me non respexistis. Solutum est spectaculum vitæ, præteriit error, et imaginatio. Mei obliti estis cui flectitur omne genu. Misericors sum, sed justus judex omnibus, secundum merita retributionis, unicuique secundum proprium dans laborem. Omnibus qui bene certaverunt, corona gloriæ offertur. Misererer, sed oleum in vasis vestris non reperio. Misereri vellem, sed vos cum in mundo viveretis, non estis miserti. Misericordia moveor, sed lampades vestræ cum sint tenebrosæ, discedite a me. Nam judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam. Ite in ignem æternum, quia justi ibunt in vitam perpetuam. Ecce passionum nubes repuli, et omnem dolorem atque mœstitudinem longe faciens ab eis, sine fine vultus mei splendore illustro eos omnes. Quare, o amici, despiciamus hoc præsens sæculum : et tremendi judicii memoriam locemus in promptuario cordis, pœnitentiæ lacrymis : efficacia confessionis peccatorum maculas dum licet, abstergamus : pro mortuis nostris misericordem Judicem non intermittamus fatigare precibus. Sed neque in defunctorum obsequiis simus æs, quod tantum sonat, et non lucet, verum argentum, quod tam splendore quam tinnitu (quibus claret) delectamento est. Larga est misericordia Redemptoris nostri. Qua de re sacramento Dominici corporis, orationibus, eleemosynarum beneficio vinctos ab inferno solvit, educit, et aditus regni cœlestis aperit eis. Non enim in vanum pro vita defunctis offertur hostia, non temere eleemosynæ in sinum pauperum expromuntur, non frustra coram Deo effunduntur orationes : siquidem multi dudum propter hujusmodi, sicut superius comprehensum est, tormenta inferni evaserunt; sed maxime per hostiæ immaculatæ oblationem remedia dormientibus præstantur. Quippe cum hostia in manibus est, angeli archangelique assistunt, et ipse etiam Dei Filius. Ideo magni honoris est, in præsentia Dominatoris, eos dignari memoria qui obierunt : quando terribile mysterium illud commemoratur, quomodo pro mundo dedit seipsum Deus. In quo utique miraculo congrue ac opportune Christus invitatur, ut iis qui decesserunt indulgentiam donet. Quemadmodum utique quando triumphus imperialis victoriæ agitur, tunc laudantur quidem etiam, quicunque victoriæ communicaverunt, dimittuntur etiam qui in vinculis tenentur, illo tempore, sed illo spatio assumpto non quilibet remissione fruitur : sic et in hoc loco suffragiorum est hoc tempus. Quotiescunque, inquit, manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis. Quare non simpliciter accedamus, neque quomodolibet hæc fieri existimemus : Dominus est cujus caro attrectatur manibus : ideo acceptissimum est istiusmodi tempus, ad culpæ mortuorum, veniam impetrandam. Hæc scientes præstemus quod possumus, remedia iis, qui vita functi sunt; pro lacrymis orationes; pro luctibus eleemosynas, et pro sepulcri decore hostiam vivam exhibeamus, ut illi et nos interni gaudii atque vitæ interminabilis consortes efficiamur.

HUGONIS ETERIANI

DE HÆRESIBUS

QUAS GRÆCI IN LATINOS DEVOLVUNT

LIBRI TRES

SIVE QUOD SPIRITUS SANCTUS EX UTROQUE, PATRE SCILICET ET FILIO, PROCEDAT.

CONTRA GRÆCOS

(*Bibliotheca Patrum Lugdun.*, t. XXII, p. 1198.)

EPISTOLA HUGONIS ETERIANI

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

Ut libri sui nuncupationem gratam habeat precatur.

ALEXANDRO *primæ sedis vere digno pontifici, Patri amantissimo suo atque finium terræ domino,* HUGO ETERIANUS, *famulatum cum omnimoda dilectione.*

Exactum a me opus de immortali Deo, Græciæ judicium detaturæ, in ipsum crimina, peregrinamque inhumanitatem, ut semel timore liberetur, fugitat. Cumque jam latere nolit, pugnatorum extimescens mucronibus sanciari, evolat ad eminentissimam approbatissimamque auctoritatem Romani culminis : summi tui pontificatus clementiam precatura, ut in lege atque jure, ab adversariis se custodiat : frendent sane vehementer offensi, et tropæis invidendo nostris, tropæorum nostrorum simulacrum, nequaquam excolunt. Sed ea certe publicis decretis et elaboratis orationibus, delere satagunt : atque omni conatu decertant, ut modicis mundi utantur finibus. Atqui hæret in anima mea sollicitudo, ne inæqualitas orationis, in ventrem tantum videatur crescere, nihil solidi pene habens alimenti, ut cucumer. Narratio forsitan exilis putabitur, et præceps, conclusiones quoque vagabundæ ac effusæ apparebunt in conspectu tuo, quo nihil vulgare dignum videri potest. Profecto, te judice, honestatis et pulchritudinis quas discere operæ pretium est disciplinæ, delinquere aliquid suspicantur, et inopia verborum suasorio splendore privari. Quem enim sapientiæ tuæ magnitudo, morum defæcata gravitas, et veri judicii acumen non terreant? Hæc sunt utique quæ summa, utique et sola bona dixere philosophi. Verum spe non derelinquor, qui credo illum, in cunctis Hesperiæ finibus debere recipi, qui jam aliqua peperit ante factis : qui pro Latinæ ritu Ecclesiæ se opposuit contra viros bellatores, qui nihil pene minus quam adversarios confutat : eloquar, qui ad Apostolicos pedes, non aurum, non argentum, non lapides pretiosos, ut plerique, sed quod omne metallum, omnemque lapidem exsuperat, et quod mortiferam Græcorum controversiam potest sedare, gratis offert. Prætérea, singularis præstantissimaque tua virtus, minuit metum : qui familiaritatem consuetudine non afferente, gratiam mihi suam, ceu inclyte Pactoli fluore asperso, conciliavit. Quapropter tui censura pontificatus, amputato Medusæ capite, subductis si qui sunt lapsibus, vetustati eripiendo, et oblivioni publicis dictum opus monimentis spero consignabit : ut fructus nepotes ex eo carpant, tanti pontificis favore ipsum tuente, ac servante sæculorum posteris usibus.

RESCRIPTUM ALEXANDRI PAPÆ.

ALEXANDER *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio magistro* HUGONI, *salutem et apostolicam benedictionem.*

Cognoscentes laborem plurimum, quem sustinuisti in componendo libro quem nobis per dilectum nostrum magistrum Caciaredam misisti, attendentes quoque fructum quem exinde speramus Ecclesiæ Dei proventurum librum ipsum, grata et læta manu recepimus, et devote sollicitudini et liberalitati tuæ uberrimas propter hoc gratiarum referimus actiones : desiderium et voluntatem habentes, te quem hactenus relatione nostrorum, qui a partibus Constantinopolis revertebantur, charum habebamus, de cætero ferventius diligendi, et multo chariorem habendi et sincerius amplexandi. Rogamus autem prudentiam tuam solliciteque monemus, ut sicut pro Deo et pro devotione Ecclesiæ præscriptum librum composuisti, ita quoque charissimum in Christo filium nostrum illustrem et gloriosum Constantinopolitanum imperatorem ad devotionem et reverentiam sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ exhibendam, et ad unitatem ipsius Ecclesiæ diligentibus provoces monitis, et exhortatione inducas ut sicut esse debet, unum fiat ovile, et unus pastor.

Data Trojæ. Idus Novembris.

HUGONIS EPISTOLA

AD AIMERICUM ANTIOCHENUM PATRIARCHAM

Mittit ei librum suum de processione Spiritus sancti.

(Circa annum 1170.)

(D. Marten., *Thes. Anecdot.*, I, 479, ex Clarævallensi.)

Aimerico amantissimo domino suo, Dei nutu et providentia sanctæ apostolicæ sedis, Antiochenæ reverendo per omnia patriarchæ Hugo eterianus, fidelis amici obsequium, illumque animo complecti, qui solus est absque mutatione.

Florilegarum apum corpora seras quidem assumunt pennas ; assumptis autem, interdum Thyesteis assessuræ mensis, et undam potaturæ Flegetundida, volitant ad exteras nationes, sermones non intelligunt et omnia faciunt sine imperio, singulis quærunt in floribus, sed non de omnibus sumunt, at nullum alicui florum inferunt detrimentum, egrediuntur vacuæ, onustæ redeunt. Poli et quod sub illo vasti moliminis opifex, tabularia quoque inconcussæ dispositionis me typum gestitantem melliferarum avicularum trans Hebrum, Xanthum et Simoenta usque ad fauces Pontici æquoris vexere; ibique frondeis in nemoribus centum ora centumque voces deposcendo per ramosa compita, verum ad commodum indagavi, ut opinor, quam plurimorum. Porro sol et luna ipsumque firmamentum non tantum sua causa discurrunt citatissima velocitate ; sed causa conservandæ rerum uni- A versitatis. Collegi Cecropium thymum, et galactitem calculum ubera nutrientium fecunditatem, quibus callida interpretatio loquacis Græciæ galbaneunt odorem intermiscere cupiens, silentibus et aquosis piscibus ea destinare voluit. Sed imperatoria vox scientissimi et intelligentissimi auctocratoris Manuelis venenatum consilium toxicumque livoris dissipavit, palam asserendo vitam qua nihil melius partui meo nequaquam posse adimi. Et quoniam hoc inter Græcorum fontes haustum est, dum in supernarum rerum cognitione versor Constantinopoli, docticanæ investigationi vestræ nisi ad nanciscendum tertiam defensionem, quod nullo concremandum est incendio, nec desciscendum periculo desinendi. Ejus intentionem per titulum B cognoscetis et iteratam crebro lectionem. Igitur, ne sermo epistolæ prolixior quam expediat culturam diutius moretur, et messem neget, æquis animis editum a me utraque lingua librum accipite per manum gloriosissimi principis Rainaldi jam offerendum profundæ inquisitioni vestræ, ac si creditis titulo, voluminibus præstate aures, qui nunquam novistis audiendo bona saturari.

RESCRIPTUM AIMERICI AD HUGONEM.

Librum ejus de Spiritus sancti processione laudat, alios ab eo postulat libros, mittitque ei argenteam cuppam.

(Marten., *ibid.*)

Aimericus, Dei gratia sanctæ et apostolicæ sedis Antiochenæ patriarcha, magistro Hugoni eteriano, dilecto filio in Christo, salutem et patriarchalem benedictionem.

Pro eo quod scientiæ vestræ splendor jam prope toti mundo serenus irradiavit, non immerito nobis præ ceteris latinis censemus esse gaudendum. Quanto enim Græcis viciniores sumus, tanto sub vestræ protectionis elimata scientia reddimur securiores. Propterea libros de processione Spiritus sancti, quos tam Græce quam Latine scriptos misistis, cum magna suscipimus cordis alacritate, et mox ut in perlegendis illis studii nostri curam potuimus adhibere, vestrum ingenium et facundiam et modum loquendi, plurimum sumus admirati. Quare vos antiquis gentilium philosophis præferimus, et magnis Ecclesiæ magistris, si vestræ dilectionis majestas in hoc non læditur, æquiparamus, frequenterque optavimus ut veniretis ad nos, et adhuc perseveramus in hoc ipso proposito, sed quemadmodum pro vestro gaudemus adventu : ita bonum est nobis quod remansistis. Non solum autem vivitis vobis, sed nobis et universali Ecclesiæ, proque tota Latinitate vos antemurale fortissimum opposuistis, unde non immerito, sicut diximus, nobis gaudendum est, utpote qui talem habemus mediatorem, cui nec docta Græcia resistere, nec fabricatis sophismatum objectionibus potest obviari. Tria sunt denique, pro quibus vestram postulatum accedimus dilectionem, quasi dederitis operam qualiter habeamus et toti Latinitati proficuum, et hoc ipsum vobis erit in præconium vestræ laudis monimentum ære perennius; in primis pro tractatu sancti Joannis Chrysostomi super Epistolas Pauli, de quo sibi non auctori plurima quidam ascribentes, furtim subtraxerunt, quorum præsumptio, si labor vester in hoc desudarit, risu esset digna, et furtum detegeretur, et assertio fraudulenta majori cederet auctoritati. Secundo, pro chronicis quæ habentur apud.... ex illo tempore quo imperatores eorum a Romano divisi sunt imperio, usque ad nostra tempora. Tertio, pro practica Nicæni concilii, quam audivimus esse penes dominum imperatorem. Ista tria, si vestræ placeret dilectioni, pro magno munere susciperemus; labori quoque vestro duplicatas redderemus expensas, et vobis pro tanto opere nostris precibus expedito, condignas gratiarum actiones : nec taceamus de tempore præterito, in quo vos pro communi utilitate efficaciter laborasse novimus. Mittimus vobis cuppam unam argenteam, in qua pro nostro amore pariter et honore volumus ut bibatis, et alia quædam vobis misissemus; sed nuntii nostri sic ex insperato iter suum arripuerunt, quod in brevi spatio temporis pro nostræ voluntatis arbitrio non potuimus ea præparare.

HUGONIS PRÆFATIO.

Moyses quondam ex collocutione Dei, cum disciplinam omnem habere putaretur, et virgam Dei habens in manu, cum descenderet in Ægyptum, alienigenam conjugem cum duobus natorum pignoribus abducere secum voluit. Itaque, sub hujus typo litteræ cum in theologiæ controversiam alia qua necessitate itur, complexionum acumen gentilium philosophorum, veluti ad dimicandum cetram gladiumque amplexandum est. Inductiones syllogismique disponendi sunt ei qui de difficillima et prima philosophia, fide dignam vult facere demonstrationem. Verumtamen spuria vitulamina hujusce acuminis, præcidenda sunt proprietatis circumscriptione, qua cognoscuntur aliena. Quod quidem convenienter fit, si Sephora, id est, perspicacitas pulchritudinis, Gersam quidem advenam mundum ostendat : et Eliezer, id est, Deum adjutorem, habere se demonstret. Hac quidem ego temita progredi gestiens, de illa quæ supra omne creditur esse philosophia, sermonem coactus facere, Attici quædam modulaminis argumenta, læsibile, immundum, alienumque contagium resecans, ad præsentis seriem disputationis assumpsi, ut permultum necessaria. Nempe suspicor quod hujusmodi extera valde referent, et plana faciant quæ dicenda sunt, si facilia, si vulgaria, si parca quædam exstiterint. Perhibent enim physici, quod si piperis multa sumatur quantitas, obvertitur ad cystim, bilemque concitat; sed, cum quantitatem mensuret parvitas, solvit ventrem, salutiferaque medicina fit. Atqui dum supremæ philosophiæ principium delibare aggredior, aquatili videor mihi similis esse testudini, quæ freta tranare cupiat, stupore cogitatus obsidetur, tabescit mens, lingua tanquam Ægyptiam palmam, quæ apud Græcos Adiperos vocatur, gustaverit, retardatur. Simpliciter autem et omnis sensus, quasi vehementissima sensibilium perceperit, titubat.

Porro ignis quidem, ferrumve indici adamantis alterutrum respectum languidum est : cum ferrum sculpturis pervicaciter contradicens, adamas dictus exsuperet : et ideo igni domabilis nondum repertus sit. Ego autem arbitror adamante incomparabiliter durius et difficilius esse scribere de divino, quod non modo sensum, verum omnem transcendat intelligentiam. Ideoque volebam circa has latebras lovere, ceu imbellis miles dimicare trepidans : et ne jejuno eloquio perspicuus apparerem, difficultatem, gestionem et odorem tanti negotii, ut Libyci serpentes piganum subterfugiunt, devitare. Sed Constantinopoli cum essem, accersitus sum consulendus a magno atque augustissimo imperatore Emmanuele, utrumne Latini aliquas sanctorum hæ-

berent auctoritates, quæ Spiritum sanctum ex Filio esse asseverarent. Ut veni coram, multivadis hinc inde nodis quæstionum dissolutis postremo imperatori magno illi dum reddo responsum, imperatoriæ celsitudini conveniens : auctoritate firmum, reverendum gravitate, optimis propinquum rationibus, Basilium, Athanasium et Cyrillum, magnam singulorum eorum fidei lucernam, processionem ex Filio asserentes, in medium produxi. Et quoniam intuitus sum tunc imperii serenitatem intendere ad divinæ disputationis religionem, involucrum verborum rimari subtiliter, gravissimosque disceptationum labyrinthos solvendo sufficere, voluntatis multum irrepsit de altissimo hoc negotio pertractare diligentius. Huc quoque accessit Hugbaldi Ostiæ, ac Bernardi Portus magnorum pontificum, Joannes quoque sanctorum Joannis et Pauli reverendi cardinalis, iterata eadem prorepetitio multoties. Nihilominus autem me de his ad scribendum illexit plurima, quæ inter Græcos Latinosque contrarietas exæstuat : Græcus sane quod ex Patre solo Spiritus A procedat, vehemens apparet assertor; Latinus autem æqualiter ex Patre et Filio progressum ejusdem Spiritus profitetur. Igitur quanquam non sim sufficiens, omnino decorem veritatis tanti negotii enodare (neque enim omne quod succenditur, in flammam prorumpit) tamen in primis, opitulante Deo, Latinæ assertionis expromam consilium. Demum Græcorum intentiones, cum insimulatione adversus Latinos juxta vires meas, rationibus, exemplis, auctoritatibus depellere ac diluere tentabo.

Sed enim ex consequentibus negotium, ex communibus si quæ reperiri queant conceptionibus, et ex Scriptura quæ a Deo inspirata est, eidem causæ fides præstabitur. Ad ultimum vero sanctorum Ecclesiæ pastorum testimonia, Constantinopoli multo B tempore quæsita, mihi assensum et favorem Latinorum dogmati maxime præstantia, et tenorem fidei eorumdem confirmantia, ut demonstrativos adjiciam syllogismos. Namque horum inductione, ut arbitror, facilius et expeditius, cui veritas paci faveat, considerari poterit.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

(3) Beatam et immortalem Trinitatem, quæ per Jesum Christum apostolis perspicue, ut possibile erat, innotuit, gentium philosophi sub ænigmatibus valde caliginosis abscondendo publicabant. Nam Plato philosophus Dionysio talia de Trinitate scripsit : (4) Φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμόν, ἵν' αὖτη ἡ βίλτος ἥ πόντου, ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ, ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ. Ὧδε γὰρ ἔσχει περὶ τὸν πάντων βασιλέα. Πάντα ἐστὶ, καὶ ἐκείνου ἕνεκα πάντα, καὶ ἐκεῖνο αἴτιον ἁπάντων τῶν καλῶν : δεύτερον δὲ περὶ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτον περὶ τὰ τρίτα. quod Latinæ sic sonat redditum orationi : « Dicendum tibi per ænigmata, ubi ne liber seu ponti, seu terræ in tabulis patiatur, qui legit non intelligat. Hoc enim modo habet circa omnium regem : Omnia est, omniaque propter illum, et ipse utique causa omnium bonorum; secundum, circa secunda; et tertium, circa tertia. » Plotinus quoque similia edidit. Tria sunt, inquit, tempus excedentia et æterna: Bonum, mens et anima universitatis. Hoc est apud nos : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, quem philosophi animam mundi nuncupaverunt. Verum Timeus Locrensis Trinitatem ignorasse videtur, Deum solitarium quasi confitendo : Unum, inquit, principium omnium est ingenitum; nam si genitum esset, absque initio non foret principium, sed illud C ex quo prodiret. Filii vero et Spiritus nihil hic meminit. Hoc quidem principium non solum excelsus Deus, invisibilis et incorporeus, verum a Christianis Pater censetur, solus sine causa existens, et absque initio. Ex hoc autem proxime atque immediate Filius juxta fecundam genitoris virtutem generatur. Quo medio existente ex eodem Patre Spiritus prodit, ut ex sua causa inexhausta et infinibili. Ergo ex causa est Filius, et ex causa est Spiritus sanctus. Qua de re ad dicendorum declarationem, subobscura, nebulosique voluminis amans ex causis provenientium, differentia, sub compendio hic distinguenda est. Nam hæc quidem manant et profluunt, ut ex sole radius et lux; et odor ex musco et balsamo : hinc vero profluunt omnino et non D manent, ut scintilla ex lapide cudendo, ac ex nubibus coruscatio. Alia vero commanent et non separantur ab eo in quo sunt, ut auditus, odoratus, gustus, tactus : visus etiam, ut Aristoteli placuit, quorum nullum cum suo principio numerum admittit, nec aliqua per se insignitur personali differentia, a sua causa existens indiscretum. Igitur quod profluendo nequaquam suæ causæ commanet, incopu-

(3) Quamvis Hugo orthodoxus et eruditus exstiterit, at circumspecte et cum judicio legendi ejus tres isti libri sequentes; in quibusdam enim a propria et exacta loquendi norma theologorum declinare videtur, præsertim in eo quod Patrem Filii et Spiritus sancti causam sæpissime appellat.

(4) Ad Dionysium, epist. 2, sic ego legerem : « Proferendum itaque tibi per ænigmata quædam nunc sunt ne (si per mare vel terram missas has tabellas intercipi contingeret) lector id intelligat, hujusmodi autem est : Circa Regem omnium omnia est, ac propter ipsum omnia : et ipse causa bonorum universorum : circum secunda, secundum; et tertium, circa tertia. »

labile illi est, ut scintillæ ac coruscationis exemplum demonstrat.

Omnimodæ quidem progressiones, prorsus secernunt a causis causativa, et longius faciunt ea ab ipsis, profluentia vero simul et commanentia suas causas contingunt semper et arctius eis adhærent, quia de proximo suum conspicantur principium. Et hic quidem profluentium modus est, qui minus alienus videtur esse a Filio sanctoque Spiritu, Patre ob fecundam quam habet virtutem, quia multiplicante seipsum ex sua substantia, Filii quidem personam per generationem, Spiritus vero personam per processionem, indemutabiliter et inalterabiliter producente. Nam neque Pater demutatur in illas neque minoratur : et merito, cum neque Filius, neque Spiritus sanctus ex ipso per aliquam derivetur decisionem : qui omnium visibilium atque invisibilium æqualiter, et indivise una causa, sicut unus Deus, existunt. Unum sunt tres hæ personæ, non participatio unitatis, nam cum ante omnia sæcula unum sint, non fiunt unum, quia existens non fit quod jam existit. Si divinum factum fuisset, aut cum tempore, aut per temporis initium incepisset fieri, et aliquid præ se habuisset : si neque incœpit, neque præ se aliquid habuit, manifestum quod semper fuit, eritque semper. Unde non est aliquid Deo prius : qui vere unum est, ut dicitur, non unitum, non finitum, nec ab uno diversum. Infinitus autem cum sit et æternus et simplex nihil potest ei accedere, nec aliquid deperire quod ejus essentiæ sit, neque quod non est fieri. Atque Pater quidem Filii absque medio genitor est, æqualia genitori potentis, ac æqualem habentis virtutem. Similiter enim Spiritum ex se ut Pater emittit, prout Latini asserunt. Namque aiunt quod, licet Pater, Filius, et Spiritus sanctus unum sint, una unitas, una substantia, unum principium : Pater tamen paterna auctoritate, id est secundum quod esse præstat et gignit, Filii causa seu principium dicitur, sancti vero Spiritus, secundum quod esse præstat, et ipsum emittit, causa vel principium nominatur. In quo, a Filio minime Patrem arbitrantur differre, atque ita secundum illos ex Patre Filius, ex Patre autem et Filio provenit Spiritus sanctus. Inquiunt enim : Si ab uno solo duorum processionem Spiritus haberet, duorum non esset æqualiter commune et indifferenter, sed præcipue illius, ex quo proveniret ; at vero Spiritus est alterutrius æqualiter et indifferenter, non enim minus Filii et magis Patris est, quare non ab uno solo duorum processionem habet Spiritus. Item inquiunt : Omne quod provenit ex aliquo, per quotcunque progreditur, tot copulatur, totque accipit communitates, ut in logicis apparet. Nam generalissimum genus sine principio esse dicitur, sine causa, et omnium quæ sub eo sunt causa, licet non solum existit atque principium. Quippe subalternæ causæ specierum etiam existunt, cum proximi tamen sola substantia causa sit principiumque, animati vero corporis non solum generalissimum, sed et subalternum principium, causaque existit. Quam conditionem quæcunque similis existunt ordinis, non refugiunt. Similiter autem et in naturalibus materia sine principio, et sine causa esse intelligitur. Forma quoque cum alterutra causa sit, et principium rerum materiatarum.

At vero per Filium Spiritus sanctus de Patre procedit, ergo Spiritus sanctus Filio copulatur, aliquid ab ipso accipiens, dum per illum progreditur, atque provenit. Hoc idem profecto quæ inter utrumque similitudo est compellit fateri. Similis est enim Filio Spiritus, sicut quidem ex causa est suo immediato principio : cui ut immediate communicat, sic ab ipso absque medio provenit, et per ipsum Patri conjungitur. Quidquid sane in progressu medium sortitur aliquid ad copulam et communitatem suæ, ut ita dicam, primitivæ causæ, per medium referri desiderat. Ideo per Filium communitatem Spiritus ad Patrem referri nullus debet ambigere. Qua de re manifestum, quod nullo modo Verbum Dei Patris externum sit ab hujuscemodi consortio. Manet quidem Spiritus in Patre, manet et in Filio, progreditur ex Patre, progreditur et ex Filio. Quod enim rursus progreditur ab illo qui manet, inseparabile non omnino existit, semel nactum divisionem, sed ab ipso est omnino discretum. Atqui expressam personaliter communitatem cum Filio Spiritus habet, penesque illum ex ipso profluens commanet. Nimirum si solum maneat non progrediens, suo personaliter a principio nequaquam distet, nec alia intelligatur persona : igitur manet simul et progreditur Spiritus ex Filio, quemadmodum utique omnimoda discretio identitatem interimit, et communitatem : ita omnimoda commansio atque unio tollit personarum discretionem. Ex quo liquido apparere videtur, quod manens in Filio Spiritus, ut proprius ejus existens, ex ipso sicut ex Patre progrediatur et procedat.

CAPUT II.

Sed hoc Græcorum theologi omnibus modis interimere grassantur contradictione ; quæ dicit : Spiritum ex solo Patre procedere. Atque in hac universi opinione consentiunt, cum in veritate negatio procedendi Spiritum ex Filio, sanctorum nulli Patrum perspicax exstiterit. Quis igitur cognoscendi modus sit, quod non procedat ex Filio? Quomodo autem Theodoritus negationis hujus inventor et præco, promulgando quæ nusquam scripta sunt, idoneus appareat? Quomodo astruere quis hoc audeat, cum nullus sanctorum Patrum hoc asseruerit? cum nulli revelatum fuerit? Verumtamen illi quos novella ætas produxit, ut justissimi rigoris servantissimum, publicant in libris, quod non procedat Spiritus ex Filio. Afferunt et ad hujusce positionis demonstrationem quam plures elenchos, sed apparentes.

CAPUT III.

Nam Nicomediæ præsul in hunc modum syllo-

gismum nectit, et complicat : Si ex Patre et Filio procedit Spiritus sanctus ; quod autem ab aliquibus provenit, illa habet principia ex quibus provenit : duo itaque habet principia Spiritus sanctus. Nicolaus autem episcopus Methone, in eamdem prope intelligentiam elenchum format hujusmodi : Si Spiritus ex Patre ac Filio procedit, erit utique unum ex duobus, et duo principia unius ; unus est enim Spiritus sanctus ut Pater unus, et Filius unus : Pater autem et Filius non unus, sed duo, licet natura unum sint ; alius enim et alius, quamvis non aliud et aliud : at omnium rerum rationes in Deo sunt primum, et ab ipso in res universas distribuuntur. Quare omnis erit quæ in rebus perspicitur unitas ex dualitate, et dualitas principium unitatis : quod est inconveniens, et communi contrarium conceptioni, secundum quam unum omni et unitas dualitati ac omni præponitur numero, quia unitas principium dualitatis est, et omnis numeri ; et alii quam plurimi tanquam ex veris et subito familiaribus idem colligunt, minime probabiliter.

CAPUT IV.

Non est enim ex veris falsum syllogizare. Omne quippe quod ex veris demonstratur verum est ; hoc autem antecedens quidem verum, sed assumptum atque illatum falsitatis plenum est. Conclusio enim ex syllogistica non provenit necessitate, cum non consequatur propositiones quod ostenditur per eas. Nam quod in assumptione positum est : dico autem, quod aliquibus provenit et cucurtatum et infinitum est ; potest quippe referri ad decem prædicamenta, ut sit quod dicitur. Quod ab aliquibus substantiis, aut qualibus, seu quantis, similiter autem et de singulis aliorum ; potest autem rursus subintelligi, quod ab aliquibus principiis seu causis provenit, ipsa habet causas ac principia ex quibus provenit. At vero infinitatem hujusmodi Aristoteles in analyticis ad finitum reducit, dicendo sic : Ex quibus quidem demonstratio, conveniens est eadem esse. Quorum autem genus diversum, quemadmodum arithmeticæ, geometriæ non est arithmeticam demonstrationem coaptare in his quæ magnitudinibus accidunt, nisi magnitudines numeri sint. Nam ejusdem generis necesse extrema et media esse : ideo ex geometrica non est ostendere quoniam contrariorum una disciplina. Quare manifestum, inquit, quoniam non est demonstrare unum quoque simpliciter, sed ex uniuscujusque principiis. Dico autem principia in unoquoque genere ea, quæ quoniam sunt non convenit demonstrare. Alexander vero super idem capitulum dicit : Non communiter amplius sumit, sed adjicit : Si de numeris dicit numeros. Inquit enim : Si de æqualibus numeris æquales auferantur. Generis enim adjectione, quod commune est, proprium facit. Quod si de magnitudinibus magnitudines, et in aliis similiter. Maxima enim propositio est quæ dicit : In demonstrationibus, ex eodem genere necesse est omnes terminos esse. Non enim ex alio genere ad aliud est transire, quæ demonstrantur. Quoniam igitur de divinis est sermo personis maxima quæ inducitur, dico autem : Quod ab aliquibus provenit illa habet principia ex quibus provenit ; sensum nullum alium nisi habet constituit ; quod ab aliquibus personis provenit divinis, illa habet principia ex quibus provenit ; quod manifeste falsum est. Non enim simpliciter aliqua duo sunt Pater et Filius, ex quibus Spiritus sanctus provenit. Nam neque duæ res proprie sunt, sed una ; neque duæ substantiæ, sed una ; neque duo principia, sed unum ; neque duo dii, vel domini, seu sancti, sed unus Deus, unus Dominus, unus Sanctus. Unde patet quod secundum quid duo dicuntur, Pater et Filius : veluti duæ personæ duæ hypostases ; igitur cum hæ duæ personæ non sint duo principia, neque duo simpliciter, manifestum quidquid ab istis provenit, ex duobus minime prodire principiis, posito et concesso Spiritum sanctum ex utroque procedere. Atque ideo impossibile est colligi duo principia esse Patrem cum Filio.

Hoc item argumentum exemplorum inductio utique arguat falsitatis, si hoc in negotio ad dissipandam involucrorum caliginem, ad enucleandam veritatem, ad internecionem paralogismorum, ad legentium remedium, refocillationemque (tanquam multicoloribus pictores varicibus ad decorandas venustandasque picturas) similibus uti liceat. Et quidem necessitudine quadam similibus utendum esse videtur, tum ut velamina multiplici varietate scindantur, fructusque publicæ honestatis appareat : tum ne sermo ubertatis florentis campi amantissimus, impatiensque identitatis, pigrescat. Ecce eadem substantia, semen, fructus et esca dici potest ; semen, respectu ferendæ telluris ; fructus, respectu præteritæ messis ; esca vero ut in corporis permutanda substantiam. Sed non arbitror recte colligi posse : si esca ex semine ac fructu proveniat, quod ex duobus ideo principiis progrediatur (5). Quippe non sunt duo semen et fructus, nisi ratione. Quemadmodum ascensio et descensio : via scilicet Thebis Athenas, et Athenis Thebas. Unum est enim in his viæ spatium ; deorsum sursum, et sursum deorsum, at vero diversa ratio ; equidem hinc incipienti ascensio, hinc vero descensio est : sic quidem Pater et Filius unum ambo principium existunt Spiritus sancti. Neque ideo colligitur Patrem esse Filium, vel Filium Patrem, seu ambos duo principia. Quia neque quoniam unum spatium est longitudinis ab Athenis Thebas, et a Thebis Athenas, ideo ascensio descensio est, vel e converso : vel utrumque, ascensio scilicet et descensio, duæ viæ sunt, vel duo itinera ; sed una via, iterque unum.

Sed forsitan, ut dictum est, non est huic negotio præstandum a similibus præsidium. Namque theologus Gregorius in sermone de Spiritu, hoc prohi-

(5) Nota hæc exempla, et cave Sabellium.

bere videtur, ait enim : Non est alicui eorum quæ deorsum sunt, naturam divinam comparare. Nam et si parva similitudo inveniatur, fugit quod amplius est : me deorsum omittens, cum paradigmate, venam aliquam et fontem et fluvium intellexi. Nam et alii ne huic forte Pater, isti autem Filius, alii vero Spiritus similiter habet. Hæc enim neque tempore distant, neque ab invicem dissecantur continuitate, et videntur quodammodo tribus proprietatibus secari. Sed formidavi primum quidem fluxum aliquem deitatis suscipere stationem non habentem. Secundo autem ne unum numero per similitudinem hanc introduceretur, vena enim, fons et fluvius unum numero differenter transfigurata. Rursus solem consideravi, radium et lucem, sed et hic formido : primum quidem, ne compositio aliqua subintelligatur illius, quæ compositionem non habet naturæ, veluti solis et eorum quæ in sole. Secundum autem ne Patrem quidem substantiam, alia vero virtutes Dei faciamus inhærentes, non subsistentes. Neque enim radius, neque splendor, alius sol ; sed solis quædam emanationes et substantiales qualitates, et simul esse et non esse Deo tribuamus quantum ex similitudine. In Trinitate igitur si similitudo servetur, solus nuncupabitur Pater substantia, Filius autem et Spiritus qualitates, vel Patris proprietates. Et hæc quidem sic. At ille qui dualitatem Patrem dicit et Filium, eo quod ex ambobus proveniat Spiritus, et principium emissionis abnegat a Filio, solum Patrem principium Spiritus dici arbitratur. Unde si Filius emittat Spiritum cum non sit principium emittendi, est inconveniens. Magis autem si in altero alterius principium intelligatur, et non in unoquoque propria cujusque emissio. Quod si pariter in Patre et Filio hujusmodi principium attendatur, rursus sequi dicit inconveniens, dualitates scilicet, antecedere unitatem, et ejus esse principium.

CAPUT V.

Videtur quidem iste vir non attendere quod in Trinitate magnopere considerandum est : hoc scilicet, quod unitas naturæ tantum attribuitur, dualitas vero personis duabus quibuslibet. Quare non est verum si Spiritus procedit ex Filio et Patre, quod unitas procedat ex dualitate. Natura enim quæ unitas intelligitur, nullo asseritur modo ex aliquo procedere; sed neque Spiritus acceptus personaliter censetur unitas aliquando, nisi abusive fortassis accipiatur. Item cum dicit rationes rerum in Deo esse, Deus nomen, ibi non personam Patris, vel Filii, sed substantiam et naturam, et ut simpliciter dicatur, Trinitatem significat. Dualitas vero nomen personas requirit tantum. Sed enim principium hoc nomen, cum dicitur Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, non unicam proprietatem significat, sed communem Patri et Filio, ut simplicem, non ut geminas : quod ex his quæ circa personas Patris ac Filii considerantur, verum esse apparet. Nam cum Pater sit, et dicatur ingenitum principium, Filius vero genitum : ingenita quoque causa Pater, ut genita Filius; nullatenus tamen duæ causæ, vel duo principia reputantur ab aliquibus, sed unum. Si ergo ingenitum et genitum unum vere principium existunt, non sunt ipsi Spiritus differentia principia. Igitur ex his quæ dicta sunt manifestum esse potest, quod neque Pater ex eo quod Pater, unum proprie dicitur vel unitas, neque Filius, neque Spiritus sanctus, sed unus, unus, unus, non tria, neque duo. Quare neque Filius et Pater dualitas proprie dicitur : si quidem non sunt duo, ut ostensum est. Non enim si secundum quid Pater et Filius duo dicuntur, ideo simpliciter duo sunt. Sed neque ex dualitate unitas est, verum dualitas ad personas utcunque referri possit, unitas vero sicut monstratum est ad naturam pertinet.

CAPUT VI.

Erendum est ne divino disputantes, igni comparemur, nivique, quorum alterum (ut philosophus perhibet) urit nesciens quare : alterum vero infrigidat, causam non animadvertens. Non est dubium perfectam solum Deum habere scientiam, eique competere soli quod dictum est. Non oportere imperari sapientem, sed imperare, ut prima sciente ac novissima : cujus scientia non modo omnium cognitiva, sed bonorum effectiva est universorum ; hominum autem quorumdam superficie tenus cognitiva, perfectiva vero nullorum, quia contemplationis, non actionis, est : quæ antequam rei summam contingat, tabescit; antequam explicet, deficit, et ante aborsum patitur quam pariat. Conducibilissima tamen Dei agnitio, pabula doctrinæ, atque studii affatim hominibus largitur, dum non acceptando personas, faciat distributionem pro dignitate suscipientium. Extenditur profecto Dei bonitas et virtus ad omne quod ipsam suscipere potest : extenditur, inquam, per Filium, quem solus Pater generat. Ideoque solius Patris est, et dicitur: per Spiritum quoque qui non solius Patris est, nec a Patre solo emittitur : quod ostendere nititur omnino. Nulla enim res incorporea, quæ ab aliquo non habente principium per medium venit, expers est medii, vel mediorum habitudinis, si plura medio uno sint. Nam omne quod sic progreditur, mediis ex singulis aliquid contrahit, et cum non habente initium; existit principium ex se prodeuntis : quod ex logicis methodis manifestum est. At vero in sancta Trinitate, inter Patrem et Spiritum, medius existit Filius. Quare idem Filius cum Patre principium Spiritus sancti existit. Semper enim eumdem ordinem habent tres divinæ personæ, cum nullam habitudinem habent ad alia omnia, et impermistæ sint. Cum igitur omnis divisio a beata Trinitate absit, in qua nulla decessio, nulla inæqualitas, nulla imparitas, necesse quod per unicum medium, Filium scilicet, Patri Spiritus copuletur. Aliter enim non sic secundum personalem progressum, trium personarum continuitas. Ubi autem abest continuitas, divisio intercedit : quæ si detur in Trinitate,

Spiritus scilicet, quod persona est, a Filio prorsus separetur. Si enim Spiritus soli uniatur Patri, alienus a Filio existat, nec aliquo modo ad ejus pertineat proprietatem . veluti ad ædem non attinet qui habitat in ea. Sed necessarium est continuitatis catenam ad Spiritum usque progredi. Nam si Spiritus Filii est, et Filius ipsum non emittat, inefficax secundum hoc Filius, et Patri dissimiliter eumdem Spiritum emittenti videatur. Quin etiam et Spiritus imbecillis, si cum sit Filii et in Filio, ex ipso progredi non valeat. Provenit ergo Spiritus ex Filio, neque secundum processionem ab ipso, magis quam a Patre secedit, qui per utrumque existit. Nam ambo sunt existendi causa ei absque defectu perseveranti, et sine diminutione. Sufficit Patri et Filio Spiritus Patris, qui est Filii proprius et omnia implet : nam si Phœbea lux soli et ejus radio sufficit, multo amplius Patri Filioque Spiritus. Propterea non quærit permutationem iste Spiritus, cum optime se habet; neque transvehi, cum omnia penes se inveniat; neque augmentum flagitat, cum sit perfectio suprema, et omnia in ipso perfecta. Nihil quippe nabet adjectum, sed æternaliter possidet omnia, ut Spiritus Patris et Filii emanans pariter ab utroque. Quæ autem ab ipso effluunt, operationes vel gratiæ ipsius nuncupantur : quorum calore vivificamur, et maturescimus peracerbi. Vivificati vero et maturati, dulcescimus. Vivificat Deus Pater, ut Apostolus dicit : *Denuntio tibi in conspectu Dei vivificantis omnia* (*I Tim.* VI). Vitam dat et Filius. *Oves* enim, inquit, *meæ vocem meam audiunt, et ego vitam æternam do eis* (*Joan.* X). Vivificat autem et Spiritus, sicut scriptum est : *Spiritus vivificat, caro autem nihil prodest* (*Joan.* VI). Quem Filii esse dictus Apostolus testatur : *Ex pax Christi quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra* (*Philip.* IV). Pacem Christi supra omnem sensum non aliud esse putandum est, nisi Spiritum ipsius : quem qui obtinuerit, universo bono omnique copia oblectamentorum replebitur. Itaque habet Filius Spiritum Patris, sicut et omnia quæ genitoris propria sunt, manens Filius. At vero proprium est illius qui genuit, Spiritum emittere. Quare Verbum Dei, qui natura Filius est non positione, similiter generantis Spiritum emittit. Sin autem ita non est, nequaquam prorsus proprium habet illius qui genuit. Verum non arbitretur quispiam in hoc comprehendi generare Filii esse proprium, eo quod Filium dixerim Patris omnino proprium habere, quia individuum omne, licet speciei proprium suscipiat, non tamen aliquando erit species.

Qui autem hoc dicunt, non honorant Filium sicut honorant Patrem, condicentes Filium Patrem esse, si omnia quæ habet Pater et Filius habet. Patet enim quod Spiritum Filius in se, sicut et Pater habet, quia non prius ipsum Pater genuit, et tunc Spiritum ei dedit : quanquam dator quilibet alius, existenti dudum alicui tribuat; sed sicut dedit vitam, genuisse ipsum viventem est : sic dedit ei Spiritum, est genuisse ipsum Spiritum habentem. Quod si ita non est, prius genitus est Filius, et tempore post Spiritum accepit. Igitur sicut dicitur vita et vivens, judex et veritas : sic Spiritus dator et emissor. Si enim voluntatem Patris quoniam Filii esse constat, a se ipsa Filius quia abnegat cum dicit : *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem illius qui misit me* (*Joan.* V); de Spiritu vero nihil tale inveniatur pronuntiare : nusquam enim scriptum reperitur quod ipse dixerit : Spiritus Patris non est meus, neque ex me procedit; manifestum plane quod pariter ejus ut Patris Spiritus sit. Non esse dubium ergo debet quin Spiritus sit Filii, et ex ipso; neque ideo colligi duo ejus esse principia vel duas causas; quod non recte Nicomediæ metropolita syllogizat; inquit enim : Si Pater causa est Spiritui emissionis, causa autem est et Filius, eo quod ab ipso procedat quemadmodum et a Patre, duæ rursus causæ sunt, sicut et duo principia. Hujus paralogismi falsam esse conclusionem, et hinc forsitan manifestum erit. Omni ex elementis conditæ rei, aliqua causa est : Pater ut sit, cujus ejusdem Filius, eo quod per ipsum facta sint omnia, negari causa non potest. Igitur duæ causæ atque duo principia omnis hujusmodi conditionis existunt : quod ut non proveniat, superius monstratum est, ubi enuntiabatur Patrem Filiumque secundum quid duo dici, et non simpliciter : propterea unus operator Pater et Filius existit.

Audimus enim Salvatorem per Joannem dicentem : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor :* non duo operatores sed unus, ut unus Deus et unus creator. Omnia per Filium facta sunt, absque Patre? absit. Scriptum est enim, quoniam *in principio fecit Deus cœlum et terram.* Et rursum : *Quoniam ipse dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt : præceptum posuit et non præteribit* (*Gen.* I); quod maximum est potestatis. Quemadmodum enim cuilibet dicere promptum, et præcipere facile est, sic Deo facere quæ non erant, et facta conservare : magis autem et multo amplius expeditum erat. Hujus operatoris est mare, et ipse fecit illud. De Filio quoque idem scribitur : *In initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Hebr.* I). Non dixit per te facti sunt cœli, et fundata est terra; sed tu fecisti terram, et opus tuum est cœlum. Ecce manifestum est quod Pater condit et Filius, non duo conditores, non duo principia, non duæ causæ, sed una causa consistunt. Cum igitur creaturarum non sint duo principia Pater et Filius, neque duæ causæ, multo minus sancti Spiritus ratione abeis differentis, et æqualiter utriusque existentis, duæ causæ seu principia duo censebuntur. Attendendum vero est quod causa et principium genitum, et procedens, et similia, non sint naturæ seu substantiæ, sed personarum piæ ac diligentes explorationes, et sacerrima quædam notamina. Quod ex animalium prima conditione patet melius : etenim prima animantium facta sunt et creata, mandato,

non generatione. Ea non ex similibus prodiere, cum nulla prius existerent. Ideoque ingenita quidem illa, tamen sicut quæ ab eis decisa sunt, genita solum merita nuncupari possunt. Qua de causa ingenitum genitumque naturæ non sunt animalis germina, cum omnibus similiter non adsint, ut substantialia nascentibus animalibus; et cum nunquam circa idem animal utrumque repertum fiunt, genitum scilicet et ingenitum. Igitur cum omnis similis et dissimiliter creaturæ una causa et unum principium, Pater, Filius et Spiritus sanctus existant, multo magis juxta suum ordinem proprium, Pater et Filius ut sine medio existentes, proprii et unici eorumdem Spiritus una causa sive unum principium, absque dubitatione consistunt. Porro solus Pater Filii causa est: qui si a Patre in emittendo Spiritum absistat, in habendo eumdem Spiritum non sit ei compar per indifferentem habitudinem. At vero æqualiter atque indifferenter ab utroque Spiritus habetur, igitur æqualiter atque indifferenter ab utroque idem Spiritus emittitur. Alioquin non tam similiter sit Pater secundum imaginem, quantum aliter habens si alienus ab eo est, scilicet Spiritus emissionem, quod est inconveniens. Similia enim per similitudinem copulantur, non per dissimilitudinem. Nam ut dissimilitudo tam segregat omnia et distare facit, ita similitudo tam substantialis quam non substantialis conjungit, copulat. Qua de re Spiritus Filio conjungitur, quia simile ei est, ut imago ejus: quæ imago communitatem, copulam et similitudinem indicat.

Cæterum, ex consonantia quam habet ad Filium Spiritus, et ex similitudine, sortitus est hoc idem nomen quod Paracletus nuncupatur. *Rogabo*, inquit, *Patrem, et alium Paracletum dabit vobis* (*Joan.* XIV). Nam Pater non dicitur Paracletus, sed Spiritus et Filius: quibus saltem hoc nomen æquivoce commune esse videtur. Quam communitatem non ignorans theologus Joannes in prima Epistola (cap. II) scripsit: *Si quis peccaverit, Paracletum habemus apud Patrem Jesum Christum*. Sed enim eodem modo Spiritum habemus Paracletum, pro nobis Patrem interpellantem, sicut facit Filius, licet hæc humano more ac dispensatius dicta viderentur. Nihil enim appositum habent, vel adjectum, cum in eo quod Deus sunt, rationes omnium rerum æternaliter habeant. Ergo similis est Filio Spiritus, et Patri Filius: at non sicut quibusdam hæreticis visum est. Quidam enim perversi dogmatis arbitrabantur similes esse Patrem et Filium, secundum speciem, dissimiles vero secundum substantiam, propterea compositum ex oppositis, simili scilicet et dissimili, Filium Dei constituerunt. Quibus non solum iniquitatis cohabitat clades, verum detestabilia inconvenientia eos consequuntur. Nam si ex simili atque dissimilii componeretur, non esset simplex, neque totus lumen, totus veritas, et totus natura Deus: et aliquid intelligeretur ipso prius et antiquius. Quippe simplicium conventus composita perficiunt, quæ ipsis constitutis priora sunt, antiquioraque natura; Filius vero ex substantia Patris est, ex simplici simplex, ex simili similiter, et ex æquali æqualiter, verum in Patre Filius est, et nihil in Patre ipso prius, neque absque ipso. Quare ipsa Spiritus emissio non absque Filio est.

CAPUT VII.

Sed Niceta Byzantius philosophus per inconvenientium inductionem probare decertat, quod non procedat Spiritus ex Filio, et aliquid esse in Patre et ex Patre sine Filio. Ratum enim tenet Spiritum ex Patre procedere, nullo modo Verbo communicante. Si ut quidam, inquit, fatentur, Spiritus ex Patre et Filio procedit, cum manifestum verissime sit nobis ex theologicis informationibus, quoniam Spiritus ex Patre procedens, per Filium datur, et in Filio quiescit, simul autem et Patri copulatur; procedit autem secundum illos et ex Filio, necesse utique est dari Filium Filii, in manifestatione ac distributione Spiritus ex ipso; sin autem ita est, erit Filii Filius, et ideo nepos pronuntiabitur. Et rursus secundum illorum nugas de nepote erit apparens pronepos, et ille rursus alterius egebit: et hoc in infinitum. Non igitur secundum illorum vanitatem Spiritus procedit ex Filio, sicut ex Patre. Ex quo liquido apparet quod ex Patre, ac solo, Spiritus est, sicut per universum Ecclesia orbem, longe usque in hodiernum recte docet. Sed et hoc quia non recte dicitur, de facili videri potest.

CAPUT VIII.

Primum quidem, quia insyllogizatum est: Etenim propositio quæ dicit: Quod emittit Spiritum, Filium habet: major, universaliter deberet esse, ea particularis accipitur. Nam illatæ conclusionis causa propositio, quæ recte debet syllogismum talem perficere, hæc est: Omne quod emittit Spiritum, Filium habet: quæ indemonstrabilis est, et impossibiliter; quia neque maxima est, neque fidem ab aliqua maxima suscipere. Emissio Spiritus non facit Patrem esse neque Filium, quoniam non est nascibilitas Spiritus progressio ex Patre, qua sola Filius a Patre differt. Nam in emissione Spiritus atque omnibus aliis videtur Pater Filio communicare, simulque cum eo de sua substantia Spiritum emittere. Substantia vero ipsa neque emittit, neque generat, neque generatur. Quæ enim secundum naturam substantiæ adsunt divinæ, omnem personam consequuntur. Itaque si substantia generativa esset, et Filius et Spiritus utique generarent: quorum nihil veritati propinquat: ex quo manifestum quod Pater non in eo quod substantia, sed in eo quod Pater, et secundum hujus habitudinem ex sua substantia Filium generat. Si non ex substantia sua generaret, secundum naturam minime Pater nuncuparetur, ac tum in generando ex substantia nullam facit distantiam. Non enim

corpus et substantia illa, sed ceu lux non assumit extrinsecus splendorem, ex sua substantia ipsum effundens : ita neque Pater habet Filium extrinsecus, sed ex sua ipsum substantia gignit, indivisus perseverans : atque propterea vere Pater est, ex quo paternitas omnis nominatur. Ergo non sine substantia credendæ sunt personæ, nec cogitandæ, quomodo unico charactere absque substantia qualibet personarum intelligatur, cum per insignitivas proprietates singularis personarum character circa unam substantiam et eamdem attendatur, hic minime apta nata facere substantia est, atqui emissio Spiritus non est insignitiva proprietas, nec unicus character.

Quod unum esse manifestum ex hoc est, quod Spiritum emittere non est unica personæ Patris figura, cum non in eo quod Pater Spiritum emittat, sed in eo, quod causa sive principium (6). Quod videri potest juxta hunc modum : Si Spiritus non ut genitum ex Patre progreditur, Pater non emittit Spiritum ut genitor ; nam si in eo qui genitor Spiritum Pater emitteret, Spiritus ex Patre ut genitum prodiret, at vero non est Spiritus ex Patre ut genitum ; non enim duos filios, sed unum solum Pater habere creditur : manifestum ergo quod non ut genitor Spiritum Pater emittit. Amplius : Pater cum Spiritus emissor sit, aut in eo quo differt a Filio ipsum emittit, aut secundum id quo non differt : at in eo quo differt non emittit ; nam in eo quod Pater non emittit Spiritum, in quo solo a Filio differt. Ecce similiter Joannis Evangelium, Chrysostomus etiam confirmare videtur quod dictum est, ubi Salvator dicit : *Pater meus non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (*Joan.* v) : ergo, inquit, Patrem ipsum dicemus ? absit ! propterea enim dixit Filium, ut manentem Filium honoremus sicut Patrem, sed qui Patrem illum dicit, nequaquam Filium ut Patrem honoravit, sed totum confudit : et post pauca : Quæcunque est Pater, hoc est Filius genitus et manens in esse Filii : secundum hujus sancti viri intelligentiam dico : Pater est emittens Spiritum, ergo et Filius : quod quicunque a Filio removet, non eum sicut Patrem honorat. Ex quo aperte datur intelligi, quod non in eo quo differt Pater a Filio emittit Pater Spiritum, sed in eo quo communicat. Verum considerandum in hoc loco est, quod licet Pater a Filio differat, et a Spiritu et e converso, paucas tamen admodum inter se habent differentias, eo quod superlatio communitatis secundum naturam plurima existit. Propterea, ut æstimo, non potest colligi Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres deos esse, quia quæ circa naturam considerantur, quam plurima intelliguntur, paucissima vero quæ circa proprietates, atque in rebus creatis, maxime in animalibus, contrarium videre est. Nam animalia motu, appetitu, actibus, voluntatibus, tempore, loco et aliis pluribus differunt.

Ex quo hujusmodi argumentatio non reprobatur. Socrates est homo, Petrus est homo, et Joannes ; sed neque Joannes est Petrus, neque Petrus est Socrates, tres igitur homines sunt. In divinis autem personis tres proprietates immobiles sunt : paternitas, filiatio, processio secundum quas solas tres personæ, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus insigniuntur. Quæ non modo in his, modo in aliis, nec in pluribus, aliquando in paucioribus, sed in eisdem semper personis inspiciuntur. Hæ personæ neque augmentum suscipiunt ut sint quatuor, neque diminutionem ut in dualitatem redigantur, cum unus Deus pariter existant absque permutatione. Si enim una specie plures homines unum, multo convenientius tres personæ unus Deus pura fide ac religione immaculata pronuntiatur : de quibus non est quærendum quomodo sint tres, cum prorsus et omnino sint inseparabiles ; languidi enim circa fidem homines læduntur in hujusmodi, ut dicit Apostolus. Quoniam animæ ægritudo, maligne ac otiose quærere de Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, ea quæ a sanctis enuntiata sunt et manifestata, et non rationibus investigare quia non sunt. Ecce ut credere abomnibus fidelibus quod unicum habeat Deus Pater Filium, ita omnis Latinorum sinceritas devotioque credit, quod Patris et Filii æternaliter, inseparabiliter et similiter Spiritus sanctus sit proprius, et ex utroque procedat : ast ex adverso Nicomediæ antistes inclamans ad impossibile quasi ducit orationem. Inquit enim : Si Pater emittit Spiritum, emittit autem et Filius qui ex Patre genitus est : proprium est Patris hoc, quasi ex causa collatum, proprium utique et Filii continget : Filium hinc pro uno duo habere propria, ad invicem contraria : passionem et actionem, scilicet generari et emittere. Nam etsi Pater dicitur gignere Filium, et mittere Spiritum, non tamen est proprietatum hæc diversitas : differentia enim magis aliquo modo habendi ea quæ ex ipso.

CAPUT IX.

Ignorantia certe elenchi, hoc est, cum non ex his quæ data sunt ex syllogistica necessitate, Ἐπισχείρησις, id est argumentatio conficiatur. Nam Spiritum emittere non proprium solius Patris, qui ex pluribus ratiocinationibus directis et impossibilibus demonstrari potest. Et utique si detur proprium esse Filii, non tamen pro uno Filium duo propria habere ad invicem contraria passionem, actionem, sequitur. Nequaquam enim Dei Filius dum generatur vel nascitur, patitur aliquid :

(6) Hugo agens cum Græcis, interdum et quidem sæpius in hoc opere usurpat eorum modum loquendi, quibus idem omnino est causa et principium : an Patres Latini principium in Trinitate ad intra recte cognoscunt, non item causam fatentur. Patrem et Filium principium Spiritus sancti non causam ob egregias rationes, quas S. Th. collegit I p. q. 33, art. 1.

cum pati sit in passionem adigi, quod in tempore omnino esse habet. Deus autem in passionem non adigitur, neque de Patre in tempore nascitur, seu gignitur. Nam ante omnia sæcula temporaque Filium Pater genuit: denique si creatis in rebus, non omnis actio passionem infert: veluti actiones quæ absolutæ censentur: ut regere sicut quidam dicunt, accurrere, spirare, et hujusmodi; multo minus in Deo ex actione qualibet passio emergit. Divinum quippe, cum simpliciter bonum sit, alterari non potest. Et autem quod alterari non potest, si quid aliud adjectum intelligatur, appositi conventu interimitur. Impassibile est quod divinum est. Unum minime patitur Dei Filius in eo, quod de Patre nascitur: præterea jam ostensum diversas esse proprietates, generare ac Spiritum emittere. Nam hoc quidem est personæ insignitivum, hoc vero minime: Quod si Patre simplici et individuo existente, similiter habet se ei quod generare illud, quod emittere dicitur: similiter se habebit hoc, quod dicitur præscire, ei, quod est facere: ut neque circa hoc divinum intelligatur compositum. Sin autem ita est, erit faciens, qui præscit mala, sed non sicut præscit divinum: ita omnino et facit. Non igitur idem est generare ei, qui censetur emittere: sicut non idem est generare et communicare: solus enim Pater generat, sed non solus creat, nec tamen privationem hoc in Deo simplicitatis conducunt. Amplius: Si idem est generare, et emittere, emittens erit generans, emissum erit genitum. Atqui nihil est inter Patrem et Filium. Imo semper Pater, semper Filius Spiritum emittit: nequaquam in emittendo diffusum, nequaquam in aera dissolutum, nec indigentia compulsum aliqua. Virtus enim sanctificativa est per se subsistens, nec virtutis, nec vitii, nec vicissitudinis, nec alterationis susceptibilis: qui dum a Patre et Filio mittitur et procedit, missus et procedens non ex loco ad locum facit transitum. Quomodo replevit orbem terrarum, cœlum, terram et mare, et quæ in eis sunt rationalia: undique in eis Spiritus persistit, et ea continet: Domini scilicet Filii existens, et ab eodem ut a Patre missus, et emissus: quod inevitabili ut æstimo necessitudine, quæ supponitur, sistit argumentatio.

CAPUT X.

Omne quod a Filio mittitur seu donatur, si non est ex substantia mittentis, seu donantis se Verbi, aut opus ejus est, aut possessio, aut factura, aut aliud quidpiam ab illo separabile: nam Filius aut nullo modo mittit Spiritum, aut forinsecus mittit, aut deintus ex sua substantia. Neganti mittere Salvator contradicit evidenter: enuntiare vero, ab exterioribus mittere, qui potest aliquis cum Filii profunda Spiritus perscrutetur. Magis autem cum omne qui forinsecus ipse mittit vel perducit, eodem posterius, sit et secundum primam originem ex nihilo: ut pote militia cœlestis exercitus, cœlum, stellæ, atque mundus, cum sua primordiali materia. Si ergo extrinsecus mittit Filius Spiritum, aut est quidpiam eorum quæ dicta sunt, aut aliud aliquid ab illo separabile. Relinquitur ergo quod deintus ex sua substantia mittat Spiritum Filius: quod si deintus mittit, et non ex sua substantia, sedem, participationem advenientem scilicet, et adjectum habet ipsum, cum odor aliaque plura substantiis ex quibus prodeunt insint, secundum participationem. Verum nequaquam Filius, secundum quod ex Deo est, mittitur a Spiritu. Eadem quippe res alii potest esse causa, et alii causativum: eidem vero nihil potest causa et causativum esse: Pater quidem Filii et Spiritus causa existit (7), at Filius nequaquam Spiritus causa negari debet: quod ejus sit substantialiter, eumdemque nihil adveniens, nihil adjectum, nihil secundum participationem habens mittat secundum naturam. Simpliciter namque, ut habet ipsum Pater et mittit; ita et Filius: quamobrem ex alterutrius substantia existens, ab utroque pariter mittitur et pervenit: cum nihil aliud sit Spiritum ex aliquo existentiam habere, quam, ex ipso ex quo esse habet, procedere. Amplius: Si persona sancti Spiritus a Filio inseparabiliter mittitur et donatur, ex eodem Filio inseparabiliter Spiritum esse oportet: nam si non est ex Filio inseparabiliter, vero alio modo, cum ab ipso mittatur et donetur, separabiliter est ab eo. At qui sine decisione atque inseparabiliter mittitur et donatur, alter ab altero: quare aliquo modo est alter ex altero. Amplius: Si quædam separabiliter missa, ex causis ex quibus mittuntur profluunt, multo amplius qui inseparabiliter ab aliquo mittitur, ex mittente esse judicandum est. Quomodo autem utroque modo, ex causa deductio fit manifestum: nam truncus a radice; a cerebro dentes; cornua et ungues a carne, et a substantia cordis venæ separabiliter producuntur. Radius vero a sole: ac splendor ab igne mittuntur inseparabiliter: quæ omnia ex se mittentibus proveniunt. Qua de re Spiritus sanctus, qui a Filio mittitur inseparabiliter et donatur, ex ipso profluit, et habet existentiam. Sed Methone præsul his non consentit, hoc modo dum syllogismum connectit. Si unus est Spiritus et perfectus, quia Deus, unus autem Deus, et perfectus quoniam bonus: nam quod perfectum non est, imo quod hujusmodi bonum non est, ex una utique sit et perfecta principali causa, quæ est Pater, unumquidque. Si autem non ex uno, et hoc solo, sed et ex Filio: non idem ergo unum. Quomodo enim est, quod non ex uno neque principali, causa una? duo enim sunt Pater atque Filius, et neuter eorum perfectus: in quantum sui adinvicem egent ad productionem. Non est igitur ipse Spiritus perfectus. Quomodo enim, cum sit ex imperfectis? ni-

(7) Caute lege et regredere ad notam cap. 8. Sic tibi faciendum in multis ejusmodi locis, quæ passim in opere occurrent.

hil ex imperfectis perfectum : quin et diarchia monarchiam ab una exterminat Deitate.

CAPUT XI.

Ac vero juxta rationem hanc, neque Pater perfectus est, cum non sit ex uno : ex nullo enim Pater est. Similiter enim cœlum astraque minime perfecta sunt ; non enim ab una sunt sola persona sortita esse, cum tres æqualiter personæ, ipsis fundamentum essentiæ præstiterint, licet a quibusdam principalis Pater causa censeatur : Filius vero conditiva, Spiritus vero sanctus consummativa. Quam utique habent rationem, si Spiritus non ex Patre solo, sed ex Filio, non idem ergo unum. Quærendum est quomodo dicatur unum ? Nam unum multipliciter dicitur apud divinam Scripturam, similiter et apud philosophos : veluti genere, specie, numero : sed quod genere unum est, specie vero, plura consistit ; specie autem unum, numero plura sunt : nam una species de pluribus numero prædicatur. Unumquodque numero multipliciter videtur, aut enim ut continuum, ut unum dixerim corpus totius continuitate. Quod quidem plura est in partibus : unum toto, aut quod natura dividi non potest : ut punctum et unitas, aut quæ rationem habent eamdem nominibus differentia, ut tunica et vestis : punctum vero et unitas, quanquam dividi non possint, alteruter tamen principium nominatur et finis, prius dicitur et posterius. Et quidem in divina Scriptura unum de multitudine accipi consuevit, et unum de eo quod natura unum est, atque numero : et de multitudine quidem cum dicitur : *Erat universa terra labii unius, et linguæ unius* (*Gen.* XI) : cui simile in Actibus Lucas protulit : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una :* de uno numero similiter cum dicit : *Unus est magister vester Christus* (*Act.* IV) : unum autem rursus habet divina Scriptura : quod substantia est unum et natura, proprietatibus vero minime : sicut tres divinæ personæ, quæ proprie proprietates tres nuncupantur ; sed neque natura, neque substantia tres sunt. Unum quippe simplex indivisibile, ac unicum quod divinum est : sancti enim asserunt, ab intellectu solo ex proprietatibus differentiam personarum confitemur. Non enim ut res numerabiles, tres personas credimus : ut unum, unum et unum : sed solam differentiam proprietatum : neque tres diversæ res esse creduntur, etsi actu personæ tres existant, secundum tres proprietates, quæ rerum non introducunt sectionem aut divisionem, sed proprium a communi distinguunt : nam persona quod singulare est, et per se manifestat concursumque insignitivarum proprietatum, secundum rationem ex proprietatibus consideratam, ut individuum a communi secernit, et indicat. Qua de causa, personæ a majoribus talis assignatur descriptio : aiunt ergo personam esse substantiam, e proprietatibus ab eisdem naturæ rebus numero differentem : cujus descriptionis integer consummatusque hic esse sensus videtur : persona est substantia rationalis, quæ per suas proprietates singularis potest intelligi : ut Pater per generationem, Filius per nativitatem ; sanctus vero Spiritus per processionem : per horum similia, quæ singulis personis connecti possunt singulariter : substantia vero eorum et natura simplex est et uniformis. Unum sunt natura, et ejusdem substantiæ, tres personæ utputa simplices. Composita enim non unum natura dicuntur, etsi unum numero existant. Etenim mundus est compositus sic ex differentibus naturis, non unus videtur natura, sed unus numero : qua de re proprie personas et solas plurali utitur in Deo numero Scriptura, veluti : *Faciamus hominem* (*Gen.* I), etc.: *Venite descendentes linguas confundamus* (*Gen.* XI.) Non unum modum et incomplicabilem tantum, sed unicam naturam, personarumque significando differentiam. Nam divinum natura unum, sed non personis. Quomodo ergo in supradicta conclusione, quæ dicit : Si non est ex uno solo Patre Spiritus, sed ex Filio, non ergo idem unum accipere unum : si dicit Spiritum non esse idem unum Patri et Filio, manifestum est inconveniens, quia idem unum sunt per substantiam et per naturam ? Quod si dicere intendit, non esse unam personam eumdem Spiritum, eo quod ex duabus prodeat personis, et hoc a veritate omnino remotum est. Nam ex duobus luminibus tertium provenit, duobus nequaquam imminutis : rursus ex substantia et virtute actio progreditur : ex vena et fonte fluvius emanat : ex Patre et Filio Spiritus mittitur : et ex Patre et Filio sanctoque Spiritu mundus creatus est : omnibus itaque patet minoris falsam esse dictam consequentiam ac conclusionem : hanc scilicet, diarcha monarchiam exterminat a Deitate. Nam ex superioribus liquido apparet, quod neque duo principia, neque duæ nuncupantur causæ, Pater et Filius ; sed neque Pater licet sine principio sit, monarchus appellatur. Monarchia enim naturæ, non personæ est. Manifestum ergo hujusce inconveniens, dicentem Spiritum non ex Patre solo, sed ex Filio procedere : nequaquam consequi.

CAPUT XII.

Attamen Nicetas ex adverso instat dicens : Si omnibus quidem qui divina dogmata bene meditantur inambiguum et indubitabile constat, quoniam omne quod in Zoarchica et omni conditrice Trinitate simili modo conspicitur aut communicatur, de tribus prædicatur, aut singulariter de una persona dicitur : emissio autem simili modo, secundum eamdem processionem in Zoarchica Trinitate dicta non est communis, unius utique omnino erit. Si autem hoc ita est, utrum Patris fatebuntur solius, an et Filii ? Quorum si Patris ? ecce quanquam nolint, domesticam suam opinionem inficiabuntur : si vero Filii ? Heu ! quanta impietas : hanc enim Patri auferunt, et Filio attribuunt. Quibus concedere necesse erit, alia propria in invicem permutari et succedere. Imoque omnimoda confusio atque inordinatio erit in Deitate, quæ alia in ordinem redigit, et ne-

que hoc solum, sed fugit esse quod est sancta Trinitas, sibi vicissim cedentibus succedentibusque proprietatibus, quæ omnis impietatis plena sunt. Ergo Spiritus non ex Filio procedit, quemadmodum ex Patre ut quidam fatentur. Hæc quidem necessaria forsitan fuisset argumentatio, si quæ inducta sunt ab adversariis, concessa positaque constitissent : at neque ab adversariis concessa sunt hæc, vel posita : neque manifesta per se, ut ex his liquet quæ supponuntur. Palam enim est, quod quæcunque naturæ propria sunt, ea esse communia ejusdem substantiæ personis : ut æternum, immortale, incommutabiliter per se : nam qui participatione inconvertibilia existunt, ut angeli sancti, terminum finemque habent. Sed magnitudinis Dei finis non est. Quo enim ibo a Spiritu tuo? Ubique divinum est, et in omnibus, et in omnia tres personæ consistunt, quæ adinvicem consubstantiales sunt : ut eamdem suscipientes substantiæ rationem. Verum Filius ex Patre, ac ex Patre Filioque Spiritus sanctus est, nec ideo succedunt proprietates, e quibus Pater Filiusque insigniuntur : neque in vano est filiatio seu paternitas, ut nudum nomen circa nudum substantivum intellecta, neque consequens. Quod Græci Latinis insultando asserunt dicentes : Si Spiritus procedit ex Filio, excidit Pater a sua proprietate : certum est non esse sibi substantiam consubstantialem ; personæ vero si consubstantiales sunt, et nullatenus proprietates suas alternare queunt. Quomodo enim quod singulare est, habere valeat alterius proprietatem? Quo fit ut character, id est, proprietas insignitiva personæ, ac quælibet proprietas singularis, immobiliter adhæreat circa divinam quamlibet personam considerata. At vero non est unius tantum personæ, aut trium, quævis proprietas, ut sequentia indicabunt. Insecabilis quidem est divina substantia, sed tamen plenissime eam personarum unaquæque habet sine diminutione. Quod igitur erit inconveniens personis prorsus inseparabiliter commanentibus, proprietatem aliquam Filii Patrisve communem esse? Non omnis proprietas personam describit, id est, sicut ea æqualiter el, quæ segregare naturam putatur a reliquis, sic quædam proprietates in his quidem quæ diversarum substantiarum sunt segregant naturam. In consubstantialibus, id est in his quæ sunt ejusdem naturæ, vero personam insignire videntur, ut in homine et equo risibile atque hinnibile : quæ cum differentium naturarum sint proprietates, intra eamdem speciem, non substantiam secat alterutra, sed personarum separationis indicium, adjecto numero, tantum præstat : dextrum autem et sinistrum et hujusmodi nec secant substantiam, nec personas definiunt. Similiter his divinæ personæ quâsdam habent proprietates, quæ neutrum efficiunt. Quasdam vero quæ alteram, quæ solum tres sunt : paternitas, filiatio, atque processio. Nam proprietas, quæ causa nuncupatur, sive principium alicujus personæ, minime insignitiva est : sicut et quædam aliæ, ut ingenitum sine causa esse, sine principio esse, emittere, sine Patre esse, non esse Spiritum sanctum, non esse processibile, habere Spiritum sanctum, mittere Spiritum sanctum. Quare plerasque Filio Pater communicat, similiter quasdam habet proprietates et Filius, quæ insignitivæ non sunt. Quare quasdam Spiritui communicat, ut causativum non esse anarchum, non esse Patrem, et alia his similia. Juxta eumdem modum et Spiritus aliquas habet, quas Pater communicat, veluti non esse Filium, non esse genitum, differre a Filio, et alia hujusmodi quæ non sunt hypostaticæ proprietates sive personales (8). Hæ omnes circa substantiam considerantur, et singularum non sunt sortitæ personam, ergo sunt proprietates, quæ nequaquam personarum insignitivæ sunt : una certe in divina Trinitate proprietas, unam personam indeficienter, indiminute ac indemutabiliter insignit, ut paternitas Patrem, et filiatio Filium. Quippe circumscriptis omnibus aliis, quæcumque conveniunt Patri, ut, ingenitum esse, principium esse, Spiritum emittere, relicto eo vero solo, Patrem esse, semper Filius ad ipsum dicetur, et e converso Pater ad Filium. Nam Filius filius Patris dicitur, et Pater pater Filii : nequaquam Filius ad ingenitum dicetur. Nam cum non sit Pater, non est Filius. Quod si una proprietas, unam hypostasin indeficienter, et absque omni diminutione insignit (habet autem plures proprietates quælibet de tribus), erunt proprietates, quæ minime personas insigniant. Quamobrem non idem est habere proprietates, et ab eisdem insigniri : plures enim quodlibet animalium proprietates habet, a nulla quarum insignitur. Patet igitur, ut arbitror, nullum inconveniens sequi, si Pater, et quæ cum eo duæ personæ sunt, hujusmodi possident proprietates, cum differens habitudo compositionem non adducat : sicut in punctis, in unitatibusque liquido apparet. Nam tribus ex ordine positis unitatibus, media prioris respectu secunda videtur, tertia vero prima : et eadem prima et secunda cum sit non suscipit compositionem. Non enim est possibile passionem unitatibus, cum sint indivisibiles, inesse : quæ neque minores, neque majores inter se fiunt, neque excrescunt, neque contrarium patiuntur : quæ forte ad primam relata, dextra intelligi,

(8) Personales proprietates dici Græce hypostaticas, quæ singularum hypostaseon, id est personarum sunt insignitivæ, aliæ autem sunt proprietates non singularum insignitivæ, sed duarum personarum vel Patris et Filii, vel Filii, et Patris et Spiritus communes, et has dicit circa substantiam considerari non proprias singularum. Non ideo Deum esse compositum, et simplicitate carere, si plures habeat qualitates dictæ proprietates. Divinam naturam non ideo esse compositam quod tribus in personis. Anima etiam corporis affectionibus condolet. *Argyrophili versio sic habet :* Ratiocinari vero, et amare, aut odisse : non sunt illius affectus, sed hujusce quod habet illud ea ratione, qua illud habet, lib. 1 *De anima*, cap. 4.

ad secundam vero sinistra : et eadem dextra et sinistra existente, non deperit propria ideo simplicitas : sed neque divina natura composita dicetur, eo quod habet virtutem et actionem, personisque in tribus existat. Per omnem utique modum divina simplex natura est, et tamen tota Patris, tota Filii, tota Spiritus sancti est. Quid igitur cuipiam inopinabile videatur una in tribus personis Deitate commanente, si duarum personarum inseparabilium proprietas una est, et dicitur? Amplius : Ex affectionibus animæ, ut quibusdam visum est, quædam vestigia in corpore commanent, et ex corporis in anima, quibus physiognomones, ex corporis idea portendunt animæ affectiones. Quoniam vero ex passionibus corporis, vestigia quædam adhærent animæ (manifestum, dolenti enim condolet, vulneratoque affligitur), patitur anima non solum in senectute, sed in ebrietatibus ægritudinibusque : et propter corporis intemperantiam arcetur ab actionibus. Quo ab hujusmodi lapsu regresso, rursus perlucet anima : nec alius tamen innascitur sensus, cum priorum reminiscatur post ebrietatem. Verum hæc omnia et quæcunque horum similia sunt, ad compositum, Aristoteles retulit in lib. De anima, dicendo sic : Sentire, et amare, aut odire non sunt mentis passiones, sed habentis illam, in eo quod illam habet, eo quod non moveri animam arbitratus est, sic nequaquam tamen cum passiva movendi societate, omnem corpori et animæ communitatem abstulit. Non est anceps alteruter singulares quasdam proprietates nactum esse, ut rubrum, nigrum, album, dividuum esse : aliis alibi positis partibus, et similia his, corpus. Rationalis autem anima absque corpore intelligere, cum sit in corpore : unum cum velit intelligat, nullius eorum quæ extrinsecus egens, et quanto majora in se suscipiat, tanto facilius inferiora dispenset, se cognoscat, seque contempletur, ex quo monstratur separabile et immortalis, et utrumque quasdam communes proprietates habere, ut in toto esse, animal constituere, ab invicem posse separari, copularique iterum. Dato tamen hodie omnibus reclamet communitatibus corporis, cuncta dubitatione suffossa post resurrectionem alicujus consortium habitudinis adipiscetur ; ait enim Apostolus : *Corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem*. Iterum : *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (*I Cor.* xv) : non quod vertendum sit in spiritum, sed quod plures cum suo rationali spiritu habiturum sit communitates : hujus rei omnis dubitationis nodum ex amussi dissolvere videntur, exoptati corporis Jesu Salvatoris nostri, ejusque beatæ super omnes mulieres Genitricis subtilitas, levitas, candor inviolabilis, immortalitatis quoque ac incorruptionis gloria : quæ corporis æqualiter et spiritus esse non est ambigendum. Cum igitur anima et corpus plurimum distantia ab invicem, præter singulares quas habent proprietates quibusdam communicent : nihil utique sit inconveniens, si Pater et Filius, non voluntatibus discreti, nec dispertiti intervallis, non separabiles, non dividui aliquibus, non substantialibus participent proprietatibus, simulque una causa, unumque principium sancti Spiritus existant : unius enim luminis duo lumina, unam causam, unumque principium esse animadvertimus sensibiliter.

CAPUT XIII.

Sed objectiones adhuc iterare adversarius non cessat : Si una, inquit, causa Spiritus Filius est et Pater, hujusmodi causa aut secundum numerum habet unum, aut secundum speciem : Quorum si Spiritus sancti causa secundum numerum habet unum, et una numero causa Pater est cum Filio sancti Spiritus, quare non sunt duæ personæ Pater et Filius? Item : Omnis, inquit, causa numero una existens aut ex principio aliquo est, aut nullum habet principium. Nam habere principium, et carere principio, unum numero et idem non videtur possibilium ; at vero causa quæ dicta est, neque habet principium in eo quod Filius dicitur, unde non est Spiritus sancti una causa numero Filius et Pater, sed neque secundum speciem una propinqua Spiritus causa Pater est et Filius. Nam ex uno non numero, sed specie habentia esse similiter illi unum habent? quippe quæ ad unum specie comparantur, similiter illi unum habent. Quod si ita sit, non erit specie numero unius, cum non habet ex causa esse, quæ numero una, sed quæ specie una sit. Porro causa secundum numerum una, una numero ex necessitate est, quod specie unum habet plurium est. Ecce enim *ba* syllaba, quod secundum speciem unum habet, plurium atque differentium pars dictionum invenitur : ea si secundum numerum unum haberet numero discreta esset, et unius tantum pars dictionis, hoc autem si quis dicat non recte colligit, eo quod vere dicatur unus Deus Pater et Filius, atque Spiritus sanctus, sed neque tamen genitus Deus, neque ingenitus sunt hi tres. Quare non sunt unus Deus : Dico, inquit, Græcus, Deum non habere ibi unum secundum numerum, sed secundum naturam, seu secundum speciem. Nam dicendo, unus Deus est Pater et Filius, et Spiritus sanctus, nihil aliud intelligimus, non quod hujusmodi substantiæ Pater, et Filius, et Spiritus, per quam Pater Deus est, non Deus Pater : et Filius Deus, non Deus Filius : non enim in eo quod Deus Pater, neque in eo quod Deus Filius, cum in eo quod Deus nullas recipiat personales proprietates. Solvi hæc potest, ut arbitror, objectio, et per alia plura, et per ea quæ supponuntur. Divisio causæ quæ dicta est habentis unum aut secundum numerum, aut secundum speciem de materiali, formalive causa, et reliquis quæ supponuntur dici consuevit. Sed neque Pater solus, neque cum Filio materialis, sive formalis causa Spiritus sancti est. Neque vero efficiens, seu finalis, quod manifestius fieri potest per inductionem divisionemque earum, quæ apud primos philosophos dicuntur causarum quadrifariam divisarum. Namque

harum alia est efficiens, alia materialis, alia formalis, alia finalis. Earum rursum. Eæ quidem insunt, ut materialis et formalis : eæ vero extrinsecus intelliguntur, ut efficiens et finalis. Efficiens autem ideo extrinsecus, quoniam voluntatis est : secundum voluntatem enim facienda disponimus, et pro voluntate moventur, quibus secundum locum motus inest. Sed neque Pater extra Filium est, neque Filius factura est. Materialis autem causa inest rei, quemadmodum domui fundamentum, res statuæ, ac elementum syllabis; res quidem potest absque statua esse, Spiritus autem sine Filio et Patre impossibile quod existat. Formalis item causa rerum designativa est; nam secundum speciem, non quæ a genere differentiis abundat, sed quæ dividitur, e diverso materiæ insigniuntur res, sed Pater non est species Filii, neque Spiritus sancti. Magis autem Filius esset Patris species, si dici hoc liceret : ipse enim manifestavit nomen Patris hominibus : finalis causa est, propter quam facienda in actum prodeunt, ut medicina propter sanitatem; est enim finalis causa, propter quam alia ipsa nullius causa, et extra rem consideratur et abest : Pater autem semper est, nunquam a Spiritu separatur. Quare non est finalis causa Spiritus Pater. Manifestum igitur secundum nullum dictorum modorum, Patrem esse causam Filii, seu sancti Spiritus, quia indicibilis atque ineffabilis est ille modus, quo Pater Filii Pater et causa censetur, et Pater est Filio, sancti Spiritus una quoque causa unumque principium. Quæ vero dicta sunt patet, quia divinis personis minime propter prædictas causas conveniunt. Quare unaquæque semper ens adesse ducit, quæ non existunt. Etenim ut Pater, sic et Filius, sic et Spiritus sanctus nulla unquam re inferior esse potest, per se expetibilis, per se liber, per se bonus existens. Quoniam igitur monstratum est causam non esse personalem proprietatem, manifestum et evidens est, quod nullum inconveniens sequitur : si Pater et Filius una sancti Spiritus causa, unumque principium esse credantur, ex quo falsa manifeste apparet Nicomediæ antistitis aliorumve positio quæ dicit. Quod non est unius proprium, trium est commune : si igitur causa emissionis Spiritus non est tantum Patris, sed et Filii, necesse quoque Spiritus esse, sicque erit Spiritus emissor simul et emissus : quod mendacii plenum est. Nam commune est Patri et Filio ex aliqua non procedere, non esse spiritum alicujus, nec Spiritum sanctum esse, sicut dicitur in subtantivo non esse, omni substantiæ commune est, primis scilicet et secundis : et sicut dicit Porphyrius commune esse proprii et inseparabilis accidentis, quod præter ea nunquam consistant illa, in quibus considerantur. Unum ut hujusce omittam negationes, dico quod habere habitudinem ad invicem Patri Filioque commune est. Omnis enim habitudo circa plura licet consideretur, ut una tamen habitudinalis proprietas segregatur, ex quo liquet rursus, duos unam proprietatem habere, quæ quanquam pluraliter videantur dici, non propter se, sed propter participantia plurali utitur numero, quia per ea quæ habitudinem habent, et ipsa facilius habitudo manifestatur. Commune quoque est Patris et Filii characterem habere ad invicem se respiciendi, et rursum æqualiter secundum habitudinem differre ab invicem; sed et illud quod illorum quæ aliquid sunt quis inficietur Patris ac Filii esse commune, dici scilicet ad convertentiam? ut enim Pater Filii Pater dicitur, sic et Filius Patris Filius esse dicitur : exæquatur utique ab alterutro ad alterutrum prædicatio, quæ et conversio dicitur, quoniam ut hoc ad illud, sic et illud ad hoc prædicatur conversim : similiter autem et descriptio eorum quæ ad aliquid, hæc scilicet quibus hoc ipsum esse est, ad aliquid quodammodo se habere : de Patre quidem atque Filio prædicatur, ut de existentibus ad aliquid, nequaquam vero de Spiritu. Et quoniam adversus positam objectionem sufficiunt hæc, ut arbitror, in alias quæ restant contradictiones eundum res ipsa postulat.

CAPUT XIV.

Ecce Methone præsul talia proponit : Si perfecta, inquit, ex Patre processio Spiritus. Perfecta autem, quoniam Deus perfectus, de Deo perfecto Patre Spiritus : quid, inquam, confert ad hanc illa quæ ex Filio? Quorum si et hic aliquid confert, non est perfecta illa : quomodo enim perfecta, si tantum debabet quantum illi confert? Si autem ex Filio processio Spiritus eadem quæ ex Patre processioni est, nihilque amplius est, neque invenire, neque dicere, ad declarationem Spiritus perfectionis : superflua utique fit prorsus ea, quæ ex Filio, at superfluus est atque vanus, superfluum quid inducens, insuper consummata supra perfectaque Trinitate. Mihi quidem hujusmodi ratio non videtur sufficiens, ad tollendam Spiritus processionem ex Filio : vere cum passibilis uniuscujusque anima sit, non potest magnum quid ac generosum concipere, maxime circa divinum, dum perpetitur caliginem : non faciunt horrenda sic belligerantes vulnera. Ignorantia certe, hoc in loco, hujuscemodi cavillatione prudentior, hæc quidem et similia his quamplurima in Latinos, ut circa pueros ex omni vento formidantes naufragium jaciuntur : nonne quæri et similiter potest, Filius ex Patre perfectus est, perfectus quia Deus perfectus, de Deo perfecto Patre. Solus enim Deus perfectus vere videtur : illo existente solo perfecto, extra quod nihil est summe, et quod non indiget alicujus, alia vero omnia videntur, et sunt abusive perfecta : sive secundum quantitatem, sive secundum qualitatem, seu metaphorice, ut perfectus calumniator, perfectus latro, perfecta destructio : res quippe perficere dicitur annullari : si igitur perfectus Deus est, Filius ex Deo Patre perfecto; quid, inquam, Spiritus ad hujusmodi conferat perfectionem? Qui si confert, neuter est perfectus, neque Pater, neque Filius. Quomodo

enim perfectus si tanti eget quanti Spiritus dator est? sin vero unus Deus perfectus est Pater et Filius, et nihil amplius est invenire, neque dicere ad manifestationem paternæ perfectionis, superfluus utique fit Spiritus, quod cogitare impium est. Nam sicut universitas videtur Patris et Filii esse, ita et Spiritus sancti : atque quos vocat Pater et Filius, quos vocat Filius et Spiritus? Quos sanctificat Pater hos quoque sanctificat et Spiritus, licet de Spiritu dictum sit : *Non loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur* (*Joan.* XVI) : quod quidem præcipue ostendit ejusdem naturæ veritatem communitatis, et non aliquam minorationem. Omne enim quod natum est, si rationale sit, non ex imbecillitate, vel casu cum vult, a seipso propriam habendo voluntatem, loquitur, Spiritus vero Dei non sic. Quidquid enim vult Spiritus, Dei est voluntas : et quidquid vult Deus, Spiritus sancti voluntas est. Cæterum prophetæ reliquique homines nolunt quidquid Deus vult. Ecce Petrus magistrum negavit, Aaron adversus Moysen murmuravit, Jeremias prophetiam aspernatus est : Spiritus autem non sic. Non enim aliquando quæ Dei Patris, aliquando quæ suipsius vult, quia in se aliam non habet voluntatem; sed neque Filius una et eadem existente trium personarum voluntate ac perfectione, propterea perfecta Spiritus ex Patre processio non debet prohibere eam quæ ex Filio esse dicitur, cum neque perfectio Filii ex Patre prohibeat perfectionem sancti Spiritus ex eodem. Quare planum est, quod ex utroque perfectionem et esse habeat Spiritus. Nam si separatim et seorsum Spiritus progressio ex Patre esset, nullo modo Filio communicante, imminueretur dignitas illius, qui genitus est. Etenim si ex solo Patre Spiritus procederet, solus Pater ipsum mitteret et tribueret, quod sic manifestum fit : si Filius eo quod a solo Patre generatur, a Patre solo datur et mittitur : propter eamdem rationem, si ex Patre solo procedit Spiritus : Pater solus ipsum tribuit ac mittit; mittere autem et dare Spiritum, Filii dignitas est. Qua de re si seorsum, et separatim Pater mittit Spiritum, minuitur Filii dignitas, quod cogitare impium nefariumque est : igitur ex ambobus est Spiritus processio. Amplius ut anteriusostensum est, nihil commune habet, Pater et Filius ex eo quod habet est Pater, hic est Filius, personaliter ab eo dividere prorsus ad similitudinem individuorum speciei cujuslibet, sub substantia intellectæ : at vero Spiritus veluti qualitas est Patris et Filii, prout magnus Cyrillus in septimo ad Hermiam sermone, patenter videtur assere, sic dicens : Nunquam signa et prodigia per Paulum Christus operatus est in virtute Spiritus sancti, ut actio quædam naturalis et vivens, et ut ita dicamus, qualitas divinitatis Filii Spiritus sanctus est . si autem hoc ita est, quomodo erit factura, quod in Deo, et ex Deo naturaliter? Et iterum idem dicit : Quasi aliquis vapor, et qualitas est substantiæ ipsius Patris, et hæc quidem Sanctus, sed talis qualitas non est accidens, magis autem una personarum sanctæ Trinitatis verusque Deus. Hoc idem theologus Joannes testari videtur, ubi dicit : *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in illo* (*I Joan.* IV). Quæ charitas cum vehemens est et indeficiens erga proximum, Spiritus est in nobis, qui manere facit nos in Deo, Deumque in nobis : quod ex operibus maxime cognoscitur. Quemadmodum anima, quam nullus videt, ex actionibus motibusque percipere, quod in nobis sit ac existat : sic in nobis Dei charitas, per aliquos motus actionesque cognoscitur : quas Spiritus datus efficit, ut scriptum est : *Quoniam de Spiritu suo dedit nobis* (*I Joan.* III), qui ut mundus munda et immaculata largitur. Tale donum Spiritus sanctus est, quod charitas dicitur, per quam Pater diligit Filium et Filius diligit Patrem, et æqualiter hujusmodi charitas communicatur Patri et Filio : nam qui diligitur, debet diligenti æqualem reddere affectionem, quia sincera et certa dilectio, et ex æquali omnino ad invicem dilectione consistit : crimen alioquin dilectio foret, inæqualem reddere diligenti affectionem, et amanti amato dissimiliter assistere. Ergo hæc charitas quæ ineffabiliter jungit Patrem Filio, Filiumque Patri, quæ conjunctio nos ad amorem Dei, Filiumque ad amorem Patris trahit. Non est enim otiosus in Deo amor, quo tres personæ invicem connectuntur. Quamobrem non est putandum, quod propter homines solum, amor Deus dicatur : qui ante omnia sæcula charitas existit, quæ est Spiritus sanctus, ut evangelistæ Paulus contestatur, dicens : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V), exuberans, opimumque donum, ut Chrysostomus perhibet. Donum enim quod maximum erat, hoc dedit, non cœlum et terram, et mare : sed quod his omnibus erat honorabilius, quod angelos ex hominibus, et filios Dei ac fratres Christi præparavit : et post pauca in Epistola ad Romanos : *Non cum intercapedine*, inquit, *et pedetentim nos honoravit, sed repente bonorum fontem diffudit, et hæc ante certamina.* Quare licet non permultum dignus sis, noli desperare, magnum habens advocatorem charitatem judicantis. Qui est quod maximum dicit universorum donorum bonorumque fontem? Deus utique Spiritus sanctus, quem charitatem nuncupavit evangelista cum dicit : *Deus charitas est.* De hoc quoque in quartodecimo psalmo ait Hieronymus : « Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam Pater habet in Filium, et Filius in Patrem. » Augustinus quoque in sexto libro De Trinitate ait : « In omnibus æqualis est Patri Filius, et est unius ejusdemque substantiæ. » Quapropter et Spiritus sanctus in eadem unitate substantiæ et æqualitate consistit; sive enim sit unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, manifestum est quod non aliquis duorum est : quo uterque conjungitur, quo genitus a gignente diligitur, genitoremque suum diligit. Quo

niam igitur Spiritus ut est amor Patris, ita et Filii, ut procedit ex Patre, procedit ex Filio, manifestum igitur ex iis quæ dicta sunt, quod non existente Filii Spiritu, neque ex ipso procedente, impossibile est eumdem Spiritum Patris esse, vel ex ipso procedere. Quippe superius monstratum est, quoniam Spiritus progressio ex Patre, Filiove una eademque est, et quod commune duorum, Patris dico et Filii, ex seipsis Spiritum emittere : ostensum quoque est, quod cum emittendi proprietate plures alias communes habent proprietates Pater et Filius, quæ Spiritui minime conveniunt. Dictum etiam est, quod Pater non in eo quod Pater Spiritum emittit, sed in eo quod principium et causa : nec ideo in unam confunduntur personam, etsi per unam et indifferentem progressionem ex ambobus Spiritus proveniat. Sed neque indivisibilitas simplicitasque deperit, neque semi Arium prodigium neque semi-Sabellius exoritur error, ut nequaquam sui ipsius conservet proprietatem Pater, aliquid hujus et Filio impertiat. Similiter autem et Filius non solus insigniatur filiali proprietate, ut aliquid de ea Pater assumat : nempe non omnia quæ Patris et Filii, Spiritus quoque communia existunt, et e converso : propterea non est verus qui dicit : Omnia quæcunque habet Filius, habet et Spiritus, excepta nascibilitate. Si itaque habet emissivum Filius, habebit hoc et Spiritus, quod a veritate remotum est ; nam Filius eumdem Spiritum habendo mittit, sed Spiritus non Spiritum, neque seipsum proprie mittere dicitur.

CAPUT XV.

His atque similibus Byzantius novus philosophus non consentit. Inquit enim : Si Spiritus ex Patre Filioque procedit, sicut quidam autumant et dicunt, necesse aut simul sine tempore et æternam esse progressionem Spiritus ex Patre et Filio, aut secundum prius et posterius. Quod si secundum prius et posterius, in quocunque duorum sit, evidens est blasphemia, erit enim Spiritus se ipso prior et posterior, æternus et temporalis, recens et antiquus, sub tempore ac ante tempora, eo quod non simul adsit Spiritus progressio, ac ejus existentia, quod impietatis plenum est ; sin autem simul, præter tempus æternaliter ex ambobus, Patre dico et Filio, procedit, cui ut propugnaculo, innituntur, qui ex adverso dimicant : quærendum est ab ipsis, utrum simul præter tempus et æternaliter an quomodo dicant ? Nam si principaliter ex ambobus dicant, aperta est blasphemia. Erunt enim in supersubstantiali, supranaturali, et Zoarchica Trinitate duæ principales, et sine principio, sine causa personæ : ideoque duæ causæ, duoque principia, et duo non habentia neque causam, neque principium. Itaque in duorum pluralitatem quæ Christianæ sunt religionis transferentur, et injuria non quælibet Zoarchicæ ac supersubstantiali irrogabitur Trinitati. Quod si non principaliter, licet simul et æternaliter, sed propius atque remotius, aut primo et secundario, et sic parturitur impietas : primum quidem, quod magis erit Filius causa Spiritus, minus autem Pater. Nam quæ propinqua causa est, magis causa est, prout communes conceptiones et veritatis sermo declarat. Sed in ea, quæ incommutabilis et inalterabilis est divinitate, atque in thearchicis hypostasibus, neque minus est invenire, eo quod æqualiter, et in eadem gloria omnia quæ communia sunt, divinis personis consistant. Hæc quidem et alia dictus philosophus concinnat et exacuit, quæ adversarlis vulnera non infigent : prius quidem et posterius secundum tempus, et principaliter et secundario, proprie in Deo Latini non enuntiant, et hoc merito : numero quippe divinum superius est, et temporis consequentia : nam ubi unum et idem communitas est, nihil dehabens numerus tollitur, et concordia in unitatem coadunatur. Ideoque principaliter procedere Spiritum ab alterutro removentes, de utroque provenire affirmant æqualiter : inquiunt enim : Si non est in sancta Trinitate prius secundum tempus, neque secundum naturam, honoremve, potentiamve, non est aliqua trium personarum principaliter ab alia, magis autem quod a nullo secundum posteriorem rationem provenit, principaliter ab aliquo non videtur procedere. Qua de re, secundum exceptissimum causæ modum, ineffabilemque ordinem, quo Spiritus quidem tertius, Filius vero secundus a Patre censetur. Colligi non potest aliquod ejusmodi, nempe, si quia Pater a nullo Spiritum, a Patre vero, ipsum Filius habet principaliter, is Patris existit, propter eamdem causam. Quæcunque Filius habet, Patris erunt principaliter. Quod si ita est, solus Pater principaliter vivit, principaliter regnat, principaliter judicat, quin etiam principaliter persona est : hæc si concedantur, reum mendacii Apostolum facere videntur, dicentem : *Non rapinam arbitratus est esse Filium æqualem Deo Patri* (*Philip.* II) : sed et illud quomodo stabit : *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV) : ac alia quæ multa his aggregari possunt ? Quod vero sequitur, scilicet propinquam quidem causam magis esse causam, minus vero quæ remota est, absolvendum sufficiens esse arbitror, quod id tale in naturalibus, logicis, similibusque, in quibus non eadem causa ubique propinqua remotaque est, locum habet. In divinis vero personis, nequaquam tum propter alia multa, quæ silere nunc præstat, tum pro eo quod propinqua mediataque prorsus eadem causa censeantur Pater et Filius ; atqui neque secundum tempus, neque secundum naturam, neque secundum aliquem alium modum, Pater Filio prior est, ut de Patre quidem Spiritus principaliter, de Filio autem secundario, aut nulla ratione ut Græci nimium inopinabiliter affirmant, procedat : ut enim ante omnia tempora simul natura sunt Pater et Filius, ejusdemque honoris, ita quidquam potest Pater, potest et Filius, et quidquam a Patris et Filii potentia removeretur. Non potest peccare Pater,

non potest peccare Filius, eo quod peccare non sit res existens, sed tantum boni privatio infirmitas est, ut Apostolus dicit, Christus, *cum essemus infirmi, pro nobis mortuus est* (*Rom.* v) : et David : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum* (*Psal.* xv) : ideoque non est Deo possibile, sicut neque quod factum est, ut non sit factum, facere Deus potest. Verax enim Deus est, factum autem facere non factum, mendacium est. Potius enim hoc sit facile, a seipso differre, pœnitere, naturamque propriam deserere id est, dicere quod possit non esse Deus, quod ridiculum prorsus et inutile. Propterea, ut Aristoteles dicit : « Nulla potestas præteriti est, sed præsentis aut futuri : nullo enim modo possibile est, præteritum tempus existere nunc : sed neque in præterito verum erat dicere, quoniam nunc est illa quæ fuit temporis particula; si præteritum tempus relabi non potest ad præsens, vel ad futurum, nihil eorum quæ sunt nunc vel futura sunt, in tempore præterito existentiam habere possibile, a quocunque autem omnis aufertur existendi aptitudo, ei nulla vere potest attribui potentia : quare nulla est præteriti possibilitas, sed præsentis, vel futuri. » Quocirca præteritum omne necessarium videre non possibile neque contingens, possunt utique Pater et Filius æque omnia : volunt autem potiora. Quorum si quis dicat : Non quæcunque Pater, potest et Filius, et e converso : eo quod Pater cum sit Pater, non potest esse Filius, neque Filius Pater : verum hæc et his similia magis negationes autem infinitæ sunt, et neque naturam, neque subsistentiam habent, quare neque potentiæ sunt. Ex quo manifestum, quod ad nullam potentiam pertinet, Patrem esse Filium, cum utrumque interimat. Item si quis dicat aliud esse generare posse, et aliud posse generari et alterum quidem Pater tantum potest, alterum vero tantum Filius, unde differentes ad invicem potentias Pater et Filius habere videntur : respondendum quod eadem potentia est in Patre, secundum quam potest generare, quæ in Filio, secundum quam potest generari, quanquam diversis effulgeat proprietatibus : veluti una potentia est hominis disciplinæ perceptibile, secundum quam orator potest atque philosophus : attamen secundum oratoriam rhetor, et secundum musicam musicus nuncupatur. Ejusmodi sane distinctionibus trium personarum posse ac proprietates, ad instar lancis esse ostenduntur. At vero si solus Pater Spiritum possit emittere, ut Græci autumant, defectum patiuntur distinctiones : et dictarum personarum posse, paritas atque proprietatum interire videtur, quod hoc modo monstrari potest : solus Pater duo maxima in Trinitate potest singulariter : scilicet gignere Filium, ac Spiritum emittere. Quæ diversa esse, cum illa sequitur contradictio, palam est : nam secundum quod potest gignere, potest Filium habere; secundum vero quod potest emittere, non potest Filium habere. Quare secundum aliud potest gignere, ac secundum aliud potest emittere. Quicunque vero duo maxima in Trinitate singulariter potest, plura singularia eo potest, qui unum singulariter ibidem consimilis figuræ potest, ut Filius quidem tantum gigni. Quod si hoc singulum tantum in Trinitate Filius potest, Patri duo maxima in Trinitate singulariter potenti non exæquatur secundum hoc. Nempe si exæquatur in Trinitate Patri, tot singulariter in Trinitate potest quot et Pater. Sed neque Filius duo potest, in Trinitate singulariter, neque Spiritus. Plura ergo in Trinitate singularia solus Pater potest, quam solus Filius, aut solus Spiritus. Sed instet forte aliquis dicens : Ex præmissis non provenire hujusmodi conclusionem, pro eo quod posse pluraliter relatum, ad proprietates tantum referatur, veluti persona singulariter intellecta est, secundum substantiam dicitur producta in pluralitatem, non substantiam, sed proprietates indicat. Quod ex propositionum consecutione videri potest. Si est persona cum substantia; sed duæ personæ, si antecedant, non inferent duas substantias, vel aliquid talium. Juxta hunc modum, inquiunt, posse singulariter intellectum substantive dici, et ex eo quod unum sunt personæ tres. In quo quantum possunt duæ, tantum quælibet trium sola potest, pluraliter autem posse, cum in Trinitate pronuntiatur, solummodo proprietatum indicativum est : quare superius positæ conclusionis, hoc scilicet plura in Trinitate singularia, solus Pater potest, quam solus Filius, aut solus Spiritus : verus hic est sensus, plures singulares proprietates Pater habere potest solus, quam Filius solus, aut Spiritus solus.

CAPUT XVI.

Sed videre mihi videor quod talis responsio magis impedit quam expediat : nam sive duas proprietates seu duas potentias Patrem, Filium vero unam tantum quis habere dixerit, imparitatem, aut proprietatum, aut potentiæ, quorum utrumque detestabile arbitror, apportat. Profecto ut una et eadem est trium potentia, secundum quam aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus singulariter potest, ita proprietatum numerus circa singulas personas, ne quidquam imparitatis appareat, idem penitus conservatur. Cum enim Deus nihil in vano faciat vel habeat prorsus, non æstimo debere recipi, Patrem habere plures Filio proprietates : quippe si aliqua proprietate genitor a Filio abundat, aut aliquid potest secundum illam, aut minime . si potest, non est omnimoda inter Patrem Filiumque paritas singularis posse. Nec reprehendenda est illata conclusio : si non potest, in vano est. Cum ergo nullas divinarum personarum proprietates, absque virtutis titulo habere possibile sit, non est ambiguum, si earum aliqua abundet proprietate, ab alia eamdem et posse abundare singulari. Sed attendendum quod in quibuscunque infirmitatis vel imbecillitatis causæ proprietates esse possunt, sive in quibus una proprietas amplioribus æquivalere potest :

talis complexio locum non habet, alioquin conditorem suum in posse creatura transcendat, et Dominum saum plerumque servus quilibet. Amplius: Si Spiritus secundum singulare procedendi quod possidet proprium, tantum potest, quantum suo utroque Pater singulare : Spiritus posse Patris alterutro posse validius est. Rursus, si posse singularis proprii Spiritus, non æque potest ambobus paternis propriis, plura potest in Trinitate singulariter Pater, ut superiora monstrant, quam Filius, sive Spiritus. Talium utique ac similium inconvenientium causa origoque Patris habitudo ad Spiritum, quæ a Filio removetur existit. Et quoniam istiusmodi dogma impossibilia sequuntur, reliquum est, ut solum Pater gignere singulariter, Filius vero gigni, sanctus quoque Spiritus tantum emitti possit. Cujus quidem Spiritus existentiam personalem, quod ex duobus progreditur opinandum non est, ideirco geminam constitui. Sicut in mathematicis evidens est : punctum enim absque intervallo superpositum puncto, pinarium non pertingit, nec aliud quam prius fuerit, efficitur. Eodem autem modo linea, si superponatur lineæ, non constituit superficiem, neque crescit, neque in speciem pertransit aliam, hoc idem superficies et consilium litterarum figuræ obtinere putantur. Cum autem ex toto esse illius qui gignit, ejusque qui gignitur, Spiritus proveniat, omnis excessus, via, imparitatisque singularis personis singulare proprium obtinentibus intercipitur. Quare secundum Latinorum dogma, de nulla Trium complexio necti potest, quod aliqua illarum, plures alia proprietates habeat, vel plura quam alia possit singulariter. Quidquid enim sic inducitur, ἀνάκόλουθον, id est consequens est, sicut anteriora ostendunt. Ergo circumscripta est omnis imparitas, etiam quæ putabatur Spiritus; vel ad Patrem, vel ad Filium, ex eo quod Pater aliquid singulariter, et aliquid potest cum Filio, Filius quoque aliquid singulariter et aliquid potest cum Spiritu, Spiritus etiam aliquid singulariter, et aliquid cum Patre, licet nomen quo exprimatur, forsitan inventum non sit. Sane quod his orationibus significatur, immediate Filio jungi, causam vel causativum esse tantum in Trinitate, soli Patri Spirituique convenit, ἀπάτωρ etiam de utroque tantum prædicatur. Item differre a Filio, removeri a Filio, aliam personam esse a Filio, et aliam insignitivam proprietatem habere, ambobus ita quod cuique duorum tantum convenit, quorum æquipollentia reperiuntur similiter apud Filium cum altera duarum. Præterea et alia communia Patri et Filio, Filio et Spiritui, Spiritui et Patri, quæ non habent ad singulos relationem : ut est, duas personas esse, duas insignitivas proprietates habere, et aliqua singularia in Trinitate posse: atque si qua horum simflia excogitentur. Quocirca si Pater et Filius duo in Trinitate singularia possunt, unum autem Spiritus, nulla imparitas vel inæqualitas colligitur : habet enim id idem cum Patre Spiritus. Et notandum quod quemadmodum aliud est sensibilibus commune, ac aliud proprium : commune quidem sensu perceptibilia esse, proprium vero, ut colore, visu, sono aut auditu, percipi: ita tribus personis commune est insigniri personali proprietate : duabus vero commune est emittere, duabus autem causativum esse, duabus quoque immediate Filio jungi. His omnibus ad singulos relatis, proprium est autem ut huic quidem gignere, illi vero gigni, alii autem procedere. Quorum quidem si aliquis urgeat, esse aliud ex Patre quam ex Filio, non tamen obtineat, aliam esse atque aliam ex alterutro processionem, utpote, si aliud sit juratum esse regis, ac aliud hæredis regii : una tamen est fides, qua juratus ab utroque complectitur. Itaque liquet ex prædictis, quod in Trinitate neque prius, neque posterius, neque principaliter, neque secundario, ex eo quod Spiritus ex Filio procedat, dicendum est, et quod non est, ad consequentiam ducendum illud Augustini : « Non dicitur de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, non Deus Pater. » Nec illud Hieronymi : « Credimus in Spiritum sanctum, qui de Patre procedit proprie. » Ex quo enim sensu hæc dicta sint, Augustinus statim aperit : Ideo, inquit, addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur, sed hoc quoque illi Pater gignendo dedit, ut de illo Spiritus sanctus procederet : ergo abusive dictum est, principaliter et proprie : quod hoc habet Pater a se, non ab alio, Filius autem a Patre hoc habet, ut de ipso sit et procedat, sicut de Patre est et procedit Spiritus sanctus : quæ nullam procedendi prorsus faciunt differentiam, quod ex peritia grammaticæ artis aperte potest intelligi. Ecce verbum a nullo accipere tempus, participium autem a verbo accipere; et tamen eodem modo utrumque habet, et pariter ambobus convenit tempus : nam per omnem modum ut ex Patre, ita ex Filio procedit Spiritus sanctus. Cui ex his quæ supponuntur, iterum fides præstatur : si enim Pater solus, ut Græci fatentur, Spiritum sanctum emittit, solius Patris Spiritus sanctus est: nam si Pater non est genitor, nisi geniti ex eo Filii, et Filius non est Filius, nisi generantis se Patris, manifestum quod Spiritus nullius est Spiritus, nisi Patris ipsum emittentis. Qua ex re, si Filii est Spiritus, liquido apparet quod et ab ipso emittatur. Item, Patris quidem proprium est generare, Filii vero generari, et Spiritus sancti procedere : at Pater solius Filii Pater : et Filius solius Patris Filius, eo quod ab ipso solo generetur. Quare Spiritus sanctus, Patris solius Spiritus est, cum ab ipso procedat et solo : nam si non procedit ex Filio, neque Filii Spiritus est. Cæterum, Pater illius quem genuit solius Pater est, quia Filius ex quo generatur solo, illius solius est Filius, unde manifestum quod Spiritus sanctus, si non procedit ex Filio, neque Filii Spiritus est: hoc autem impossibile. Quare impossibile quod ex

hoc sequitur erit, dico autem Spiritum non procedere ex Filio. Item Spiritus Filii est, non ut ἐνεργούμενος, neque per gratiam, sed secundum naturam, quemadmodum Patris ex eo quo manifeste progreditur. Quorum si per naturam alicujus esse Patrem et generare idem est, similiter et per naturam alicujus esse Filium, et ab aliquo generari est idem : manifestum quod et per naturam alicujus esse Spiritum, et emittit ab aliquo est idem. Igitur cum per naturam Spiritus Filii sit, et ab ipso emittatur, quoniam vero per naturam habet Filius Spiritum, id est, non per gratiam, nec ut energumenum, manifeste considerari potest ex eo, quod nihil adventitium, nihil corruptibile, nihilque secabile habet natura divina, vel aliqua personarum divinarum.

CAPUT XVII.

Ad hæc autem nequeo præterire sub silentio gravissimam illam objectionem, quæ tanquam ex tuba emittitur in longitudinem, qua Latinorum implentur aures, et si valde illicitum putem in divino nugas confingere, aut conflctas proferre hujuscemodi. Ecce Nicomediæ præsul cum aliis exclamat : « Si ex Patre est Filius, ex Patre autem et Filio Spiritus, nepos utique Patris Spiritus est, quia et apud nos nepos proxime quidem est ex quo ducitur, per quem medium ab avo derivatur. » Quid dicendum huic aut quid respondendum erit? Hoc neque in naturalibus consecutionem habet : ut ales quidem prima ovum peperit ; ex alite autem et ovo, passer prodiit : igitur, quæ progressa est avicula, neptis judicabitur alitis. Multo minus in divino locum reperit redargutio hujuscemodi, ubi neque corporea generatio est, neque passibile : Omne autem quod talibus generationibus subjacet, necesse est secari : Omne autem quod secatur passibile. Stupesco in talibus, et ideo maxime, quod non solum dictus antistes, sed quicunque contra Latinos scripserunt in hoc negotio, paralogismo eodem, quo et antiquissimi hæretici, et similibus quæ non habent locum, præter quam in naturalibus usi sunt. Qua in re, qui hæc opponunt, secundum apparentiam tantum, nequaquam autem secundum veritatem decertant : nihilque sic litigando, contra eos qui e regione veritatem complectuntur aliquod affertur inconveniens. Palam est haud dubito, ex his quæ dicta sunt. Quod si genitor in eo quod Pater est, habitudinem relationemque habet ad Spiritum, consequitur ex necessitate, propter identitatem habitudinis genitoris, Spiritum genitum esse et Filium. Ideoque aut confundi personas, aut fratrem Filii Spiritum confingere : quod idem personas confundit.

Itaque genitor non in eo quod genitor causa est Spiritus, sed in eo, quod causa principiumque, ut sæpe conculcatum est. Quare neque alienus a Filio Spiritus est, neque absque habitudine ad ipsum judicandus. Sed neque hoc inconveniens. Si Filius non in eo quod Filius Spiritum emittat, cum Pater non in eo quod Pater Spiritus causa existat, contra quod Nicetas syllogizare conatur. Ait enim : « Si Filius non in eo quod Filius, Spiritus causa existat, relinquitur utique secundum aliquam aliam habitudinem : quod si ita est, erit Filius, ut Filius ex causa ; ut autem et ipse Spiritus emissor causa : propter quod hinc inde inconvenientia oboriuntur. » Aut enim non ex causa existens, habuit Filius emissor Spiritus esse, aut ex causa existens Patre scilicet : atqui si non existens ex causa, erunt rursus in supernaturali et supersubstantiali Trinitate duo principia sine principio, Pater scilicet et Filius. Ideoque duo principia, et duæ causæ : si autem ex causa Filius existens Spiritus emissor sit, omnino ex Patre hoc sortitus est. Nam et, quod Filius est, et omnia quæcunque habet, per Patrem habere dicitur ; sin autem ex Patre hoc habet, quæ est ista exhæredatio et detrimentum filiahs existentiæ, ut non in eo quod Filius Filium generet, et Pater censeatur, cum Pater in eo quod emissor, Filium rursus emissorem Spiritus ostendat? Si enim ex Patre indemnis est Filii generatio, Spiritusque processio quemadmodum emissor Filius ostendetur : necesse omnino ut detrimentum circa divinam naturam non inveniatur quod generet Filium, et sit nepos hinc complasmatus aliquis, cum et emissor Spiritus, in eo quod ex Patre Filius monstretur ; quod si ita est, congeries impietatis et profunda emerget fovea : non ergo Spiritus ex Filio procedit, sicut ex Patre. Hujusmodi quidem argumentationes, quibus tollere nititur a Filio processionis causam, prudens iste vir, ignorantis apparent magis quam studiosi. Quærit, quæ exhæredatio ista est et Filii detrimentum, ut non in eo quod Filius Pater sit (quod quidem quærendum non erat, sed multo minus inferendum, ut ex pluribus aliis videri potest, veluti si Pater in eo quod factor Filium factorem ostendat. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt* (*Joan.* 1) : necessarium sit Filium Patrem esse, ad ostendendum eum in eo, quod factor genitorem : nullum vero detrimentum circa divinam naturam inveniatur ; quæ fallacia, si de his quæ apud nos sunt, exemplum sumatur, apertissima est hoc modo : si pater in eo quod desipit, filium demonstrat insipientem, nulla certo videtur necessitas fatui filii generationem inferre, ne fiat paternæ detrimentum fatuitatis, puto in figura dictionis hujusmodi peccatum obvolvi, eo quod non idem eadem exponatur interpretatione. Etenim hujusce consecutio substantialium est, non proprietatum : quod reclusis considerari potest latibulis, si omissa religione ad modicum divina, mentem ad humani generis propagationem quis revocet. Nonne cujuslibet hominis filius, cum omnia quæ patri substantialia sunt habeat, eorum quæ talia non sunt, minimam interdum portionem retinet? Si Patri substantialiter inesset Filii generatio emissioque Spiritus, ex necessitate Filius ipsum idem nactus foret, quin etiam et Spiritus sanctus, et hoc in infinitum : sed Pater in eo quod substantia generat, aut Spiritum

emittit; neque in eo, quod Deus a Filio, vel a Spiritu differt, unus enim et idem Deus hi tres sunt : sed in eo quidem, quod Pater generat a Filio differt : in eo autem quod emittit, a Spiritu solo. Qua de re manifestum, quod penes substantialia tantum, talis locum habet consecutio. Nam indubitabile est personales, sive hypostaticas proprietates, impermutabiles esse, et earum permutationem tantam confusionem et disparilitatem personarum facere, quibus solis circumscriptis omnibus aliis, differentes cognoscuntur personæ : at causa, et ut ita dicam, causativum, et mittere et mitti : et quam plures aliæ hypostaticæ non sunt, sive personales : ideoque non fit confusio personarum quando dicitur : Una causa sancti Spiritus Filius et Pater est. Natura enim quasi res substantia quædam una est, proprietates autem notamina, et differentiæ indivisibilium, et quæ notæ non sunt personarum : in rebus vero creatis contingit ejusdem aliqua differentia, et separabilia esse naturæ, et sæpe nequaquam easdem habere proprietates. Et Filius quidem solus est ex Patre, ut genimen, secundum illud : *Ego a Patre exivi* (*Joan.* XVI), et illud : *De utero ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX); non quod uterum habeat Deus, sed quia legitima frequentius germina, uteri concipientium parturire consueverunt. Nihil ergo aliud sermo innuit, nisi ut certum faciat quomodo legitimus fructus Patris unigenitus existit, propterea et Spiritus proprius ejus est, sicut et Patris, cum nihil inter omnia quæ Patris sunt existat, quod a Filio alienum sit. *Omnia*, inquit, *mea tua, et tua mea* (*Joan.* XVII). Quomodo ergo Spiritus causam Patri soli attribuere quis audeat? pro foribus habet periculum, dividens a Filio Spiritum, dum dicit, non esse ex Filio, ex quo existentiam quemadmodum ex Patre habet, sicut monstratum est, qui certe a Filio effunditur : sed ejus non est possessio, qui munus est Patris et Filii, non factura, docens non ab alio instructus, quia, cum Deus sit, omnia scit, et omnia habet. Nos autem quanquam dii per ipsum efficiamur, quod efficitur non est de substantia facientis, sicut quod gignitur est de substantia generantis, ergo Filius de substantia Patris gignitur, et figura substantiæ Patris, quia de illo existit nascibiliter solus : Spiritus vero ex substantia Patris et Filii est processibiliter. Quorum si Spiritus ex substantia Patris existentiam habet, ex substantia vero Filii, cujus est secundum naturam, minime, separabilis est Pater a Filio, et non est substantiæ unius utrorumque persona, et inseparabilis : at non est separabilis Pater a Filio, cum eamdem cognitionem, eamdem substantiam, eamdemque vitam habeant. Nam quæ non sunt ejusdem substantiæ, non una cognitione comprehenduntur, neque similiter possunt vivificare. Cum igitur substantialiter ex utroque sit Spiritus, ex alterutro æqualiter et similiter habet existentiam. Ideo ait : *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem*; ita perfecte scio eum sicut et ipse me, inde omnia scio, *quia Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* X). Quare si Spiritus Patris est, secundum naturam, et Filii si Patris est substantialiter et Filii. Amat enim Pater Filium, et omnia monstrat ei, et exhibet quæcunque ipse habet. Attamen sapientia Patris Filius est, et nihil scit Pater, nec habet sine Filio.

Ex quo patet quod amborum æqualiter sit Spiritus, quo Pater Filium diligit, et quam ei non ad mensuram tribuit : diligendo autem Pater Filium, in Filio existit, et Filius in Patre, non ut contentum in continente, sed ut quibus esse unum et idem et æquale est, propterea dicit : *Si me sciretis, et Patrem meum utique sciretis* (*Joan.* VIII); quæ certe consequentia falsitatis arguenda est, si Spiritus ex Filio non procedit. Nam si Pater habet aliquod proprium quod non sit Filii, nequaquam ex Filii cognitione perfecta Patris habetur cognitio : quod forsitan hoc modo melius apparebit. Nullius scientia in Filio deprehendit quod ad eum non pertinet, ac emittere Spiritum sanctum ad solum Patrem pertinet. Nullius ergo scientia, in Filio deprehendit emittere Spiritum sanctum, quod proprium Patris est. Quare non est verum, si Filius scitur et Pater, fugienda sunt ea ex quibus inconvenientia oboriuntur, tenenda vero est veritatis norma, quæ dicit : *Si me sciretis, et Patrem meum utique sciretis* : quæ quia vera est, manifestum quod ex Filio sicut ex Patre Spiritus prodit. Non separantur personæ, neque distant ab invicem, sed mutuo absque confusione in se sunt. Quamobrem nos tres homines dicimur, ut tres personæ locis distantes, et quam pluribus aliis et non unum proprie existentes : at in sancta Trinitate unus Deus, non tres dii, propter personarum eamdem substantiam, et inconfusam ad invicem capacitatem, non virtute differunt, non tempore extenduntur, non spatiis dividuntur, quia non est aliquid inter Patrem et Filium, ut antiquior sit existentia Filii Pater : cum igitur æterna sit Filii communitas ad Patrem, et per omnia par, æterna est Spiritus sancti ad Filium, a quo in nullo, nisi per processionem quemadmodum a Patre differt.

CAPUT XVIII.

Sed adhuc Methonæ antistes Nicolaus, verborum novitates excitat suas, quasi Latinorum opiniones existant, cum injuria pronuntiat, et tanquam bonus athleta in certaminibus, aut sicut in nubibus aquila pullos ad volandum provocans, extollitur crassaturque in sermone capere, quos nondum intellexit : ait enim : « Si quia unum sunt Pater et Filius, sunt autem omnino natura unum, ideo ut ex Patre, ita ex Filio dandum est procedere Spiritum, hoc enim novitas Latini dogmatis appetit, dandum sit et Filium ex necessitate ut et Patre, ita ex Spiritu generari, quoniam et Pater et Spiritus unum sunt natura. » Quod si non ita est, periclitatur Spiritus cum non sit unum natura cum Patre : et rursus palam fit Macedonius. At hic quidem vir minime veritati appropinquat. Latini quippe non ideo dicunt

Spiritum ex Filio esse quod Pater et Filius unus Deus sunt, nec per aliquam hoc dicere disputationem coacti sunt, sed propterea ex utroque Spiritum procedere fatentur, quia æqualiter Filii atque Patris existit, non condibiliter, non nascibiliter, non possessive, sed similiter amborum est, nequaquam ut actus et opus est hominis, sed quodammodo ut radii alma lux existit et solis. Amplius autem, et ex hoc manifestum est, Filii esse Spiritum et ex Filio, quoniam Filius per se figura est personæ Patris, et æqua, ut ita dicam, mensura magnitudinis ejusdem personæ ac æquilibris, cum ergo figura personæ Patris par sit, ac persona figuræ, enuntiatur autem de persona Patris Spiritum provenire, necesse cum idem Spiritus sit Filii, per omnia Patris comparis, et de ipso enuntiari : quare si procedit ex Patre Spiritus, procedit ex Filio, aut non st æquilibris, et par figura personæ Patris. Item : gura par est magnitudini ac personæ Patris. Ex gnitudine vero et persona enuntiatur Spiritum ocedere : quare idem ipsum et ex figura enuntiabitur emittit igitur Filius Spiritum sicut et Pater.

Oponet autem aliquis, Spiritus par est personæ Patri : at vero de persona Patris enuntiatur habere Filium Quare idem de Spiritu prædicabitur, et erit Filius ius Spiritus sancti. Sed dico non esse hujusmodi æquipollentem comparationem, eo quod nunquam latum sit Filium æqualiter esse Patris ac Spiritus, im omnes confiteantur Spiritum æqualiter esse Fi atque Patris. Quare in quibus quidem nihil indigum nec indecens divinas personas consequitur, in is Patrem dicimus causam, et Filium concausam, c aliqua injuria Filio Patrive, aut sancto Spiritu corrogatur. Nam in legationibus et donationibus Spritus, semper Patris Filius consors est : at Spiritum dicere Patrem, seu Filium Spiritus filium appelle, exsecrabile profanumque est. Sed neque propetio illa quæ dicit emissionem Patri et Filio com nem esse, proprium paternæ personæ, quo aptus atus est insigniri, Pater solus interemit : hoc autet paternitas est et sola, secundum quam ut ex antioribus liquet, emissor non videtur, sed solum Pr. Quælibet proprietas in omnibus quæ ab ea ominantur, nominis sui principium servare cost, ut caliditas calidi, et frigiditas frigidi. Nulla tique proprietas circa suum quod consideratur ngulare, dupliciter in principio denominari facit : paternitas una, sola proprietas, et circa solum atrem consideratur. Itaque secundum paternitatem ntum Pater dicitur, et non emissor. Trium egere od ab aliquo denominatur, dicunt philosophi : re a qua denominatur ; nominis quoque ; amplius em, et solius dissimilis terminationis : quodcun e horum trium defecerit, impedit denominationem Manifestum itaque quod emissor neque a paterni e, neque a filiatione denominatur. Qua ex re tet genitorem secundum aliam proprietatem gene e, ac secundum aliam emittere Spiritum. Et endendum, quoniam non propter honoris parilitatem Patris et Filii, ut ex Patre, sic ex Filio Spiritus procedit. Si enim propter honoris parilitatem ex ambobus Spiritus emanaret, consequi videretur, ut Filius propter honoris parilitatem sicut est ex Patre, ita et ex Spiritu esset. Quod Methonæ astruit episcopus, qui veras in his quæ intulit, invitus reperietur : ait enim : Duobus ejusdem honoris a Patre progredientibus, si alterum alteri existentiæ usum præstet, alterum æqualem alteri decet reddere gratiam, ut honoris æqualitatem ambo conservent : quod si non retribuit, ubi est incommutabilis ordinis observantia? Et si quidem non potest, languidus est ; si vero non vult, invidus. Vah, bonus Spiritus, et rectus, et principalis ejusdem potentiæ secundum naturam, Filio Patrique consubstantialis. Hic quidem vir, et omnis intelligere volens, verum esse quod dictum est, reperiet : Spiritum sane Filio æqualem, ut Deus Deo gratiam reddit. Nam qualem gratiam Pater ex ipso prodiens retribuit, eamdem Filio recompensat, ex ipso procedens : utrumque enim emissum dicitur, et est. Ex his ergo quæ dicta sunt, ut arbitror : solvetur et Nicomediæ præsulis instantia, quæ dicit : « In quocunque communicat Filius Patri, non magis et minus communicat : si igitur in causa ei communicat, æqualiter communicare debet : quod si æqualiter communicat, erit utique ut emissor, sic et genitor, nam ambo ad causæ rationem referuntur. Sin autem non ita est, qua ratione dimidiam et non totam habebit causam? quod enim ex dimidio imperfectum, nihil autem eorum quæ circa Dominum, imperfectum est. » Demiror virum hunc, tum quidem, quod veluti mistionem substantialium ac proprietatum faciat : causa enim non est de substantialibus, neque hypostatica sive personalis proprietas, sicut prius dictum est : tum autem, quod quasi ab univoca voce facit conclusionem : sed causa hic nomen univocum non est, nec etiam æquivocum proprie, ut quidam putant; dicunt enim ideo æquivocum non esse, quod ostendat causarum communitatem, secundum quam communiter habent habitudinem aliquam, ad ea, ex ipsis sunt causis : sed nulla rerum communitas in æquivocis, secundum æquivocum nomen consideratur ; habent autem causæ hoc æqualiter commune : primas esse, quorum sunt causæ, aut potestate, aut actu, ideoque non est homonymum. Quod vero non sit univocum, hoc manifestum est. Nam univocum habitudinem habet, ad rem indifferenter, ut una eademque ratio eorum omnium sit, quæ sub univoca voce continentur : at hic non est eadem ratio quæ Patri competat et emissori : secundum aliam quippe rationem Pater genitor dicitur, et secundum aliam emissor, sicut jam demonstratum est. Talia vero proponentes dicunt, quod hoc nomen causa sit, quasi ab uno ad unum. Denique cujus veritatis consequentia esse potest, quæ dicit : Si Filius in causa Patri communicat, et in qualibet : aut iterum, si in aliqua et in

qualibet (talem enim sensum facere videtur superius posita propositio) ad neutrum antecedens sequitur consequens. Indefinita enim particularem, non universalem inferre consuevit. Verumtamen inficiando non est propositio quæ dicit : Filium æqualiter Patri communicare in quo communicat : qui cum in emittendo Spiritum Patri communicet, nequaquam in generando eidem participat. Solus autem Pater generat, solus autem Spiritum non emittit. Propterea ex simili potest dignosci fallacia hujusce, et Filii ac sancti Spiritus singularis communitas hoc modo : In quocunque Spiritus Filio communicat, æqualiter et non secundum magis et minus communicat ; si ergo communicat ei in consolatione paterna, æqualiter omnino communicare debet. Quod si ita est, erit utique, ut Paracletus, ita et Verbum ; ambo enim ad consolandi rationem referuntur : sin autem ita non est, qua ratione dimidiam et non totam habebit causam consolationis paternæ ? Quod enim dimidiatum est, imperfectum est, habent autem et alia communia Spiritus et Filius, profecto sicut Trinitatem trium, sic et duorum tantum, Filii scilicet, et Spiritus communitatem Scriptura exprimit. Unitatem quidem Moyses parabolice, ac Trinitatem insinuando producit : *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI) : in quo et unitatem docet, et Trinitatem quodammodo manifestat. Semel enim dicendo Dominus, bisque Deus, Trinitatis numerum edisseruit : subjungendo autem unus est, commodam fidelibus doctrinam attribuit unius Dei : una enim est sanctæ Trinitatis substantia, virtus et voluntas ; hoc idem et cœlicarum virtutum agmen Deo hymnum decantantium, cum ter sanctus, semelque Dominus dicant, confitentur : et in altero quidem numerum monstrant proprietatum, in altero autem unitatem naturæ commemorant. Ex quo iterum evidentissime tres esse divinas personas, unius substantiæ apparet. Sed enim Salvator in Evangelio indivisibile ac inseparabile sanctæ Trinitatis confitetur, dicens diabolo : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV). Et alibi : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (*Matth.* XXII) : putasne quia non dixit Dominum Deum tuum et Filium ejus, non oporteat nos diligere, magis autem condiligere Patri Filium, sanctumque amborum Spiritum ? hic quidem est Spiritus, qui solus divinus est. Nulla certe creaturarum, divinus, vel sanctificationis spiritus dicitur : verum hoc nomen divinum per se tribus personis tantum convenire, manifestum Paulus facit, cum Athenienses propter simulacra, superstitiosos vocet, ut in Actibus Lucas his verbis refert : *Genus cum simus Dei, non debemus æstimare, auro vel argento, aut lapidi, sculpturæ artis et cogitationis hominum divinum esse simile* (*Act.* XVII) : sed de Filio et Spiritu dicit propheta, ut quidam autumant, ex persona Christi ostendimus se, et Spiritum Patrem misisse : *Dominus*, inquit, *misit me, et Spiritum ejus*. De missione quoque Spiritus Salomon testatur in libro Sapientiæ his verbis : *Difficile æstimamus quæ in terris sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt, quis investigavit ? sensum autem tuum quis scivit ? nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis* (*Sap.* IX). Ideo Salvator perhibet in Evangelio : *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum mittet vobis* (*Joan.* XIV). Alium dicit Paracletum, ut me. Et iterum : *Hoc locutus sum vobis, Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, id est, in virtute mea, et per me, *ipse vos docebit omnia* (*Joan.* XV). Palam est igitur ex his quæ dicta sunt, quod Filius et Spiritus aliquid præter Patrem commune habent : hoc est paracletum esse, ex Patre existens, quod nullum creatorum habere potest : manifestare paternum nomen hominibus ac voluntatem, utpote illi, qui eam bene noverunt et perfecte, quod nulli contigit creaturarum, quare non sit inconveniens, si Filius una causa, unumque cum Patre est principium Spiritus sancti.

CAPUT XIX.

Sed magnopere observandum quod principium sive causa, ut ex superioribus liquet, cum referuntur ad Spiritum, nec Patri tantum, nec Filio tantum convenire singulariter pie intelliguntur. Ambobus enim sine metu dilapsus fidei stabilibus vestigiis, proprie attribuuntur. Verum cum Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio dicitur, Filius in singulis clausulis intelligitur : quemadmodum cum dicitur ingenitus principium est Filii sive causa, utrobique Pater concipitur. Nihil enim, ut puto, refert dicere, ingenitus est principium sive causa geniti, et ingenitus esse præstat genito, et Pater est principium Filii et Pater est existentiæ causa Verbo. In talibus siquidem locutionibus principium sive causa circumscripta, qualibet alia proprietate, de Patre solo intelligentiam faciunt. Propterea secundum dialecticorum regulam, eorum quæ simul sunt natura neutrum alterius causa est ut sit. Non enim Pater, sed res quæ Pater est Filio ut sit, causa est. Similiter autem quæ Filius, sed res quæ Filius est, Patri causa est ut sit. Pater namque tunc fit cum Filius fuerit. Aiunt enim, cum Pater Filio tempore prior non sit, causa veruntamen alicujuslibet rei prior est actu vel potestate illo, cujus causa existit, manifestum satis est, quod neutrum neutri causam existentiæ præstet. Quæ sententia de primo Patre ac superno non est particeps veritatis, est enim Pater causa Filii : sed non quoniam Pater est simpliciter, videtur causa esse Filii existentiæ : nempe cum Dominus ingenitum principium geniti, et genitorem esse causam verbi, a substantia quæ Pater est simpliciter, sed Patre videtur in singulis intelligi. Eodem quoque modo et dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, principium de principio, non substantia quæ Filius est, sed Filius simpliciter concipitur, ex singulorum relatione nominativorum, tanquam in

qualibet clausula hoc exprimatur : Filius de Patre existit, et Deus quidem de Deo, lumen de lumine a sanctis Patribus conscribitur : principium autem de principio. Secundum quam rationem causa rectissime pronuntiatur, in ejusdem Filii nativitatis Sermone, videlicet : Christus nascitur, gloriamini : Magnus in theologia Gregorius, dogmati Latinorum perhibens testimonium, his verbis depromit, dicens : « Erat Dei Verbum ante sæcula invisibile, incomprehensibile, incorporeum, ex principio principium, ex lumine lumen, fons vitæ ac immortalitatis. » Quod certe Verbum, si causa Paracleti principiumque minime sit, vane ipsum solum de principio nuncupatur principium. Nimirum Spiritus, et de Deo Deus est, et de lumine lumen, et de principio cum Patre ac eodem Verbo creaturæ omnis principium atque causa existit. Verum Deus Dei, causa causæ, lumen luminis, sive principium principii, divinæ consuetudo Scripturæ haud multum utitur. Ergo Pater solus causa sive principium est Filii, quoniam solus generat, et unigenitum Dei Verbum ob id solius Patris dicitur : quod solum ab illo generetur. Sanctus vero Spiritus neutrius tantum dicitur, sed amborum pariter. Ex quo rursus apparet Deum Patrem, et Filium existentiæ causam præstare sancto Spiritui, nec paternum impediri proprium, si Filius cum genitore suo Spiritum ut mittit, omittat.

CAPUT XX.

Igitur nullus strideat erroribus divulsus, nullus stygio calmo [*pro* scalmo] patientis lapsum fidei vectetur irremeabilis ad tartarum, nullus totius aspectum veri solis excludat a se, nullus distorto libramento veritati objectus, dictarum orationum pervertat interpretationem : sed altius menti habeat infixum, quod præses simplicitatis Deus cum sit, ab emissione Spiritus, unigenitum Filium suum, quamvis nullius egeat, et nulla unquam re inferior esse possit, excludit. Et quoniam solvendis adhuc omnibus multa supersunt, et Leonis dilecti fratris, qui est ingenii mei acumen, hujusque suscepti laboris incentivum, calamus, tum quod imperialium vacet Epistolarum interpretationibus, tum quod nuper per Hellespontum in Asiaticam transfretavit plagam, cum augustissimo principe Emmanuele, solitum scribendi obsequium continuare nequeat, hic respirando, cogor modicum instringere.

PRÆFATIO IN LIBRUM SECUNDUM.

AD LEONEM TUSCUM.

*Reditus tuus, germane mi Leo Tusce, illidentium cor æstuum, anhelos exhausit fomites, et æternarum personarum indagandæ studium propaginis, admodum confortavit. Nam cum animi tui honestate incocti prudentia ædita comprobat, et quasi liquore perfusa cœlesti, securitatem habere spectandi aliena certamina valicinatur, plurimum germanæ opitulatur sollicitudini. Cum vero astruit nihil verendum esse ulterius gravissimorum judicum examen, si quod de magnis, excellentibus, majestate præclaris, et optimis per naturam rebus concepi, edisseram. Leve reddit onus inexplicabile visum, summi principatus eminentiaque dignitatis. Qua de re mentis acies noctu interdiuque post tuum discessum, tanquamve perculis pungerer, coarctata latitudinem aeriam de inanimata cogitatione pervagari suspicatur, et aliquid attingere lyricæ dulcedinis. Quod futurum esse haud ambigo, si commoditate intelligendi, prætermissis divite vena eloquii, ampullis eloquentiæ, multiplicibusque figuris, quas luculenta exigere oratio solet, conceptum sermonem, quoad licet, explicare coner absolutis rationibus. Nempe difficiles sunt aditus, et multa sunt ostia, quæ recipiendum tum excludunt, tum difficulter se aperiunt, vix pulsanti facientia intentioni locum. Idcirco cum in talibus suam exerceat invidiam fortuna, millia vectium ante quamlibet sit introitus, probabilium necessariorumque argumentorum numero locuplete perfringenda sunt. Quis haud mediocriter animus irritatus, ad mulctram venire perquirit, ac perpensius indagare, qui sanguinem, qui lactis dulcedinem instillent. Cujus propositi exsecutionisque, ut neque nos, neque alios pœniteat, unctione non luctantium in palæstra opus est, sed lætitiæ oleo, inspiratione scilicet Dei, ac spiratione, qui machinam hanc omnem, et septorum flammantium coruscantes globos regit, luminisque immensi universam continet ætheream charitatem. Hunc igitur supremum rerum conditorem invoco, ut occurrat esurienti cum panibus, et operis incepti cumulatam completionem largiatur. Namque sine illo spes obtinendæ finis expers est, impetus dicendi cassus, inutilis utilitas, errorque perniciosus. Profecto non est humani consilii, tantarum rerum investigatio, indefessæ vitæ opera redundans, et laudabilis speculabundæ tuæ solertiæ, frater, instantia. Verum eodem Spiritu afflatus, de quo sermo instituitur, ut Æthnei cyclopes chalybem inceptum urges, et grandioribus et sonantioribus verbis septemplicis fistulæ, attribuis periliam, tanquam philosophiæ illius thesaurum in fratre repereris. Cum igitur vestibuli pariter formidolosæ disputationis, ejusdemque consummatoriis te desiderantissimum intuear, longos anfractus gravitate delectos, circumscribere tentabo : et inter cetrina seu cypressina laquearia, dirigam cursum inceptæ orationis. Quo in proposito multum præstat fiduciæ illud Evangelii : « Ubi fuit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (*Matth.* XXIV), » aliorumque alium grex, talis corporis carne vescentium. Etenim ubi veritas est Christianæ fidei, sanctorum exuberant testimonia : et unguentum scilicet, Spiritus sanctus, diluendo tenebras mendacii, descendit in barbum Aaron, hoc est, in eos qui ejusmodi veritatem colunt, vomereque rectitudinis insulcant. Cæterum tales nunquam contradictio, ceu nec procellæ oceanum, derelinquit, eo quod natalis soli consuetudo pertinax existat, nec exui valeat de facili patritus amictus. Tu quidem satis ad unguem nosti, qualiter adversariorum agmen, instituto sermoni obviaturum sit : qui certe si fuerit incastigatus, ut vitis amputata, jucunditate fructuum ac suavitate privabitur : astuta enim hominum natio, quæ absque amaritudine fellis esse nequit, minime qualienda stabilitate anti-*

quitatis spreta, intempestivos plerumque sermones magis vanitate, quam veritate amplectitur. Nimirum ab eadem flamma quædam aauruntur, alia vix cnlefiunt, et quædam dealbantur, velut argentum, alia denigrescunt, ut æs. Ad hoc circumspectissima divini sermonis cautela, nihil sui violatum iri patitur, quæ necessitatem incommodi extraposita, inferre prohibet cum celeritate pedem in rem difficillimam. Ea namque sive cominus sive eminus cernatur, inopinatis recessibus arcet enodare cupientem, tanquam molestum interpellatorem, aucupantem intelligentiam candoris splendidissimi. Postremo non videtur debilis refellenda calumnia domestica exercitatio, sollicitudo Græcorum quotidiana, velamine forsitan obtecta, adeo firmarum argumentationum, ut æra nostri communis perfugii, ab inferentibus liquefieri putentur. Propterea contentionibus flagrant acerrimis, animo nocendi, ut accipiter, magis armati quam unguibus. Hinc, ut æstimo, usque in præsens factum est, quod eorum insimulatio, nullis depugnationibus lenita, imo latius sit diffusum opinionis malum, adeo ut Catholicæ fidei, germanæque justitiæ regulam violarit. Quocirca quanto majus discrimen est, tanto invigilandum acrius, in hoc quem flagitas sermone, eodem priori genere argumentandi futuro, desiderante hoc materia. Et quoniam calamus nisi scribæ manu moveatur, ipse naturaliter nihil gerit, age, mi frater, dimidia mei pars, sicut jam data chartis indidisti laudastique, duce Deo, aggredere dicenda : consequentia enim mutuo antecedentia complectentur, et publicæ utilitatis explorando præmium, tam sensuum firmitati, quam nitori verborum accommodabuntur

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Patre Deo, et ejus substantia Filio, ac Spiritu prodeuntibus differenter, cum unica inter Christianos confessio esse deberet, proh dolor! varia, ut de mundi genitura inter philosophos, versatur opinio. Quorum hi quidem hunc mundum æternum esse asserebant, atque ingenitum, dicentes. Hunc mundum, neque quis deorum, neque hominum fecit, sed erat semper. Quidam vero genitum esse aiebant, pro eo solum, quod sensilis sit, non quod ab aliquo tempore incœperit. Nam sic genita necessario anteit tempus, cum sub aliquo tempore sortita existentiam, ut Aristoteles dicit : « Qui sane ingenitum secundum hoc dicit mundum, quod ipsum non præcesserit tempus : » genitum vero rursus, ut quod suam existentiam a divina causa susceperit, sicut idem in libro De cœlo, ait : « Cœlum quidem movet quod non movetur, neque fit melius illo existens. » Et rursus in metaphysicis circa principium : « Deus quidem videtur causarum omnibus esse principium aliquod. » Impossibile est enim, primæ causæ generationem esse : nam ut quilibet effectus a causa efficiente aliqua fit, sic et omne quod gignitur ab aliquo gignente gignitur. Quare secundum Aristotelem : « Deus prima causa est omnium invisibilium atque visibilium, hic Deus unum simplex est, quo simplicius excogitari nequeat. « Cujus omnia participant, et quod ipso non participat nihil est, participatur quidem Deus non sensibiliter, nec obtentus loco ab iis qui participant, sed absque habitudine totus in participatione singulorum existit, et totus excipitur ab omnibus, quod per simile quidam sanctorum demonstraverunt, dicentes : Sicut grandis et acutæ vocis, qui præsentes sunt universi secundum propriam virtutem, juvenes, pueri, femineus sexus, senes quoque, irrationabilia etiam participant, vox tamen quæ ab his participata est, in se ipsa perseverat imparticipabilis : ita Deus secundum substantiam, nec participatur, nec cognoscitur : verum dicitur participari, in eo quod ut ex A efficiente causa, sunt omnia, et in ipso continentur omnia, in eo quod sunt, ut magnus perhibet Dionysius. « Ab uno quoque, inquit, Deus, et a nullo in parte aliqua, veluti centrum in medio circuli, ab omnibus, circulo lineis circumjacentibus participatur, ut sicut sigilli alicujus singulare, insignitiones prototypo participant sigillo, penes unamquamque insignitionum toto et eodem, sed in nulla secundum aliquam partem existente. » Igitur Deus licet a pluribus participetur, unus est, non ut numerorum principium : sed ut ab omnibus exceptus, nihilque post se habens quod ei communicetur. Unde hoc sæculum, quod dum fit esse habet a divina causa existentiam suscipiens, nequaquam a se persistit, neque proprie unum est, cum divisibile sit, et parti B partem subjiciat : atqui quod proprie indivisibile est, indistans, et se totum suo toti coaptari necesse est : quod per se vere existit, principiumque non habet, divisibile autem quodlibet distantiam habet, et extrinsecus esse contrahit. Cæterum solus Deus cum nihil extrinsecus habeat, vere indivisibilis, et unus est, sicut ipse Moysen instruit : *Ego* enim, inquit, *sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* (*Jer.* XI) : et præcipiendo non dividere cultum ait : *Non erunt tibi dii præter me alii* (*Exod.* XX) ; deinde plane quod nihil ei eorum quæ possunt videri conveniat, ostendit dicens : *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem eorum quæ sunt in cælo desuper, et quæ sunt in terra deorsum, et quæ in aquis subtus terram* (*ibid.*) : vocem audisti, formam non vidisti. Nullam figuram operaberis, quia Dominus Deus tuus unus est; divisibilis non est, nec extrinsecus esse habet, indivisibiter divisibilia, sine tempore quæ sunt in tempore, ac permutabilia sine permutatione cognoscit. Et quanquam indivisibilis sit Deus, ut ostensum est, dividere tamen in Trinitatem quæ indissolubilis est et inscissilis, neque partibus compacta est, neque in substantivo est, ut actu, vel potestate substantivum deferens, non existendo dispareat, sed est

sempiterna æternitas, collectum esse habens simul omne nequaquam effusa vel explicita, ob temporis productionem : hæc quidem Trinitas omnia simul continet, omnia simul providet, omnia simul et sola mensurat, a nullo mensurata. Namque tempus particulariter mensurat quæ temporalia sunt. Ea vero simul omnia quasi mensuratis coaptetur rebus mensurat : differt certe ab his quæ fiunt prorsus, atque ab omnibus quæ futura sunt, cum neque fuit, neque erit, sed cum proprium ejus sit, tota simul præsens est, et non hoc quidem ejus subsistit, hoc vero jam subsistet, et nondum est. Infinita est, et non habet prius et posterius, sine materia est, et supra omnem simplicitatem, supra omnem terminum, supra omnem intellectum, et supra universæ rationalis creaturæ comprehensionem existit, sicut magnus scribit Dionysius. « Non ut mentem, inquit, vel substantiam laudare licitum est, Thearchicam supersistentiam, quæ omnium essentium suprema est, ut ante omnia existens, et omnia continens in se, ab omnibus ut supersubstantialis excepta super bona, sursum initiale principium, adeo ut nihil eorum quæ de ipsa dicentur proprie dici queat. » Ex quo, ut arbitror, fit quod in ejus divisione peccatur a pluribus, de quibus verendum est, ne odore mortificentur vitæ, dum asserere conantur, optimo, velut Ericius, unguento suffocari, quod nullo modo divina Scriptura peperit. Quorum unus est Nicetas Bysantius philosophus, qui adversus proximum vana confingendo, suas in hunc modum complicat argumentationes.

CAPUT II.

« Si Spiritus, inquit, procedit ex Filio sicut ex Patre, aut secundum eamdem processionem, aut secundum differentem ; si differens, aut prior paterna erit aut deterior. Quod si potior, erit prorsus Patre Filius melior. Nam quorum secundum naturam emissio potior, omnino et ipsa mellora sunt. Quod si pejor, erit Spiritus seipso deterior, et potior, eo quod differenti processione habeat existentiam : sed et Filius minime consubstantialis Deo Patrique : nempe, quorum secundum naturam emissiones deterius habent, horum et naturæ deteriores sunt. Quod si æqualis, eadem erit paternæ ; si eadem, quæro utrum actu compleat existentiam Spiritus an non? Si non complet, frustra est : nihil autem circa Deum frustra. Si opere complet, imperfecta est ex Patre emissio, quamobrem ipsamque assumit. Si perfecta est paterna Spiritus emissio, quomodo enim non, cum perfectam existentiam Spiritui efficiat? Superabundat rursus, quæ ex Filio? nihil præstat enim circa Spiritum completionis, eo quod illa quæ ex Filio eadem paternæ sit, etiam propter existentiæ Spiritus simplicitatem. Quid huic respondebo? cum fiducia confiteor, quod æqualis, magis autem eadem. Quæstio vero quæ sequitur : Utrum compleat existentiam Spiritus an non? duorum mihi facit indicium, tum quod indigens sit ea quæ ex Patre, quod nullo modo standum est ; tum quod plena sit emissio Spiritus, ut ex Patre illa quæ est ex Filio, quod pium est confiteri. Quocirca si non complet, ergo frustra non consequitur. Quam enim potest habere consequentiam, si paterna emissio indiga non est, frustra eam esse quæ ex Filio? Neque hoc rursus colligitur : si confert, id est, actu complet, imperfecta est Patris emissio : non enim ex parte Pater, sive Filius Spiritum, sed ex toto et perfecte uterque pariter emittit : solus enim Filius existit de Patre absque medio, ideoque perfecte Spiritum emittit sicut Pater : qui existens in Patre, non aliunde habet ut sit Filius, et Pater in ipso est, quia nihil habet ei dissimile. Imago quippe Patris est Filius, et in ipso tanquam in imagine paterna cognoscitur. Signaculum existit verum Dei Verbum in se repræsentando Patrem : propterea Spiritum perfecte ut ipse Pater emittit. Nunquid non dicimus Deum Patrem perfectum, et perfecte eodemque modo Filium? attamen neuter indigus est. Ad hæc autem quæri similiter potest paucis quibusdam adjectis. Salvator in Evangelio loquitur : *Nemo cognoscit quis est Filius, nisi Pater, et quis Pater nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* xi), et hoc merito, quod ejusdem sum, inquit, cum eo naturæ ac consubstantiæ, et sicut illum nullus novit, sic neque me nisi Pater solus, et hoc majus omnibus est quod habeo nosse Patrem, et ejusdem cum eo substantiæ ac naturæ consistere. Quare Filius novit Patrem, Pater Filium? Revelat se utique Pater, revelat se et Filius, Pater quidem se revelat, ut Salvator Petro respondens, perhibet : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis* (*Matth.* xvi). Revelavit quoque et Filius Patrem et se ipsum, non tamen sicut ipse seipsum novit, sed quantum nosse potest qui dignus existit revelatione. Nam Ezechieli a lumbis sursum in electri specie apparuit (*Ezech.* viii), Danieli vero Antiquus dierum (*Dan.* vii) ; velatus autem a Seraphim Isaiæ (*Isai.* vi). Patrem etiam ipse similiter revelat : *Ego enim*, inquit, *in Patre, et Pater in me, et qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* xiv), uterque igitur Pater et Filius Petro revelavit. Age itaque, eadem vel diversa revelatione, omnimodo eamdem confiteri oportet. Quod si eadem, quærendum est utrum actu compleat Patri cognitionem Filii revelatio, an non? Si actu et opere compleat, frustra est Filii revelatio, sed Deus nihil in vanum facit : si actu et opere complet, paterna erit imperfecta revelatio, atque propterea illam assumit ; si vero perfecta Patris revelatio est, superabundat rursus Filii ; hoc quoniam non provenit manifestum, cum neque defectus, neque separatio sive divisio in divinis apparere vel esse possit personis. Igitur æqualiter revelant, at non quantum ipsi sciunt, sed quantum ii quibus fit revelatio capere queunt : Pater quidem et Filius non per revelationem se vicissim, sed per naturam cognoscunt. Creaturæ vero rationales, gratia cognitionem accipiunt.

atque revelationem. Tollendo enim superjacens cordi nostro velamen, se ipsum nobis uterque revelat, in Patre. Nullus quippe divinam Trinitatem, eo quod ultra omnem intelligentiam sit reposita cognoscit, ideoque sola a se sola cognoscitur, sicut evangelista dicendo præcinit : *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* I). Certe nisi eamdem de Deo scientiam quis habeat, quod uulli contigit, nec futurum est, vere ipse seipsum novit, eum nosse non est possibile, quod ex hoc manifestum esse potest. Omnis scientia, aut sensu, aut intellectu, aut similitudine, seu imaginatione rerum veritatis comprehensionem amplectitur. » Item : « Quinque sunt ex quibus anima cognitionem recipit : ars, prudentia, disciplina, sapientia et mens : sed per nullum horum quis perfectam de Deo cognitionem potest accipere, eoque magis, quod neque in Deo, neque circa Deum sit accidens : quanto enim pauciora in aliquo fuerint accidentia, tanto id cognitu difficilius est, et ampliore opus habet diligentia. Cum igitur in Deo nullum sit accidens, et simile simili cognoscatur, ejus non potest cognosci substantia. » Item : « Nulla scientia infinitorum est, nam nisi scibile scientia comprehendat, ipsum nequaquam cognoscit. Deus autem infinitus est, propterea nullo supradictorum modorum comprehendi potest : qui omnem similitudinem corporum incorporaliumque, sua puritate transcendit, credi potest, comprehendi omnino non potest; sola ei mente propinquatur, et fide, sine qua neque mens videre potest quæ intelligibilia sunt. Non enim quales facturæ, ut dicit Parmenides, talis et factor : neque quantus ille, tantæ sunt hæ. Igitur cum pariter revelentur, seque per naturam cognoscant, et æqualiter ac perfecte Spiritum emittant Pater, Filiusque, manifestum quod ex neutro imperfecta, seu indiga, vel sursum abundans emissio est. »

CAPUT III.

Sed unde sermo ad idem regrediatur, rursus Methonæ antistes, paralogismos texit ordiendo. etenim neque simpliciter, neque ad respondentem in hunc modum syllogizat. « Si cum Patre, quæ est sine initio et causa, consubstantiale, rursus principium existit Filius, duo sunt in Trinitate diversa principia : hoc quidem in eo, quod sine principio est, principatuque dignitatis consolidatum : hoc vero in eo, quod intercidens et initians simul, et initiatum habitudinumque differentia conjugum sit. »

Huic objectioni multa ex adverso responderi possunt, ut ex iis quæ in primo libro posita sunt, evidens est. Nam si Pater et Filius non simpliciter duo dicentur, sed secundum quid, nec alter ab altero separatur, multo minus duo principia, sive duæ causæ, eo quod alteruter causa sit, sanctique Spiritus principium prædicabuntur. Nunquid Verbum Dei Patris Deus cum Deo? et Deus quidem genitus ex Deo ingenito, attamen non duo dii genitus et ingenitus, sed unus et idem Deus : sic igitur unum principium, unaque causa Spiritus sancti, qui est sine initio Pater et Filius : qui principium et caput dicitur, ut Hilarius dicit : « Caput enim omnium Filius est, sed caput Filii, Deus est. » Duo sane ubi similia numerandi nomina, rerum aliquam pluralitatem ostendere volunt, etsi earum existendi rationem taceant. Nam neque continuitatem, neque discretionem, neque dividendorum aperiunt differentiam, aliquam tantummodo manifestantia varietatem, quæ nulla inter Patrem et Filium, ex eo quod Spiritui esse præstant : unum una causa est Spiritus uterque. Præbendæ quoque sunt aures et theologo Gregorio, de eo qui sine initio, de eo qui principium, et de eo qui cum principio, philosophanti hoc modo. Qui sine initio, qui principium, qui cum principio unus Deus. Neque sine initio esse, natura est non habentis initium, sive ingenitum : nulla enim natura, quia non est hoc aliquid, sed quoniam hoc, rei existentis est positio, non illius quæ non est existit interitus, neque principium, in eo quod principium sit, ab eo qui sine initio dividitur. Non enim natura illi principium, sicut neque illi qui sine initio. Nam circa naturam hæc, sed non sunt hæc natura. Ut qui est cum non habente principium, et cum principio, non est aliud quam illa. Nomen autem illi qui sine initio Pater; illi vero qui principium Filius; ei autem qui cum principio Spiritus sanctus. Natura quidem tribus una Deus concordia vero Pater, ex quo, et ad quem referuntur, quæ ex ordine, non ut collidantur, sed ut jungantur. Ecce absolute sanctus iste vir, Filium vocat principium, et ab ipso Spiritum sanctum numerat, quia principium Spiritus immediate Filius est. Creaturarum quippe omnium æqualiter tres personæ principium existunt, ex quo patet quod Spiritus sancti principium Filius est. Verumtamen ad Patrem, et quæ Filii, et quæ Spiritus sunt referuntur : qui solus sine initio et sine causa est : Filius autem ex Patre genitus, principium est Spiritus sancti, quod syllogismo qui supponitur, de monstrari potest.

Quidquid est in sancta Trinitate principium, alicujus in ea principium existit, alioquin solum pro nihilo Filium sanctus vir principium nominasset, cum omnium conditorum tres personæ pariter censeantur principium. At vero Filius est in sancta Trinitate principium, Filius igitur alicujus est in ea principium : sed non est Patris principium Filius : necesse igitur ut Spiritus sancti principium existat. Manifestum ergo ex his quæ dicta sunt, quod principium personas non dividit, cum Patre et principium, et ἄναρχος in Scriptura nominetur; Filius vero licet non dicatur ἄναρχος, ex Patre enim, principium tamen nuncupatur, perfectus ex perfecto Patre, non sicut ex diluculo dies fit, quia non ex imperfecto perfectus, quippe quæ ad esse conducuntur, ab imperfectione veniunt : talis est natura rerum, ut cum ordine progrediantur, dato a Providentia. At ille qui in divinis personis ordo inspicitur natura indicibilis, et ineffabilis quanquam sit, hoc tamen pie sentien-

tibus de Trinitate innuit patenter, ut quod primum dicitur, causa illius sit, quod ab ipso nuntiatur vicinius : ut Pater quidem, qui sine initio causaque, proximus vero huic absque medio Filius, qui absque omni dubitatione, secundum dictam rationem, principium Spiritus existit. Non enim sui ipsius causa Spiritus est, qui Spiritus, quamvis per se repleat quæ illum habent in se singularia, non tamen ex se provenit. Si enim se ipsum emitteret, antequam emitteretur, esset, et se ipsum cum non esset emitteret. Quare aut in irritum cedit qui dictus est ordo, aut est necesse Filium Spiritus causam per traditam adnumerationem intelligi; ex quo patet quod falsus est qui dicit : « Omne quod de Zoarchica et omni conditrice Trinitate prædicatur, aut communiter de tribus personis, eodemque modo et univoce dictum reperitur, aut de una singulariter : nam missio Spiritus cum sit ex Patre et Filio, pariter, neque trium communis est, neque singulariter unius. » At Nicodemiæ præsul, e regione talia diffundens nititur.

Quidquid Deus est, hoc proprie est, neque interdicit sub oppositum, ut Pater proprie, quia non est Filius, et Filius proprie, quia non est Pater : nam natura non propria, quoniam ambo. His igitur sic se habentibus, cum ex causa, Patre scilicet Filius sit, causa ipse non existit. Nam idem causam et ex causa esse, penes naturam, quæ sectionem non suscipit, immachinabile, sicut ratio demonstravit. Dico quia non est syllogismus, nec ex eo aliquod Latinorum dogma suscipit inconveniens, cum circa hypostaticas personalesque proprietates tantum hoc veritatem contingat. At principium causativumque talium non sunt. Igitur neque de his vera est propositio, quæ dicit : Quidquid Deus est, hoc proprie existit : Nequaquam enim sub hac principium et ex causa esse comprehenduntur, quod quidem Nicæ Gregorius in tertia homilia Pater noster, manifestum facit dicendo. « Proprium Patris non ex causa esse, hoc autem non est proprium in Filio, sive Spiritu ; nam Filius a Patre exivit, sicut dicit Scriptura : et Spiritus ex Deo et Patre procedit. Sed quemadmodum sine causa esse solius Patris est, et Filio Spirituive convenire non potest, sic versa vice, ex causa esse, proprium Filii atque Spiritus, in Patre perspici naturam non habet, cum sit commune Filio et Spiritui : » Et infra : « Filius autem cum ex Deo sit, non est Spiritus, neque dicitur, quia non convertitur habitudinalis hæc consecutio, ut possit æquipollenter per resolutionem oratio converti, ut sicut Christi Spiritum dicimus, ita et Spiritum Christum nominemus. » Hac proprietate manifeste ac sine confusione alterum dijudicante ab altero. Ecce purus puro, bonus bono, et rectus innititur recto dogmati. Quicunque igitur astruere audet non esse proprium Filii et Spiritus ex causa esse, similiter autem et Spiritum non esse Filii, quemadmodum et Patris, multum manifeste hunc virum increpat. Hinc utique manifestum esse potest etiam, quod causam esse non sit Patris proprium, eo quod nec ex causa esse sit Filii proprium, ut ostensum est ; nam si ejus, quod ad aliquid, non est proprium ad aliquid : nec ejus, quod ad aliquid, proprium ad aliquid : veluti duplum quidem dicitur ad dimidium, excedens vero ad excessum, non est autem dupli proprium excedens, nec sit dimidii proprium excessum. Similiter autem quoniam dicitur Pater ad Filium, et causa ad causativum. Non est autem proprium Filii ex causa esse, cum Spiritui conveniat : nec causam esse sit Patris proprium. Et quoniam Spiritus Filii est et Patris, quidam quasi concordiam ipsum vocarunt utriusque : aliqui vero asserunt quod animarum nostrarum causa concordia dicatur, quas concordes facit, et in unum convenire. Quandiu enim Spiritus adest, inquiunt, neque quarum acus scissura connexio scindetur, propterea Spiritus datus est, ut gentes quæ lingua dividuntur, conjungeret, cujus æqua diligentia est, ut animæ corpus consentiat simplici et uniformi.

At vero Methonæ præsul ante dictis rationibus ex adverso inclamans non traducitur : « Si Pater, inquit, eorum causa est, qui ex ipso sunt, secundum quod major non ratione naturæ, sed ratione personæ : ratio autem paternæ personæ non convenit Filio, qua sit ratione unius in Trinitate scilicet Spiritus causa, Filius naturæ. Itaque natura major est, et πνευματομαχία manifesta, at ratione personæ, ergo coaptabitur rationi personæ Patris, quo Filius, a Sabellio, qui eum prodigialiter Patrem asserebat, infamatus est, nulla ratione Spiritus causa Filius existit. Nam si eadem ratione causa personæ Spiritus exstat Filius, qua et Pater eorum qui ex ipso sunt causa est, duo hæc secundum idem accidunt inconvenientia : Patrem quidem dicere Filium paternæ hypostaseos, cum hic quidem duorum, hic vero unius eorum causa existat, et quod actu compleat Patris personam, quasi ante completionem imminutam, sed neque hoc absque improbatione dimittendum est. »

CAPUT IV.

Dico itaque insufficientem esse factam divisionem, quæ Spiritum ex Filio, aut ratione naturæ, aut ratione personæ provenire significat, eamdem quippe cum habeant naturam, non est alter ex altero secundum substantiam : natura enim seipsam quomodo pariat? Similiter autem neque secundum personæ rationem. Quemadmodum enim Pater, non in eo quod Pater emittit, ita et Filius non in eo, quod Filius, causa principiumque Spiritus. Quapropter ex natura quidem Patris et Filii, et ex persona quæ est Pater, et quæ est Filius, nequaquam vero in eo quod hic quidem Pater, hic vero Filius existit : sed in eo quod ei existentiam præstant, Spiritus esse habet : neque sunt duo principia, cum secundum Spiritus emissionem numerum non suscipiant. Numerus enim non unius neque ejusdem penitus, sed habentis aliud et aliud ; unde cum de Patre et Filio, quot sint personæ quæritur, duæ respondetur. Cum

vero indicibili ac ineffabili causa Spiritus sancti exquiritur diligenter, non duæ Spiritus causæ Pater et Filius, sed una, secundum dictum concordiæ modum nuncupantur : propterea nec voce significativa differentium principiorum causarumve sancti Spiritus utendum est : si enim Dei et hominis Filius una persona est, et divina humanaque natura unus Christus, non debet inopinabile duas personas unam Spiritus sancti causam esse videri. Ecce enim apud grammaticos significat substantiam et qualitatem una causa, unaque significatio nominis existit, secundum quorum opinionem omne fere nomen substantiam et qualitatem significat : sed neque quod hæc significat, duo significare, vel aliquod nomen æquivocum dicitur, vel substantia et qualitas, quæ una significatio existunt nominis, confunduntur.

Manifestum igitur, quod Filius Patris personam ut patientem defectum aliquem non adimplet : neque quispiam ipsum Filium partem esse personæ Patris, eo quod Spiritus ex ipso procedat, dicere cogitur. Quomodo enim si Filius eadem ratione connumeratur Patri, qua Spiritus, utrique personæ Patris portio inveniatur, Filius? Sane si nata Lot eadem ratione causa est filii qua parens, utriusque causa existit, minime ipsa in paternæ compositionem personæ adigitur. Amplius : Si Spiritus nullam habitudinem ad Filium haberet, neque ab ipso mitteretur, neque per eumdem ex Patre procederet : quin etiam non esset trium personarum una divinæ communicans proprietati, sed post ipsum existeret, et ejus esset factura, ut dicebat Eunomius. Quare habet Spiritus ad Filium habitudinem, quemadmodum ad Patrem pariter differens ab utroque. Tres quippe divinæ personæ nullo quidem secundum naturam modo differunt : secundum vero personales proprietates non modo differunt, verum etiam conveniunt. Igitur Filius, sicut Pater, Spiritum dat et mittit, et emittit. Ex ipso enim Filio exuberat nobis Spiritus, sicut idem ipse testatur : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, qui credit in me* (*Joan.* VII), sicut dicit Scriptura : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*ibid.*) : quod Evangelista interpretatur dum subjungit : *Hæc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*ibid.*) ; aqua viva Spiritus dicitur, ejusque gratia : eo quod in actu sit, qui si idoneum inveniat habitaculum, non derelinquit, nec evacuatur, cujus gratia præter ipsum de credentium ventre non emanat. Sic enim discipulorum flammantia corda replevit a Christo missus et datus. Ex quo manifestum est, quod plus ipsis : et aliter apostolis, similiter nobis passibilibus existentibus, Spiritum habuit : qui quamvis grandia in virtute facientes et Spiritum sanctum per orationem et sæpe absque oratione, solo Domini nomine invocato, credentibus darent, nihil a se ipsis operati sunt in rebus hujuscemodi, sed Filius sua virtute et ex se Spiritum dat, quare ex Filio procedit Spiritus.

Sed Nicetas in sententiam hanc disputat, hujusmodi utens prolixis argumentationibus.

CAPUT V.

« Omnis imago, inquit, disparem habet circumferentiam, ad illum, cujus imago esse dicitur, præter illam quæ naturaliter dicta est. » Cum autem homo imago Dei, et ad imaginem Dei conditus, hic cum duplex sit duplicem ad Zoarchicam Trinitatem ex propositione similitudinem refert : uno quidem modo, quoniam primus homo ingenitus est : plasma enim est : Seth vero genitus, est enim genimen : at Eva neutrum horum, quia sectio est ; altero vero modo quoniam mens nostra impassibiliter et sine fluxu generatrix est, quæ in nobis orationis existit : quippe ratio mentis genimen, sed enim spiritus diversus a mente cum sit, ac oratione in nobis cum oratione provenit : ergo, quidem in homine consideratur, ad imaginem Dei circa hypostaticarum proprietatum differentiam, secundum quam ad sanctam Trinitatem ex proportione remetitur similitudinem, incommunicabile est, ad reliquas personas, quæ comprehenduntur sub demonstrata imagine circumferentiæ similitudinis scilicet. Magis autem cum non habeat quis fingere, aliquando idioma primi hominis, contingere Seth ut commune : neque quidem Evæ, ad alterutrum genitorem dico et genimen : sive rursus geniminis nascibile Adam vel Evæ. Similiter autem ea quæ quis interius sunt si speculeris, idem videas. Nam mentis idioma, quod quidem illam orationis genitricem constituit, non invenies in oratione, neque orationis, ut nascibilis in mente, neque spiritus ut spiritus. Quod si in his quæ imaginabiliter ex proportione languidiorem aliquam circumferentiam, scilicet, similitudinem habent, incommunicabilis proprietatum differentia invenitur, multo magis in ea, quæ ultra sensum et intelligentiam est. In inalterabili et incommutabili prorsus Trinitate, quis inveniat personalium proprietatum existentiam incommunicabilem? Nam si quod minus videtur inesse, inerit, et quod magis videtur inesse, inerit (videtur autem multo minus, quod in defiua et creata convertibilique natura est non moveri : neque commutare proprietates personarum secundum quas ex proportione similitudinem imaginis repræsentat); multo autem magis in ea quæ inconvertibilis et inalterabilis, et semper similiter habens natura, hoc inerit. Quod si verum, ut demonstratum est, non igitur Spiritus emissio communis est Patris et Filii, ut qui hoc dicunt detestabiliter et maxime impie agentes dogmatizant. Non est quod cuique videtur verum sicut Protagoras arbitrabatur; ut solem unius pedis esse, qui centies et septuagies amplior terra ostenditur. Fallitur pene iste philosophus, dum de Patre Deo ac primo homine ingenitum similiter dici asserit. In quo parum minus Eunomio hæretico aberrat ut videtur : qui divinæ solum substantiæ competere ingenitum, hujusmodi demonstrare argumentationibus conabatur.

Non est, aiebat, possibile intellectum iri, eo quod neque secundum privationem intelligatur, quod dicitur ingenitum : eorum enim quæ secundum naturam privationes sunt, ideoque habitudinibus posteriores : at in Deo nullus præcessit, cujus privationem ingenitum significet.

Item : « Neque in parte est genitum, in parte vero ingenitum, quod divinum est. » Indivisibile enim, neque in ipso est aliquid ut diversum ; simplex enim, unum enim, et solum ingenitum cum sit, ipsa utique substantia ingenita est, unde non est dividenda : ut hoc quidem ejus ingenitum, hoc vero genitum pronuntietur. Primum itaque dicendum quod talia compositionem non inducunt : dein ingenitum privationem in Deo non ostendere. Consequenter vero, quod adjectionis forsitan, seu substractionis, litteræ unius; » scilicet, errore traductus est. Nam ingenitum quoniam per unum γ apud Græcos scribitur, quantum hoc nomen increatum significat, et non solum divinæ naturæ, si sic dicatur, verum tribus competit personis, etenim natura pariter cum personis incausata est. Cum autem per duo νν ἀγέννητον scribitur, soli proprie Patri, non Filio, non Spiritui, neque alicui creaturæ convenit : innuens quod nullum principium, nullamque causam per se habeat. Ergo si divina substantia agenita dicatur, increata debet intelligi per unum ν, quia cum duo scribuntur νν, Pater solus, sicut per genitum intelligitur Filius : sanctus vero Spiritus, neque γέννητος, neque ἀγεννητος, quamvis unum sit, quod non generetur vocatur, sicut neque incredulus vocatur, neque impius, quamvis non credat. Neque veneretur, vel colat aliquem existens Deus. Agennitio vero, et his similia, quæ de Deo dicuntur, nullam monstrant Creatoris ad creata similitudinem. Omnis quippe similitudo expositione ac existentia, sed nullam apud Trinitatem Zoarchicam primus homo habuit, ex eo quod fuit ingenitus, similitudinem, cum ad naturam minime pertinet ingenitum, vel existentia. Nam si ad naturam spectaret ingenitum cum animalia omnia ingenita prodierint a principio, ejusdem utique omnia naturæ forent. Adam enim, neque in eo quod ingenitus erat genuit, neque Seth in eo, quod genitus, generavit.

Cum igitur Deus quidem dicatur ingenitus quia nulla eum causa præcessit, Adam vero quia causam habuit efficientem Deum, scilicet plasmatorem, alter pro eo scilicet, quod ex traduce non fuerit, nec uteri coarctatus angustia, ingenitus nuncupetur. Manifestum quod ejus ingenitus nuncupetur. Manifestum quod ejus ingenitum non sit ad Dei similitudinem vel imaginem. Quippe si Adam ex hoc ad imaginem Dei conditus vocetur, simili modo irrationalia, quod fari non licet, ad Dei pronuntiarentur imaginem condita : ad hoc autem sciendum est ingenitum differentes significationes habere apud philosophos. Nam ingenitum dicitur : uno quidem modo, si quid nunc est quod prius non erat, præter temporis latitudinem ac permutationem : veluti quidam tangi ac moveri dicunt, uno autem cum aliquid contingit fieri, ac non fieri ut domus, quæ cum fit, nondum est : alio vero, cum quid omnino impossibile est fuit, ut quandoque quidem sit, quandoque vero non, ut Deus Pater, qui neque genitus est neque principium sortitur ex aliquo : æternus cum sit et indifferens, nullius principii causam attigit aliquando : qua de re, proprie dicitur, ingenitus. Nominatur quoque principium quasi procedens causa, eo quod existentiam præstet, faciat etiam ac expleat. At vero hæreticorum versutia, hujus contrarium dicebat genitum : eo quod Dei Verbum generationem habeat. Argumentatione utens hujuscemodi. Si principium habeat ut sit, non erat utique priusquam gigneretur, et erat quando non erat, at non sic sub tempore nascentium esse ostenditur Verbum Dei. Nequaquam hac nomen circumscribit Verbi naturam. Ex substantia enim Patris est, ut lumen et genimen, et sic apud illum æternum existit.

Cæterum, ingenitum Adæ non erat insignitiva personæ proprietas, nec Evæ sectio, nec Seth nascibilitas. Nam omne insignitivum, circa rem quam insignit consideratur. Ingenitum vero Adæ, non circa rem quæ insignitur, sed extrinsecus attenditur ; similiter autem et Evæ sectio : primum enim costa resecta est, et postea Eva formata est : sed notandum quod genitum insignitiva videtur Filii proprietas, et ejus solius, quam nullus aliquando Filius sortitus est vel sortietur. Nam si omnium filiorum nativitas insignitiva proprietas esset personaliter, omnes eumdem personæ characterem haberent : nec autem differunt homines numero, quorum differentiæ insignitiva proprietas causa existit : eo quod sit, immachinabile in prospectibus, idem in alio invenire. Nam quæ proprietatem habent eamdem, non differunt numero ut ensis ; mucro, gladius. Et hæc quidem de ingenito ad monstrandum quod non sit personalis proprietas, neque substantia insigniat adveniens extrinsecus. Propterea breviter ad objecta responderi potest, non esse consequens si Adam, Eva, Seth, supradictis tribus non communicant proprietatibus, quod nullis communicent aliis. Ecce enim anima et corpus neque incorporeum, neque commune habent corporeum : attamen, ut superius declaratum est, alias quasdam communes habent proprietates. Hoc quoque modo Pater et Filius ingeniti genitique differentiis differunt : causa vero principioque conveniunt. De oratione vero Spiritu et mente dico, quod languida similitudo sit, et nequaquam familiaris proposito, utro modo λόγος ratio, sive oratio accipiatur : nam mens rationem non generat, cum potius ex ipsa suo modo constitutionem habere videatur. Quare tantum de ratione cum voce prolata intelligenda est comparatio, quæ, ut Spiritus administratur, per corporalia instrumenta, et utrumque diffunditur, et in aera dissipatur ; in sancta vero Trinitate geni

tum et emissum incorporaliter, impassibiliter et incommutabiliter. Ex Patre quidem solo Filius, ex Patre vero et Filio, absque passione, sine separatione, et absque decisione spiritus prodit. Apud homines vero non sic. Nam et Spiritus sine oratione, ut per gemitus et voces non significativas, et oratio sine mente, ut in temulentis et plenis dæmonio, aliisque pluribus reperitur : sed et mens sola sine oratione, absque sensibus, quin etiam sine phantasia operatur, dum convertitur ad se ipsam, dum incorporalium comprehensionem amplectitur, dum contemplatur divinum, et dum scientiam universalium quæ subsistere non est, in ancipiti meditatur. Subsistit enim hujusmodi communitas, cum quæ participant, ea indubitanter sint. Quippe quæ unius speciei sunt, eamdem naturam habent, et ejusdem rei participantia : quam contemplari secundum se, mentis solius est. Oratio vero et Spiritus per corpus semper exercentur. Palam est igitur, quod valefaciendum, sit hujusce argumentationibus, atque similibus, quia nullam fidem ad aliquid colligendum inconveniens conclusioni faciunt. Neque enim per hæc conducere, quod de una sola divinæ majestatis personarum, aliquod naturæ deitatis idiomatum neque rursus aliqua proprietas alicujus personarum de divina natura prædicetur. Quare omnino innititur veritati, quod Spiritus emissio, Patris Filiique sit communis : quod Nicomediæ antistes non consentit, ait enim : « Si Filius ex causa est, ut ex Patre, causa vero rursus, ut Spiritus emissor : » dividitur utique idem, cum sit causa, et ex causa, at vero simplex est quod divinum est, nec dividitur : igitur si ex causa, non est ex causa, quod enim Deus habet, hoc inseparabiliter habet, et non secundum accidens. Sicut infinito finitum exæquari non potest, itaque ei quod sine materia materiatum : hæc quidem ratio, neque ei materiam habet causæ, rite coaptetur. Nisi causa ex qua primum fit aliquid et in quam ultimum resolvitur accipiatur : qualis est prima materia, quæ in quibuscunque fuerit, substantiam suam conservat, ex qua primo elementa fiunt, quæ simplicia esse per eorum motus Aristoteles probat. Unum enim singula naturaliter habent motum, unamque materiam : nam una numero materia, unius formæ actu susceptiva est, quod in compositionibus magis patet : unum enim lignum, non simul scamnum, mensa et paries esse potest : licet una numero species plura efficiat, ut ars aliqua et quilibet artifex plura, differentiaque conficit. Quod si elementa cum sint ex materia et forma et cum causæ sint ipsa compositorum corporum simplicitatem non abjiciunt, multo amplius licet causa sit Filius Dei, et ex causa in sua permanet simplicitate.

Amplius : « Actio a substantia ex qua progreditur tertia existens, a virtute quæ substantiæ censetur effectus, ut absque medio ex illa prosiliens secunda est : qua virtus dignitate, ut virtute substantia, ex qua procedit prior est. » Ex quo satis liquere potest, quod sicut substantia virtutis, virtus vero actionis causa est simplex et individua perseverans, ita Pater Filii, Filius vero Spiritus causa est simplex existens et indivisibilis. Sciendum vero quod quidam actionem distinguentis, dupliciter aiunt eam etiam et circa Patrem Filii et Filium considerari : et unam quidem dicunt assistricem, nec prodeuntem extrinsecus, secundum quam genitor genitusque similiter et eodem modo Spiritum emittunt. Aliam vero attribuunt naturæ, quæ tres pariter comitatur personas secundum quam quæ ab ipsis personis aliena existunt, ex nihilo Pater, Filius, Spiritusque sanctus condunt et faciunt. Si ergo ex substantia virtus provenit, ex virtute vero procedit actio. Nec ideo virtus duo, vel aliquod duplex est : multo amplius de Patre, qui sine principio est virtus exit, Filius scilicet, ex quo, ut ex Patre, Spiritus sancti emanatio profluit. Item : « Ex alio dictus paralogismus falli potest, mens uniformis est, mens seipsam cognoscit : quare quod uniforme est, se ipsum cognoscit. » Duplex igitur mens est : cognita et cognoscens ; intellecta et intelligens ; agens et patiens. Propterea Plato dicebat : « Animam semper moveri, id est se semper cognoscere : » quo posito, colligat qui voluerit, quod mens se ipsa potior, et honorificentior, cum faciens patiente honoratius, sit hæc quidem et his similia in rebus quæ materiam compositionemque habent, atque sub tempore suas perficiunt actiones, interdum veritatem obtinent : at in his, quæ sine materia sunt fugit, veritas conclusionem.

Amplius : « Filius mittitur et mittit, sed non ideo duplex est : » ex quo, ut suspicor, et alius ejusdem præsulis paralogismus enervatur, qui dicit : « si Filio esse est a Patre solo, Spiritui autem a Patre et Filio, duplex ergo, et huic existentiæ ratio : » et quomodo duplex, quod compositionem nullam suscipit? Absistendum certe erat ab hujusmodi. Nam, si ideo ex Patre ac Filio Spiritus procedat, duplicem existendi habet rationem, Pater juxta eamdem rationem duplicitatem adinveniet, cum solus Filium generet, non solus vero Spiritum mittat et donet. Verum hujusmodi habitudines duplicitatem non inducunt : etenim causa hoc nomen et causativum, ut ita dicam, non hoc aliquid, nec quantum, nec quale quid, sed ut habet, ad aliquid significant. Qua de causa manifestum quod nihil talium nominum, in eo quod hujusmodi facit duplicitatem. Si nomina substantiarum significativa, quantitatum, qualitatumve duplicitatem, de Deo enuntiata non inferunt, multo minus hoc facient habitudinum significativa. Nam Dominus, ostium, via, panis, veritas, vitis, lux, vita dicitur : una substantia cum sit, et simplex, propter aliqua idiomata quæ perspiciuntur circa opera ipsius sic nominatur. Rursus Pater ἄναρχος, id est sine principio : ἀναίτιος, id est sine causa dicitur, ingenitus, genitor et hujusmodi : sed unum est, secundum subjectum et simplex et indivisibile : non solum ipse Pater, sed

et Filius, sanctusque Spiritus : tota nempe Trinitas, ab iis quæ non insunt, frequentissime nominatur. Eo enim quod ab homine videri non possit, invisibilis et inconspicabilis ; quia omnem superat intelligentiam, inaccessibilis et infinita ; quia corruptione ac morte major est, incorruptibilis et immortalis, non incipiens, non quiescens : quasi aliquod pelagus substantiæ infinitum et interminatum, et si personis diffinita sit, antequam teneatur, dilabens ; et antequam intelligatur, profugiens. Hæc quidem non ex his, quæ secundum ipsam, sed ex his, quæ circa ipsam : ex Patre quidem scimus, sed non ex Patre, imo perfecte credimus, quod Pater generet Filium, et cum Filio pariter Spiritum emittat : quod quidam inficiantur, non bene. Nam Spiritus ex Patre prodiens, aut contingit Filium aut non contingit : si non contingit, non est aliquid quod conjungat et copulet Filio Spiritum : secundum quod persona cum non complectatur proprietatem, vel unam ex Filio Spiritus, nullamque personaliter communitatem cum eo habeat.

Hoc si ita est, non est ejus Spiritus ; etenim si nihil assignationum in quibus esse Spiritui est, ex Filio accipit, neque Filii Spiritus est, nec ejus imago : hæc utique, assignationes et annotationes Spiritus sunt. Quod si hæc ex Filio accipit, ut ex Patre semper emittitur. Semper enim Pater et Filius emissor est conditorque, sed cum semper emittant, non semper propter infirmitatem rerum, quæ conduntur, quæ nequeunt ei, quæ sine initio est Trinitati, exæquari, condunt. Qua de causa, non vie ac vere dijudicant, qui dicunt impossibile secundum idem communicari Patri Filioque Spiritum sanctum, concinnando verba, non ad fidem faciendam, sed ad illaqueandum si valeant. Quemadmodum, inquiunt, in quibus communicat Pater Spiritui, non est aptus aliquomodo discerni, vel disjungi a Filio : ita, in quibus discretionemque ad Spiritum habet, non est possibilium, secundum illud Filio communicare, quod penitus a veritate remotum est, cum ex anterioribus palam sit, quod quædam quidem Filio, quæ non Spiritui : quædam vero Spiritui quæ non Filio, Pater communicet. Quæ vero ambobus communicant, hæc natura, ut secundum naturam sunt : unde nunquam evenit, quod in quo aliquis trium personaliter ab aliquo disjungitur, secundum illud, eidem conjungi eodem modo, prorsus enim impossibile ac inconsequens est, veram esse contradictionem, quæ idem discretum personaliter eodemque conjunctum modo, esse pronuntiat in Trinitate, hoc quidem de aliquo existentium asserere inconveniens, ne dum divinarum majestate personarum. Sed neque colligitur, si emissio Spiritus communis est Patris, et Filii, natura utriusque est Spiritus emissio : et idem est natura et persona.

CAPUT VI.

Verum Nicetas arguendo sermonem adhuc extendit ; ait enim : « Si omne quod de unaquaque persona divinæ majestatis dicitur, non enuntiatur, de ea magis et minus. Causa vero et principium prædicatur de Patris persona. Non erit Pater magis causa, ut sit Filii genitor, quam ut sit emissor Spiritus : at vero proprietatem, scilicet paternitatem secundum quam genitor Filii existit, non impertit Filio ut ipse Pater appareat, et non sit unus Deus Pater in Trinitate dictus. » Non igitur in eo, quod emissor, et causa existit, Spiritus dat Filio ut non magis et minus causa Deus Pater appareat Filii quam Spiritus. Quod adhuc inverecundius qui ex adverso disputat institerit : famur ad ipsum : Quæ exhæredatio, ut Deus et Pater, causa et principium existens Filii ac Spiritus ? huic quidem attribuit emissionem, paternitatem vero minime. Si autem nihil de aliqua divinæ majestatis personarum, secundum magis et minus dicitur. Non enim est aliqua nova sectio in omnipotente ac supersubstantiali Trinitate : manifestum utique quod Deus Pater solus est causa Spiritus ubi emissor, sicut et genitor solus Filii. Opinio citius fallitur quam sensus, propter duas causas : aut quia sensus circa manifestas certasque res versatur ; opinio vero circa occulta : aut quia sensus intemporaliter fere rebus adjicitur : opinio autem per media ; porro quæ circa Deum sunt occulta incertaque, nobis existunt : ex quibus fallitur qui nimium præsumit animus. Certe omni modo inconsequens est : Pater Filio non præstat, ut ipse Filius Pater sit, non dat ei paternitatem, non tribuit ei Spiritus emissionem : veluti si non dat Pater Spiritui ut nascatur, non dat ei, ut conglorificetur : et accipere de Filio, et annuntiare nobis.

Amplius : Longe a vero prospicit : si Pater solus est causa Filii : non est autem solus sancti Spiritus causa : magis est causa Filii Pater, quam Spiritus ; nam genus generalissimum substantia sui proximi solum causa existit principiumque, specialissimorum vero non solum. Sed propterea non puto quod magis superiorum quam inferiorum genus, sive causa, nuncupetur : vel magis contineat superiora, quam inferiora, mediatum quippe vel immediatum proximum, et remotum : habitudines quidem possunt interdum facere differentes, augmentum autem vel diminutionem non afferunt, sed neque intentionem vel remissionem, propterea in ipsa Trinitate talis complexionis falsitas deprehenditur : si, Pater solus est causa Filii, non autem solus est causa missionis sancti Spiritus.

Quare magis est causa unius quam alterius quod nullus recipit recte credentium, ideoque supervacaneum est quærere cur dederit Pater emissionem, non tribuendo paternitatem cum nequaquam duos Patres, vel duos Filios Trinitatis admittat fides. Talium quæstionum, non est idonea positio : sicut et hujus, cum anima causa, et principium existat phantasiæ rerumque dederit ei quarumlibet imaginationem, cur non tribuerit ei opinionem ? Nam quod volumus quimus imaginari : ut hominem non solum tricubitum, sed viginti et mille cubitorum.

Possumus quoque fingere hircocervum, et hippocentaurum, quanquam opinari nequeamus quæ volumus. Nam bis duo octo dicere possumus, opinari vero hoc nequimus, quia opinionem fides sequitur, ut philosophus dicit : « Non enim contingit opinantem quibus videtur non credere. » Nec tamen anima phantasiæ magis causa est, quam opinionis. Igitur sicut quærendum non est quomodo genuerit Deus, ita non est investigandum quomodo duo sint causa unius. Nam si quomodo in Deo quæratur : omnino et ubi, ut in loco ; et quando, ut in tempore : atque alia similiter prædicamenta quærantur.

Quod si hoc inconveniens absurdum est, et sanctis Patribus non credere, sed incircumciso corde obviare scripturis eorum : ac dicere, quis fuit Ambrosius, quis fuit Augustinus, qui asserunt Spiritum ex Filio procedere! a Spiritu certe docti : hoc asseveraverunt hi et alii quam plures. Et utique idem Spiritus docuit Patrem non esse Filium Patrem, sed virtutem potentis, sapientis sapientiam, hypostaseos, et substantiæ proprium ;characterem : hic est Spiritus, quem et veritatis omnium Dominus nominat, imago Filii, et digitus ut Spiritus oris ejus, ut Dominus pariter cum eo et Patre, ac conditor. Et si ad Patris personam Apostolus omnem reduxerit conditionem, sic dicens : *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso :* sed idem dicit : *Unus Dominus Filius, per quem omnia, et nos per ipsum* (*Ephes.* IV). Non tres conditores, sed unus. Nam angelos in conditione cooperari tribus nullus audeat asserere, sed neque unam quis personam intelligat, cum dicitur conditor unus; quemadmodum neque quod in prophetis dictum est, in persona dicuntur : *Subverti eos*, inquit, *ut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham :* et alibi : *Salvabo eos in Deo eorum* (*Jer.* L) : et Apostolus eadem figura dictionis utens dicit : *Tradidit eos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I.) Sunt igitur tres personæ, unus conditor : sicut unus Deus qui sine motu, sine labore absque assumptione materiæ fecit hanc universitatis molem, omnino impassibilis, omnino indemutabilis. Ideoque in proprio quod fecit opere, non eguit instrumentis. Cujus rei exemplum animæ inseruit humanæ quodammodo idem Creator. Etenim animæ nostræ motus, sine labore consumuntur, absque substantiis constituuntur e rebus ac intemporaliter pene fiunt. Quod si animæ substantiam actionesque inspicere nequimus minus autem et angelorum, quomodo idiomata divinarum personarum perfecte cognoscemus : credendum sanctis certe viris, qui fatentur Spiritum ex Filio procedere : cum hoc etiam idem pluribus necessariisque rationibus intelligere volentibus evidenter appareat : cum enim Filius et Spiritus soli esse habeant ex Patre, alter quidem sine medio, mediate vero alter : necesse autem Filium ex Spiritu esse, aut Spiritum ex Filio. Non autem habet Filius ex Spiritu. Restat igitur, ut Spiritus ex Filio esse habeat, tanquam ex immediata causa.

CAPUT VII.

Nam ut dicit Magnus Basilius in epistola ad canonicum : « Nihil est inter Patrem et Filium. » Si autem non est ex Deo Spiritus per Christum neque est omnino (8) : quare circa ordinem evacuatio ipsius existentiæ, aspernationem habet, et omnino fidei est negatio. Igitur ut ex immediata causa cujus, sic utique Spiritus et Filio, ut ex immediata causa Filius imago est, et in quo quiescit : quanquam secundum Græcos ex ipso non prodeat. Si enim Filius, quia imago Patris existit, ex ipso esse habet : manifestum quod Spiritus imago Filii cum sit, ex ipso esse habet. Qui filios facit sanctificatos, et per quem clamamus : Abba Pater : si ex Filio cujus imago est, non esse habet Spiritus, dicendum utique, quod sit, ut imagines æquivoce iis pro quibus factæ sunt, hoc si ita est, non eadem substantiæ rationem suscipiunt imago, illeque, cujus imago est. Secundum quid ergo dicemus Spiritum imaginem Filii, si non habet ullam, ex eo quod persona communitatem ad ipsum? Omnis imago ex prototypa idea similitudinem typum figuramque accipit. Ecce Filius cum sit imago invisibilis Dei, splendor gloriæ, ac figura substantiæ Patris, ex ipso esse habet : at vero, Spiritus imago Filii est, ut sancti perhibent : et non ab extrinsecis notis, ut rex a purpura, chlamide ac diademate, sed ab eo quod deintus habeat et emittat, quemadmodum et Pater (9). Ex quo et aliqua similitudo inest, non secundum figuram et colorem, ut imagines, quia nihil in illis hujusmodi. In eo autem, quod æternum, incorporeum, immobile secundum substantiam est, comparatio, ex quibus non multum videtur imago Filii Spiritus, aut Filius Patris existere. Quippe, secundum ea quæ tribus personis communia insunt, nulla differentia in personis apparet, nulla personæ attenditur proprietas : nam neque secundum ea, hic quidem Pater, iste vero Filius, ille autem Spiritus censetur, si secundum substantiam imago diceretur : non magis Filius imago Patris, quam Pater Filii nuncuparetur. Ergo, secundum proprietatem imago Filii dicitur Spiritus, et non secundum substantiam, ut æternum, inconscriptum, et similia.

Hinc est, quod magnus dicit Basilius, in tertio contra Eunomium sermone : « Imago vera, et naturalis Filii Spiritus, non ex imagine divina, quemadmodum nos : » imo enim cum sit imago, non habet imaginem, et cum sit unctio, unctionem non habet. Et Gregorius qui θαυμάτυργος cognominatur ex revelatione, dicit hæc : « Unus Spiritus sanctus, qui ex Deo existentiam habet, imago Filii perfecti perfecta. » Joannes quoque Damascenus similiter Patrum vestigia dum imitatur, scribit hæc : « Imago Patris Filius est, et Filii Spiritus. » Theologus quo-

(8) Caute lege, nam theologi non admittunt istam locutionem : *Spiritus Sanctus est imago Filii*, licet eam Græci passim usurpent, quibus hic voluit indulgere Etherianus.

(9) Vide S. Thom., I p., q. 35, art. 2.

que Gregorius de Filio loquens, talia pronuntiat : « Imago est ut consubstantialis, et quoniam hoc modo, at non ex hoc Pater, hoc est imaginis natura, ut sit imitamen archetypi, et cujus dicitur. » Unde patet, quod si Spiritus imago Filii est, ex illo esse habeat. Sed qui dicit nullam comparationem esse Spiritus ad Filium, imaginis tollit rationem. Non est enim impossibile comparatione sublata, imaginem intelligi. Ideoque si Spiritus imago Filii existit, palam est, comparationem ad ipsum habere. Imago enim, quid aliud est, quam ex causa esse : illo scilicet, cujus imago est? Omnino autem substantia in eo, quod substantia, non imago, non causa, non causativum, non majus, neque minus dicitur : sed neque substantia nomen imaginis est significativum. Nam personæ consubstantiales sunt, sed non substantiæ.

CAPUT VIII.

Verum Nicetas, ut mihi videtur, non ut tendendo hæc quæ dicta sunt, fertur, in vacuum; inquit enim : « Si omnibus qui recte sapere volunt, confitendum est, quod Filius sanctusque Spiritus ex Deo Patre, hic quidem per generationem, ille vero per processionem, secundum naturam ex Patris substantiâ intemporaliter et æternaliter simul, ceu germina exorta Deo : prodeunt, nec hic quidem prius, ille vero posterius, ut non alterum forte tempus præveniat. Nam in quibus prius est et posterius, ibi prorsus temporis intercalatio. Quod si penes Trinitatem detur, erit aliquid Zoarchicarum personarum sub tempore : ideoque creatura, ut in tempore esse accipiens, nec suæ causæ consubstantiale : quod est Arianæ, Eunomianæ, atque Macedonianæ hæreseos actus, et inumbratio. Quod si verum, imo, quia maxime verum intemporaliter et æternaliter simul Filium Spiritumve de Patris substantia effulgere : utrum dicatur quærendum, simul ipsum intemporaliter et æternaliter esse ex Deo Patre, et naturaliter ex ipso effulgere quemadmodum et Filius, et ex Filio eodem modo prodire ut ex Patre, aut posterius? Quod si posterius erit Spiritus se ipso prior et posterior, et ante tempus et sub tempore, et æternum et non æternum : eo quod concurrentem habeat processioni existentiam, quod omnis plenum est impietatis. Sin autem propter hujusmodi, quod consequitur impossibile ac profanum hoc dicere vitaverint : ex necessitate dicent alterum, quia intemporaliter ex Deo Patre, ac æternaliter ex Filio procedit. Sed quomodo est possibile, simul intemporaliter et æternaliter, ut ex duabus causis esse habeat, nisi ambæ primæ causæ sint et principales? Aut qua ratione una potest causa duabus ex causis existentiam habere : cum altera causarum simul cum illa ex se quam emittit, de alia causa existentiam habeat? Hoc omni prodigio figmentoque dæmoniaco irrationabilius. Quod si instantes qui hoc modo disponuntur dicant, quoniam omnia Deo et Patri possibilia sunt quæcunque ei placent, respondendum eis est, quod ipsum negare non possit se, et cum sit principium et causa Filii, Spiritusque non esse hoc idem quod est.

Si ergo propter abominabilem hujusmodi opinionem quæ dicit Spiritum ex Filio procedere, multa sequuntur inconvenientia, palam quod Spiritus ex solo Patre procedit, sicut veritatis sermo ab antiquo usque id hodiernum manifeste prædicat. Devito plenam contumeliæ responsionem, nefario huic vaniloquio retribuere. Nusquam certe in sacra Scriptura repertum est, quod solus Pater causa sit principiumque Spiritus : vel quod ex eo solo Spiritus procedat, quoniam Pater quidem solus generat; et quod solus sit causa principiumque Filii, Scriptura in pluribus testimonium perhibet. Namque solus habet Filium, solus autem non habet Spiritum sanctum, cum neque solus mittat, neque solus tribuat, quia Filius dat et mittit Spiritum, quemadmodum et Pater. Cum igitur a Patre et Filio æqualiter habeatur Spiritus, mittatur atque donetur duæ sunt causæ habentes, mittentes, atque tribuentes Spiritum sanctum. In superioribus dictum est quod Pater et Filius non dicuntur simpliciter duo : qui cum duo dicuntur, talis est sensus, ut quidam putant. Pater non est solus, nec Filius est solus, sed Pater est et Filius. Secundum vero aliam rationem, non est recipiendum in eis, propter supradictas causas dualis numerus. Etenim binarius, quemadmodum reliqui omnes numeri, nequaquam proprie de divinis personis, sed de discretam continuamque habentibus quantitatem enuntiatur.

Continuum quidem, quod de solis magnitudinibus dicitur, est, ut philosophi perhibent, cujus partes, ad communem terminum copulantur : at partes in Patre vel Filio intelligere, quas communis copulet terminus, neque figmentum etiam suscipit. Tres quidem dimensiones, quæ licet continuæ sint in partibus, determinatæ tamen dicuntur : non quod dissecentur adinvicem, sed unaquæque ipsarum, propriam rationem possideat, nullo modo eis competunt. Discretum vero est, cujus partes, per se considerantur, ut non contrahantur invicem : Pater vero et Filius singulas licet habeant rationes, nullo modo partes habere intelliguntur. Ergo proprietatibus tantum duæ personæ, sive duæ hypostases Pater Filiusque nominantur. Quamobrem patens est quod nullum prodigium introducant, nullum afferant portentum, nullumque satanicum figmentum complasment : qui fatentur ex Filio Spiritum procedere. Quippe omnis impietas, omnisque impossibilitas fugit talia enuntiantem. Nam Patris et Filii una manus est et eadem testatur, dicens : *Pater meus, qui dedit mihi major omnibus est, et nullus potest rapere oves de manu Patris mei* ; et post pauca iterum dicit : *Nullus rapit eas de manu mea* (*Joan.* x). Ecce una manus, non duæ, Patris et Filii, quoniam una causa, unumque principium Spiritus existit uterque. De hac manu digitus prodit, Sanctus videlicet Spiritus, sicut evangelistæ testantur · Matthæus enim ita scribit : *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia*

(*Matth.* XII); Lucas vero : *Si in digito Dei* (*Luc.* XI) : digitum indubitanter dicendo Spiritum ut manifestum faciat, quod sicut digitus consubstantialis est manui, et ex ea prodit, substantiam existentiamque ab ipsa sumens, ita Spiritus sanctus Patri, Filioque consubstantialis existens, licet mediate quidem de Patre, immediate vero de Filio. Nam splendor cum substantia intelligitur, imago cum archetypo, et Filius omnino cum Patre, Spiritus autem neque imago, neque Filius Patris est : qui etiam nec multum in eo quod Pater ad ipsum habere videtur habitudinem. Ex quo liquet quod neque a modo intelligendi, neque ab ordine procedendi, neque a Scriptura possibile accipere sit quod immediate Spiritus ex Patre, et non per Filium proveniat. Si enim quia Filius immediate de Patre nascitur, sine medio datur et nobis, et Spiritus absque medio de Patre procedit, et immediate datur nobis : at vero non sine medio datur nobis, non igitur immediate de Patre procedit.

CAPUT IX.

Cæterum, Nicomediæ præsul et asserentes ex Filio esse Spiritum, et profitentes ex Patre per Filium, veluti per medium procedere vehementer arguit : « Tempus, inquit, hic considerare, quæcunque asseverantem ex Patre ac Filio Spiritum sanctum procedere sequuntur inconvenientia : » si autem quosdam tumultuantes audimus non ex Patre et Filio, sed ex Patre per Filium, hoc Latini asserant procedere, prorsus, mediante Filio, ex Patre, Filius autem sine medio, ex ipso est, minor est Spiritus Filio ; nam quod per medium aliquod participat, minus est, immediate participante illius. Et hinc rursus habet locum Macedonii dogma diminuentis Spiritum, tollentis æqualem dignitatem ac potentiam. Quomodo autem Filio mediante, dabimus a Patre procedere? Namque si Pater emissor est, Spiritus vero sanctus emissus : hæc autem sunt habitudinis nomina, et simul natura : nam emissor emissi, emissor est : et emissus, ab emissore emissus. Nihil autem eorum, quæ sunt ad aliquid, per medium aliquid dicitur : quomodo ergo Spiritum sanctum, mediante Filio dicamus procedere? Repugnans utique hoc est syllogisticis ratiocinationibus, atque demonstrationibus veris : hæc igitur contra illos, qui in sermone varii sunt, et per rationabiles arbitrantur decursus infirmare, quod apud nos dogma perlucet : nos autem si quis interroget, quomodo similis ex Patre, Filius et Spiritus sanctus? Respondemus : Quemadmodum ex sole radius, et splendor, calor, et lux : quanquam et harum comparationum multa sit permutatio, defectusque similitudinis. Quo enim modo, alicui eorum, quæ deorsum sunt ad similitudinem divina comparata natura similabitur.

At vero Latinus ei quidem, qui asserit Spiritum ex Filio existentiam habere, ut ex Patre, consentit : dicentem autem, ex Patre per Filium, et non subintelligentem ex Filio aspernatur. Cur autem hoc faciat superius ostensum est, et rursus in eodem sermo persistet. Nunc autem, ante delibatum discutiendum est, id scilicet, utrum Spiritus ex Filio immediate progrediatur, an non? ast quod immediate proveniat, fidem potest facere, qui supponitur syllogismus : si veritas capax firmitatisque ordo, et habitudo nominum existit, verus est et firmus ordo personarum et habitudo : nempe quæ scribuntur, notæ sunt eorum quæ dicuntur. Voces vero, intellectuum notæ : intellectus autem finem habent rerum comprehensionem : et tunc vere intellectus existunt, cum quasi rebus ipsis coaptantur. Nam imagines sunt in anima rerum intellectus, voces vero intellectuum indicativæ sunt : ideoque a natura tributæ, ut per eas significemus ad invicem animæ conceptiones, secundum rerum dispositionem. Atqui ordo habitudoque trium nominum divinarum personarum, cum sit invariabilis, veritatisque capax nomen Paracleti Filii Dei nomen conjungit absque medio : quemadmodum nomen Verbi Dei copulat ingenti vocabulo. Enimvero Dominus Jesus Christus, in traditione salutaris baptismatis, cum baptizare, discipulis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti omnes gentes præciperet, hunc ordinem assignavit (*Matth.* XXVIII) : in quo copulat sibi et Patri Spiritum, propter aliquam procul dubio communitatem atque parilitatem. Non est enim æquum suspicari hujusmodi ordinem, ad naturam ita divinam referri, quod ad nullam hypostaseon proprietatem : nam natura cum una sit, ordini non deputatur alicui, neque numero.

Innumerabile penitus est, quod unitatem aliquando non excedit. Unus enim Deus, una substantia, unaque natura in tribus intelligitur personis : hæ quidem ordinantur, hæ numerantur, hæ communitatem et copulam inter se possident. Porro quæ ex natura communitus, ordinem nullum exigit, sive utique dicamus Filius et Spiritus et Pater Deus est, sive Spiritus et Pater et Filius, recta in fide semita itur ; sed quæ inest ex proprietate communitas, non sic se habet : In hac enim observandus ille ordo est, quem Dominus discipulis tradidit baptizare præcipiens omnes gentes : in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et non in nomine Spiritus et Filii, Patrisque vel Filii, et Patris et Spiritus ; eo quod Pater causa, principiumque sit Filii, Filius quoque causa sit sancti Spiritus : quod quidem usquequaque manifestum, ex eo quod secundum baptizandi dignitatem, Filio Spiritus copuletur, ordinem certe divinarum nominum personarum qui dictus est, in vanum asserere pronuntiari, haud conveniens esse existimo. Quarum secundum habitudinem personarum et ordinem, nominum ordo existit et dispositio. Sed forsitan qui apud Apostolum est ordo, huic repugnare videatur, qui dicit : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus : divisiones administrationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (*I Cor.* XII). Ecce primum Spiritus meminit, secundo Filii, tertio

autem Dei et Patris. Sed non est arbitrandum ordinem Apostolum pervertisse, qui a nostra initium habitudine, ut magnus testatur Basilius, fecit : « Quoniam, inquit, suscipientes dona, primum interpellamus distribuentem, deinde mittentem, ac postremo erigimus cogitatum, ad fontem et causam omnium bonorum, quo Apostolus ordine usus fuit. » Et iterum ut dicit : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei et Patris et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* (*II Cor.* XIII) ; et in omnibus hujusmodi, similis solutio est. Non enim secundum ordinem, aut secundum gloriam, quam ipsi suscipiunt, inter se gloria et ordo est, qui a nobis taliter effertur, cum illic secundum personarum consideretur habitudinem, hic autem a nostra habitudine, qui nequaquam legem ponit, neque vero contradicit illi ordini neque repugnat gloriæ, scilicet, veluti beneficii reminiscatur accipit principium. Manifestum igitur ex his quæ dicta sunt, quod firmitatis veritatisque capax est ordo nominum, et habitudo, hoc si verum esse constet, ut in ordine nominum Paracleti nomen, absque medio jungitur verbi Dei vocabulo : ita et persona quæ est Spiritus, sine medio quidem Filio, mediante vero eodem, Patri copulatur.

Quare immediate quidem ex uno, mediate vero ex altero procedit : nam quod medium dicitur, utrinque habet aliqua inter se diversa ; ubi vero tres, secundum ordinem pronuntiantur personæ, quomodo harum non erit aliqua media? Quod vero illatum est, dico autem, minor igitur Spiritus Filio : siquidem quod per medium participat alicujus, minus eo est quod absque medio participat, quia inconsequens est, timendum non est. Non enim propterea Spiritus minor est Filio, quod eodem mediante, de ingenito provenit, ut in rebus sensibilibus evidentissimum est : ecce enim Atlanticum Pontico mari participat, scilicet Propontidem : attamen dictum pelagus Propontide majus est. Similiter autem Nilus, et ei similes, mediante fonte vena participant, cum ipso fonte multo ampliores existant. Et generalissimum substantia per medium participat rationali et irrationali, cum sit major ambobus. Sed enim Verbum Dei, mediante rationali anima, participat humani generis ; sed quis minorem illum anima rationali aut Virgine matre audeat asserere? Ergo, non ob hoc Macedonii dogma locum inveniet. At vero jam eundum est, in secundam objectionem quæ dicit : Quomodo dabimus omnino ex Patre ipsum procedere et cætera? Ad quod dicendum quod Pater, Filius, atque Spiritus sanctus, communes et proprias appellationes quamplures habent, quas sacra Scriptura manifestas facit. Quare aliquas, quia res ipsa exigere videtur, sub compendio hic memorandum est : Pater igitur ingenitus, causa, principium et emissor nominatur ; similiter autem Filius genitus, Verbum, principium, causa dicitur, et emissor, scilicet immediate ; Paracletus autem Spiritus, causativus et emissus nuncupatur, quia, licet secundum hanc appellationem Patris dicatur et Filii, nequaquam tamen Pater et Filius secundum hæc appellativa vocabula, referuntur conversim ad ipsum. Nam ingenitus Spiritus Pater non dicitur, neque sapientia Dei, Verbum scilicet, Filius censetur Spiritus sancti. Itaque si mediatam causam Patrem, Filium autem, quia nulla mediante persona Spiritum emittat, immediatam quis causam vocaverit, a vero non aberrat. Et rursum cum Pater et Filius unum principium, unus emissor sint emissi Spiritus, unam et eamdem causam penitus quis ambos dicat, nullo modo peccabit.

Causa quidem causativi est, et causativus ad causam refertur, et emissor emissi emissor est. Sed forsan inferat aliquis et dicat : Quomodo Pater mediata causa existit Spiritus, secundum dictam rationem, immediata vero Filius, eo quod nulla inter ipsum et Spiritum persona existat media, duæ causæ Spiritus, mediata scilicet et immediata Filius existit et Pater? Quod minime colligitur, sicut non provenit Deum habentem Filium et Deum non habentem, duos deos esse, vel duos dominos. Et sciendum quod quidam dicunt Patrem et Spiritum, vel Filium et Spiritum, non esse ad aliquid, quia neque a dictione monstrante habitudinem, ad dictionem quæ non est cum simili habitudine, relatio attenditur : non est enim ex altero scire alterum, sed neque omne quod alterius dicitur, continuo illud est ad aliquid, ut habitus animæ et virtus dicitur, hoc enim, et similia, solum esse alicujus exigunt : ut in Patre et Spiritu, et Filio et Spiritu contingit. Quidam enim aiunt in hoc, et in similibus, cum nulla sit conversio per hujusmodi vocabula, tantum exigi quod alicujus sint. Hi tamen Patrem immediatam Spiritus causam, Filium vero immediatam, sed eamdem constituunt. Nec contra Aristotelem vel alios philosophos quæ humanarum et non divinarum rerum divisionibus utuntur hujusmodi. Causarum hæ quidem existunt per se, hæ vero secundum accidens, et rursum, hæ quidem remotæ, illæ vero compositæ : hæ quidem potestate, illæ autem actu, per se causa dicitur, ut statuæ quidem ὁ ἀνδριαντοποιός, id est statuæ factor : secundum accidens autem homo, et simpliciter animal remota causa dicitur, ut sanitatis artifex, propinqua vero ut materialis : et rursum διὰ πασῶν, propinqua causa duplum, remota vero numerus, sed non eodem modo in divinis contingit personis : nam Pater in eo quod emissor, mediata emissi Spiritus causa, Filius vero eadem existens immediata dicitur. Notandum hoc loco Patrem a quibusdam inter Filium sanctumque Spiritum medium poni. Similiter autem inter Patrem Filiumque medium quidem Spiritum constituerunt, quod non puto debere trahi ad consequentiam. Nam secundum hoc tamen, quod existentiam utrique præstat Pater, medius duorum copulaque censetur ; Spiritus vero quod neque genitus, neque ingenitus proprie dicitur, medius inter Patrem Filiumque locatus est. Reliquum est solum Filium proprie medium existere,

ut quodammodo ex aliis animadverti potest, scilicet ex generalissimo genere. Quod licet existentiam det subalternis et specialissimis, nullus tamen eorum medium ipsum generalissimum esse asserit, sicut neque inter venam fontemve fluvius, ab aliquo constituitur medius.

Itaque cum Filius immediate se habeat ad Patrem et ad Spiritum, solus ipse simpliciter et absolute medius inter Patrem est atque Spiritum. Verum de divino formidabile permultum tractare, quod etiam Socrates verebatur, qui talia dicebat: « De diis cum difficultate suscipio sermonem, ne de facili dicat me aliquis delinquere. » Ergo Pater Filius, emissor et emissus, causa et causativus, ad aliquid dicuntur. In his enim existentia ex habitudine adest. Nos tamen ex his, quæ nobis impedit beneficiis Deus beneficum nominare, ac Patrem didicimus, unumque Deum, unumque beneficum Patrem, Filium, sanctumque Spiritum credimus: cum existentiæ modum neque mens imaginari neque ratio describere valeat: sed neque alio modo, quam per actionem quæ trium una est penitus, et eadem, unitas illorum cognoscatur: quæ unus Deus, et una substantia est: eam simplicitatis rationem, licet secundum aliud Pater, secundum aliud Filius, et secundum aliud Spiritus dicatur, non omisit. Inseparabiles quidem omnino existunt quanquam distinguantur hæ tres personæ proprietatibus, inter quas si Filius non sit medius, ut dicitur, in nomine Patris et Filii, possit dici utique in nomine Patris et Spiritus, quod ecclesiastica non recipit traditio. Ex quo patet neque Spiritum, neque Patrem, in trium enumeratione medium debere intelligi: id idem processionis emanatio ex Patre Filioque profluere affirmat. Nam principiorum attributio per proxima transit: at vero genimen proximum est generanti, eique coæquale; quod si coæqualitatem exeat, Deus esse desinet, a summa decidens excellentia infinitam habens potentiam, quia coæqualis est Patri generanti se ac coæternum, quod Pater solo esse subsistentia, scilicet generare (9), ideoque solus generat, solus vero Spiritum non emittit, cum non in eo quod Pater, sed, ut emissor, causa principiumque Filio mediante.

Hoc nullum in admirationem ducere debet cum plura in naturalibus talia, per medium ad invicem referri comperiantur. Etenim Tantalus Agamemnonis proavus dicitur mediante Pelope atque Atreo; similiter autem, Pelops ejusdem Agamemnonis avus appellatur, quoniam Agamemnon ejus dicitur nepos. Qua de causa idem Pelopides censentur et Tantalides. At vero patruus et nepos sunt eorum, quæ ad aliquid et per medium dicuntur, et non est possibile subintelligi absque medio. Juxta vero eumdem modum, gener, socer, et quæcunque his similia. Quod si non fieret, parentelæ non ad multum linea extenderetur, neque in logicis generalissimum, specierum contentarum genus censeretur: neque specialissimum eorum, quæ ante ipsum sunt dicetur species, cum medium et generalissimum horum genus, et specialissimum illorum species nuncupetur: ergo nihil inconveniens est dicere Spiritum procedere per Filium, et ex Filio.

CAPUT X.

Verum Nicetas prolixa nimis oratione, iterum contra hæc impetu fertur vastissimo, in hunc modum: Si apud omnes, inquit, qui circa divinum exhibere pium cultum volunt, manifestum constat quod divinum incausatum est, incommutabile est, et nullius vicissitudinem obumbrationis suscipit: amplius autem, omnipotens, infinitum, et quascunque quis Deo dignas ex sacra Scriptura denominationes, ex communibus de Deo conceptionibus excerpens, quoad licet divinum esse fateatur, quidquid de Deo, secundum existentiam enuntiet: manifestum quod substantialiter hoc depromat, eo quod insusceptibile divinum, sit accidentis. Et quoniam sic sentire ac dicere divinæ pietatis ratio nos instruit, considerandum, utrum divinum susceptibile sit prædicationis eorum quæ opposita dicuntur, an non? hæc qui circa ea versantur quadrifaria dividunt: aut enim in oratione, inquiunt, esse, aut in re: et ea quidem quæ in oratione, ut affirmationem et negationem opponi dicunt; quæ vero in re, aut in habitudine, aut absque habitudine accipiunt: at vero quæ in habitudine inferunt se atque inferuntur, et ut aliquid opponi faciunt; quæ vero sine habitudine, hoc quidem aptum est permutari, hoc vero non, et sunt opposita, ut privatio, et habitus. Quomodo vero divinum, eas quæ secundum contrarietatem, privationem, habitumque oppositiones ad prædicationem non suscipit.

Manifestum est eo, quod natura prorsus incommutabile sit: hæc autem, in iis quæ aptitudinem habent alterandi et permutandi, suam existentiam ostendunt: neque vero ea, quæ ut contradictio in eo reperitur oppositio, quia semper eadem et similiter quæ circa divinum considerantur existunt, et post modicum. Cum igitur divina natura tribus sit communis personis, conditrixque universalis, eorum, quæ ad aliquid oppositionem, secundum eamdem speciem habitudinis, nullo modo de se prædicari permittit: ne forte uniforme unifarium habitudinis videatur interimi.

His igitur ex communibus nobis de Deo conceptionibus, et naturalibus et demonstrativis rationibus, philosophorum conquisitionibus promulgatis animadvertendum est, illis qui confitentur Spiritum sanctum ex Filio procedere, quemadmodum ex Patre. Nam si hoc ita est, communis erit emissio Patris et Filii, et erit Filius Spiritus existentiæ causa, quemadmodum et Pater, in eo quod emissor: at vero Filius genitus est ex Deo Patre, et causam ipsam describit ut genitorem, juxta verbum veritatis. Colligitur ergo quod Filius oppositorum habitudinem, eorum quæ ad aliquid suscipiat, et similiter sit causa Spiritus, et ex Deo Patre ut ex causa. Sed monstratum est nobis per universalem rationem, quod impossibile sit invenire opposita

(9) Hæc non cohærent.

de divina natura prædicari; vel de aliqua trium hypostaseon. Non igitur procedit ex Filio sanctus Spiritus, sicut quidam impie ac profane opinantur. Hoc autem quam frivolum sit satis patet, cum neque ut asserit ex communibus conceptionibus, seu philosophicis colligatur, cum de hypostaticis tantum proprietatibus hoc unum sit : non est enim aliquando Pater Filius, vel Filius Pater, aut Spiritus: sed de aliis nihil prohibet ad aliud et aliud, eamque ad aliquid oppositionem suscipere, ad unum vero idemque nequaquam. Namque possibile non est, idem sui ipsius causam et causativum esse. Quoniam vero de hypostaticis proprietatibus, quod illatum est pro inconvenienti verum existat, ex ordinis observantia earumdem personarum liquido apparet. Ecce enim sanctæ ac beatæ Trinitatis plura sunt nomina, eo quod plura ipsius circa humanum genus beneficia existant, quorum hæc quidem substantiam monstrant, hæc vero non: in quibus nullus est ordo necessarius, nempe in tribus nominibus, sicut superius expositum est, quæ sunt Pater, Filius et Spiritus, et si qua his similia reperiantur, sacra Scriptura ordinem observat : qui ordo, si non imitatur personas, falsa est glorificatio, et indecens, et in somnio similis, quod quidem est aliquid, sed nil eorum habet quorum phantasiam repræsentat: ita erit hujusmodi ordo, illius qui non est ordinis faciens imaginationem. Itaque imitatur ipsas personas nominum ordo, et mediante Filio, de Patre Spiritus procedit, et est quidem Filius ex causa, scilicet Patre, a quo genitus est, et idem Spiritus causa, ut ejus emissor.

Hoc utique Salvator ostendere volens, cum discipulis baptizare præciperet, trium nominum ordinem præfatum tradidit : quod nullo modo frustra fecisse putandum est. Hoc idem Salvator affirmat, cum dicit ad Patrem : *Omnia mea tua sunt* (*Joan.* XVI) ; ad ipsum enim, tanquam ad principium emissionem Spiritus refert, etiam et conditionem universitatis : *et tua mea sunt* (*ibid.*), quia licet ex te Spiritum habeam, illum emitto ut tu, condoque pariter omnia, nullius egens adjutorii : ministrorum enim hoc est et a dignitate Filii remotum. Igitur nullum inconveniens eamdem dicere personam causam esse atque causativum, sicut dicitur mittens et missa, glorificans et glorificata, prædicata et prædicans ; ad aliud quidem, et ad aliud sumpta : nam in Thabor monte Pater quidem prædicabat, Filius vero prædicabatur, et nubes obumbrabat, sanctus videlicet Spiritus, ut manufacto non erat opus tabernaculo.

Ex his ergo quæ dicta sunt, evacuatur manifeste quod a quibusdam ut aliquid irrefragabile inducitur. Una, inquiunt, existentiæ causa, plures effectus esse inspiciuntur in naturalibus, artificialibus, voluntariis, et pene in omnibus rebus : ut Adam cum unus homo fuerit, multorum effectuum ex ipso prodeuntium, causa exstitit, ut Pater : similiter et Beseleel faber, cum unus esset, quamplurium et differentium rerum causa fuit : idem invenire est in his quæ sponte fiunt ; nam Petrus atque Paulus evangelicæ prædicationis doctrina quamplures traxerunt ad fidem, et alteruter singulus existens, multorum salutis factus est reconciliator, et voluntarie multos in fide genuerunt : at vero versa vice fit in effectibus. Nam uno existente effectu, unam proximam esse causam necesse est, nisi propter defectum ejusdem causæ, ac imbecillitatem, aliquam secum causam assumat, quod ex ipsis rebus liquido apparet. Hoc si ita est, Spiritus ex Filio processio Patris, defectum et imbecillitatem indicat, quod minime consequitur : nam si hanc rationem sequi volumus, mundus cum causativus sit, neque Filium, neque Spiritum habeat, propinquam causam, nisi utique per infirmitatem et impotentiam Patris, sed unaquæque trium æqualiter factor mundi, et creator existit : ut enim superius dictum est, Pater solus generat, non autem solus creat et condit.

CAPUT XI.

Verum ad hæc Methonæ præsul reclamat adhuc : Si omnia, inquit, quæcunque habet Filius a Patre accipiens habet, procul dubio et ex Patre habet Spiritus emissionem : unum ergo diversissima hæc liberalitas, secundum quam Filius quidem ex Patre accepit, ut sit et ipse Spiritus causa, Spiritus autem, quanquam ad idem honoris habeat, et ex ejusdem substantiæ causa prodeat, tamen parili honore privatur, cum a Patre nequaquam accipiat, ut causa sit Filii, aut alterius sui similis, nisi forte injuriæ imputare crimen Patri quis audeat. At eodem iste vir urgeri potest incommodo : nam si Filius quæcunque habet a Patre accepit, et Spiritus missionem ab eodem accepit, mittit quippe Spiritum Filius : *Nisi enim abiero*, inquit, *Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero mittam eum ad vos* (*Joan.* XVI); et rursum : *Hæc a principio non dixi vobis, quoniam vobiscum eram : nunc autem vado ad eum qui misit me* (*ibid.*). Ecce patet quod Filius mittat Spiritum sanctum, et quod a Patre idem mittatur. Quomodo igitur a Patre Filius accipiens Spiritus emissionem, est enim mittens et missus : Spiritus autem non accepit missionem, neque Filii, neque alterius sui similis : privatur ergo parili honore, liberalitas hæc. Potest tamen et de facili solutionem habere talis objectio, cum convenienter responderi possit. Ideo non accepisse Spiritum Filii causam esse, quia Filius est ipsius causa, Spiritus vero ejus causa esse, nusquam reperitur, neque alterius sui similis : ne quarta in Trinitate persona induci demonstretur.

Amplius : Quomodo accipit judicium omne Filius a Patre, et Spiritui non impertitur, scriptum est enim : *Omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Joan.* V). Suspicor, imo credo firmiter, quod emissio Spiritus, si ad honorem Patris pertinet, ad honorem Filii referatur, qui sicut a Patre vitam habet, judicium habet : ita et Spiritus emissionem habet, et sicut nascibilitas non impedit Filium quin habeat natu-

ram Patris, imo ex hac habere probatur : sic emissio Spiritus ex Patre et Filio, non impedit Spiritum quin habeat Patris Filiique naturam, alioquin Spiritus et Filius non sint ejusdem cum Patre naturæ : cum Pater solus generet, solusque Spiritum ut Græcus arbitratur emittat. Spiritus vero et Filius, nullo modo. At vero adhuc hic idem instat, dicens Spiritum non esse unum et simplex, cum non sit ex uno, sed ex duobus. Quorum alterum cum sit causa ex nulla causa provenit ; alterum vero ex causa prodeundo, et idem existit causa.

Cæterum si ideo quia ex duobus procedit dividuus sit Spiritus, Patrem dicat quis eodem modo dividuum fore : cum ex se Filium generet emittatque Spiritum. Quomodo enim ex indivisibili, duo quasi diversa, Filius quidem per generationem, Spiritus vero per processionem progrediantur ? fallacia pro certo inest, cum ex relativis compositio fieri putatur. Nam quæ ad aliquid dicunt, nihil amplius quam sua substantiva ostendunt : unde sæpe contingit, nulla circa substantivum facta permutatione, demutari habitudinem, veluti qui prius erat dexter, in nullo alteratus ad aliam partem migrante, altero sinister fit demutando habitudinem. Propterea prædicamentum ad aliquid, quasi propago a philosophis, in novem prædicamentis nuncupatur : in quibus attenditur ut leve accidens, eo quod in pluribus sæpe adsit, absitque, præter aliquam substantivi mutationem, vel etiam alterationem aliquam. Ex quo patet quod minime colligitur, si Filius causa est, et ex causa provenit, neque totus causa, neque totus ex causa, sed ex alterutro imperfecto componitur. Ast indubitato quidem totus causa, et totus ex causa est, cum individuus sit et incorporeus. Quoniam vero causa et causativum compositionem inducunt, manifestum : ecce namque Filius et Spiritus, principium et causa cum Patre sunt conditrix universitatis. Ex Patre quidem causa Filio ac sancto Spiritu, secundum aliam et aliam speciem, in quo magis quam in aliquo alio composito appareat, existentibus. Quippe creaturarum alteruter causa dicitur, ut efficiens conditrix, scilicet, secundum quam speciem habitudinis, nullo modo Spiritus vel Filius ex Patre prodeunt : eorum enim quisque creator est, non creatura.

Et notandum quod hic manifeste soluta est Nicetæ objectio de oppositis. Igitur si causa et causativum secundum differentem habitudinis Spiritus Filio Spirituique competentia, nullam in eisdem faciunt compositionem, manifestum quod neque Filius ex eo quod similiter Patri Spiritus causa nuncupetur, compositionem habeat. Amplius autem, idem antistes in hunc modum argumentatur : Si ex Patre Filius immediate nascitur, et mediante Filio, ex eodem Patre Spiritus procedit, idem Pater propinqua remotaque causa censeatur. Sed hoc, ut jam dictum est, in anterioribus, in quibus, prius et posterius est, forsitan locum habet : cum idem homo, in eo quod ἀνδριαντοποιὸς statuæ, per se causa existat : in eo vero quod artifex, secundum accidens, ex quo quidem propinqua et remota causa vocetur. In divinis vero personis, medium et immediatum, et propinquum dicatur utique, remotum vero non arbitror dicendum. Nam divinum non est sub natura, ex quo apparet quod non sit personalis Patris proprietas Spiritus emissio, neque in hoc a Filio distinguitur. Si enim personalis Patris proprietas foret, emissio Spiritus nunquam aliquando causa mediata Spiritus, sed semper immediata, quemadmodum et Filii diceretur. At vero mediante Filio, Spiritus causa Pater existit : quare non est personalis proprietas emissorem esse, neque Patris neque Filii. Quoniam vero per medium Filium, et ex Filio Spiritus procedit, manifestum (semper enim Filius suo Patri absque medio jungitur) cum Pater generet quidem non per aliquem, emittat vero per Filium, et ideo Spiritum ut Pater habet sicut ipse testatur : Pater non dimisit me solum. Sin autem Spiritus æqualiter et similiter Filii est, ut Patris, et Pater emittit ipsum Filio non emittente, consequitur ut Pater solum secundum hoc Filium deserat, quod cogitare universam transcendit impietatem. Sed forte quis dicat : Si Filius a seipso non est, neque Spiritum per se habet : si per se non habet, neque similiter, neque æqualiter Patri mittit vel emittit. Non est autem a seipso Filius, sicut ipse perhibet dicens : *Ego a meipso non veni* (*Joan.* VIII), quod in superioribus solutum est sufficienter. Nam si hoc datur, nequaquam æqualiter et similiter Patri vitam Filius habeat, quod nullius habet intelligentis confessio, et attendendum quod non potentiam sui minuendo talia fatus est, sed alienum interimendo et contrarium. Nam si homo liberum habet naturaliter arbitrium, et super omnia Dominum quæ tellus fovet, multo amplius unigenitus Dei Filius qui seipsum exinanivit, et seipsum pro nobis tradidit, Spiritum et vitam habet ut patet : sicut idem ipse asserit dicens : *Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V). Et quomodo non similiter sicut habet Spiritum ipsumque emittit, Filio dedit habere atque emittere ? Non habet Filius Spiritum secundum participationem, qui per se vita, per se lux, et per se veritas existit : nec ab alio modicum quid ipsius Spiritus accipit, ut ideo impotens sit emittere ipsum, cum Pater ad plenum hoc queat facere. Quod semper habuit, quomodo ab alio accepit ? Quid autem Apostoli plus habeat, si Patrem interpellando mittat Spiritum, non habens per se, neque ex se prodeuntem ? Quare mittit et emittit Filius Spiritum sicut et Pater : porro Spiritus nihil detrimenti dum mittitur et procedit patitur : quippe licet mittatur, ubique præsens est, dividens unicuique prout vult.

Deus est cujus proprium, non solum futura præscire, verum facere quæcunque vult : *Unicuique* enim, ut Apostolus dicit, *datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* (*I Cor.* XII). Amplius : Spiritus fideles

ducuntur, et Filii Dei efficiuntur, sanctificantur quoque in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri, sicut idem dicit Apostolus : hic est Spiritus, qui profunda Dei novit, qui orbem terrarum replet, qui in omnem veritatem deducit, ubique præsens, nullius indigus ; nec aliquid habet adjectum vel adventitium. Qua ex re manifestum quod cum Filius dicit : *Ego a meipso non veni* (*Joan.* VII), et de Spiritu : *Ego mittam et de meo accipiet, et me glorificabit* (*Joan.* VIII); et quæcunque talium personarum distinctionem solummodo ostendunt, quæ prorsus incognita hominibus fuerat : hic est Spiritus qui loquebatur in apostolis, loquebantur enim apostoli prout Spiritus dabat eloqui illis ; et rursum : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in cœlis est, loquitur in vobis* (*Matth.* X) ; locutus est et in prophetis hic idem Spiritus. *Quis det*, Moyses dicit, *totum populum istum prophetare, quando dabit Dominus Spiritum suum super ipsum?* (*Num.* XI.) Novus autem Novi Testamenti propheta Agabus clamabat, dicens : *Hæc dicit Spiritus sanctus* (*Act.* XI) : igitur in prophetis, in apostolis, et in Christo unus Spiritus sanctus loquebatur : sed tamen aliter ab illis, et aliter a Christo idem Spiritus habebatur. Nam Christus per se Spiritum, illi vero per Christum habebant. Cum igitur Altissimi Verbum per se Spiritum habeat, per se Spiritum det, patet quod per se emittat, et quod ex ipso procedat Spiritus.

Amplius : Quæ vero per apostolos fiebant signa, non propria illorum, sed Dei per eos operantis erant. Quod vero fiebant per Dei Filium, ejusdem erant, qui nihil in eo, quod Deus, adjectum habere potest. Namque divinum simpliciter ens bonum ex se sufficiens est, suique complectivum : quanquam quidam quod ex se sufficiens est simpliciter, bono inferius esse fateantur. Quid enim aliud, inquiunt, est ex se sufficiens, quam illud quod a se, atque in se bonum possidet ? hoc autem jam boni plenum est, ut quod ipsum participat. Verum latent se ipsos dividentes, quod divisionem non recipit, per participationem. Emittit ergo Filius Spiritum, sed non absque Patre : sicut neque Pater absque Filio. Quia quemadmodum Patris est Spiritus, ita et Filii : propterea Filius Dei verbum Dei est, Filii vero Spiritus Paracletus, hinc est quod dicit : *Mittet Pater in nomine meo* (*Joan.* XIV) : quod nihil aliud significat, quam in mea virtute et in mea potestate. Ego enim emissor sum, sicut et Pater, quia Spiritus a me procedit. Ego enim sine medio Patri conjungor : *Ego sum vita et veritas*, et ad ipsum *via* (*ibid.*). Nemo venit ad eum nisi me existente medio, et alibi dicit Patrem sibi attrahere. *Nemo*, inquit, *potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI). Liquet ergo quod Filius offert Patri, et Pater attrahit Filio : qui immediate Patri jungitur, et æqualiter ei per omnia existit, unde : *Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV); et, *Pater in me manens, ipse facit opera* (*ibid.*) : non habeo aliquid singulare vel a Patre separatum : sicut nec Pater aliquid habet quod a me separatur, sed omnia communia : ergo si in toto Patre Filius est, non solus Pater Spiritum emittit. Nam si solus Spiritum emittat, non est in toto Patre Filius absque medio.

CAPUT XII.

Atqui Methonæ præsul asserit non esse Filio Spiritum æqualem, si ex ipso prodeat, tali utens syllogismo : Quod ex duobus est, ei quod ex uno tantum, nunquam est æquale : atque Spiritus ex duobus est cum Filius ex Patre solo nativitatem habeat : ergo non est æqualis Filio Spiritus, sed aut major aut minor. Quid ad hoc respondendum arbitrer, aliud nisi complexione simili depromere inconveniens, hoc modo : Quod ex uno, ei quod ex nullo nunquam est æquale : at vero Filius ex uno solo, Patre scilicet, qui a nullo est habet existentiam : inæquales sunt ergo Pater atque Filius. Non sunt hæc in quantitatum proprietate, quia neque mensura, neque quantitas in divino est. Propterea vero non sunt proprie duo Pater et Filius : ex quibus ut ex duobus differentibus, Spiritus existentiam habeat, cum tantus Deus Pater sit, quantus Pater cum Filio. Sed enim hic quidem vir rursus experimentum sumit fallendi, hoc modo disputans : si Spiritus ex Patre et Filio procedit, non erit deinceps solus Pater, Pater : nec ultra tota unitas Deitas. Et quomodo utique quo cum paternam causam Filius partitur, nec ultra solus Filius, Filius. Quemodo enim cum sit Pater in parte Spiritus, nec deinceps unus solus Spiritus ? Quomodo enim cum non ex uno, neque solo? Hoc quidem et alia plura vir hic complicat, ut videatur arguens : maxime enim, ut Aristoteles dicit, volunt videri arguentes : sed quoniam commiscet falsa veris, nihil concludit. Quænam vis consecutionis esse potest, si Spiritus ex Patre et Filio procedat, Pater non est Pater, nec Filius Filius, nec unitas Deitas. Nam similiter quis colligat, Spiritus secundum naturam a Patre habetur, et Filio Pater est Filius, et Filius est Pater. Vel, si Filius et Spiritus ex Patre diviso modo existentiam contrahant, non erit ultra Deus unus et simplex Pater, quod fortasse proveniret, si Spiritus et Filius dicerentur per naturam duo, et non tantum per proprietates, nec autem unitas secundum naturam est personæ tres simul, sed non divisim. Qua de re, neque duæ unitates Pater et Filius, neque tres : Pater, Filius, sanctusque Spiritus, unitates existunt. At vero una unitas sunt tres personæ, sicut unus Deus, et tota unitas : et tota Trinitas, Deitas. Verumtamen sicut non est aliqua personarum trinitas, ita earum nulla, ut anterius monstratum est, unitas proprie censeri potest. Unus certo solus et solum Pater, Pater : et unus est solus, et solum Filius, Filius : et unum et solus, et solum Spiritus, Spiritus sanctus : Trinitas tota Pater, et Filius, et Spiritus sanctus ; unitas Trinitas, et Trinitas unitas ; unus enim hoc tria Deus, et Deus hoc tria, et solus Deus. Ideo autem unitatum dualitas sive Trinitas non in-

telligitur, sed Pater quidem fons est earum, quæ ex ipso duarum personarum, et eam ex quo nullæ proveniunt unitates, sed personæ, propterea non duo patres, non duo filii, non duo spiritus creduntur : neque tres dii, sed unus et solus et totus Deus qui ante omnia, et super omnia, et omnium causa existit. Palam est igitur inconsequens esse quod illatum est : omne enim quod ex natura infertur ad proprietates, et ex proprietatibus ad naturam, inconsequens est, ut in hoc apparere potest exemplo : Unus Deus est tres personæ. Igitur aut ingenitus Deus aut genitus est tres personæ, aut procedens : insyllogizatum est, eo quod unus secundum naturam dicitur : ingenitus vero genitus et procedens minime. Ideoque nihil ex his colligi potest. Amplius, unitas in eo quod unitas immobilis est, cum nullam existentiæ suæ causam habeat : namque omne id quod prius non est aliud, merito immobile putatur : Deo autem nulla existimari causa potest antiquior, his magnus Dionysius testimonium perhibet. In omni pene, inquit, theologiæ negotio, Thearchiam conspicamur sacrosante sanctam, ut unitatem quidem propter simplicitatem supernaturalis individuitatis ex qua, ut ex unifica virtute intelligimus in Deo dignam concordiam : ut Trinitatem vero propter trium personarum supersubstantialis fecunditatis apparitionem. Quamobrem, unitas quidem naturæ est, trinitas vero personarum. Cum igitur a sanctis Patribus unitas dicitur moveri, non ipsi unitati, sed nostro motus animo referendus est, qui Deum in tribus unum speculando personis, eamdem prorsus naturam habentibus movetur : et hoc est quod Dionysius iterum dicit : « Est quidem, inquit, fontana Deitas Pater, Filius vero et Spiritus, uberis Deitatis, si sic opportunum sit dicere, germina Deo plantata. » Fontanam quidem deitatem, hoc est, fontem in deitate Patrem vocat. Propterea solummodo quod sine principio Pater est, et duobus solus præstat esse, Filium vero et Spiritum germina Deo plantata, eo quod ex Patre uterque esse habet, sed quoniam improprie deitas Pater dicitur, subjunxit : « si sic oporteat dicere. » Nequaquam his verbis inficiando Spiritum ex Filio esse, magis autem quod ex Filio Spiritus sit, affirmare videtur, dum dicit : Filius et Spiritus, et non Spiritus et Filius : tanquam mediante Filio, ex Patre Spiritus proveniat. Modus autem proveniendi, nec exprimi, nec intelligi potest, cum sit omnino ineffabilis. Liquet igitur ex his quæ dicta sunt, quod neque Filius, neque Spiritus dicitur unitas : Pater vero ut quibusdam videtur, aliquoties vocabulo significatur unitatis, ut apud theologum Gregorium sic disceptantem. « Unitas, inquit, a principio mota in dualitatem usque trinitatem stetit. » Sed videtur tamen sanctus iste vir, in hoc loco abusive, unitatem pro Patre, dualitatem pro Filio, trinitatem vero pro Spiritu sancto translative accipere : cum quidem, quoniam unitas nomen naturæ significatrum est, et non personæ, tum vero quia Verbum

A Dei nequaquam unitatis Filius dicitur, cum unitas ejus Pater nullo modo censeatur. Est autem dicti intelligentia hujusmodi : Pater sterilitatem abjiciens, in dualitatem motus est, id est Filium genuit : et usque in Trinitatem, secundum scilicet Spiritum, stetit, emisit Spiritum : et ultra neque generando neque emittendo processit. Quidam vero dictum capitulum aliter volunt interpretari, dicentes unitatem moveri in dualitatem et trinitatem absque medio : putantes quod sicut Pater in generationem Filii sine medio movetur, ita et in emissione sancti Spiritus : hoc si verum esset, non in dualitatem a principio, sed in trinitatem Pater moveretur, immediate generando ex se Filium, atque emittendo immediate Spiritum, quia certe regnans ei est ordini, B qui de baptizando datus est Christo discipulis. Similiter autem et glorificationi, de qua jam dictum est, cum et veritati congeneret quidem non per aliquem, emittat vero per Filium. Amplius autem, impossibile est ad trinitatem non per dualitatem migrare. Nam si disciplina et dignitate, duo, priora sunt tribus, non est possibile intellectu comprehendi, in trinitatem stetisse, per dualitatem minime progredientem. Atqui disciplina et dignitate Trinitate prior est. Et unitas quidem dualitate prior est, eo quod non convertitur, secundum subsistendi consequentiam. Nam cum duo sint, ut Aristoteles dicit, statim sequitur unum esse. Uno vero existente, non necesse est duo esse. Si utique cum sit Trinitas, sequitur statim dualitatem esse : dualitate C vero existente, non necesse est Trinitatem esse per consequentiam, quia tertium ad secundum refertur, secundum vero non ad tertium, sed ad primum. Ex quo evidentissime apparet quod Pater et Filius sancto Spiritui æqualiter esse præstant. Quapropter, Filius etiam in sancta Trinitate principium, ut superius disputatum est, nuncupatur. Solus igitur Pater aliisque initio et absque causa existit. Causa vero et principium non solum. Qui quidem moveri dicitur, ut disciplina indisciplinatis existens, eosque informans, immobiliter ipsa permanens, aut ita moventur, ut Aristoteles solem diem occidere, infixaque astra moveri : quæ nequaquam secundum se, sed secundum absentiam nostræ visionis moventur : D Noster utique, inquit, visus obtensus longe nutat propter imbecillitatem, quod quidem causa forsan est ut revibrare videantur astra, quæ infixa sunt : planetis non revibrantibus, ad quos sufficit venire visus. Quod vero ab oriente in occidentem progressu solis occasus apparet, non est ipsius solis, sed nostri visus : sic igitur divinum, cum sit immobile, prorsus secundum naturam et substantiam moveri dicitur, dum nostram intelligentiam movet ad se speculandum, faciendumque differentes investigationes, de trinitate, de unitate atque personarum proprietatibus. Item moveri unitas dicitur in dualitatem, usque in trinitatem, non ulterius, quoniam iste numerus perennitatem et identitatem habet : et idem principium, idem medium, eumdemque finem,

quod numerorum alius quispiam adeptus non est. Etenim, unitas principium, unitas medium, et unitas finis. Omnia sunt unum, et tria sunt omnia, ut Aristoteles asseverat : Corpus, inquit, solum magnitudinum perfectum est, solum enim diffinitur tribus, quod quidem omnia esse dicitur, eo quod principium habet, et medium, atque finem : et quod non sit magnitudo, quæ tribus plus habeat dimensionibus. Quemadmodum igitur in tribus personis divinum perfectionem habet, sic et omne corpus, in tribus distantiis, ut Ptolomæus docuit : Oportet namque, inquit, tres distantias diffinitas esse, et eas secundum rectas accipere cathethos : tres enim solas rectas ad invicem lineas possibile sumere, duas quidem secundum quas superficies diffinitur, tertiam vero quæ profundum mensurat. At vero trium personarum copula omnem cogitandi seriem, omnem exsuperat rationum vigorem, naturamque supra omnem collocata est, eo quod absque tempore unum principium existant divinæ tres personæ : nam licet ex Patre sit Filius, et ex Patre ac Filio Spiritus sanctus, non tamen post Patrem Filius, neque post hos duos Spiritus esse incœpit. Nullum profecto momentum dandum est sive punctum omnino, quo Pater Filium, seu Spiritum præierit, sicut sol non prius luce sua exstitit, neque radios præcessit lux. Qua de re, non prorsus causam, eo quod ex causa videtur antiquior. At Methonæ præsul, Investigandum, inquit, est quomodo sentiant qui fatentur Spiritum ex Filio procedere, sive ideo, quia Filii dicatur, sive quia universaliter, omne quod alicujus dicitur esse, ex eodem ipso procedere videatur : hoc si ita est, quia Deus Abraham esse dicitur, et Isaac, et Jacob, ex his utique et procedat, et mundus omnis, et item : Magis, inquit, ut oratio familiaribus fungatur exemplis, quoniam ipse Pater et Deus dicitur, et Pater Christi, ex ipso procedat, ut ex Filio ad Patrem et in omnem Deitatem blasphemia pertranseat.

CAPUT XIII.

Theophilactus quoque Bulgariæ archiepiscopus super idem capitulum hoc modo disputat : Non est intempestivum in hoc loco dicere, negotio se ipsum offerente : quo modo habeat Filius Spiritum, et quo modo Spiritus sit Filii ? dicit enim Apostolus : *Spiritum Filii sui in corda nostra misit clamantem : Abba pater* (*Gal.* IV) ; et alibi : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII). At vero Latini, hoc suscipientes et desipientes, fatentur quod Spiritus procedat ex Filio. Nos autem primum hoc dicimus ad eos, quoniam aliud est esse ex aliquo, et aliud est esse alicujus : veluti Spiritum esse quidem Filii indubitabile est, et Scripturæ testimonio firmatum : esse quidem ex Filio nulla scriptura perhibet, ut non duas causas Spiritus, Patrem scilicet atque Filium, introducamus etiam, inquit. Sed *insufflavit discipulis, et dixit : Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). O insipientiam ! si tér dedit discipulis Spiritum sanctum quando insufflavit ? Quomodo ergo dicebat : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, non post multos hos dies* (*Act.* I) ? aut quomodo in Pentecoste credamus advenisse Spiritum, si vero in die resurrectionis ipsum dedit, ter utique insufflavit ? Sed hic quidem sunt lati risus. Manifestum sane quod ter illis Spiritum sanctum nequaquam dedit, sed unum donorum Spiritus sancti, dimittendi scilicet peccata. Et rursus : Habet autem Filius Spiritum substantialiter, ut consubstantialem sibi, non ut energumenum. Prophetæ quippe aguntur, et item dicitur Spiritus esse Filii, secundum quod unitas est Filius, et virtus, et sapientia ; sanctus vero Spiritus et unitatis, et fortitudinis, et sapientiæ spiritus apud Isaiam describitur : dicitur autem Filii Spiritus, quia per Filium datur hominibus. Uterque sane virorum istorum, ut vera fatear, humi haurit et nequaquam Dei creaturam attingit, atque quamplura inconvenientia implicat ; sed quoniam sine demonstratione incredibilia sunt atque incerta, cum neque ex communibus conceptionibus, neque auctoritatibus sanctorum hujusmodi argumentationes irradiatæ sint, quapropter tentabo quantum Dominus præstat, veritatem reserare ac detegere, ne falsitas pro vero récipiatur, lucernaque veritatis sub hujusmodi procellarum incursionibus videatur exstingui. Primum igitur dicendum est quod sicut Spiritus sanctus specialiter nuncupatur Spiritus, sic utique sapientia, virtus et unitas Filius nominatur. Attamen Pater sanctusque Spiritus est, quando eisdem applicationibus utuntur. Non enim intelligi potest sine sapientia sapiens, nec potens absque potentia : sicut nec absque dilectione diligens. Est autem sapiens Pater, sapiens Filius, et sapiens Spiritus sanctus. Similiter autem verus et potens, confert autem Spiritui Pater esse, confert autem cum illo et Filius. Etenim Spiritus Patris et Filii charitas, æque ac substantialiter et secundum naturam. At forte nominati prius viri et Filio esse Spiritum ideo inficiati sunt, quod secundum nullum modum eorum qui dici ex aliquo a philosophis consueverunt, ex ipso sit Filio Spiritus. Sunt autem qui dici consueverunt, ex aliquo modi hi : quippe quiddam ex aliquo esse dicitur, quod ex materia et forma consistit. Nam ex materia dicuntur materiata, et ex forma quæ in illis formata : secundum quem modum ex Filio Spiritus esse non perhibetur, dicitur quoque aliquid esse ex aliquo, ut ex efficiente causa, et ex imperfecto perfectum, ut de puero dicere consuevimus, juvenem fieri. Sed enim ex partibus totum, et ex contrariis contraria, et equidem posterius fit, ut ex Hebraicis Græca, et ex Græcis Latina. Atqui secundum nullum dictorum modorum ex aliquo Spiritus Filii est, porro neque Patris. Nam neque materia neque species Spiritus sancti est Pater, neque pars, neque ut ex contrario fit, permanente subjecto eodem ad contrarii permutationem, quod per passionem fit, et alterius corruptionem : sed a Spiritu sancto cor-

ruptio abest omnis, et universa penitus altercatio, quæ non variatur per tempora, quasi ante parvulus exstitit, et ut puer in virum, sic per momenta temporum, ad incrementum veniunt. Alius certe modus est existentiæ, secundum quod amborum, Patris scilicet et Filii, Spiritus esse censeatur : ineffabilis et investigabilis, licet dictus Spiritus polliceatur dicere creaturæ omni

Verumtamen apud Latinos omnes patet per fidem Patris et Filii esse Spiritum substantialiter, et secundum naturam, et æqualiter, quia non minus Filii, magis vero esse apparet Patris, scilicet utriusque per omnia æque existit. Ob quam rem, non est secundum abundantiam vel defectum alterutrum, quia quot modis est Patris, totidem Filii existit secundum naturam, substantialiter secundum causam; et secundum emissionem, id est processionem. Ad hoc autem quæ superius posita sunt, ut opposita, scilicet, aliud esse ex aliquo, et aliud alicujus, eidem in pluribus convenire inveniuntur. Nam pars quidem totius est, et ex toto, et arboris fructus, et ex arbore : et spuma maris, et ex mari : et sicut impossibile est fontis esse aquam et non ex fonte, sic impossibile est Spiritum esse Filii et non ex Filio, aut Patris et non ex Patre Filium Spiritumque, Pater vero non, eo quod non sit alicujus, ut, ex aliquo, sed in eo, quod generat Filium ejus dicitur. Non est igitur congrua comparatio duorum Abraham et Spiritus. Quippe Deus dicitur Abraham ut creator, et Dominus Abraham : forsan vero, et ut amicus illius. Intellectus autem et fortitudinis et similium, ut efficiens causa dicitur : sed Spiritus dicitur Filii et Patris, ut ex Deo ens, et ipse Deus non ut adventitium adveniendo extrinsecus (hoc enim quis asseverare audeat ?) sed ut plenitudo ejus ; qui certe non aliter sano intellectu comprehendi potest, secundum quod tertius dicitur a Patre, ut prius dictum est, nisi ex Filio habere substantiam intelligatur et consideretur, hic utique Spiritus juxta Domini vocem veritatis est, quia dicitur Spiritus veritatis : qui profecto in quantum veritatis est, in tantum Filii existit, et ex ipso existentiam sortitur, quod hoc modo manifestius forsitan esse poterit : si Spiritus veritatis est, ex veritate autem esse non habet, sed accidens verus est idem Spiritus, ut motus secundum accidens, calidus nuncupatur, eo quod calidum faciat ; at vero non est verus secundum accidens, ergo ex veritate esse habet : huic syllogismo exemplorum multitudo fidem porrigit : ecce enim humana anima, quia non est ex unitate, secundum accidens vera prædicatur sicut et alias virtutes dignoscitur habere. Non enim naturaliter inest virtus vitiumque quod apparet ex facili eorum permutatione. Ea quidem cum ex ratione esse habeat, non est secundum accidens rationale : corpus vero, quia non habet esse ex colore, secundum accidens coloratum est. Sic utique Spiritus sanctus, si ex unitate non habet esse, adveniens et adventitia est ejus veritas : cum ipse veritatis prædicetur, et ejus dicatur esse. Igitur sicut est veritatis, sic et esse et subsistere habet ea veritate, et ex ipsa, Filio scilicet, procedit secundum personarum ordinem. Namque veri ordo non est, nec alter alterius causa existit. Quod si constet, neque principium, neque causa in Trinitate possit inveniri.

Item rerum existentium tres ordines sunt apud philosophos. Nam hæ quidem earum omnino separabiles sunt, subsistentia scilicet et intelligentia, veluti divinæ : hæ vero modis omnibus inseparabiles esse, et intellectu ut naturales ; aliæ vero, secundum quid separabiles, et secundum quid inseparabiles, utpote mathematicæ : quæ medium inter supra dictas locum obtinent : communicantes quidem divinis in eo quod separabiles, naturalibus vero, secundum quod non separantur. Similiter autem his in terminis syllogismorum perfectæ figuræ rectum possidentibus ordinem, medium semper extremitatibus communicat : et secundum habitudinem semper alterutrum respicit, nunc prædicatus, nunc subjectus.

Amplius : Rationalem animam philosophi trifariam dividunt : irascibile ipsam habere proponentes, ratiocinativum atque concupiscibile ; sed ratiocinativum aiunt derivari, concupiscibile subjugari ; irascibile autem modo fungi divino, modo cohærere subjectioni. Palam est igitur, ut puto, quod in solitario naturæ, et in trino personarum ordine ineffabili, quemadmodum ex non habente principium Filius nascatur, ita et ex Filio proveniat Spiritus. Sed quoniam hic plane jam patescet, vadendum deinceps ad alteram objectionis partem, hanc scilicet, utrum Christus insufflando in faciem discipulorum Spiritum sanctum eis dederit? an absque Spiritu donum, id est virtutem operandi miracula, discipuli acceperint ? forsitan neque ad hujus solutionem sermo elangueret, at Gregorio qui Theologus cognominatur, super hæc disceptante, taciturnitati famulandum est ad modicum. Hic utique de dato discipulis Spiritu hoc modo disputat : Spiritus sanctus in Christi discipulis tribus modis operabatur, prius et per tria tempora : antequam glorificaretur Christus passione, post glorificationem in resurrectione, atque post ascensionem in cœlos : et primum quidem leniter, secundo autem vehementer ; tertio vero consummatius, non ultra præsens actu ut ante, sed substantialiter : ut quis fateatur conversando et commanendo. Insufflat autem dum demonstrat se esse qui a principio nostram naturam condidit : ait enim quodam in loco Moyses : *Et plasmavit Deus hominem, limum accipiens de terra, et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ* (*Gen.* II). Quoniam quidem per inobedientiam in mortem ductus est, et antiquo illo honore delapsus, renovavit illum Christus denuo, morte sua carnis, destruendo mortem, et ad pristinum honorem reduxit ; per insufflationem avolantem absistentemque a nobis, Spiritum iterum nobis restituens.

Sed enim Apollinaris his similia profitetur : *Insufflavit* enim, inquit, *in faciem* Adam *spiraculum vitæ*, et postquam a mortuis rediit, insufflavit in faciem discipulorum, ut reformati ad antiquam imaginem, conformes appareant suo factori, per Spiritus participationem. Idem inclytus papa Romæ Gregorius dialogo astruit dicens quod per insufflationem illam Christus Spiritum sanctum discipulis dederit : In terra, inquit, datur Spiritus, ut diligatur proximus; e cœlis datur, ut diligatur Deus.

CAPUT XV.

Cæterum huic sententiæ Joannes Chrysostomus contraria videtur asserere, et solus : « Quomodo ergo, inquit, nisi ego abiero, ille non veniet, nisi Spiritum dedit? Non enim tunc Spiritum dedit, sed aptos illos ad suscipiendum reddidit per insufflationem; » et post modicum idem dicit : « Nequaquam quis peccet, et tunc accepisse eos dicens potestatem aliquam spiritualem et gratiam. » At non mortuos suscitandi, virtutesque faciendi, sed dimittendi peccata : differunt nempe dona Spiritus sancti, ideoque subjunxit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur : et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX), ostendens quam formam operationis tribuat. Post quadraginta vero dies, signorum acceperunt efficaciam : unde et dicit : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* (*Act.* I). Quia jure seipsum interpretatur : Quomodo dixerit, non tunc dedisse Spiritum, id est, non omnem spem operationis Spiritus perfecte tunc largiebatur, Theologo Gregorio consentiens dicenti : Primum quidem leniter, secundo autem informatius, tertio vero consummatius. Ipse enim Jesus testimonium perhibet Spiritum accepisse discipulos per insufflationem, dum dicit : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX). Nemo enim nihil porrigens, illusor nisi sit, dicit accipite. Jesus autem dixit eis, *accipite*. Qua de causa manifestum quod aliquid eis largitus sit : quod si aliquid eis dedit, aut quid erat in voce, aut quid voce non significabatur. At nullus lapidem porrigens, cum sit mentitus post, ex industria dicat, accipite panem : ergo quod voce significabatur, donavit, scilicet Spiritum sanctum. Quod si quis adhuc contentionis finem contrahendo, dicat non tunc Spiritum, sed unum donorum sancti Spiritus dedisse, remittere scilicet peccata, attendat si hujusmodi virtus separabilis sit : sed patet quod non sit separabilis, cum nihil secundum accidens, divinis insit hypostasibus, ergo dum dat Spiritum largitur totum, non partem : scimus enim quod Spiritus sanctus non dividitur : in quo non est partes accipere, cum totum sit, quod est individuum. Igitur totum discipulis Spiritum simul donavit. Sed quærunt quidam, si tunc Spiritum dedit, quare dixit : *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos?* (*Joan.* XVI.) Et item dicunt : Si tunc insufflando dedit Spiritum sanctum, quomodo in die Pentecostes rursus dederit? Ad quod dicendum, quod in die resurrectionis dedit quidem Spiritum, sed non secundum omnem operationis [actus] speciem : in die vero Pentecostes, dedit eis Spiritum secundum omnem in ipsis operationis speciem.

Amplius : Quæratur et ab illis : Nunquid Spiritus sanctus Deus est? Nunquid Deus utique est, ergo et Spiritus sanctus utique est? Quod si utique, manifestum quod in apostolis tunc exstitit, quomodo ergo in quinquagesimo die Spiritum sanctum ad discipulos misit, quibuscum idem Spiritus aderat? ad personarum certe discretionem, et propter operationum in ipsis apostolis efficaciam. hujusmodi distinctiones fiunt. Ad hoc : insufflasse Christus ut emissor, in eo quod Deus in faciem discipulorum creditur, tum ut per hoc intelligeremus Spiritum vere de illo procedere, ut de profundo corporis ejus, ille flatus evaporabat sensibiliter, tum quod ad habendum et quasi possidendum Spiritum eis daret. Quod in die Pentecostes ad robur et operationem, ostensionemque signorum e cœlis discipulis eisdem misisse fertur. Quod ex hoc liquido apparet : præsente Christo raro signa faciebant ejus discipuli, quo in cœlum abeunte, ac mittente Spiritum, per manus apostolorum signa fiebant : unde in specie ignis missus dicitur, ut eos qui adhuc quasi limus erant, molles existentes, corroboraret atque confirmaret. Nonne antehac primus discipulorum Petrus ad vocem expaverat ancillæ? hic tempore post corroboratus, principum orbis tyrannidem contempsit. Ex his igitur manifestum esse potest, quod non sit vecordiæ neque imprudentiæ, si quis dicat Christum discipulis tunc Spiritum dedisse, quando post resurrectionem eis dixit : *Accipite Spiritum sanctum* : cum scientissimi Græcorum idemque sanctissimi, hoc comprobaverint, ut ostensum est : porro nostri temporis homines errorem hoc reputant, et insaniam pro eo solum, quod Spiritus processionem ex Filio abolere conantur, qui ab ipso Salvatore testimonium habet dicente mulieri quæ fluxum sanguinis patiebatur, et fimbriam vestimenti ejus contingebat : *Quis me tetigit? novi enim virtutem exisse de me* (*Marc.* V); Deus enim sum, et Spiritum habeo, in quo ejicio dæmonia, coæqualem mihi sanitatum largitorem. Nam virtutem exire deintus, et ex propria natura Deo soli competit, ejusque solius proprium est, qui supra omnem creaturam esse recta fide creditur. Prophetæ nempe, ex seipsis non habebant exeuntes virtutes; qui gratia tantum Dei miraculis coruscabant, clarebant doctrinis, et Dei consilia manifestabant : atqui Christus fons totius boni, potentiæque omnis de se Spiritum exeuntem, licet non localiter transmigrantem, habet disciplinæ instar, quæ apud doctores commanens, discentibus attribuitur. *Novi*, inquit, *virtutem exisse de me*, in eo quod Deus sum : nam in eo quod homo, non habet consubstantialem sui Spiritum sanctum, nec de se exeuntem, sed super se stantem. Cum igitur ex se virtutem exire commonstraverit, evidentissime Spiritum ex se procedere docuit. Quando au-

tem resuscitavit archisynagogi filiam, cum nollet quidpiam hujusmodi ostendere, tenuit puellæ manum, et clamavit dicens : *Puella, surge* (*Luc.* VIII) : nullam in hoc significando sancti Spiritus imbecillitatem : neque quod insufficiens foret Spiritus mulierem vitæ restituere, sed in medio tantum, quod caro ejus eadem quæ Spiritus operaretur mortis corruptionisque interemptoria, eo quod propria verbi facta fiunt omnia vivificantis. Neque tamen præter Spiritum hoc egisse credendum est, in quo renovavit hominem, et in discipulorum faciem insufflando restituit perditam gratiam, et omnem hujusmodi administrationem per fidem : hinc est quod Theologus Joannes in quadam epistola denuntiat, dicens : « Hæc autem scripsi de his qui seducunt vos, et unctio quam accepistis ab eo maneat in vobis, et non opus habetis, ut quis doceat vos ; sed ut ipsa unctio docet vos de omnibus, verax est, et non est mendacium. » Ecce unctionem Spiritum sanctum dicit quam a Christo acceperunt, quem qui constanter apud se tenent, non opus habent ut quis doceat

Lucas quoque de Christo loquens dicit : *In ipsa hora exsultavit Jesus Spiritu sancto, et dixit : Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus* (*Luc.* I). Exsultavit Spiritu sancto, id est, indicium præstitit quod ex se, ut ex Patre Spiritus procederet, qui Spiritus hujusmodi mysteria parvulis et mundis corde revelat. Repleti sunt apostoli Spiritu sancto, sed non similiter Christo. Non enim ex se habebant, sed extrinsecus acceperunt. Jesus autem non ex adventu, non ex adjectione vel extrinsecus, sed ex seipso Spiritus plenitudinem ut Dei Filius habet, et habuit. Quod manifeste in novo adversus Nestorium ejusque complices capitulo, magnus Cyrillus enuntiat dicens : « Si quis dicit unum Dominum Jesum Christum glorificatum a Patre, tanquam aliena virtute per ipsum utentem et ab ipso accipientem, agere posse contra immundos spiritus, et perficere in hominibus divina miracula, et non magis proprium ipsius Spiritum dicit : per quod operatus est cœlica miracula : anathema sit. » Quod idem sanctus sic interpretatur : Homo factum unigenitum Dei Verbum permansit, et sic Deus omnia existens quæcunque et Pater : excepto solo, quod sit Pater, et proprium habens ex se, et substantialem naturaliter Spiritum sanctum : operatum est divina miracula, unde et homo factum permansit, sic Deus ut propria virtute, per Spiritum impleret miracula. Qui autem dicunt, ut hominem unum similem nostri, scilicet sanctorum glorificatum, et ipsum per Spiritus operationem, non ut propria magis, sed ut aliena et non Deo digna utentem, et tanquam in gratiæ parte accepisse a Spiritu quod in cœlos ascendit, juste subjacebunt virtuti anathematis.

CAPUT XV.

Verum hoc cum undecimum capitulum Theodoritus Cyri episcopus, infatuata confidentia, contra fas infirmat, quæ multo digna sunt, pro nihilo faciens, et quæ nefaria magnipendens. Qui et in Cyrilli hæc, scilicet verba, proprius est Spiritus Filii, talia scripsit : « Siquidem ut consimilem, et ex Patre procedentem asseruit, conspondebimus et ut piam suscipiemus vocem : si autem ut ex Filio, aut per Filium existentiam habentem, ut blasphemum et impium abjiciemus. Credimus enim Domino dicenti : *Spiritus qui a Patre procedit* (*Joan.* XV) : et beatissimo Paulo similiter enuntianti : *Nos autem non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est* (*I Cor.* II). » Ubi vero hic idem Theodoritus, ex magni Cyrilli scriptis plenum certificatus est, quod cum Latinis de processione Spiritus sancti dogmatizaret, quæ sequuntur oblocutus est : « Blasphemat et in Spiritum sanctum, dum non ex Patre solo illum asserit procedere, juxta Domini vocem : sed ex Filio eumdem existentiam habere : hi sunt Ægyptii partus, malo patre germina deteriora. » Respondendum quidem erat conviciatori huic, sed quoniam idem magnus vir justus est respondere, et pro se facere conviciatori suo responsionem, ego quidem taceo ipso respondente hæc : « Scimus quidem, inquit sanctus, Christum sancti Spiritus operatione, malas et immundas virtutes contrivisse : sed non sic famur, ipsum ut utique sanctorum quemlibet quasi aliena virtute uti per Spiritum. Erat enim et est ejus Spiritus, sicut utique et Patris : et hoc nobis evidenter planum facit sanctus Paulus, ubi scripsit : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt : vos autem non estis in carne, sed in spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis ; si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII) : procedit quidem de Patre Spiritus sanctus, juxta Salvatoris vocem, sed non est alienus a Filio ; omnia enim habet cum Patre, et hoc ipse perdocuit dicens de Spiritu sancto : *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt, ideo dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Ergo clarificavit Jesum Spiritus sanctus, operantem inopinabilia ; verum ut Spiritus ejus, et non aliena virtus, et ipso melior, secundum quod intelligitur Deus. Non igitur blasphemavimus in sanctos angelos, neque in prophetas ut ausus est dicere qui solum novit conviciari. Eo quod ejus et eorum qui cum eo intentio sit, dividere in duos christos, unum, et alterum quidem glorificatum et energumenum : alium vero glorificantem et operantem dicere. Vituperant insipienter omne verbum pium, et quod ab hujusmodi eos abstinere facit prava opinione. » Et rursus in epistola, contra impium Nestorium : « Nam et si sit in persona Spiritus propria, et intelligatur per se, secundum quod Spiritus est, et non Filius, verumtamen non est alienus ab ipso ; Spiritus enim veritatis nominatur, et est Christus veritas, ex quo emanat, quemadmodum utique ex Deo et Patre. »

Quare patet hic Theodoritum ex Filio Spiritum existentiam habere, interpretati, Spiritum ex Filio procedere, quod veritas habet : et Magno Cyrillo adversari eo quod asseveret habere Spiritum ex Filio existentiam, cui quidem, scilicet Cyrillo, maxime credendum esse Græcus etiam confiteatur, nisi forte qui vestigia Photii patriarchæ Constantinopoleos prosequitur. Cujus quidem sophismatum laquei, et tristes ac atroces injuriæ in Latinos, breviter hic, quia sermo appetit, exprimendæ sunt. Hic enim est, qui post Theodoritum in æquorea puteum fodiens arena, non semina, sed Cienena venena sepeliendo, diri valde languoris fidei Chistianorum causa factus est. Profecto hunc cum suis complicibus Isaias deplorat dicendo : *Væ qui sapientes sunt apud semetipsos, et in oculis suis prudentes* (*Isa.* v). At vero jam exponenda est superciliosa et extraria mendacium amantis patriarchæ contradictio et turpiloquium. Est quidem, inquit, adversus Latinos acutum et inevitabile telum, et ante omnia alia Dominica vox, quæ feram omnem, omnemque vulpem attonitam faciendo exterminat et demolitur. Quæ est hæc Spiritum quæ ex Patre dicit procedere : ex Patre Filius Spiritum procedere astruit : et ut auctorem quæris, per quem facias, imo perficias impietatem, dum fabularis Spiritum ex Filio procedere? Si communis Salvatoris, conditoris et legislatoris dogmata, ut a tua vecordia evincantur, impetum non formidasti capere. Quid utique aliud quispiam accipere quærat, per quod tuum penitus coarguat impium studium? Si tu Dominicas despicis leges, quis religiosus tuam non abominetur opinionem? Quid utique aliud te de ruina erigat? Quæ autem medelæ astutia, totum corpus occupanti plagæ medeatur? non ei quam salutaris sermo effecerit, sed ei quam spontanea indidit ægritudo, quæ Dominicæ doctrinæ medicamentum, ex incredulitate litigando permutat in rem, quæ juvare non potest, mortiferam : magis autem, dum debellatorem adversum inimicos gladium diripit, qui quærit in eorum parte annumerari. Propterea te humi jacentem sub bicipiti gladio spiritus, nihilominus tamen et nos pro communi Domino, amorem et promptum animum demonstrantes, quæcunque calculi sacræ nostræ, armantis nos militiæ ad dimicandum commovent. Sed neque ea quæ ex hac fiunt vulnera ut fugias, curam extra faciemus. Si enim ex una causa Patre, Filius Spiritusque proveniunt, licet hic quidem per generationem, ille vero per processionem : est autem rursus Filius Spiritus productor, quemadmodum blasphemia clamat.

Quomodo utique consequentiæ sustineat ratio, quod Spiritus Filii non sit productor? Cum enim æqualiter ambo ex una causa proveniant : si alterum alteri causæ usum suppleat : neque vero alteri alterum, nonne ad æqualem recompensandam gratiam, Spiritum esse causam immutabilis ordinis observantia exigit? Ecce post primum vaniloquium et illecebras præsidiis, et auctoris totius schismatis, impudica lingua et inficiatrix conscientia, quantam conceperit et pepererit blasphemiam? scribere ausa, quæ nullus alius, et supervacuos extrema arrogantia syllogismos, componere. Similis interrogatio eidem imminet : si enim ex una causa Patre, Filius Spiritusque proveniunt : mittit autem rursus Spiritum Filius, ut ipse perhibet : quomodo utique consequentiæ sustineat ratio, non generari Filium, vel mitti a Spiritu? Cum enim æqualiter ambo ex una causa proveniant, quantum a Patre Filius accipit, tantumdem accipere debet Spiritus. Quare si Filius mittit Spiritum, et Spiritus generat Filium : ut quemadmodum Filius a Patre mittit Spiritum, ita et Spiritus recompensando gratiam a Patre generet Filium.

Amplius : Filius a Patre accipit, ut ejus sit Paracletus ; quare non similiter accipiat Spiritus, ut ejus dicatur Verbum? Quare quidem recompensatio et æqualitas in hoc exstitit, ut sicut Filius a Patre accipit causam esse Spiritus, sic utique Spiritus ab eodem Patre accipit causativum esse Filii. In quo non corrumpitur fidei ratio, salvis adinvicem utique proprietatibus, pariter atque æqualiter. Et rursus idem hæresiarcha et novæ philosophiæ complasmator non erubescit impudicum principium attribuere sermoni. O sensum, inquiens, intemperantia ebrium et impietate! o linguam impietate audacem! Quis dixit sacerdotum seu Patrum nostrorum, Spiritum ex Filio procedere? Quæ synodus universalibus sponsionibus firmata et adornata : magis autem quod pontificum divinitus adunatum collegium, non hanc sententiam, et ante quam appareret sancti Spiritus inspiratione condemnavit : per quos Spiritus sanctus, Patris esse juxta Dominicam institutionem apparet. Ex quo liquido procedere magnis vocibus prædicaverint? Et quidem non sic sentientes, ut universalis et apostolicæ Ecclesiæ contemptores, subdiderunt anathemati. Ab antiquis enim temporibus, noviter ortam impietatem, præsagis providentiæ oculis, et ipsam cum anticipante multifaria discessione, scripto, verbo atque sententia condemnarunt.

Dogmatizavit statim universalium et sacrarum synodorum secunda, Spiritum sanctum, ex Patre procedere, suscepit tertia, quarta confirmavit, consensum præbuit quinta, sexta adjudicavit, splendidis consignavit certaminibus septima : per singulas earum est patenter videre fiducialiter egisse pietatem, et Spiritum ex Patre sed non ex Filio divinitus annuntiatum procedere. Te vero quis grex impius perdocuit? quis contrarias leges Domini ponens legibus, incidere in nefarias sectas subinduxit? In errorem invium hic hæresiarcha inductione hac, et verisimilitudine ducere tentat, non solum idiotas, verum et scientes, qui quidem quoniam ex propriis loquitur, falsitatis operarium sermonem efficit, disseminat verba, perscrutatur pro-

pria, dum quærit quæ synodus sancierit dicere Spiritum ex Filio procedere. Quare sine querela uti nunc possum ejusdem maledici sermonibus et efferre : O sensum ab incontinentia crapulatum et impietate! Omitto reliqua, quæ pene certum non habent numerum, venio ad magnos fidei articulos. Quæ synodus offerri fermentatum, lanceaque illud percuti constituit? Panis quidem azymus erat ille quem accipiens Dominus dixit : *Hoc est corpus meum* (*Luc.* XXII). Nam legale pascha prius consummavit : dein mysticam illam perfecit cœnam in eadem mensa. Refert enim Chrysostomus ubi de traditione Judæ ac pascha disputat : *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* (*Matth.* XXVI) non hoc nostrum, sed Judaicum : illud enim discipuli paraverunt, nostrum autem ipse paravit : et iterum in eadem mensa, uterque fit pascha, et quod figuræ, et quod veritatis. Magnus quoque Cyrillus, in sexto, De eo quod est in spiritu et veritate obsequio, sermone, talia loquitur. Dies quidem salutaris hujus et desiderabilis occisionis, secundum lunam quartam decimam : sic vero lex prædixerat manifeste Salvatoris nostri occisionis tempus, quoniam pro mundi vita sustinuisse dicimus ipsum; decima, inquit, mensis primi, tollat unusquisque agnum pro domo juxta numerum animarum : et servabitis eum usque ad quartam decimam mensis hujus, immolabitque illum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Audis quomodo a decima tollebatur, et usque ad quartam decimam servabatur, quondam victima, ut quintum intelligas tempus, in quo factus homo pro nobis sustinuit mortem, minui jam incipiente luna, quæ noctis principio dicata est.

CAPUT XVI.

Sed enim Epiphanius Cypri archiepiscopus in libro qui Panaria nuncupatur, contra Ebionitas comestionem carnium inhibentes : Quomodo, inquit, non protinus eorum amentia coarguatur, primum quidem Domino comedente pascha Judæorum? Pascha autem Judæorum agnus erat, et azyma, carnes agni, assæ igni : et quæ comedebantur, prout ei discipuli dicunt : *Ubi vis paremus*, etc. Et rursum : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* (*Luc.* XXII). Non dixit simpliciter pascha, sed *hoc pascha* : pascha vero erat, ut dixi, carnes assæ igni et reliqua; et iterum idem sanctus ut vere dicebat : *Desiderio desideravi hoc pascha*, carnes scilicet, *manducare vobiscum*. Plane autem ostendit quod et pascha consummavit, et carnes manducavit, ut dictum est; dicit autem et lex : *Habebitis hanc diem in monimentum, et celebrabitis eam solemnem Domino, cultu sempiterno : septem diebus azyma comedetis, in die prima non erit fermentatum in domibus vestris : quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel : a die prima usque ad septimum. Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma. Usque in diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris : omnis quicunque comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis, quam de indigenis terræ* (*Exod.* XII). Christus autem non fuit aliquo modo transgressor legis, alioquin juste occidissent eum. Quamobrem azymum benedicens fregit, et dedit discipulis, et dixit : *Accipite, comedite, hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Ideo Latinorum sancta Ecclesia æternaliter azyma offert et immolat, nequaquam in hoc judaizans, cum in anno illi semel, et non proposito simili, hoc vero perpetuo, secundum Christi traditionem : profecto si hoc esset judaizare : qui utuntur templo, altari, oleo, aqua, lumine, thuribulo, angelorum imaginibus, et barbas non radunt, Judæis utique consentirent. Quoniam autem angelorum iconas habuerunt, patet ex eo quod Dominus ad Moysen dixit : *Facias mihi duo Cherubin ex auro ductili, et pones ea ex utraque parte propitiatorii, extendentia alas super propitiatorium, et mutuo se respicientia* (*Exod.* XXXVII). Palam est igitur penes Judæos fuisse usus imaginum.

Amplius : Quis pontificum cœtus tradidit baptizandos præungi oleo, Domino docente baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et nihil amplius adjiciente? Amplius. Quæ synodus sancivit ferventem aquam sanguini Dominico permisceri, quod quidem magis facit apparere animalem, et gratia sanitatis corporis susceptionem Filii, quam rationalem seu vivam vel spiritalem? Nunquam enim scriptum est Dominum ferventem aquam misisse in calicem, quando in cœna dixit discipulis : *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus* (*Matth.* XXVI) : sed neque magister sobrietatis et omnis continentiæ vinum sine aqua dedisse credendus est, cum mysterii sacramentum eisdem discipulis tradidit. Et rursum quæ synodus constituit, in officiis Ecclesiarum *Kyrie eleison* tantum psallere; et non concinere huic *Christe eleison*. Dixit Dominus : *Spiritus qui a Patre procedit* (*Joan.* XV) : confirmaverunt hoc, et sanctæ synodi, Latinorumque omne collegium, non modo non inficiatum est; sed cum omni diligentia, et ex toto corde credit, et dicit confiteturque et ex Filio procedere. Nam licet solus nominetur Pater : subintelligitur omnino et Filius, eo quod absque medio de Patre non prodeat, et cum nusquam Patrem dixisse reperiatur : Ego solus emitto Spiritum; sed neque prophetarum quispiam, seu aliorum Patrum, solus Pater emittit Spiritum, aliquando protulit : at vero neque contra decreta sanctorum Patrum, qui Niceæ, Constantinopoli, Chalcedone, vel ubilibet locorum pro firmanda fide convenerunt. Idem enim, sed aliter dicit explanando et interpretando, quod pie intelligi oporteat : Spiritum ex Patre procedere subintellecto, scilicet, Filio : tum quia verissimum est Spiritum ex Filio procedere, tum quia multi a Filio ipsum dividebant. Enimvero sicut intelligitur Filium esse Spiri-

tum, cum dicitur esse Patris, ita concipiendus est ex Filio procedere, cum Deus a Patre procedit. Nam si Spiritus ex eo quod habetur, non incinit paternum proprium, neque ex eo, quod procedit, at vero ex eo, quod habetur non incinit. Est enim Spiritus proprius Filii, cum non in eo quod Pater habeat Spiritum, quia neque Spiritus habetur ut genimen : verum bonus pastor suis falsis opinionibus consistentia et bene habentia dimovet, et Latinorum sanctam Ecclesiam absque synodo pro suis viribus condemnat, contraque sanctas synodos, contraque apostolicæ sanctitatis viros mentitur, dum eos sanxisse affirmat Spiritum a Patre, sed non a Filio procedere. Evidenter calumniatur sanctos Patres denuntiasse, quod non pronuntiaverint atque sensum, quia oratio non significat ei docuisse. Salvator quidem dixit, *qui a Patre procedit*.

Idem sancta concilia, idem venerabiles Patres confessi sunt ; hic autem conviciator edocuisse illos asserit, quod indicare orationem arbitratur, scilicet qui a Patre solo procedit. Quare quod non pronuntiaverint quasi sancitum complaudit ei, dum ex solo Patre docet Spiritum procedere, Salvatorem, sanctas synodos, venerabilesque Patres arguit. Nempe non idem significant hæ duæ orationes : qui a Patre procedit, et : qui a Patre solo procedit ; neque apud Græcos, neque apud Latinos, neque penes oratores, neque penes philosophos : profecto rimari quidem oportet non solum dictionem, verum dictionis intentionem. Sane quæ dubia sunt interdum, per alia manifestantur, et ex his quæ alibi scripta sunt. Notum quidem videtur Latinis qui a Patre solo, notum vero Græcis qui a Patre et Filio : eo quod neutrum in Evangeliis scriptum reperiatur, verum sic opposita sunt, ut alterum quidem duorum sit verum ex necessitate ; alterum vero non, sed ex Filio quidem procedere Scripturis consonat et concordat, et neque contrarium vel repugnans invenitur, quanquam a synodis expressum non sit. Etenim quisque Romanorum pontificum qui synodos sanctificaverunt et confirmaverunt, semper hoc dixit ac dogmatizavit. Quos quidem utique Athanasius, Basilius, Cyrillus, sanctorumque reliqui manifeste secuti sunt : propterea ex Filio sentire ac dicere debitum est. In quantiscunque quidem, neque cum Filio, neque habere intelligere commune est Spiritu, solus intelligitur Pater, veluti cum dicitur ingenitus, absque causa et sine principio, ac quidquid simile. In quantiscunque vero cum utroque, aut cum altero tantum habere intelligere commune, quanquam solus nominetur, solus tamen non intelligitur. At vero Spiritum habet cum Filio communem Patrem. Quare cum dicitur a Patre procedit, et a Filio procedere debet subintelligi. Ex solo autem dicentem multa sequuntur inconvenientia, quorum perpauca hic memoro : Nam si ex solo Patre procedit Spiritus, non est ipse imago Filii, sed Patris, ut sine medio ex ipso coruscans : non est autem hoc, cum Spiritus imago sit Filii, et ex ipso proxime refulgeat. Quare si Filius ideo ex Patre provenit, quia ejus existit imago, et Spiritus ex Filio existentiam habet, quia imago ejus est.

Amplius : Propinquior erit Patri quam Filio, et magis Patris quam Filii. Amplius : Si ex Patre solo procedit, ad mensuram dat Pater Filio Spiritum, cum solam missionem, et non emissionem ei tribuat. In quo, scilicet, non videtur remetiri paternam excellentiam, nec ex integro Spiritum habere cum omnibus, quæ circa ipsum considerantur sicut habet Pater.

Ait enim magnus Cyrillus : *Non ad mensuram dat Spiritum Filius*, juxta Joannis vocem, sed ipse emittit ex se, quemadmodum utique et Pater. Quocirca quicunque orationem : *Qui a Patre procedit*, transformat in eam quæ dicit : a Patre solo, Salvatoris vocem, qui est perennis fons veritatis, infirmat. Sed os quod mentitur, non erit impunitum, sicut dicit Salomon. Tenebrosum et nigrum evomuit bonus pastor, ut piscis qui nuncupatur sipia [sepis]. Nam neque synodus, neque sanctorum quispiam Patrum dixit, non procedere Spiritum a Filio, aut a solo Patre. Restat igitur hæresiotam Photium hujusce dogmatis post Theodoritum fuisse præconem, quod quidem demonstrationibus cœnulentis supervacaneisque monstrare allaboravit, quarum una hæc est. Si omnia communia Patris et Filii, et Spiritus omnia existunt communia, ut Deus, rex conditor, omnipotens, simplex, incorporeus, et simpliciter omnia alia : commune vero Patris et Filii, progressio Spiritus ex eis : et ex se utique procedet Spiritus, et principium erit sui, et causa simul, et causativus. Quod neque gentilium fabulæ confinxerunt.

CAPUT XVII.

Acuti sophistæ ac peritiæ artificis complexio, ut videtur, non inviolatam conservat fidem, dictiones proferendo in dolo et astutia : et in hæreticæ impietatis veneno, obnoxium invectionibus seipsum fecit : licet nolit, cum non habeat divinam advocatricem Scripturam : miscet non miscenda, et comparat non comparanda, et quia non dijudicat naturales qualitates a proprietatibus, in Acherusiam paludem præcipitatur. Non enim idem est proprietas naturali, et substantia æqualitati (10). Quippe quascunque naturales qualitates habet Pater et Filius, has habet et

(10) Cum alicubi distinguit Hugo essentiam divinam a proprietatibus personalibus, non de reali, vel formali actuali distinctione loquitur, sed de distinctione rationis ratiocinatæ formali, virtuali et eminentiali, ut theologi loquuntur, intelligit. Vide S. Thom. p. 1, q. 28, art. 2, et q. 39, a. 1, ejusque interpretes eisdem locis.

Spiritus. At vero cum quascunque proprietates habent duo, et tertius ut retro monstratum est. Propterea hoc idem dicit sophista, sibimet invenire contrarius, cum dicat : Spiritus et Filii commune esse, una ex causa et indivisibili, habere progressum. Quod utique nequaquam Patri causam non habenti convenit; sed neque Theologus Gregorius consentit huic sententiæ, in quodam sermone ad Ironam philosophum. Commune, inquit, Patri quidem et Filio sanctoque Spiritui non fieri, Deitas quoque : Filio autem et sancto Spiritui, qui ex Patre : secundum, quemadmodum Spiritus ex Patre ac Filio progressio, proprietas est : nec ulla cogit ratio trium esse, quia duorum est proprietas. Incorporeum quidem et supersubstantiale, ac similia quæ ad naturam referuntur, trium æqualiter communia, ubi sæpiuscule determinatum est, existunt, et rursus divinæ impugnationis plenus dicit. At vero procedit Spiritus ex Filio, aliquid accipiens quod procedendo ex Patre non habuit. Si enim aliquid est accipere et dicere qui acceperit, quomodo non absque assumptione imperfectus? Quod si nihil accepit, obruuntur et hinc alia : duplex scilicet et compositum, violantia simplicitatem naturæ, quæ compositionem non habet. Quæ ratio nihil potentis præstare processionis. Sed neque consequitur proprietas dictiones quæ infertur conclusio. Mendacium ægritudo est, ut dicunt magis dicentis quam audientis fallacia. Pater facit per Filium, aliquid accipiens : sine quo creare impotens erat, qui operatur omnia in omnibus. Nunquid imperfecta est operatio Patris, aut Filii, aut Spiritus? Non indiget Pater alicujus, perfectus cum sit, ac sibi sufficiens. Verumtamen omnia per Filium condit, nihil accipiens quod non habuit. Sed et Spiritus ex Filio, et per Filium procedit : nihil ab ipso sumens, nisi quod a Patre accipit; perfectus utique Deus ac nullo indigus cum sit Pater, generat tamen ex substantia Filium, per quem condit universa, æque sibi potentem. Nec adeo superabundat Spiritus ex utroque progressio, cum neque imperfectum Spiritum indicet, neque impotentem Patrem vel Filium demonstret, neque aliquam inducat compositionem. Si substantiæ pars foret causa et causativum, haberet utique locum ratio compositionis. Nunc vero natura dicitur Filius, emissus vero Spiritus. Non in eo quod substantia, sed in eo quod hic quidem gignitur; ille vero procedit : sed hoc ad naturam non spectat divinitatis.

Amplius : Verbum Dei cum sit perfectum, et nullius indigens, quid accepit a Spiritu sancto, quando assumpsit carnem carni assistentem, unctionemque illius factam, sicut scriptum est : Jesum *a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute* (*Act.* x). Non igitur indigentiam aliquam, vel imperfectum quippiam Filius supplens, Spiritus emissor existit. At vero emittere Deus cum Patre nullius indigo, tum quod amborum indifferenter est Spiritus, tum quod sine medio de Patre Filius provenit : idcirco non ex solo Patre Spiritus, sed ex Filio, qui solus fructus existit Patris, secundum eamdem habitudinem quæ ex Patre procedit. Amplius idem conviciator : Si causa, inquit, est Pater eorum qui ex ipso non ratione naturæ, ratione vero personæ, sed ratio personæ paternæ a nullo usque nunc includere Filii personam, impie dicta est. Nequaquam igitur sit aliquo modo alicujus eorum qui in Trinitate causa Filius. At hoc autem, neque hic convenit præterire, quoniam et ipsam personam Patris in duo divisit impietas, aut prorsus Filii personam in partem recipi paternæ personæ asseverat. Et quidem multa zizaniorum alia multitudo, ab ea quæ a principio injecta est, mala pullulans dispersione. Quæ non dormientium ut videtur, sed secundum animam vigilantium, mortem quærentium insanorum, ut supremum generosum et salutare degener efficiat semen, superveniens generis inimicus, in eorum sævit miseris animabus zizania. Utri danda est responsio, blasphemiæ, an paralogismis? Sanctam Dei Ecclesiam objurgat, spinoso afficiens opprobrio hic litis amator nec erubescit, prophetarum complexionem male disponendo torta lis est, quod dici solet : Qui temperantia caret, virtutem non habet. Qui virtutem non habet, sub macula est. Iste conviciator cum injuriis et ignominia victoriam e latronis excessu venatur. Sed vanus est sermo et ineffícax, qui propter causam et causativum, sicut ex superioribus patet, personam Patris dividit, aut Filius personam Patris personæ Patrem constituit. Causam enim et causativum nesciunt personam dividere, neque in inferioribus. Non ergo causam existens cum Patre Spiritus, dividit paternam personam. Quare omnino supervacaneus est dictus paralogismus, quemadmodum et hic : Si Pater mittit Filium et Spiritum, non ratione naturæ, ratione vero personæ : ratio autem personæ Patris, non cui concludit personam Filii. Nequaquam igitur aliquod eorum qui in Trinitate mittat Filius : et rursus idem bonus pastor. Etiam, inquit, sed Salvator dixit discipulos instruens : *Quoniam Spiritus de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* xvi). Et quod utique lateas : qui ad Salvatoris confugeris vocem, non ut advocatricem sumas; sed ubi ipsum per dissonantiam objurges, sic enim tua lingua est audax et impudica, ut in iis quæ incomprehensibilia sunt occasiones confingat et subintelligat. Quomodo tuam ex lege dissonantiam quæ incommutabilem et inalterabilem dissipat veritatem, non coercuisti, cum pœnam debeas. Ideo autem te, ut quæ puerorum sunt, non cognoscas impossibilia conando, privavit temeritas. At vero age, nunc et si non prius intelligere te oportet quod nihil sic manifeste stat contra tuam insolentiam, quemadmodum Dominica et salutaris ista vox. Nam si dixisset : De me accipiet, neque sic adinventio tua reperisset terminum : verum haberet aliquam competentem occasionem error, propterea tantam impietatis magni-

tudinem Salvator providens, non hujusmodi emisit vocem, ne forte diaboli versutia multos per te devoraret : et post pauca, non dixit Salvator : De me, sed *de meo accipiet*. Multam et magnam licet brevi permutetur verbo, de me, ad illud, quod de meo, differentiam possidet. Nam de me ipsum inducit, qui vocem pronuntiat, *de meo* autem, omnino aliam a pronuntiante personam. Et post modicum : hic autem qui sit, ex quo Spiritus accipit nisi Pater? Neque enim aliquid aliud, qui contra Dominum pugnant confingent, neque enim ex alio Filio, sed neque ex accipiente spiritum. Cum dixisset *quoniam accipiet*, manifeste declarat, et ad quid accipiat, non enim ut procedat aut subsistat. Attende Dominicas voces, o homo, sed quare accipiet, ut quæ ventura sunt annuntiet vobis? planius autem reserans quid sit illud, quod dicit : *De meo accipiet :* continuo subjungit : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*ibid.*). Quare mea, accipiens de mea parte accipit, et ideo dixit, *quia de meo accipiet*, quia in parte sunt mea. Spiritus autem de Patre accipit. Nam quæ Patris sunt, mea sunt. Quare cum dicit, *de meo*, ad Patrem oportet intentionem dirigere, et non ad alium divertere.

CAPUT XVIII.

Hujus convicia, quemadmodum abyssus sive tartarus, fundum non habent, cum ex ejus ore Averni flumina effluant, quorum nomina, ut Socrati visum est, sunt hæc : Acheron, Pyriphlegeton, Cocytos, ex quibus Stygia nascitur palus, et inamabilis unda, quæ Acherusia nuncupatur. Utinam iste oblivionis aquam potasset, omniumque perdidisset conviciorum memoriam ! Paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos rationem, de ea quæ in nobis est fide, et ipse apostolorum princeps præcepit ; sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam. Sed hic non quærit cum modestia et timore, secundum apostolicam institutionem, propterea se veritas illi non manifestavit, utpote non recte quærenti. Ita quippe veritas quærenda est, quasi Deus præsens sit. Si Deum hic præsentem habuisset, nequaquam in Dei Ecclesiam tot convicia profudisset. Nullus enim, præsente domino suo, prudens servus impudenter agit, proprii domini honorem contemnendo. Sed attendendum quod supradicta Petri verba et ad doctrinam spectant et ad investigationem Christi. Ubi vero præcepit : Dum steteritis ante reges et præsides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini et responsuri eis (*Marc.* XIII) : ad testimonii gloriam præsentiæque sancti Spiritus, sæpe namque sapientiam hanc aliquis in disceptationibus, atque audaciam ; sed quia facile in tumultibus turbatur, confundetur in perorando : apostoli autem in utroque gratiam acceperunt, unde stupebant præsides, et ipsi secum habere spiritus præsentiam certificabantur. Magnopere conatur iste vir, secundum grammaticorum regulam ostendere quod me a meo in significatione quamplurimum differat. Nam meo, ut omne possessivum pronomen, duas personas, unam intrinsecus, scilicet possessoris, alteram vero extrinsecus, id est possessionis, significat. Quare cum Christus ut possessor intelligatur, dicendo : *De meo accipiet*, Spiritusque sit accipiens, Pater procul dubio est persona, quæ ut possessio nuncupatur. At vero nihil pro certo videtur cogi veritas, ut palam est. Idem enim Salvator dicit : *Non possum ego a meipso facere quidquam, sicut audio judico, et judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam* (*Joan.* V) ; et rursum : *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, et eum qui venit ad me non ejiciam foras, quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* VI) ; et item : *Mea doctrina non est mea* (*Joan.* VII). At vero si secundum positionem Photii patriarchæ, *meum* pronomen ubique duas personas significat, voluntas Filii alia sit a Filio persona. Quo fit ut non quatuor aut quinque personæ, sed centum vel plures in Trinitate possint subintelligi et esse. Quare non est necessarium *meum* pronomen, ubique duas significare personas, cum et figurate de eadem persona dicatur, ut Persius dicit : Vindicta postquam meus a prætore recessi ; et Euripides : Ego autem meus sum : attendere debuisset homo iste, quod aliter apud grammaticos accipitur persona, et aliter apud theologos. Etenim in grammatica quælibet res persona nuncupari potest (11) : sive per se subsistat, sive per aliud, sive substantia sit, seu accidens.

Quare secundum hujusmodi disciplinam, cum Filius dicit : *Mea voluntas, meum judicium, mea doctrina, mea generatio*, et quidquid simile in singulis clausulis, alia et alia intelligitur, ad similitudinem possessionum, persona. In theologia vero, tacitis proprietatibus, ab omnibus qui secundum substantiam dicuntur, tres tantum imminuantur personæ, quarum nulla expresse intelligi videtur, ubi Salvator dicit : *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Et hoc ita esse demonstrat, dicens : *Omnia quæ habet Pater mea sunt : ideo dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*. Si Spiritus accipit de iis quæ sunt Filii, et habet Filius : accipit de iis quæ sunt Patris, et habet Pater ; item si accipit de iis quæ sunt Patris et habet Pater : accipit de iis quæ sunt Filii et habet Filius. Omnia enim quæ habet Pater, sunt Filii : et quæ habet Filius sunt Patris. At vero accipit Spiritus de iis quæ sunt Patris, et habet Pater, quare accipit de his quæ sunt Filii, et habet Filius. Quod si accipiendo de iis quæ sunt Patris et habet Pater, accipit de Patre, et accipiendo de iis quæ sunt Filii, et habet Filius, accipit de Filio. Manifestum igitur quod non ex solo Patre accipit Spiritus, ut Photius asserit.

(11) Grammatici ac theologi in intelligendis personis differunt.

Amplius. In his quæ sunt Patris, et habet Pater, non videtur omnino Patri communicari debere, neque in his quæ sunt Filii, et habet Filius. Nam neque Pater Patris est, vel Patrem habet : neque Filius Filii est, vel Filium habet. Verumtamen accipiendo de his quæ sunt Patris, et habet Pater : et de his quæ sunt Filii, et habet Filius, indubitanter accipere de utroque dicitur, quia emissionis ac processionis causa secundum quas Spiritus esse accipit, de thesauro sunt Patris et Filii : qui licet ambo emittant, non tamen secundum quod Pater vel Filius ei esse præstant, ipsumque producunt. Quamobrem, *De meo accipiet*, sic intelligendum arbitror : *De meo*, scilicet, et Patris thesauro essentiam sortitur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, id est, ipsum esse Deum ut nos sumus, per ea quæ vos docebit animadvertetis. Eamdem enim nobis scientiam substantialiter habet, et secundum naturam. Quæ vero natura communicant, ex se invicem cognoscuntur. Nam per unum hominem, cunne hominum genus videre est, et per unum bovem omnem boum generationem, sed non per bovem oves, neque angelos per homines. Etenim quæ differentis naturæ sunt ex se invicem nequeunt cognosci. Amplius : Si emissor Spiritus non in eo quod generat secundum naturam est Pater, Filius vero minime, quomodo verax erit Salvator asserens : *Ideo dixi quia de meo accipiet, quia omnia quæ habet Pater mea sunt?* aut enim habebit secundum naturam, ut sit emissor, quod Patris non ut genitoris est, aut si non hoc Patris quidem sunt quæ existunt Filii, quæ vero sunt Patris, non pertinent ad Filium. Quare si omnia quæ sunt Patris, non ut genitoris habet Filius, emittere autem Spiritum Patris : non ut genitoris est, hoc abesse non potest a Filio. In eo enim quod dicit : *Omnia quæ sunt Patris* : non ut genitoris esse Filii nihil extra dimittit. Et idcirco neque Spiritum emittere, quod Patris, non ut genitoris est.

Amplius : Magnus Athanasius in una epistolarum ad Serapionem scribit hoc modo : Quemadmodum genimen unigenitus est Filius, ita Spiritus, qui a Filio datur et mittitur, et ipse unum est, et non plura, neque ex pluribus unum, sed solum ipse spiritus. Nam cum unum sit Dei Filius vivens, Verbum unum esse oportet, et plenam sanctificativam et illuminativam vitam, quæ est operatio ipsius et donum, quæ ex Patre dicitur procedere, eo quod a Filio qui est a Patre manifeste splendet et mittitur et datur. Igitur Filius quidem a Patre mittitur : *Sic* enim, inquit, *Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*, Filius autem Spiritum mittit. *Si* enim, inquit, *abiero mittam eum ad vos.* Et Filius quidem Patrem clarificat, dicens : *Pater, ego te clarificavi.* Spiritus quoque clarificat Filium : *Ipse* enim, inquit, *me clarificabit.* Et Filius dicit : *Quæ audivi a Patre meo, illa loquor in mundo* (*Joan.* XVII). Spiritus vero ex Filio accipit, ex Filio, inquit, accipiet, et annuntiabit vobis. Idem quoque Magnus Basilius in tertio de Spiritu sermone affirmat : Dignitate quidem est secundus a Filio, ab ipso esse habens, et ab illo accipiens nobis annuntiat, et quod omnino de illa causa exeat, tradit sermo pietatis. Sed enim Magnus quoque Cyrillus in sexto ad Hermiam sermone, similia loquitur : Quomodo igitur, inquit, per Spiritum sanctificari dicunt illum, cum ipse manifeste dicat de Spiritu : *Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis?* Et hoc Dominus non secundum participationem aliquid esse, credentes in sancto Spiritu, cum ipse perfectus omnino sit, et absque indigentia, secundum propriam naturam et existentiam : illud autem magis significantes, quod de Dei et Patris substantia, verbi quoque quidem, secundum propriam naturam ex ipso est et in ipso apparet, Spiritus existit. Sed neque Chrysostomus in Joannis Evangelio ad Patrem *de meo accipiet* referre videtur, exponens : *De meo accipiet*, id est, quæ dixi ego et ipse dicet, aut, Ex meo ex quibus scio ego, et ex mea scientia. Et iterum : *De meo*, id est, consona meis pronuntiabit. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* illa. Ipse enim ex his quæ Patris sunt dicet, et ex meis dicet, quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Dei hoc maxime proprium dicere, quæ ventura sunt. Quod si ipse discit ab alio, nihil amplius prophetis habeat. Verum in hoc loco diligentissimam apud Deum scientiam demonstrat et hic sanctus. Quid ergo convenientius dici possit, diligentissimam scientiam, quam Patris sapientiam, quæ Christus est, et ex qua Spiritus accipit, sicut patet ex eo quod non tanquam indignus dixerit : et ab alio dicens, sed ad ostendendum quod ejus causa est Filius, sicut et Pater.

CAPUT XIX.

Audisti, Photi, gloriosos hos viros, Athanasium dico, Basilium et Cyrillum : ii tuam instantiam dissolvunt. Audisti asserentes illos, « Spiritus ex Filio accipiet, et annuntiabit vobis : » et non protinus tacuisti, obediendo doctrinis eorum divinitus monstratis, quibus quidem omnis sapiens concinit, et summa consignat electione. Non bonum meritum reddis patribus tuis, quos ut falsitatis testes appareant proscribis. Quantum quidem melius tibi et competentius erat, sentire ac dicere, quæ cælibes illi viri senserunt et conscripserunt, quam dehonestare ac contumeliis afficere Dei Ecclesiam, dum et asseveras quod sanctum symbolum adulterinis ratiocinationibus, et proclivibus ad fallendum, sub excessu confidentiæ improbare tentaverit. Propterea et vociferaris, o malitiæ machinamenta, Spiritum sanctum, non ex Patre solo, sed ex Filio procedere, frustra profitetur. Quis aliquando vel ab impiissimis vocem audivit erumpentem hujusmodi? Quis pravus serpens in corda illorum talia instillavit? Ad hoc autem fateris quod sacrosancte confitearis Spiritum esse Patris, et Filii, sed et substantiale ad utrumque tantum vocibus applicas in hunc modum fando : Scimus quod consubstantialis est quidem

Patri Spiritus, eo quod ex ipso procedit, consubstantialis vero Filio, non quod ex ipso procedat, absit! quia neque ille huic per generationem, sed quoniam ex una et indivisibili causa, ante sæcula æqualiter utique progressio. At vero mihi videtur non recte dici consubstantiale prædicari æquivoce, de tribus personis. Inconvenientia enim sequuntur et impossibilia, quamvis plurima. Nam si Spiritus consubstantialis est Patri, eo quod ex ipso procedere substantiale est Spiritui. Etenim, si Socrates Platoni consubstantialis, quia rationalis est, ambobus rationale substantialiter inesse contingit, at vero procedere neque Patri neque Filio substantiale est : igitur non sunt ejusdem naturæ cum Patre, Filius atque Spiritus.

Quod si verum constet, non sunt unus Deus, quoniam consubstantiale non æqualiter et univoce de tribus prædicatur personis, quod quidem et Photio videtur dicenti, consubstantiale quidem omnino ad utrumque vocibus et non significatione reddimus, sed non bene. Nam substantialia ejusdem sunt substantiæ atque naturæ. Quæ vero ejusdem substantiæ atque naturæ sunt, eamdem rationem substantiæ suscipiunt. Quarum omnia consubstantialia eamdem substantiæ suscipiunt rationem. Quo fit, ut consubstantiale de omnibus consubstantialibus, similiter et eodem modo enuntietur. Sane sicut specialissima species, de suis individuis prædicatur, sic utique Deus et substantia, de tribus dicitur personis. Et quemadmodum omnia, quæ specie participant, ejusdem naturæ censentur, ac consubstantialia : sic utique Pater, Filius atque Spiritus sanctus æqualiter ejusdem naturæ dicuntur atque consubstantiales, secundum substantiæ nomen, et non æquivoce. Ergo secundum quem modum dicitur Spiritus consubstantialis Patri, secundum eumdem et Filio consubstantialis est. Et sicut Filius consubstantialis est Spiritui, ita Spiritus Filio et Patri.

Nullam enim possident differentiam, in eo quod consubstantiales, quare, non quia procedit consubstantialis est Patri Spiritus. Amplius : Quoniam consubstantialis est Spiritus Patri, non differt a Patre. Quoniam vero procedit, differt a Patre, ergo quoniam procedit, non est ei consubstantialis. Amplius : Consubstantiale colligit multitudinem in unum, participatione enim speciei, ut philosophus dicit, plures homines unus. Nam Socrates et Alcibiades duo cum sint, reducti ad hominem angustantur, et fiunt specie unus, collectivum vero et adunativum quod commune, propterea universi homines inter se consubstantiales sunt, sed nullus homo, in eo quod homo alterius esse dicitur. Amplius : Incomparabile ac incommunicabile est quod substantialiter dicitur ad procedere, sive ad aliqua illorum, quæ propria nuncupantur. Non enim exciditur a natura, cum nulla quidem diversitas insit personis secundum substantiam : proprietatum vero tantum natura in substantiæ identitate demonstrat alternitatem. Quamobrem consubstantiali ad substantiale, nulla neque secundum prolationem, neque secundum sensum est permutatio. Amplius : Si processio substantia est Spiritus, natura Spiritus processibile est : si natura quidem procedit Spiritus, Pater vero non, non sunt ejusdem substantiæ, Pater et Spiritus : igitur non consubstantiale est Patri Spiritus, quoniam ex ipso procedit. Amplius : Neque hoc videtur esse verum, ut Spiritus ideo sit Filii, quod ex una causa et indivisibili ante sæcula æqualiter utique progressio. Inconvenientia enim sequuntur et hoc nuntiantem : nempe, secundum quod sunt ex una causa et invisibili uniuntur ambo. Non enim tot, sed hujusmodi ostenduntur, ex eo quod secundum unionem non intercedat numerus. Impossibile est enim aliqua numerari in eo quod nihil differunt, cum secundum distantiam tantum numerum nanciscantur, at vero secundum quod Spiritus est Filii differens ab ipso, et quasi altera persona ostenditur. Nihil quippe sui ipsius esse potest. Quare non ideo est Filii, et ei consubstantiale, quod ex una causa et indivisibili, ante sæcula æqualiter utique progressio.

Amplius : Non dicitur Spiritus Filii ut consubstantiale, et qui mittitur per ipsum, ut Photii declarat descriptio : aut enim æternaliter est Filii, perque ipsum æternaliter mittitur, aut prius Filii erat, quam per ipsum mitteretur. Quod si antequam mitteretur, Filii erat Spiritus, quia per ipsum mittitur ejus existit. Et rursus si per Filium Spiritus æternaliter mittitur, aut mittitur Filio cum Patre mittente ipsum, aut tanquam per instrumentum mittitur per Filium, veluti per arcum mittitur sagitta : sed hoc est impossibile, eo quod alia natura sit causæ, et alia instrumenti ; alienus utique foret Filius a Patre, ut instrumentum ab artifice. Quare mittit Filius et habet Spiritum omnino, quemadmodum et Pater ; qui, scilicet, Spiritus, neque in eo quod mittitur alicubi consubstantialis est. Profecto quæ minime substantialiter insunt, substantialia esse non possunt. Quomodo enim a proprietatibus ad substantiales qualitates, scilicet, substantiales differentias, rationem transferri possibile, existimo non recte. Non enim est proprietas idem substantiali qualitati, propterea non potest transigi consubstantiale in proprietatem communitatem : ergo Filius Dei est Spiritus dator, et ejus emissor ut suæ plenitudinis, est enim ejus plenitudo Spiritus sanctus, sicut Joannes inquit : *Nos*, inquit, *de plenitudine ejus omnes accepimus*, videlicet, de Spiritu ejus (*Joan.* 1). Quod si Spiritus in eo, quod persona Filio non communicat, plenitudo Filii non communicat Filio.

Item si Spiritus non est ex Filio, plenitudo Filii non est ex Filio : quod est inconveniens, cum ergo ex Filio, et ex ipso procedit. Hoc qui negant, asserere videntur non propria virtute per Spiritum fecisse miracula. Adjecta vero advenientiaque cum sciant Filium habere, omnia quæ Pater habet, excepto

quod Pater non est. Quare causa Spiritus est et emissor, ut ipse Pater ex quo exit et procedit : sicut Lucas testatur, dicens : *Omnis populus quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (*Luc.* VI). Quæ est ista virtus, nisi de qua dixi : *Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos?* (*Act.* I.) Hujus virtutis Christus causa et fons existit sicut Pater, quia sanat, roborat, sapienter facit, et infinita præstat beneficia. Per Matthæum quoque Christus loquitur : *Cum tradiderint vos, nolite solliciti esse, quomodo aut quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* VI). Et rursus per Lucam exprimit : *Ponite in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis, ego enim dabo vobis os et sapientiam* (*Luc.* XXI). Marcus quoque idem affirmat, dicens : *Cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare vel præmeditari quid loquamini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus* (*Marc.* XIII). Scimus quidem indubitanter et firmiter tenemus, quod Christi verba plena veritatis sunt, et quod loquebatur in apostolis ipse dederit, sanctusque fuerit Spiritus. Ex quibus colligitur vera illa conclusio, Christus dat et remittit Spiritum, hoc modo : Christus dat qui loquebatur in apostolis, hæc autem propositio vera est, ipsius testimonio Salvatoris : *Ego enim*, inquit, *dabo vobis os et sapientiam* (*Luc.* XXI) ; at vero qui loquebatur in apostolis, Spiritus sanctus erat, ut idem Salvator testimonium perhibet.

Quare Christus secundum se dat Spiritum ut Pater. Non enim, inquit, per me Pater dabit, sed ut Pater, ego dabo. Liquet igitur ex prædictis quod sicut Spiritum dat Filius, ita et emittit Filii et ex Filio existentem. Quare non quomodo Filii, ita intelligis, consilii, fortitudinis, timoris, sapientiæ, adoptionis, omniumque simpliciter beneficiorum, donorum, atque gratiarum Spiritus esse dicitur? Nequaquam hoc modo Filii nuncupatur Spiritus, Filii sane Spiritus, ubi Patris æque ac indifferenter censetur. Intellectus vero gratiarum et donorum dicitur Spiritus, ut dator, et effectiva illorum causa. Is idem sicut Dei dicitur Spiritus, ita et Domini Spiritus nominatur, sed non convertitur. Etenim licet Deus Pater Spiritus, juxta Domini vocem censeatur, *Spiritus est Deus*, Spiritus quoque et Filius Dei, secundum illud : *Spiritus ante faciem vestram Christus Dominus ;* neque tamen Pater, neque Filius, Dei Spiritus dicitur : sicut igitur commune est Patri et Filio non esse Spiritum alicujus, sic proprium est Spiritum esse amborum Spiritum. Amplius : Sicut inter illos qui ex Deo nati sunt, solum Dei verbum, de utero ejus genitum esse pronuntiatur, ita inter Spiritus Dei, solus Spiritus sanctus, de ore Filii prodire creditur. *Verbo* enim *Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus* (*Psal.* XXXII), Verbi, scilicet, juxta Apostolum, *omnis virtus eorum*. Isto Spiritu ille iniquus Antichristus isperdetur, quia *Dominus Jesus interficiet eum Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* (*II Thess.* II) ; ut Paulus dicit quod de anima Christi nullus intelligere præsumet. Nam illa in eo quod anima est, neque interficit, neque destruit aliquid. Reliquum igitur est, ut sancto Spiritui solummodo attribuatur hoc. Qua ex re manifestum est quod sicut Filius de Patre per nativitatem existit, ita Spiritus ex Patre et Filio per processionem. Quod iterum et sic monstrari potest. Spiritus oris Christi ex Christo procedit, cujus rei signum est insufflatio in faciem discipulorum facta ; scilicet, Spiritu oris Christi, Spiritus sanctus est, unum enim habet Spiritum consubstantialiter ut Dei Filius, non plures.

Itaque Spiritus sanctus ex Christo Dei Filio procedit. Sed forte dicet adversarius, insufflatio, donatio, processio, sive missio Spiritus ad apostolos seu prophetas, a Christo facta, temporalis existit procul dubio. At vero illa, qua Spiritus existentia consideratur secundum se est, et non intelligitur ad aliquid, sed a quo. Eam enim Græcus intelligit, dum Spiritum ex Patre solo asserit procedere, prius vero dicta, cum sit temporalis, et ad homines, æterna non est : nec dogmatis ambiguitatem facit, nec multum ad schisma pertinet divulgatum, propterea superius positis argumentationibus nullo, ut videtur, qui ex adverso disputat, coarctatur inconvenienti hujus objecti solutio, quanquam ex superius dicto Magni Cyrilli, adversus Nestorium capitulo, et ex eo quod relatio talium creaturis magis quam Creatori conveniat, patens fit. In his tamen quæ sequuntur, quia præsentis voluminis series finem poscit, commodius explicabitur. Jam enim, ut æstimo, Græcorum pene omnes instantiæ solutæ sunt : demonstratum est enim quoquo modo ex Patre ac Filio Spiritus proveniens, non progrediatur ex duobus principiis, seu ex binis causis. Apparuit autem quomodo causa principiumque ac ingenitum non sint personales proprietates, cum genitor non emittat Spiritum, in eo quod Pater, neque solus. Ostensum quoque est nullam proprietatem esse personarum, et quomodo non uni tantum personæ adsit quælibet proprietas, cum aliud sit habere proprietatem, aliudque proprietate insigniri : similiter autem patefactum est, secundum nullam eorum quæ apud philosophos dicuntur causarum, Patrem seu Filium causam esse Spiritus, sicut non Spiritum causativum esse utriusque, dicto tenore, cum sit amor amborum.

Explanatum quoque non appagere inæqualitatem circa personas propter proprietates, existente duorum æqualiter Spiritu. Adapertum etiam est Spiritum et Filium et Patrem, Patrem quoque cum Spiritu, quædam obtinere vicissim singulariter, Patremque similiter esse Filii causam, non quod est Pater cum Filio. Dilucidatum est perfectam esse Patris, et perfectam esse Filii emissionem Spiritus ; nec aliquam superabundare, cum sit una et eadem. Filium quoque principium existentem in Trinitate, Spiritum emittentem sine medio, non ratione naturæ

sive personæ, sed ratione causæ ac principii, ex utroque progredientem, nec esse duplicem vel compositum, ex duobus proveniendo, sed neque Filium componi, eo quod causa sit et causativus. Enucleavit autem oratio primum hominem non fuisse Deo et Patri similem, secundum ingenitum, et quot modis ingenitum. Amplius autem, imaginem esse Filii Spiritum medii existentis Patris, Spiritusque secundum ordinem, et unitatem quidam ad naturam referri, ad personam vero non: Spiritum etiam Filii esse, non ut intellectus, aut ut consilii, aut ut timoris, aut ut adoptionis filiorum, vel ut aliquorum hujusmodi, quibuscum ostensum est Christum insufflando in faciem discipulorum dedisse Spiritum. Amplius autem evidens factum est, per necessarias A rationes a Photio dicta invalida esse, Spiritumque plenitudinem esse Filii, ex ipso procedentem, juxta evangelistarum testimonium. Qui quidem Christi oris Spiritus, Pauli auctoritate, nuncupatur. Igitur deinceps vestro favore atque hortatu (animo, frater mi, charissime Leo) non paucis præstantior et definiendi perite Caciareda, transeundum est ad genus talium demonstrationum, qualium hujus sublimitas participat negotii; ut diductis lucubrationibus, sub crepitantes lucernas, requisitisque sanctorum atque philosophorum Latinorum Græcorumve quam multis voluminibus, inveniam quod ad legendum vestræ primum ac aliorum diligentiæ, liber tertius exhibeat.

PRÆFATIO IN LIBRUM TERTIUM.

Persuadetis, pollentis ingenii, germane mi Leo, tuque Caciareda, in optimarum artium eruditionibus præstantissime, ut stylum orationis renovem, ac disceptationis varietate fastidio medear lecturorum. Commodissima quidem, ut puto, vobis videtur in explicandis solitariæ naturæ quæstionibus, et in enucleanda puritate, nulla contagione polluenda mendacii, renovatio tali methodo progressura. Eundum vero est rursus adversus olearias Pelasgorum cellulas, opiniones malignæ confutandæ sunt, non hostiliter, et serics aliqua demonstrationum cum auctoritatibus ordienda, quæ cunctis emissionibus præstantiorem ex Patre atque Filio, Spiritus progressum auspicetur. Qua ex re, indagandi veri cura, crudescentem jam morbum perfectius cognoscens, silvæ quæ segetes interimit, dissipata caligine, meritum promptius veritatis persequitur. Amplius quidem veridicus sensus, ex varietate hujusmodi, concentum nasci judiciorum proventu copiosissimum arbitratur. Nam palam est, ex his scientiæ angeri claritudinem, confragositatem ambiguitatum lævigari, mucrones retundi diurnis excubiis insidiantium, et inextricabilem supervectæ contemplationis difficultatem, ut anni tempora Eois conversionibus quodammodo reserari. Hæc utique peragratio certum ducem habet, rationem scilicet, nobiliter in acumine fastigiatam, quæ cum semper eadem existat certissima est, et inexpugnabilis, circa id quod valet comprehendere Interdum vero auctoritatibus confortata sanctorum, hiemales conculcando scaturigines, attollit aciem ad sublimia, et dum summa et alta capescit, damnis non prorsus consumitur probationis: licet enim supereminens claritas divinæ fertilitatis, nimia subtilitate audita sit, non humanis omnino subjaceat inquisitionibus, tamen quia eadem argumenta maximis minimisque causis conveniunt, non ex toto ipsa se subtrahit nostris demonstrationibus. Colendus autem diligenter est animus, qui una et eadem intelligentia, similiudinem, differentiam, identitatem et diversitatem prædicamentorum cognoscit, et ima et altissima contemplatur mirabiliter. Ex quibus nimirum haud injuria, spes jacens erigitur et dilatatur. Eoque amplius quod vigilantissimi nostri pectoris censuram, exactissimam ingenii limam, atque probatissimum examen, duo quæ præcedunt volumina, cum jam subierint, Charybdis seu Scyllæ, a modo non formident naufragium. Quod, ut puto jam Mareotidam amplectuntur Ebenum, corruptionem fugantem et, ut aiunt, solitam conferre, ne visu nigra metum incutiant, optima est, procul dubio, cylindrus vestræ immutabilis perseverantiæ, et ad coæquandam aream, quotidianis implanationibus, abundantium videlicet refectione supplemento hiantium erratorumque cauterio. Hæc censura dum dicta comprobat, magnam attribuit fiduciam operi, exercendo: fidem habens cum integritate sensus, et admirationem cum gloria. Quibus acute dijudicat sicubi textilicinia, ignobiliter eminentissimæ sapientiæ connectantur, aut molibus ingentium columnarum arundines: quod nihil negotio necessarium in hoc omnino est, nam cum in Asphaltide stagno Judææ provinciæ tauri fluitent impune cum camelis, ut notum est, non irriti rumoris præconio, in divinorum verborum purum fluorem petit, ima quisquis immergitur, tenuitate laticis non inhibente. Nec diem longius licet detinere, cum animadversione plectendus sævissima exsecrabilis factus sit. Ergo de hac materia edere aliquid formidabile est: nam in his non solum infirma facultas rationis orationisque, verum validissima, vix se a mendacio temperat, et ab inconsultis erroribus. Age vero quod absolutissimæ puritatis specula, eos qui ab imis non recedunt lateat, cui omne pervium est, nec aliquid excogitari potest, quod ejus oculis nubeculam qualemcunque objiciat: propterea de talibus scribere cupienti, allicienda permultum est cœlestis musicæ dulcedo, ad poli australis infima mergi et illic exsulare, prohibitura dicendi tumultuosam libertatem quæ stare nescit perpetuo agitatu excessus et replicationis. Ea certe dum luxuriat, non modo dulcibus, verum amaris floribus, et ubi sæpe non est aqua, sed lutum insidet, Phœbeos radios, non Phœbum ipsum imitando, morarum impatientem et nunquam Zodiaci excedentem terminos. Igitur si extremo in littore luctantes ventos, crebras procellas, imbrem inimicum verentur periti æquoris, quid in scribendo efficiat favilla pertransiens, tellus serotina, violentusque torrens, quæ magis sterilitatis causa existunt, quam porrigant ubertatem. Ego autem Spiritu veritatis stillante in conscientiam, et fovente propositionem, amplius, et utriusque vestrum bonæ fidei collucente suffragio, necnon intime amicorum Calciareda tuo chrismatismo, sed oraculo, me de his vaticinante, scripturum, nequaquam vereor, quin partis quæ a nobis defenditur quæstionis purgem ambiguum. Nam quæ præciduntur, et si plurimis ramis repullulent, languidiora tantum resurgunt. At vero ne licentiæ vagandi fama reclamet, vertendus est stylus, ut proveniat quod pollicetur oratio.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Humanus peregre proficiscens animus, quanquam ægre invisibilia, magis autem quæ trium divinarum existunt personarum, rimari valeat, tamen investigando laborat, ac rationibus ostendere quibus potest nititur, quod unus Deus est, ex quo et per quem, et in quo sunt omnia. Non possunt certe plura esse prima, cum necesse sit unum esse, quod exhibituum existat universorum, tam similium quam dissimilium : quo cum sit aliud quid sistatur, suprema unitas, et vere unum, jam non erit. Nam si Deus non est per se unum, sed in semetipso aliquid habet, cujus vocabulo rite queat denominari : non erit causa tantum, si ex alia ipse causa proveniet atque in infinitum ratio gradietur, nullo reperto, in quo stare possibile sit, ad instar sectionum continuæ quantitatis. Cujus quidem quia quælibet particula factæ divisionis, potest rursus dividi, currit in infinitum divisio. Itaque necesse est causam absque causa, et principium esse sine principio, quod nullius participando simpliciter unum sit et prima causa, primumque omnium quæ sunt principium, quod sic manifestius fit. Si omnis multitudo uno posterior est, et unius aliquo modo participat : unum simplexque principium omni multitudine prius est. Atqui omnis multitudo uno posterior est, et ejus aliquo modo participat, quippe si multitudo unum præcedat, ex uno esse non contrahet, cum uno prius ipsa exstiterit. Etenim non existentis, non est aliquid quod participet. Quare cum nulla supremum principium multitudo præveniat, nec aliqua divisio, unum est et simplex supremum principium.

Amplius : Omne divisibile, aut secundum multitudinem, aut secundum magnitudinem, aut secundum actiones, quæ in tempore feruntur, videtur posse dividi : Deus autem omnino immobilis existens et æternus, cum quamlibet præveniat multitudinem, nullo dictorum modorum dividi potest. Liquet igitur, quod ante supremum principium non est, aliud principium absque principio, par, vel melius, nec ante Deum est Deus, nec aliud post ipsum, quod sit Deus. Qua de re, neque generalissimum in divinis personis, neque subalternum, neque particulare, seu speciale perquirere oportet. Quia ubi genus, et prius; species, et differentia; proprium, et accidens. Sed, ut monstratum est, Deo nihil prius est, sed neque differentiis ex aliquibus ipse constituitur, naturam existens supra omnem, nihilque habens secundum participationem. Simplex enim divinum est et uniforme, extra omnem duplicitatem et compositionem. Equidem quod compositum est, ab aliquibus diversis componitur, aut A præexistentibus, vel electrum ex auro argentoque; aut ex iis, quæ simul considerantur, ut caput, ex ossibus atque carnibus, et aliis hujuscemodi. Hæc enim et his similia consistentiam pariter sortiuntur, quanquam differant, quia nequaquam horum prævenit singulum, quod ex his constitutum est caput. Itaque cum divinum sine principio, et absque causa sit, neque disciplina proprie, neque demonstratio, neque diffinitio ejus est. Nempe disciplina per demonstrationem fit, demonstratio vero per prima, diffinitionemque : Deo autem nihil prius est, diffinitio principium finemque habet, principium quidem generalissimum. Interdum etiam et quod sub generalissimo, finem vero, differentias. Ideoque nulla diffinitio potest divino assignari, nec aliqua talis certe demonstratio solis affirmationibus contexta, de Deo esse potest : eo quod infinitus sit et B absque principio. Quas ob res, per remotiones et inficiationes, adhuc Spiritus sancti processionem ex Filio esse, quantum facultas ipsa permittit, duce Deo monstrare aggrediar : jam nunc in hunc modum.

CAPUT II

Charissime, quod disgregat et dissecat aliud ab alio, aut intelligitur ut substantia, aut ut qualitas, aut ut quantitas, aut ut ad aliquid, aut ut quidpiam aliorum prædicamentorum. Nam præter hæc nec esse, nec intelligi aliquid talium possibile est. At vero quod disgregat ac dissecat a Filio ratione causæ Spiritum sanctum, neque ut substantia, neque ut qualitas, aliorumve aliquid potest intelligi. C Substantia quippe non est, quod dissecet, quoniam ejusdem substantiæ ac naturæ Pater, Filius, Spiritusque sanctus existunt. Sed neque quantitate Spiritus secernitur ratione principii a Filio : Etenim utraque, distincta scilicet et continua inficiatur, hoc perficere ut patens est. Nam distincta quantitas secundum passionem, atque collectionem consideranda, suas particulas actu exhibet intellectui, e. non potestate, alioquin discretum continuum existimabitur. Hoc intellectu concipitur, cogitatoque quanta sit, sed Deum intelligere, quantus sit non sufficimus, cujus majestas, ut individua, ut indistans, ut sine compositione, ut absque quantitate, D qualitateve non diffinitur. Hoc idem ipsum de continua quantitate sentiendum est, ea secundum concordiam, et alternitatem attendere, rem divisibilem in semper divisibilia, cum partes non discretæ actu, sed potestate accipiendæ sunt. Nec continuum faciamus discretum, et cœlestia quæ impassibilia sunt corruptibilia.

Amplius : Omne quod mensurari potest, aut quantitas est, aut quantitatis participat. Nempe

mensurabilium, hoc quidem proprio esse mensurari possunt, ut linea, superficies, hoc vero participatione ut homo, lignum. Socrates enim non in eo quod homo mensuratur, sed in eo quod magnitudine participat : verum secundum accidens mensurabilis est, at vero trium divinarum substantiarum personarum, nulla mensurabilis est. Quare neque quantitas illarum est aliqua, neque quantitatis participat earum quæpiam. Sed neque qualitas aliqua intellectu potest comprehendi, quæ Spiritum a Filio quin causa ipsius Filius sit disterminet : equidem nulla hoc efficit differentia. Quippe cum differentia tripliciter dicatur, communiter, proprie ac magis proprie : sola quæ magis propria dicitur, hoc ab illo dissecando aliud facit. Dei vero Filius, atque Spiritus sanctus, substantiales sunt, nullam separabilem proprietatem sortiti. Qua quidem ex re liquet quod Spiritus a Filio nec magis proprie, nec communiter differat seu Patre. Nam quod communiter de rei esse aliquid non complectitur, nec aliquid demonstrat inesse alicui specialiter. Reliquum est igitur ut proprie tantum Spiritus a Filio differat. Inseparabili enim proprietate, quæ nequaquam substantiam complet, differt a Filio Spiritus, quæ contraria sub eodem participari aliquando non ostendit. Etenim magnitudo Æthiopis nequaquam per temporis successionem in albedinem permutatur. Neque qui calvus est, capillatus rursus fit. Sed neque glauci oculi nigrum aliquando colorem, secundum naturam recipiunt. Sic utique in sancta Trinitate Pater Filius non fit, neque Filius Pater, sive Spiritus sanctus, aut Spiritus Pater, sive Filius. Hæ itaque personæ, quia nullam permutationem suscipiunt, proprie differunt, atque in ejusmodi impossibile est in invicem permutationem fieri. Sane non solum inseparabiles commanent tribus personis proprietates, verum et impermutabiles, quemadmodum, imo amplius multo ipsis privationibus. Hinc est quod videtur divinas ab invicem differre personas, differentia quæ dicitur proprie alteratum faciente tantum, et non aliud. Nam communi non differunt differentia, quæ separari potest, sed neque magis propria quæ aliud facit. In sancta vero Trinitate nihil separabilium, nec aliud et aliud, sed alius atque alius existit. Patet igitur tres personas, neque communiter, neque magis proprie, sed propria tantum differre ab invicem differentia.

Amplius : Omnis privatio, quæ propria differentia dicitur, dum suo inest susceptibili, oppositum tantummodo ab ipso excludit, ut calvitium capillatum esse, cæcitas visum habere, aliorum vero nihil secundum se circumscribit. Quod quidem non prorsus communis habet, atque magis propria omnis. At vero Spiritus sanctus ut privatio ab habitu, a Patre differt et a Filio. Similiter autem Filius, juxta eumdem modum a Spiritu et a Patre differentiam nactus est. Nihilominus autem Pater a Filio, Spirituque, quod ex insignitivis personaliter proprietatibus evidenter apparet, quæ sunt paternitas, nativitas et processio. Earum unaquæque a sua persona, sola duo ut unum oppositum excludit, veluti processio æqualiter generantem et genitum a Spiritus persona disterminat : Spiritus namque neque generans est, neque genitus. Eodem quoque modo generans et genitum, duo circumscribit, nempe innascibilitas quidem processionem atque nativitatem : nativitas vero processionem et innascibilitatem. Ex quo liquido apparet quod processio non magis Spiritum a Filio quam a Patre dissecat cum duo et sola, innascibilitatem dico ac nascibilitatem, ut unum oppositum excludat, sicut ex anterioribus palam est. Amplius : Si paternitas non excludit Spiritum a Patre ratione causæ, seu principii, neque nascibilitas excludit eumdem Spiritum a Filio secundum eamdem rationem. Quippe Spiritus æqualiter et similiter alterutrum existit : de similibus vero idem judicium. Igitur nulla differentia Spiritum, quod non sit Filii causativus disterminat: quare proprius Filii, sicut et Patris ex alterutro procedens sanctus existit Spiritus. Quoniam vero instar privationum proprietates in tribus personis considerantur, manifestum ex communitate privationis ad illas. Commune enim est privationibus et proprietatibus jam dictis inseparabiliter quidem adesse, sed non substantialiter : alteratum solum, et non aliud facere, et impossibile in alterutram permutationem Filii. Verum attendendum quod privatio dicitur multipliciter. Nam absentia formæ in eo quod aptum est, habere illam privatio dicitur : secundum quam significationem dicitur ab Aristotele : Omne quod aliquo modo fit, ex contrariis fit, id est ex oppositis, et in contraria, id est opposita corrumpi. Contraria dicit privationem et formam, tanquam duo principia. Omne enim quod aliquo modo fit, dum abjicit priorem dispositionem, illum adipiscitur statum, secundum quod fieri dicitur. Quo absistente absentia formæ substantivum nanciscitur, veluti si quid injustum est, justum fiat, et quod insipiens, sapiens; et sciens, qui idiota. Nisi enim statum abjiciat priorem, non habet locum formæ privatio. Quippe impossibile est hujusmodi privationem cum sua forma circa idem substantivum simul consistere. Sed enim secundum consuetudinem loquendi, nuditas privatio nuncupatur, ex qua regressio in habitum fit. Similiter languidum et inerme, cum privationes sint, facile in habitum redeunt. Rursus pecuniæ perditio, possessionis atque honoris privatio censetur, a quibus omnibus possibile regressionem fieri : at vero de hujusmodi nunc sermo non instituitur, sed de his tantum quæ in compositis per innaturalem dilabuntur dispositionem, ex quibus non fit regressio, ut Aristoteles addocet sic dicens : Ab habitu in privationem fit permutatio, a privatione vero in habitum, impossibile est : neque enim cæcus factus rursus vidit, neque

cum esset calvus, comam iterum resumpsit, neque cum esset sine dentibus, dentes ei iterum pullulaverunt.

Quamobrem duorum alterum dicere necesse, aut secundum nullam differentiam differre tres personas, aut secundum illam quæ propria dicitur. At secundum nullam differre, ratio non patitur. Nam differentia, differunt a se singula, ubi vero nulla est differentia, nulla proprietas attenditur, quia secundum proprietatem aliquam rebus inest differentia, qua vicissim differunt. At nullus asserere me arbitretur divinas incidisse privationem personas, eo quod privationum harum proprietates, similes pronuntiaverim. Nihil quippe violentum, vel præter naturam in eis, quia ineffabilis, unaquæque simplicitatis existit nihil habens extrinsecus, porro multoties ab his quæ nequaquam insunt rebus, earumdem rerum disciplina perficitur. Enimvero qui punctum diffinit, cujus nulla pars est, ex eo, quod non inest, ipsum notificat, assignationisque rationem constituit. Similiter autem qui in tribus differentiam personis ad modum privationem considerari enuntiat, minime in Deo ponit privationem, sed quod inseparabiles habeant proprietates, nequaquam substantiales dictæ hypostases ostendit, et quod oppositum tantummodo excludant, ut privationes, pro hujuscemodi, ut puto, Plotinus dicebat : Oportet plures linguas, id est vertigines, in unum conducere, atque sic intelligere Deum, et comprehendere illum clausis oculis. Exsuperat enim intelligentiam omnem, et cum sit simplex, universitas tamen ex illo emanat, omnibus potior existens quæ condidit. Nam qui præstat, accipientibus melior est : maxime vero ipse Deus qui solus bonus est, cui de nullo accedit invidia, quia nullius eget, aliaque omnia, ipsius habent indigentiam : ergo hæ tres personæ, ingenitam licet concordiam ad invicem, secundum naturam, habeant, differunt tamen ; et secundum qualitatem quæ apparet ex proprietatibus, quæ non insunt substantialiter. Etenim ex proprietatibus figura, sive character videtur innasci. Omnis autem figura, sive character, ut philosophis visum est, ad qualitatem refertur, et secundum qualitatis assignationem exstat atque participationem ; qua de re in singulis prædicamentis, generalia sive specialia nomina qualitatem videntur significare, eo quod circa substantiam qualitatem determinent. Quorum quidem quasi speciale atque præcipuum, qualitas sola, aliorum prædicamentorum obtinuit, ut sub tali redditione rei cujuslibet existentis figura per se ad ipsam referatur. Nam quod quantitate participat, secundum quam dicitur quantum, eo ipso insignitur figura differentiæ, in quo qualitas consideratur : idem vero de singulis aliorum dicendum est.

Cæterum, qualitatis qualitatem, aut differentiæ differentiam, invenire vel investigare non expedit, trium vero personarum differentias perquirere necesse est, quibus singulæ ad invicem distinguantur, quarum differentia secundum rationem solam attenditur. Nam hujusmodi differentiæ se ipsis differunt et earum non est differentia, cum ipsæ sint differentiæ. Sicut enim nec motionis motus, nec generationis generatio, aut permutatio permutationis, ita nec differentia differre reperitur, quod de omnibus pene proprietatibus recipiendum est. Nihil enim seipso convenienter participare dicitur, veluti bonitas bono non fit, nec æqualitas æquatur, sed æquat. Ex quo manifestum quod tres personæ differentiis a se discernuntur, ipsæ vero differentiæ se ipsis differunt. Dubitabit autem aliquis fortasse in hunc modum. Vere existentis, et illorum qui in generatione ac corruptione provolvuntur, ut consimilium non potest unum genus substantia esse, vel qualitas, seu ad aliquid, licet horum sit proprium, cum alio prædicamento subsistere : ut in substantia Pater, in quantitate majus, in qualitate disciplinatum, eodemque modo et in cæteris. At vero Pater, et Filius, Spiritusque sanctus, cum unus Deus sint, vere habent existere, quare non continentur sub genere illorum, quæ in generatione corruptioneque provolvuntur. Sed neque sub sempiternorum aliquo genere simul sempiterna corruptibiliaque continente. Quibus sic se habentibus, quomodo erit quod dicitur, verum, quod divinæ tres personæ proprietates, communitates et differentias obtinuerint? Nam cui differentia inest, aliud mox sequitur genus, ad quod absque ambiguitate respondendum, divinum genus non esse, cum neque generalissimum, neque subalternum sit, neque in genere contineri, cum neque potestate, neque actu divino aliquid prius sit. Sed neque secundum ordinem, ut in disciplinis grammatica prior est dialectica, neque secundum rationem, ut universalia quidem, secundum rationem singularibus priora sunt, secundum sensum vero singularia universalibus. Manifestum itaque quod divinum, neque in genere est cum nihil eo prius sit actu, vel potestate : neque id genus existit, cum nec de aliquibus differentibus specie prædicari habeat. Sciendum quippe est ut ex antedictis patescit, quod dissimiliter rationali ac mortali creaturæ in divinis proprietates personis considerantur. Porro ex his quæ minime insunt eis, convenientissime illarum proprietatum, quæ circa ipsas consistunt, demonstratio fit. Rationalis vero et mortalis creaturæ ostensio, versa vice fieri consuevit. Nam ab existentibus absentia perpendit, et quæ nondum insunt, ceu Adam mortem esse, quam non habebat, nec unquam viderat, per vitam cognovit. Nullum enim adhuc morientem intuitus fuerat, sed ex repugnanti, vita scilicet, mortem quæ est privatio vitæ, intellexit : sic dives paupertatem, ægritudinem animadvertit sanus, ab existentibus non existentia.

Amplius : Aut investigare oportet substantiam, identitatem et differentiam trium divinarum personarum, aut non. Quod si non oportet, unde sciemus quod Deus Pater non est Filius, atque alterutrum,

quomodo assignabimus proprietates? Quomodo percipiemus quod vivat, audiat, videat, Filiumque habeat Deus Pater, nisi ex his quæ apud nos sunt rebus, atque vocibus perquascunque demonstrationes referantur hæc? palam est quod ex iis quæ apud nos rebus sermonibusque sunt, circa Deum comprehendamus existentia. Ipsum enim non vidimus aliquando, describimus autem illum per ea, quæ amplioris apud nos honoris existunt, excipientes incursus passionesque, ab his quæ a nobis dicuntur: ne ignorantiæ tenebris humanum genus ex toto commaneat. Itaque cum inter nos vita morsque versetur, morte autem vita potior sit, Deum vivere credimus et confitemur. Rursum, quoniam vita quæ hic est principium finemque habet, et escæ atque potus indiga, cum aliorum quamplurium ab eo quod honorabilius est, Deum appellamus, asserentes nullorum hunc indigere, vitamque habere principii finisque nesciam. Eodem quoque modo videre, audire ac generare ipsum confitemur, pro eo quod cæcitate visus, auditus surditate, ac sterilitate fecunditas potiora sunt. Cum igitur necesse sit, et opportunum existat, perquirere quæ et quales trium personarum personales proprietates, et quæ non, et cum omnino perutile sit, de his disputare, per eas quæ apud nos sunt res vocesque, procul dubio eorum solvitur instantia, qui de divino disputare interimunt. Verumtamen decet naturæ ineffabilis rei concedere, ne amplius laborare ad harum personarum inventionis proprietatem, nisi quantum res permittit quæ quæritur, cum pateat unamquamque personam ex propria denotari figura. Videtur autem quibusdam tribus esse commune proprio charactere insigniri, earumdem suffragante constitutionibus, ac commune idioma esse Patris, Filii, atque sancti Spiritus, quasi collectionem proprietatum, non substantialium complecti. Quemadmodum forte humani generis numerositati commune est, dici, noctis, horarum, ac cujuslibet diffiniti temporis esse perceptibilem. Etenim irrationabilia, et si temporis habere sensum videantur, veluti hiemis, æstatis, caliditatis et frigiditatis, non tempus, sed quæ in tempore fiunt, percipiunt: tempus quippe res incorporea est, nec sensu percipitur. Qui vero sensum refugit, irrationabilia non noverunt. Apparet igitur ex his quæ dicta sunt immobili proprietate insigniri, non substantiali, et unicum characterem habere, tribus personis communia esse: quod vero hujusce communitates, non sint substantiales: manifestum, cum non secundum substantiam dicantur, neque substantialiter insint, neque singulariter. Non enim easdem omnes proprietates complectuntur insignitivas, cum singulare perfectam sui characteris completionem habeant, et differentem ab omnibus aliis rationem: igitur tres divinæ personæ, alia quidem habent insignitiva, et alia quibus minime insigniuntur: ut de Adam et Eva, et Cain videri potest. Adam enim proprium psalma esse, quod immobile idioma in ipso exstitit. Evæ vero proprium ex sectione costæ provenisse: Cain primum esse omnium genimen, quod alii non contigit homini. At nihil horum dictarum personarum insignitivum erat, cum collectio proprietatum qualiter nunquam in alio fuerit, eadem, id est proprietas quæ innascitur ex tali collectione illorum, ac quorumlibet similium insignitiva censeatur proprietas, quam nunquam duo vel plura individua insignire possunt, verumtamen quodlibet hujusce collectionis, secundum speciem vel genus, aliis inesse præter supradicta possunt: ut philosophum esse, Atheniensem, calvum, et his similia. Trium vero personarum tres proprietates insignitivæ sunt, paternitas, nascibilitas et processio. Quare unaquæque dum unam tantum personam insignit, circa unam tantum consideratur. Attendendum vero est quod in tribus personis, qualitas duobus modis consideratur. Nam substantialiter et secundum proprietates, quibus distinguntur, quod ad qualitatem spectat et qualitatis est proprium, ut declaratum est. Propterea non puto dandum esse quod insignitiva proprietas persona sit, quam insignit, et circa quam consistit ut character circa substantiam, secundum quod persona constitutionem habet. Conjuga tamen personæ talis proprietas semper est, immutabilem cum ipsa subsistentiam sortita. Ergo singulæ personæ singulares habent proprietates, et alias quasdam uni sive duabus communes. Quibus de rebus ut superiori planum fit, quod nulla qualitas, Spiritum a Filio magis quam a Patre disterminet (12).

CAPUT III.

Porro neque habitudo est magis dissecans, et disterminans Spiritum a communitate Filii quam Patris. Nam habitudo est et communitas differentium ad invicem, ut vocum harmonia, animorum proportio, et animæ atque corporis conjugatio. Et habitudinis quidem proprium est differentia colligere in communitatem. Ad aliquid vero, ad aliud respicere, nec in seipso consistere. Quorum quidem forma est ad aliud dici, illud vero, ad quod dicitur similiter dici addit, quod ad se dicitur, eorum quæ ad aliquid consecutio. Cæterum, quæ consistentia sunt ad invicem non dicuntur, ut lux solis est, et ad solem non dicitur. Aliud enim est, alicujus esse mensuram, aut actionem, aut passionem, aut possessionem, sive proprietatem: et aliud ad aliquid esse, vel dici. Illa enim etsi alterius sint, propriam naturam habere videntur. Ad aliquid vero, in eo quod ad aliud respicit, esse habet, ex eo quod ad suum relativum aliquam suscipit conversionem. Quod de Spiritu sancto quidam non arbitrantur recipiendum, qui quidem et si Patris sit et Filii, non tamen Pater Filiusve conversim ad Spiritum referuntur. Non enim Pater, sive Filius, sancti Spiritus, Pater vel Filius, nas, distingui vero tantum ratione, et hoc forsan innuere Etherianus voluit.

(12) Caute lege, nam vera theologia docet personales proprietates re ipsa esse idem quoad perso-

qui amborum donum dicitur : et comparibus alterutri donatorum honoribus decoratur. Nam cœlestis est, orbem replet, donum existens vitæ et virtutis, per hoc donum omnia Deo et Patri Filius reconciliavit. Hoc dono anima quæ salita non est putrescit, fetorumque sordescit cogitationibus : hoc dono apostoli roborati universum peragraverunt orbem, doctoris prædicantes mandata, sanctificati a Patre et a Filio prout Salvator dicit : *Pro eis ego sanctificabo me ipsum, ut et ipsi sancti sint in veritate* (*Joan.* XVII) : quamvis Patrem roget ut sanctificet illos, et Christus quidem seipsum sanctificavit, pro apostolis cæterisque fidelibus, quando hostia pro mundo oblatus est, et quando tota humanitas, ut primitiæ in ipso per crucem sanctificata est. Pater quoque hostiam suscipiens mundum sanctificavit, per quam reformati Filii Dei nuncupamur. Sed et Spiritus sanctus vera sanctificatio est, qua fideles per ipsum unum fiunt, qui proprium quasi vocabulum et singularem characterа, sanctum dico, sortitus est. Verum sicut natura Spiritus est sanctus, sic natura sanctus est Pater, sic natura sanctus est Flius : propterea utique apud Isaiam Seraphim ter vociferantia Sanctus, describuntur, quia in tribus personis secundum naturam significatio consideratur (*Isa.* VI). Nec solum hoc ipsum Patri et Filio commune habet sanctificationis nomen, sed et ipsam Spiritus nuncupationem, cujus multiplicitas breviter hic distinguenda est. Multifariam certe Spiritus dicitur; nam *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate, adorare oportet* (*Joan.* IV); et Propheta dicit : *Spiritus ante faciem vestram Christus Dominus*. Spiritus, et sanctus Spiritus, juxta illud : *Ite, baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Spiritus angeli dicuntur, sicut scriptum est : *Qui facit angelos suos Spiritus* (*Hebr.* I). Spiritus et sancti Spiritus dona nuncupantur : quæ operationes propheta nominavit (13). Cujus iterum gratia aliquando quidem ignis, aliquando vero aqua, nuncupatur : aqua quidem, ut : *Quicunque biberit ex aqua hac, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ in vitam æternam* (*Joan.* IV). Et rursus : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Ignis autem dicitur ut illud : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne* (*Marc.* I) : Spiritus rursus dicitur spiritualiter vivere, ac secundum Deum conversari. Quicunque enim, inquit, in Spiritu Dei vivimus, hoc est spiritualiter. Novit autem Scriptura et Spiritum vocare ventum : et quod litteram distinguit, ut illud : *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III). Item Spiritus dicitur quo filiorum adoptio secernitur, ut illud : *Non enim accepistis Spiritum servitutis* (*Rom.* VIII). Spiritus enim notabilis affectio, ut Isaias (XXIX) : *Cognoscentur qui errant Spiritu*. Spiritus dicitur et vitalis virtus juxta Ecclesiasticum (III) : *Quis novit Spiritum filiorum hominum, si ascendat ipse sursum, et spiritum jumentorum si descendat ipse deorsum in terram*. Spiritus et humana anima nuncupatur, *Ut in manus tuas commendo Spiritum meum* (*Psal.* XXX). Manifestum ergo ex his quæ dicta sunt, quod non solum Pater et Filius, et quod est amborum donum, Spiritus nominantur : verum quam plura alia insigniuntur eodem nomine, unde non ubicunque Spiritus dicitur, Deus ostenditur, neque rursus ubi Paracletus, ibi intelligitur et Spiritus. Quanquam et hoc ejus nomen sit, quo maxime cognoscatur. Nam ut omittantur alia, Christus qui est sapientia Dei, Paracletus vocatur, et tamen non est ipse illa tertia persona, quæ appellatur Spiritus sanctus. Sed forte dicet aliquis cum Spiritus Pater, Spiritus Filius, Spiritus dicatur et sanctus Spiritus, quomodo secundum hoc vocabulum a Patre et Filio differentiam habere possit notari ? ad quod dicendum quod Pater cum sit Spiritus et sanctus, non est neque dicitur alicujus Spiritus. Similiter autem Filius Spiritus existens atque sanctus, nequaquam alicujus Spiritus nuncupatur, quia naturam divinitatis ipsam, sic acceptum significat. Spiritus vero sanctus, et est alicujus Spiritus et dicitur, etenim Patris est Spiritus atque Filii : Apostolo testante qui dicit : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra* (*Gal.* IV) : quinetiam donum est Patris et Filii, in quo nomine habitudo videtur significari. Etenim his quæ ad aliquid sunt, hujusmodi assignatur proprietas et habitudo : cum esse ad aliquid sit habitudinem habere, ad aliud ex quo potentiam non minus in his quæ extrinsecus sunt, quam in se ipsis existendi habent quæ relativa sunt. Sane cum extera permutantur, fiunt illa et corrumpuntur, quod vero secundum se esse dicitur, hoc ad aliquid non est, ut homo tricubitum (14). Hæc quanquam de alio dicantur, tamen sui ipsorum sunt quod existunt, homo enim etsi alterius dicatur, non hoc tantum ipsum quod est homo, sed in eo quod Filius sive Pater vel aliud hujusmodi. Referuntur interdum relativa et per accusativum casum, et aliter, ut magnum ad parvum, et ab aliquo, ut donum a donatore, quod quidem sancto Spiritui congruere videtur, ut alterius dicatur, et secundum hujusmodi habitudinem, ad aliquid sit. Est enim donum Patris et Filii, et divitiæ quæ terminum non habentes defectum ignorant, qui amborum dona distribuit, quæ ambo ab æterno donant, ut quidam arbitrantur omnium bonarum donationum receptaculum.

Inquiunt enim, licet ante omnem creaturam non fuerint qui talibus ditescerent ac operas præstarent largitionibus, erat tamen Spiritus perfectum donum, nullo ipsius participante, alioquin adjectum aliquid divino accessit et adventitium. Hoc modo Dominus censebatur, priusquam ei serviretur, antequam aliquid crearet Creator. Id si non constet sequitur quod ex accidenti, et non ex natura ei creare ac

(13) Idem dicit Didimus de Spirita sancto.

(14) Deest hic aliquid.

dominari advenerit, et recenter adjectum, subinductumque sit, et non coæternum. Item, inquiunt, si ante creaturas non erat Dominus, et creator atque donum, frustra sunt ei causa dominandi, donandique condita, et creata promoventia ipsum sibi in Dominum creatorem atque donum. Quare si pedem retro creatura ferat, denudabitur Spiritus dono et dominio. Ergo manifestum ipsum ab æterno habere talium habitudinum rationes. Qua ex re palam est Spiritum sanctum aliquam habere ad Filium habitudinem. Nempe habitudo per omnia prædicamenta transire videtur, et per contraria : per substantiam enim, ut in Patre et Filio, per quantitatem, ut in duplo dimidioque ; per qualitatem, ut in disciplina et disciplinato : ubi, ut in sursum et deorsum. Quando, ut in antiquius et recentius ; facere, secare ; pati, secari : jacere, præponi, subjici ; habere, ut in calciamento : quæ si rebus non adjacerent, a se omnia divellerentur, per habitudines utique, differentia et numerus in divinis hypostasibus apparuit. Quod qualiter sit, breviter quia interest disputationis commemorandum est.

CAPUT IV.

Christianorum fides indubitabile ac firmum tenet, quod Deus ex Deo, lumen de lumine nascatur : et quod Deus ex Deo procedit, et hic quidem ex quo quis nascatur, hic vero qui nascitur ex aliquo, hic vero qui ex aliquo procedit. Et Pater quidem Deum ex quo quis nascitur indicat : Filius vero Deum qui nascitur ex aliquo significat, porro Spiritus sanctus quia non absolute pronuntiatur, sed Patris et Filii Spiritus, ex aliquibus procedens ostenditur. Quare tres sunt ad invicem distantes. Enimvero Pater neque Filius est, neque Spiritus : neque Filius Pater sive Spiritus est : neque Spiritus esse potest, quorum Spiritus dicitur, cum impossibile sit ex aliquo existens esse ex quo existit, et ex quo existit esse quod ex se provenit. Hæc profecto sunt habitudines, ex quibus numerus innascitur pluralis, et sancta Trinitas ostenditur, quæ quidem eo quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus sunt, unitas esse subintelligitur. Quamobrem unitas est in Trinitate, ac Trinitas in unitate. At vero unitas naturæ attribuitur ; Trinitas vero personarum est, non naturæ. Sane non est naturalis unitas ex eo quod Trinitas hypostatica, neque rursus hypostatica Trinitas, ex eo quod unitas naturalis. Ideoque quidam opponunt dicentes : Si alia existit naturæ unitas quam personarum Trinitas, quatuor reperiuntur in divinitate res, Trinitas scilicet et Unitas (15). Cujus rei solutio, satis manifesta est, ex eo quod nulla persona cum ea natura quam habet numerum facit, unde nec Christo humanam naturam connumeramus, ut ipsum humanamque naturam quam habet, duas res esse profiteamur. Amplius autem : Nihil quod alterius completivum est, sive genus sit, seu differentia, sive natura, seu substantia, vel personæ determinativum et constitutivum numerum facit cum constituto. Igitur Deitas cum sit natura trium personarum, non eis connumeratur : ut quatuor pronuntientur res : unitas scilicet naturæ atque personarum Trinitas ; vere tamen creditur et dicitur quod natura Patris non sit Pater, cum nulla persona natura sit, neque sui ipsius, neque alicujus alterius.

Qua in re tali quidem similitudine utuntur : inquiunt enim : Qui dicunt libravi numisma, portendit se in pondere aurum esse libratum. Et rursum qui dicit aurum libravi, nummum aureum se librasse asseverat. Numismatis quippe character, cum gravitatem expressit non libratur. Sic itaque, inquiunt : Nos cum dicimus ex substantia Patris Filium nasci, non cogimur fateri, ex duabus ipsum exoriri rebus, sed ex uno eodemque genitore. Quod autem ex substantia Patris nascatur Filius, palam est : aut enim ex substantia Patris nascitur, aut alicunde extrinsecus. Quod si extrinsecus nascitur, non est ejusdem naturæ cum Patre Filius, sed alio participans sanctificatur, quod solum cogitare profanum est. Sin autem ex tota substantia Patris Filius profluit, est autem Spiritus Patris et Filii, necesse autem sectionem et divisionem, passionemve accidere, circa Patris substantiam, aut Spiritum impassibiliter et individue de Patris et Filii esse substantia. Individua enim Patris substantia est, quam totam cujus Spiritus est Filius implet. Ex quo manifestum, quod habitudinibus tantummodo prohibentibus non est Filius Pater, neque Spiritus Filius. Nullius enim intelligentia capit ex aliquo profluentem, esse ex quo profluit, ne forte prior seipso inveniatur : verum unitatis divinæ naturæ consecutio exigere videtur, Patrem esse Filium, ac Filium Patrem, eo quod tres hi unus Deus sint, sed ut exaratum est, intercessio habitudinum hoc prohibet, quia Pater non potest esse is, qui profluit ex eo, cum ex nullo sit. Sine initio enim atque ingenitus Pater est, Filius vero sanctusque Spiritus ex substantia Patris, aliter et aliter existunt. Nam Filius ex Deo est, qui est Pater ejus. Sanctus autem Spiritus non est ex Deo Patre suo, sed ex Deo qui est Pater. Ergo Filius in eo quod ex Deo est, Filius Dei censetur. Ille vero ex quo est, ejus appellatur Pater : at vero Spiritus non est ex aliquo, ut ex Patre, sed ut ex causa.

Profecto Filii et solius proprium est ex aliquo esse, ut ex Patre suo, palam est quod in sancta et beatissima Trinitate non sit Pater, nisi unius Filii : sicut Filius est unius Patris, neque Spiritus ut Trinitas servetur, nisi unius Patris atque Filii unius. Enim vero ut unus Deus solus est, ita unus solus Pater est, unus solus Filius, et unus solus Spiritus

(15) Similiter dixit Ambros. in Hexamero : *Connumerantur quæ non comparantur, quia nec eis comparantur, vel coæterna vel consubstantialia vel coæqualis vel aliquid talium sub comparatione suarum partium cadit.*

sanctus : qui Patris est et Filii æqualiter et indifferenter. His igitur sic se habentibus, si Spiritus sancti donator et missor, ab æterno Filius existit, et Spiritus quoque donum et imago Filii æternaliter, claret quod habitudine non dissecetur a Filii amplius quam a Patris communitate : ut autem superiora monstrant, habitudo est communitas a se invicem aliquo modo differentium, nempe ubi nulla est differentia, nulla est habitudo, et ubi habitudo, ibi alicujus modi differentiam esse necesse est : inde nihil ex alio provenire potest, nisi ad aliquid aliquo modo habentis intercedat habitudo. Hæc enim est quæ copulat faciens patienti, per aliquam familiaritatem : ut hoc quidem possit in illud agere, hoc vero ab eodem pati : propterea multiplices modi humanarum habitudinum sunt, sicut aliarum rerum, ceu Patris ad Filium immediate, ad Filium vero Filii mediate, et deinceps ad gradum usque septimum. Harum habitudinum quædam cum ipsis interimuntur subjectis, aliæ vero subjectis absque alteratione omni manentibus disparent. In quo satis apparet, ad aliquid non esse secundum participationem. Nam ut quidam opinantur, quæ ad aliquid sunt, neque invicem participant, neque de se prædicantur. Idcirco positum, et positio; stans, et statio; sedens, et sessio; et quæcunque talium non sunt ad aliquid. Participat enim positum positione, ac sedens sessione : ad aliquid vero non participant invicem, quia opposita sunt : sed neque Deus Pater, suo Filio participat, neque ab illo prædicatur. Namque Pater semper est Pater, et non Filius : Filius vero semper Filius, et non Pater. Cum vero Pater nuncupatur Dei Filius, non absolute intelligendum, sed sæculorum Pater atque creaturarum. Conditor quippe noster existens, per conditionem noster vocatur Pater, et non per naturam, ut Deus Pater ejus est. Inseparabiliter tamen habet, quod noster Pater sit, sicut et Spiritus donum : ac donari nobis ut superius disputatum est. Nihil enim alienum ipsi accidere potest, quod circa ipsum non semper fuerit. Erat certe ante sæcula omnitenens conditor et Dominus, sine habitudine habens omnium eorum rationes, quæ circa ipsum perspiciuntur.

Quæ habitudines cum circa substantiam sint, ipsæ nequaquam substantia sunt, nec tamen ab extrinsecis obveniunt. Similiter autem quæ substantiam divinam complent, non solum ab intrinsecis nihil contrahunt, sed per se insunt intellectæ absque omni talium habitudine. Qua ex re quidam in hunc modum argumentatur. Si divinum sui ipsius perfecte absque quolibet defectu completivum est, nullam habet habitudinem ad ea quæ extrinsecus sunt. Nam si ex conditis et creatis acquisivisset habitudinem, fuisset potentia ejus indiga, et per extrinsecam habitudinem condendi potentiam sortiri visum fuisset. At vero divinum per se sufficiens est et sui ipsius absque quolibet extrinseco completivum. Nefas enim est aliquod adjectum Deo attribuere, ut habent qui vicissim ex defectu copiam nanciscuntur. Deus sane non cum fuerit res, tunc eas perdiscit, quia mundi ante originem præscivit ea quæ in novissimis sunt futura temporibus. Ideo antequam faceret terram et sæcula, in seipso habuit ut modo habet, et non aliter rebus jam conditis et creatis, eorum quæ circa nos rationes, quod Paulus insinuat Timotheo sic dicens : *Collabora Evangelio, secundum virtutem Dei, qui salvavit nos, et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam, quæ data est nobis ante tempora sæcularia; manifestata autem nunc, per illuminationem Salvatoris Jesu Christi* (*II Tim.* I). Si ante sæcula, cum nondum nostri essemus vocavit nos secundum propositum Dei omnia præscientis, certum est quod antequam vocati vocator, et antequam creatura esset, creator exstitit Deus, et antequam donaretur Spiritus, donum fuit Patris et Filii, nullam ad illos habens habitudinem, qui accepturi erant. Propheta David ad Deum loquens dicit : *Esto mihi in Deum protectorem* (*Psal.* XXX), et iterum : *Factus est Dominus refugium pauperum* (*Psal.* IX). Sed enim protector et refugium semper erat. Quare quod erat hoc et factus est postulanti scilicet et obsecranti. Ab æterno quidem erat rex, quia Deus : factus est Dominus plasmatis nullam habitudinem nullamque alterationem suscipiens, ex quo in actum creatura prodiit. Si enim homo non permutatur individuis illius, toties pereuntibus aliisque succedentibus, sed manet indemutabilis et inalterabilis, propriam conservans rationem, multo amplius, quia incomparabiliter habitudines circa divinas personas quanquam in pluribus distantibusque considerentur, inalterabiles tamen perseverant. Inconveniens igitur dicere pro iis, quæ fiunt divinis personis, quæ sunt impermutabiles aliquid accidere, profanum est et interimere differentium ad invicem Spiritus Filiique rationes sempiternæ alterutrius habitudinis. Manifestum igitur habitudinem quam habet Spiritus ad Patrem, eam habere ad Filium : nihil eorum quæ ad aliquid sunt prohibet, quin Filii sit, et ex Filio idem Spiritus.

CAPUT V.

Cæterum emissio Spiritus ex Patre nequaquam prohibere potest provenire Spiritum ex Filio, dum per eumdem Filium Pater, non ut per instrumentum Spiritum emittat, nullo intellecto medio. Quare si Pater est causa Spiritus et Filius. Nam in Filio est Spiritus sanctus, ut in causa, quod ex causa est, non ut in loco, neque ut in subjecto. Etenim locus ab eo quod in loco est, differt substantialiter, similiter autem et subjectum, ab eo quod in subjecto : at vero Spiritus in Filio per causæ rationem consistens, ut in Patre, utrique idem est. Itaque ut in causa, quod ex causa est, sic amborum ac in ambobus Patre scilicet et Filio, Spiritum inseparabiliter esse constat. Amplius : Quæcunque duo ut individua secundum naturam, absque aliquo medio, intelliguntur, quicunque alterum esse præstat, et

alterum, hoc enim in vena et fonte, trunco ac radice, unitate ac binario, aliisque forsan pluribus est videre. At vero Pater et Filius duæ personæ sunt, et secundum naturam absque medio prorsus intelliguntur : qua de re Spiritui uterque præstat existentiam. Igitur ut verum est Filii Spiritum esse, sic ex Filio progressum et causam ipsum habere manifestum est. Sed quoniam jam patet emissionem non esse impedimentum Filio, quin is cum Patre Spiritum emittat, demonstrandum similiter videtur, quod neque facere, vel pati, dictam causæ Patris ad Filii communitatem disterminet. Id quidem multo liquebit evidentius, si commemoretur breviter, quid facere, quid pati, et quid actionem esse philosophi constituerint, et utile quidem hoc forsitan erit, ad dicendorum declarationem. Est igitur, ut ipsi dicunt, *facere* secundum naturam, in passionem duci : vel *facere*, est assimilare sibi quod patitur ; *pati* vero facienti assimilari. Hoc autem exemplis dilucidant. Assimilat, inquiunt, sibi faciens, patiens, ut ignis in aqua agens, sibi eam secundum caliditatem assimilat. Ecce cum aqua quidem potestate calida sit, actu vero frigida, ignis accedendo potestate calidum contingens atque passibile, permutat : quod in ea potestate fuerat, in id quod actu nuncupatur. Etenim quod a potestate in id quod poterat permutatur, hoc actu esse perhibetur, sive species, sive passio, sive quies sit : ut æs, ab eo quod potestate, ad id quod actu proveniens, statua fit per formam consummata. Nam activum aut absque medio, aut per medium passibile contingere oportet : ut homo in balneis per medium calescit : dum ignis aera, hominem vero calefacit aer.

Verum attendendum, inquiunt, quod tantum in his quæ mota e regione movent proprie contactus fieri dicitur. Quippe neque imago, neque exprobratio animam contingit principaliter, dum ab ipsa nihil mutuo repatiantur : utpote quæ prorsus dissimilia et diversa, et quæ in se vicissim facere apta non sunt, neque pati mutuo, quod fit ut dulcedo nihil agat in nigredinem, neque in dulcedinem gravitas : aiunt ergo, si facere est secundum qualitatem permutare, Deus autem conditor substantiæ omnis : manifestum quod non proprie factor censeatur, sed conditor atque productor universitatis : naturalium enim atque artificialium factores tantum esse constat : Deus vero cum sit, ultra omnia invisibilia atque visibilia nequaquam factor censeri debet. Namque factor per viam quamdam et generationem, quod agendum est, adesse conducit ; Deus vero in tempore nihil facit, propterea non factorem, sed conditorem eum censeri oportere dicunt.

Amplius : Si facere est sibi quod patitur assimilare, secundum aliquam qualitatem, non est Deus factor orbis proprie, cum nulla ratione mundo existat simul, aut creaturæ cuipiam. Sciendum vero, ut quibusdam sectarium videtur, non simpliciter dandum est faciens comitari quod patitur. Nam facere est boare, currere, ambulare, scribere atque alia hujusmodi, quorum nullum patiens sibi assimilat. Cum igitur Pater sine causa, et absque initio sit, et perfectior aut potentior eo quem generat esse non possit : æqua enim duobus potentia, quæ potest æqualiter tam minora quam majora producere, idcirco non plurium exhibitivus est Pater quam Filius : sed quidquid exhibet, qui sine causa exhibet, et qui ex causa est, absque medio, et cum neque prius qui sine causa est, eo qui ex causa producat, sed simul Pater, simul Filius, evidens quod non sit inter Patrem Filiumque separatio causæ Spiritus propter *facere* et *pati*. Quicunque enim duorum singulariter Spiritum emitteret, foret utique altero potior : ut causa comprehensibilior, amplior atque continentior. Ergo cum Pater Spiritum emittat, et Filius qui est imago Patris, nequaquam παρακεχαραγμένὰ vel demutata, integram servans circumferentiam, qua de re necessario adsunt Filio quæcunque adsunt Patri.

Omnis quippe imago quæ παρακεχαραγμενὰ non est, semper ad archetypum integram habet circumferentiam. Quod quidem mendacii arguatur, si ex Patre Spiritus prodeat non communicante Filio : at vero nihil est Patris ante Filium, nec absque Filio Pater producit quidquam, quia non adoptione verbum Dei Filius Patris existit : sed secundum veritatem de substantia ipsius genitus est, eorum qui participatione Dei et Filii, ipse factor est atque conditor.

Hinc igitur manifestum, cum perfectissimum signaculum omnem ad Patrem servans inconferentiam existet Filius, quod ex seipso, ut Pater emittat Spiritum. Quicunque vero huic repugnat dogmati, metuere videtur, quod ab hæresiarchis profanarumque novitatum inventoribus commentum est, hoc modo argumenta concinnantibus, imo elenchorum ignorantias : si Spiritus ex Filio est, omnium potestatem cœlestium atque terrestrium habente, male ac præter Patris voluntatem faciunt, qui adorando a Patre vel Spiritu aliquid postulant : omnia enim Filii sunt a Patre donata, cujus dona sine pœnitentia et indemutabilia sunt. Siluit igitur a potestate omnium eorum quæ tradidit Pater, etiam et a judicio et ab emissione Spiritus. Ideoque peccant qui a Patre vel Spiritu aliquid postulant per orationem, ipsum Spiritum potestatemque universorum possidente Filio. At vero non est in his formidandum, quia nihil aufertur Patri, quod Filio attribuitur. Omnia enim Filii Patris sunt : ut enim lux a sole, alter ab altero inseparabilis est, verum æqualiter tres personæ omnibus præsunt creaturis, quarum singulæ juxta suum ordinem et virtutem illarum præsentia irradiantur : hæc quidem æternaliter, illa vero secundum tempus : et hæc quidem incorporaliter, illa vero secundum corpus, unaquæque proprietatem ferens a propinqua familiarique causa : secundum quam inde sortitur existentiam.

CAPUT VI.

Ad hæc autem sciendum quod quibuscunque substantia quælibet adest et ejus actio, sed non quibuscunque actio et substantia. Nam solis actio illuminatoria, in aere quidem et in aliis perlucidis diffunditur, non assistente illis solaris substantia : at vero de summa et divina substantia vera conversio fit. Nam ubi divina substantia et ejus actio, et ubi ejus actio, et ipsa quæ ubique simul et nusquam est. Non in parte quidem ubique, in parte vero nusquam : sic enim a se ipsa divulsa esset et separata : si hoc quidem ejus ubique et in omnibus, hoc vero nusquam, et ante omnia : sed tota ubique, at tota nusquam. Ideo utique ubi actio Dei et Deus, qui tantum se præbet, quantum quis capere potest : non ut habens partes, sed ut existens ante omnia, unus enim Deus cum sit, personæ tres, ante omnia quæ ipso replentur, causa eorum omnium est inalterabilis et impermeabilis suis uberrimis mundum gubernans largitionibus et actionibus. At dum sermo de actione instituitur, a memoria excidere non debet, quod sicut divina substantia, paternitas, filiatio, missiove et cætera quæ in Deo et circa Deum supra substantiam, paternitatem, filiationem et missionem, sic et actio Dei supra actionem intelligenda est. Nam licet prædicamentorum nuncupentur vocabulis, quæ in tribus et circa tres personas considerantur, nihil tamen ad prædicamenta, divina aliqua res pertinet. Sed quidam dum volunt ostendere quod facere disgreget a Spiritus causa Filium, talibus utuntur argumentationibus. Si facere in divino ut in creaturis quibusdam duplex est, hoc quidem secundum voluntatem, ut condere, scribere ac cætera quæ ad artifices spectant : hoc vero secundum naturam, ut generare, et ignis, ut urere. Pater vero in eo quod secundum voluntatem facit, inseparabilis a Filio Spirituque fit. In eo vero quod secundum naturæ consecutionem agit, separabilis : solus ipse suo esse quo a Filio distinguitur Spiritum emittit. Quo fit ut Filius non emittat, de Spiritu vero patens est, quod se non possit emittere, quia nihil ex se provenire potest vel fieri.

Cæterum, pati nullo modo asserunt impedire processionem ex Filio, etsi dupliciter dicatur : ut secari, uri, et consummative ut discere, legere. Quippe nec secundum corruptionem, nec secundum consummationem Deus aliquid patitur, cum sit incorruptibilis, et sibi sufficiens, creaturisque omnibus : obque hoc solum Deum Patrem isti generare et emittere dicunt, ut materiam pati tantum : per quam et alia passionis participant, facere autem et pati opinantur elementa, ut participantia formæ atque materiæ, necnon omnia pene quæ composita sunt : ut plumbum agendo in argentum patitur et corrumpitur, dum ipsum purificat. Agit quidem dum purificat : patitur vero dum ab igne consumitur : facit ergo, inquiunt, Pater natura et voluntate : natura quidem faciendo Filium generat, emittitque A Spiritum : voluntate vero faciendo, mundum creat conservatque creatum : propterea æqualem et coæternum sibi generat et emittit, quia esse generat, et esse emittit, sed esse non creat, nec conservat : nam neque artifex esse suo, ea secundum quæ artifex nuncupatur perficit, frequenter in seipso contemplans, quod non producit in opus, a quo longe cadit opus quod facit, sicut omnia corruptibilia a divina natura procul. Item dicunt : Si esse Deus produceret, cum ipso simul emersissent omnia, et tam præterita quam futura simul convenissent, quæ simul natura nequaquam patitur. Atqui alia est Dei generatio, et alia eorum quæ non sunt productio, quæ simul esse nequeunt : eo quod non esse Deus ea produxerit, sed voluntate. Nam si esse B produxisset, tot emersissent, quot expromere potuisset toto utique faciens esse, tota fecisset virtute : quæ cum infinita sit, non solum hunc mundum, verum infinitos huic præsenti consimiles fecisse potuit. Sin autem non poterant, quam multa imbecillitate opprimebatur, qualibet artificis disciplina potente, quamplura facere similia ? Quare, inquiunt, Deus Pater sicut solus esse suo generat, ita solus esse et emittit, voluntate vero neque generat, neque emittit, quod sic demonstrant : Si voluntate, non natura Deus Filium genuisset, aut semel cum voluisset, nolens permansisset de cætero : aut rursum voluisset, et rursum genuisset : qui si non est unius voluntatis sed differentis, non unum tantum habet, sed plures filios. C

Amplius : Si quæcunque vult facit Deus si non generat, aut quia non potest prorsus dimittit; aut quia non vult : si non potest corruptibili minor est natura, quæ apta est ad impotentiam. Sin potens noluit quod natura habuit, coercuit voluntate. Quare si nondum genuit, volens generabit aliquando. Amplius : Si voluntate genuit, voluntas generatione prior est, ut in creaturis, juxta illud : *Faciamus hominem* (*Gen.* 1), et illud : *Omnia quæcunque voluit fecit :* aut virtus, sapientia, consiliumque Patris Filius est, in quo permanet, et per quem operatur omnia. Qua de causa, non est voluntate genitus, sed neque necessitate, quasi nolens et coactus Pater genuerit, nullo existente qui possit cogere. D Idem de Spiritu, aiunt, sentiendum esse, unde manifestum, quod sicut Pater solus esse generat, sic esse solus emittit, natura, non voluntate, quod ex hoc patet, et quod coæternum coæqualemque sibi Spiritum emittat. Porro hæc ut mihi videtur quæstio, ex superioribus lucem habet solutionis, ubi Patrem, non ut Patrem emittere Spiritum demonstratum est, talis utique complexio in proprietatibus tantum quæ insignitivæ sunt personarum veritatem tenet : in his enim antecedit ac sequitur dictum esse, ut si esse generat solus generat : et si solus gignitur, esse gignitur. In aliis vero minime, ut ex pluribus animadverti potest, Pater cognoscit Spiritum suum, esse scilicet idem secundum quod persona est, non voluntate. Solus ergo Pater Spiritum cognoscit.

Item esse Pater habet Spiritum, non voluntate. Quare Pater solus Spiritum habet; sed hoc falsum esse Apostolus perdocuit. Una enim causa unumque principium, Pater et Filius, quorum Spiritus sanctus est, et idcirco non ex alterius esse tantum, sed ex utrisque prodit esse par uterque et coæqualis. Nequaquam enim magnificentior Filio Pater, vel Spiritu, ut homo inter animantia, qui illis ampliora facere potest : itaque non absque Filio Spiritum emittit. Verumtamen existimandum non est ex Patre Filiove Spiritum sortiri aliquod principium ut ipsis posterior; neutro enim junior sive recentior Spiritus est : quanquam in multis quod ex aliquibus provenit illis posterius esse videatur, in paucis vero intelligatur simul, ut splendor solis, ex sole prodiens, ipso posterior non est. Eodem vero modo Pater et Filius, quia nec multum, nec modicum Filius Pater præcessit, nec Filius Spiritum. Dicit enim Propheta : *Ante me non est factus Deus, et post me non est :* Deus autem neque fit, neque habet quidquam se antiquius. *Ego* enim, inquit, *primus, et ego novissimus* (*Apoc.* I), hoc de Patre, hoc de Filio, et hoc de Spiritu sancto confitendum est : de his tribus personis Jeremias dicit : *Dii qui cœlum et terram non fecerunt pereant* (*Jer.* X) ; alibi tamen scriptum reperitur : *Ego manu mea extendi cœlum* (*Prov.* XXIV), in quo tres personæ intelligendæ sunt. David enim dicit : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII). Ecce conditorem demonstrat Spiritum et Filium : non nudum verbum Filium, non vaporem diffusum in aera, Spiritum nominando, cum verbo cœlum firmaverit, et virtus sanctificaverit Spiritus sancti. Ut enim sancti perhibent Patres, Verbum essentiam præstitit, sanctitudinem vero Spiritus. Ex quo liquido apparet, Spiritum non habere ante se principium, etsi ex Patre et Filio proveniat. Quippe quod infinitum est, utrumque oportet infinitum esse, ut Paulus testatur dicens : *Neque principium dierum, nec vitæ terminum habet.* Qua ex re quia divinum, supersubstantiale, ac ante omnia existens, principium terminumque ignorat : impossibile est dicere quid sit secundum substantiam. Vix enim possibile languide eorum aliquid apprehendere : quæ circa ipsum, pro eo quod ejus sapientia supra nostram exaltetur intelligentiam, quæ quanquam divisibilium et permutabilium sit, ipsa enim dividitur. Nam individua unitas est, non alteratur, quia indemutabilis est, non habitudine multiplicatur, quia impermista ea perseverat.

CAPUT VII.

Restat igitur per actiones tantum hominibus Deum manifestari, quæ juxta quorumdam opinionem non habent, quod potestate dicitur, asserentium circa singulas temporis partes, de subito emergere : et concursu voluntatis, non motu Deum facere omnia. Motus enim non est repentina emissio ab habitudine, sed alia ante aliam fit promotio in speciem, quæ potestate tantum existit, in facienda re, secundum materialem informemque proprietatem per transitum consideratam in continuitate dividua, Dei autem actio maxime cum fine est plena sui ipsius indeficienti consummatione. Quod autem ad plenum consummatum est, cum illo qui festinat consummatum iri, non habet communitatem. Quamobrem absque motu Deum operari asserunt, et repente, hoc est præter extensionem temporis, cujus opere, mentem sensus, emissionemve luminis, imagines quasi ponunt. In apparendo enim lux de subito terræ illustrat ambitum, non comitante temporis motu actionem luminis : in omnem partem similiter diffundentis se. Qualis pene videtur esse actio sensuum sive operatio. Simul utique in aspiciendo absque temporis intervallo, visibilia, præsentia et absentia visus æqualiter comprehendit. Hinc est quod quidam dicunt actionem esse repentinam emissionem habitudinis, quam non prosequitur temporis motus : latitudo ut cœlestium corporum, solis, aliorumve sine fine illuminantium : alias vero naturales, ut calefacere, infrigidare. Artificiales quoque ut mederi, fabricare tempus prosequitur. At vero licet mens sensusque sine latitudine temporis noscat et sentiat, consummationem tamen absque temporis latitudine non possidet. Porro Deus sine temporis latitudine opus quodcunque vult suum perficit et consummat : quod ex his quæ a Christo facta sunt miraculis liquido apparet : *Tolle*, inquit, *grabatum tuum et ambula* (*Joan.* V). Dixit verbo, *et sanatus est puer* (*Matth.* VIII) : et iterum : *Extende manum tuam, et remittuntur tibi peccata* : *Fiat tibi sicut vis* (*Matth.* XII). Hoc autem et his similia, in ictu oculi Salvator patravit, cujus virtus et potestas, absque qualibet distinctione temporis, ac dilatione omnia perficit : hoc utique Pater per se facit, hoc Filius, ut Pater possidet, hoc Spiritus habet sanctus substantialiter. Sicut enim lapis dimissus non a mittente deorsum movetur, ille enim dimisit tantum. Naturale vero quod possidet momentum tulit deorsum lapidem : et sicut ignis qui ad inferiora jacitur, ab ea quam intrinsecus natura possidet, ad superiora reducitur : ita tres personæ, non ab extrinsecis facere vel operari, æqualiter habent ; sed ab intrinseca virtute, quam naturaliter complectuntur. Quippe licet secundum naturam et voluntatem faciant, non est tamen in eis virtus ad similitudinem inferiorum, in quibus alia est naturalis, alia est adjecta. Naturalis quidem, quæ semper adest, ut igni urere, lucere soli. Similiter autem lapidi dimissio, violentia cessante, moveri ad inferiora. Adjecta vero quæ advenit extrinsecus, et abesse potest, talis virtutis effectus censetur actio. Quæ scilicet, virtus interdum causa, interdum causativum, nuncupatur. Substantiæ quidem effectus ex qua prodit, causa vero quam emittit actionis. [Atqui Patris virtus causa ipsa est, et ex causa, generatur enim, et emittit et nullum sortita est adventitium. Nec huic sententiæ repugnat quod scriptum est : *Filius non potest a seipso facere quidquam*

(*Joan.* v). Nam si quid Pater facit, et similiter Filius facit : Filius autem non potest aliquid a se ipso facere, erit ut neque Pater aliquid a se ipso faciat. Quare si Filius non potest aliquid a seipso facere, neque Pater, quia non hoc Pater facit, hoc Filius contemplando imitatur. Qui utique optimum et omnium bonorum maximum, Spiritum habendo in medio terræ operatus est per se, consequens est quod omnia possit sicut et Pater : sed a se ipso non potest aliquid facere, in eo quod nihil contrarium Patri, vel ab eo alienum. Is potestatem suam clarificat, cum dicit : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam. Nullusque tollet eam a me* (*Joan.* x) : potestatem habeo vitæ et mortis, sicut et Pater Propterea quos volo, vivifico et illumino, dando eis spiritum vitæ, et quos volo, mortifico, et in tenebris dimitto auferendo eumdem. Ergo non est contrarium a se ipso nihil posse facere illi qui est, ut vult facit, licet vult potestatis, non posse autem a se ipso subjectionis sit. Nam virtutis indemutabilitatem, potestatis coæqualitatem, communitatem Spiritus et omnia quæcunque habet Pater, præter singularem proprietatem habet et Filius, etenim Spiritus dator est sicut et Pater : sed non convertitur, ut Paracletus Filii dator sit, remissionemque peccatorum facit per Spiritum quod non fieret, nisi a Filio mitteretur, et ex ipso coruscando sicut ex Patre procedere ad transitum pertineat, cum Deus ubique adsit, quia hoc idcirco dicitur ut causam intelligamus Spiritus sancti Filium, et credamus : quorum identitas paucis quibusdam scinditur differentiis, quod hic, scilicet, sit Filius, ille vero Spiritus, et hoc solum est, quod inducit divisionem; alia vero omnia paria et indemutabilia sunt. Quare patet quod neque facere, neque pati, neque actio dividit Filium a Patre in emissione Spiritus.

CAPUT VIII.

De ubi vero et quando, palam est : quod non dissecent Filium a Patre, in emittendo Spiritum. Nam ubi et quando, loci et temporis sunt exhibitiva. Sed neque, ubi locus, neque quando tempus est, quia locus natura prior est eo quod in loco. Similiter autem tempus, eo quod in tempore prius est natura, præexistentibus utique loco et tempore natura. Dein alio adveniente ipsis, ubi esse dicitur quod in loco est, et quando quod in tempore, at vero ante Deum nihil est : sæcula enim omnia ipse fecit et spatium omne. Quare temporibus, sæculis, numeris omnibusque est Deus superior. Enimvero si sæculum eo antiquius fuisset, non utique sæcula fecisset Deus. In nomine simpliciter dicto, tres personæ subintelliguntur : Pater, Filius, Spiritusque sanctus, quod Seraphim testantur tribus sanctitudinibus glorificantia, et in unam coeuntia dominationem, Deitatemque. Certe non modo tempori atque loco præexistit Deus, verum angelis, archangelis, cherubim, seraphim, omnibusque virtutibus, a quibus in tantum abest, ut non possint Dei substantiam cognoscere. Ex quo fit ut nihil aliud nisi gloriam reddant Deo, pacemque hominibus bonæ voluntatis, dum sanctitudinem solam concinunt, et quoniam plenum est cœlum et terra gloria ejus omnium quoque superiorum virtutum opus, laus Dei. *Laudate eum*, inquit, *omnes virtutes ejus* (*Psal.* CXLVIII). Qua de causa solus seipsum videt, creatura nulla videre ipsum potente : sed minus supernis rationalibusque substantiis homo, ut Paulus perhibet. *Quem vidit nullus hominum nec videre potest*, quia nec visibiles virtutes plene ut est, ipsum contemplantur : licet idem Salvator dicat : *Amen dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*I Tim.* VI) : at vero is localem personam non habet, neque in cœlis circumscribitur. Quare ad illud quod in Evangelio alibi habetur huc referendum est : *Beati mundo corde, quoniam ipse Deum videbunt* (*Matth.* v) : intelligentiæ scilicet oculo, quantum capere possunt. Quomodo angeli videre ipsum creduntur, qui puram et pervigilem habentes naturam, divinum imaginantur, prout eis possibile est. Substantiam vero divinam, nullus unquam vidit ut omnium conditricem, et ante omnia sæcula existentem. Manifestum igitur, neque ubi, neque quando impedire Filium, quin cum Patre Spiritum emittat.

CAPUT IX.

Situm vero esse, cum corporibus, scilicet, magnitudinum terminis superficiei, lineæ, aliisque insit, palam est quod divinis nullo modo personis conveniat : ut enim localis habitudo facit esse ubi, et temporis habitudo facit esse quando, sic positionis habitudo, situm esse perficit. At vero quæ in vita, virtutibus, principalibusque causis stabilita sunt, improprie sita esse dicuntur. Cum supradictis et similibus situm esse accidat, et positionem habere, secundum locum, excepto corpore ἁπλῶς universa continente. Porro incorporeis situm esse substantiis non competit, nisi secundum metaphoram in Deo quis dicat sita esse omnia, ut in causa et in principio. Iis itaque sic se habentibus, eundum est jam ex ordine disceptatum, utrum habere dictam causæ communitatem dissecet vel impediat.

CAPUT X.

Habere igitur multa significat, ut Aristoteles in categoriis perdocuit : de corpore prædicatur, et de incorporeo, et de corpore quidem, propter ea quæ circa corpus sita sunt particulariter, ut annulus circa digitum : et quæ circa corpus totum ut indumentum, penaliaque instrumenta, ut arma. Quorum quædam ut thoracem voluntarie habemus : quædam contra voluntatem, ut vincula nostra, quippe corpora cum dividua sint, extrinsecus adhærentia complectuntur. Cœlum vero quia nihil extra se omisit, in se cohærentia intercludit, et undique circumsepit. De incorporeo autem habere dicitur, ut de anima : propter prudentiam, sapientiam et his similia. Sed enim et de eo, quod ex anima et corpore constat, habere dicitur : propter quædam incorpo-

rea, veluti propter quantitatem : bicubitum, tricubitum : et propter qualitatem, ut album, nigrum et cætera talium. Quin etiam et de divinis duabus personis propter tertiam, habere suo modo dicitur. Vere enim dicitur, et Pater, et Filius quod Spiritum sanctum habeant. Nam si Spiritum Filius non habeat Patris, dignior persona est ipsum habent, Filii persona ipsum non complectente. Omnis enim cum Spiritu essentia dignior, et potior est, quam ea quæ Spiritum non habet, profecto animalia plantis, seminibus, herbisque digniora sunt, et ampliora illis, ut habentia Spiritum facere possunt. Atqui persona Patris indubitato habet Spiritum, Filii persona eumdem non habente. Quare dignior est persona Patris quam persona Filii. Id quidem ut profanum Christianorum professio abdicat. Igitur absque ambiguitate dandum Filium Spiritum habere, ut Pater. Quamvis enim Joannes testatur sic, se *vidisse Spiritum descendentem manentemque super eum* (*Marc.* I), non tamen advenientem habere Spiritum credendus est ut Deus. Nam ut homo habet, sicut quidam demonstrant, hoc modo disputantes : si hominum in animabus pie ac religiose degentium, non tamen absque sorde penitus existentium, Spiritus sanctus habitare pollicetur, multo magis in Christi anima quæ inviolata et immaculata, sine corde semper existit : nullum omnino peccati vestigium habens, idem Spiritus habitavit, hoc Propheta vaticinabatur quando dicebat : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV) : Fratres Christi et participes secundum humanitatem sumus, oleum Spiritus signum est, unctus est autem Christus non ut Deus, sed ut homo. Nequaquam enim ut Dei Filius ungitur, sed caro Christi vera unctione uncta est, adventu scilicet Spiritus sancti in ipsa Filii hominis conceptione. Et præ participibus, quia illi ut capere poterant particularis quædam sancti Spiritus emanatio tributa est. Ad instar enim humani Spiritus hominibus videtur distribui Spiritus sancti gratia, quemadmodum utique is a cerebro descendens, per sensibiles nervos, non omnibus membris, sed secundum proportionem unicuique potenti suscipere.

Amplius : Plus potenti suscipere, modicum minus infundit, ita et largitio donorum, secundum proportionem fit uniuscujusque animæ. Porro Dei Filius nequaquam ex proportione habet, sed totum habet Pater, totum habet Filius, et eumdem. Non enim alius est Patris, et alius Filii Spiritus, sed idem est : et eodem ab utroque modo habetur. Nam *in Christo plenitudo divinitatis corporaliter* (*Col.* II), id est, perfecte habitat. Qua ex re iterum ostenditur. Deum Dei Filium semper Spiritum habuisse. Nempe si Deus Verbum carnem animatam, anima rationali ut intelligibili uniendo sibi, secundum personam Spiritum accepit, ex incarnatione primitias Spiritus habuit, simul autem et aliquod perfectum. Quod si profecit, cum æqualis Deo, et ante hac existeret, major Patre factus est. At non profecit Dei Filius, quia nullius unquam fuit indigens semper Spiritus habens plenitudinem : hoc ad Salvatorem prophetico David ore clamabat : *Emitte Spiritum tuum* (*Psal.* CIII). Sed enim apostolorum princeps manifestissime asserit, quod ante incarnationem Spiritum habuit Filius, in prima sic loquendo epistola : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem Spiritu* (*Rom.* VI). In quo scilicet Spiritu, et his qui in carcere erant spiritibus adveniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabatur Dei patientia in diebus Noe, cum fabricaretur arca. Quare oportet vitam Filii non esse absque Spiritu, quam non modo ante incarnationem : verum ante mundi omniumque sæculorum creationem habuit Dei Verbum. Audiendus autem et credendus in his est Magnus in theologia Gregorius, fidei Ecclesiæ Latinorum testimonium perhibens, in hunc modum : Spiritus sanctus erat quidem semper, et est, et erit, neque incœpit, neque desinet, sed semper Patri Filioque coordinatur et connumeratur. Non enim decebat aliquando deesse Filium Patri, aut Spiritum Filio. Ecce vir sanctus proprium esse Filii Spiritum demonstrat. Nam si solus Pater Spiritus haberet, nequaquam idem συμφονία et συμφνία utriusque diceretur. Quare habet Filius Spiritum, sed non ex aliquo profectu; ut homo. Omnis quippe homo energumenum habet spiritum, et subinductum ut donorum ejus existens indigus atque beneficiorum : sic apostoli cæterique sanctorum : ut lumen, ut charisma, ut unctionem, ut munus Spiritum habuerunt. Dei autem Verbum quod consummatissimum est, nihil indiget beneficio Spiritus, seu donationibus. Quippe non tantum ut homo, sed ut Pater Spiritum habet.

Qua de re, cum potior incomparabiliter hominibus sit, incomparabiliter melius Spiritum habere oportet. Apostoli egentes, imperfecti, mortales, per gratiam Spiritu sancto repleti sunt, nec omnia Spiritus dona, nec omnes ejus operationes habuerunt aliquando : nam unum tantum virum, Christum, scilicet, septem mulieres, septiformis gratia Spiritus apprehenderunt. Impossibile enim est ab aliqua creaturarum perfecte Spiritum apprehendi : at vero quem mundus capere non potest, eum insitum et ex se, ac secundum naturæ consecutionem habet Pater, habet et Filius. Qua de re, habere non discat processionem Spiritus ex Filio. Igitur, cum nihil sit quod disterminet processionem Spiritus ex Filio, quia neque intellectum ut substantia, neque ut quantitas, neque ut qualitas, neque ut quolibet aliorum : manifestum et evidens per demonstrationem positam factum est, ut æstimo, Spiritum sanctum ex Filio, ut ex Patre procedere, ac de his hæc dicta sufficiant.

CAPUT XI.

Velim utique jam et sanctorum Ecclesiæ pastorum testimonia, quæ Spiritus existentiam ex Filio esse prædicant, latius omnium auribus insinuare, ni

quædam communis omnium Græcorum opinio, quæ infirmanda est, cum cæteris hoc facere inhibeat. Asserunt itaque Græci æquivoce Spiritum dici esse Filii atque Patris. Quod ex verisimilibus colligentes, eos qui hoc negant inconvenientia plura sequi opinantur, sicut manifestum est ex his, quas inferunt conclusionibus. Aiunt igitur plures in divina Scriptura voces inveniri, quæ similiter quidem proferuntur, intelliguntur vero dissimiliter, ut apud Lucam evangelistam dicentem : *Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II) : profecto si proficere illum in sapientia quis dixerit, consequens erit nequaquam ipsum scientiæ perfectionem habuisse. Rursus si neget in sapientia proficere, neque secundum ætatem debet habere profectum : qua ex re proficiendi verbum æquivoce audiri oportet : proficere enim significat ex parvo magnum fieri, et ab imperfecto, venire ad perfectionem, secundum quod significatum, ætate vere dicebatur proficere. Nam cum esset parvulus circa corpus augmentum suscepit, sapientiæ vero et gratiæ dissimilis erat profectus. Quippe non ex indocto doctus, et gratiosus ex ingrato, proficiendo fiebat : sed gratia et sapientia proficere apud Deum dicitur, quia gratior et sapientior videbatur esse hominibus quotidie quod revelaretur et manifestaretur in eo per singulos dies Spiritus sancti actio. Quare proficiebat Verbum, licet univoce videatur dici, tamen æquivoce pronuntiatur.

Similiter autem et Pater nomen æquivoce accipitur, ab ipso Salvatore loquente post resurrectionem ad Mariam : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (*Joan.* XX). Eodem modo suum discipulorumque nominavit Patrem, sed eodem modo non intellexit. Etenim Christi Pater natura, discipulorum vero adoptione : Propheta quoque David, creaturam ad glorificandum invitans dicit : *Laudate eum omnes angeli ejus, virtutes, dracones, abyssi* (*Psal.* CXLVIII). Idem tres pueri psallebant : *Benedicite Dominum, angeli Domini, imber, ros, et omnia nascentia in terra : filii hominum, sacerdotes, servi Domini* (*Dan.* III). Ecce similiter omnia benedicite Deum exhortatur, quantum ad prolationem dictionis, quæ dissimiliter intelliguntur. Rationales sane creaturæ per scientiam disciplinamque Dominum benedicunt, irrationabilia vero, quia talium minime participant, non per se, sed per nos, qui cum simus rationales illa intuendo factorem nostrum ipsorum intelligimus Dominum benedicunt. Ait enim Apostolus : *Invisibilia ejus a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I). Etenim ex admirabili dispositione illorum quæ facta sunt, conditor omnium creaturarum pronuntiatur. Sed enim Matthæus Christum conceptum esse de Spiritu sancto, et Maria virgine innuit sic dicens : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Luc.* I). At non est Christi Pater Spiritus sanctus, quia non ex eo est tanquam ex Patre, sed ut ex eo, qui præparavit vulvam fecundam, consubstantiali Verbo, carnemque condidit absque lege commistionem, divino prorsus et ineffabili modo. Quo fit ut non Spiritus sancti Filius, sed sanctissimæ virginis, secundum naturam dicat et existat. Attribuitur autem hujusmodi opus Spiritui, propter sanctitudinem : et quia causativus est Patris et Filii, et alia similia, his annecti quamplurima possunt.

Eodem vero modo Spiritum esse Filii, ac procedere ex Patre et Filio dicitur æquivoce. Hoc Nicomediæ antistes sic distinguit : « Quid igitur, inquit, dicemus, cum unaquæque dictio differentes habeat significationes, et aliæ quidem penc cum infinitæ sint, ac omnibus notæ ubi mihi videtur prætermittendæ sunt : de illa vero sola quæ imminet et proposita est nobis, nunc divisio facienda est, de hac scilicet, procedere. Potest enim significari vox ista procedere, ut aliquid de loco moveatur ad locum, potest autem significare mitti et dari, et hoc ipsum quod nos profitemur, ex causa secundum existendi rationem provenire. » Cum ergo Athanasius, Ambrosius, et si quis alius Pater Spiritum dicit a Filio, vel per Filium procedere, non secundum existendi rationem dicit! absit, sed secundum alterum horum duorum omnino significatorum. Quemadmodum enim fatemur ipsum Spiritum per Filium manifestari, sic et mitti ab eodem et dari. Alius vero quidam : « sic Spiritus sanctus ex Patre procedit, nequaquam autem ex Filio. » Præsul vero Methonæ Nicolaus hoc modo : « Licet Spiritus Filii, at non ex Filio est : aliud enim est Filii, aliud dici ex Filio. Equidem hoc ejus quæ secundum naturam unionis et familiaritatis significativum est, utro modo dicatur, sive Spiritus, sive processibile, hoc autem, scilicet, ex Filio esse, illius quæ ex causa est productionis. At vero nequaquam. Quidquid secundum naturam alicui propinquat, hoc ex illo esse contrahit. Nam fratres secundum naturam propinquant ad invicem, alteruter enim alterutrius dicitur, at ex altero, alter nunquam asseretur : aliquando, quia non est alterius alter causa, sed amborum Pater, et ideo ex solo Patre ambo : sic igitur κατατόμια tum dogmatos, quas putant redargutionibus fugere, capiuntur supra malitiam vaniloquium stabilientes. » Nicetas vero philosophus, non minus amara effundit. « Ex dæmonis, inquit, odientis bonum pravo consilio ὑπακολουθοῦντες id est, aberrantes, vel seducti, et quamplurimum a veritate absistentes, sanctissimum conditorem divinum Spiritum ex Filio procedere, ut ex parte, simili modo decernere conantur, non intuentes miseri emergentem hinc foveam, et profana quam multa quæ sequuntur.

CAPUT XII.

Hæc quidem et alia quorum relatio necessaria non est ad præsens, Latinis peritissimi Græcorum objiciunt, habentia quidem aliquas forte verisimilitudines, basem vero nec unam innitentem soliditati. Oportet certe quamlibet acute cernentem, aliorum delicta arguentemque convenientes inducere argumentationes, rebus illis quibus fidem negotiatur. Cæ-

terum quæ dicta sunt, nulla comitatur demonstratio, nec a Scripturæ quæ divinitus inspirata est testimoniis comprobantur, nec a sanctis Ecclesiæ pastoribus aliquem sortiuntur favorem, ob quam rem inutiles magis positiones sunt, quam demonstrationes. Æquivocationes quidem in divina Scriptura omnes recipiunt, Spiritum vero cum æqualiter Patris sit Filiive procedere ab utroque dissimiliter, non puto concedendum. Sed minime absque demonstrationis adminiculo, atque Scripturæ divinitus inspiratæ testimoniis, sanctorumque Patrum sanctionibus inducor ad hoc. Et quidem arbitror quod illi fides parti tribuenda est, cui hæc quam maxime conveniant. Igitur, adjuvante sancto Spiritu, plena veritatis contradictio prosiliat in medium, primum quidem similitudo ex fratribus assumpta rejicienda est. Nam valde dissimilis existit, et nullo modo fidem apta est facere, propter duas causas : una, quod Filius non dicitur Spiritus sancti, ut fratrum alteruter, alterutrius; alia vero quia fratres absque medio ex Patre similiter per generationem prodeunt, nisi mediante forte quis matre dicat progredi ad lumen. Verumtamen quantum ad genitorem immediati vere pronuntiantur, Filius vero atque Spiritus dissimiliter ex Deo Patre prodeuntes, minime per conversionem reciprocantur, ut superius ostensum est. Insuper nec hoc bene dicitur : ideo Spiritum Filii esse, quod secundum naturam illi propinquet, eidemque uniatur.

Eodem utique modo, quilibet Patrem esse Spiritus profiteatur, quod substantialis ei sit, unumque natura. Quare non ob hoc asserendum est Filii esse Spiritum, quod sit ejusdem naturæ, neque quod per Filium detur : quod nihil differt dicere, Filius ipse dat ut apparebit in sequentibus. Et quoniam Latinorum dogma infringere non sufficiunt, discutiendum quoque est utrum æquivocatio verbi *procedere* obviet fidei Latinorum; secundum dicti præsulis opinionem, an non. Atqui non obviare sic ostenditur. Si non esse Filii sanctum Spiritum vocationem fugitat, neque dum asseritur Filii esse Spiritum multipliciter debet intelligi : hujus propositionis fides ab Aristotelica investigatione trahitur, dicente : « Si quid secundum contradictionem alicui opponitur, non dicitur multipliciter, nec oppositum, ut non videre opponitur, dicitur autem non videre multipliciter, uno quidem modo non habere visum : alio vero, non uti visu. Quare necessarius et videre multipliciter dici. Uterque enim eorum quod non videt, opponitur quid ut ei quod non habet visum, habere, ei vero quod non utitur visu, uti. Quare sine esse Filii Spiritum uno modo intelligitur, et esse uniformiter profertur : at vero non esse Spritum, filii unum semper falsum possidet intellectum non esse scilicet, de substantia filii. Nempe neque quantitas, neque qualitas, neque possessio, neque actio, nec aliquid hujusmodi aliud negatur, esse Filii, unde nusquam in sacra Scriptura, secundum aliquem verum sensum reperitur Spiritum sanctum non esse Filii, A inveniretur autem procul dubio, si non esse Filii Spiritum prædictarum aliquam significationum innueret. » Item : « Æquivoca non sunt comparabilia, ut alba vox, alba tunica : acutus humor, et acuta vox. Hoc enim non similiter alba vel acuta neque magis alterum. At vero ex Patre procedere, ac Filio procedere comparabilia sunt quoniam procedendo unum esse quod personaliter Spiritus habet, ab utroque similiter et æqualiter accipit. Quare non æquivoce dicitur, procedere Verbum de ambobus pronuntiatum. »

Amplius : « Quælibet trium personarum, aut præstat esse alteri duarum, aut accipit ab ipsa. Hæc per inductionem propositio suscipit probationem : Pater a Filio alia persona est, eo quod per generationem ei esse præstat. In hoc enim differt a Filio, quod ei esse dat per nativitatem : rursus a genitore Filius differt, quod nascendo accipit ab ipso existentiam. » Item : « A Spiritu sancto præter hoc differt Pater, quia esse illi dat, dum ipsum emittit. At vero Spiritus sanctus non ob aliud alia existit a Patre persona, nisi quia ex ipso procedendo accipit. Igitur et a Filio dum alia sit persona, idem Spiritus aut illi esse dat, aut ab ipso accipit. Non autem dat, ut palam est, accipit ergo. Circa unam enim et simplicem substantiam Patris, et Filii, Spiritusque sancti, aliam præter eas quæ dicta sunt, causam differre adinvicem vix quis rectæ fidei assignabit. Quare si alia est a Filio persona Spiritus, dictarum aliquam habitudinum ad ipsum habet. Sin autem non, ab ipso non est alia persona, igitur his prædictis proprietatibus, tres personæ adinvicem æqualiter differre habent, et non aliquibus accidentibus. Nihil enim in suprema Trinitate quod possit abjici, vel abesse. In quibuscunque autem subintelligitur aliquid hujusmodi accidens adjacet. Quare in supersubstantiali Trinitate non est accidens. »

Amplius : Ubi accidens posterioris non abest intelligentia, quod accidens in alio prorsus esse habeat, quod autem in alio prorsus esse habet, et per se non potest existere, eo in quo est, quasi posterius reputatur. Propterea communis intelligentia de Deo non permittit accidens in eo intelligi. Ne quid circa divinum eo posterius consideretur, atque ex hoc sive actu, sive potestate, dissolubile cogitetur ac corruptibile, talis enim est existentia supervenientium secundum naturam, ut posse dissolvi videantur. Restat igitur Patrem a Filio et Spiritu æqualiter differre, Filium quoque a genitore ac paracleto; similiter Spiritum a Patre et Filio. Qua ex re quantum filiatio Filium differre a Patre facit, tantumdem paternitas a Filio Patrem. Quibus vere positis et concessis, aut Pater secundum emissionem Spiritus nihil differt a Filio, aut amplius Pater a Filio differt, quam a genitore Filius. Si enim generatione sola insignitur Filius, generare vero et emittere Pater, pluribus differentiis a Filio Pater quam Filius a Patre differt. Generare vero ac mittere, duæ proprietates sunt, quibus Pater utrisque a Filio differt:

Hoc autem inconveniens haud puto aliter vitari posse, nisi confitendo quod Patris et Filii commune sit Spiritum emittere. Per id ambos eodem differre modo a Spiritu. Juxta vero hujusmodi rationem credendum est quod Filii et Spiritus commune sit ex eadem persona existentiam habere, in quo par eorum ad Patrem differentia intelligitur, etsi alter quidem per nativitatem, alter vero per processionem, ut frequenter commemoratum est, splendeat. Sed hoc æquivocationi non debet putari obnoxium, cum inter creaturas absque ulla æquivocatione multo differentiora reperiantur, vermis quippe ac elephantus ex eodem genere esse habent. Animal enim hoc genus amborum, sicut cæterorum causa existit animalium. Quod sicut ab eis æqualiter participatur, sic de illis univoce prædicatur, et amborum causa dicitur univoce. Verum alter absque semine naturam adipiscitur animalis : et sciendum quæ per generationem ad esse prodeunt, non simul fieri et existere : quod præveniat eorum generationem substantia, præterea est quidem aliquid horum, quæ fiunt usquequo perficiatur, ut leonis et similium. Idem in arboribus herbisque invenire contingit. Nam eorum quædam ex seminibus, quædam vero sine seminibus ex terra, ut ex sua causa progrediuntur : quibus secundum hoc commune causativum esse nullus ambigit. »

Amplius : « Quæcunque alterantur non eodem modo alterationem suscipiunt. Contingit enim repente alterari, et non prius dimidium, ut aqua congelari, argenteum quoque vas, mox ut aquam calidam susceperit, calere. Interdum autem vicinam partem a cohærente calefieri, aut congelari. Postremo generis et differentiæ commune est de pluribus prædicari, sed alterum in quid, et alterum in quale : nec idcirco alterari vel prædicari æquivocatio amplectitur. Sed affirmationi quoque ac negationi, privationi et habitui, contrariis et relativis commune, ut pluribus et maxime notis, visum est opposita univoce dici. Attamen affirmatio et negatio in oratione consistunt, in rebus autem privatio et habitus, quorum alter tantum, scilicet habitus, secundum naturam est. Nam privatio, in eo quod privatio, semper contra naturam est et relativa quidem, licet ad aliud et ad aliud de eodem prædicantur, contraria vero nequaquam, ut ex diffinitione eorum patens est. Qua de re talis proveniendi modus prænominatas voces non facit æquivocas : ad hoc autem adjiciendum, quod Patris et Spiritus commune sit, immediate habere ad Filium, ex quo paritas utrinsque differendi a Filio discernitur. Congruum procul dubio est per omnia, divinaque dignum majestate, ut sicut per substantialia non superat alium alius, ita et differentiarum excessus non reperiat locum. De insignitivis autem proprietatibus, certissimum est quod intelligi faciant tres personas, paribus distare differentiis : fugit namque Trinitatem elementorum, aliarumve creaturarum assignatio, quæ quidem secundum magis et minus differunt. Aqua enim non habet tantum gravitatis, quantum ignis possidet levitatis. Ideoque magis a terra, quam a liquido elemento, per levitatem differt ignis : at vero Pater quantum differt a Filio, tantum differt a Spiritu. Similiter autem Filius tantum differt a Patre, quantum a Spiritu ; Spiritus quoque tot differentiis a Patre distat, quot et a Filio : hoc autem ex eo dignoscitur, quod circa unamquamque personarum, par proprietatum numerus reperiatur, sive singulares sint illæ habitudines, sive non ; hoc modo : Spiritus solus procedit, solus imago Filii est, et solus mediate Patri copulatur. Est autem ei commune cum Filio, ex eadem persona existentiam habere et cum Patre immediate habere ad Filium. Filius quoque solus gignitur, solus splendor et figura substantiæ dicitur : et solus immediate ad Spiritum, et Patrem habet. Emittit autem cum Patre Spiritum, et ex eadem persona cum Spiritu accipit existentiam : Pater etiam sine causa existens solus esse præstat duobus simul, secundum quam significationem amborum causa univoce pronuntiatur, ex quo uterque causativus dicto tenore dicitur, solus generat, et solus mediate se ad Spiritum habet Atqui cum Filio emittit Spiritum, et cum Spiritu immediate habet ad Filium. Quod si Filius nihil commune cum Patre personaliter haberet, communicat autem Spiritui ut dictum est, ex eadem persona existentiam habere, magis a Patre differt quam a Spiritu. Rursus si Filius Spiritui, et Spiritus Filio aliquid communicat ut persona cum Patre, aut neuter aliqua proprietate jungitur, pluribus alteruter differentiis a Patre quam a se dividitur. Hæc igitur et quæ in ante expositis distinguuntur, sunt differentiæ, seu proprietates, vel habitudines, quæ circa tres personas considerari possunt, absque fidei periculo, præter quas haud multas inveniri posse arbitror, quæ cum istis in eadem portione numerari debeant. Sed in omnibus his atque similibus magnopere attendendum, et quod mediatum et immediatum, propinquum et quidquid simile ; non ut temporis aut localis positionis, aut spatii, aut tumoris, aut magnitudinis significativa dicuntur, sed omnia ut beata dignum Trinitate accipienda sunt. Quod si apud sanctorum aliquid legere in Trinitate non esse ordinem, intellectum dat auditui, quod omnem transcendat ordinem. Quomodo non esse aliquid eorum quæ sunt Deus dicitur, non quod sit, sed quod super omnia entia sit : Nempe si ordo tollatur, non sit Spiritus tertius et Filius a Patre secundus, ut Christus tradidit, magnusque Basilius testatur : « Nec Pater sit Filii, Spiritusque causa ; nec Filius sit ex Patre, nec amborum Spiritus censeatur. Idcirco est in Trinitate ordo, etsi ab homine impossibile sit sciri qualis sit. Et immediate quidem Filius, mediate vero Spiritus ex Patre proveniunt. » Ait enim Damascenus : « Per Filium datur Spiritus, et ab omni creatura participatur ; » et Nicenus Gregorius scribit ad Aulalium : « Hoc quidem credimus esse causam, hoc vero ex causa, et ejus quod ex causa est, ru-

sum aliam differentiam intelligimus, hoc quidem proxime de primo, hoc autem per proximum de primo. »

CAPUT XIII

Magnus quoque in theologia Gregorius idem perhibet : « Spiritus sanctus Patri et Filio coordinatur, et connumeratur ; itaque non expedit Filium a Patre in emissione Spiritus separari. » Enimvero ex tali divisione funiculus æqualitatis differentiarum rumpitur, salutis nostræ minuitur fides, trium personarum magnificentissimus ordo in irritum cadit, et magis et minus, multum et parum, inalterabili commiscetur Trinitati. Quod solum cogitare profanum est, et plenum exsecrationis, æqualiter enim, unaquæque trium personarum ab altera differt ut ostensum est, æqualiter convenit nihil impediente, quod Spiritus amborum dicitur, et vere existit, quod sic verum ostendi potest. Spiritus Filii est, aut ratione naturæ, aut ratione gratiæ, at Dei Verbum nihil ex gratia, quia Deus est, possidet. Quare nihil adjectum, nihil habet nuper adveniens, sed ut a principio constiterunt exuberantiæ divinæ ratione consistunt naturæ, videlicet naturaliter. Non enim ut cætera viventia, vitam spiritumque attributionis causa possident, sed ut Filius ex Patre naturaliter Spiritum habet. Qua ex causa rursus ostenditur, quod univoce Patris Filiique Spiritus esse dicatur, æqualiter et indifferenter, a Patre missus et a Filio, quod Joannes qui merito Chrysostomus censetur, super Joannem his verbis affirmat : « Intuere, inquit, qualem inducit, *cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis* (*Joan.* xv), ipse testis erit fidelis : etenim *Spiritus veritatis est.* » Propterea non Spiritum sanctum, sed Spiritum veritatis ipsum vocavit, qui a Patre procedendo diligenter omnia novit, sicut et ipse dicit de seipso : *Scio unde venio et quo vado* (*Joan.* VIII) : « Ecce, inquit, nequaquam Pater solus, sed et Filius mittens est. Quis igitur contradicere audeat, tantæ sanctitatis viro, enuntianti manifestissime quod ambo Spiritum mittant, et asserere quod a Patre ac Filio Spiritum mittit æquivoce, ac non eodem modo pronuntietur? Quod si æqualiter ab alterutro Spiritus mittitur, alteruter missionis Spiritus causa æqualiter est, et verax est Christus qui hoc dicit, et dictus Joannes magistro testimonium perhibens, mendacii reus non invenietur. Si igitur Filius mittens, et missus causa, et ex causa est, nihil inopinabile sequatur, quod Spiritum emittit, sicut mittit. Nam si homo secundum naturam et ex propria voluntate corpulentum suum spiritum respirat, et inspirat, multo magis Dei Filius Spiritum suum mittit et emittit, æqualiter Pater perfecte ac eodem modo ipsum complectens, absque diminutione. » Ex quo patet iterum quod Filius Spiritus sancti quædam causa existat naturaliter, ut ipse Pater : dubitabit autem aliquis si ratione naturæ Pater Filiusque Spiritum mittunt, nequaquam Spiritus suæ ipsius missionis expers sit. Nam quæ naturæ ratione insunt, tribus æqualiter congruunt personis. Ad quod dicendum quod non omnia quæ naturæ ratione insunt, naturæ aut natura sunt, ut ridere quidem naturale est, attamen posterius in specie fit risibile. Similiter autem nutriri, respirare, moveri, secundum locum animali adsunt, et nihil horum ex animali natura existit. Item animantia naturaliter producunt pontus, tellus quoque plantas, animalia, herbas, quorum nullum de telluris seu ponti natura est, sed producunt ea ex ingenita et naturali aptitudine quam habent.

Juxta utique talem modum mittere naturaliter ac emittere Pater Filiusque dicendi sunt, hoc est, non adjacente, nec postmodum adveniens extrinsecus, et hoc merito : namque sufficiens et perfecta est missio Patris, quæ in eo uno solo Filio adimpletur. Cæterum, si plures Pater filios haberet, posset dicere aliquis : hunc non omnia quæ Patris sunt habere, nec cum Patre adimplere Spiritus emissionem. Nunc autem unus est Filius Dei unigenitus, verusque Deus, qui ut suum mittit Spiritum, sic esse tribuendo emittit : quod Magnus Basilius in tertio adversus Eunomium sermone patenter affirmat, dicens sic : « Quæ utique necessitas si dignitate atque ordine tertius existit Spiritus, tertium esse ipsum et natura? dignitate namque secundus a Filio, ab illo esse habens, et ab eo accipiens nobis annuntiat : et omnino illi causæ innixum tradit sermo pietatis. Natura vero tertium uti neque a sanctis Scripturis addocemur. Neque ex his quæ dicta sunt per consequens syllogizari possibile. Quemadmodum enim Filius ordine quidem secundus a Patre, quoniam ab illo et dignitate, quia principium et causa est Pater, et quod per ipsum accessum habemus ad Deum et Patrem : natura vero neutiquam secundus, eo quod Deitas in alterutro una. » Ita manifestum quod Spiritus licet ordine Filio supponatur ac dignitate, nequaquam utique quod alienæ sit naturæ consequatur. Hinc manifestum : angeli omnes sicut nuncupatione una, ita et natura omnino idem sunt adinvicem. Et post pauca : « Spiritus sanctus Filio dignitate supponitur et ordine. Accepimus enim ipsum tertium a Patre numeratum, ipso Domino tradente ordinem : in quibus dixit : *Euntes baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii). Sed forsan opponet aliquis, ubi causa ibi prius et posterius : sed in superexcellentissima Trinitate non est prius et posterius, quare nec causa : ad quod convenienter responderi potest, quod de sole ac ejus splendore sermo superius enodavit, prius quidem et posterius in ipsa non debet dici, primum autem et secundum quantum ad ordinem ineffabilem, si dicatur, non longe forsitan aberit rectitudini. Est namque in sancta Trinitate principium, causa et ordo. Nempe Filius a Patre numeratur, et Spiritus a Filio : quo in ordine Spiritus a Filio secundus est. Quod autem secundum est, ab aliquo primo secundum est : ut a causa, ex qua nomen sortitur hujuscemodi. »

Hoc sciens verum esse, Nicæ Gregorius testimonium Basilio, imo veritati perhibet, in quibus scripsit ad Aulalium dicens sic : « Immutabilitatem naturæ confitentes, eam quæ secundum causam, et ejus quæ ex causa differentiam non inficiamur. In quo solo discerni alterum ab altero deprehendimus, dum hinc quidem causam esse credimus : hinc vero ex causa, et ejus qui ex causa est, rursus aliam differentiam intelligimus. Nam hic quidem proxime de primo, hic autem ex primo per proximum. » Et post modicum : « Personas quidem in sancta Trinitate causæ discernit ratio, hanc quidem absque causa esse, hanc vero sanciens esse ex causativo. » Ecce Dei prolocutor iste vir manifeste depromit, quod ex causativo Spiritus est, videlicet ex Filio. Igitur si verus hujus magni viri sermo, quoniam causa Spiritus sancti Pater, aut immediate, aut cum medio, existit. Si immeditate non procedit, ex primo per proximum, et mendacii obnoxius sanctus vir deprehenditur, qui hoc conscripsit. Quod si per proximum procedit, oportet Spiritus sancti quamdam causam Verbum Dei Patris existere, aliquamque ad ipsum habere habitudinem.

Quo fit ut solus Filius ex genitore suo immediate splendeat, quod nihil inter ipsos possit intelligi, et Spiritus intrepide sit ex Patre ac Filio, quia omnia quæ adsunt Patri, adsunt et Filio : excepto quod hic non dicitur Pater, nec ille Filius. Nihil habet demutatum, quod aliud sit a Patre, sed idem. Propterea sanctus Spiritus secundum dictum ordinem existens amborum communis est, qui ordo propter causam, et id quod ex causa est apparuit in superexcellentissima Trinitate. » Verum contra hoc Eunomius oblatrat, dum omnem ordinem posteriorem esse asserit, illo qui est ordinis : cui Magnus Basilius his sermonibus respondet : « Ordinum alius est naturalis, alius adventitius. Naturalis quidem, ut creaturarum secundum conditrices rationes dispositus, positio quoque numerorum et causarum ad ea quæ profluunt ex ipsis habitudo : adventitius autem et artificialis, ut in assertionibus et disciplinis aliisque hujusmodi. Cum ergo aliqua ordinis species, non ex nostro placito consistens, sed ex naturæ consecutione proveniens : sicut est ignis ad lucem, quæ ex ipso est. » Et infra : « Nos autem secundum carnem adeo quæ ex causis sunt habitudinem, præponi Filio Patrem dicimus : secundum vero naturæ differentiam nullo modo, neque secundum temporis eminentiam : et hucusque sanctus. Porro divina natura, quia vere unitas est in simplicitate manens, omne tempus, omnemque ordinem exsuperat, et neque multum neque parum ab uno absistit, quod ejus esse nunquam disgregatur. Ubi enim disgregatio, multitudo cum uno et totum partesque apparent, et tempus oportet esse mensuramque disgregationis : ut ne ab uno absistentia ad infinitatem eant, propterea multitudo quidem numero mensuratur, distantia vero secundum superficiem termino magnitudinis, quorum quidem multitudo per divisionem ad indivisibile reducitur. Magnitudo vero per divisionem trahitur in infinitum. Cujus rei hæc est ratio, ut geometræ perhibent : Quod magnitudo fantastice intelligitur : multitudo autem opinabiliter, terminatur autem magis opinio, et in uno stetit, phantasia vero multitudinem infinitam habent.

Propterea phantastica infinita sunt et magnitudines quidem, quia phantasticæ infinitæ sunt, atque illarum sectio : vel quoniam magnitudinum novissima possibile unum fieri continuum, multitudinis autem non, eo quod unitates, cum sint indivisibiles, non habeant extrema, propter quod non fit unum ex eis continuum. Sola denique divina natura nullo modo mensuratur, quia universa continet, ignoratur accidentibus exerta, nullo modo secatur, quia impassibilis est : cui quoque nihil prorsus jugari potest, non tempus, non sæculum, nec ordo, et sicut nihil quod Divinitatis sit disponi potest sub alio : ita nihil Divinitati, neque divinis personis connumerari potest : licet enim scriptum, *visum est Spiritui et nobis*, non tamen seipsos connumerant Spiritus potestati, sed subjiciunt : ut ab ipso repleti prudentia et scientia qui Deus est Trinitate non discissa nec sejuncta natura. Quoniam tres personæ non sunt tres Spiritus, sed unus, sicut unus Deus. »

CAPUT XIV

Ut de his satis superius disceptatum est. Quapropter unde sermo Spiritum a Filio mitti, et ex eo existentiam habere, Magnus Athanasius ad Serapionem scripsit dicens sic : « Quemadmodum γέννημα unigenitus est Filius sicut et Spiritus a Filio datus et missus unus est, et solum Spiritus qui ex Patre dicitur procedere, pro eo quia de Verbo quod ex Patre est, manifeste splendet et mittitur atque datur. *Ille* enim, inquit, *me clarificabit* (*Joan.* XVI) : non ut creatura, sed ut Spiritus veritatis hujusmodi naturam et ordinem habens ad Filium, qualem Filius ad Patrem habet. » Similia his magnus Basilius ad Amphilochium scribit, inquiens : « *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII) : unde solus digne clarificat Christum, non ut creatura, sed ut Spiritus veritatis patenter in se ipso veritatem demonstrans : et ut paracletus in se ipso insignit mittentis se paracleti bonitatem, et declarat magnitudinem ex qua provenit. » Ecce in hoc loco sancti duo hi viri pleni Deo manifeste asserunt Spiritum ex Filio provenire. Liquere debet igitur cuilibet intelligere volenti, ex his quæ dicta sunt, quod ex Filio est Spiritus, et ipsum clarificat, et non Filius Spiritum : Filius autem clarificat Patrem, secundum quod ex ipso est, non Pater Filium, nisi secundum humanitatem, quod Evangelista declarat cum dicit : *Elevans Jesus oculos suos ad cœlum dixit : Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius clarificet te* (*Joan.* XVII). Sane ut Deus et Verbum existens Patris tempus non habuit, homo autem factus, di-

cendo *venit hora*, demonstrat unicuique hominum tempus esse mensuratum, et tempus non fortuitum, ut quidam gentilium dicebant, sed quod ipse qui est conditor temporum, prout voluit, destinavit cuique. Quare in hoc loco gloriam quæ extrinsecus in passione patefacta est nominat, et non propriam solum, sed etiam et Patris : qua non Filius solus, verum et Pater clarificatus est.

Equidem ante crucem, Judæi non adeo, ut prius, ipsum cognoscebant : *Israel* enim *me non cognovit, et populus meus non intellexit me.* Post crucem vero mundus post ipsum cucurrit, quia quanto majora quæ circa Filium fiebant paruerunt, tanto major Pater monstratus est. Clarificata est carnis natura incorruptibilitatem accipiendo, regni thronum adepta. Ideoque dicit : *Clarifica me*, humanam scilicet naturam, quæ nunc contumeliis afficitur, crucifigenda post modicum, et induc in gloriam quam habui apud te. Filius ego tuus priusquam mundus esset. Quare dum dicit *clarifica me*, humanitatem demonstrat ; cum dicit *claritatem quam habui*, divinitatem. Utrumque enim, ut unus et idem pronuntiavit, propter personalem duarum naturarum proprietatem et concordiam. Igitur gloriam secundum hominem quærit. Nam secundum Deum antequam mundus esset, habuit semper ens. Non enim, qui non est, clarificatur : porro si gloriam non habuisset mentitus fuisset Evangelista qui dixit : *Et vidimus gloriam ejus* (*Joan.* I) ; et Apostolus : *Nunquam Deum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II) : David quoque : *Introibit rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Qua de causa, non secundum quod Deus est clarificari, sed secundum humanitatem quærebat. Utraque forsitan gloria intrinseca scilicet et extrinseca. Est enim gloria intrinsecus, ut in sole claritas ; alia vero extrinsecus adveniens, ut honoris, scientiæ, laudis ac similium. Et Spiritus sanctus me clarificabit, quia in nomine meo donationes et operationes faciet, hoc est in mea virtute : ut existentiam a me accipiens ; hoc enim significat, et non aliud, *de meo accipiet.* Numquid non habuit Spiritus ? Absit : sed hoc dictum est ut personarum ostenderet distinctionem, et quod ex Filio esse habeat Spiritus. Si Filium igitur clarificat Patrem, non Pater Filium, nisi secundum humanitatem, ut anteriora edisserunt ; et Spiritus Filium, non Spiritum Filius, oportet ex Filio Spiritum provenire, sicut magni Athanasius et Basilius asseverant. Amplius : Filius non accipit de Spiritu, Spiritus autem accipit de Filio, in profundo ejus existens. Quippe si extrinsecus manendo, ex Filio accipiat, aut scientiam, aut quidlibet aliud rei habere alicujus credatur indigentiam. Atqui nullo indiget, quare si commanens in Filio, ab ipso accipit dum est in Filio, ab ipso procedit. Cum enim omnia quæ Filius habet, Spiritus habeat, immachinabile prorsus videtur, ob aliam causam de Filio accipere, nisi quia est, proceditque ab ipso.

CAPUT XV.

Iis itaque per demonstrationes necessarias, argumentationes, sanctorum quoque auctoritates patefactis, restat ut valde necessarium ostendere nequaquam Latinos esse reos Evangelicæ illius enuntiationis quæ dicit : *Spiritus veritatis a Patre procedit.* Propter quam a Græcis supra justum bonumque mordetur Latinus omnis. Equidem nimium acriter Latinorum in hoc fidem Græci dilacerant, et magniloquis sanctionibus adinventis, ut contemptores, ut prævaricatores, ut desertores Christianæ legis, ab Ecclesia et Christiana fide judicant alienos. Igitur quosdam nunc, et eorum adhuc morsus, ne qua prætermittatur congrua responsio, licet secundum volumen contumeliosas Photii redargutiones, super idem capitulum, confutaverit, exponolectoribus. Aiunt ergo : Qui Spiritum sanctum ex Filio procedere, ut ex Patre asserere conantur, sin dogmatis securitatem non habent : magis quidem cum omnibus veracior ipse Dei et Patris consubstantialis cœternusque Filius, qui omnia cognoscit quæ sunt Patris, et quæ sunt Spiritus ; nihil minus habens ad Deum Patrem et ad Spiritum, quam ad se ; qui propter nos et secundum nos homo factus, propter investigabiles divitias bonitatis suæ, ut salvaret humanum genus, et ad pristinum restitueret, quando perfectiora regni sui mysteria discipulos edocuit, sancti Spiritus adventum eisdem promittendo dicebat : *Alium paracletum* : ut me Deum natura existentem, Deum verum, et lumen verum, vitamque sicut ego et Pater *vobis mittam*, qui omnium consolationem suscipit. Ideoque paracletus est, et vocatur *Spiritus veritatis*, *qui a Patre procedit* : non dixit qui a Patre et ex me Filio procedit. Quid enim prohibebat hoc dicere, si sermo sic habebat veritatis, ut ne qui veritas est, videlicet ipse Dei et Patris Filius, falsiloquus inveniretur. Quoniam vero non sic dictum est, sed solum *qui a Patre procedit*, et non adjectum est in Dominico sermone, ex ipso Filio : manifestum utique, quod hoc decernere tentantes, adversus Dominica verba, reliquasque sacras voces, apostolicas traditiones, et communes conceptiones de Deo ; sed enim contra sanctas et universales synodos, semperque memorandos Patres insurgunt. Qui si, ut æquum est, ad viam redire veritatis velint, gratias Deo, *qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat* (*Luc.* V). Sin autem salutem amplecti nolunt, hoc ut ἀποτρόπους, id est fugiendos, odiosos, impiosque quicunque recte sentire vult (et cum sancta universali Ecclesia, quæ a finibus usque ad fines terræ fidem recte tractat, credere, atque consistere appetit) abjiciat, et nullo eos verbo dignos adjudicet. Hæc sunt missilia et alia plura his, quibus integrescit odium, quæ sola dicti capituli occasione, Græci male in Latinos mussitant. Sensum quidem attendere judicis virtus est, oratoris autem vera dicere, ut ait Socrates : « Frustra certe hujuscemodi tam multa, et non quibuslibet appellationibus jaculantur. Non sunt Latini ex terebyntho seu quercu, nec de lapidibus exorti, sed ex hominibus,

disciplinarum peritiam aliquatenus habent, et sacræ Scripturæ nequaquam expertes sunt : qui suum idioma, ut singulare habent, prout patet illis qui ejus habent experientiam. Ei ergo consuetudinis est, ut cum solius Patris vocabulum pronuntiet, Filium cum Patre faciat intelligi. Interdum etiam sola Christi nuncupatione, unaquæque trium personarum intelligitur : quod monstrari ex pluribus potest. Enimvero solus intelligitur Pater, in his tamen prædicamentis, quæ incinunt paternum proprium. At vero emittere prædicamentum, haud solum incinit paternum proprium.

Quare in emittere prædicamento non solus intelligitur Pater. Scriptum est : *Erat lux vera* : nec ideo falsa lux est Pater vel Spiritus : tres enim personæ, unum lumen existunt indifferenter et indemutabiliter, quia nihil minorationis habet Filius ex eo quod dicit : *Omnia quæ dedisti mihi* : sicut nec Pater ex eo quod scriptum est, *cum tradiderit Filius regnum Deo et Patri* quia non ei ut possessionem donando tribuit, sed ut Filio et hæredi universorum quæ Patris sunt, Christo, scilicet, qui est Dei virtus et Dei sapientia. « Amplius : De consummatione Salvator discipulos instruens dicit : *De die illa et hora nullus scit, neque angeli in cœlo, nisi Pater solus* (*Matth.* XXIV). Quis cogitet Filium exceptum esse, seu Spiritum ab illa cognitione? Propterea quidam illud Evangelii sic distinguendum esse putant. « Nullus hominum, sed neque angeli sciunt diem et horam illam. Quod autem ex ordine sequitur, seorsum legendum, neque Filius, nisi qui solus Pater cognoscit. » Est autem et hujus ejusdem capituli apud sanctum Epiphanium, in Libro qui vocatur ἀνώπτος alia expositio, quæ talis est : « Pater scit diem duobus modis : secundum naturam, scit enim quando veniet, et secundum actum. Jam enim judicavit quando diffinivit judicare Filium : Dei vero Filius scit quando veniet, et cum ipse facturus sit illam, non ignorat : nondum enim secundum cognitionem peregit. Adhuc enim impii, impie agunt ; infideles, infideliter ; male credentes blasphemant ; diabolus operatur ; peccata regnant, iniquitas obtinet, et judicium patienter exspectat, donec veniat ipsum cognoscere actu ad faciendam ultionem, et salvandum illos, qui in veritate superaverunt ipsum, non blasphemantes ejusdem Deitatem Patris, et Filii, sanctique Spiritus. Ab angelis vero deficit duobus modis hujusmodi dignitas et gloria, secundum cognitionem, et secundum actum. Non enim sciunt quando venient Pater, Filius sanctusque Spiritus expromere diem illam secundum cognitionem actus. Nondum enim jussi sunt exire ad colligere impios, ut zizania ; et ligare per fasciculos ad comburendum igne inexstinguibili (*Matth.* III). Nondum utique fecerunt neque sciunt ; Pater vero scit, regit : hoc enim est, nisi Pater solus : neque angeli, neque Filius, tacendum est multoties quod ex necessitate sequitur. Ubi enim Patris memoria et Filii non excluditur, excepto quod non generat ut sæpe dictum est. Nam postquam resurrexit a mortuis, antequam ascenderet in cœlum, interrogabant eum discipuli, dicentes : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* ait : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I). Ea perfecte et absque diminutione qualibet Filii existunt. Omnia enim ipse fecit, et quomodo consequens temporum factorem tempora ignorare? Igitur sicut falsum est. Dominum non habere consummatissimum illorum temporum et illius diei scientiam ; quod dicit : *Nemo novit nisi Pater solus* : et, *quæ Pater posuit in sua potestate* (*ibid.*) : ita non est credendum Filium non emittere Spiritum, quod is dixerit *qui a Patre procedit* : et non adjecerit, a se Filio.

Quod si pro eo quod ibi scriptum est, manifeste Spiritum ex Filio procedere, neque credere oportet, propter eamdem causam, neque dicendum, neque credendum erit quod Spiritus apud Deum erat. *In principio erat*, Deus ex Deo erat : lumen verum, terræ cœlique factor, et quod Deus Trinitas sit, tres quoque personæ unus Deus, cum neque hoc nomen persona, neque hoc nomen Trinitas, sancti symboli editio expressit. »

Amplius : *Quicunque*, inquit Apostolus, *in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III) : at nusquam sine Spiritu sanctificatio perficitur, sed in Filio Patrem, Spiritumque significavit : et alibi : *Nemo cognovit Patrem nisi Filius, aut cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI). Quo in loco Spiritus non nominatur, et tamen intelligitur. Nam Spiritus sanctus et Filium cognoscit et Patrem : apud Matthæum loquitur Salvator : *Nolite* : inquit, *solliciti esse dicentes : Quid manducabimus*, etc. *Scit enim Pater vester cælestis quod his omnibus indigetis* (*Matth.* VI). Et rursus : *Si ergo vos cum sitis mali, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui est in cœlis, dabit bona petentibus se?* (*Matth.* VII.) Ergo non dabit eadem Filius bona, quæcunque dat Pater et Filius? Et iterum : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Nunquid dum Patris Spiritum esse profitetur, eumdem Filii abnegat esse? Sed scriptum est : *Spiritum Filii sui misit* : si ergo in memorato capitulo, scilicet, *Spiritus qui a Patre procedit*, intelligendum est solo, hoc intelligendum est solius, et solum, ut syllogistica necessitate inferri possit, Spiritum esse Patris solius, et non solius : et Filii solius, et non solius : quod quam sit impossibile, minime fovet latebras. Igitur ubicunque de Patre dicitur aliquid, nisi ad personalis distinctionem proprietatis, vocabulum Patris proferatur, ut est Pater dicitur, quia generat, quo in loco non subintelligitur cum eo generare Filius.

Idem de Filio intelligi oportet : unde cum dicitur : *Qui a Patre procedit* : qui non nominatur cum Patre, subintelligitur necessario. Regula enim est quæ dicit : Si quod minus videtur inesse, inerit et

quod magis : veluti futurum sæculum Filius, ut Scriptura perhibet, judicabit, cujus judicii primatus, signanter ei attribuitur, ut dispensatori omnium conditorum, quæ ipse ab initio ex nihilo ad esse produxit : ut duplicem judicandorum scientiam possidenti, propter quod in regeneratione, resurrectione ac reformatione ipsum judicem æquissimum est sedere, legislatorem Novi Testamenti. Attamen quæ non nominantur personæ, subintelliguntur. Licet enim humanum fermentum ipse assumpserit, in quo passus et tentatus, possit tentatos, sine interpellatione vel exhortatione, non tamen absistente Patre vel Spiritu : nam quod Filio attribuitur, a Patre non abnegatur. Igitur frustra Spiritum procedere, pro eo solo quod scriptum sit : *Qui a Patre procedit.*

CAPUT XVI.

Postremo nequaquam convenienter de verbis Græci sarciunt calumniam : quippe idem faciunt quod illi, qui detrahebant quartæ ac universali synodo quæ celebrata est, regnante Martiano, sexcentis et triginta sanctis Patribus congregatis Chalcedone, adversus Dioscorum antistitem Alexandriæ, ac Eutychen archimandritam Constantinopoleos, qui ob incarnationem blasphemabant, et fugientes Nestorii divisionem, duos filios inducentis, in aliud ex proposito malum præcipitabantur. Namque duas naturas, deitatem scilicet et humanitatem post unitionem, in unam redactas fuisse naturam, impie sentiebant : ut secundum hoc deitatis passiones congruerent, quos anathematizavit synodus. Similiter autem et Nestorium qui talia vociferabatur. Non peperit, o potissime, Maria Deum, sed peperit hominem, instrumentum deitatis : sin autem hic sine crimine Græcus est, dum diis Matrem attribuit, et in aliis stultiloquiis similia evomuit. Quas ob res, sancta synodus recte intelligens mysterium incarnationis, bene nobis tradidit unam hypostasim in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter ac sine divisione notificatam, Eutychis insaniæ atque Nestorii repugnando, ut oportebat : utriusque quorum æqualiter infirmat errorem, per hujusmodi voces : et Nestorium impudenter dividentem unum Christum in Deum singulariter, et in hominem singulariter, dum confundit unam personam, et eumdem confitetur Deum et hominem, Dominum nostrum Jesum Christum. Eutychen vero, unam naturam deitatis et humanitatis confitentem confutat, dicendo duas naturas inconfuse atque inconvertibiliter in una hypostasi unitas, conservatis alterutrius naturæ proprietatibus. Quare autem accusatores veritatis, hanc synodum reprehenderunt, evidens est ejusdem synodi diffinitione, quæ dicit : Dominus noster et Salvator Christus, fidei notitiam in discipulis confirmans, dixit : *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV) : ut nullus a proximo dissideat in dogmatibus pietatis, sed æqualiter omnibus veritatis illucescat prædicatio, et omnis mendacii a Christi grege propellatur corruptio, quod quidem fecimus communi electione, A amoventes erroris dogmata, dum nihil erroris habentem Patrum fidem renovavimus, trecentorum decem et octo, et symbolum omnibus prædicantes, et ut proprios hoc pietatis pactum qui susceperunt Patres descripsimus. Hi sunt qui post hæc in magna Constantinopoli convenientes, centum quinquaginta sancti Patres, eamdem fidem consignaverunt. Approbamus itaque ordinem fidei, universas figuras servantes, et non ejus, quæ apud Ephesum quondam celebrata est sancta synodus, cui præfuerunt sanctissimæ memoriæ Cœlestinus Romanorum, et Cyrillus Alexandrinorum pontifices præradiare [præfulgere : *vel*, ut præfulgeat editio, etc.], quidem rectæ et immaculatæ fidei editionem trecentorum decem et B octo sanctorum ac beatorum Patrum, qui apud Nicæam sub piissimæ memoriæ Constantino imperatore congregati fuerunt. Obtinere autem et quæ a centum quinquaginta sanctis Patribus Constantinopoli sancita sunt, ad confutationem obortarum tunc temporis hæreseon, et confirmationem Catholicæ nostræ fidei atque apostolicæ. Et hoc quidem quarta sacra synodus, tertiæ, secundæ atque primæ fidei comprobans, quæ fides tradita est a sanctis apostolis, et in Ecclesia Dei sancta, ut beatus Epiphanius meminit, si non scripto versabatur. Arii autem causa, scripto manifestata est in Nicæa urbe, ab omnibus sanctis episcopis, eo loci convenientibus : ego autem hic sanctæ quartæ synodi actum, et quidquid ex ea hic exprimitur, ideo commemoravi, C quoniam similis est horum reprehensio qui nunc, illorum qui tunc. Etenim reprehensio illorum calumniatorum circa dictionem adjectionemque versabatur quæ dicit : ἀπλάστων Patrum renovamus fidem : quod adversarii non fida interpretatione aperiebant, hoc modo : Renovata est fides, quæ antiquata prius fuerat et quassata. Atque renovavit synodus fidem, non secundum sensum, neque secundum directionem aliquam, sed adjectione sola hujusce dictionum, Patribus consentiens : addocemus perfectum eumdem in deitate, et perfectum eumdem in humanitate, Deum vere, et hominem vere, consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis, secundum humanitatem. D Hæc est utique adjectio, quam sancta Chalcedonensis synodus ei quæ Constantinopoli synodo celebrata fuerat fecit, quæ rursus Nicæno addidit concilio quod manifestum fit per fidei editionem synodi utriusque. Etenim trecentorum decem et octo Patrum editio, nec ea quæ dicta sunt nuper habet, nec quod Spiritus Dominus sit, et Deus, aut vivificans, aut quod ex Patre procedat, cumque illo, cumque Filio adoretur et conglorificetur, quoniam quæ Constantinopoli peracta est synodus, hoc edidit. Non quasi defectum præcedentis aliquid supplentes illi Patres, sed de Spiritu sancto suum sensum adversus Dioscorum ejusque complices, eumdem Spiritum creaturam esse dogmatizantes, et non Deum, scriptis testimoniis deprom-

pserunt. Epistolam etiam maxime antiquioris Romæ sanctissimi papæ Leonis scriptam, sancto archiepiscopo Constantinopoleos Flaviano ad confutationem Eutychis vecordiæ, quasi magni Petri confessionem significantem, et communem quemdam titulum existentem, contra malefacientes merito conseruerunt, ad rectorum dogmatum confirmationem. Itaque si Constantinopolitana synodus, Nicæno adjecit symbolo, in Spiritum Dominum et vivificantem, et ex Patre procedentem : si Chalcedonensis synodus quoque Constantinopolitanæ addidit synodo, perfectum in humanitate, perfectum in divinitate, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem : et alia quædam ubi dictum est, nulla insimulatione, nulla reprehensione, nullaque calumnia potandus est antiquioris (16) Romæ antistes, quod causa interpretationis dictionem unam, dico autem ex Filio procedere Spiritum sanctorumque plurium episcoporum, scientissimorum cardinalium consensu habito apposuerit : licuit enim ei, semperque licebit, fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, si ubi aliquid obscure scriptum sit, et de voluntate scriptoris argumentari, indicio voluntatis illius relicto facere, hoc persuadente. Is enim est, cui oves et agni commissi sunt, et idcirco non solum scripti recitator esse debet, virorum interpres illorum quæ ascripta non sunt : ut caput ovium Dei pastor, quod sancta et universalis secunda synodus, his verbis sancivit : episcopus quidem Constantinopoleos habeto primatum honoris post Romæ episcopatum quod ipsa sit nova Roma. Justinianus quoque piissimus imperator, in sua νάρα talem legum promulgavit. Sancimus juxta sacras synodorum constitutiones, sanctissimum antiquioris Romæ papam primum esse omnium sacerdotum ; beatissimum vero episcopum Constantinopoleos novæ Romæ, secundum ordinem habere post apostolicum thronum antiquioris Romæ. Et rursus idem imperator Epiphanio sanctissimo antistiti Constantinopoleos in quadam epistola scribit inter cætera : Hunc per omnia servamus statum concordiæ sanctissimarum Ecclesiarum, et circa sanctissimum papam antiquioris Romæ patriarcham, cui et horum similia scripsimus. Non enim sustinemus quidpiam, quod ad ecclesiasticam spectet constitutionem non illius referri beatitudini, ut capiti omnium existenti sanctorum Dei sacerdotum, nimirum quoties in istis partibus hæretici exorti sunt consilio rectoque judicio illius venerabilis sedis venerunt in destructionem. Ast quid synodicam vel imperatoriam sanctionem in memoriam reduco? majus his testimonium habet coryphei Petri successor, Christi scilicet, Salvatoris nostri, qui ut solum Petrum in tributi solutione sibi exæquavit, ita et eumdem solum orbi præfecit universo, ut theologus Joannes perhibet : *Cum igitur*, inquit, *cœnassent, dicit Jesus Simoni Petro : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te: Dicit ei : Pasce oves meas* (*Joan.* XXI) : hunc locum Joannes qui merito Chrysostomus nuncupatur, aperit interpretatione hujusmodi : « Et quid utique prætereundo alios; cum Petro disputat de hujusmodi, quia Petrus est præstantissimus apostolorum, os discipulorum et princeps chori : propterea et Paulus ascendit Hierosolymam, ipsum videre præ aliis dicit ergo ei : *Amas me*, fratrum habeto curam : tertio autem ipsum interrogat, præcipitque tertio eadem : ostendens quanti honoris faciat regnum propriarum ovium, et post pauca. Quod si quis dicat : Quomodo igitur Jacobus thronum accepit Jerosolymis ? Illud utique dicam : Quia Petrum orbis ordinavit Didascalum : » et iterum : « Cum itaque magna ei dixerit, orbem commiserit, prædixerit martyrium, et amorem testatus sit ampliorem aliis, dum Petrus Joannem asciscere vult sibi socium, *Domine*, inquit, *hic autem quid ?* Verum Christus æqualem Petro consortem nullum associavit. » Qua in re manifestum antiquioris Romæ præsidem potestatem a Petro accepisse, fidem renovandi, ut verbis Patrum utar, habendi curam, et regnum omnium sacerdotum : quin etiam omnium Christianorum. Ergo qui resistunt primæ sedis, totius orbis præsuli, Christi dispositioni resistunt, et nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectentur. Propterea illud Evangelicum : *Qui a Patre procedit;* et salutare symbolum, ut Chalcedonis synodus, Constantinopolitanam, et ea Nicænam interpretata est, nullo modo quartæ synodi decreto contradicens. Cujus tenor et institutio talis est : Constituit sacra et universalis synodus aliam fidem non licere alicui conscribere, aut componere, aut sapere, aut docere aliter. Audentes autem componere fidem aliam, aut proferre, aut docere, aut tradere symbolum aliud, volentibus converti ad cognitionem veritatis, ex gentilitate, vel Judaismo, seu ab hæresi qualicunque ; hos si episcopi quidem vel clerici sint, ab episcopatu et clero alienos esse præcipit : monachos autem, et laicos anathematizat talia præsumentes. Quod si propter interpretationem præfati capituli enuntiantem ex Filio vere Spiritum procedere, cum omni cautela sub sanctorum Patrum, Athanasii, et Basilii, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hilarii, aliorumque plurium testimonio, aliam fidem conscripsisse, aut docuisse, apostolica Ecclesia credenda est : simili ratione congregati sancti Patres Constantinopoli, aliud a Nicæno symbolum ediderunt, et Chalcedone convenientes, aliam fidem ab ea quæ Constantinopoli sancti Patres prodocuere. Quare palam, ut puto, fit ex his nequaquam licere cuipiam omnium calumniari sanctissimam, et magnam omniumque principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit : nam neque affert, neque prodocet, neque

(16) Ob Constantinopolim dicta quæ vocabatur Neoroma.

aliud tradit symbolum, si editum a sanctis Patribus interpretatur; non perpetiens fidem labefactari, apud quos semper effulsit: quæ licet primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo quod Chalcedone celebrata synodus, quondam se calumniantibus respondit: « Injuste, inquit, arguor dum non fidem, sed memoriam renovo: non apposui, non ademi, salutari symbolo si dictionem occultam manifestavi. Renovavi enim ut Patres antedicti fidem, et opposui Nicænæ, Constantinopolitanæ atque Chalcedonensi synodis, sed nullo modo illis contraria; quia, dum illorum Patrum vestigia persequor, solummodo quæ tunc quæsita non sunt, tempore post per interpretationem et appositionem verbi, quod non perspicue ab omnibus intelligebatur, enucleavi.

CAPUT XVII.

Æquum igitur est ratum habere quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus pontifex enuntiat, sine quo viror calami omnis ecclesiasticæ traditionis arescit, ut memorandus inter sanctos beatus junior Stephanus asserit: qui non modo ante Deum magni, verum apud omnem Græcam multitudinem apostolicæ prædicatur sanctitatis hic magnus vir, cuidam synodo subscribere invitatus, hujusmodi voces cum fiducia extulit: « Quomodo qui sanctuaria profanastis, sanctam constituistis synodum? o nefas! Quomodo utique universalis vocetur synodus, in qua Romanus pontifex non complacuit, præter quem impossibile prorsus ecclesiastica canonice stabiliri? Ei ergo vertices montium, et omnium turba fidelium genua flectere debet, et pro bellicis increpationibus, jugum complecti subjectionis. Nemque Petri coryphæi, et successoris ejus, gentium principatus et regna gubernaculo subduntur. Hujus Ecclesia de se splendorem emittit semper, et non tenebrescit: a qua exit lex et judicium, ad quam homines undique terrarum conveniunt, et merito: Petrus enim ostium fidei gentibus propter illam quæ apparuit ei, vasis velut lintei visionem aperuit, in quo erant omnes bestiæ terræ, quadrupedia, repentia, simulacra nycticoracum, et aliorum animalium non paucorum. Cui dictum est: *Surge, Petre, macta et manduca* (*Act.* x). Reclamante autem discipulo, et legalem observantiam formidante adhuc; *Nequaquam, Domine*, dicente: *quoniam nunquam comedi omne commune et immundum; vox iterum ad eum ait: Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris* (*ibid.*). » Quibus ex rebus liquido claret quod Petrum ejusque successorem principem Christus et caput non modo Latinorum, Græcorum, occidentis, ac septentrionis universi: verum, Armeniorum, Arabum, Indorumque, Madianitarumque, Amalecitarum, et totius orientis, et meridiani climatis, in perpetuum constituit. Ob quam rem occidui solis, limites universi, Petri successorem ex tunc sibi dominum recognoscunt, et sub illo præsule diriguntur: quod omnem ab utero matris errantem facere opportunum est. Petrus enim magnus Christi apostolus, in omnibus fere civitatibus Syriæ, Cappadociæ, Phrygiæ, Macedoniæ, Ellados, Epiri, Siciliæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, ac extremitatum, ut ecclesiastica historia perhibet, episcopos ordinavit. Etenim Jacobus ejus favore Jerosolymorum thronum tenuit: deinde Evodium, Antiochiæ; Tharsi, Urbanum; Epaphroditum, Lyciæ; Figellum, Ephesi; Smyrnæ, Appellen; apud Olympum, Philippum; Thessalonicæ, Jasonem; Silam, Corinthi; Patras, Erodiona; Tauromenii, Maximum ordinavit. Amplius autem, Ancyræ, Nicææ, Nicomediæ, in Thraciæ partibus, atque occidentalium regionum similem operatus est ordinationem: et eadem factum iri suis successoribus commendavit. Quicunque ergo naviculam Petri spernit, incaute navigat, et nisi plumbeas moles pervicacitatis rejiciat, influent maria. Indecens quippe ac inconsentaneum est legem matris dissolvere: *Audi*, inquit Salomon, *fili, sermones Patris tui, et ne abjicias legem matris tuæ* (*Eccli.* VI), hoc est illa pia et sancta mater, quæ non quomodolibet, sed Christo procedente, instruente Paracleto, atque dictante Petro Spiritum ex Filio procedere asseverat: contestificante hoc idem ei multitudine sanctorum.

Nam plurimus in theologia, Hilarius, in sermone quem de beata Trinitate edidit, ait sic: « Pater plenus Deus seipso, Filius plenus Deus ex Patre genitus: Spiritus vero sanctus, plenus Deus ex Patre et Filio procedens. » Vir quoque venerabilis Ambrosius, qui cum didicisset apud Thessalonicam, perpetratam stragem multorum millium, advenienti Mediolanum imperatori, pro foribus Ecclesiæ occurrit, accessumque prohibuit, vocem extollens cum fiducia: « Nescis, o imperator, patrati magnitudinem homicidii? neque enim permittit impii forsitan potentia magnitudinem peccati cognoscere, atque a purpura seductus, ignoras velati corporis imbecillitatem; sed scito uti corruptibilis, et fluxilis es, ita tua scissilis et labilis potentia, cujus post modicum rationem Regi regum omnium redditurus es, et alia similia. » Magnus iste vir, imperatori objecit Theodosio. Qui retro pedem cum lacrymis tulit, octo mensibus permanens gemebundus, post quod tempus multis supplicationibus absolvi meruit ab archiepiscopo. Hic vir Spiritu Dei plenus, de eodem Spiritu in libro quem De Trinitate composuit talia pronuntiat: « Non tanquam ex loco mittitur Spiritus, neque ex loco prodit, cum ex Filio procedit. » Et idem in secundo libro de Spiritu sancto ait: « Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate ejus est. Ex substantia, sicut Filius qui ex Patre, et Spiritus sanctus qui ex Patre Filioque procedit; ex potestate autem, sicut ex Deo omnia. » Magnus quoque Augustinus, lucerna in Ecclesia perpetuo ardens, in quinto de Trinitate sermone sic argumentatur: « Si quod datur, principium habet, ipsum a quo datur; non enim aliunde accepit illud quod ab ipso procedit: confitendum Patrem et Filium unum principium esse Spiritus sancti, et non

duo; » et iterum: « Sicut Filio præstat essentiam sine initio temporis, sine mutabilitate naturæ de Patre generato, ita Spiritui sancto præstat essentiam sine initio temporis, sine ulla demutabilitate naturæ, de utroque processio. » Hieronymus quoque qui tantæ sanctitatis exstitit, ut ferina immanitas jussis ejus obtemperaret : enim vero formidolosis cunctis leo ingens, tempore multo Ecclesiæ cui præsidebat Bethlehem, asinum cum multa diligentia et humanitate inducendo ad pascua, et reducendo ad præsepe custodivit; hic vere sanctus vir, hoc inter cætera de Trinitate scripsit: « Spiritus qui a Patre et Filio procedit, per omnia Patri et Filio coæqualis et coæternus existit. » Horum igitur et aliorum quamplurium, ut superius prætaxatum est, favorem et assensum habens dicta mater Ecclesia sine dubitatione affirmat, quemadmodum ex Patre, Spiritum ex Filio procedere. Salvator quidem noster Jesus Christus, hoc mandat, ut *in ore duorum vel trium testium, stet omne verbum* (*II Cor.* XIII). Hoc autem multitudinem testium habet, dicentium eadem, et similiter de Spiritu sancto sentientium. Qui ut Ecclesiæ luminaria digni apparuerunt illustratione sancti Spiritus, quo mente illuminati sunt a Deo, ut intelligibilibus oculis Patrem cum Filio, sanctoque Spiritu in seipsis perspicerent inhabitantes. Manet quidem Deus Pater in observantibus Evangelii mandata, sed aliter manet in Filio. Nam in illo sicut is in Patre naturaliter est, in hominibus vero per gratiæ habitudinem. Quos autem Pater diligit, et Filius, sanctusque Spiritus. Quo fit ut sancta Trinitas per gratiam in his, qui optimæ sunt conversationis mansionem faciat et inhabitet, secundum quod capi potest et suscipi a creatura. Cujus habitationis modum, quidam subaperire cupientes tali utuntur comparatione : aiunt enim hoc esse sensibilem domum communi aeri quod est divinæ gratiæ rationalis anima, domum quanto amplius vacuam supellectile feceris, tanto abundantius in eam aer communis introit, et quanto ampliora immiseris, tanto plenius idem aer se subtrahit. Similiter anima rationalis inquantum a sua exspoliatur supellectile, in tantum ad eam divina gratia ingreditur. Supellectilem domus, vasa, lectisternia cæteraque utensilium esse proloquuntur : animæ vero gloriam inanem, concupiscentiam oculorum, carnis voluptatem, et his similia. Capacitatem cordis ad Deum, spei amplitudinem; angustiam vero, sollicitudinem corporis, plane beati viri quorum testimonio Ecclesia mater utitur, conscientias mundaverunt : innatam supellectilem foras disjecerunt, et trinum Deum venientem apud se, mansionem facturum totis viribus complexi sunt. Atqui ab origine mundi auditum non est, ut in quibus sancta et beata Trinitas per gratiam habitaverit, iidem ipsi de sancta Trinitate male atque impie persenserint. Ergo de necessitate consequitur syllogistica, verum esse de Spiritu sancto, ex Filio procedere hoc modo: Nulli apostolicæ sanctitatis viri, de superexcellentissima Spiritus sancti processione, falsam in scriptis suis sententiam reliquerunt : atqui omnes quorum mater Ecclesia testimonio utitur, emanationis Spiritus sancti apostolicæ sanctitatis viri fuerunt, et quoniam ipsi Spiritum ex Filio procedere conscripserunt, ex ipso procedere non est in ancipiti.

CAPUT XVIII

Sed forsan quis iterum post tot argumentationes obicem negationis afferat, et per id quod in fine secundi libri expressum est, nec quasi ex stipulatione solutum iri oportet : perhibet conclusionem configendo apostolicæ sanctitatis viros dationem Spiritus, et missionem nuncupavisse processionem quæ temporalis erat ad homines facta, quam dum Græcus confitetur sempiternam processionem, secundum quam existere ac esse habet de Patre Spiritus, a Filio prorsus abnegat. Erit ergo hoc una solutio, ut arbitror, ad omnia sufficiens : quæ instantiæ hujus videntur intellectum constituere. Licet apostoli et prophetæ in tempore a Christo Spiritum acceperint, Dei tamen Filius, non in tempore Spiritum habere cœpit, neque idem Spiritus a Filio exire, initium sumpsit per tempus aliquod. Sane a diebus æternitatis, sicut Filius a Patre generatur, ita Spiritus sanctus ab utroque exit : ab utroque mittitur æternaliter, et ab utroque ut ostensum est, univoce procedit. Nam apud tres nihil præterit, nihil futurum est, apud tres personas non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Hoc idem ante Jacobum, Timæus docuit et Aristoteles, Parmenidesque : ante hos non apud Platonem tantum, sed in suis conscriptionibus edidit, nihil esse apud Deum, neque præteritum, neque futurum, neque enim horum alterum, hoc quidem non est, hoc vero nondum est, et hoc quidem demutatum est, hoc vero aptum demutari. Sane iis quæ vere sunt nullo intellectu permutationem competere machinabile est, quia neque secundum locum, neque secundum alterationem, neque secundum genus movendi aliud. « Necesse, inquit, quod indemutabile est, ante ire prorsus id, quod aliquo modo demutatur, ut maneat quod demutabile est, alioquin non stabit, sed in infinitum curret. » Ergo quæ circa Filium et Patrem est Spiritus missio, ejusdem abesse non potest. Quare falsitatis arguitur talis consequentia. Si Spiritus in tempore ad homines mitti cœpit vel donari, Filius Dei secundum se cum Patre mittere cœpit Spiritum vel donare. Quantum enim ad ipsos spectat, ante omnia sæcula mittunt et donant. Existentibus autem dono missioneve dignis incipere dicuntur mittere vel donare; nequaquam secundum se, quantum ad suscipientes. Igitur si mittere æternum, et missio, versaque vice: si missio æterna, et mittere. Atque missio æterna, est. Non enim ut in λιθοτόμων ratio turris fabricandæ fabricationem præcedit, et ab ea dividitur : ita in Filio et Patre ratio missionis Spiritus, missionem prævenit, et ab ipsa separatur. Nam si ratio missio-

nis Spiritus sancti ab æterno in Filio est, et missio ipsius Spiritus cœpit esse in Filio ab aliquo tempore, prius et posterius, adjectum et separabile habet Filius, et accidentium non effugit multiplicitatem. Nonne sol cum illuminat domum, aliqua hodie incipit irradiare? pretiosi similiter splendent jugiter lapides, stellæ quoque, attamen illarum in tenebris, harum vero in luce minime splendor rutilat. Non ex interceptione splendoris, sed ex aspicientium imbecillitate. Amplius : Missio Spiritus sancti, et cognitio missionis simul sunt, in Patre et Filio, neutrum enim horum duorum tempus præjudicat : at vero cognitio æterna est. Ergo et missio Spiritus sancti ab utroque æterna est, et uterque æqualiter et æternaliter causa missionis Spiritus, ut liquet ex anterioribus. Si utique causa est, et Filius est aliqua causa Spiritus sancti : si neuter est causa, missio Spiritus sancti, nec causam habet, nec principium; quod est solius Patris privilegium in Trinitate. Quare forsitan non sit inconveniens, si processio Spiritus æternaliter de Patre ac Filio manans, penes suscipientes creaturas, missio, usitatius, donatio et si quid aliud hujusmodi nuncupetur sublimioribus, quidem, semper divino, inferioribus vero semper creato referendis. Nam idem Evangelium in Christo doctrina, in apostolis vero, nobisque omnibus disciplina censetur. Lux quoque solis perennis est, quandiu nobis oritur, diem vocamus, breve attribuentes ei temporis spatium. Denique vir memorandæ sanctitatis Hieronymus amicus veritatis dictam fovet solutionem per id quod de mysterio Dominicæ incarnationis Paulam et Eustochium verbis instruit hujuscemodi. « Constat tempus non præjudicasse sacramentum uniti hominis Dei, ita ut jam esset in illo per unitatem personæ ab initio sæculi, qui necdum erat natus de Maria virgine, quod multis Scripturarum declaratur indiciis : unde Dominus ad Judæos : *Antequam Abraham fieret, ego sum :* fieret, humanitatis brevitas est; ego sum, æternitas naturæ declaratur. » In qua nimirum æternitate fuisse qui loquebatur per sacramentum suæ incarnationis, insinuat. Unde Apostolus : *Jesus ex Ægypto populum salvans* (*Jud.* v); et iterum : *Neque tentemus Christum* (*I Cor.* x). Non quod jam Jesus esset, aut Christus natus de Maria, sed quia in illo unico Filio Dei jam unitas personæ commendabatur, qui occulte erat in ministerio, quia profecto quidquid Deus fecit, ab initio Christus fecit totum, per unitatem sacramenti; quia semper cum eo, et in ejus consilio fuit, ut sic fieret. Et nunc quando tempus venit, factus est quod in Christo semper fuit. Theologus quoque Gregorius, in primo de Filio sermone talia proloquitur : *Christus Dei sapientia, splendor, figura, signaculum, qui est splendor gloriæ, et figura substantiæ ipsius, et imago bonitatis;* et : *Hunc Deus signavit, qui est Dominus, rex, omnipotens. Pluit Dominus ignem a Domino;* et, *virga directionis, virga regni tui;* et : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Plane de Filio dicta sunt, et quæcunque his ejusdem veritatis existunt quorum nihil est adjectum, neque tempore post, Filio adveniens aut Spiritui, sicut neque Pater. Non enim ex adjectione quod perfectum, et iterum : altiora quidem refert Deitati et naturæ meliori passionibus a corpore, humiliora vero composito pro te exinanito, incarnato, nihil autem deterius dicere humanato, postmodum et exaltato. Et idem in secundo sermone. « Dicatur accipere ipsum vitam, ut judicium aut hæreditatem gentium, aut potestatem carnis, aut gloriam, aut discipulos, aut quæcunque dicuntur, sed hæc humanitatis.

Quod si Deo dederis nihil inconveniens ut adjecta dabis, sed ut a principio consistentia, et ratione naturæ, non gratiæ. » Magnus quoque Basilius eadem confitetur, dum dicit : « Carnem participasse deitatis, et nihil omnino ei suæ impertisse infirmitatis. » Ergo cum dicit, Deus cœpit esse Creator; Dominus, homo; ad res creatas referendum est : sicut quando dicitur charitas, quæ Deus est proficit in homine, id est, homo proficit in ea. Eodem vero modo cum dicit, Deus cœpit esse creator, intelligendum est, id est, creatura initium existentiæ habere cœpit, et servus et humana caro cœpit uniri Deo, quando *Verbum caro factum est*. Nam si ad Creatorem Dominumve referantur creatura et Dominus, cum relativa simul sint natura, contradici non possit Deum aliquas sub temporis articulo accepisse habitudines, et sic aliquid accidens, quod divina pagina et Catholica fides non recipit, ad hunc sensum potest accedere quod dicit : *Si cognovissent, nunquam regem gloriæ crucifixissent.* Deitati quæ est impassibilis passio reputatur, ut puta, si vestimentum alicujus sanguine aspersum sit, non pertingente corpus induti, asserentisque se inquinatum cruore. Reputatur ergo vestimenti macula, ei qui vestimentum induit, et se inquinatum fore astruit. Hoc modo Dei passus est in carne Filius hoc modo Creator, qui creationis sunt admittit : Quod si unitas mysterii Dominicæ incarnationis in Filio principium temporis non habuit, multo minus credibile est, missionem Spiritus sancti, a Patre ac Filio in alterutro eorum incœpisse sub tempore. Nam infirma satis ratio cunctis videri potest, ideo temporalem illam missionem fuisse, quod tellus, aqua, aer, ignis, cœlumque ipsum cum omnibus quæ continet in tempore sunt, quia in loco ut corpora existunt. Omne enim corpus in loco est, et omne quod in loco est, aut totaliter aut particulariter per se, vel per aliud movetur. In quibuscunque vero motus, in iis et tempus. Quietem ad motum relatam, tempus mensurat, et in tempore est. Aliquod enim procul dubio tempus exstitit, quo amplius erat sumere, in quo quiescens non movebatur. Quiescens vero est quod aptum est moveri. Homo ergo et cætera talium, esse dicitur in tempore, quoniam esse hominis, videlicet, omnes annos vitæ ipsius diffinit et mensu-

rat : quo in loco esse hominis, spatium existentiæ ipsius, non species ipsa nuncupatur, quæ forsitan tempori non subjaceat.

Ex quo patet non esse syllogismum, quod quidam facere conantur, hoc modo : Tempus est numerus motus ; at vero quæ alia sunt a motu, non sunt motus : ergo quæ alia sunt a motu tempus non metitur, quare non sunt in tempore. Ad quod dicendum, quod motus per se dicitur esse in tempore, ac a tempore mensurari sine medio. Ideo numerus illius principaliter dicitur tempus. Homo autem et quæcunque talium per motum aut quietem quam habent, dicuntur esse in tempore. In tantum enim existunt, in quantum annos vitæ illorum, aut moræ tempus per suum fluxum et extensionem diffinit et mensurat. Pater vero et Filius, et quidquid ex eorum personis profluit, simul sunt : qui non modo tempori, verum omnibus creaturis esse attribuunt, quare non potest trahi ullo modo ad veram consequentiam, missionem Spiritus tempori subjacere. Quod iterum per diffinitionem temporis ab Aristotele in physicis assignatam, demonstratur : « Ait ergo tempus esse numerum motus secundum prius, et posterius : non hujus vel illius motus, sed primi in eo quod motus. » Ideoque omnium eorum quæ moventur, unum tempus opinantur plures, non modo Spiritus, sed et numero. Quidam vero distinguendo dicunt, subjecto unum esse tempus, ratione vero plura.

Cæterum, differentiæ motus, qui circa ejusdem species considerantur, ut alteratio, loci permutatio, et similia : non sunt temporis differentiæ, ut præteritum et futurum, cum Romæ, Constantinopoli, ac ubique terrarum qui sunt in eodem esse instanti nihil prohibeat. Plane non ut motarum rerum singularis potest esse motus, ita singularium motuum singulare est tempus, sed omnium ut unius : quare non est putandum tempus, esse motum, quod motus est mensura, ut manifestum est : partim ex eo quod plures motus simul sunt, præsens vero, ubique idem : partim quod omnis motus in tempore est, nullum vero tempus interpretatur, nisi aliud in alio contineatur. Item motus alius est celer, alius est tardus ; tempus vero non. Multum parvumque tempus dicitur, celere vero, aut tardum minime. Idem judicium de numero habendum videtur. Quippe numerus discreta quantitas est, tempus vero continua. Numeri quidem non est generatio, aut corruptio, tempus vero fit et corrumpitur. Deinde cujuslibet numeri omnes partes esse necesse est. Non existentibus enim tribus unitatibus, ternarium esse non est possibile. Denique primus et secundus numerus simul sunt, tempus vero prius et posterius, nequaquam simul sunt. Ergo dicitur tempus numerus, ut quibusdam visum est numerans quæ sub firmamento, et numeratus in firmamento. Quemadmodum utique mensuratum, mensuransque dicitur metrum, ut modius ligneus, modiusque frumenti : et aquæ amphora et lateritia. Ita et numerus ex unitatibus, et numerus in numerabilibus numeratus : quare tempus dicitur numerus, id est, mensura motus primæ speciei, secundum prius et posterius : quæ duo in magnitudine aut multitudine simul sunt.

In tempore autem et motu, nisi prius interimatur non habet regionem posterius. Hoc quidem videlicet, et posterius ex eo nominantur, quod ab instanti disceditur. Nam prius versus præteritum dicitur, quod ab instanti distat amplius : posterius vero quod præsenti vicinius attenditur, versus autem futurum dicti conversio : prius, quod præsenti vicinius ; posterius, quod antehac est remotius. Ea enim sequitur celerius, ubi posterius et tardius : Quod si Filius Dei tardius nihil assecutus est, neque posterius : simili ratione neque celerius, neque prius. Sane nihil quod ex aliqua trium personarum prodit, esse in tempore nanciscitur : non enim sempiterna in tempore sunt, quorum esse tempus non continet, quæ in tempore sunt, in mensura sunt. Quorum autem aliqua mensura est, et his mensura amplior est secundum tempus : et passio iisdem inest, qui nullo in tempore omni modo passionem mutationemque effugiunt. Item quæ in tempore fiunt, eorum tempus per successionem mensura est. At vero sempiterna cum simul sint, nullam productionem exspectant temporis, quare supra tempus sunt. Nam si essent in tempore, essent et in motu : nec simul subsistere putarentur. Aliquod futurum tempus aut per revolutionem, aut per aliam aliquam causam præstolantia. Non enim, quia in tempore cognoscimus nos, quæ supra tempus et ante tempus existunt, ideo illa esse in tempore constituemus. Neque si quod multi temporis existit in tempore est, et quod omni tempore existit, esse sub tempore pronuntiabitur. Qua ex re, quæstio emersit hæc : utrum cœlum, cœlestiaque corpora sub tempore sint necne ? « Si non est, inquiunt, cœlum sub tempore, non est numerus ipsius motus. » Rursus aiunt : « Si in tempore, sub tempore continetur, et amplius aliquod ipso erit tempus. »

Hoc solvunt quidam asserentes ideo in tempore cœlum esse, quia, cum semper alius et alius fiat motus ipsius, aliud atque aliud futurum est tempus, sicut amplius tempus sumere contingit. Verum esse sub tempore dicuntur illa proprie, quæ sub tempore accipiunt existentiam, per fluxionem et extensionem : tantum enim eorum esse perdurat, quantum tempus dilatatur, quod dum fit esse habet : quod nulli superiorum nedum Deo contigit. Itaque manifestum ex his quæ dicta sunt, Filium Dei nequaquam in tempore mittere Spiritum, quanquam discipuli acceperint in tempore. Nam sicut ratio missionis, ita et missio, antequam discipulos irradiaret, erat : quæ ante omnia sæcula, et ante omnia tempora in Filio exstitit. Si rationem mittendi a principio non habuisset, cum nihil adjectum, nihil in accipiendo, secundum quod Deus est possideat, nullo modo Spiritum misisset. Quamobrem et habendo emittit, et emittendo semper Spiritum habet

Filius, qui est imago Patris non inanimata, non manu sculpta, non artificis opus, aut intelligentiæ, sed imago vivens, magis autem et ipsa vita est : non in figuræ similitudine, sed in substantia conservans indemutabilitatem, hoc est, personæ magnitudo dignitatis unigeniti omnibus modis habere indemutabilitatem absque interjectione. Si ergo, Patre Spiritum emittente, Filius non emittat, in emissione non habet indemutabilitatem; dum multis modis imago inveniatur excidens, privata maximo bonorum. Dein Cherubim imago Patris posse censeri videbuntur, quorum quisque invisibilis et incorporeus existit, scientiæ habens plenitudinem, nisi ex se habere Spiritum ac emitterre, ab eis distinguat Patris imaginem.

Quo fit ut solus unigenitus proprie ac indemutabiliter imago Patris existat, multo magis expressius, quam Seth Adam. Nam hi quidem separabiles sunt, illi vero inseparabiles : hi differentes animas et varias voluntates possederunt, illi vero unam virtutem, unamque voluntatem et habent semper, et habuere. Et Seth quidem circa exteriora imago Patris nominabatur, Verbum autem Dei, omnibus modis Patris imago existit : non coloris, non figuræ, nec talium quidpiam, hoc enim artificialium imaginum, et non naturalium, sed substantiæ, id est, personæ Patris faciens imagines sibi et deos omnes, qui ea participant. Hac de causa imago Patris, et Pater non æquivoce Deus dicitur imago Filii, et Filius : sicut imago Christi et Christus nuncupatur non univoce sed æquivoce : Patris autem imago, et Pater Deus dicuntur univoce : unus enim et imago ejus Spiritus sanctus. Quoniam una et eadem trium natura est. Itaque Filius æquipollens signaculum est absque omni fallacia, character et imitamen effigiati Patris indiminutum, quia non est imago Patris, superficie tenus, ad Christi similitudinem imaginis, sed interiorum atque omnium profundorum sapientiam Dei, et virtus in sinu Patris, ἐν αὐτῷ μένη, id est, commanens universorum quæ Patris sunt productrix exstat, et enucleatrix : propterea unigenitus quidem Dei hæres Patris plenissimus est, omnia interiora ejus insigniens. Effigies enim naturam rei debet effigiare. Nec ad artificem aliter conformare pertinet, quod ad imaginem Socratis sculpitur simulacrum : nisi enim calvum, simum, prominentiamque oculorum ostendat Socratis, nequaquam ejus esse dicetur effigies. Da enim quanquam æquivoce dicatur indemutabilitatem, tamen debet habere secundum suam illius proprietatem, et coæqualitatem ex quo esse trahit, et cujus est assimilatio.

Amplius : Si Filius non habet Spiritum, nec emittit ut Pater, privatur sanctitudine quæ maxima est Filii hæreditas, eam Spiritus sanctus solus in enumeratione amplectitur cum sic dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quare si sanctitudo a Patre procedit, a Filio vero minime, nequaquam æqualiter et indifferenter, ambo habent sanctitudinem quod cogitare non est Catholicum. Plenitudo enim Filii Spiritus, quemadmodum scriptum est : *De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia* (*Deut.* XXXIII), novam legem pro vetere, pro adoptione sermocinativa et umbratili, rem ipsam et veritatem ex Deo nati per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, sine quo nemo videbit Deum, a quo omnis sanctitudo emanat. Non enim vacat quod Filius esse dicitur et commanere in sinu Patris, Spiritus vero non; quod quidem nomen non corpus fore significat, sed consortium Unigeniti ad emissionem Spiritus innuit apertissime ac manifestissime, de Spiritu vero nihil tale Scriptura protulit. Ideo dicitur et character substantiæ Filius, quanquam characterem non personam esse, sed personæ tantum, hæreticus arbitretur : non animadvertens, quod Filius vocetur, quod persona est, sicut splendor qui cœternaliter de Patre coruscat : magni quoque consilii angelus, admirabilis, consiliarius, et princeps pacis, ad personæ distinctionem enuntiatur, et quod majora servis suis prophetis monstraverit, scientiam tribuendo latiorem et apertiorem Mosaica institutione. Multo impendio precabatur Moyses, ut illius qui vere est scientiam acciperet. *Ostende*, ad Deum dicens, *mihi faciem tuam, ut sciam te. Non videbit me*, inquit, *homo, et vivet : Ecce locus est apud me, stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam te dextera mea, donec transeam : tollamque manum meam, et videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* (*Exod.* XXXIII). Jubetur Moyses stare supra petram, et per angustum foramen intueri : hoc monstrante Deo, quod brevem lex scientiam Trinitatis habuit, cujus solummodo per foramen paruit illuminatio : foramen quippe ac manus protegens, nil aliud quam particularem et obscuram portendit legis cognitionem : tale est enim, quod per foramen oculis subjicitur : Christi vero doctrina et prædicatio, grandiorem nobis scientiam ostendit, intelligentiæ oculum instruendo, contingere supra sensum quæ sunt, et rationem : facies, gloria et splendor gloriæ, quæ Moyses videre postulat, character sunt unius substantiæ Patris Verbum Dei unigenitum, quod absque igne, id est anima et nube carnis, homo videre non potuit : ideo audit, *stabis supra petram : Petra autem erat Christus.* Nihil in lege gloriosum habuit Moyses, nisi solam faciem. Jesus vero, in monte totus glorificatus est, et apparuerunt Moyses et Elias in gloria, colloquentes cum eo, ubi non solum vultus Christi ut sol, sed et vestimenta ipsius velut nix apparuerunt. Ibique completur illa promissio, quam accepit in monte Sinaï Moyses, cui dictum est : *Tollam manum meam, et videbis posteriora mea.* (*ibid.*) Mittam Filium meum quem videbis, cum venerit dierum plenitudo : *faciem meam videre non poteris, quia non videbit me homo, et vivet.* (*ibid.*) Non quod videntibus causa mortis vita fiat (vivificum enim natura divinum est), sed quia propria denotatio est naturæ divinæ : om-

nem sensum transcendere, quæ cum sola vita sit, si omnem prætergreditur scientiam, quod ab homine comprehendere, vita non est.

Quicunque igitur aliquod eorum, quæ cognoscunt Deum esse, arbitratur, aversus a Deo vitam non habet. Non videtur Deus ab anterioribus, quod interminabilis sit et absque principio; posteriora vero ejus ille videt, qui eum sequitur, qui dum procedit, se sequenti viam ostendit. Posteriora ergo ejus visa sunt, quando in novissimis diebus, carne recepta, *de Spiritu sancto suo*, sicut dicit per Prophetam, *super omnem carnem effudit*. Hinc est quod *nemo potest dicere, Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto*, et quomodo qui non dicit ex Filio esse Spiritum, dicit Dominum Jesum in Spiritu sancto : maledicit et blasphemat Jesum qui hoc dogmatizat, tollens Filium de sinu Patris, et medium faciens inter generantem et genitum, qui humano intellectu transcendit processionem, primum enim oportet intelligi characterem substantiæ, deinde Spiritus emissionem. Nam sine charactere Filio solum intelligi Patrem non est possibilium. Etenim secundum quod Pater est Filium habet, secundum vero quod Pater, Spiritum non emittit. Si ergo primum oportet intelligi Filium ut immediatum, et indemutabilem characterem Patris, secundum hunc ordinem ipse Spiritu prior est : unde imago Filii quidem Spiritus nuncupatur, Patris vero minime. Attendendum vero non idem imaginem et characterem ab Ecclesiæ doctoribus autumari, alterum enim ab altero sic distinguunt. Inquiunt ergo arcam habere imaginem arcis, fabri lignarii : videndo enim arcam, scio quod a fabro lignario facta sit. Navem quoque si videam, confestim intelligo esse opus artificis illam construentis, quod quidem opus imago et gloria illius artis existit. Nequaquam vero character personæ operatoris. Non enim figuram personæ artificis quæ humana est, arca sive navis complectitur. Eodem quoque modo dicunt hominem, Dei qui plasmavit illum, gloriam esse ac imaginem, non characterem personæ Conditoris, sed solummodo voluntatis sive actionis indicium. Filium vero solum characterem Patris esse, vere credunt. Ipse enim dicit : *Qui videt me, videt et Patrem* : non ipsum Patrem, sed talem qualis est Pater. Est Filius perfecta figura Patris, par illi per omnia existens, perfecta autem figura substantiæ Patris omnia complectitur intrinsecus, quæ Patris sunt propria. Ergo et ipsam de Patre Spiritus emissionem non præterit. Ea certe si caret, non est completa substantiæ Patris figura Filius, quia est aliquid in Patre accipere quod ipse non habet. Amplius : si persona Patris suo charactere amplior est, non toto esse suo illum Pater genuit. Et rursus : Si character personam excedit, secundum excessum subsistentia caret. Itaque non debet excedere Patris substantiam character, ne forte per excessum non subsistens evanescat. Neque rursus persona Patris, latior esse debet suo charactere, ne illud sine figura remaneat, quod character non figurat. Amplius : Aut totam figurat Patris personam Filius, aut non : si totam figurat, evidens quod emissionem Spiritus de Patre non dimittit infiguratam : sed est ex Filio ut ex Patre processio et emissio. Si vero non totam insignit personam Patris character ejus, non est æqualis ipse Patri suo, charactere ampliora complectenti : videlicet, sancti Spiritus profusionem, quod quidem præcipuum maximumque est. Item : Si solius Patris esset Spiritum emittere, nequaquam Filius character ejus indiminutus existeret : at vero par est Patri ejus imago, ex qua vere sancti Spiritus processio emanat. Qua ex re jam veniendum est ad curiosas perscrutationes Nicetæ præsulis Thessalonicensium, de processione sancti Spiritus, quæ approbatæ sententiæ non rite consentiunt.

CAPUT XIX.

Vos, inquit, o Latini, qui ex Patre et Filio creditis procedere Spiritum, si sic quidem dicitis, hunc procedere ex Filio, ut ex primo principio, et non tanquam per Filium, sed ut ex Patre : duo prorsus facitis principia, et destruendo Filii generationem, contraria Damasceno dicitis, Athanasio, Cyrillo cunctisque aliis Patribus, atque nobis, quibus Patres sanctos sequi gloriatio est. Si autem sic dicitis, ex Filio ut ex Patre per Filium, consonatis Damasceno Joanni, Athanasio, Cyrillo, aliisque Theophoris Patribus consentitis, et secundum gloriam processionis Spiritus, nobis eritis amici et consentientes, » et post pauca : « Tacete ergo et vos, adjectionem hanc dictionis, et ulterius in symbolo pronuntiate : « Qui ex Patre Filioque procedit, sed secundum Patres nobiscum : Qui ex Patre procedit, et cum Patre Filioque conglorificatur, dicite. » Et rursus . « Si igitur vos quod dicimus nos per Filium, ex Filio dicitis, nullam differentiam sensus aliam habentes, quam dissimilium præpositionum prolatione, donate et nobis has syllabas, et plures syllabas nos vobis mutuo donabimus : quæ demonstrent sub commonitione communem convenientiam et conspirationem, ac interitus syllabarum scandalum dimoventium. Ego quidem dignum laude hunc virum adjudicarem, nisi quia dum specto in ore fortis Samson, ex ore disputantis cibus, et ex forti dulcedine, cucurbita utique prorupisset, cujus admodum amaræ sunt extremitates. » Excessit nimium suum ordinem hic antistes, et dum imitabilis vestigii venerabilem matrem instruit, procul deviavit aberrando. « Tacete, objectionem hanc dictionis proferre ausus, et nolite ulterius ex Filio in symbolo pronuntiare. » Unde tibi, o episcope imperiose, vocis continuata fiducia? Non habent nervi congruentiam aut harmonicum melos, quæ imperas et exhortaris quod Christus perdocuit, ut manifestum est ex his quæ superius disceptata sunt, prædicaverunt apostoli, sancti Patres tenendo confirmaverunt, et confirmando tradiderunt cupientibus, ad fidem venire, taciturnitati

committere atque silentio cum arrogantia jactantiaque persuades impudenter. Iniquitatem meditatus es in cubilibus tuis, quod non æquilibri sermonem tuum lance trutinasti. Nulla quippe syllogistica necessitas, nulla majorum natu sanctio, nullius decreti nexio dissona, talia te compulit vociferari. Abundantioribus enim opulentæ tuæ conquisitiones fallaciis redundant, quam innitantur cuipiam fulcimento verisimilis alicujus adumbrationis. Eademque vero allegatione, quosvis concinnet syllogismos. Vos igitur, o Græci, qui ex Patre et Filio dicitis mundum provenire, si dicitis quidem sic provenire ex Filio, ut ex primo principio, et non ut per Filium, sed sicut ex Patre, duo prorsus facitis principia : » et rursus : « Si Patrem Filiumque asseritis mittere Spiritum, ut sic videlicet a Filio mittatur, tanquam a prima causa, duas prorsus facitis causas missionis Spiritus sancti. » Verum quia hoc primo libro plenius discussum est, non videtur iterandum jam nunc. Attamen quod nullo modo tacendum, sine trepidatione confitendum est : primum principium et secundum principium in Trinitate esse, non debere recipi aut credi, quoniam, licet Pater sine principio sit, et Filius de principio, secundum eumdem tamen sensum ac eodem modo Conditor mundi censetur alteruter et principium, et una quoque causa missionis Spiritus sancti. At vero quare duo dicantur sæpius pronuntiatum est. Quemadmodum utique corporis dimensiones, non eo quod divisæ aut dispersæ sint, tres dicuntur, sed quod unaquæque propriam rationem habeat, sic Pater et Filius non duo dicuntur in substantia, verum quod unusquisque rationem habent singularem secundum quas hypostases duæ, id est, personæ subintelliguntur : et sicut profunditas quæ corpori attribuitur, a longitudine ac latitudine quod sit profunditas accipit, nec aliter intellectus esse profunditatem admittit, nisi æqualiter ab alterutra proveniat : ita Paracletus a Patre et a Filio quod utriusque Spiritus sit. Nec aliter sane est intelligi, nisi existentiam ex utroque accipere credatur æqualiter. Quare nullo modo sequitur duo principia vel duas causas esse Spiritus sancti eo quod ex Patre procedat et Filio.

CAPUT XX.

Igitur quoniam hujus positionis nodus solutus est, consequenter de præpositione, *Per*, est respondendum *per* igitur præpositio, ad nomen Filii posita ut dictum est : aut remissionis, aut intensionis aut æqualitatis est præpositioni *ex*. At vero remissionis aut intensionis esse sic posita, non est possibile. Nihil enim minus, nec aliquid majus persona Patris Filius habet, ut ostensum est, per omnia nactus indemutabilitatem. Restat ergo ut æqualitatis sit, *per* præpositio, præpositioni *ex*, ad Filium copulata. Quare per Filium procedere, non tollit esse Spiritum ex Filio : non est remissionis *Per* præpositio, uti Paulus demonstrat ipsam Patri ut Filio attribuens : *Fidelis*, inquit, *Deus, per quem vocati estis in communitatem Filii ejus Dominum nostrum Jesum Christum* (*I Cor.* I). Quo in loco præpositio, *per*, nomini paterno apponitur : Pater vocavit nos, quia non ex nobis nos, aut ex propriis operibus ad eum accessimus : et iterum similem servat sensus tenorem, ubi dicit : Paulus per voluntatem Dei, qui volens ipsum Apostolum constituit. In quo apparet eos qui distinguere conantur per Filium, ab eo quod ex Filio, ne absque principio et unigenitum Verbum Dei subintelligatur, quod *per* præpositionis non modo ad Filii et Spiritus, sed ad nomen ingeniti coarguat appositio. Et rursus Hebræis scribens. Ad Patrem, *per*, præpositionem apponit, inquiens : *Dicebat eum propter quem omnia, et per quem omnia* (*Hebr.* II). Et post modicum : Ex *per* inferendo *ex* subjungit : *Nam qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes* (*ibid*). Quo in loco diligenter intuendum, *per* præpositionem in *ex*, non *ex* in *per* Apostolum resolvisse. Præsul vero Thessalonicensium Nicetas sententiam et dictionem Apostoli Latinos derelinquere admonet : hortando eos, *ex* præpositionem in *per* transferre : in illo in quo ea utuntur loco, dicentes ex Filio : qui dum a Filio aufert *ex*, a Patre adimit *per* : quasi, *ex*, nunquam Filio, neque *per* Patri, associanda sit : sed *ex* solummodo Patri, et *per* tantum Filio, in personarum distinctionibus sit præponenda. Ergo per Patrem sunt omnia, id est Pater est causa Filii et Spiritus, et creaturarum omnium. Nam et qui sanctificat, id est Filius de substantia Patris est, per generationem, et Spiritus de eodem Patre per processionem emanat, et qui sanctificantur, id est homines : et quælibet creatura ex Patre per creationem existunt. Dum itaque per Patrem sit Filius, et per Patrem sit Spiritus sanctus, ut vas electionis perhibet : per Patrem generatur Filius, et per Patrem procedit Spiritus. Enimvero nihil aliud verius dici potest, per Patrem esse Filium, quam ex Patre generari, et per Patrem esse Spiritum, quam ex Patre procedere. At vero Græcus confitetur et Latinus Spiritum sanctum per Filium procedere. Reliquum est ergo, secundum auctoritatem Apostoli et interpretationem, cum æque per Patrem et per Filium Spiritus existere habeat, *per*, præpositione utriusque præposita nominibus, eamdem servante significationem, confiteri simpliciter et absolute, Spiritum ex Filio ut ex Patre procedere. Amplius : Apud Græcos præpositio διὰ quæ, *per*, interdum significat, apud Latinos cum *genitivo* constructa, ut grammatici perhibent, aut actionem, aut opitulationem, aut medium significat : actionem, veluti per apostolos fiebant signa, hoc est, apostoli signa faciebant; opitulationem vero significat, ut per te ditatus sum, hoc est tua opitulatione atque adjutorio. Medium autem significat, quando medium loci alicujus, vel temporis ostendit : veluti, per forum transivi, velificavi per mare, per diem medium apud amicum detentus sum. Itaque cum dicitur per Filium Spiritum procedere, aut quasi

actionem, aut quasi opitulationem, aut quasi medium significat, *per*. Atqui si medium significaret, non communicaret Spiritui Filius, et non modo remissionis esset præpositio, sed alienationis omnimodæ. Nec aliam inter se haberent habitudinem Filius et Spiritus, quam habet aqua canalisque, ostium, serraque, locus et quod est in loco. Quare aut quasi actionem, aut quasi opitulationem significat : coemissorem, opitulatoremque suo modo ad emittendum Spiritum, Patri Filium innuendo. Ideoque in irritum cedit transmutatio, *ex*, in, *per*, nimis approbata celebrataque nimis : quæ ingenito et unigenito præposita eamdem servat intentionis significationem, ut ex anterioribus manifestum est, et ex his quæ consequuntur. Scribit enim Apostolus ad Galatas verbis hujuscemodi : *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem* (*Gal.* I) : hoc ex Jesu Christo, et Deo Patre, qui effecerunt, ut non ulterius legi, sed Christo inniteretur. Et iterum : *non ab homine accepi, sed per revelationem Jesu Christi*. Postremo paracleti appellatio, *per*, præpositionem admittit apud Apostolum dicentem : *Ut det nobis, secundum divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spiritum in interiori homine* (*Ephes.* III) : Spiritus est qui fortitudinem præstat. Ideo per Isaiam : *Spiritus fortitudinis* scribitur, per quem, et a quo sermo datur sapientiæ. Qua in re fallunturhæretici atque quicunque alii *per* præpositionem attribuunt Filio ut remissionem significantem. Quia ex prælibatis intelligi potest, sine fallacia quod secundum eumdem sensum Filio et Patri apponatur *per*, præpositio, ut actionem significans aliquando, aliquando ut opitulationem. Nusquam enim remissionem significans, invenitur : *Quando judicabit Deus occulta hominum per Jesum Christum* (*Rom.* II). Is enim est sensus, quod Christus redditurus sit singulis secundum opera sua. Nam *Pater non judicabit quemquam* qui *omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V) : a quo justificati sumus, cum peccatores essemus, et existentes longe, adducti cooperando, ad conservandos nos in justitia : qui propter charitatem mortem subiit, et per mortem justificavit, per quem ad esse sicut omnia venimus ; qui indifferenter dicitur Deus, et Dominus Deus veluti, *ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus*, Dominus : ut, *Dixit Dominus Domino meo* (*Psal.* CIX), huc Dominum *Patet constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula* (*Hebr.* I). Quod qualiter intelligi debeat, Propheta testatur dicens : Et *in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cæli* (*Psal.* CI). Hoc idem et theologus Joannes, aliis versibus affirmat, dicens : *Omnia per ipsum facta sunt* : non tanquam per instrumentum, ut Ariani oblatrant dicentes per Filium facta esse omnia, non ipso existente factore, sed organo mentientes. Quia per ipsum facta sunt, qui factor et conditor est omnium visibilium et invisibilium. Quod si positio Nicetæ præsulis vera est, quæ profitetur, per Filium, Spiritum procedere, non emittente Filio nec talis emissionis existente consorte, negari non possit, quin Spiritus ei per instrumentum procedat tali complexione : Pater per Filium, aut coemittentem sibi aut non coemittentem, Spiritum emittit. Si coemittit Spiritum Patri Filius, emittit ipse Spiritum ut Pater exterminandis, minus et magis. Si non coemittit, inefficax existens, restat instrumentum Patris Filium esse, quod impius Arius evomebat, ad instar navis, quæ movetur per gubernaculum. In quo gubernaculo quidem non est principium motus navis et causa. Solus enim gubernator in navi existens, per organum ipsam, clavum scilicet, movet extrinsecus. Quicunque igitur solum Patrem esse principium, ineffabilis processionis Filium excludendo asserit, extra Patrem Filium collocat, de sinu ingeniti, unigenitum evellendo instrumentum constituit eumdem, quo quid nefarius? Ergo per Filium procedens Spiritus, absque dubitatione aliqua procedit ex Filio. Nam sicut verum est dicere, per Filium omnia facta sunt, et Filius omnia fecit, eodem modo vera est, quæ dicit oratio : Spiritus per Filium procedit, et ex Filio procedit, quod multis modis argumentorum et exemplorum, quæ numerum pene transgreditur, copia perdocuit : procedit ex Filio Spiritus Filii, qui constituit apostolos et prophetas, in Ecclesia, in quibus posuit Spiritum sanctum, ut coryphæus Petrus in prima Epistola dicendo asserit : *De nostra salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt scrutantes, quod vel quale tempus significaret, qui in eis Spiritus Christi pronuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias* : nam per Isaiam (LIII) dixit : *Sicut ovis ad occisionem ductus est* ; per Jeremiam vero (XI) : *Venite, mittamus lignum in panem ejus*. Resurrectionem per Oseam (VI) significavit : *Vivificabis nos post duos dies, et die tertia resurgemus in conspectu ejus*. Deum Christi esse Spiritum evangelista Marcus innuit : *Erant*, inquit, *quidam Scribarum ibi sedentes et cogitantes in cordibus suis : Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quos statim cum cognovisset Jesus in Spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dixit illis : Quid ista?* etc. (*Marc.* II.) Accusabant Jesum quod peccata dimitteret, solius enim Dei peccata dimittere. Jesus vero spiritu suo, qui scrutatur profunda Dei, cognoscens cogitationes illorum, signum dat illis se Deum esse, ex eo quod illorum corda rimabatur. Solus enim Deus quæ sunt in corde cujusque cognoscit. Ergo Pater quanquam sit Deus et non de Deo, et Filius sit Deus de Deo neque ut de primo principio, sed neque Spiritus sanctus est de Patre ut de primo principio, quia neque ut de primo Deo, multo minus est de Filio, ut de primo Deo, vel primo principio. Quemadmodum utique non dicitur in Trinitate primus Deus, quia secundus non est propter eamdem rationem, non est dicendum : primum in Tri-

nitate principium, quia secundum ipsa non habet. His itaque sic demonstratis, reliquum est ostendere quod longe prospicit a veritate hic idem antistes, dum Latinos asserit magno Cyrillo, et magno Athanasio, aliisque sanctis Patribus contraria de processione sancti Spiritus sentire. Etenim magnus Cyrillus, et multis in divinis Scripturis Athanasius, cæterique Patres pleni Deo nequaquam illi assensum præstant, qui suis in contractibus id quod Latini credunt, et confitentur, publice scriptum reliquerunt.

CAPUT XXI.

Magnus itaque Cyrillus, in primo sermone, qui est, λατρεία in spiritu et veritate, Latinis testimonium perhibet, dicens : Qui secundum naturam vita Deus est, putasne quod anima homini divinus factus sit Spiritus? et quomodo non inconveniens valde sit intellectus hujusmodi? Nam immutabilis et ipsa prorsus permansisset anima, nunc quidem mutabilis est; Spiritus vero nullo modo mutabilis. Quod si mutabile esse infirmitatis est, in ipsam macula divinam redundet naturam, cum sit Dei Patris, et utique Filii qui substantialiter ex ambobus profunditur Spiritus. Et idem in commentario Joel prophetæ, ac illo capitulo : *Effundam de Spiritu meo, et prophetabunt filii vestri* (*Joel.* II), talia depromit : Remorata quidem fuerat de supernis data gratia, sed in Christo renovata est, qui est secundus Adam. Quomodo autem renovata? In eo enim, quod Deus est, et Dei secundum naturam Filius : ex Deo enim et Patre natus est, proprius ejus, et in ipso et ex ipso Spiritus est. Quemadmodum utique in ipso intelligitur Deo et Patre. In eo vero quod homo factus est, et simul nobis apparuit, advenientem habere Spiritum dicitur; descendit enim super eum in specie columbæ Spiritus sanctus quando ut nos factus, sicut dixi : Tanquam unus nostrum dispensative baptizatus est; et post pauca, idem sanctus : Oportebat igitur inter filios Dei connumeratos sancti Spiritus gratia ditari, hoc vero Christus ad effectum perduxit, ut sacer Petrus asseverat, dicens : *Dextera igitur Patris exaltatus, promissionem Spiritus sancti accipiens, a Patre effudit hoc quod vos videtis, et auditis* (*Act.* II) : accipit quidem ut homo a Patre, quod inest ei naturaliter : effundit autem abundanter super nos, quia Deus secundum naturam est. Et hoc quidem sanctus. At vero ubi permanet intellectus idem, et substantiæ ratio eadem. Ubi vero substantiæ ratio eadem, æquivocatio excluditur. Quare patet et secundum magni viri hujus intelligentiam, Spiritum ex Patre, et Filio esse, univoce dici.

Magnus quoque Athanasius in confessione suæ fidei, plane processionem ex Filio esse astruit; ait enim : Spiritus ex Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Excellentissimus quoque doctor Ecclesiæ magnus inter sanctos papa Gregorius ad Petrum diaconum de sancti Spiritus processione in capitulo quodam, cujus non est fidelis apud Græcos interpretatio, talia loquitur : « Ipsa, inquit, Veritas, ut fidem discipulis augeret, dixit : *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Cum enim constet quia paracletus Spiritus ex Patre semper procedat et Filio, cur se Filium recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? » Sanctus quoque archiepiscopus Cypri Epiphanius in libro quem titulus ἀγκύρωτον nominat, eo quod sit anchora fidei, de orthodoxa fide talia memorat. « Beatus, inquit, Petrus, ad Ananiam dixit : *Cur tentavit cor tuum Satanas, mentiri te Spiritui sancto, non es mentitus hominibus sed Deo* (*Act.* v). Igitur Deus est, inquit, ex Patre et Filio Spiritus, cui mentiti sunt, qui de pretio fraudaverunt; » et rursum : « Spiritus enim Deus est, et Spiritus Patris, et Spiritus Christi, non secundum aliquam compositionem, quemadmodum in nobis anima et corpus, sed in medio Patris et Filii ex Patre et Filio, » et rursum : « Vita totus Deus, ergo vita ex vita Filius. Ego enim *sum veritas et vita.* Sanctus vero Spiritus ab ambobus, Spiritus ex Spiritu, nam Spiritus est Deus; » et infra : « Nunquid dicimus duos esse Filios? et quomodo unigenitus? imo tu quis es qui respondeas Deo? si Filium quidem vocat ex se, sanctum vero Spiritum ex ambobus? » et rursus : « Spiritus sanctus, Spiritus est, lumen tertium a Patre et Filio. » Solus vero Damascenus Joannes dissidere a magno Cyrillo aliisque sanctis Patribus videtur, si tamen ita scribit. Spiritum ex Patre dicimus, et Spiritum Patris nominamus. Ex Filio autem Spiritum non dicimus, Spiritum vero nominamus. Verumtamen et Scriptura sic se habente, non discordat hic sanctus a Latina veritate : hoc ad consuetudinem Ecclesiæ Græcorum referendo, quæ non esse Spiritum ex Filio confitetur, usque in hodiernum. Quippe si Spiritum Patris et Filii nominamus, ut sanctus vir cum Apostolo asseverat, aut æqualiter et similiter confitendum est Spiritum esse utriusque : aut inæqualiter et dissimiliter : et inæqualiter Spiritus est Patris et Filii, et magis est unius, et minus est alterius : et erit infinitus secundum magis, respectu Patris, et finitus secundum minus, respectu Filii. Omne enim quod continetur et exceditur ab aliquo, secundum quod continetur et exceditur, terminatur. Quare terminum habebit intensionis, dum habeat remissionis principium. Porro si quid apud nos perfectum est natura, moribus et ratione, magis et minus reprobat, quid utique apud divinas personas omni perfectione præditas intelligendum sit? Nam quod omni parte perfectum est, stabile est atque indilatabile. Quod vero magis et minus suscipit, defectum perpetitur, participationem habens, motum, adjectionem et imperfectionem : at vero trium personarum ratio in eodem semper termino consistit.

CAPUT XXII.

Amplius : Remissio cujusque fit ex impotentia, impotentia vero contra naturam est : sed in primis

ut simplicibus et in mistis, et in propria existentibus regione, non est aliquid contra naturam. Quare neque remissio, neque intensio. Ergo Spiritus, qui omnium mensura et terminus est, quod mundus capere non potest, quo intendatur, aut a quo per remissionem terminum intensionis accipiat? Quare cum Patris nominetur Spiritus, atque Filii, non magis est Patris et minus Filii, qui utriusque prius æqualiter, inseparabiliter et naturaliter existit, et secundum eamdem rationem. Quæcunque enim res duorum est æqualiter et secundum naturam, aut est proprium eorumdem aut quasi proprium. Et attendendum quod proprium duobus modis dicitur, per se, ac secundum aliud, ut philosophus perhibet : per se hominis est proprium, animal mansuetum natura, quod aliorum separativum est omnium. Ad aliud vero proprium est, ut bipes, equi respectu, proprium est hominis, et imperare corporis respectu animæ proprium, sicut servire, corporis proprium ad animam relati. Hujusmodi vero proprium, non ab omnibus separat, verum ab aliquo. Secundum vero hanc significationem, dicitur Spiritus Filii proprius, aut quasi proprius. Non enim separat Filium a Patre, sed a creatura universaliter Filium distinguit, et Patrem. Quibus ex rebus necessitas profluit hujuscemodi. Omne secundum naturam proprium, aut quasi proprium, æqualiter ab his communicatur, quorum est proprium, aut quasi proprium : sanctus vero Spiritus, secundum naturam Patris et Filii proprius est, aut quasi proprius : deinde Spiritus sanctus existens, quod Pater et quod Filius, æqualiter et naturaliter est Patris atque Filii. Quidquid vero æqualiter et naturaliter Patris est et Filii, secundum eamdem rationem, eamdemque considerationem ambobus convenit. Quare Spiritus sanctus existens, quod Pater et quod Filius, secundum eamdem rationem eamdemque considerationem ambobus convenit. Huic iterum conclusioni accidit fides, quod in talibus locum non reperit contradictio. Sane cum absque fallacia dicatur, Spiritus sanctus Patris est et Filii, hujus abdicatur contradictoria penitus, ut plena falsitatis, quæ est Spiritus sanctus, non est Patris et Filii, quod in æquivocis repetitur frequentissimum. Amplius. Spiritus sanctus existens et quod Pater et quod Filius, æternaliter, similiter, æqualiter, secundum naturam Patris est atque Filii : quidquid vero æternaliter, similiter ac æqualiter et secundum naturam duorum existit, quia non magis accedit ad unum, quam ad alterum, non magis ex uno habet esse, quam ex altero. Nam si ex altero quidem existentiam trahat; ex altero autem minime, dissimilitudo manifesta est, æqualitas, et æquilibritas, non utramque personam amplectitur : et lex eorum, quæ naturam sequuntur imparitatis nescia, terminos suos derelinquit. Itaque Spiritus sanctus existens quod Pater, et quod Filius, quia non magis accedit ad Patrem quam ad Filium, non habet esse de Patre quam de Filio. Ex his ergo ratiocinationibus, viri nuper memorati, manifeste ut superius est exposita intensio panditur, et quod ab eodem magni Sabbati editus sermo violentiam, corruptionemque per intestabilem nefariamque mutationem patiatur. Quippe ubi principaliter de Trinitate, trium reminiscendo personarum proprietates disseruit, nihil talium peperit. Verba tantum, quæ superius leguntur, ad posteros transmittendo, non secundum se, sed secundum consuetudinem orientalis Ecclesiæ. Sed neque orthodoxæ fidei quispiam ante illum simile chartis inaraverat. In præfato autem sermone, contra fas, contraque majorum contradictionem, Spiritum ex Filio, existentiam non habere, a quibusdam mendacii magis perquirentibus solatium, quam semitas investigantibus veritatis insertum est. Quod sic esse, ipsa verborum series, styli alteritas, et quæ nihil ad rem pertinet erronea clausulæ insertio, magis autem quod apud sanctorum aliquot nusquam scriptum reperitur, aptissime declarat. Profecto si solus Pater emittit Spiritum Filii, non communicat emissioni Filius. Quippe si communicat Filius, non solus Pater Filii Spiritum emittit, communicante illi verbo suo, et erroris minime arguendi sunt qui hoc dogmatizant. Sin autem, ut Græci dicunt, ex solo Patre Spiritus procedit, solus Pater Spiritum Filii emittit, Filio non communicante, quam consequentiam obliquæ ambages connectunt, veridici deserunt tinnitus, et ejusdem Spiritus concutit proflatio. Consequitur enim profanum quiddam et abominabile, Patrem videlicet, emittere Spiritum non communicante Patris virtute ac sapientia : Dei enim Patris et sapientia Christus est, ut Apostolus perhibet. Quare impotens secundum hoc et fatua erit emissio Spiritus, et causa et principium irrationale. Ipse etiam Spiritus Patris Filii existens, adveniens erit Filio, nisi ex ipso, ut ex Patre proveniat. Sed enim si circumscripta virtute ac sapientia emissor Pater intelligatur, impotens et irrationalis ipse Pater secundum quod emissor constituetur. At vero impia et exsecrabilis illa vox est, quæ Spiritus sancti omnium bonorum datoris fontem, et causam, fatuam et impotentem esse personat. Quas ob res, clarum ut arbitror plane factum est, Filium qui est virtus et sapientia Patris, Spiritum suum, cum Patre ipso emittere. Quod constanter, pie ac vere, cunctorum sanctorum Patrum vestigia persequens, omnis magni Petri successor tenet, et hujus decreti sententiam, ut societate veritatis inexpugnabilem, ut votis justioribus gratificam, ut opulentam justitiæ, ut priscis innixam auctoritatibus, ut a summo pastore Christo editam, et ut habentem integras allegationes, orbi universo publicat, et ab antiquo rite censet amplecti.

ANNO DOMINI MCLXXXIII, AL. MCLXXXVII

PETRI CELLENSIS

PRIMUM

DEINDE S. REMIGII APUD REMOS ABBATIS

DEMUM

CARNOTENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

Ex libris tum editis, tum mss., in unum collecta cura et studio unius e congregatione S. Mauri monachi Benedictini (Domni Ambr. Janvier).

(Parisiis ap. Lud. Billaine, 1671, in-4°.)

—

EPISTOLA NUNCUPATORIA

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO MAURITIO LETELLIER

ARCHIEPISCOPO NAZIANZENO

REMENSI COADJUTORI, MAGNO REGIÆ CAPELLÆ PRÆFECTO.

Sub auspicio nominis tui, illustrissime præsu., ut prodeat Petrus noster, non minus exigunt justitiæ leges, quam conscientia nostra. Thesaurus est refossus in agro tuo, hoc est in metropolis tuæ monasterio Remigiano : ubi hactenus magna ex parte latuerat. Inde Jacobus Sirmondus Petri nostri epistolas, nos sermones ejus eruimus, ut Petrum tandem redivivum seu integrum tibi offeramus, exiguum sane munus votis nostris, sed tamen oculis tuis (ut quidem speramus) non indignum. Petrus vir fuit, ut sui temporis quisquam alius, ecclesiasticæ disciplinæ puriorumque morum studiosissimus. Id unum spirant opuscula ejus omnia. Quis non speret, auctoris tanti lucubrationes benignis excipiendas oculis abs te, qui fugientem antiquorum canonum disciplinam sistere et revocare moliris? Ita de te sentit, illustrissime præsul, cleri Gallicani senatus amplissimus : qui dum Christianissimo regi nostro approbari cuperet conciliorum provincialium restitutionem; ex toto illo disertissimorum hominum cœtu unum te designavit oratorem, qui et acerrimi ingenii tui facultate regiis auribus id consilii pro dignitate exponeres, et zeli tui fervore inspirares. Magnam omnium de te exspectationem vicit gravitas et majestas eloquentiæ tuæ : nec minus regi placuit oratio quam persona dicentis. Eo in negotio invenies in Petro nostro hominem votis tuis consentientem. Si enim amas, ut vere amas, priscam Ecclesiæ disciplinam : en Petrus docet, « non esse dimittendas veteres vias propter novas. » Si antiquos canones veneraris; Petrus eadem animatus religione dicit, « eos pari pene observantia tenendos cum Evangelio. » Si Patrum doctrinæ inhærendum esse censes, id etiam censet Petrus, qui « novitatem illam quæ a Patrum vestigiis exorbitat, tam in fide, quam in moribus, necnon in vocum novitatibus, semper anathematizandam esse duxit. » Si conciliorum usum revocari cupis, hominem habes qualem certe Alexander papa III ad generale concilium Lateranense ipse invitavit. Cum vero Petrus præ senectutis incommodis eo proficisci non posset, egregia dedit monita Alberico Romano cancellario cæterisque concilii Patribus: in primis « ut armati gladio utrinque acuto amputarent insanas superstitiones, quæ fiunt in orbe Christiano. » Si viros zelo divino plenos diligis, Petrum utique diligis, qui Alexandrum papam aliosque Ecclesiæ pastores commovit adversus « duo Ecclesiæ mala, luxuriam et avaritiam » sacrorum ministrorum, maxime adversus Simoniam, cæterasque temporis sui pestes. Si denique ingenuam defæcatæ veritatis confessionem requiris, Petrum habes eodem studio affectum. « Profert alius, inquit, absque pondere rationis quod ei placuerit : recusat alius quidquid sale evangelico aut prophetico conditum non est. Est alius utilior, dulcior alius. Ego utilem dulci præpono. Solas fauces magis demulcet dulcis : omnibus membris utilis plus confert. » En Petri nostri imaginem qualemcunque, illustrissime præsul, rudem certe et impolitam, sed eam tamen quæ nec oculis displiceat tuis, si modo attendas merita præstantissimi viri, et sanctissimi episcopi dignitatem, quam ornas in te ipso, et in aliis revereris. Quod si deest aliquid gratiæ, reliquum supplebit, ut confidimus, favor benignitatis tuæ, illustrissime præsul, cujus experimento adducti congregationis nostræ præfecti, Petrum nunc primum integrum tibi offerendum censuere, ut publicum exhibeant observantiæ in te suæ monumentum.

DE PETRO EJUSQUE SCRIPTIS PRÆFATIO.

1. Petrus Cellensis, primum cœnobii Trecis, deinde Remis S. Remigii abbas, ac demum episcopus Carnotensis, notior est nomine ac scriptis suis, quam alienis elogiis. Quippe se ipse ad vivum expressit, maxime in epistolis suis, in quibus elucet eximia pietas cum eruditione haud vulgari conjuncta, honestas morum, animi candor ac sinceritas, amicitia non fucata, zelus prudens, maturum judicium, vividum ingenium, aliæque dotes, quæ magnum virum efficere solent. Epistolas illas jam dudum typis vulgavit Jacobus Sirmondus, alii alia ejus opera præter Sermones, quos tandem ex Remigiano codice manu descripto cum cæteris Petri lucubrationibus hic exhibemus, ut Petrum, si fieri potest, integrum habeamus. Hinc in antecessum præmittere juvat quædam de ejus vita, quædam item de lucubrationibus ab eo scriptis.

2. Petro nostro patrium solum Gallia, natale Campania fuisse videtur. Neptem habuit Hawidem ex ep. 74, cujus connubium cum Petro de Tornella B at incesti criminatione vindicat tum apud Hugonem Senonensem episcopum epist. 9, tum apud Alanum Antisiodorensem epist. 10. Hugonem Remensis Ecclesiæ canonicum *cognatum et amicum* suum appellat, epist. 119. Et epist. 97, Berneredo Suessionici monasterii S. Crispini abbati scribens, meminit cujusdam *dominæ cognatæ suæ*. Cætera de ejus parentibus ac genere incomperta.

3. Quo in loco vitæ monasticæ rudimenta didicerit Petrus noster, non obvium est definire. Verisimile apparet id factum in Cella Trecensi; tametsi eum adolescentem in Parisiaco monasterio S. Martini de Campis aliquantum exegisse temporis, ex epist. 159, intelligitur. *Ego ipse*, inquit, *ad S. Martinum de Campis adolescentulus verissimis experimentis quod dico gustavi et vidi*, et epist. 145, Theobaldo abbati Cluniacensi electo gratulatur in hunc modum: *Nam et ipse servus et filius sum Cluniacensis Ecclesiæ*. Quo tempore vitæ religiosæ se addixerit, C postea expendemus.

4. Monasterio Cellensi, de quo legenda Sirmondi adnotatio in epistolam primam, præfectus est Petrus circiter annum 1150. Certe ante obitum S. Bernardi, quem recens mortuum laudat epist. 14, ad Joannem Macloviensem episcopum, et ipse tum abbas Cellensis. Exstat et alia ejus epistola ad Eugenium papam III nomine conventus S. Mevennii edita. Nullas vero litteras antequam esset abbas scripsisse reperitur. Porro Bernardus et Eugenius ad superos abierunt anno 1153. Petro abbate quantum Cellæ floruerit monastica disciplina, patet ex epist. 9 et 99.

5. Anno 1162 migravit Petrus in abbatiam S. Remigii, quæ tum in suburbio Remorum erat. Nec tamen curam Cellæ suæ penitus abjecit, quin succes- A soris sui pravis moribus indignatus, eum aut corrigi aut removeri sategit. Exstat ea de re epistola 991 ad Berneredum abbatem, in qua hæc verba: *Successor ille noster Cellensis abbas, quia non bene multiplicavit, imo non fovit ova quæ illi reliqueram, sed conculcavit imperfecta, destruxit autem perfecta, ultra dissimulare non possum; sed aggredior tentare et probare, utrum Deus respicere dignetur priores meos labores, illum vel prorsus removendo ab abbatia, vel saltem corrigendo a stultitia sua, et in melius commutando.* Ejusdem est argumenti epistola 100. In regimine cœnobii Remigiani multa præclare gessit, in his *caput monasterii sui*, id est superiorem apsidis ecclesiæ ambitum novo opere construxit ex ep. 166. Cætera persequi non est hujus loci.

6. Demum in sedem Ecclesiæ Carnotensis successit Joanni de Sarisberia, amico suo, non anno 1182, sed 80 desinente, aut sequenti ineunte. Nam Joannem decessisse die 25 Octobris, anni 1180 constat ex Necrologio monasterii Josaphatensis prope Carnotum. Astipulatur Chronologia Hugonis monachi Antisiodorensis, ejus temporis æqualis, qui prædicto anno 1180, Joannis obitum reponit. Certe Petrum nostrum Ecclesiæ Carnotensi præfuisse annos 7, et anno 1187 obiisse legitur in quodam indice episcoporum istius Ecclesiæ, et muros urbis stratasque instaurasse. In præcitato Necrologio Josaphatensi commendatur his verbis: x *Kalend. Martii depositio domni Petri Carnotensis episcopi, summi et nostris temporibus incomparabilis viri. Hic enim ad ornamentum collatarum sibi a Domino virtutum, etiam virgineæ perhibetur munditiæ gratia floruisse. Jacet in choro nostro, ubi epistola legitur.* Hæc tantum de Petri vita et gestis. Jam de ejus lucubrationibus quædam observanda.

7. Primum in editione nostra locum obtinent epistolæ tum Petri nostri, tum Alexandri papæ III, a Sirmondo anno 1613 vulgatæ, et notis illustratæ (1).

8. Secundum locum obtinent *Sermones*, quos vel ipse ad discipulos habuit, vel composuit rogatu amicorum. Theobaldus ex priore cœnobii S. Martini de Campis episcopus Parisiensis, Sermones de Adventu ab ipso postulavit. Respondet ipse ep. 19. *Sermones de Adventu Redemptoris ut componerem vobis, in mandato acceperam; sed malitiæ sollicitudinis suæ etiam raritatem lucis dies præsens adjunxit.* Porro sermones ejus tanto in pretio sunt habiti, ut *per quatuor*, ait ipse, *ventos cœli* spargerentur, et monachus quidam Bertinianus eorum copiam sibi fieri postulaverit. Ad quem ipse modeste in ep. 167: *Sermones nostros quos tanquam plumas inutiles et superfluas quatuor venti cœli per diversa projecerunt, habere desideras. Si legisti, nonne exsangues sen-*

(1) De Sirmondiana Petri Cellensis epistolarum editione hæc adnotat D. Brial in *Histoire littéraire de la France* (t. XIV, p. 241): « On ne voit pas sur quel motif le P. Sirmond a partagé ces lettres en neuf livres. Cette division n'existait pas dans le ms., et puisqu'il voulait les partager en livres, il était plus naturel de n'en former que deux, en plaçant d'abord celles que Pierre a écrites étant abbé de Moutier-la-Celle, ensuite les lettres dans lesquelles il prend le titre d'abbé de Saint-Remi, et en dernier lieu celles qu'il écrivit étant évêque de Chartres. » Quem hic indigitat ordinem novum, et certe potiorem, vir doctissimus, in hac editione sequimur, initio tamen cujusque epistolæ editionis Sirmondianæ notas numeralibus inter uncos positis. — Huic novissimæ recensioni accedunt Petri Cellensis epistolæ sex, nondum inter ejus opera editæ: prima et secunda, ad S. Thomam Cantuar.; tertia, ad Alexandrum papam in causa S. Thomæ; quarta, ad Hugonem abbatem S. Amandi, pro Joanne Saresberiensi; quinta, ad Grandimontenses quosdam, ut in proposito perseverent; sexta, ad Ludovicum regem. Interseruntur præterea Nicolai Clarævallensis et variorum ad Petrum epistolæ. (Edit. Patr.)

sibus sententiarum et enerves tenuitate verborum invenisti ? Si non vidisti, quis persuasit tantopere te quærere, quos inventos statim habeas respuere ? Denique in epist. 34, ad Mathildem abbatissam : *De componendis quibusdam sententialis sermonis tui non sum oblitus ; sed tam cito implere non potui pluribus impeditus.* Petri sermones hactenus ineditos nunc primum vulgamus, ex codice Remigiano acceptos. Atque ut de iis ingenue dicam quod sentio, sunt illi quidem piis sensibus referti, respersi floribus Scripturarum, ac sanctiori vitæ componendæ accommodi : attamen exiles nonnunquam, et uni argumento non satis inhærentes, sed in varia subjectæ materiæ capita (qui mos fere illorum temporum erat) volitantes ; mutili et imperfecti aliquando. Digni tamen omnino sunt qui legantur ab iis qui avitam pietatem amant, digni qui emittantur in lucem ob auctoris optimi memoriam. Cæterum in sermone VIII de Cœna Domini usus est verbo *transubstantiavit*, quod vocabulum eodem sæculo usurpavit Stephanus episcopus Æduensis in libro De sacramento altaris, cap. 13.

9. Sequitur *liber De panibus*, Joanni Sarisberiensi amico suo nuncupatus, in Bibliotheca Patrum jam editus, uti et duo tractatus sequentes. Opusculi *De panibus* mentionem facit Petrus in epist. 168.

10. Subsequuntur alia duo opuscula, nempe *De tabernaculo Moysi libri duo*, et *liber De conscientia ad Alcherum monachum*, de quibus nihil adnotandum occurrit, nisi quod liber De conscientia pressior et nervosior alio opusculo esse videtur.

11. Deinde succedit *liber De disciplina claustrali, Henrico Campaniæ comiti nuncupatus*, quem librum Petrus composuit jam senex, utpote annum trigesimum agens monasticæ professionis ; uti ipse in Præfatione testatur, ubi *sciaticæ guttæ* qua pungebatur meminit. Quem locum si conferas cum epistola 83, ad Alexandrum papam, in qua se excusat a concilio Romano propter eamdem (ut vocat) *guttam ;* non obscure colliges, hunc librum scriptum esse circiter tempus concilii, quod celebratum est anno 1179. Quod si ita placet, Petrus non multo ante annum 1158 vitam religiosam professus est. Quamquam nihil obstat, Petrum sæpius eadem passione affectum fuisse. Certe si *adolescentulus* (ut superius observatum) vixit in monasterio S. Martini de Campis, longe ante prædictum annum nomen dedit Ordini nostro, ut qui anno 1180 jam ætatis erat exactæ. Lege ipsius epistolas 151 et 166. Istum porro tractatum primus in lucem edidit Acherius noster in Spicilegii tomo III.

12. *Epistolam ad fratres de Monte-Dei*, quæ S. Bernardo perperam ascripta est a multis, Petro nostro tribuendam esse conjectavit eruditus vir, qui nuper epistolam illam Gallice reddidit. Jam omnium animi in eam sententiam, quæ exquisitis fulta erat conjecturis inclinabant ; cum Præfationis istius epistolæ posterior pars, in editis eatenus resecata, e mss. codicibus eruta prodiit tum in tomo II Bibliothecæ Cisterciensis a Bertrando Tissierio concinnatæ, tum in nova editione S. Bernardi operum, in cujus Præfationis calce auctor instruit indicem operum suorum, quæ Guillelmi abbatis monasterii S. Theodorici genuina esse compertum est. Ex quo conficitur, epistolam illam verum esse fetum Guillelmi abbatis, cujus nomen utique, tametsi decurtatum, legitur in salutatione epistolæ præmissa hunc in modum, qui in omnibus quos viderim libris manu exaratis exprimitur : *Dominis et fratribus H. priori et H. W. Sabbatum delicatum*, id est *Haimoni priori* et alteri monacho Carthusiano, cujus nomen incipiebat littera *H. Willelmus*. Non ergo Petro nostro, sed Guillelmo adjudicandam esse eam epistolam, evincit tum salutatio epistolæ, tum enumeratio illa Guillelmi operum, quæ in fine Præfationis ab auctore ipso condita est. Accedit auctoris ætas quæ Petro competere non potest. Illa siquidem epistola ab auctore jam *sene* inscripta est *Haimoni priori* Carthusiæ Montis Dei. Auctor enim in Præfatione ad Haimonem jam *senem* se et *deficientem* esse ait. Atqui Petrus virilem ætatem agebat Haimone priore, qui Gaufredo priori primo successit anno 1144 in annos septem : quo tempore Petrus noster necdum annos triginta attigerat. Certe eam epistolam scriptam esse initio institutæ Carthusiæ Montis-Dei intelligimus ex quæstione *novitatis* ab æmulis objectæ, quos auctor a principio revincit. Carthusia vero hæc anno 1136 condita, Gaufridum priorem primum habuit ; secundum Haimonem anno 1144, tertium Gervasium anno 1151, cui suffectus Simon, ad quem duæ exstant Petri nostri epistolæ. His adde styli et orationis discrepantiam magnam, quæ inter legitimas Petri epistolas aliaque opera, et epistolam ad fratres de Monte-Dei intercedit. Nam hac in epistola stylus turgentior, sententiæ magis pingues, sublimes et fortes ; orationis consequentia major, quam in Petri nostri operibus elucent. Ea porro omnia ex æquo respondent aliis Guillelmi abbatis lucubrationibus, quæ ingenium grave, solidum et apprime eruditum spirant. Quæ dotes equidem in Petri nostri scriptis satis apparent, non tamen (ut quidem ego censeo) ad Guillelmi comparationem. Hæc sunt argumenta, quæ prædictam epistolam non Petro nostro, sed Guillelmo abbati restituendam esse persuadent, nomen scilicet *Willelmi* in salutatione expressum, index Guillelmi operum in fine Præfationis, auctoris ætas et stylus, quæ in Petrum convenire non possunt. Neque his obstat, quod enumeratio illa Guillelmi lucubrationum desit in plerisque exemplaribus mss. Ea siquidem exstat in nonnullis optimæ notæ, signanter in Thuaneo, quod olim fuit Bibliothecæ Montis-Dei. Cur vero Guillelmus *abbatis* nomen ea in Præfatione non assumpserit, inde factum est quod eam epistolam scripsit post ablicatam præfecturam, cum ad Cistercienses transierat Signiaci monachus factus, ubi et sepultus est. Verum hac de re et de Petro nostro satis ad hunc locum.

TESTIMONIA VETERUM

DE PETRO ABBATE CELLENSI.

I.

Nicolai monachi Clarevallensis epistola 25, *quam prioris sui nomine scripsit ad Henricum episcopum Trecensem.*

Abbas Cellensis vir religiosus ac timens Deum, homo bonus et testimonium bonum habens a bonis, vita et litteratura conspicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus, ut non sit unus de cæteris, sed præ cæteris unus. Omnia nostra sua sunt, et sua nostra sunt ; nos in illo, et ipse in no-

bis unus est de ordine suo, in quo domino abbati nostro (*S. Bernardo*) amico vestro multum complacuit, etc.

II.

Joannis Saresberiensis epistola 172 *ad Henricum comitem.*

Quas quæstiones cum mihi Albericus Remensis, quem cognominant de porta Veneris, (quæ vulgo Valesia dicitur, nomine vestro adhibitis aliquot litteratis viris proposuisset, ut verum, domine, fatear obstupui, nec quærenti potui habere fidem, donec venerabilem virum, fidelissimum et devotissimum vobis, abbatem S. Remigii adduceret, qui et ipsas proponeret quæstiones, et ad eas cum multa precum instantia pro amore vestro et suo peteret responderi : pro certo affirmans vobis in A vita nihil esse jucundius quam cum litteratis viris et de litteris habere sermonem.

III.

Kalendarium Ecclesiæ Carnotensis. IX *Kalend. Martii.*

Obiit piæ recordationis D. Petrus Carnotensis episcopus, qui prius fuerat abbas S. Remigii Remensis, qui antiquam banni consuetudinem Theobaldo comite assentiente reformavit.

Petro abbati de Cella scribunt Bernardus epistola 295 ; *Joannes Saresberiensis epistola* 75,77,81, etc., *et Nicolaus Clarevall. epist.* 20, 24, 28 (2), etc. *Eidem abbati S. Remigii Saresberiensis idem epist.* 280, *et Alexander papa III, passim. Episcopi vero Carnotensis meminit Stephanus Tornacensis epistola* 136.

(2) Nicolai epistolas epistolis Petri ad eumdem responsoriis præmisimus. EDIT. PATR.

JACOBI SIRMONDI

EPISTOLA AD CARTHUSIANOS DE MONTE DEI.

(Edit. Opp. an. 1728, t. III.)

Religiosissimis Deique amantissimis DD. *priori et Patribus Carthusiæ Montis Dei, Jacobus* SIRMONDUS, *Societatis Jesu, S.*

Cum mihi nuper ex Lotharingia redeunti aditus ad celeberrimæ domus vestræ septa patuisset, Patres religiosissimi, liceretque jam propius intueri, quæ multorum de ea sermonibus et scriptis prædicata memineram : miratus sum e vestigio, quocunque animum oculosque converterem, supra famam opinionemque nostram excellere universa. Sed ut quod res est dicam, neque ita me loci facies cepit, quamvis eximia, et naturæ ingenio, cultuque amœnissima, neque sacellorum, totiusque ædis sacræ ornatus atque nitor oculos sic affecit, ut animum sanctissimi istius cœtus vestri conspectus et admiratio. Quid enim (mecum ipse reputabam honestius ? quid maturius ? quid ad pietatem aptius esse queat ? aut quænam alia fingi, si hæc non est, forma integra et absoluta æmulandæ religionis ? Nimirum hoc erat, cujus gratia jam olim tanto studio visebatur MonsDei : hoc philtrum atque illex, cur has sedes vestras summi viri tantopere adamarent. Propterea S. Bernardus, cujus signatam vestigiis cellulam, sacrasque vestes hospitalitatis vestræ indices non immerito retinetis, istuc libens interdum relicta Clara-valle properabat. Inde Bernardus alter ex abbate Prænestinus episcopus, vitæ mortisque ornamentis clarissimus, Montis Dei latebras Romanis deliciis, et cardinalitiis quæ delatæ fuerant infulis anteponebat. Petrus vero S. Remigii Abbas noster, post delibatam semel congressus consuetudinisque vestræ dulcedinem, quid habuit antiquius, quam ut ad vos identidem, quod ejus Epistolæ testantur, aut re ipsa cum posset, aut votis certe, si re non liceret, animoque et cogitatione recurreret ? Qui nunc omnes si cœlo delapsi ad vos redirent, nihil ut equidem censeo, impensius gratularentur, quam eumdem hunc apud vos disciplinæ florem, quem primævum viderant, illibatum integrumque tot post sæcula permanere. Quanquam cur ego Montis Dei præcipuam laudem faciam, quæ communis est omnium ubique Carthusianorum ? Vestri enim ordinis, RR. Patres, familiæ vestræ proprium est decus, inconcussam ævo ætatem ferre, annorum vices nescire, temporum detrimenta non sentire. Itaque laborant alii ut ruinas suas instaurent ; vos ne patiamini. Illi ut antiquam originis suæ dignitatem intermortuam exsuscitent ; vos ut quam hactenus non degeneres tuemini perpetuo conservetis. Quo mihi quidem, cum instituti vestri vitæque præclara sint omnia, nihil admirabilius, nihil ad nominis vestri gloriam illustrius videtur. Erunt quos alia fortasse Ordinis vestri ornamenta moveant, qui plena stuporis exordia suspiciant : domos plurimas non sine cœlestibus prodigiis fundatas : episcopales cathedras aut fortiter a vestris hominibus, Brunonis exemplo repudiatas, aut sanctissime, cum reniti non possent, ab Hugonibus, Anthelmis, Stephanis administratas ; alios rursus diversarum ecclesiarum clarissimos antistites, neque hos solum, sed ipsos etiam summæ potentiæ dignitatisque principes, cum Guillelmo Nivernensium atque Antisiodorensium comite, abjectis coronis tiarisque, cilicioli vestri asperitatem vel suscepisse vel optasse. Innumerabiles præterea religiosissimorum ac pietate doctrinaque præstantissimorum Patrum turmas, quorum alii virtutum suarum, mirandorumque operum fama oras omnes complerunt, alii saluberrimis laudatissimisque scriptionibus Ecclesiam illustrarunt. Magna hæc profecto, nec sine admiratione memoranda. Sed horum aut pleraque aut omnia suis quoque laudibus alii ornines annumerant. Vestra est, et sine exemplo, ista quam dixi antiquæ disciplinæ perpetua stabilitas et constantia, tanto cæteris gloriosior et illustrior, quanto supra humanam conditionem est, in hac rerum quam patimur mobilitate atque fluxu, gradum figere, atque invariabilem beatarum mentium perseverantiam imitari. Hinc ergo me, ut vobis, RR. Patres, hospitii gratiam his potissimum epistolis redderem, causa non una permovit. Primum quidem, ut earum auctorem vel hac ratione compotem voti facerem, ut qui ad Montem Dei libenter itare solitus est dum vixit, eo nunc etiam qua potest sui parte revertatur. Tum vos deinde in majorum vestrorum, quam ob oculos ponet, imagine, præsentia felicitatis vestræ bona, qui iisdem vestigiis inceditis, agnoscatis. Me denique inter assiduas divinarum laudum, distinctas actu, variatas temporibus, sed nunquam intermissas excubias, quibus dies noctesque insistitis, dum precum vestrarum beneficium orbi Christiano impenditis, admiratorem veneratoremque vestri, in tanti si placet muneris partem aliquam venire jubeatis. Valete.

PETRI

CELLENSIS (3) PRIMUM. DEINDE S. REMIGII REMENSIS ABBATIS, DEMUM CARNOTENSIS EPISCOP

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

Eas continens quas scripsit cum abbas Cellensis ageret.

EPISTOLA PRIMA (4).

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

[1, 1] Domino suo ALEXANDRO Dei gratia summo pontifici G.

In gravissimis quæstionibus sicut olim ad Moysem, sic nunc, Pater venerande, ab omni Ecclesia Dei recurritur ad beati Petri et vestram sedem. Tam enim communiter communis imponitur vobis sollicitudo omnium ecclesiarum, quam singulariter et specialiter Petro videtur dictum. *Et tu conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Ut tamen compendium de prolixo negotio vobis faciam, Ecclesia nostra Dervensis (5) de manu potentis G. non liberabitur, nisi per manum omnipotentis Dei, nisi in arcu vestro, et brachio extento. Clamat itaque de angustia et afflictione sua ad vos, quia salus ejus in manu Dei et vestra est. Non enim respicit ad adjutorium hominum, quorum vana spes, promissio cassa, nulla confidentia. Vobis autem sine dubio et sermo potens ad liberandum, et virtus sufficiens ad redimendum. In umbra itaque vestra aut est ei vivendum, aut sub umbra mortis, videlicet G. deficiendum. Dic verbo, sancte Pater, et sanabitur Ecclesia vestra. Ecce languore desperatissimo jam diu ægrotat. Appone malagma, ut cujus est filia ex se languida, sit per te devotissima ancilla et redempta. In ore hujus nuntii nostri posuimus et quæ dicat et quæ faciat. Rem ut est latius ipse exponet, sive quomodo justitiam in præsentia episcopi Catalaunensis subterfugerit; sive quomodo apud Remensem archiepiscopum sola frustratione causa dilationis appellaverit: sive quomodo interposita fide in domnum Henricum Trecensem comitem (6) compromiserit, et postea resilire tentaverit. Capite vulpem quæ demolitur vineam nostram. Petitio nostra hæc est, ut sub tali tenore ad archiepiscopum Senonensem remittatur causa, quod vel compromisso suo stare cogatur, aut possessio sive investitura nobis restituatur, quam Ecclesiam nostram aliquando habuisse probare poterimus.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

[1, 2] Domino suo et Patri ALEXANDRO summo pontifici, fr. PETRUS humilis abbas Cellensis, debitam subjectionem filii et devotionem.

Cui præter sinus paternos alia non suppetunt refugia, instantius eadem requirit in necessitate suffragia. Ad vos, Pater sanctissime, a multis quæ circumdant nos tribulationibus, et principum nostrorum oppressionibus merito confugimus, cujus studio et sollicitudini regendam Ecclesiam suam in mundi fluctuationibus commisit Christus. Jam enim perimus nisi respexerit naufragia nostra benignus Deus. Justitia, ratio, veritas, lex et æquitas de die in diem a nostris finibus exterminantur, et earum memoria absque modo et misericordia exstinguitur. Proinde respiciat, quæsumus, super nos misericordia vestra, ut vivere possit anima nostra. Vale.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

[1, 3] Domino et Patri charissimo ALEXANDRO

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(3) *Monasterium* Cellense, cui Petrus abbas præfuit, in suburbio situm est Tricassinæ civitatis, loco qui olim insula Germanica dicebatur. Unde vetus quoque monasterii nomen duplex. Nam et monasterium S. Petri ab ejus tutela et patrono appellabant, et a prisco loci vocabulo monasterium Insulæ Germanicæ, quo sane modo Nicolai Clarevallensis epistola 24 in codice nostro inscribitur, *Petro abbati Insulæ Germanicæ*. Dictum est etiam cœnobium Cellæ Bobini, ut recte in antiquitatibus suis observavit vir eruditus et diligens Nic. Camuzatius. At vulgus hodie patria lingua *Monstier la Celle*, hoc est monasterium Cellæ vocat. Interdum vero absolute monasterium Trecense, et abbates Trecenses dicti sunt, qui Celienses. Sic enim Petrus ipse loquitur epist. 7 et epist. 54, ob hanc nimirum causam, quia omnium Tricassinæ urbis cœnobiorum antiquissimum erat Cellense.

(4) *Epistola prima*. Hanc alieno scribit nomine, ut sextam item: reliquas proprio.

(5) *Ecclesia N. Dervensis*. Monasterii Dervensis, quod in saltu Dervensi positum est in diœcesi Catalaunensi. Gallis vulgo *Monstier-en-Der*, quasi monasterium in Dervo. Hujus nomen sæpius infra recurret in epistolis Alexandri III; corrupte vero apud Gerbertum epist. 8, *Terdonensis* editum est pro Dervensi.

(6) *Henricum Trec. com.* Ad quem epist. 30.

summo pontifici, fr. PETRUS Cellensium fratrum minus idoneus abbas, se ipsum cum devotione.

Ubi causæ postulandæ perorare per se sufficit prærogativa, solet rogantis etiam minus idonea recipi persona. Supplet namque dignitas petitionis insufficientiam postulantis. Prædecessorum vestrorum privilegiis et beneficiis abbatiam Fontis-Ebraldi sublimatam et communitam ubique divulgatum et notum est in partibus nostris. Episcopus autem Pictavensis, cum rigare debuisset et favere plantationi dexteræ Dei et vestræ, nititur libertatem hujus Ecclesiæ diminuere, et contra privilegium consuetum abbatissam cogit professionem (7) sibi et obedientiam promittere, quam sibi sedes Petri retinuit. Gloriam itaque vestram alteri non detis; sed omni remoto mediatore, propria benedictione et protectione et abbatissam, et abbatiam ut dignum est, foveatis.

EPISTOLA IV.

AD EUMDEM.

[1, 4] Domino et Patri charissimo ALEXANDRO universalis Ecclesiæ summo pontifici, filius suus PETRUS Cellensis indignus abbas cum omni dilectione obedientiam, voluntariam subjectionem.

De multa bonitate vestra plurimum confidens, etiam pro negotiis aliorum vobis aliquando scripsi. Nunc vero in propriis vestrum, Pater sanctissime, cogor expetere pium auxilium. Est autem hujusmodi pro necessitatibus Ecclesiæ nostræ negotium. Habemus prioratum apud Cantumerulam (8), in cujus cœmeterio jus sepeliendi omnes qui de castello sunt, et de quibusdam aliis villis hactenus dignoscuntur habuisse. Constat etiam antiquitus non fuisse cœmeterium in castello, dum ibi essent canonici sæculares. Cum autem successissent regulares, ab antecessore nostro impetratum est, intervenientibus comite Theobaldo (9) et Hatone episcopo Trecensi, quatenus ibi fieret cœmeterium, tantummodo ad sepulturam canonicorum et conversorum suorum. Abbas autem cum canonicis suis contra pactum veniens, illos etiam, qui tam jure quam pacto in cœmeterio nostro sepeliri debuissent, sepelivit. Cum de his utrinque altercatum in curia Trecensi et ad judicium ventum esset, appellavit abbas. Pro hujusmodi, Pater dulcissime, benignitatem vestram obsecramus, supplicantes ut et nuntium nostrum benigne suscipiatis, et petitiones nostras efficaciter exaudiatis.

EPISTOLA V.

AD EUMDEM.

[1, 5] Venerando Patri et domino Dei gratia universalis Ecclesiæ summo pontifici, frater PETRUS Cellæ sancti Petri Trecensis humilis abbas, quidquid potest.

Qui nostram humilitatem alicujus momenti apud sublimitatem vestram reputant, utinam spei suæ fructum in effectu precum suarum inveniant. Hinc enim et vestra benignior apparebit dignatio, et nostra confortabitur de vobis gloriatio, et amicorum pro impetratis gratiosior erit exsultatio. Amici nostri, imo veritatis et honestatis, sunt isti, R. archidiac. et magister H. qui pro præpositura Suessionensis Ecclesiæ D. Guillelmo (10) concedenda, pietatem et providentiam vestram adeunt. Guillelmus vero iste quam de magno genere, imo quam de bono sit, vel cujus filius fuerit, exprimerem, nisi virtutes et probitatem patris ejus in omni genere virtutum adhuc in curia Romana spirare sperassem. Certe quod optabilius est, nec ramusculus ipse a radicis pinguedine paternæ degenerat. Talem itaque suscitare in Ecclesia Dei cum omnino expediat, quia multi insurgunt adversus eam dicentes : Non est salus ipsi in Deo ejus; non respuat dextera Dei et B. Petri, et vestra, quia faciet fructum juxta genus suum; quod omni obsequio et obedientia semper obtemperaverit præceptis curiæ Romanæ et summorum pontificum. Habet autem et duo brachia præclara et fortissima, quibus poterit relevare incurvantem, et rebellare refrenantem, quibusque umbraculum Dei protegat a turbine et a pluvia. Comes Henricus, et comes sive dapifer regis Theobaldus (11), hi fratres ejus sunt, et erunt ei in omni auxilio et consilio. Valete.

Magister H. vir apud nos probatæ honestatis ma-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(7) *Abbatissam cogit profess.* Vetus hæc inter illos controversia, ut docet Sugerii abbatis epistola ad Eugenium III. Adriani sane IV exstat in tabulario Fontisebraldi rescriptum, quo statuit, ut abbatissa professionem episcopo Pictavensi et obedientiam ea lege præstet, ut episcopus monasterio nihil oneris imponat. Ex quo quidem apparet, aut moniales decreto pontificis non statim paruisse, aut epistolam hanc non Alexandro scriptam fuisse, sed Adriano ante ejus rescriptum.

(8) *Prioratum apud Cantum.* Cui titulus a S. Sereno, epist. 72. Inde et prior de Cantumerulæ apud Saresberiensem epist. 115. Sita est hæc Cella (sic enim appellant) propter Cantumerulæ castellum in pago Tricassino. In castello autem ipso monasterium regularium S. Augustini, quibuscum hæc Cellensibus de cœmeterii jure contentio.

(9) *Comite Theobaldo* Magno, de quo epistola sequenti, ad quem D. Bernardus complures.

(10) *Dom. Guillelmo.* Quartus hic Theobaldi Magni comitis Campaniæ filius, et regii sanguinis nexu, et rerum gestarum gloria clarissimus, avunculus enim, utorque fuit Philippi regis Augusti. Huic vero ecclesiasticarum dignitatum, quas plurimas et maximas gessit, exordium non fuit præpositura Suessionensis; nam alias superstite patre jam attigerat, ut docet epistola 271 Bernardi. Posthæc episcopus fuit Carnotensis, tum etiam Senonensis, denique Remensis, ac S. R. E. cardinalis et legatus in Gallia.

(11) *Comes dapifer Theobaldus.* Comes Blesensis, dapifer Ludovici Junioris, ac postea Philippi Aug. regum, quo munere in aula functus est post Radulfum comitem Viromanduorum. In diplomate Ludovici ejusdem pro cœnobio S. Dionysii. *Actum publice Melodunt anno Dominicæ Incarnationis* 1154 *astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt et signa. Signum Theobaldi Blesensis comitis dapiferi nostri. S. Guidonis Buticularii. S. Matthæi cameraru. S. Matthæi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.*

gistrum I. clericum nostrum et amicum nostrum docuit, et multa bona ei fecit. Hunc vobis attentissime commendamus.

EPISTOLA VI.

AD EUGENIUM III PAPAM.

[I, 6] Domino et Patri Dei gratia summo pontifici Eugenio (12) humilis conventus Sancti Mevenni (13), humilem cum omni subjectione salutem.

Ad sinum vestræ pietatis qui debita humilitate recurrit, non solum maternæ lenitatis blandimenta, sed et paternæ sollicitudinis solet invenire in dubia tutamina. In manu namque vestra est post Deum pax omnium simul Ecclesiarum et nostra. Vestram itaque, Pater piissime, rogamus adesse bene volentiam pauperculæ Ecclesiæ nostræ; et ne longiori tempestate convellatur, divinitus indulta auctoritate ventis et mari silentium placeat vobis mature imperare. Ut itaque vehementius et celerius vestra erga nos moveatur clementia, nostra breviter nova et antiqua intimamus pericula. Religionis disciplina et fervor monachici ordinis, tam nostra quam abbatis negligentia, olim in Ecclesia nostra in unum intepuerat. Zelo itaque zelatus pro domo Dei Israel sanctissimæ memoriæ Lucius prædecessor (14) vester mandavit humilitati nostræ, et venerabili episcopo nostro Joanni, studiosius ordinem reformare, disciplinam renovare, et insolitam tumultuationem resecare. Ejus itaque nos tam præcepto quam grata exhortatione ab obediendum inclinati, ut verum fateamur, ad radicem arboris securim extendimus; et abbatem negligentem excidi voluimus, ut vigilantiorem reciperemus. Sic domine et venerande Pater fuerat, nisi totius malignitatis repertor Satanas rursus adversaretur, et nisi domini archiepiscopi Turonensis facies et sententia justa circa hoc negotium perverse mutaretur. Namque electionem nostram prius laudavit, et vestra auctoritate confirmavit, quorumdam vero malignantium postea ductus, ne dicamus seductus, machinationibus, nulla rationabili existente causa, aggravavit erga nos et pastorem nostrum consilium suum, volens et consulens illi gregem dimittere sibi commissum. Gravamen itaque injuste sibi imminens abbas dum attendit, vestram recte audientiam appellavit. Post hanc autem appellationem, quidam de familia archiepiscopi et de mensa ejus, insecuti et persecuti sunt abbatem nostrum, ita ut unum de monachis, unum de clericis suis cum equis et quibusdam caperent et turpiter tractarent. Eapropter vestram efflagitamus, pater et pastor universalis Ecclesiæ, gratiam, ut oculo pietatis nostram attendatis miseriam, et causam nostram sinatis, imo præcipiatis tractari non in archiepiscopi curia, sed in qua ex æquo nostra audiatur et ejus justitia, seu injustitia. Excuset autem abbatem nostrum, quod nequaquam vobis se præsentaverit, tam illata injuria quam corporis gravis infirmitas.

EPISTOLA VII.

AD ROLANDUM ECCLESIÆ ROMANÆ CANCELLARIUM.

[I, 7] Domino et Patri charissimo Rolando cancellario (15) sanctæ Romanæ Ecclesiæ, frater Petrus indignus abbas Trecensis monasterii, id modicum quod est et quod potest.

Nullis meritorum suffragiis subnixus, sed sola bonitate vestra confisus, nostris vestram adesse dignationem petitionibus deposco. Arctius siquidem verbum promissionis vestræ per nuntios nostros acceptum in corde reponens, tanquam mihi obligatam ipsorum jure personam vestram teneo. Ut itaque in causa de ecclesia de Villa Mauri (16) contra injustitiam canonicorum pro nobis valenter assistatis, non remordeat vos conscientia vestra, quia justa est causa nostra. Valete. Parisiensis episcopus exponet vobis tenorem facti.

EPISTOLA VIII.

AD HUGONEM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[I, 8] Venerabili domino et Patri charissimo Hugoni (17) Senonensi archiepiscopo, frater Petrus Cellensis humilis abbas, se ipsum cum devotione.

Vineæ Christi devastatores uvas, sive ejus ovilis oves lupi rapaces toto die devorant, pede conculcant, manu dilaniant, et vestra, benignissime Pater, vigilantia obviare dissimulat? Quare non attenditis quid pro officio, quid pro sponsione, quid pro dilectione, summi pastoris ovibus magnus pastor debetis? Certe defensionem, certe instructionem, certe sollicitudinem. Sed qualem, vel quantam? Sine dubio quantam Christus, qualem Petrus. Christus enim diligit usque ad mortem : pascit Petrus secundum triplicem pastionem. Verbis namque,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(12) *Eugenio P.* Eugenius III non solum ante Alexandrum III sedit, ad quem epistolæ superiores; verum etiam ante Anastasium et Adrianum, quos Alexander secutus est. Quare qui has epistolas digessit, ordinem temporum non usquequaque retinuit. Quod multis deinceps exemplis patefiet. — Auctores Historiæ litterariæ Galliæ. t. XIV, p. 243, priores quinque epistolas eidem Eugenio directas censent, et Alexandri nomen amanuensis oscitantia positum. Edit. Patr.

(13) *Conventus S. Mevenni.* Cœnobium est ordinis S. Benedicti apud Maclovienses in Armoricis. Itaque qui in hac epistola nominatur Joannes episcopus, episcopus est Macloviensis, ad quem noster epist. 16.

(14) *Lucius prædec.* Lucius II, Cœlestini II successor, decessor Eugenii.

(15) *Rolando cancellario.* Illi ipsi qui pontifex postea renuntiatus Alexandri III nomen gessit. Scripta igitur epistola Adriani IV pontificatu, proinde series interpolata, ut monuimus.

(16) *Ecclesia de Villa Mauri.* In qua prioratus alter monasterii Cellensis in eodem pago Tricassino.

(17) *Hugoni Senon.* Qui vir, quantusque fuerit, declarat epistola cleri Senonensis de ejus electione scripta episcopo Carnotensi. *Elegimus*, inquiunt, *nobis in pastorem et pontificem domnum Hugonem præcentorem nostrum, a parentibus Christianis et Deum timentibus nobiliter editum, virum strenuum, modestum, mansuetum, disciplinis ecclesiasticis competenter eruditum, religiosis personis amoris et honoris exhibentem officium*, et quæ sequuntur.

exemplis et miraculis pavit animas fideles Petrus. Non omnino cuilibet pastori impossibile est, pabulum divini verbi ovibus suæ curæ apponere, exempla bona demonstrare; sed grave valde est, miracula antiquorum resuscitare. Quod si supra homines hujus temporis sit patrare miraculum, sufficit nobis fidele propugnaculum. Vobis siquidem in Petro dictum est : *Pasce agnos meos* (*Joan.* XXI), sana scilicet doctrina. Vobis rursum dictum est : *Confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII), bono utique exemplo. Nihilominus claves regni cœlorum tenetis, ut hædos excludatis, et agnos admittatis. Interim in agro mundi, dum agnus et hædus simul habitant, hædus injustior extollitur, agnus innocentior opprimitur, dum enim superbit impius, incenditur pauper. Quamobrem Sara, id est patientia Ecclesiæ, adversus Abraham, id est pastores suos, conqueritur, quod Ismael secundum carnem ludat cum Isaac promissionis filio, cujus querimoniæ divinum jungitur mandatum : *Ejice*, inquiens, *ancillam et filium ejus* (*Gen.* XXI). Utinam, amantissime Pater, Ismael nostrum juxta domini papæ præceptum ejecissetis! fiat tamen non mea, sed vestra voluntas. Sacrarium nempe secretorum vestorum impudens perscrutator non attingam, sed humilis supplicator. Fortassis longa temporis dispendia resarciet plena et perfecta justitia. Si ad diem illam datam probationes vel testes ducere mecum debeam, si placet, remandate. Valete.

EPISTOLA IX.

AD EUMDEM.

[I, 9] Venerabili domino et patri Hugoni Senonensi archiepiscopo, frater Petrus humilis abbas Cellensis, se ipsum cum devotione.

Si patienter dominus meus servo suo, ubi pœna debetur, plagas amicales admoveret, et ubi justitia debetur, præmium rependeret, tam facile confiterer culpam, quam secure sperarem veniam. Prius tamen quam pelagus formidabilis censuræ ingrediar, an accusem, an deplorem sortem, qua huc delatus serenitatem vestram, sive merito, sive immerito, obnubilatam in me audio, satis anxie delibero. Quomodo enim non accusare vel potius exsecrari casum illum debeo, per quem tantum casum sentio? Pereat omnis casus, a quo amicitiæ infertur occasus. Sit solitarius, nec laude dignus, qui venas interrumpens dilectionis inimicitiarum conglomerat virus. Rursus deploranda forte potius est sors illa, quæ cogit utrumque in præcipitium, ut scilicet vel pruinam fugiens incurrat, vel arcum æreum, juxta illud Amos : *Dies*, inquit, *Domini tenebræ et non lux; quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber* (*Amos* V). Ecce amici et domini offendo majestatem, si stetero pro Petro de Tornella (18). Ecce iterum frater dissipantis opera sua appellor, si quod bona fide, titulo justo, et more ecclesiastico a me factum est dissimulavero. Hinc civile jus, inde jus naturale de me conqueritur. Sed quid? Civilia nunquam naturalia corrumpunt. Dicitur ergo mihi, imo non mihi, sed de me dicitur : Hæccine est Cellensis religio? hæccine est veritas? hæccine est fama? Ecce quomodo adulterium, imo incestum fovet; ecce quomodo carnem suam diligit, canones et Evangelium contemnit; ecce quomodo iniquitati patrocinatur. Non a vobis, sed a vestris, charissime Pater, ista adversum nos dicuntur. Vicem quidem mentiendo, et certe vera dicendo, reddere possem; sed infrenat linguam meam sanctissimæ reverentiæ vestræ auctoritas, et conscientiæ meæ professionisque non rumpenda integritas. Victoriosissimo enim triumpho tripudiat adversarius, si de castris patientiæ et humilitatis ad cuneum me provocat impatientiæ et falsitatis. Tunc certe solummodo me superatum æstimo, cum irritatione quacunque terminos religionis transgredior. Audiant igitur, audiant obtrectatores mei. Carnem quidem meam diligo, sed post spiritum carnem diligo, sed secundum Apostolum : carnem diligo, sed non supra modum. *Carnem tuam*, ait Scriptura, *ne despexeris* (*Isa.* LVIII). Beatus quoque Gregor. dicit : Sunt quidam qui diligunt, sed per affectum cognationis et carnis, quibus sacra eloquia non contradicunt. Et Apostolus : *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V). Nos, inquiunt æmuli mei, diligendam carnem concedimus, sed non contra justitiam; adversatur autem prorsus justitiæ adulterium sive incestus. Nihil verius. Sed ego incestum ignoro, matrimonium legitime factum agnosco. Convocavi namque seniores, quos conjunctim et separatim, publice et privatim diligentissime examinavi, nec impedimentum conjugii advertere ex verbis eorum potui. Testes quoque qui nunc proferuntur, alter est minus idoneus propter apparens odium, alter propter causam reticendam usque ad suum locum. Non itaque Evangelii seu canonum contemptor iniquitatem patrocinandam suscepi, qui de lege Domini iota unum aut unum apicem pro temporis opportunitate volens non præterivi.

EPISTOLA X.

AD ALANUM ANTISSIODORENSEM EPISCOPUM.

[I, 22] Domino et Patri suo charissimo Alano Antissiodorensi episcopo (19), frater Petrus indignus abbas Cellensis, salutem.

Verum est quia caro et sanguis regnum Dei non

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(18) *Pro Petro de Tornella.* Desponderat is sibi Hawidem, neptem Petri Cellensis. Quod matrimonium nonnulli, atque in his Hugo archiepiscopus, quasi inter consanguineos initum improbabant; Petrus contra impedimentum conjugii nullum agnoscebat. Qua de re iterum hoc libro epist. 19 et 71.

(19) *Alano Antissiod. episcop.* Flandro Insulensi, ordinis item Cisterciensis. Hic Aripatorii antea monasterii primus abbas fuerat in agro Tricassino. Inde ad cathedram Antissiodorensem provectus cum fuisset, post aliquot annos sponte abdicavit, et ad claustrum rediit Clarevallense, ubi situs est.

possidebunt. Scio, nec de ignorantia excusor. Ambigo tamen, virtus pietatis in una eademque causa cum affectu carnis concurrens, utrum æque ponderet vel præponderet ad meritum. Sine merito namque est sola carnis affectio, aliquando tamen cum exuberat, oneratur merito, sed utique malo. Sequax denique cum fuerit pietatis, honoratur merito, sed bono. Ubi autem prævia, tunc in ambiguum replicatur sententia. Semitas cordis mei ad plenum investigare obstante varietatum caligine nequeo, quantominus apprehendere? Sic astans turba phantasmatum cordis mei audit in interioribus, sic refert foris sensibus rem ut est exquirentibus. Ad quid hæc quasi parabola, vel potius ænigma? ut his qui foris sunt, et de his quæ intus sunt judicant, satisfaciam; neptis nostræ causam non affectu solo carnis me fovere, sed in spiritu veræ pietatis et justitiæ. Absit a sensu meo, imo a vestro, propter carnalem supradictæ neptis copulam, meam æternis condemnare ignibus animam! Quod procul dubio facerem, si matrimonium illegitimum defenderem. O domine, et semper pater, quando autem volueritis, amice charissime, qua ascendit spiritus ille infidelitatis ad sanctam animæ religiosæ sedem, ut fidem duobus inhonestissimæ vitæ et famæ haberetis, et de amici expressa vobis veritate hæsitaretis? quæ spes amicitiæ in me potuit subsistere, cum mihi non crederetis, et contra me testes falsissimos reciperetis? Plane contra veritatem, quam retinere me jam in aure persuaseram, eorum recepistis verbum, certe qui pro vino venderent justum, et pro buccella venderent si haberent primogenita? Sic læsistis amicum? Sed dicitis: Non est amicus qui obstitit in via veritatis. Plane, inquam; ita est ut dicitis. Sed ubi est veritas? In numero? Plures enim fuerunt. In ebriosis et impudicis? Tales siquidem sunt in conductis gratia, pretio et timore. Ita esse, et si modo non affirmo, saltem præsumptione maxima in hoc credere attrahor. Pessimus inimicus et adversarius est nepti et marito ejus avunculus, qui equitaturis suis et sumptibus forte illum deduxit. Archiepiscopus abbati, ut canonicos mitteret scripsit; rebelles et inobedientes sero præcedenti abbati ad tempus reconciliavit, donec fieret iniquitas. Estne hic veritas, vel saltem species veritatis? Fitne tædiosa vobis hæc nostra relatio? Certe ut salvo gratiæ vestræ residuo dicam, tædiosius in sententiam processistis. Dilationem cur negastis? Quæ lex, quis canon hoc docuit, ut vel una dilatio in hoc articulo negaretur? Ne dicatis, quod eam habuerim, quia ante a vobis nec petii, nec impetravi. Prolati namque in judicio vestro, ita ut supputatio matrimonii fieret, nunquam fuerant. Excessistis, domine, excessistis. Præsumptuosus nimirum in hoc videor, quod sic ad unguem episcopum abbas, dominum servus de viis suis redarguere, imo ab eo ei illatas injurias referre præsumo. Non facerem hoc, nisi auroram resurgentis amicitiæ per concessam et recognitam in litteris vestris culpam aspicerem. Nunquam petenti venia deneganda, nunquam pœnitenti culpa imputanda. Satis est. Mittite gladium in vaginam. Valete.

EPISTOLA XI

AD HUGONEM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[1, 11] Charissimo domino et patri Hugoni Senonensi archiepiscopo, frater Petrus humilis abbas Cellensis, spiritum gratiæ et precum.

Si patientiam monemur pro contumeliis rependere, quid pro gratia nisi gratiam tum lege naturæ, tum præcepto ipsius gratiæ debemus reddere? Etsi inimicos jubemur amare, amicis quid habemus facere? credo tanquam ipsam animam nostram suscipere. Certa vero perfecti amoris hæc est testificatio, si amicorum utilitati omnis postponatur occasio. Sic, sic magister M. non obliviosus factus beneficiorum vestrorum, ne vobis materia scandali fieret, et iram regis vestra sublimitas persentiret, tulit in se periculum inimicitiarum, et ab honore interim, donec iniquitas transiret adversarii, gratia vestri cessavit. Foveat itaque pietas, quem sic invenit non ingratum alumnum experientia vestra, et contemperet malitiam molestiarum, quia spem habet in protectione alarum vestrarum. Tenerius namque, imo secretius dicitur diligi, cui nihil charius fuit pace benefactoris sui. Facite ipsi pacem, qui nec paci suæ pepercit propter vestram pacem.

EPISTOLA XII.

AD THEOBALDUM (20) CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[1, 12] Domino et Patri charissimo Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo et apostolicæ sedis legato (21), frater Petrus Cellensis qualiscunque minister, se ipsum.

Facti sumus sicut consolati in consolatione sanctitatis vestræ tam affectuosa, tam pia, tam plena dulcedine et charitate. Reddat vobis Spiritus Paracletus consolationem suam, quia respicere voluistis misericorditer desolationem nostram. Suscitavit siquidem corda nostra etsi non emortua, jam tamen elanguida, susceptio litterarum vestrarum. Dominis et amicis nostris hanc vestram dignationem et consolationem ostendimus, et in spe viva ex consilio eorum fratrem nostrum peregrinari ad vos destinavimus. Excipite illum, et quia vix in terra sua habet, ubi caput reclinet, interim sub umbraculo vestro militet, et stipendia ad nos condigna reportet. Confidimus equidem in bonitate Dei, et in liberalitate animi vestri, quam jam prægustavimus, quia, quamvis in baculo suo transeat mare vestrum, tamen sit rediturus in turmis multarum benedictio-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(20) Male apud Sirmondum, *Thomam.* Edit. Patr.

(21) *Apost. sedis legat.* Legatus per universam Angliam, excepto episcopatu Eboracensi, creatus est VII Idus Octobris anno 1167. Post hunc igitur annum hæc scripta oportuit.

num. Discretione sanctitatis vestræ fratres nostros et nuntios disponendos committimus. Dominum quoque et confratrem in omni oratione et beneficio omnium vestrorum vos annumeramus. Valete.

EPISTOLA XIII.

AD JOANNEM S. MACLOVII EPISCOPUM.

[1, 15] Domino suo charissimo et præcordiali JOANNI episcopo Sancti Maclovii (22) et Mag. presbytero, id quod est et potest.

Charitas patiens, quod mirum dictu est, pene ad impatientiam me impellit. Vidi nuntium vestrum litteris vacuum. Quid hoc est? Estne tanta penes vos chartarum charitas, an sic vestra abbreviata est charitas? Quæ tam importuni silentii causa? quæ ratio tam mutæ et silentis dilectionis? Estne, inquam, in Britannia consecutivum, ut ubi sterilitas panis, sequatur et defectio cordis? Et panis quidem inopiam audiebam, sed famem ex hoc virtutum succedere non credideram. Certe farina et lecythus olei apud Sareptenam, ex quo Elias noster Dominus Macloviensis de his gustavit, non defecit. Certe non defluit amor noster, sed influit, atque effluit. Et episcopum quidem excusat instantia laborum, sollicitudo ecclesiarum, compassio afflictorum, reconciliatio dissidentium. Clericum quid vetat scribere, quid impedit amicales litteras componere? Desidia? sed hanc studium excludit. Insipientia? sed est ei litterarum peritia multa. Ignorantia nuntii venientis? sed mihi nudam salutationem detulit. Festinatio properantis? sed plura sigilla pluribus attulit. Restat igitur condemnanda in amicis negligentia. Quia igitur oleum non misistis, aculeum sumitis; et ideo pungi meruistis, quia ungere noluistis. Valete. Si valetis bene est nobis.

EPISTOLA XIV.

AD EUNDEM.

[1, 16] Domino et Patri charissimo, JOANNI episcopo Sancti Maclovii frater PETRUS Cellensis indignus abbas cum Apostolo in labore et ærumna.

Etiam in amaritudinibus nostris congratulatur anima mea: quanto magis in consideratione gloriosæ remunerationis? Reminiscor siquidem, quia justi in paucis vexati, in multis bene disponentur, et quia reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, atque ideo non vana est exspectatio, ubi tam certa, tam grata, tam larga speratur remuneratio. Certa, propter veritatem promittentis; grata, propter consummationem desideriorum recipientis: larga, propter exuberantiam bonorum cœlestium in communicatione Divinitatis. Hæc reposita est in sinu nostro, hæc inter ubera commoratur, hac quælibet insipida condiuntur, et gustui nostro commodissime aptantur. O animæ meæ dulcedo, quid putatis Dominum non attendere miserias compeditorum suorum? non librare in statera æternorum judiciorum pœnas filiorum? *Nonne*, inquit, *hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?* (*Deut.* XXXII.) Miror vos scripsisse destitutum patrocinio sanctissimi Patris nostri Bernardi (23), cum sancta ejus anima nexibus expedita mortalitatis non charitatis, corruptionis non afflictionis, necessitatis non voluntatis, liberius aures nunc appellet piissimi conditoris pro necessitatibus populi sui. Non mihi contingat de gratia ipsius diffidere, de orationibus ejus desperare. Nimio vobiscum loquendi tantus desiderio vix finem facio. Quem enim sine fine diligo, nunquam satis ei scribere, nunquam satis loqui valeo. Conventus noster vester est populus, noster populus vester est, anima mea vestra est. Utinam viderem vos antequam transiretis ad montes illos, ubi tot sunt, sicut audivimus, pericula. Valete.

EPISTOLA XV.

AD EUNDEM.

[1, 17] Domino et Patri charissimo JOANNI episcopo S. Maclovii, frater PETRUS Cellensis humilis abbas salutem.

Nullius ponderis esse in vera dilectione pomposa et vacua verba, novit qui charitatis medullam vel semel degustavit. Vanum certe et abjiciendæ simulationis reputo, replicare quotidie elementa amoris, ex quo fideliter et firmiter inhæserit radicibus cordis. Metuentis quoque aut diffidentis est, semel natos amores sermonibus velle renovare, quasi vetustas temporis soleat veros affectus antiquare. Non est imaginis Dei ab inceptis deficere. Non est virtutis vacillare, non est solii gloriæ Dei in diversum se vertere. Annon anima ad imaginem Dei? annon charitas virtus Dei? annon pura conscientia thronus Dei et sedes divinæ majestatis? Ut ergo Filius, qui est imago Patris, quæ creavit semel, semper gubernat et regit, utque virtus Altissimi quæ operatur confirmat et perficit, ac denique incommutabiliter manet incommutabilis Dei sessio æternitatis; sic radicata charitas et fundata de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, ignorat occasum, corruptionem abominatur, mortem in æternum non gustat. Hæc interno coagulo suo conjunxit nostros adinvicem affectus. Hæc inter nos mediatrix, unico amore dulciter, fortiter et sapienter animas nostras conglutinavit. Hæc in me vestrum tenaciter amorem effudit, et ad vos non dissimiliter me ipsum totum diffundendo contulit. Ad unicum itaque et specialem amicum singulari spe et unica rogo accedat vestra sanctitas. Non diffidat suum esse, cujus veraciter affirmat se esse. Nisi autem justa occasione inventa ad nos ve-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ

(22) *Joanni episc. S. Maclovii* Ordinis Cisterciensis monacho. Hunc Maclovienses ut sanctum venerantur, inditoque a clathris ferreis qui tumulum ejus ambiunt, cognomine, S. Joannem de Craticula vocant. Exstat ejus nomine ad D. Bernardum epistola inter epistolas Nicolai Clarevallensis, in qua *fr. Joannes episcopus Aletensis* inscribitur, hoc est S. Maclovii.

(23) *P. N. Bernardi.* Pertinent hæc ad annum 1153, in quem incidit mors S. Bernardi.

neritis, satis de integritate amoris nostri diminutis. Valete.

EPISTOLA XVI.

AD EUMDEM.

[1, 18] Domino et Patri suo charissimo JOANNI episcopo S. Maclovii, frater PETRUS humilis abbas Cellensis quidquid est et potest.

Miramur plurimum tanto nos tempore insalutatos a vestra paternitate quasi neglectos fuisse. Non credimus ex negligentia, sed forte ex inevitabili occupationum vestrarum pondere sic oppressum siluisse. Clamamus tandem post vos. Volumus enim suscitare compassionem in vobis passionibus nostris. Neque enim superbe est ab amicis celandum forte subrepens infortunium, nec contumaciter aut inverecunde petendum necessarium suffragium. Præcavendum utrumque, sed maxime alterum. Vitium utrumque, sed alterum patienti gravius, alterum roganti ignobilius. Malum namque absconditum urget acrius, indecenter prolatum nocet apertius. Exoritur aliud a nobilitate naturæ, aliud a necessitatis propagine. Semper enim natura suis est contenta limitibus; necessitas vero nullis reprimitur legibus. De ventre igitur necessitatis primogenita importunitas exorta, cum sit molestissima, quia manus ejus contra omnes et manus omnium contra eam, amicorum nunquam fores cum tædio pulsare; nunquam aures debet aggravare. Quamobrem propensata deliberatione apud me ipsum decerno potius quantiscunque malorum confodi jaculis, quam quieta charorum silentia interrumpere congestis clamoribus et lacrymis. Suggerere tamen eis, quorum fides certa, amicitia indubitata est, non recuso tam dolores nostros quam necessitates, ut et satisfaciam propriæ conscientiæ propter compendiosam insinuationem, et non lædam amicum propter contemperatam inordinationem. Utrumque siquidem suggerens operatur, et necessitatem non tacet, et amicitiæ leges retinet. Nam amicum vel non habet vel habere se non credit, qui fortunam suam quamcunque dubitat aperire, aut instat tanquam ab invito aliquid extorquere. Amicus nempe tam omnium consiliorum dicitur esse conscius quam coadjutor in omnibus voluntarius. Nolo igitur aures vestras implere vastissimis querimoniis, quia stultum est verbis velle explicare, ubi videtur res fidem dictorum excedere. Hæc idcirco diximus, quia nobilis Beati Aigulfi ecclesia (24) cum omnibus appendiciis suis prorsus ita combusta est, ut nihil præter libros et sanctorum reliquias ab incendio servaretur. Præterea et domos quamplures in cineres redegit, ut sic appareat in oculis nostris tanquam gallina, depilata, nec pennas habens quibus pullos suos protegat, nec cibos quibus alat. Non aliquid aliud exigimus a vobis, nisi compassionem, orationem, et consilium. Necesse est autem qui non habet ubi caput reclinet, Aigulfum peregrinari apud amicos et vicinos, et rogare quod solebat rogatus et etiam non rogatus præbere. Si venerit ad partes vestras, suscipite illum, tanquam illum. Nostis enim quis sit, et quo honore dignus sit. Ad episcopum Carnotensem super hoc scribite, et ad alios quibus visum fuerit. Valete.

EPISTOLA XVII.

AD EUMDEM.

[1, 19] Domino et Patri suo charissimo JOANNI Dei gratia episcopo Sancti Maclovii, frater PETRUS humilis abbas Cellensis, quidquid est et potest.

Valet dominus meus? vivitne? Ut credo, aut est alteratus episcopus S. Maclovii, aut alter a meo est substitutus. Si alter est, mirari, sed non dolere desino, tacuisse qui loqui non poterat. Nam surrexit novus rex, qui non noverat Joseph. Si alteratus, nollem tantam fuisse alterationem, quæ pene accedit usque ad alienationem. Alienum ab amico equidem est, posse dissimulare æque et simulare. Non simulat amicus propter veritatem; non dissimulat, sed propter respirantem ardorem. Non simulat, quia sine adulatione; non dissimulat, quia efficacissimæ naturæ existens, sepulcrum reputat latibulum, et non apparere existimat non esse. Non simulat, quia nescit; non dissimulat, quia non potest. Hoc ignorat, illud non potest. Quid enim non novit sapientia? quid non potest charitas? Quodcunque est, scire novit sapientia; quodcunque est posse, potest charitas. Non est scire, scire adulari; non posse, posse obliviscl. O amice et domine charissime! oblivioni an negligentiæ vestræ objiciam quod abstinuistis tam a visitatione, quam a salutatione amicorum vestrorum ultra tempus et modum? Estne oblivio? Si est, digna est morte, digna exsilio, quæ diadema tulit de capite episcopi, quæ de pectore rationale sustulit. Oblivio delet et quod præcipuum est in honore, et quod fortissimum est in robore, id est sapientiam et memoriam. Rea ergo crimine tantæ majestatis capite plectatur, et non memoretur ultra. Negligentia quid? Non sit dissimilis in pœna, quæ præcessit in culpa. Talis etenim soboles tali de matre nascitur, ex negligentia scilicet oblivio.

Doleo, Pater, excessum memoriæ vestræ jam per biennium suspensæ, decessum quoque amicitiæ quatriduanæ multo tempore quasi sepultæ. Nuntium saltem suæ salutis, si vivit, mittere debuit amicitia, cujus naturæ est semper odisse absentiam et

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(24) *B. Aigulfi ecclesia.* Sub oppido Pruvino in Senonum diœcesi, a Theobaldo Tricassium comite proventibus aucta, et accitis e Cellensi cœnobio monachis addicta sub annum Christi 1048. Hinc *prior S. Aigulfi* epist. 35. Hoc prioratu fortuitis flammis deformato, missæ sunt pro illorum temporum more in varias oras S. Aigulfi reliquiæ ad stipem pro ecclesiæ restauratione corrogandam; ea enim est Aigulfi peregrinatio, quam designat iterum epist. 68.

appetere amicorum præsentiam. Forte occupata est; sed non est grata quæ semper est occupata. Mansio est, imo possessio, non occupatio, quæ jugiter retinet. Quis ergo ita præoccupavit, quinimo possedit amicitiam, ne libertate, ne ingenuitate sua utens radios suos ad nos usque expanderet ab annis prioribus? Suntne montes interjacentes? Estne mare interjacens? Estne chaos magnum firmatum inter nos et vos, ut hi qui volunt hinc transire non possint, neque inde huc transmeare? Sed charitas omnem altitudinem exsuperat, sed aquæ multæ non possunt exstinguere charitatem; sed non est qui se abscondat a calore ejus, sed attingit usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. In episcopo nostro, imo sancto et Dei famulo quis te, o dilectio, debilitavit? quis obumbravit? quis hebetavit? quis commutavit? In aliis quidem non ignoro superveniente iniquitate virtutem tuam debilitari, oblivione lucem tuam obumbrari, negligentia acumen tuum hebetari, totam substantiam posse odio commutari. Sed in sancto quæ iniquitas? in studioso quæ oblivio? in viro forti quæ negligentia? in pleno charitate quod odium? Si quando enim tepescit, si quando flaccescit, si quando hebescit in sancto charitas, ea quæ extrinsecus sunt accusanda, non quæ intrinsecus. Obstacula enim opposita mentiuntur veritatem superpositæ lucis, caloris et aciei. Oppone gladio ancipiti durissimum ferrum vel lapidem, retrocedit vis impenetrabilis. Murum spissum oppone igni, tardius calefacit. Candelæ accensæ suppone modium, in luce non gaudebit. Non est proinde putandum non lucere candelam, non ardere ignem, non secare gladium, sed contrariis obstaculis imputandum. Sic sanctorum virtutes a radice sua non evanescunt, sed plerumque propter Sabbatum Judæorum conticescunt. Aromata enim sua interim et in secreto distillant et repensant, ut cum dies opportunitatis illuxerit diluculo in effectum desiderati operis prorumpant. Æque tamen repensatur et desiderium ardens in otii quiete, et opus fervens in actione. Acceptat namque Deus opus propter affectum, non affectum propter opus. Magnus, imo longus nobis est iste dies Sabbati, cujus ferias non feriales vel solemnes, sed ferales et olentes reputamus. Negligentia siquidem male olet, diligentia semper bene redolet. Iners Judaizantium pigritia non diligit Sabbatum quia sanctum, sed quia otiosum. *Jesus vero stabat in die magno festivitatis et clamabat: Si quis sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII). Vere magnus est dies festivitatis. Magnum habet clamorem charitas vestra, jamjam loquatur, imo veniat, imo et accurrat. Desiderat vos anima mea; desiderant vos amici vestri. Ostendite faciem vestram, sonet vox in auribus. Episcopos divites multos habemus, pauperem episcopum quærimus, qui non habeat ubi caput reclinet. Adhuc penes nos reclinatorium non aureum, sed luteum, in quoaliquando quievistis, habemus. Et de his hactenus.

EPISTOLA XVIII.

AD EUMDEM.

[I, 20] Domino suo et Patri charissimo JOANNI episcopo Sancti Maclovii, frater PETRUS Cellensis qualiscunque minister, salutem quæ est in Christo Jesu.

Spes quæ differtur affligit animam. Verus amor in patientia sui desiderii quandoque non irascitur commendabiliter superari. Nihil enim pene aliud est in vita hominum, quod quadam arte mitigari non possit. Spes itaque adventus vestri nuntiati quanto uberius amicum lætificavit, tanto amplius ex mora dilationis hactenus affligit. Æstuat siquidem animus in revolutione fortuitorum casuum, nunc hoc, nunc illud reformidans contrarium subito accidisse. Quid plura? Cogitatio præterit, et cogitatio advenit; morarum vero dubitatio nec ad punctum animo recedit. Alia, inquit, jamjam venit; alia forte non valet. Ista incommoda temporis replicat, illa intolerabile negotiorum pondus anxia suspirat. Ecce quanta caligo, quanta suspicionum tumultuatio. Ubi veritas? cujusnam supradictarum cogitationum verior sententia? An forsan error est, ubi latet quod verum est, et non sententia? Sed adhuc sub judice lis est. Ex multis enim ambiguitatibus, aut vix, nunquam certum aliquid sine doctoris demonstratione elicitur. Renuntiate ergo amicis divinæ circa vos miserationis operam, ut omnimode soluto dubitationis vinculo, indubitanter aut viam sinistram compassionis, aut dexteram apprehendamus congratulationis. Satis enim injuriose deturpatur nobilis animus, si se non præparat mutuis obviare beneficiis saltem æquis passibus. Turpe etiam æstimo, non omnimodo cavere superari beneficio. Unicum quid et singulare natura, sive creator naturæ, tanquam speciale privilegium imagini suæ hoc impressit, quatenus commodius et præstantius haberet stricta æquitatis ratione dare quam accipere. Hanc vobis formam nec rubigo exsilii, nec paupertatis tinea excussit. Ex hac prodiit, quod magna pro parvis, pro vilibus cariora magnifice rependistis: quinimo solemne donum absque præcedentis comparatione obsequii misistis. Species quidem doni carius æstimanda; sed affectio donatoris potius incomparabiliter est compensanda. Quidquid namque aliud datur, in comparatione sublimis animi vilipenditur. Valete.

EPISTOLA XIX.

AD THEOBALDUM PARISIENSEM EPISCOPUM.

[I, 21] Domino et Patri suo charissimo THEOBALDO Parisiensi episcopo (23), frater PETRUS Cellensis humillimus salutem.

(23) *Theobaldo episc. Parisiensi.* Qui prior antea S. Martini, ordinis Cluniacensis. Huic sermones Petrus noster componebat quomodo Salvianus presbyter homilias episcopis multas fecisse dicitur a Gennadio.

Qui transvadari non potest fluvius occursantium causarum, tam ab executione mandati vestri me inhibet, quam ab impletione desiderii nostri. Sermones enim de adventu Redemptoris ut componerem vobis, id mandato acceperam; sed malitiæ sollicitudinis suæ etiam raritatem lucis dies præsens adjunxit. Breves enim sunt dies isti ad lucendum, grandes et graves ad occupandum; ita ut non sufficiat diei malitia sua. Novit prudentia vestra, non concurrere quietem contemplationis et distensionem mentis per occupationes sæculi. Coangustatum est pallium utrumque operire, imo utrumque operari non valet. Quamvis enim in fronte duos quis habeat oculos, tamen ab uno eos officio disjungere non valet, ut altero cœlum, altero contueatur terram: quantominus unam rationis et ingenii aciem simul ad tam diversa porrigere poterit, ut eadem mente cœlestium mysterialiter et terrenorum causas discutiat? Sic domine, sic Pater charissime, saltem nisi clausero, ne dicam si eruero oculum, qui me scandalizat (scandalum enim est mundus quærentibus Dominum) revelata facie gloriam Domini, sive faciem Moysi splendidam non contemplabor. Quale vero aut quam credibile est ejus testimonium, qui nec visa, nec audita loquitur? imo refellendus et repellendus tanquam somnia narrans, qui cæcus et manu tentans sicut talpa; non de Scripturarum contemplatione asserit quæ dicit, sed idola cogitationum et phantasmatum suorum in templo Dei audet statuere. *Non est*, inquit propheta, *idolum in Israel* (*Num.* XXIII); quia qui in lege Domini die ac nocte meditatur, et legis vestigia stricto pede observat, non divinationes cordis, sed mentem legis quando scribit interpretatur. Hæc ad excusandam non meam inertiam, sed oppressam miseriam prælibaverim. De his quæ circa me sunt credere Magistro debetis. Ipse vero narrabit de commotione iræ comitis, quam nobis suscitavit latro ille potius Barrabas quam abbas, sive de aliis. Tres sermones de Adventu Domini, et unum de Nativitate orditus sum vobis. Valete.

EPISTOLA XX.

AD ESKILUM LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[1, 23] Domino et Patri suo charissimo Eskilo Lundensi archiepiscopo (26), frater Petrus Cellensis abbas, omne bonum a Domino Deo.

De superabundanti bonorum cœlestium gratia eatenus tam vultus quam manus vestræ resudant, ut nisi verecundia his temporibus ab humana regione se subduxisset, suffunderentur maximo rubore noti et amici vestri in benedictionum vestrarum largitione. Equidem malim dicere in dando vos pluere quam seminare. Nam qui seminat primum in spe percipiendi fructus seminat, deinde non fundit, sed spargit. Postremo non nisi cultæ terræ semen suum credit. Horum nihil imitatur pluvia; sed se ipsam ut sic dicam perdit in terræ visceribus, ut postea resurgens cum maxima frugum prole afferat fructum tricesimum, sexagesimum et centesimum. Aliud rursum charitatis indicium in pluvia reperio, quia sine delectu rigat fecunda et infecunda, fertilem agrum et sterilem, granum electum et germen reprobum. Estne virtutis, an vitii, hæc bonitatis et beneficiorum prodigalitas? Sed hoc Dei, nec aliud in eo invenitur vitium, nisi, quod benignus ad ingratum, largus ad avarum, pius ad impium existit. Ista sua vitia comparant mansuetissimo innumera convicia. Aliquando moti sunt pedes nostri mitissimi David, quia eruperat pluvia mansuetissimi Dei super malos et injustos, ita ut diceret: *Sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas* (*Psal.* LXXII). Exciderat a mente quod in libro Sapientiæ dicitur: *Tu autem Deus noster suavis et verus es et sapiens, patiens et in misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam. Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati* (*Sap.* XV). Ecce cujus imitator reprehenditur, qui de bonitate, sive largitate redarguitur. Annon Ecclesiastes (*Eccle.* VI) in concione sua proprio decreto et sententia, hoc malum æstimat sub sole, ut cui dedit Deus divitias et substantiam et honorem, non habeat in eis potestatem, sed extraneus illas rapiat? Ad quid hæc vobis verborum congeries? Ut ignis perpetuus de sancto altari cordis vestri non deficiat; sed hac congerie magis ac magis convalescat, donec holocaustum vestrum pingue in nebula, in qua habitat Deus suscipiatur, et a cineribus omnium superfluitatum facies altaris ejusdem expietur. Ostiolum per quod aditus ad Sancta sanctorum patet, de lignis est olivarum; quia procul dubio juxta sacræ fidei tenorem non ei negabitur sanctorum ingressus, qui ab operibus misericordiæ non fuerit alienus. Suppresso pudore in auribus domini mei id persuaserim, non mea tamen præsumptione, sed alterius persuasione. Nequaquam tamen difficilis ad persuadendum exstiti, faciei vestræ, sermonis, et totius gestus insignia penes me retinens, nec me in humilitate similem reperisse de filiis hominum conjiciens. Non igitur ei scribere vereor, quem nisi malis et superbis verendum non reor. Et de his hactenus.

Cæterum culpari non debet servus de contemptu mandati, cujus mens et voluntas nulla negligentia

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(26) *Eskilo Lundensi archiep.* Esquilius dicitur epist. 110, sed Eskilium etiam legimus in epistola Bernardi ad eumdem scripta numero 314. Hic cum ex Urbe in Daniam rediret, captus spoliatusque fuit in Germania. Quæ res dum injuriam missis ad Fridericum imp. legatis, acrius persequitur Adrianus IV, pontifex, cui Eskilius privato etiam nomine charus erat, exacerbatis hinc inde animis, ansam præbuit schismati quod inter eos erupit, ut docet Radevicus lib. I. De gestis Friderici cap. 8 et sequentibus. Sed apud Radevicum *Londonensis* vitiose scriptum est, fœdius etiam apud Innocentium III, epistola 321 *Lugdunensis* pro *Lundensis*. Est autem Lundensis civitas Daniæ metropolis.

revocatur ab impletione voluntatis domini. Ex vestra dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Carthusienses fratres expeterem, et de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatenus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad locum ordini illorum in partibus vestris perquirendum et præparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena et perfecta charitatis effusio, nova seminaria de omni genere sacrorum ordinum seminare provinciam vobis a Deo commissam, ut exinde fructus, qui permanent in æternum, susciperetis; et manipulos justitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis. Jam non solum in herbam, sed in spicas Cisterciensis sive Clarevallis ordo ibi multiplicatione fratrum excrevit : nihilominus et religio Præmonstratensis. Quia igitur gustavit et vidit prudentia vestra, quod bona sit negotiatio ista, ad ulteriora manum porrexistis, et de illo ordine, qui quasi cherubin, sive seraphin, immediate residenti agno, qui habet oculos septem et cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est ut imperastis. Acquievit sanctus Carthusiensium fratrum conventus justis petitionibus vestris. Equidem res impetratu difficilis, sed quis vobis negaret, quod forte Spiritus sanctus in sancto templo suo suggerebat? Certe nec illi, nec nos diffidimus, servum suum fidelissimum et amicum Domini vos possidere, cujus famam et opera tam præclarissima reclamat mundus. Quod cœpistis tam sancte, tam avide, tamque quodammodo intemperanter præ desiderio animæ, sic effectui mancipate, ut melior sit finis orationis, quam principium. Valete.

EPISTOLA XXI.

AD HENRICUM BELVACENSEM EPISCOPUM.

[1, 24] Domino et Patri suo charissimo HENRICO, Dei gratia episcopo Belvacensi (27), frater PETRUS Cellensis abbas, salutem.

Plus satis egena est beneficiorum recordatio, cujus titulus non inscribitur saltem verbotenus gratiarum actio. Proinde stylo ferreo in ungue adamantino profundæ memoriæ mandavi manipulos liberalitatis vestræ, ut nulla capitis vertigine vacillare, nullo temporalis revolutionis diluvio absorberi, nulla denique oblivionis rubigine valeant offuscari. Clarum, novum, et recens penes me retineo semper beneficium acceptum. Quo animo gratiosus cum acciperem ferebar in dati et dantis devotionem, eo in illa senescentis gloriæ defæcatione mutato, robustius

JACOBI :

(27) *Henrico episc. Belvac.* Fratri regis; monachu fuerat Clarevallensis. Monacho itaque, nondum episcopo, scribit Nicolaus Clarevall. epist. 1 et 39. Inde vero ad cathedram Bellovacensem provectus est anno, ut Siberti supplementum notat, 1149. Exstat Henrici ipsius ad Petrum Cluniacensem expostulatoria, in qua de eo tanquam hujus dignitatis conciliatore conqueritur.

(28) *Octavianus.* Nomen adjectum ex conjectura Nam in scripto exemplari, quo usi sumus, vacuu

A præparor ad obsequium, verius eliquesco in amorem benefactoris totum animi balsamum. Superaccessit eodem vestro vultus hilaris, animus gratus, modus honestus. Et manus quidem larga in beneficium totum se expandit, sed voluntas, in circumstantiis doni se supermensuravit. Quid enim fuit convocare diœcesaneos abbates et priores? Quid iterum indicii maioris expressit tam benigna personæ et negotii nostri commendatio? Quis non est admiratus tam despectam personam a fratre regis sic honorari? ab episcopo Belvacensi sic amplecti? a tanto homine tantillum monachum sic nominari? Non sustinui quæ de me supra efferebantur, præ ruboris verecundia, imo pro veritatis conscientia, quæ admonebat me non esse illum de quo talia dicebantur, fugi, recessi, sed non longe, quia majora pati cogebar instanti necessitate. Necessitate revera pallium erubescentiæ rejeci, cum amicorum fores ut acciperem intravi. Certe accepi a multis multa, sed a nullo tanta, quanta a domino meo. Vicit notos, vicit alios amicos, vicit omnes vicinos et summa doni, et modus donandi. Non sum locutus, sed quia veni, optime recessi locatus. Non enim beneficium rogando, sed veniendo consecutus sum. Prævenit spondens lingua rogantis linguam. Pepercit regia nobilitas teneritudini frontis cito se in ruborem verecundiæ conspergentis. Hæc omnia beneficia tua, domine, signata sunt in thesauris meis. *Quid ergo retribuam Domino meo pro omnibus his quæ mihi tribuit?* (*Psal.* CXV.) me ipsum sine dubio, non contra legem me liberum in servitutem distrahendo, sed servum amicitiæ tuæ in libertatem vindicando. Potius enim libertate ista gaudeo, si servus tuus sum munere amicali, quam libertate qua sum alienus ab officio serviendi tibi. Valete.

EPISTOLA XXII.

AD EUMDEM.

[1, 26.] Domino et Patri charissimo HENRICO Dei gratia Belvacensi episcopo, frater PETRUS Cellensis abbas, zelo zelari pro domo Dei Israel.

Hactenus in palæstra prælium ignave vires non deposcebat egregias. Satis fidum erat equitare sine lorica, sine lancea, sine gladio. Sed nunc qui habet gladium tollat similiter et loricam. Ecce tempus, ecce dies, ecce causa, ubi fortissimi Israel gladio accingi debent super femur potentissime. Nam ecce Philisthiim, qui secundum carnem in baculo arundineo ambulant, de foveis occultæ malignitatis erumpentes, castra innumerabilia, castra fortia, castra fulgurantia posuerunt. Octavianus (28) princeps est

RUM ONDI NOTÆ.

e rat spatium. Neque enim de alio intelligi hæc possunt, quam de Octaviano antipapa, qui adversus Alexandrum III stetit, et Victor appellatus est. Saresberiensis epist. 48 : *Ecclesia Gallicana recepit Alexandrum, ab Octaviano recessit.* Huic quidem post quatuor annos mortuo suffectus a schismaticis est Wido Cremensis, quem Paschalem nominarunt. Sed Henricus eo tempore archiepiscopus Remensis jam erat, non Bellovacensis. Quare in Widonem ista non quadrant.

militiæ, ne dicam malitiæ hujus qui sine Deo, ut dicitur, pro Deo vult regnare. Ecce ipse non velum templi, sed tunicam Christi, non saccum mortalitatis, sed soccum majestatis in Christo et Ecclesia iterum rescindere nititur. Hoc abominabilius reputat unitas Catholicæ fidei, quam perfossionem lateris, pedum confixionem et manuum Christi. De perfossione namque redemptio, de confixione comparata est nostra liberatio. Sed quid de scissione, de divisione, de schismate, nisi anathematis vibratio, animarum damnatio, morum depravatio? Ecce aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel. Tu vero, domine mi, quid? Sta cum Josue, imo cum Jesu evaginato gladio, dic omni transeunti : *Noster es, an adversariorum?* (*Jos.* v.) Habes Alexandrum, imo Petrum, aut potius Christum, qui habet ministros Petrum et Alexandrum. Quis timere poterit cum Alexandro potentissimo? quis vacillare cum Petro supra petram fundato? quis non superabit cum Christo, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra? Novi in te regiam animositatem, novi contra inflexam injustitiam inflexibilem cervicem ; novi ardorem zeli. Age ergo pro dignitate officii, pro sublimitate nativi sanguinis, pro religione ordinis, pro debito Christianæ professionis, quod debes et potes. Multum enim debes : nihilominus et plurimum potes. Satis dictum est sapienti. Sanum et incolumem te custodiat manus dexteræ Dei. Vale.

EPISTOLA XXIII.

AD BALDUINUM NOVIOMENSEM EPISCOPUM.

[1, 25.] Domino et Patri charissimo Balduino, Dei gratia Noviomensi episcopo (29), frater Petrus abbas Cellensis, non anferre sal fœderis Dei sui ab omni sacrificio.!

Scriptum est : *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* xcviii). Angeli autem Dei in cœlo sicut sunt ministri divinæ voluntatis, ut fiat sicut in cœlo et in terra, sic æquissimi moderatores sunt divini honoris, ut utrumque pedem regis sui, misericordiæ scilicet et justitiæ, sic vestiant cum digno honore, ne altero neglecto vocetur palatium domus discalceati. Jam pene in terra nostra conqueritur justitia adversus misericordiam, dum agrum justitiæ nemo velit excolere, neque pondus diei et æstus pro conventione denarii diurni portare. Confluunt autem glomeratim viri divitiarum et deliciarum ad amœna prata misericordiæ, et non vere, abscondentes manum sub ascella, et folia ficus suæ turpitudini consuentes, et consulentes, dicentesque : *Pax, pax, et non est pax* (*Ezech.* xiii). Hæc, domine et Pater charissime, non ex supercilio Pharisæorum, sed suavitate litterarum vestrarum dulciter commonitus rescripserim vobis. Valete.

EPISTOLA XXIV.

AD THOMAM CANCELLARIUM REGIS ANGLIÆ.

[1, 27.] Domino et amico suo charissimo Thomæ, cancellario (30) regis Angliæ, frater Petrus humilis abbas Cellensis, se et sua.

Quem fortuna non extollit prospera, magis pro humilitate quam pro sublimitate est admirandus. Gloria in vobis cum prosperitate, ut accepi ab his qui viderunt et noverunt, ambitiosius quam contentiosius contendit, nec confundit aliquando superata, nec unquam insolescit de victoria. Cedit gloria prosperitati, sed gloriose, sed prospere. Quælibet obtineat, humilitatem seu moderationem non amputat. Gloria accedit, sed non superba ; prosperitas venit, sed non effusa. Inde est quod de nube tantæ sublimitatis ad latibulum nostræ paupertatis misistis, quia venire non potuistis. Rogastis de familiaritate et amicitia. Quod rogastis, si admitteretis, admirationi procul dubio habendum esset, pro inæquali rogantis et rogati fortuna. Quæ enim proportionalitatis habitudo inter abbatem Cellensem et cancellarium regis Angliæ? Pene non est comparatio, ubi non est existimationis adaptatio. Secundum post regem (31) in quatuor regnis, quis te ignorat? Primum in miseriis fratrum nostrorum, quis me non reputat? Dicam de compendio, quia quantum de vobis excellentiora, tanto de me sentio et scio viliora. Nullo igitur modo ad ingressum amicitiæ manum porrigo ; sed si vel de grege accidentalium amicorum fuero, bene mecum fecisse dignationem vestram æstimabo. Primitias autem illas non mitto, quia ampliorem gratiam facere propero. Non habebam sermones illos magistri G. (32) sed quæro, et statim scriptorem cum omni instantia huic operi ad opus vestrum designo. Valete.

EPISTOLÆ XXIV *bis*, XXIV *ter*.

AD EUMDEM.

(Vide Patrologiæ t. CXC, inter epist. S. Thomæ, epp. 334, 335, col. 675.)

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(29) *Balduino Noviom. episc.* Duo hujus nominis ecclesiam Noviomensem ordine rexerunt. Prior Simoni episcopo successit anno, ut idem Sigeberti continuator observat, 1148. Abbas antea Castellionis, vir religiosus et honestæ vitæ, ut testantur cleri Noviomensis litteræ de ejus electione ad Sugerium abbatem scriptæ. Alter successorem habuit Rainoldum, qui synodo Lateranensi interfuit anno 1179. Ad priorem opinor hoc loco scribit Petrus? item Bernardus epist. 339.

(30) *Thomas cancellarius.* Cancellarius ab Henrico rege creatus est anno, ut Rogerus Hovedinus scribit, 1157, quinto post anno, archiepiscopus Cantuariensis.

(31) *In quatuor regnis.* Regna dicere videtur quatuor provincias quibus reges Angliæ tunc imperabant, Angliam, Normanniam, Aquitaniam, et Andegaviam, quarum titulis insigniri solebant. In litteris Thomæ ipsius apud Rogerum eumdem : *Henrico Dei gratia illustri Anglorum regi, duci Normannorum, et Aquitanorum, et comiti Andegavorum.* In aliis Willelmi regis Siciliæ : *Henrico Dei gratia illustri Anglorum regi, duci Normanniæ, et Aquitaniæ, et comiti Andegaviæ, Willelmus eadem gratia rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, principatus Capuæ.* Ita enim et reges Siciliæ trium quoque provinciarum sese reges appellabant, tametsi Sicilia sola regnum esset.

(32) *Sermones illos mag. G.* Gilleberti, opinor, universalis, de quo ad epistolam 167.

EPISTOLA XXV.

AD PETRUM VENERABILEM.

[II, 1.] Domino et Patri suo charissimo Petro Dei gratia Venerabili (33), Cluniacensium abbati, frater Petrus humilis Cellensis abbas, se ipsum.

Igniculum scintillantis in me spiritus vestri cineres nostri tenaciter evaporant, et carbones Seraphin nunquam exstinguendos assidua meditatione renovant. Tetigistis, fateor, in me non labia oris, sed venas cordis. Aculeus siquidem collocutionis inter nos habitæ, nostras interiores medullas perforavit, ac in consideratione sui omnia animæ interiora coegit. Revera sermo ille efficax fuit ad torpentis animæ excitationem, ad vitæ hujus momentaneæ inspectionem, ad regularis professionis observationem, ad angelicæ puritatis æmulationem, ad summæ et ineffabilis Trinitatis expeditam contemplationem. Vivus, quia de vera vita; purus, quia de puritate summa; verus, quia de veritate æterna. Non parcit malis, sed placet bonis; remordet vitia, virtutes suadet. Adducit in lucem obscura; tanquam speculum perlucidum vultus prospicientium renuntiat. Fateor, in hujus contuitu rugas meas inspexi, et quod in interiori homine pulchrum prius æstimaveram, deforme reperi. In lucerna ista accensa domum everri, et in peculio multo minus quam computaveram accepi. Marcidum inveni quod floridum credidi. Et quid plura? Fetores niduli mei vix fero, quia ibi reptilia, quorum non est numerus, aspicio. Urticarum ibi punctiones, spinarum compunctiones, veprium complicationes, et tam paliuri sollicitudinum, quam cardui affectionum non parcentes exustiones. Quid namque peccatum, quid pœna peccati, nisi stimuli mortis animam cruentantes, lacerantes et dilaniantes? Misera miseris suis depascitur anima: *Mors*, inquit Psalmista, *depascet eos* (*Psal.* XLVIII). Unde Isaias: *Dilatavit*, inquit, *infernus animam suam absque ullo termino, quia non habuit populus scientiam* (*Isai.* V). Nimium, nimiumque certe se infernus dilatat, cum etiam quosdam in corpore viventes gehennalibus conscientiis jamjam excruciat. Sed usque ad ostium, ceu hostiam crucis, et non ultra, cruciatus isti pertingunt. Cetus namque iste, qui etiam Jonam devorat, omnia rapit, universa devastat, in gutture et ventre malitæ suæ quidquid extra arcam invenerit includit. At quam felicius et quam jucundius anima cupientem se caperet, devorantem se absorberet, persequentem se triumpharet? Draco enim sic illuderetur, sic denique mors interficeretur, sic anima liberaretur. Utinam sic se vindicaret anima de adversario suo, imo utinam infernales sic absorberet in præsenti miserias, ut nullas in crastinum futuri judicii dimitteret pœnarum reliquias! Utinam, inquam, reliquias salvationis, quæ diem festum agent, potius exspectaret anima mea, quam reliquias fecis, quæ subsidunt in calice, qui est in manu domini, vini meri plenus misto! Reliquias prandiorum tuorum, Domine Jesu, suspiro. Venter meus absque spiraculo en totum se expandit, et de micis sive reliquiis tuis repleri appetit. Quæro etiam vinum, quæro et vestimentum. Opto quoque a sanguine peccati, sanguine tuo mundari; opto lineis tuis, Jesu, vestiri, quibus in sacris visceribus virgineis insignitus, ad offerendas preces et munera pro nobis processisti. Hanc sacrosanctam in sancto cœnæ convivio exuisti, in cruce conscidisti, in resurrectione innovatam resumpsisti, in ascensione vultibus paternis in propitiationem nostram repræsentasti. Lava me a sordibus, sana a doloribus, mundator filiorum Levi, reparator filiorum Dei. Quod si manum jam glorificatam clementissime ad tam ulcerosa officia inclinare, propter defluentes ægroti assiduas rheumatizationes refugis, habes aliam inferiorem manum, sed bene doctam, sed satis gratiosam, sed similem nobis passibilem, cui si dederis, imo si jusseris, facile curationes animarum nobis propinabit. Cluniacensem tuum loquor, cui dedisti in corde sapientiam, in ore facundiam, in sermone gratiam, in vultu auctoritatem, in operatione virtutem, in intellectu subtilitatem. Dedisti ei et licentiam, ut secundum cor tuum operetur, et laborantium officinas ingressus, manibus tuis confectam medicinam pro cujusque valetudine dispenset fideliter, et nummum gratiæ pro gratia operæ dispensationis reportet. Gravaris quidem, domine charissime et Pater, in hac administratione tantæ multitudinis, tam spatiosis decursibus, ut modo ad cœlorum fines curribus igneis amore avido contendas: modo ad terræ inferiora et partes ultimas sollicitudine populi proni in culturam vituli comedentis fenum resilias: modo tam procul, modo tam prope, modo supra nubes, modo juxta Goel etiam infra cives, modo supra spiritum, modo infra te ipsum cogaris te levare et deponere. Laboras si non amas; laboras, sed si fructum non videas; laboras, sed si finem non speras; laboras, sed si retributionem non consideras. Et de fine quidem scriptum est, *quia ecce finis venit, venit finis* (*Ezech.* VII). Denique appensum est in statera laboris tempus, et inventum est minus habens, quam retributionis denarius. Non in dies et annos producitur labor, quia in modico, et in brevi fiet laborum retributio. Iterum de fructu videndum est, quia fructus tuus, fructus sublimis est, fructus lucis, fructus benedictionum Domini, fructus innumerabilis. Dinumera stellas cœli, dinumera arenam maris, et dinumerare poteris fructum horti Domini, scilicet Ecclesiæ Cluniacensis. Quid dicam de dilectione? Annon amas, Pater amantissime, dilectum ex dilecto, vulneratum charitate in ligno? Novi, novi ego, novit et angelus tuus dilc-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(33) *Petro Venerabili.* Quod illi proprium quasi cognomen factum est. Nam Petrus Venerabilis appellatur Cluniacensium abbas VIII, et suis ipsius et aliorum scriptis notissimus. Decessit Kalendis Januar. anno 1158.

ctionem tuam, flammescentem in Deum fortiter, recalescentem in proximum non mediocriter. Denique pius et largus remunerator non solum operum, sed et affectionum, ante faciem tuam Christus Jesus accinctus plena manu præcurrit, in latere claro vultu concurrit, et post tergum extenso brachio succurrit. Præcurrit ut prævius, concurrit ut socius, succurrit ut medicus. Præcurrit ut imiteris, concurrit ne lasseris, succurrit ne labores. Præcurrit prædestinatione, concurrit vocatione, succurrit justificatione.

Jacob in utero matris prævium habuit, cum non ex operibus, sed ex vocante dictum est : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX). Angelica quoque natura in confirmatione suæ stabilitatis concurrentem gratiam habuit. Saulo in languore suæ infidelitatis nonne gratia de cœlo succurrit? Post hunc currens non deficies, cum isto vadens ad omnia sufficies : huic toto totus innixus omnia te posse non desperes. *Omnia*, inquit Apostolus, *possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV). Pennis quidem paternæ, necnon et maternæ generationis revolat iste Filius Dei, et prævolat ad sinus paternos; sed tamen gressum retardat, sustinens lassos. Itineris quoque duriora et asperiora sibi non ignarus, sed benignus secernit. Non enim est dolor, sicut dolor ejus, et nobis planiores semitas, lapides de via tollens, proponit. Unde ait : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Quasi guerræ vestræ et debiti pœnalis discrimina persolvi, et pacis integræ remedia indulsi. Partem, inquam, suam meliorem, non molliorem fecit, quia simul molliorem et meliorem in mundo, ubi pressuram promittit, neminem posse habere docuit. Volo quidem ego meliorem, sed ex gratia; eligo sæpe molliorem, sed ex humanitatis natura. Non sic vero, non sic legit Deus. Divisit enim aliter. Seorsum, sed sursum posuit meliorem. Homines autem tanquam molliores, infirmiores, seu inferiores, adhuc limum plasmationis præ oculis habentes, molliora et dulciora, non meliora et duriora appetunt. Optioni siquidem nostræ relinquitur, utrum accipiamus meliora, sed duriora; an molliora, sed deteriora. Video autem humanitatem meam frequenter et diu in hoc discrimine vacillare. Modo enim tentat et attrectat durum propositum, quia melius; modo relabitur ad molle, quia delectabilius. In istius contractu placet emptio, sed displicet conditio; in alterius contractu facilis conditio, sed vilis emptio. O anceps, o dubia negotiatio! Superflua carnis equidem delectatio non usquequaque est omni homini odiosa, sed multum quæsita, multum appetita, multumque a multis amplexata. Sed quousque? Modica est, transitoria est, etiam cum esse videtur, non est. Se ipsam consumit, se ipsam destruit, in se crudeliter sævit. Acerbius tamen damnum quod naturam lædit, quam quod se ipsam interimit. Intrat hujusmodi delectatio, et natura fugit. Rerum omnium domina ancillam istam velut pestem refugit velut mortem evitat, velut infernum cavet. Nunquam enim aut raro in una sede morantur, vix aut nunquam operantur. Semper namque alia est operatio necessitatis, quæ et naturæ, alia superfluæ delectationis. Verbi gratia, cum sepelitur aliquis vino, cibo usque ad nauseam ingurgitatur, enervatur luxuria, nonne hinc luget natura? nonne ægrotat? nonne graviter laborat? Citius procul dubio deserit hunc flos ætatis, et morbi sive mortis intempestivæ accersiuntur nuntii. Hæc tamen opera carnis esse, sive superfluæ delectationis, quis ignorat? Natura vero his gaudet abstinere, et, ut ait Seneca, paucis contenta est. Et ratione quidem ista regitur, illa vero abusione. Illa in veritate ambulat; monstri vero hujus facies blanda, ut decipiat; sed in posterioribus circumfert aculeum scorpionis, ut perimat. Mentum simplicium apprehendit, sed inguina ferit. Cohors et tribunus synagogæ peccantium hujus principatum sibi assumit in caput et regem, et respuit super mulam regis verum Salomonem. O peccatum! o iniquitas! *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus* (*IV Reg.* XIII), non sileat saltem in ore vestro spiritus justi Nathan, non sinat fieri tantum nefas in Israel Dei. Sceptrum namque regni superflua carnis delectatione obtinente, quæ pax super Israel? Imo quæ jura non subvertuntur? quæ leges non obliterantur? quæ ratio non exsulatur? quæ virtus non confunditur? quæ boni species non suffocatur? Quod genus erroris non *extollitur supra omne quod dicitur Dominus aut quod colitur?* (*II Thess.* II.) Hæc radix est peccati, totius honestatis tinea, fovea vitiorum, puteus dæmonum, vorago animarum. Recludite, obsecro, recludite feram istam pessimam, quæ devorat Joseph nostrum (*Gen.* XXXVII), vel potius filios Jacob et Joseph.

Certe nimium efferatur, et rupto propositi ac religionis repagulo usque ad Sancta sanctorum Cluniacensis ordinis, imperii sui fines propagare conatur. Ubi enim sine licentia comeduntur carnes (34), nonne Adæ prævaricatio renovatur? Nonne voti et sanctæ institutionis paradisus violatur? Nonne legitur, quia *inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes?* (*Deut.* XXXII.) Sanctitatis opprobrium, religionis abominatio est, non quidem carnes edere, sed cum sanguine inobe-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(34) *Sine licentia com. carnes.* Monachi vetere instituto a carnibus abstinent, ne, quod de se ipso scribit Bernardus, dum nimis nutriunt carnem, nutriant vitia. Edere tamen interdum licuit, sed infirmis duntaxat, prælatorum permissu. Goffridus Vindoc. lib. IV, epist. 42. *Carnis comestio sicut monachis pro corporis infirmitate conceditur, ita eis n carnis voluptate negatur;* et post alia : *sed quia paucorum vel nullorum istam virtutem esse cognoscimus, ut videlicet a carne omnino abstineant, cum alicui carnem comedendum tribuimus, rationabilis est consideranda necessitas, non carne carnis nutrienda cupiditas.*

dientiæ. Unde a sanguine et suffocatis jubet lex abstinere. A suffocatis non abstinet, qui furtim edere non timet. Periculo namque prælatorum fiunt transgressiones commissorum. Vasorum custodes sacrorum puniuntur, cum negligentia sua de templo Domini asportantur, et usque ad manus concubinarum regis Babylonis humiliantur. Sapientiorem me non doceo, sanctiorem non instruo, ferventiorem non excito, studiosiorem non provoco, sed timores meos manifesto, sed dolores aperio, sed consilium quæro, sed evadendi semitam interrogo. Audio principes populi suspensos in patibulis, et affixos contra solem propter peccata populi, et somno vacare valeo? Dicentem Jacob ad Laban in summo articulo judicii lego : *Oves tuæ et capræ steriles non fuerunt. Arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi : ego damnum omne restituebam : quidquid furto peribat a me exigebas, die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sic per viginti annos in domo tua servivi tibi* (*Gen.* XXXI). Hæc, inquam, lego, et non inconsolabiliter inertiam meam lugeo? Ubi namque oves curæ meæ? ubi capræ non steriles? Qui enim a pueritia sua in claustris regulariter eruditi sunt, et tunicam vitæ atque conversationis suæ immaculatam servaverunt, oves Domini sunt. Qui de sæculo fetorem luxuriæ fugientes, pœnitentiæ habitum sumunt, capræ Domini nihilominus sunt. Sed ubi Jacob, ubi abbas tam sedulus exhortator, tam fervidus redargutor, tam cautus provisor, tam benevolus persuasor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morborum pestilentiam sapiens, tam ad aeris intemperiem patiens, tam ad latronum insidias prudens, tam fidelis in commisso, tam vigil in evitando damno, tam perseverans in incepto servitio? Damna Domini mei video, sed quomodo resarciam, ignoro. Esset quidem justa recompensatio, si numero numerum æquarem, si pretium par pari pretio restituerem. Nunc vero cum non sit mihi nisi una anima, si perierint per culpam meam tres aut quatuor, quid faciam? Anne triplicatam vel quadruplicatam pœnam persolvam? Quod si quoquo modo pœnam istam pati possem, centuplicatam forte qua patientia sustinerem? Ista attendens miror me non mirari, expavesco me non expavescere. Certe non est somnus simplex; sopor aut lethargia est, quæ me tenet. Obsecro, mittite antidotum.

EPISTOLA XXVI.

AD HUGONEM CLUNIACENSEM ABBATEM.

[11, 2.] Domino et Patri suo charissimo Hugoni Dei gratia Cluniacensi abbati (35), frater Petrus humilis Cellensis abbas, se ipsum cum devotione.

Serenior post nubila dies succedit : dulcedo crescit ex amaritudine præcedenti; ruina statum amplius commendat. Sic in auditu commotionis magnæ, quæ in Cluniacensi electione facta est, non parum concussa sunt viscera nostra, sed rursum in concordia lætata est anima nostra. Ab occasu enim sancti patris nostri, prædecessoris vestri, catenus tanquam parturiens erat, donec reciperet virum alium, qui consolaretur eam ab operibus suis. In dolore suspirabat, sed ecce jam non meminit pressuræ propter gaudium; quia et libertatem recepit, et unum de filiis uteri sui cum principibus populi sui collocavit. Filii alieni mentiti sunt ei, et claudicaverunt a semitis suis, quia non ex ore Domini, sed ex propria usurpatione et consilio Achitophel regnare attentabant. Odiosa nimirum præsumptio, Cluniacensem tam castam matronam prostituere, tam religiosam publicare, tam honestam devenustare. Reprimenda temeritas matrimonii, leges tam petulanter infringere, ut non voluntas nobilissimæ puellæ quæratur, sed violentia inferatur, torus immaculatus non cum reverentia poscatur, sed impudice exigatur. Prorsus inaudita miseria, si hac necessitate materfamilias addicatur, ut non tanquam libera, cui vult nubat, tamen in Domino, sed cui respuit nolens succumbat famulari, imo concubinatus obsequio. Ubi est : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?* (*Joan.* XV.) Ubi est : *Non sumat quisquam sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron?* (*Hebr.* V.) Annon ista libera est, liberam habens electionem in libertate spiritus, cujus et ancilla et sponsa est; ancilla utique ex devotione, sponsa ex charitate? Ubi, inquam, reverentia sponsi, sponsæ gloria, quam Joannes Baptista reformidat, Moyses velat, Rebecca operit pallio, cherubim gloriæ obumbrant, et quam caro et sanguis si contingit, ut fumus evanescit? *Caro*, inquit Apostolus, *et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* XV). Idcirco Moyses solvit calceamentum de pedibus suis, ne si forte in terra sancta curis carnis impeditus consisteret, faciem in rubo radiantis Dei offenderet.

Non æstimo leve dispendium, flammeum gladium atque versatilem nuda manu accipere, vel cæcis obtutibus fornacem iracundiæ inconsulte transilire. Culmen hujus honoris, vel potius oneris, tam est pendulum ad casum, quam debile ad flatum. Urit sollicitudine, pungit timore, urget inquietudine. Fortuna si utrinque et undique versata discutiatur, plus mœroris et minus lætitiæ refert. Jugiter siquidem ratiocinatio supputanda, tam accepti muneris, quam solvendi debiti; hinc æquitas judicis, illinc difficultas injunctæ administrationis pensanda. Venia etiam speranda, si non obstiterit punienda negligentia. Tempus numerandum, usura repli-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(35) *Hugoni abb. Cluniac.* Petri Venerabilis successori, ejus nominis tertio. Post Petri excessum monachi Cluniacenses tumultuaria electione Robertum quemdam semilaicum, sed comitis Flandriæ cognatum, reclamantibus, multis elegerant. Quo postea dejecto ac mortuo, Hugonem hunc ex priore abbatem renuntiarunt, ut est in supplemento Sigeberti ad annum 1158. Hæc igitur est commotio magna quam vocat : Hugo, filius uteri Cluniacensis; Robertus, is qui per vim regnare conabatur.

canda, fructus computandi, et summa totius dispensationis colligenda. Si minus inventum fuerit, danda ante articulum supremum pecunia ad mensam, renovandus ad nummularios virtutum sive fidei cursus. Gratia pro gravitate discriminis imploranda; arbitrium pro posse impendendum, legatio excusatoria pro impossibili mittenda. Ex æquo enim si ad pugnam congrediatur, nulla proportione ad dominum homo miser et invalidus subsistet. Pondus terræ, cœli infinita spatia, diffusiones aeris, et maris profusiones intra pugilli angustias facilius coarctabis, quam Deo cœli paria respondere possis. O abbas Cluniacensis, attende *quia fecit* tibi *magna qui potens est, et sanctum nomen ejus* (*Luc.* I). Fecit tibi Deus ut deus, ut pius, ut bonus. Exaltavit humilem, deposuit potentem (*ibid.*). Ecce itaque oculus monachorum factus es, speculum et exemplar hujus ordinis. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus* monachorum, quod est congregatio Cluniacensis, *lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint* (*Luc.* XI), ut sic loquar. Facit audere, quod vestibulum familiaritatis tuæ aliquando penetravi, et religionis tuæ sancta devotio. Sed de his hactenus. Cæterum more nostro obediens amantissimo et piæ recordationis viro, domino Petro abbati, fidejussi cum abbate Arremarensi (36) pro eo multam pecuniam adversus Huldinizum de Vendopera (37). Priores quatuor proinde secundario, ut regressum ad eos haberemus, accepimus fidejussores. Hi sunt ....

EPISTOLA XXVII.

AD EUNDEM.

[II, 3.] Domino suo et patri charissimo Hugoni abbati Cluniacensi, frater Petrus Cellensis, salutem.

Justitia nostra superabundare debet justitiæ Scribarum et Pharisæorum, et non subjacere. Miror justitiam hanc quis novus legislator vel unde attulit, ut non restituatur a principali debitore pignus fidejussori a debitore detentum (38). Miror et novam benignitatem vestram, quæ nec semel respondere voluit jam secundo vocanti. Durius hoc silentio quam damno permoveor. Ad damnum enim levius ferendum cooperatur patientia, cum illud noveris resarciendum amici bona et nova gratia. Silentium vero post beneficium mortui beneficii repræsentat sepulcrum. Malum tanquam abortivum amici primogenitum facere, cum potius semper obsequii memoria vigere debeat, et vivere apud amicos. Et damnum, et damni hactenus patientiam præstabam; sed amicis, sed dominis, sed veracibus monachis, qui et si me ipsum vellent invadiare possent. Sed quid dicam? Plane minus dicam, ne forte et cum pecunia amicos perdam. Dicam prorsus, dicam. Quicunque forte hoc audieritis, quod Cellensis simplicitas sic elisa, ne dicam elusa, si ab amicis suis charissimis, pro quibus et se, et omnia sua ponebat, nolite annuntiare in Geth, neque in compitis Ascalonis. Hoc potius et si non verius dicatur : abbas vetera non novit debita. Nam cum audierit et creditoribus satisfaciet, et fidejussores liberabit, et gratiam amicis æqua lance rependet. Valete.

Ecce calami nostri valde fatigati pro labore suo mercedem reposcunt, bibere in calice, post æstum et hiemem.

EPISTOLA XXVIII.

AD EUNDEM.

[II, 4.] Domino et Patri suo charissimo Hugoni venerabili Cluniacensi abbati, Petrus humilis abbas Cellensis cum omni devotione.

Una eademque hora, denique et ore uno, saporis dulcedinem a medullis epistolæ vestræ accepi, et reciproco munere manum ad scribendum deflexi. Semper namque nescio quid plus dulcedinis habet res præsumpta primo voluntatis appetitu, quam post desiderii tempus. Nolui igitur opportunitatem tanquam recalefaciendam in horas differre; unde fueram quasi monitus ipsa tantæ majestatis dignatione. Et primum quidem moram damnosam, sed bene compensatam, hac satisfactione remitto. Deinde negligens inveniri apud vos in hujus officii munere præcaveo. Chartam et chartæ scripturam satis eleganter compositam suscipiens, semel non aspicio, sed diligentiam hominis, etiam in parvissimis rebus non prætereundam in memetipsum cum admiratione replico. Exemplum est certe compositionis intimæ, refiguratus quandoque habitus in exteriori homine : et vini bonitas calicis accrescit idoneitate. Suggessit ipsa suæ faciei venustate, quod et exhibuit in lectione, magnum quid in absconditis suis repositum apportare. De paradiso, de Ægypto, et de quibuscunque locis Scripturarum tam pretiosas merces et margaritas plenis marsupiis ex se refudit charta vestra, quod ad ipsam coarctata sit intelligentiæ nostræ arca. Sed quid mirum, si dominus abbas Cluniacensis de thesauris suis tot et tanta proferat, quod et quanta Cellensis vix efferre valeat? Nonne sic a quodam dictum le-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(36) *Abbate Arremarensi*. Monasterium est ordinis S. Benedicti, cujus originem, auctoremque Adremarum docet epistola Leonis IV ad Prudentium Tricassium episcopum, in cujus situm est diœcesi. Conditoris nomen retinet etiam in vernacula. Nam *Monstier-Ramey* vocant, hoc est monasterium Adremari.

(37) *Hulduinum de Vendopera*. Gentilitium id familiæ cognomen ab agri Campani castello, quod possidebant. Hunc vero ipsum Hilduinum de Vendopera puto, quem aliquot Aripatorii cœnobii tabulæ testem ascriptum habent cum Theobaldo comite, Bernardo Clarevallensi, et Guidone Arremarensi abbatibus, qui omnes ætatem hanc produnt.

(38) *A debitore detentum*. Sensus exigit, ut legatur *a creditore*, quod etiam declarant quæ de eadem re scribit sub finem epistolæ sequentis.

gimus : *Ex te non poteris præbere ascensores equorum, quos ego dabo tibi* (*Isai.* XXXVI). Ambulant vobiscum innumerabiles forte sicut monachi, sic et sententiæ. Certe sic est, negari non potest. Res in evidenti. Quis sic ad manum, sic ad nutum cogere tantum exercitum philosophicorum exemplorum tam cito potuit? O vena dives! Beatus qui vigilat ad postes ostii tui, Mane panibus, vespere carnibus edere poterit. Pulsavi, et aperuistis. Unum locutus sum, quod dixisse me non pœnitet. Una siquidem et modica punctione tetigi vos, quinimo tetigi acervum mercurii, sive novarum frugum, sed non modica æstimatione excepi thesaurum multarum sententiarum. Quid? mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et supereffluentem remisistis in sinum nostrum. Proinde exsulto ad dignationem vestram, stupeo ad eloquentiam, curro sicut cervus sitiens ad fontes historiarum, ad profunditatem sententiarum, ad suavitatem exhortationum. Interea duo proponitis, sumpta a nomine uno, quod est Petrus, fortitudinem scilicet et agnitionem. De utraque exemplificatis non avare. Honesto deinde modo qualis esse debeam instruitis; et talem esse dicitis, qualem fieri vultis. Modus his suadibilis ad docendum. Naturale siquidem est animæ rationali, voluntario motu occurrere de se bene opinanti, et humeros inclinare indubitatæ affectioni. Pronum quoque sibi redhibet animum ad obediendum, qui prius amicitiæ fidem fecerit, et de probitate persuaserit. Crederem vobis, si mihi conscius in contrarium non essem : utinam sicut a charitate vestra profertur, sic a vobis in veritate perficeretur. Sed ut verum fatear, rara in nobis nominis vestri interpretata veritas. Unus enim est, et secundum non habet, cui dicitur : *Secundum nomen tuum, ita et laus tua in fines terræ* (*Psal.* XLVII). Quod hoc nomen? Jesus. Quæ ista laus? *Salvabit Dominus populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I).

Revera hic Jesus, in cujus manu salus nostra est. Hic *nomen* habet, *quod est super omne nomen* (*Philipp.* II). Hic denique virtutem nomine suo non inferiorem implet : quinimo et tempore et pondere excellentiorem. Parum dixi, tempore; melius enim dicerem, æternitate. Virtus hæc ab æterno, nomen hoc ab ævo. Virtus sine tempore, nomen ex tempore. In pondere nihilominus omnia virtus Divinitatis operatur, ipsum quoque nomen Jesu. O pondus nominis Jesu! Quis appendere, quis dinumerare, quis æstimare valeat hoc nomen in pondere? Nunquam sine pondere nominandus est Jesus, pondere utique sanctuarii, quia *nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII). Et in lege Moysi sic dicitur : *Non assumes nomen Dei tui in vacuum* (*Exod.* XXI). Paulus apostolus ne in vanum curreret, ut potuit in vinculis, et in catenis per passiones quotidianas, hoc nomen semper apposuit et apprehendit. Hoc enim est quod ait : *Non sunt condignæ passiones hujus* (*Rom.* VIII), etc., et alibi de eodem pondere : *Stigmata*, inquit, *Jesu porto in corpore meo* (*Gal.* VI). Alibi dicit : *Dedit ei Pater nomen, quod est super omne nomen*, etc. (*Philipp.* II). Præponderat hoc nomen quodcunque creaturæ nomen est. Hoc compendiose dixerim, ut solum designarem quis scilicet nomen habet et virtutem. Rursus inflecto intuitum ad epistolam, quæ sicut turris ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Ad quid tantus apparatus? Opinor, voluistis in me aut terrere sensus hebetes majestate sensuum, numerositate exemplorum, perplexione rationum subtilium; aut inertem provocare æmulatione studiorum; aut mœstum consolari pulchritudine sermonum; aut indoctum ædificare persuasione adhortationum; aut satisfacere opportunitati meæ abundantiori gurgite auctoritatum. Sed quodcunque horum attenditis, optabile et valde charum habeo, quod occupationibus vestris succensetis, et sicut Rebecca hydriam de scapulis lassitudini nostræ inclinaveritis. Refluentes quippe procellarum revolutiones, quibus interdum ascenditur usque ad cœlum et descenditur usque ad abyssum, quis vel ad modicum credat abesse abbati novo Cluniacensi? Quis de abyssis terræ vel post tertium diem non miretur emergere? Quis non compatiatur gementi sub aquis? Scribere quomodo valet, quem degrandinat sollicitudo continua, et nunquam quieta? Sed ubi obstaculum ægrius, ibi necesse est se expediat ingenium egregius. Procul dubio animi elegantis est, curæ sæculari oneribus indignari; et per medias interpellantium acies ad lectionum amœnissima prata, et solitudinem liberam, velut solitarius onager, evolare. Contra hanc vim a prætore nullum proponitur interdictum. Hæc vis probabilior, quam desidiosa patientia. Vis, inquam, hæc non improbabilis, si rumpantur novi funes contexti et concatenati nexibus causarum tanquam a profundo maris emergentium. Est et aliud consilium, ut ubi non sunt vires ad vim faciendam, adsit ingenium ad furtum committendum, de quo tamen non nascatur actio furti. In Evangelio enim commendatur mulier, quæ tangens Jesum, virtutem a fimbria vestimenti ejus furto subripuisse commemoratur. Furtum prorsus commendabile, si te ipsum tibi ipsi et Deo tuo ab incursu concursantium subduxeris. Aquæ enim furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Valde saporabilis lectio, quam interpellata sorbet animæ intentio. Studium, lectio, et oratio turbam non amat. Impediuntur plerumque peregrino superventu, quia vix patitur non se partiri advenienti nobili animæ consolatio. Forte onera gravia et importabilia, quæ nec digitis tangere possum, humeris vestris impono. Quo enim modo dominus meus Cluniacensis poterit hæc unquam vel experiri? Imo vivere quomodo poterit, si hæc non fecerit? Si post omnes habiturus est, quando se habebit? Rursum si eum non habuerint qui sine eo vivere non debent, quanta pestis et iniquitas! Expedit potius ut unus moriatur homo, quam tota gens pereat. Sed rursum :

Quid prodest, si totum mundum lucretur, se autem ipsum perdat et detrimentum sui faciat? (*Marc.* VIII.) Ecce, ut attenditis, res in arcto posita est. Neque ad dexteram pro se, neque ad sinistram pro aliis excedendum est. Quid igitur? Medium eligat, et si non potest omnem diem, saltem diem inter diem habeat. Habeant eum alii; sed ipse habeat se ipsum, sed et alii. Non dividat infantem vivum, ut decrevit Salomon; habeat eum vel mater, vel non mater : imo semper habeat mater. Non sibi vivat tantum, non aliis tantum, sed sibi et aliis, ne ipse pereat; sed aliis et sibi, ne oves sine pastore succumbant. Et de his hactenus.

Præterea non id indigneter dominus meus, si dixero quod sentio. Dicam, sed cum licentia dicam. Quid? Quia deest semper aliquid culturæ Dei. Hoc forte apud vos proverbium est, sed faciam verbum de proverbio. Laqueum debiti quadam perplexione ratiocinando differtis, ita scribendo in epistola : « Si redditum est, non debemus super hoc inquietari; si propter reddendum quæstio aliqua ventilatur, debet judiciario ordine diffiniri, et partium allegatione et judicis sententia terminari. » Bone domine, bene docuit vos magister noster proponere : utinam sic bene solvere! Solvere, dico, debitum, non syllogismum. Videritis non extensa disputatione, sed compendiosa relatione, et potius ratione, inter quos quæstio hæc versari dicitur, cui competat actio, et adversus quem detur. Principalis profecto debitor et suus creditor ad invicem habent actiones, alius directam, alius utilem. Sed quid ad fidejussorem? Semper liberandus fidejussor proposita actione pignoraticia a principali debitore contra creditorem, soluto prius duntaxat debito ad restituendum pignus, et ad liberandum fidejussorem. Hoc fecit dominus Wintoniensis (39), sed non effecit, nam creditorem convenit, sed nobis pignus non restituit. Idcirco dixi quod curta est res, donec restitutum sit nobis quod tenetur pro vobis. Est et aliud notatum in epistola vestra, quia suspensive et indefinite dixistis quid agendum esset, sed non quando, neque diem, neque horam posuistis : forte quia non est nostrum scire tempora, quæ in potestate sua habet Wintoniensis. Scio, domine mi, scio quia in multiloquio non deest peccatum. Ignoscite si quid egressum est de labiis nostris, quod minus rectum appareat in oculis vestris. Ut vero hoc auderem, vos occasionem dedistis. Valete.

EPISTOLA XXIX.

AD HUGONEM CLUNIACENSEM ABBATEM.

[II, 5.] Domino et Patri charissimo Hugoni Cluniacensi abbati, frater Petrus Cellensis abbas, salutem.

Pro amicis nostris, imo pro amicis justitiæ, amico nostro, veritatis imo amico, nunquam refelleremus scribere. Etenim illa amicitia in diversis amicorum causis debet intervenire, quæ non plus justo vergens se in favorem alterius, æquitatis rectitudine pensat negotium, non favoris, aut odii iniqua inflexione. Quanquam igitur vobis et excellentem prærogativam dilectionis debeam et honoris : huic tamen abbati Sancti Laurentii Leodiensis (40) novo confœderatus amicitiæ pacto, propter Christum quem in ipsum suscepi, me ipsum nihilominus concedo. Cum igitur utrinque Christus in causa sit, utrumque ad debitum honorem rependendum medius ipse commoneo. Vos quidem, ut quanto magnus dignitate, prælatione, et nomine estis, tanto abundantiori humilitate illum suscipiatis. Illum ut secundum excellentiam majestatis vestræ cogitet qualiter summam in summo viro humilitatem excipiat, et obviis, ut dicitur, brachiis devexam bonitatem sustentet. Vos, ut honestatem personæ et justitiam quam habet ad vos, æqua libratione appendatis, et personæ honorem, causæ judicium reddatis. Vidi personam, et amavi; audivi causam, et approbavi. In persona prudentiam, religionem, litteraturam, simplicitatem notavi; in causa retentionem pacis, malitiæ exterminationem, simultatis repressionem, et justitiæ tenorem animadverti. Qui de tam longe quærit pacem, nonne amat quod quærit? Qui tempore tanto et tali a sancta fratrum suorum congregatione peregrinatur, quibus putas stimulis affectionum remordetur, ut vaccæ illæ, reclusis vitulis, mugientes, vincentes sanctitate propositi usitatum et consuetum affectum carnalitatis. Sed gratias Deo, quia illorum damnum quibus abfuit, et suus dolor recalcitrans qui abfuit, nobis in lucrum versum est quibus adfuit. Moveant itaque et commoveant pia viscera vestra quæ auditis, et intendite viro bono, viro pacifico, viro honesto, imo vestris monachis et fratribus, quibus valde credimus utile, si pacem tenuerint, inhonestum et inutile, si a pace resilierint. Valete.

EPISTOLA XXX.

AD HENRICUM CAMPANIÆ COMITEM.

[II, 6.] Domino suo Henrico comiti palatino (41) frater Petrus de Cella humilis abbas, bene regnare.

A collateralibus vestris a nobis quæsitum est, quid vobis daremus, et dies capiendi super hoc consilii præfinita. Primo itaque miror quid ego fecerim mali, quod sic semper a me faciem vestram aver-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(39) *D. Wintoniensis.* Henricus frater Theobaldi Magni, et Stephani regis Angliæ. Is Wintoniæ quidem episcopus erat in Anglia, sed in Gallia hoc tempore versabatur : Cluniaci nimirum, quo tandem ex Anglia rediit. Monachus enim erat Cluniacensis.

(40) *Abbati S. Laurentii Leod.* Nobile hodieque Benedictinorum est monasterium in suburbano Leodiensi.

(41) *Henrico com. Palatino.* Comiti Campaniæ, Theobaldi Magni filio, cui liberalitas Largi seu munifici nomen fecit. Unde autem et quandonam Palatini vocari cœperint comites Trecenses, accurate more suo docteque disseruit P. Pithœus.

titis, quod venire ad eam, vel rogare, aut nunquam, aut rarissime possim. Secundo utrum ab illa tenacissima vestra memoria exciderit quod nondum expletus sit cursus anni, quod LX libras tam vobis quam vestris persolverim. Tertio non parum doleo, quod nostra paupertas et debita propter præsentis anni negotia, tum de itinere Romano, tum pro ecclesia de Villa Mauri (42), tum pro infirmaria fratrum quam fecimus, tum pro multis aliis, ad aures pietatis vestræ non potuit pervenire. Videat itaque benignitas vestra, et condescendens necessitatibus nostris parcat, et his non addat gravamen, sed levamen. Valete.

EPISTOLA XXXI.

AD A. MOLISMENSEM ABBATEM.

[II, 7.] Venerabili domino et Patri A. Molismensium abbati (43), frater PETRUS, humilis abbas Cellensis, salutem.

In omni possessione præcellit amicorum possessio. Potest enim parari, sed comparari non potest amicus. Nam quod incomparabile est comparari quomodo potest? Annon vero incomparabile est, quod nondum habitum emi non potest, perditum æque redimi non valet? Talem amicum frequenter quæro, nec invenio, etiam in grege amicorum. Egregium, non de grege gregalem desidero amicum. Numero gaudeant amicorum, qui unum nesciunt habere amicum. Ut enim ait Seneca, plura habeant hospitia, raras amicitias. Non aliter amicis utuntur quidam, quam hospitiis. Si nocturnum bene se præbuerit hospitium, mane laudant, et abeuntes commutant, et quot dies erunt peregrinationis, tot numerabuntur revelationes itineris. Ad tempus occurrit hospitium, nec sui causa petitur, sed tantum ut fessi releventur. Non ita perfunctorie amicus forte occurrens recipiendus, sed cum labore quærendus, cum deliberatione admittendus, cum studio retinendus, cum omni vigilantia læsus reconciliandus, cum instantia forte elapsus prosequendus et revocandus. Non possideas amicum, tanquam prædium. Nam infructuosum respuis, aut alienas a te prædium, lucrosum studiosius colis, et ad possidendum aviliorem intendis animum. Ita qui in amico requirit non animum sed aurum, non fidem sed faciem, non mores sed vestes, non naturam sed fortunam; causa propriæ utilitatis, non naturalis bonitatis amicum quærit. Repentina quoque non omnimodo approbanda est amicitia, sed quæ germinat cognitione, crescit familiaritate, frondescit consuetudine, germascit cordis amplitudine, fructificat perfecta identitate. Hic arbor fici plantanda et circumfodienda est, ut dulcedinis fructum in agro amicorum afferat. Hic triplici filo contorquendus est dilectionis funiculus, ne facile rumpatur. Funiculum hunc A torquebo ut potero, cum ad me per obsequium, per recompensationem, per vicissitudinem forte torquendus occurrerit. Verso enim pollice de amicitia scribendo filum contorqueo. Si placet pactum coagulandæ societatis, præfigantur termini arcentes præsumptionem odiosæ prævaricationis. Liceat tamen metas transire sine reprehensione proficientem, sed impune non liceat deficientem. Illa namque bona est transgressio, cum ultra æstimationem amare acceleraverit inchoata dilectio. Illa quam bona est non transgressio, sed progressio, cum justam mensuram impleverit amicorum ad invicem fidei promissio! Semper in amicitia minus pollicendum, amplius præstandum. Jam ergo amico loquar ut amico. Amice charissime, gratiæ suæ Deus addidit B novam gratiam, cum te de priore abbatem, de ove fecit pastorem. Recole statum, reminiscere meritum, attende donatorem, et datum donum Dei Deo resignes, non homini. Tanquam de summo Dei vertice coronam avellit, qui quod a Deo datum est, ab homine recognoscit. Idololatria est, Deo debitam homini rependere gratiam. Novi quorumdam blanda lenocinia, novi vanitates et insanias falsas. Quidam sic, si molestum fuerit claustrum, dicit: *Ego nocte et die ad Deum manus, ut hanc tibi potestatem concederet, expandi, et singultibus continuis, donec id efficeretur, aures divinas pulsavi.* Alius autem sic: *Ego illi prolocutor, ego persuasor, ego aliorum monitor, universorum animos ad te inclinavi, et modo* C *quod volo impudenter negas?* Alius *Te Deum laudamus* recinit; alius nominationem a se vel concessionem factam improbe meminit. Sic plures sunt tui abbates, quam quorum tu sis abbas. Non ita, domine et amice charissime, fiat, ut quod ab uno habes, a multis te habere credas. Non monachus qui oravit abbatem constituit, sed Deus qui concessit; non qui voce nominavit, sed qui cordibus intimavit. Non ista scribens ad ingratitudinem provoco, ut immemor sis beneficii; non in arrogantiam extollo, ut non respicias devotionem congregationis te sibi præfici rogantis. Hoc enim non esset amicum instruere, sed destruere, non veraciter bona suadere, sed nequiter vitio nequissimo subdere. Ad quid ergo ista præstruxi? Ut vana loquentes com- D pescas, ut statum dignitatis et officii tui importunitate aliquorum non minuas, ut solum Deum auctorem hujus tuæ sublimitationis recognoscas, et ad ejus gloriam et honorem omnia facias. Obnoxium te habeat congregatio pro devotione sua, sed cum auctoritate tua; monachus te propitium inveniat pro deprecatione sua, sed cum integritate tua. Sis benevolus, sed et rectus; sis pius, sed et discretus; sis compatiens infirmitati, sed impatiens mali; sis bonis consentiens, sed inordinatis non parcens; sis hu-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(42) *Ecclesia de Villa Mauri.* De qua cum canonicis litigabant, epistola 7.

(43) *A. Molismensium abbati.* In diœcesi Lingonensi ordinis Sancti Benedicti. Parænetica est novo abbati, qui ex priore creatus nuper erat. Falsa est inscriptio; leg. *G.* aut *W.*, id est *Guilenco* seu *Wilenco.* EDIT. PATR.

milis, sed non dejectus; sis largus, sed non prodigus; sis providus, sed non avarus. Sis in templo Domini basis argentea, per patientiam; sis columna marmorea per inflexibilem justitiam; sis capitellum habens sculpturam liliorum, per contemplationem assiduam. Sis arca testamenti per abundantem gratiam; sis virga Aaron, per disciplinam; sis mensa Domini, per doctrinam; sis candelabrum de auro mundissimo per bonam famam; sis propitiatorium per misericordiam; sis tabulæ testamenti, per veteris et novæ legis scientiam; sis cortina per charitatem; sis saga cilicina per humilitatem; sis templum Domini, per continentiam et castitatem. Non habitet juxta te malignus, non audias vocem sanguinis, non sermonem susurrii. Fortissimi in Israel et doctissimi ad bella, id est honestissimi et probatissimi monachi, lectulum tuum ambiant propter timores nocturnos. Malæ suspicionis homines non tibi cohabitent, non coambulent, nisi forte raro et secretius corrigas et benignius corripias. Aliquando enim sic emendantur mali, dum pietate revocantur pastoris. Quæ namque cum aliis, vel saltem post alias oves, non recurrit ad ovile, si ex infirmitate, portanda, si ex malignitate, cogenda est. Ad te confugientes per humilitatem inveniant matrem, a te resilientes, per contumaciam sentiant severum patrem. Non sis præceps in judicio, non mutus in consilio, non verbosus in convivio, non arrogans in publico, non detrahens in secreto, non avarus in proprio, non prodigus in alieno, non contumeliosus in capitulo, non negligens in monasterio, non effusus in refectorio; frequens in oratione, discretus in confessione, assiduus in lectione, profusus in lacrymarum effusione, largus in pauperum miseratione, ardens in contemplatione, affabilis in hospitum susceptione. Pauca et vera sint eloquia oris tui. Procul a te simulatio, dolus nunquam in corde, fraus nunquam in ore tuo. Præ oculis timor divinus, præ manibus beatus Benedictus. Extra Deum nihil agas, extra Benedictum nihil præcipias. Vale.

EPISTOLA XXXII.

AD H. PRULIACENSEM ABBATEM.

[II, 8.] Amico suo charissimo H. abbati Pruliaci (44), frater Petrus Cellensis abbas, accipere de spiritu Moysi.

Amicorum monita eo affectuosius suscipiuntur, quo ambitiosius animorum compago ad invicem consolidatur. Nescit mutui amoris vestri coagulum, qui familiariter non est admissus ad secreta ipsarum medullarum. Ab ipsis igitur medullis verbum amicæ consolationis mutuans, æque usque ad tui cordis secretiora rogo ut admittatur, et vice mei fungatur officio dilectionis, et suppleat dispendia solitæ confabulationis. Quid est, domine, imo frater et amice? Nondum enim dominum redoles, quid est? De statione quietissimi portus ad marina discrimina transtulerunt amici tui, aut, ut verius fatear, ad molam te posuit benignissima manus Dei tui. Quid igitur facies? Plane tolle molam, et mole farinam, de qua subcinericium facias in conversione peccatorum, ut convertantur a viis suis pessimis, et vivant; similaceum nihilominus in exhortatione bonorum, ne peccent, et non recordentur justitiæ eorum quas fecerant. Revera, charissime, ad molam positus es, qua in spiritu vehementi conteras alios in malis, et ipse conteraris in afflictionibus. Sed attende diligenter, quia mola orbiculari motu nunquam et nusquam excedens orbem persequendo superficiem grani suppositi extenuat in minutissimæ farinæ speciem, unde conficiatur panis in escam hominum. Sic nempe omnis labor et vexatio tua, quæ tibi dabit intellectum, æquitatis rotunditatis circumvolvatur, ut ne quid nimis facias, vel ferventius agendo quam toleret complexio tua, sive infirmitas tibi commissorum, vel remissius quam expediat ordini et officio tuo, sive quam permittat regula et regularis consuetudo. Rotundo itaque perge cursu in omni negotio tuo, modestiam servans in his quæ ipse geris, et in his quæ aliis ingeris. Appende mores temporis cum hominum moribus, et versa ex hoc in hoc, quia calix in manu Domini plenus misto. Nondum eliquata est natura, nondum defecata; nondum lex corporeæ gravedinis exinanita. Corpus quod corrumpitur aggravat animam. Parcendum itaque interim corpori, nec danda licentia animæ, ut suis excurrens appetitibus in ipso itinere tardum et lassum rejiciat corpus. *Spiritus* enim *promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI). Jugale suum ferre debet anima, non interficere. Moveat se quidem semper spiritus ad meliora, sed ægrotantem equitaturam suam calcaribus cruentis supra modum non vexet, ne forte cæde lacerata obeat, et sanguinem ejus de manu immoderati spiritus Dominus requirat. *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed fovet eam* (*Ephes.* IV), sicut et Christus Ecclesiam. Procedat et præcedat anima carnem, sed stationem faciat, quo saltem sero mansionem possit assequi subsequens caro. Morandum tamen, non remanendum est propter carnem. Non erit molesta mora, si sit modesta. Quousque respiret caro subsistendum, non quousque exspiret. Sciat se caro uti itinerariis recreationibus, non mansionariis delectationibus. Si de itinere gravatur, festinet ad mansionem. Erit enim illi mansio et grata pro requie, et certa pro æternitate. Huc applicuit nos orbicularis motus.

EPISTOLA XXXIII.

AD ROBERTUM ABBATEM DE BULLENCURTE.

[II, 9.) Roberto abbati de Bullencurte (45), frater Petrus Cellensis abbas, salutem.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(44) *H. abbati Pruliaci.* Novo item abbati, sed ordinis Cisterciensis, in diœcesi Senonensi, abbatis Pruliacensis haud scio an ejusdem meminit Stephanus Tornacensis epist. 172.

(45) *Roberto abbati de Bullencurte.* Bullencurtis, seu Bullencuria, ordinis item Cisterciensis cœno-

Infra robur animi tui, quæ a me prodire possunt consolationes residere non ignoro. Commendabilis illa solum fortitudo est, quæ fatigata robustior, oppressa liberior consurgit. Levat namque fortunæ importunas sine molestia sarcinas, portat sine pondere, deponit sine lassitudine. Accrescit forte cumulus ponderis, sed et virtutis. Jacet enim virtus sine palæstra. Ubi deest lucta, virtus videtur quasi discincta. Mollis et tenera est cum in lectulo prosperitatis extenuatur. Sumit vero suum habitum, imo se ipsam, cum obviaverit quod evincendum sit. Exerta concurrit, ubi de victoria palmam reperit. Provocata melior, lacessita recentior, subito deprehensa et moderatior et cautior efficitur. Non turbatur repentino incursu, non frangitur hostium coacervato exercitu. Non senescit debilitate, sed consenescit maturitate. Deserit quem in se non converterit. Utitur siquidem hæc aliter isto, aliter illo homine. Aut enim se tibi contemperat, aut se tibi informando comparat. Nec est minor, si minus in alio, nec amplior, si amplius in alio. Proficere dicitur, cum ex ea proficitur. Hæc a corporea natura diversum sortitur, et quod est ab origine et quod efficit in homine. Origo ejus a Creatore, sed ad utilitatem creaturæ. Quid enim est virtus hæc, de qua loquimur, nisi vapor et emanatio virtutis Dei? Vaporatur subdita Deo anima vitali tam calore quam odore, quatenus calore justificetur, odore glorificetur. O gloriæ odor! o calor vitæ! Tam nemo sine altero bene vivit, quam nemo sine altero beate. Beati ex alio angeli, ex alio homines boni. Sic autem angeli beati, ut et boni, quia nec beati essent, nisi boni fuissent, sicut odor semper cum calore. Nam sine calore nihil olet; calet tamen aliquid, quod non olet; sicut et bonus quandoque invenitur, qui necdum beatus est. Est vero arrha beatitudinis bonitas, quam qui non deserit, ejus consecutivo carere non poterit. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

AD MATHILDEM FONTISEBRALDI ABBATISSAM.

[n. 10.] Venerabili abbatissæ Fontisebraldi Mathildi (46), Petrus Cellensis abbas, suus in Christo amicus, gratiam et gloriam Sponsi æterni.

Inspector conscientiarum Deus et testis novit quibus dignationem vestram præcordiis exceperim, quam incomprehensibiliter ad confœderationem mutui amoris exsultaverim, quamque incomparabiliter omni auro familiaritatem vestram prætulerim. Unica siquidem et pura me vobis prius conciliavit gratia, tum deinde ampliandi amoris multiplex supervenit causa. Ubi enim nulla operum præludia, nulla præcedunt officiorum blandimenta, unde amorem dixerim procedere, nisi ex gratia? Hæc enim operatur motibus propriis et spontaneis in corde hominum sine pœnitentia, cum multa reverentia, et absque invidorum calumnia. Hæc aufert suspicionem, confert affectionem, defert honorem, refert pudorem. Hac interveniente, solvuntur malignantium susurria, consolidatur bonorum concordia, et prorsus adimuntur insidiantium machinamenta. Hæc spirituum coagulum, ac indissolubile bitumen animarum, diversitates morum ad unam consonantiam reducit, et meritorum inæqualitates ad æqualitatis contemperantiam proportionaliter recolligit. O gratia gratiosa! Sine te omni amala, tecum omnia bona. Sine te, inquam, inanis universa creatura, et a te repletur angelica cum humana creatura. Tu reformas deformia, lapsa reparas, confirmas debilia, clausa reseras, congregas dispersa, et obscura illuminas. Tuum est quod sum, quod vivo, quod sapio, quod sanctorum vestigiis devotus procumbo; tuum, inquam, tuum est quod te in templo sancti tui nominis, quod in sanctuario tuæ glorificationis videre et adorare te merui. Si enim sanctius adoraris in animabus sanctis, quam in templis lapideis et manufactis, quanto magis in sacris visceribus virgineis? Nihil enim est tibi his charius, acceptabilius nihil, cum æthere nitidius, firmamento reluceant jucundius, cœloque sublimius. Ubinam tale quid inter homines reperies? Credo in illa tua Fontisebraldi abbatissa, quæ nobilitate carnis nemini secunda, spiritus generositate in multis celeberrima, castitate præcipua, humilitate conspicua, liberalitate profusa, fervore religionis est decenter succensa. Reprimo stylum ne assentatoris sustineam periculum. Parcius enim laudare amicos, amplius amare debemus. Severius quoque mala eorum corrigere, quam male sana palpando contrectare. Condemnatur vero non minus desidiæ, qui vano timore gloriam Dei reticet, quam invidiæ, quem alterius fortuna contorquet. Solem etiam de mundo tollere non immanioris æstimo sceleris, quam dotem naturæ et gratiæ a Creatore in creatura collatam obumbrare silentio malignitatis. Vir tutum namque prædicatio, Dei est glorificatio; nec tutum est cuiquam se nescire quod habet habere, cum damnum exinde citius possit evenire. *Nos*, inquit Apostolus, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*I Cor.* II). In filiis hujus sæculi

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

bium est in diœcesi Tricassina, ubi canonici olim fuerant Augustiniani; quoad Henricus episcopus locum sancto Bernardo, Clarevallensibusque concessit. *Vallecurtensis abbas* pro Bullencurtensi perperam legitur apud Saresberiensem, epist. 115.

(46) *Abbatissæ Font. Mathildi.* Sub finem epistolæ comitis Andegavensis filiam fuisse docet. Hæc igitur est Mathildis, Fulconis V comitis, Hierosolymorum postea regis filia, quam Guillelmo Henrici primi Anglorum regis filio desponsam utriusque gentis historiæ narrant, et legere est in notis ad Goffridum lib. v, ep. 17. Cæterum Guillelmo sponso marinis fluctibus ante nuptias absumpto, Mathildis intactam virginitatem inter Fontisebraldi sanctimoniales Deo devovit, et pro rege Anglorum, ut Cellensis noster loquitur, regem commutavit Angelorum. Nunc abbatissa jam erat, ut in epistola sequenti.

hæc comprobatur prudentia, si res familiaris frequenti supputatione creverit multiplicata. Itidem cœlestium negotiator mercedum quotidiana emolumenta assidua ratiocinatione debet compensare, et quæ minus ad thesaurum sufficiunt omni instantia perquirere. Unde Psalmista : *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi* (*Psal.* XXXVII). Quomodo namque potest scire is quod sibi deest, cui non constat quod adest? Itaque requirat sarcinulas, marsupia excutiat, pecuniam appendat in statera, cogitet sumptus, drachmas, computet, domumque everrat, ut sciat quid desit sibi. Si desunt agri primitiarum, fertilis videlicet charitas supernarum virtutum; si paradisus malorum punicorum, scilicet plenitudo bonorum operum; si fons hortorum, hoc est vena sanctarum devotionum; si reclinatorium aureum, quod est requies omnium affectionum: festinet, discurrat, transmigret per nundinas, per marina discrimina, et per regiones remotas, quia ubi non sufficiunt propria, succurrunt aliena. Præterea et puella quærat lanam et linum, ut ex uno calidam, ex altero faciat candidam tunicam. Martha calida utatur, Maria candida. Hæc enim actioni, illa contemplationi aptatur; hæc orat, illa laborat; sedet ista, sudat illa; hæc quiescit, illa currit; exit ista, illa intrat; ista inchoat, illa consummat. Felix anima, cujus promptuarium talia resudat unguenta, cujus dolium talia refundit libamina, cujus virgultum ejusmodi stillat balsama, cujusque horreum simillima continet aromata! Felicem dixerim et locum, ubi tales comparantur species, ubi gemmæ væneunt incomparabiles, ubi exiguo pretio res acquiruntur valde desiderabiles! Vidi, vidi in foro speculum non alteri quam filiæ regis congruum : vidi monile non alterius quam intactæ virginis collo appendendum.

Hoc speculum castitatis est, virtutis et humilitatis, quæ terra nostra in publicis contractibus hactenus habere non consuevit. Res siquidem pretii est inæstimabilis, raro inveniens venditorem, rarius emptorem. In ejus certe comparatione cœlestes exhauriuntur thesauri, negotiatores requiruntur ditissimi et divinissimi, comparatores quoque liberalissimi. Cœleste siquidem commercium supercœleste desiderat pretium. Quid nempe virginitate cœlestius? Humilitate quid excelsius? In diademate Salomonis præfulget altera, in thesauris regiis pretiosior est altera. Ex utraque tamen omnium artifex sapientia monile composuit, et venale proposuit. *Qui potest*, inquit, *capere capiat* (*Matth.* XIX). Ad hoc manus adolescentularum satis ambitiose quasi tentantes emere circumvolitabant, sed audito pretio statim omnes resiliebant. Ad extremum pene jam desperato negotio, virguncula quædam, Andegavensis comitis filia surrexit, manum ad fortia misit, et nova commutatione pro rege Anglorum regem commutavit angelorum. Hæc gloriosa dicta sunt de te, charissima domina. Indulge autem mihi, quod sermone diffusiore te plus justo detinuerim, et credas ex abundantia amoris copiam protulisse sermonis. Ora ergo pro nobis. De componendis autem quibusdam sententiolis sermonis tui non sum oblitus, sed tam cito implere non potui, pluribus impeditus. Vale.

EPISTOLA XXXV.

AD EAMDEM.

[II, 11.] Dominæ suæ servus suus, spiritum rectum.

Quod Filius hominis non venerit pacem mittere in terram, sed gladium, et quod Spiritus sanctus super principes nostros in igne descenderit, quodque Isaac ignem pœnæ et ligna disciplinæ nostræ portaverit, scienti refero. Hæc etiam fortassis ratio, quare Jacob in benedictione filiorum Joseph manus transversaverit, quatenus singulorum non nativitatis ordo aut privilegia, sed meritorum et morum attendantur officia. Virtute namque discretionis servata, et misericordia in sua triumphat patria, et justitia congrue disponit totius regni gubernacula. Cum itaque palatium ingredimur misericordiæ, flores et fructus decerpimus olivæ. Cum ad tribunal justitiæ assistimus, palmam reportamus, et de pomis lunæ et solis satiamur. Hæc in reginæ nostræ vestimento delectabilis varietas, et ad tollenda fastigia filiorum non solum hominum, sed et Dei immutabilis immutabilitas et æterna æternitas. Joannes in aqua tantum baptizat, nec vulnus originalis peccati sanat. Christus Jesus in spiritu judicii et spiritu ardoris, et cœlum reserat. *Omnia*, inquit Apostolus, *mundantur in sanguine, et non fit remissio nisi in sanguine* (*Hebr.* IX). Neque itaque vestimentum mistum sanguine sit in combustionem propter peccati transgressionem. Christus septies contra velum sanctuarii proprio digito suum aspersit ad emundationem criminum nostrorum sanguinem. Hoc nos docuit unus magister noster qui in cœlis est, hoc legislator in figura monuit : *Non auferes*, inquiens, *sal fœderis Dei tui in omni sacrificio* (*Lev.* II). Satis dictum est sapienti. Priorem illum sancti Aigulfi excuso, quia quod facere potuit et debuit, fecit. Si aliud vel aliter fecisset, offensam nostram incurreret. Vale. Proderit tamen peccanti, præcedente pœnitentia, oratio vestra et sancti conventus vestri. Iterum vale.

EPISTOLA XXXVI.

AD PRIOREM CELLENSEM.

[II, 12.] Priori suo (47) suus abbas.

Res humanæ qualiter in mente divina pensentur, conspectibus hominum in hac volubilitate mundanorum absconditur. Solummodo angelica puritas his prout datur admiscetur arcanis, ac de profundo mysteriorum edocta quibus dignum videtur revelare sufficit. Interim temeritas nostra sic in se ipsa ob-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(47) *Priori suo.* Monasterii Cellensis.

scurata confunditur, ut nec remota sensibus aliquatenus apprehendat, nec saltem vicina cognitione perfecta contingat. Digna hæc ultio in præsumptorem, ut et de præteritis arguatur, et a futuris coerceatur. Timore hujus periculi, mi dulcissime, admonitus, de præsentibus quidem angor, et tamen futurorum præsentiens caliginem vias incognitas reformido. Gratia vero divini auxilii si adfuerit, nec profunda pelagi pertimesco, nec etiam quæque intentata arripere diffido. Etsi enim parum roborata trepidet affectio, poterit sine dubio consolidari insuperabili superni luminis patrocinio. O Jesu! cui vanum fuit ad te confugere? cui male cessit te et inter vepres hærentem cornibus quærere? Te quidem nec pietas deserit, nec omnipotentia, atque ob id tuis nec pium ferre recusas suffragium. Sua potius perit quicunque periclitatur diffidentia, quam tua inclementia. Nostro si dignaris obsequio, mentem nostram compunge tactu interno, et in funiculis amoris tui reduc a sæculo, et deduc in eremo. Tumultus non quiescat, donec tanquam spumam ad littoris quieta nos ejiciat. *Fiat, fiat super nos misericordia tua, Domine* (*Psal.* XXXII). Non convertatur amaritudo passionis, nisi omnia expurgaverit superflui humoris. Honoris ambitio, carnis delectatio, amicorum confabulatio, consanguineorum visitatio, subjectorum prælatio majoris potestatis ostentatio, utquid? Nonne his anima compeditur, ne ad superna evadat? Nonne his complicatur, ne virtutum pennis cœlestia petat? Et horum quidem finis erit, sed sine fine pœna durabit. Alterum horum fieri necesse est, aut vincere hæc, aut ab his vinci, aut superare, aut subdi, aut fugere, aut includi. Sanius est igitur nudum enatare, quam vestitum submergi; solum effugere, quam cum multis periclitari. Quid cor humanum expavescis? quid refugis? fructus solitudinis non est quidem mollis, est tamen fortis, non est pinguis, est tamen dulcis; est durus, sed in cortice; est acerbus, sed in superficie; est novi saporis, sed inchoantibus; est conterens dentes, sed non consuescentibus. O cor humanum, cur times renovari? cur abhorres reparari? Velis, nolis, hinc abire compelleris; velis, nolis, sine mora emigrabis. O cor excors! cur non curris ad Dominum cordis? Cur omnia colligis, et te ipsum non colis? Dignitate præcellis, potestate excedis, auctoritate quidquid creatum sub cœlo est evincis. Nobilitatis tuæ progenies quanti sit, ob ignobilem conversationem non attendunt, qui post corpus suum te ponunt: exemplar tuæ formationis non meminerunt, qui inter corpus et spiritum quæ sit differentia non animadvertunt. Natales tuos relege, et de quam spectabili sis genere recole. Generi tuo maculam servitutis noli irrogare, quia servitus tibi non a te debetur. Etenim tu in loco sublimi sedere, cæteri vero tibi debent assistere. Tuum est mandare, cæterorum ad mandatum venire, et pro contemptu vindictam excipere. Tuum est injungere, subjectorum sine discrimine injuncta effectui mancipare. Soli Deo si dignum præstiteris obsequium, tuum ad omnia valebit imperium. Hoc interim confabulatorium omittam, et tempus et locum constituam, quo narrationes, rationes, et allegationes utrinque liberius audiam. Valete.

EPISTOLA XXXVII.

AD T. PRIOREM MOLISMENSEM.

[II, 13.] Frater PETRUS Cellensis abbas T. priori Molismensi (48), salutem.

Sacratissimæ passionis et resurrectionis Dominicæ solemnes feriæ, dies cum suis horis, membra cum suis officiis non immerito hactenus vindicaverunt. Quid enim digitis meis cum calamo scribere in die, quo distenditur in cruce dilectus ex dilecto, qui factus est sponsæ suæ fasciculus myrrhæ? (*Cant.* I.) Manus domini tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, clavis perforantur, et manus mea ad aliud quam ad distillandum myrrham probatissimam occupabitur? In uno oculorum, et in uno crine colli sponsæ vulneratum cor ejus, et cor meum inania et supervacua meditabitur? Potius resignet dies hæc in affectu Christiani affectum morientis Christi, compassionem in membris, mortificationem in concupiscentiis, expiationem a vitiis, conformationem in officiis charitatis. Ecce cur non responderim epistolæ tuæ die sequenti postquam eam accepi. Accepi namque eam, cum de vituli saginati pelle detrahenda et de agno assando jam ageretur, et manus ac pedes junioris filii Rebecca parabat supervestire vestibus Esau valde bonis, id est sacramentis ecclesiasticis. Jesus vestimenta sordida non propter peccati contaminationem, sed propter mortalitatis contaminatam conditionem deponebat, et sacram manuum ac pedum ablutionem, non carnali depositione sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatione in Deum intitulabat. Jam ex odore unguenti a peccatrice, sed pœnitente, in caput vel pedes Salvatoris effusi implebatur domus: jam convivium pinguium, convivium medullatorum apponebatur, vinum meracissimum crateris infundebatur.

O bone amice, quis scriberet, imo quis non biberet? Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi, continuabatur, et de morticinis pellibus atramento liniendis cogitaretur? Ecce quare statim non respondi, cum libentius illis pulmentis intenderem, quam de responsione vestra cogitarem. Quid de Sabbato dicam? Quid, inquam, dicam, nisi quia Sabbatum est? Sabbatum revera sed delicatum, sed sanctum, sed gloriosum. Non licet igitur digitum extendere, et loqui quod non prodest. Deinde die sequenti, resurgente et cum spoliis multis Domino redeunte, aliquid de præda pretiosissima veniens in occursum deposco. Rursum intueor triumphum, excipio renascentia sidera; post solis ortum et au-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(48) *T. priori Molismensi.* Theobaldo fortasse, qui post hæc abbas ejusdem cœnobii, 113 epist.

roram nascentem in thesauris meis consigno, ut hæc spes reposita in sinu meo doceat, quod *flebile principium melior fortuna sequeretur*. In his diebus nemo alius scripsit, nisi tantum Pilatus, quinimo destructum est quod adversum nos erat chirographum. Post hæc vero tandem, cum exivit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam, recogitavi seriem somniorum atque sermonum epistolæ tuæ, et extrahens eam de tenebrosis ad lucem, deprehendi non esse meam. Ubi enim mea, quæ de me principio narrat super id quod vidit, aut audivit ex me? in medio fingit me dixisse vel fecisse quod non est verum? in fine comparat se illi qui sine peccato non est? Non sibi convenit imago epistolæ tuæ, bone frater et amice. Primum vinum ponis, deinde acetum supponis, ad ultimum misturam myrrhæ et aloes apponis. Non rejicio usquequaque laudem mihi propinatam, amplectens dicentis benevolentiam, non dicti conscientiam. Languor enim ille fortissimus, quo sub sole universa vanitas hominum laborat, et me cum aliis corripuit, quatenus suaves illas aurium modificationes necdum propulsare didicerim. Naturale est hoc vitium, et, ut ait Seneca, naturalia corporis aut animi vitia leniri arte possunt, deleri non possunt. Hoc animi scabies est, sed differenter occupat. Invadit quandoque inferiora, quandoque superiora, quandoque totum simul, et superiora et inferiora. Superius est in animo, quod ad rationem pertinet; inferius, quod ad sensualitatem, totum quod ad destinationem, sive deliberationem. Fallaci igitur suppositione, dum alias animus forte ad quædam majora et meliora occupatur; subintrat inanis gloriæ amor, et foliis ficus turpitudinem suam obumbrans, in latibulo anguli sedet, ut cum domina sua ratio absens fuerit, viro, id est naturali appetitui sese misceat, et ex tali concubitu Ammonitæ et Moabitæ, qui non intrant in Ecclesiam Dei, usque ad tertiam et quartam generationem, procreantur. Quod enim ab initio conceptionis et generationis vitiosum erit, ad innocentiæ gloriam quo modo intrabit? Nunquam igitur opus vanæ gloriæ numerabitur in remuneratione veræ gloriæ. Ideo Abrahæ dicitur : *Ejice ancillam et filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ* (*Gen.* XXI). Deinde quod periculosius est, ascendit sursum hæc scabies, et tangit ipsum verticem sanctum animæ, ubi est imago et similitudo Dei. Quærit suam non Dei gloriam, abutitur voluntate divinæ tam generationis quam regerationis. Non nominat filium suum, id est opus, Joannem, sed Zachariam. Hæc jam non celat, et non velat, sed revelat turpitudinem suam, et juxta sapientissimum, contra animam suam Adonias petit Abisac Sunamitem, quæ regi David solebat obsequia præstantissima et incentiva castissima præbere. *Unum est*, inquit Salomon, *ac si regnum petat* (*III Reg.* XI).

Adonias cupidissimus regni, est ratio infecta amore privati boni. Ambit iste Abisac sibi assumere, cum tota ratio absorbetur a voragine cenodoxiæ. Sed occiditur, quia a Deo separatur. Hoc malum sub sole est. Adhuc amplius malum est, cum tota hominis intentio et operatio ad hanc iniquitatem et negationem contra Deum se incurvat. A laqueo sic contorto triplici funiculo cave tibi, o amice, quia malum est oblatis honoribus delectari, pejus negatos appetere, pessimum pro sublatis in iram prosilire. An erat meum abbatiam illam dare cui vellem, subtrahere cui vellem? Et quis ego? et quid ego? Præcipue comparatione tanta : archiepiscopi scilicet Lugdunensis, episcoporum quoque Lingonensis et Augustudunensis : abbatum etiam Molismensis, sancti Joannis Quintiacensis (49), quid ego nisi pulvis et cinis? Cœlum et terram cum istis testes invoco, nisi forte evanuit a sensibus meis, quod de persona tua nil inhonestum, nil criminosum in eorum auribus deposuerim. Revera non statim acquievi, et abiit sermo in regionem longinquam. Nominatus est iste, non dissimulavi dicere quod audieram, vel videram : reticui tamen quod ignorabam. Nominatus est Petrus de Vivariis, heu mihi! pro quo contra amicos, et episcopos, et clericos, et familiares, alia vice fortissime steteram et constantissime, nunc quoque ut potui steti. Quia non potui ut esset abbas, vertit ad me cum quibusdam suorum terga, et non faciem. Hoc anno multa horum similia, non per visum, sed per sensum et experimentum passus sum. Amici quondam mei a longe steterunt, et jam non ambulant mecum. Quid itaque faciam? Non ibo? sed inobediens ero. Non ibo? sed superbus apparebo. Tacebo? sed conscientiam timeo. Tacebo? sed pecuniam Domini abscondo. Tacebo? sed callidus, vel stultus reputor. Utrique parti placebo? Sed hoc erit simulatio, sed hoc erit impossibile. Quid igitur? *Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V). Quid, inquam? Da sermonem rectum et bene sonantem in os meum. Hucusque satis. Nam parietem litterarum fodere, ne dicam impugnare parco. Rimas tantum et quasdam scissuras per circuitum obambulans designo, sed et resigno. Nam quod fractum est, si quid tamen fractum est, malo resarcire, quam nova damna facere. Fiat pax.

EPISTOLA XXXVIII.

AD FRATRES CAZIACENSES.

[II, 14] Frater P. Cellensis abbas, dilectis fratribus, filiis et amicis Caziacensibus (50), sapientiam scribere in tempore otii.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(49) *S. Joannis Quintiacensis*. Multa sunt in Gallia cœnobia, quæ S. Joannis nomen gerant Hic vero Reomensem S. Benedicti abbatiam in diœcesi Lingonica designari puto. Quintiacensem vero, alteram Cisterciensium haud procul Ternodoro sitam in eadem diœcesi.

(50) *Caziacensibus*. Pro abbate Caziacensi ad Eugenium papam scribit Bernardus epist. 263. Et in litteris Hattonis episcopi Trecensis nominatur Simon abbas Caziacensis. Apud Nicolaum quoque

Præter solitum, nec non et votum meum, in virga, non in spiritu mansuetudinis scribere vobis proposui, qui paterna præcordia aculeis litterarum vestrarum absque misericordia perfodere non timuistis. Movet me et commovet plurimum pia senectus in Patre, miseranda compassio in fratris abjectione, seria et intemperata oratio in paginarum serie. Dissimulare, nec tam manifesta redarguere; pars ejusdem criminis videtur esse. Quis enim iste impetus? quæ ista ebrietas? Quod suffugium mentis et sensuum, fratrem abdicare, Patri contradicere, jus monastici ordinis sic perturbare? Dura et dira, fratres mei, æmulatio vestra, morte tristior, inferno inferior, saxo durior, amarior absinthio, felle acetosior. Quid enim? pietas negatur, necatur misericordia, honor paternus conviciatur, insimulatur amor fraternus, societas repellitur, regula violatur. O irreligiosa religio! O ficta sanctitas! O invidiosa charitas! Siccine, fratres mei charissimi, siccine Christum didicistis? Nonne Deus noster Deus pacis est, et non dissensionis? O stulta vecordia illorum qui pacem suam dicunt, si fratrem non receperint; mortem, si viderint; prosperitatem, si socium exterminaverint; devotionem, si opus devotionis condemnaverint! Hæc in te pestis, Joseph, grassatur: hoc in tuum caput infortunium sine culpa refunditur. Vendere enim te fratres volunt, quem videre nolunt. Paternæ gratiæ impedimentum sibi credunt, quia Patri gratiosum sentiunt. Sic sic fratrum ingratitudinem mercatur gratitudo Patris. Si defuerit, inquiunt, amatus filius, ad nos resiliet paternus affectus. Dum Joseph visibus sistitur patris, rarior ad nos deflectitur dulcedo paternitatis. Tollamus fratrem et habebimus patrem.

Quam justius et jucundius faceretis, si vobis filialem devotionem inviscerare tis. Hoc nempe affectum multiplicaret, non devastaret. Boni fratres et amici charissimi, currebatis bene; quis vos fascinavit sic patri scribere, sic fratrem proscribere? Quid enim Tes. mali fecit? quid tam atrocis injuriæ dignum perpetravit? Quod tam immanissimum suum facinus, ut sic contra legem sine lege vestro judicio non rediret? Ubi sunt misericordiæ vestræ antiquæ quibus veniam criminosis indulsistis? quibus sceleratis commissa facinora remisistis? O quanto impurioris, quantoque indignioris vitæ pluribus et locum misericordiæ impetrastis, et gratiam immeritam prorogastis! Ubi fornicationes T., ubi inordinatæ comestiones? Ubi ignominiosæ operationes? ubi innominandæ confusiones? Opera lucis, non tenebrarum opera T., opera diei, non noctis; opera prædicanda, non præjudicanda. O livor! o invidia! Quo ausu ingressa es sanctuarium Dei, cubile Altissimi, tronum Regis æterni? Qua tyrannica præsumptione sanctorum præcordia rupisti et irrupisti, quinimo et dirupisti? Ecce pondere gemitum et clamorem validum de corde amicorum pressisti. Unde namque ustio illa cordis, unde angustiæ mentis, nisi te succendente, nisi te constringente? Prorsus usque ad internecionem animæ combureris, et ex hoc paupertas et angustia cordis. Non, fratres, non adversum me ira, sive commotio vestra exardescat. Nequaquam enim tacere vobis debui insipientiam vestram. Acquiescite tamen consiliis meis, et quod inconsulte factum est, consulto corrigere ne differatis. Quam citius ergo poteritis, ad pedes domini abbatis simul procumbatis, satisfacientes pro erratu non levi, neque surgatis nisi benedictionem ab ore paterno reportaveritis. Mihi quoque, si in aliquo excesserim, obsecro, indulgeatis. Diligo enim vos, Deus scit. Valete.

EPISTOLA XXXIX.

AD FRATRES CAZIACENSES.

[II, 15.] Fratribus, filiis et amicis suis charissimis Caziacensibus, frater Petrus humilis abbas Cellensis, salutem.

Non levitas, aut levis necessitas ut loquar suadet, Patris languorem, matris desolationem, fratrumque attendens commotionem. Verum est, verum est, fratres charissimi, illud Evangelicum: *Perculiam pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Matth.* XXVI). Quid autem horum gravius, percussio pastoris, an dispersio gregis? Equidem divisum sine dubio alterum satis grave; simul vero utrumque pene damnum intolerabile. Immorabor igitur plangendo Patris passionem, an consequar revocando fratrum exterminationem? Sed ut rerum fatear, utrumque. si utrumque contigerit lugebo. Sed alterum affectuosius, alterum ambitiosius. Nam Patri uberius lacrymas profundam laboranti in defectu naturæ; fratribus emittam intensius redargutionum sagittas propter excessum culpæ. Morbis namque naturæ compassionem, corruptioni animarum debemus reprehensionem. Condolendum, non imputandum est seni, quod egreditur mundum: imputandum vel potius amputandum in Christiano, si rumpere tentet dilectionis vinculum. Re integra, fratres charissimi, nondum imminentia lucrosius evitantur pericula, si adfuerit oculus Providentiæ, et manus vigilantis cautelæ. Casus fortium terrere debet fortunam pauperum. Nam tua res agitur paries dum proximus ardet. Quantumlibet potentissima, quantumlibet opulentissima regna in brevi contentionum molestia succensente corruunt. Mundi ipsius machina stare non poterit, si se elementorum incontemperantia conturbaverit. In proximo Cluniacensis (51) Ecclesia antiquitate senior, religione

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

Clarevallensem legitur epistola 19 ad abbatem Cazeiensem, hoc est, ut codex noster habet, Caziacensem, ex qua cœnobium ordinis Cisterciensis [*imo* Benedictini] esse constat. Situm autem est in Suessionum diœcesi.

(51) *In prox. Cluniacensis.* In electione Roberti, de qua dictum epist. 26, abbas hujus nominis non reperitur ea tempestate inter Cluniacenses.

ferventior, rerum abundantia plenior, multitudine numerosior, quid fecit? Scandalum parvulis, piis mœstitiam, religiosis verecundiam, amicis pudoris jacturam, universæ Ecclesiæ velamen opprobrii. Ubi enim ambitur honor sæcularis sub tegumento religionis, quando ab eodem arcebitur crudus animus in maturitate dilectionis? Si ita favus mellis acescit, quid absinthii amaritudo, quid aceti faciet acredo? Proverbium est: Suaviter corrigitur, qui exemplo aliorum emendatur. Maneant igitur in vobis unitas, pax, et concordia, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Quandiu Patrem vestrum, imo nostrum, vobiscum retinere poteritis, alium ne cogitetis. At ubi inevitabili cogente necessitate aliter disponendum fuerit, Spiritus Paracletus invocandus, cœtus sanctorum convocandus, et vir bonus, religiosus, discretus, litteratus, pius, et in sancta religione enutritus, qui Patris vestri imitator sit, omnimodo investigandus. Valete.

EPISTOLA XL.

AD CARTHUSIANOS DE MONTE DEI.

[1111, 1.] Dominis suis et Patribus priori (52) cum cæteris de Monte Dei (53), frater Petrus Cellensis indignus abbas, usque ad montem Dei Oreb.

Aliud materia, aliud suadet scribere vestra reverentia. Et materia quidem, quæ est charissimi filii nostri translatio ad vos, potius semper silere, vel instantius flere, quam scribere admonet. Sanctitatis autem vestræ reverentia sancta et digna exigit. Itaque non quælibet levia et sæcularia, sed fortia et cœlestia debet assumere, qui vobis proponit scribere. Quid autem charitate fortius, quæ fortis est ut mors? quid cœlestius, quæ etiam omnem exsuperat sensum? Et de hac quidem, quantum ad nostrum se inclinare dignata est sensum: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* xv). Quanti igitur apud meam humilitatem vestra profecerit dilectio, æstimare poterit, qui quod pro ea reposuerim pretium diligenter pensaverit. Certe non aurum, sed virum secundum cor meum; certe non argentum, sed quem habebam quasi unigenitum: certe non lapides pretiosos, sed lapidem, quem mihi erexeram in specialis amoris titulum, in hoc proposui commercio. Scio, nec prorsus dubito, quod si omnem substantiam domus meæ dederim pro sancto amore vestro, nihil tamen in comparatione illius attulerim. De Monte namque Dei non amor mundi, sed amor cœli descendit; non carnalis amor, qui tanquam nubes matutina pertransit, sed æterna *charitas* quæ *nunquam excidit* (*I Cor.* xiii). Non enim recipit æstimationem, quod omnem excedit accidentium licitationem. Divini siquidem amoris suavitatem sanctarum animarum pius redolet amor. Et quid humana paupertas dignum recompensationis, non dicam ad supernum amorem, sed saltem ad quamlibet sanctorum dignationem, in omni thesauro inopiæ copiose abundantis reperire poterit? Sane nil sanioris mihi videtur ad hoc consilii, quam ut gratiam rependat pro gratia, ad illius imitationem, qui potius ex abundanti quam ex indigenti, non aliud quidem solet dare pro gratia. Itaque et ego gratiæ vestræ gratias ago, non tamen vanas, non vacuas, sed ultra facultatum mearum sufficientiam largas et divites. Non enim de arca, sed de conscientia, non de fundo marsupii, sed de intimo cordis, non de supellectili domus, sed de intimis visceribus profero quod accipitis. Si enim aliter fieri posset, si aliud pretium, quantumcunque magnum, vestra sanctitas exposceret, si aliquam commutationem commercium illud admitteret, o quam libenter darem! o cum quanta gratiarum actione numerarem! O Deus cordis mei, quanta animæ meæ usque ad mortem in hoc partu angustia, quam importabilis! nisi tu mecum portaveris in separatione ista affectionis semper duratur ærumna.

Jesu bone! indubitanter pro te aliquid me fecisse jam deinceps fateri non erubesco. Sed quid aliud facerem? Tuus est ille, tuus sum ego. Et utinam sic tuus ego, sicut ille tuus! Et qua fronte tibi de tuo tuus contradicere præsumam? Non resisto voluntati tuæ contumaciter, ut tu assistas desolationi meæ misericorditer. *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea* (*Psal.* xxiv). Domine, Domine, nonne totam mitius a me tolleres animam, quam partem dimidiam? Placeat tibi saltem non deserere partem residuam, quia tibi assumis præcipuam. Vere nunc experior, quod separare veneris hominem adversus patrem suum. Vere hic gladius Salomonis vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus. Quare propter te divisa est maceries animorum præsentia corporum? Tu mediator, tu lapis angularis, tu dispersos Israel congregas, tu Deus unus, ad te et in te utraque faciens unum, quare sic facis, vel si non facis, quare pateris ut caream baculo meæ debilitatis? ut suam columnam deserat basis? ut sine Aaron non Moyses, sed tuus miser cogatur sustinere quæstiones sive molestias hujus talis et

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(52) *Priori.* Simoni, viro sanctissimo, epist. 46.

(53) *De Monte Dei.* Pulcherrimum, multisque nominibus clarissimum Carthusiensis ordinis cœnobium, ab Odone S. Remigii abbate fundatum in diœcesi Remensi, præfectura Mosomensi. Tertius ab Odone S. Remigii abbas fuit Petrus noster, ut vel hinc satis causæ fuerit, cur fratres de Monte-Dei tanto studio et amore complexus sit. Sed aliæ præterea vetustiores fuerunt, atque in his Stephani monachi Cellensis ad illos emigratio, de qua hoc loco. Stephani nomen docuit index seu titulus epistolæ, quem his verbis conceptum meminimus: *Epistola Petri abbatis Cellensis ad Stephanum quemdam monachum suum, sed postea monachum Montis Dei.* Sed hanc hactenus nancisci non licuit.

tantæ m[illegible] non sustineat pietas tua sine consolatione meam diutius fragilitatem conquassari, sine visitatione fatigari. Quid est hoc? Vobis cœpi scribere, vobis loqui, et sic in mediis sermonibus, cum tanta mora meas miserias misericordissimi Dei conspectibus explicui. Certe ut videatis, certe ut intelligatis, quis sit dolor filium dexteræ amittere, et nec saltem sublato Joseph, Benjamin retinere. Quinimo ut Deum totius consolationis meis compatiendo mœroribus dulcius et obnixius pro me exoretis. Est enim benignus piorum exauditor, largus pro se aliquid facientibus remunerator. Orate itaque, ut et istum, quem quasi in vinculis Christi retinetis, non amittam, et ut optando scripsistis, pro Samuele nostro prophetam non inferiorem recipiam. Sic enim dote bona ditatus, consolationem aliquam vestris orationibus accipiens, potero exspectare illam veram et æternam, pro qua desolationem suscipio temporalem et transitoriam. Valete.

EPISTOLA XLI.

AD CARTHUSIANOS DE MONTE DEI.

[III, 2.] Dominis et Patribus suis de Monte Dei, frater Petrus Cellensis, dulcedinem gratiæ quam repromisit Deus diligentibus se.

Exsultat spiritus meus in Deo salutari meo, tum quia videre et audire vos vel semel merui, tum quia familiaritatis gratiam, gratia superna largiente, inveni. Accedit hinc beatitudini meæ dulce ad invicem commercium litterarum, unde et amaritudinibus meis mitigativum paratur electuarium, et inquietudini sopitivum medicamentum, et hebetudini non mediocre æruginamentum. Denique quoties formam et vultum inspicio sermonum vestrorum, magna virtute veneniferos morsus evado rugientium curarum, inundationes contempero influentium occupationum, assultus reprimo internarum et veternarum inimicitiarium. Placet sensus profunditas, dictorum veritas, morum informatio, errorum redargutio, amputatio vanitatum, condemnatio ambitionum. Plus medullæ farinæ, minus corticis et furfuris habent. Facile ex his perpendi potest, quid in se de se anima religiosa sentiat, quid supra se de Creatore suo obstupescat, quid infra se de peregrinatione mundi et tentatione carnis pertimescat. Plane ad se ipsam conversa conturbatur, ad factorem suum suspensa dilatatur, ad corpus reversa confunditur. Quid enim corpus, nisi terra inanis? quid anima, nisi abyssus impenetrabilis? quid Deus, nisi lux incomprehensibilis? Igitur ut caro sterilis et infecunda impræ̃gnetur, jejuniis et vigiliis affligatur, ut anima tetra et tenebrosa clarificetur, pristinis vitiis et phantastica ignorantia exuatur. Caro abstinendo fiat paradisus deliciarum, anima orando et contemplando efficiatur serenissimum cœlum. Custos et operator paradisi deputetur ratio : protector et inhabitator animæ ipsius creator. Adhibeatur corpori diligens disciplina, ne tanquam puer immaturus in perniciem sui efferatur : cultura impendatur, ne velut ager neglectus mala prole urticarum inutiliter occupetur; vomere et sarculo conscindatur, et bono semine impleatur. Nam hujus naturæ est hoc corpus, ut quo magis opprimitur, eo amplius multiplicetur. Terra hujus carnis, nisi aratro disciplinæ convulsa fuerit, quasi clausa vulva inutilis erit. At ubi fortiter concussa vel conscissa semen Domini exercituum exceperit, germinare secundum genus suum incipiet. Denique secundo vulnerata, tanquam gladio ancipiti, amore videlicet et timore, uberes fructus justitiæ, largissimas aquas internæ compunctionis, imo sanguinem et aquam in redemptionem prævaricationum suarum, et emundationem originalium delictorum, in vitam æternam saliendo profluit. Atteratur itaque contritione valida, ne insolescat, et pro frumento bonorum operum spinas et tribulos desideriorum malignorum afferat. Fodiatur, imo confodiatur lancea Salvatoris, ne animam in sepulcro vitiorum defossam æternis addicat incendiis. Duobus funiculis David admetiatur, uno ad mortificandum, uno ad vivificandum, ut quod naturæ est conservetur, et quod vitii, destruatur. Sic, sic quantumcunque lapidosa fiet mollis et tenera : quantumcunque salsuginis plena, fiet dulcis et bona; fiet, inquam de benedictionibus cœli frugifera, fiet quasi horti juxta fluvios irrigui, quasi areolæ consitæ a pigmentariis, quasi mons coagulatus et pinguis, tanquam vallis nemorosa, velut terra sancta et uberrima.

De hac solummodo oritur veritas, in hanc justitia de cœlo prospicit, hanc inhabitat et inambulat sanctitas : ferrum de hac tollitur, malleus universæ terræ et securis suggestionis diabolicæ in ea non auditur. Hæc terra benedictioni proxima est. Hæc, inquam, accipit, tanquam lac divini uberis, primam benedictionem in justificatione, secundam in glorificatione. Omnis igitur, juxta Apostolum, qui lactis est particeps, velut ab uberibus maternæ gratiæ, exsugat ab ista lac sanctificationis, ab illa consolationis. Hoc enim est quod ait Apostolus : *Habetis fructum vestrum in sanctificatione; finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI). Sic, sic vivitur, et in talibus vita spiritus. Sic vivunt parvuli tui, Domine Deus, ab ubere præsentis visitationis, sic ab ubere futuræ exspectationis. Hæc duo, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, quia ex abundantia divinæ jam prælibatæ dulcedinis, et ex indubitatæ certitudine sequentis remunerationis, jam ad Deum, sicut cervus, inæqualitatem adversitatum transcurrimus, jam super montes aromatum mundarum orationum præ alacritate transilimus exclamantes cum Apostolo, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII).

Cujusmodi autem lac, fratres, esuriatis, hæsito, quia ad humanos usus non simplex, sed aliud ovinum, aliud capricum, aliud vaccinum a Deo creatum perpendo : habet et humana infantia lac proprium,

et ætati suæ congruum, mamillarum maternarum. Ex qualitate vero uberali uniuscujusque lactis, cui magis personæ, vel ætati quodlibet horum competat, non est disserere. Est namque caprinum parum nutritivum sed satis digestivum; vaccinum multum nutritivum, sed durum ad digerendum; ovinum ex his medie contemperatum. Quamobrem ex alio servi, ex alio filii, itemque ex alio pascuntur domini. Qui domini, nisi qui dominantur in universa Ægypto carnis suæ? Qui filii, nisi qui de ventre nati sunt gratiæ? Qui servi, nisi quorum manus servierunt in cophino veteris vitæ? Servi necessitate indigentiæ, filii suavitate indulgentiæ, domini deliciarum plenitudine lac edere solent. Utinam mihi peccatori indulgeatur lac veniæ, vobis jam expiatis lac gratiæ, tandem expiatis lac gloriæ! O clarum lac! o suave! o jucundum! Clarum, quia per veniam transferimur de regione tenebrarum ad lucem gaudiorum. Suave, quia per suavitatem gratiæ, ab amaritudine tentationum ad dulcedinem deducimur immarcescibilium delectationum. Jucundum, quia per gloriam a sæculi tristitia evadimus ad æternum et incommutabile gaudium. O abundans jucunditas! o jucunda abundantia! *In die enim illa nutriet homo vaccam boum*, ut ait Isaias, *et præ ubertate lactis comedet butyrum* (*Isa.* VII). Quæ namque est vacca boum, nisi anima consors naturæ et gloriæ cœlestium spirituum? Quam homo Christus nutriet, non sicut nunc in umbra sacramenti obumbrati veritate, sed in declaratione veritatis, et in detectione reserati per clavem David mysterii de mensa corporis, et de vino pretiosi sanguinis, de vestimentis gloriæ, et de lacte matris gratiæ, quod præ ubertate misericordiarum vertitur in butyrum dulcedinum, quia omni fluxibilitate et mortalitate de medio sublata, omnimoda commutatione transformabitur a claritate in claritatem, et sic in Deum. Tunc enim erit omnia in omnibus. Quid hoc butyro pinguius? quid hoc melle dulcius? Hoc mel cœleste est, non campestre, non denique silvestre. Joannes in solitudine mel silvestre edit satisfactionis: Jonathas in procinctu belli campestre justificationis: puer Jesus in Virgine et de Virgine mel cœleste incorruptionis. Sufficit enim lucernæ quæ lucet et ardet, in campis silvæ pœnitentiam prædicari, et quando fugiat a ventura ira, populum edocere. Juveni, qui in agone fideliter et viriliter decertat, in virgæ, videlicet justitiæ, summitate futuram dulcedinem prægustare. At vero Christo Jesu, qui lux est illuminans non illuminata, creatrix non creata, propter altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ thesauri absconditi (*Colos.* II), parum est ut sit prædicator, non sit et dator, non solum veniæ, sed et gratiæ.

Denique ut de maximis ad minora trahamus exemplum, cor cujusque religiosi ad similitudinem baptistæ Domini a strepitu sæculi quietum, in baptismo devotionis emundatum, in mortificatione carnis præparatum, in amore verbi Dei confirmatum, in religione angelorum stabilitum, et si non-

A dum cœleste mel pleno ore et ventre eructat, silvestre saltem prægustat. Aliter enim gratia sapit in patria, aliter in exsilio; aliter rara, aliter larga; aliter continua, aliter interpolata; aliter in corpore mortali, aliter in immortali; aliter invisibiliter data, aliter visibiliter administrata. Calore igitur charitatis liquefacta, et colatorio discretionis eliquata, nihilominus et infusorio exquisitæ veritatis infusa homini gratia, asperitates faucium in confessione mitigat, stomachum receptivum innumerabilium cogitationum mundificat, discretivam cerebri rationem ad certam mensuram modificat, et vitalem venam ad veram immortalitatem cordi subministrat. Hic autem interim nos cum turba tanquam in campestribus ad gratiam suspiramus: ibi velut in
B monte contemplationis glorificatam Jesu faciem suspicimus. Hic exspectamus, ibi spectamus; hic petimus, ibi accipimus; hic rogamus, ibi erogamus; hic inopes, ibi locupletes; hic pauperes, ibi divites; hic cum Joanne in deserto, ibi cum Jesu in regno; hic in carcere Herodis, ibi in palatio æternæ hæreditatis. Hic ad reparationem gratia commodatur, ibi ad refectionem præstatur; hic in mensura, ibi supra mensuram; hic in utre, ibi in ventre; hic in cortice sacramenti, ibi in manifestatione summi et incircumscripti luminis. Ecce lac, imo butyrum, ecce mel, vel potius favum mellis offert servus vester mensæ dominorum suorum. Ad quid iterum vobis vas aquæ cum amphora vini? O domini et amici charissimi, puteus altus est, et lapis
C superpositus, quem mihi angelus nondum revolvit, Jacob nondum amovit, et quomodo dicam: Bibe, domine, et camelis tuis potum tribuam? O ardens desiderium! Fossoria habetis, venas aquarum viventium possidetis, puteos quos fodit Abraham et filii ejus, Isaac et pueri ejus, habetis, et adhuc aquam de cisterna quæ est in Bethlehem suspiratis? Equidem hæc aqua, et si bona ad bibendum, sed difficilis ad inveniendum. Iter prolixum et obsessum, locus remotus et ignotus, vires paucæ et raræ, undique hostis et ensis, nox instans et præ foribus tenebræ. Nisi itaque ad incomparabilem thesaurum obtinendum tanti labores non sunt insumendi. Quid dicam? Momento tamen sui hæc purissima gutta
D superat omnem laborem, quia sitim satiat, sordes lavat, æstum temperat, humectat arida, dura emollit, sterilia fecundat. Ex hac lagenas oculorum suffusas in libamentis vestris effunditis, et cum hac altissimo Deo vota placabilia offertis. Hæc ignem exstinguibilem exstinguit. Hæc rigorem judicis ad pietatem inflectit. Hæc cherubin, et flammeum gladium atque versatilem, ne lædant compescit. Hanc in vinum convertit: et suo more potiora exhibet in benedictione, quam in creatione. Procul dubio sunt nobis plures fortes ad bibendum vinum, et ad miscendam ebrietatem; ad hoc autem poculum quis idoneus? Verus Noe noster, qui requiem nobis dedit ab operibus mortuis, hoc vino debriatus, turpitudinem humanæ infirmitatis in cruce denudavit,

et a medio filio, qui neque calidus est neque frigidus, irrisionem sustinuit. Ideo pauci procedunt ad emendum, pauciores ad possidendum, paucissimi ad bibendum, fere nemo ad ebriandum. Potens potator hujus vini fuit filius fabri. Post hunc emigraverunt ad vineas Engaddi qui bibebant vinum libaminum. Quia igitur nunc non est relictus in Sion, et residuus in Jerusalem, qui de manu Domini calicem vini meri suscipiat, accedite vos qui estis de domo Dei, et de monte Dei, et bibite et inebriamini, charissimi.

EPISTOLA XLII.

AD EOSDEM.

[III, 3.] Dominis et amicis suis priori, et cæteris fratribus de Monte Dei, frater PETRUS Cellensis, bravio diurni denarii non fraudari.

Suavissimi saporis buccellas, quasi panis oleati, avido ore in mensa litterarum vestrarum prægustans, jucunditatem spiritus cœpi eructare, et iterum atque iterum præ desiderio spiritum bonum attrahere. In crassitudine quippe animæ bene pastæ, in abundantia dulcedinis Dei scripsistis, et sicut adipe et pinguedine spiritalis lætitiæ fauces meas replestis. Sermo namque vester non est talis, qui adulterinis formis superinductis speciem pietatis repræsentet, et virtutem abneget. Hoc enim illorum est, qui in corde et corde loquuntur, vel qui molliunt sermones suos super oleum, cum ipsi sint jacula. Non autem verbum vestrum sic insulsum, sic infatuatum, sed sale salitum, sed gratiæ plenitudine confortatum viscera replet sanctorum, vires reparat animarum, languores sanat ægrotantium, fortitudinem conservat sanorum. Præterea delicatorum sufficit gulositati, et nauseantium medetur rejectioni. Pascit ut panis, ut vinum lætificat, ut paradisus deliciarum, exuberat in omni suavitate, ut templum speciosissimum refulget in omni pulchritudine. Plane suadibilis ad commonendum, rectus ad componendum, efficax ad commovendum, potens ad corroborandum, dulcis ad demulcendum, ardens ad inflammandum. Cum enim pure de puro vase purus effunditur sermo, quid ad emundandum aptius, quid ad informandum apertius, quid ad omne opus bonum utilius? Sane verbum bonum de bono Dei verbo frequenti meditatione decoctum, exercitationi corporali et spiritali tanquam mola inferiori et superiori molitum, continua examinatione cogitationum accusantium aut etiam defendentium cribratum, humilitatis ossibus confert medullam, spiritui contrito medelam, et animæ esurienti adhibet satietatem bonam. Decoquitur vero panis iste aut in clibano profundi mysterii incarnationis Christi, aut in sartagine vivificæ crucis, aut in craticula mortis et sepulcri: cum vita vestra, locutio vestra, cogitatio vestra commoritur et concorporatur, vel consepelitur Christo novo genere vivendi. Videte panem de clibano: *Memor esto Dominum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David* (*II Tim.* XI). Comedite panem de craticula: *Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impiis mortuus* (*Rom.* V). De sartagine frixum apprehendite: *Cum iniquis deputatus est*; et, *vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit* (*Luc.* XXII; *Isa.* LIII), in corpore suo super lignum crucis.

Panis iste triplex itinerantibus per desertum ad viam trium dierum non deficit, quia etiam tertium cœlum petentibus seu penetrantibus fides incarnationis, passionis et mortis, tanquam scala Jacob, vehiculum existit. In introitu vero tabernaculi non manufacti, id est non hujus creationis, quod scilicet fixit Deus et non homo, porrigitur panis de duabus decimis similæ, id est consolatio æterna pro legis et Evangelii consummatione, nec non pro carnis perfecta incorruptione, et vera sanctitate animæ. Hastam aut gladium ad quid petitis? quem interficere vultis? quem ferire? Ubi est vel quis est adversarius vester? Nonne vos confugistis ad tutissima loca Engaddi? Nonne Christus est vobis petra refugii? nonne turris fortitudinis? nonne omnis armatura fortium? nonne inattingibile propugnaculum? nonne gladii duo, scutum, arcus et sagitta? O fortissimi milites Christi! hastam protensam habetis in orationibus continuis, gladium in mortificatione carnis, panem sanctum in spe æternæ glorificationis. Hasta vestra non est aversa in adversitatibus mundi, quia rectos facitis gressus ad cœlum; gladius non declinat in conflictu desideriorum et impetu suggestionum, quia ante Dominum est omne desiderium vestrum; panis non inveteratur ex dilatione præmiorum, quia revirescit charitas certa spe promissorum bonorum. In calore namque suo perdurat panis, quia charitas non tepescit in cordibus vestris. Non hebetatur acies gladii, quia non defervescit rigor disciplinæ ac sancti propositi. Hasta non infringitur, quia oratio vestra acumine suo cœlum penetrans nullis obstaculis reverberatur.

O bellum grande, et grave, in stationibus dissimile, in viribus inæquale, in armis incomparabile! O rector et moderator omnium, quam, nisi a te fieret, ridiculosa pugna vermis et gigantis, hominis et dæmonis, animalis terreni et aerii, velocissimi et tardissimi, stultissimi et callidissimi, antiqui et moderni, mortalis et immortalis? Stat ille in superioribus, jacet iste in inferioribus. Pennas ille habet, iste nec pedes. Videt ille quem persequitur, iste sentit nec attendit a quo tam crudeliter verberetur. Mole carnis molestatur iste: bonitate Creatoris ex creatione sua libero volatu quolibet devolitat ille. Utitur hostis mundo isto ut decipiat; utitur homine adversus hominem ut occidat; utitur eodem adversus eumdem ut absorbeat. Sensibus suis tanquam propriis armis triumphat, et transgulat [strangulat] captivum, cum spiritus in servitutem non redigit mortale corpus suum. O pestis iniqua! o sors hominum misera! non est tibi in te virtus, non in arcu virtutis tuæ, neque in hasta liberi arbitrii tui salvat Dominus. Sic collisa inter

scopulos, sic contracta inter populos, habes tamen prælium cum filiis Enachin, quibus comparata videris quasi locusta : habes capitale duellum cum principibus tenebrarum, victori vel victo proposita morte et vita. Non resurget, non qui ceciderit, sed qui cesserit; non addet qui destiterit : non rursus accedet, qui lapsus fuerit. Primo victus primus homo, quia secundus venit de cœlo, habuit in cœno sublevantem se : denuo si succubuerit, non reparabitur, quia alius deinceps non generabitur ex virgine Dei Filius. Voluntarie enim peccantibus, non relinquitur hostia pro peccatis. Instantius itaque agendum, ne urgeamur redire, cum inclusi in morte iterum non sinemur tunicam oblitam repetere. Tunicam enim pœnitentiæ qui neglexerit in corpore, opportunitatem nullam habebit post transitum vitæ. Ecce, domini mei et amici charissimi, statim ut vidi angelum vestrum, cucurri ad armentum cum Abraham, vocavi Saram memoriæ, puerum cordis, et miscui vobis farinam, ut facerem subcinericium. Habetis itaque cilicium vestrum, habetis et subcinericium nostrum. Cooperantur hæc duo ad extrahendam peccati rubiginem, ad delendam prurigi-nem, ad extergendam sorditiem. Idcirco sana et sancta potuit veraciter exclamare conscientia, vasa puerorum munda esse. O gemma pretiosissima et præclarissima! pro qua si dederit homo omnem substantiam domus suæ, tamen nihil æstimatur in comparatione illius. Detineo sancta corda, mundos oculos, puras manus, plusquam debeam a pabulo vitæ, ab introitu gloriæ, a contemplatione faciei Jesu jam glorificatæ et deificatæ. Sed nunc jam remitto; et ut me commemoratione pia in humeris vestris perferatis ad thronum gloriæ deposco. Valete. Fratrem Simonem lumen oculorum meorum, partem viscerum meorum, attentius vobis commendo.

EPISTOLA XLIII.

AD EOSDEM.

[III, 4.] Suis de Monte Dei, suus Petrus Cellensis, a claritate transferri in claritatem.

Venerunt filii usque ad partum, et tempus non est pariendi. Manus ad rescribendum parabatur, animus ad dictandum, locus ad sedendum; et ecce ventus occupationum nuntii vestri vela occupans navigii nostri ad portum silentii retorsit. Quid enim? Nonne jucundius et voluptuosius paulatim vinum bonum, quod servatis usque adhuc, per tempus et tempora degustabitur, quam uno haustu cum damno optandæ suavitatis deglutitur? Etsi enim in transitu desidero vos videre, saltem nolo in transitu scribere : Gustavi et vidi quia bona est negotiatio vestra. Nequaquam manus vestræ in cophinis serviunt; nequaquam civitates Ægypti in luto et latere construunt; sed quæque pretiosa et speciosa requirunt; sed fusum et colum ad nendum sive contexendum rationale et superhumerale, et cætera summi pontificis insignia ornamenta apprehendunt. Hinc est quod non de stuppis synagogæ peccatorum grossiora vestimenta animæ vestræ delicatæ appo- A nitis? neque contra legem ex lana linoque vestimento induimini; sed abdicantes occulta dedecoris, faciem lavatis, caput ungitis, et de velleribus ovium vestrarum venientes ab aquilone calefacitis, cum etiam de confessione vestræ integerrimæ simplicitatis exempla sumuntur sanctæ religionis. Sic est, dilectissimi, sic est: *Accedit homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII). Annon in luna cum lumini solis appropinquat sic evenit, ut eo a suo fulgore videatur deficere, quo fuerit effecta vicinior? Cæci domus non ideo pulchra, quia deformitatem ejus non videt; non ideo sana, quia ubi ventrem faciat non considerat. *Cani*, juxta prophetam, *in Ephraim effusi sunt, et ipse ignoravit* (*Osee.* VII). Doletis fetorem Lazari, truncum jam emor- B tuum miramini revirescere, muros Jericho non patimini consurgere. Facitis namque quod ait Nahum propheta : *Aquam propter obsidionem hauri tibi, intra in lutum, et calca, et subigens tene laterem* (*Nahum*, III). Intelligitis obsidionem principis hujus mundi, aqua de cisternis sicut nec de cellis deficit. Lutum carnis ut fortius prematis, et validius calcetis intratis, si subigendo tenere laterem memineritis. Non itaque usque ad internecionem desæviat mucro vester. *Tolle*, ait Dominus, *grabatum tuum et ambula* (*Joan.* V), id est corpori indulgeas, non servias. Quam suaviter in impetu spiritus evehor, dum vobis scribo, tam ægre fero, dum in medio itineris subsistere cogor. Ad quæstionem re- C spondere parco, quia non perfunctorie eam tractare dispono. Valete.

Destitutus spe ulterius procedendi subsederam non volens, sed propter eum qui quasi media via me deserebat. Interim flavit spiritus bonus, et dum illius cassavit propositum, nostrum complevit desiderium. Moram procul dubio timebam, et temporis sive portatoris importunitatem ad meam referri ignaviam satis pertinaciter devitabam. Ut itaque meam insipientiam oculis amicorum et dominorum meorum simpliciter prodam, non quod ex promptuario aridi pectoris, sed quod de horreis Joseph in saccis filiorum Jacob mutuavi proponam. Apponam vero prius in mensa ista panes propositionis vestræ, ut cum his sumantur legumina decoctionis D nostræ. Quosdam vestrorum ita scribitis sentire de verbis Apostoli, ubi ait : *Renovamini spiritu mentis vestræ* (*Ephes.* IV); et alibi : *Et si homo exterior corrumpitur, sed qui intus est renovatur de die in diem* (*I Cor.* IV), et de paradiso deliciarum in quo Adam positus est, sive etiam hoc, quod homo ad imaginem et similitudinem Dei conditus asseritur, ut sub eodem sensu omnia ista accipiantur. Addunt etiam hæc bona deliciosa bifarie debere accipi, scilicet secundum substantiale bonum et accidens : referentes ad essentialia dona imaginem, similitudinem vero ad ea quæ adesse et abesse possunt. Priusquam his bonis coloribus et a doctis pictoribus imaginem sensuum istorum compositam in sacrario Dei statuam, quæro de origine, de auctore et de virtute,

vel etiam utilitate ejus. Ut enim religiosum sit quod adoratur in templo, non nova, non ignota, non denique ficta debent esse numina. *Israel*, ait Propheta, *si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum* (*Psal.* LXXX). Non magis abominabile est simulacrum in Ecclesia Dei vivi, quam de sancta Scriptura sensus perversus in anima Christiani. Delectus tamen et hic habendus est. In his siquidem, quæ ad sanctæ Trinitatis, vel incarnationis fidem, seu sacramentorum Ecclesiæ pertinent errare periclitari est. De multiplici vero sensu Scripturarum, vel judiciorum Dei, quæ nunc plura fiunt, quasi diversa, non tamen contraria, a fide sentire, non est exorbitare. Hic enim sonus est alarum animalium in Ezechiel se adinvicem percutientium, quia sanctæ animæ de thesauro sapientiæ et scientiæ Dei largiter accipiunt, unde corpus Ecclesiæ in augmentum corporis Christi diversarum gratiarum compagine satis eleganter componunt. Itaque frater ille suo bono quidem sensu domum sibi eburneam fabricaverit, et bicameratam, sive tricameratam arcam in diluvio aquarum multarum præparaverit. Miror illum tamen tantum ædificium parvis sumptibus exstruxisse : et cum illud fundamentis solidissimis apostolorum et prophetarum firmare, floribus doctorum fulcire, malis martyrum stipare, ut sapiens architectus debuisset, oblitus paxillos æreos auctoritatum Veteris, et funes argenteos Novi Testamenti inserere, quasi clypeis denudavit parietem. Sed ut de proprietate hujus nominis, quæ occurrunt in instanti edisseram, sciendum est, quod proprie imago relative dicitur ad aliud, cujus similitudinem gerit, et ad quod repræsentandum facta est, sicut imago Cæsaris, quæ ipsius similitudinem præferebat. Improprie autem imago dicitur id, ad quod aliud fit, sicut exemplum, quod similiter proprie dicitur exemplum, exemplar a quo sumitur. Tamen abusive aliquando alterum pro altero ponitur. Secundum istam rationem proprie imago Patris dicitur Filius. Juxta alium vero modum, quo unum nomen pro alio ponitur, dicitur homo imago Dei, quia videlicet imago Dei in eo est. Sicut imago dicitur tabula et pictura, sed propter picturam quæ in ea est, simul et tabula imago appellatur. Ita propter imaginem Trinitatis, etiam illud, in quo est hæc imago, imaginis nomine vocatur. Homo itaque imago, et ad imaginem; filius imago, non ad imaginem. Volo denique si placet, et in quo similitudo differat ab imagine, brevi exemplo signare. Pono animam lapidem pretiosum, et imaginem aliquam in eo expressam, a qua similitudo secundum imaginem impressa ostendatur. Nonne est aliud imago exsculpta, et aliud similitudo ab imagine redempta? Sit igitur bonitas Dei causa hujus similitudinis, quia cum benevolentia sua, quæ Spiritui sancto attribuitur, Deus Deum hominem, vel post Deum facere vellet, et naturaliter id fieri non posset (non enim naturaliter Deus est, nisi is, qui Deus natus est, non factus), concessit ut saltem similitudinem Dei haberet. Quæ similitudo Dei ut sedem, vel receptaculum haberet, imago sive figura substantiæ Dei, quæ est filius, animæ hominis impressa est, ut a suo sancto Spiritu prædictam similitudinem reciperet : quomodo pretioso lapidi foramen aperitur, per quod gracilem auri virgulam recipiat, qua constringatur et teneatur. Ad imaginem itaque secundum naturales animæ virtutes, memoriam scilicet, intelligentiam et dilectionem, ut optime dixit tractator vester, et ad similitudinem, secundum innocentiam et justitiam, quæ in mente rationali potius naturaliter quam accidentaliter insunt, conditus est homo.

Stupeo siquidem me audivisse, quod nollem vel somniasse, similitudinem Dei donum esse accidentale : quod non accidentale, sed veraciter substantiale, imo supersubstantiale novit qui Apostolum intelligit. *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* XII). Quid est, similes erimus, nisi similitudinem ejus habebimus? Quam enim similitudinem in creatione accepimus, eamdem in resurrectione prima, denique et in secunda, sed aliter habituri sumus. Nam in creatione ita collata est, quod amitti potuit, cum etiam peccare potuit, vel potius deformari; sed in vera immortalitate, cum nec mori nec peccare homo poterit, de similitudine Dei æternaliter gaudebit. Quid igitur? Itane summa illa beatitudo et gloria sæculorum accidentalis erit, ut possit adesse et abesse præter subjecti corruptionem? Hoc enim accidentis est. Ubi es, homo? Nonne in mortalitate, vel potius in morte! Quare? Nonne quia amisisti Dei similitudinem? Quid enim Deus? Nonne vita? Et quæ est similitudo vitæ, nisi vita? aut quæ dissimilitudo, nisi mors! Mortem namque invenit, qui similitudinem Dei amiserit. Quod si ideo dicitur accidentale similitudo Dei quia auferri potuit, non vera est consequentia. Sic enim sequeretur, quod accidentaliter viveremus, quia mori possumus. Naturæ siquidem accidentis est, ut possit adesse et abesse præter subjecti corruptionem. Quod quis sani cerebri, vel cordis affirmare audeat de virtute, justitia, bonitate et amore virtutis in anima? Prorsus, ut ait Augustinus, ut vita corporis anima, sic animæ vita Deus. Vera quoque virtus, vera bonitas, vera justitia, imo ipsa veritas est Deus. Sine his igitur si fuerit anima, moritur, et dicis esse accidentalia dona? Vertens iterum oculos, et relegens apices vestros, inveniensque non donum, sed bonum accidens, majores phantasias admiror. Nonne enim similitudo Dei Deus est? æque bonum Dei nunquid aliud a Deo est? Clamat Augustinus : Quidquid de Deo dicitur, Deus est, et nihil secundum accidens dici de Deo; et dicis, secundum bonum accidens similitudinem Dei dici. At, inquis, quod dico similitudinem Dei donum esse accidens, non ad Deum dantem, sed ad hominem accipientem respicio. Mihi vero videtur satis ex superioribus probatum, neutrum esse verum. Hæc sufficiant de similitudine.

Nunc revertamur ad imaginem, et audiamus quid nobis dicat imago vera. Sic enim loquitur : *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). In quibus verbis desiderantibus faciem Patris videre omnino simillimam et in nullo disparabilem imaginem semetipsum repræsentans, desideria cordis eorum de bonis suis satiare voluit. Rursus hæc eadem imago renovare volens imaginem suam in imagine sua, alias dicit : *Sancti estote, quia ego sanctus sum* (*Lev.* XI). Tanquam bonus pictor animarum Deus primam animam in primo homine cum omni benedictione spirituali, ad quam meliorem et formosiorem invenit imaginem, non in jam creatis, sed in non creatis pingendo creavit, et creando depinxit. Creavit, inquam, in anima imaginem suam, vel potius animam ad imaginem suam. Depinxit, iterum, in anima similitudinem suam, vel magis animam ad similitudinem suam. Fumo autem iniquitatum et transgressionum suarum decoloratam, et usque ad extremam deformitatem fœdatam, auctor et amator suus voluit eam reparare. Et quia æque idoneus pictor, neque in cœlo angelus, neque in terra homo justus, neque subtus terram aliquis spiritus inveniebatur, accessit imago ad imaginem, formosa ad deformem, justa ad injustam, nobilis ad ignobilem, pia ad impiam, æterna ad transitoriam ; venit reparare quod perierat, venit reficere quod defecerat. Hæc imago Dei invisibilis Filius est Altissimi. De Filio namque ait Apostolus : *Qui est imago Dei invisibilis* (*Col.* I). Sanius vero mihi credite, nihil dicitur, quam unam esse imaginem totius Trinitatis, Patris videlicet, Filii, et Spiritus sancti. Unde Beda, super *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I) ; in eo quod dicit, faciamus, una operatio trium personarum ostenditur ; in hoc vero quod dicit, ad imaginem et similitudinem nostram, una et æqualis substantia trium personarum monstratur. Ex persona enim Patris hoc dicitur ad Filium, et Spiritum sanctum, non ut quidam putant, angeli, quia Dei et angelorum non est una et eadem similitudo vel imago. Proprie itaque Filius dicitur imago Patris ; Trinitatis essentia minus proprie, homo improprie. Sic autem homo dicitur imago Dei, quia similitudinem ejus in se gerit, sicut imago Cæsaris, quæ similitudinem ejus præfert. Hucusque satis dilataverim phylacteria mea, et magnificaverim fimbrias. Si qua tamen durius dixerim, obsecro, indulgeatis. Valete, et orate pro me.

EPISTOLA XLIV.

AD EOSDEM.

[III, 5.] Dominis suis de Monte Dei, suus Cellensis, portam atrii interioris penetrare.

Etsi apices salutationum a vobis mea humilitas accipere non meretur, mereatur saltem munera orationum. Utrumque quidem si fieri posset, satis gratanter acciperem ; alterum tamen ambitiosius deposco, si ad utrumque non valeo. Lætificarent me litteræ, si scriberetis ; sed juvant orationes, si pro me eas funditis. Insipientia mea indiget bonorum instructione ; infirmitas animæ meæ, devota et assidua oratione. O utinam perspiceretis plagas animæ meæ miseræ et desolatæ in vastitate hostili ! certe si eam diligeretis, super eam lugeretis. O domini et Patres charissimi, cur non liberatis animam, quamvis miseram, tamen vestram ? cur non eruitis de ore leonis jam semipastam ? cur non redimitis sub vinculo captivitatis usquequaque humiliatam ? Sufficiat vobis ad commovendos pietatis affectus recordatio antiquarum miseriarum, a quibus redimit vos qui passus est pro vobis. Ultra extenditur cumulus peccatorum meorum, et nisi Dominus juverit sanctissimis orationibus vestris interpellatus, jam inferno appropinquat. Valete.

EPISTOLA XLV.

AD EOSDEM.

[III, 6.] Charissimis dominis et fratribus de Monte Dei, priori cum cæteris sanctis, frater Petrus Cellensis indignus abbas, salutem.

Forte sicut pulli de nido non avolantes paternas esuriunt escas, sic vos, filii charissimi, qui in nidulo vestro plumescitis, ut cum tempus venerit in altum evoletis, dignum faucibus et stomacho sanctitatis a me refundi exspectatis. Sed quid corvus ad pullos gallinarum ? Non enim eisdem aluntur cibis. Corvus pascitur cadaveribus putredinis ; columba vescitur granis puris tritici electi. Novi, novi quibus apud vos per dimidium temporis alitus sum cibis. Si dixero, novi quibus modo usque ad nauseam onerer, parum profecto dixerim, cum sapientia vincat scientiam, et plus sit tenorem saporis in ore retinere, quam præterita ad animum revocare. Anxior igitur in his et gemo ; et quorum gustu vehementer afficior, nolo ruminatione reiterata refricare dolores præteritos. Sufficiat enim diei malitia sua (*Matth.* VI) ; sufficiat gustui amaritudo sua amarissima. Vos denique, fratres et filii charissimi, simplicitate ciborum contenti sicut didicistis Christum, sicut gustastis et vidistis, quia bona est negotiatio vestra, sic perseverantes non quæratis aliam mensam, non aliam escam. Bonam enim mensam, bonam utique habetis et escam, qua vivit anima vestra. Quid ipse dicere possum de mensa mea ? Certe ex quo descendi de Sancto Monte Dei mei, aut rarissime, aut nunquam data est mihi mensa, ut cum amicis meis epularer. Statim quæ in insidiis exspectabant egressum meum sollicitudines, rapuerunt et absorbuerunt me continuo refluxu, super caput meum redundantes. Satis immisericorditer vindicatum est in me, si quid otii, si quid boni in requie illa habuerunt caro mea et cor meum. Severius in me exarserunt, et ne spiraculum quidem incedit per ea. Apud vos, charissimi et desideratissimi, conqueror de me ipso contra me ipsum. Hæc certe, imo multo pejora merui, qui de pœna non emendor, sed cum pœna et culpam multiplico. Orate pro servulo vestro, qui vos omni die desiderat, umbram vestram suspirans, et faciem videre sitiens. Valete.

EPISTOLA XLVI.

AD SIMONEM PRIOREM ET FRATRES CARTHUSIANOS DE MONTE DEI.

[v, 11.] Dominis suis de Monte Dei, Simoni priori (54), et toti sancto conventui, frater Petrus abbas Cellensis, sanctum Pascha.

Quotidianum Pascha celebrare non cessat anima uniuscujusque vestrum, dum quasi columba stat ad fenestras suas, et vocem de cœlo explorat, à Libano vocantem sponsam suam. Extento prorsus et retorto collo ad caput vestrum, quod in cœlis est, sine cessatione vitam istam umbrosam fastidientes, evolare super pennas ventorum contenditis, jam ibi verum, non annua repetitione, sed continua stabilitate, celebraturi pascha cum illo, et in illo, qui pascha nostrum immolatus est Christus. Ita est. Sed adhuc ascenditur et descenditur per scalam Jacob, donec quod ex parte est evacuetur, quod fiet, quando votum in habitum convertetur, et in Jerusalem hymnus Deo solvetur. Interim, fratres, in umbraculis habitantes, et sub umbra illius quem desideratis, sedentes, coquite, imo assate carnes agni tota nocte, singuli in cella sua, et mane comedetis eas. Certe tota nocte debet cremari caro agni, quia toto mortalitatis tempore, accensa caldaria conscientiæ, facies Salvatoris desideranda, et undis desideriorum fortiter bullientibus, ne in die judicii semicocta offeratur, percoquenda. Habete vascula munda, juxta namque et in oculis præterfluit aqua. Sed nunquid vane? sed nunquid gratis? Plane supina et crassa negligentia imputanda est singulis, nisi sint omnia munda, quibus et copia aquarum redundat, et temporis opportunitas superest, et amor incumbit totius munditiæ, et ordinis consuetudo non refragatur. Sic est, ego vidi, ego interfui, et utinam toties et tam sedulo cor expurgassem, quoties et quam indesinenter manus et faciem die et nocte rigavi, non lacrymis, sed aquis. Hoc autem feci ut hospes, quia non ultra ostium, sed in ostio tenui. Vos autem intra et ultra ostium promovistis pedem, non advenæ, sed domestici cellæ et cœli effecti. Postquam vero vasa vacua ab ambitione emundaveritis confessione, et Scripturarum meditatione, implete aqua et ad ignem mittite, et tanquam unguenta pretiosa bullire facite. Subintraverat buccæ meæ, et stylo jam suggerebat improvida cogitatio, scribere ut carnes agni sic decoquerentur; sed memor mandati legalis, quo prohibetur ne aqua coquantur, subjicio non ut agni, sed hœdi carnes taliter coquantur. Simul enim et agnum et hœdum tollere in paschæ præcipimur. Quid ergo? Agnus in veru, vel in craticula crucis, hœdus in aqua coquitur, ut si innocens fueris, solo spiritus ardore in pascha adapteris; si vero fetore gravi oppressus, per ignem et aquam expieris. Hœdus etiam est corpus, quod corrumpitur et aggravat animam. Agnus qui in latitudine pascitur, benignus ille spiritus, qui infestationibus carnis agitatus non cornu ferit, sed oculo simplici liberatorem quærit, dicens: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) In sanguine agni, id est in contritione cordis, et spiritus contribulati liberaris de Ægypto, et de manu Pharaonis, quia cor contritum et humiliatum Deus non spernit. De sanguine hœdi non lego mysterium, nisi quod tunica Joseph tincta in sanguine hœdi missa est ad patrem. Ad patrem spirituum si miseris in confessione flens et ejulans tunicam Joseph, litam in sanguine hœdi, id est simplicitatis et castitatis amictum fucatum et fœcatum corruptione libidinis, et fraude diabolicæ circumventionis, sanguis hœdi in purpuram commutabit, quia per pœnitentiam non solum indulgentia, sed etiam gratia adipiscitur. Sed de his hactenus.

Unde namque mihi ut tepidus ferventes, mundatos sordidus, jacens currentes, piger commoneam alacres? Deus scit, me non præsumptione, sed amoris impatientia laxasse habenas; et cum non haberem quid dicerem, dicere tamen aliquid vellem, dixi quod innotesceret affectum, etsi non idoneum esset facere fructum. Adhuc impetus me trahit, et redire ad festum festorum cogit, ut quasi incipiens spiritui indulgeam currere, quousque lassetur, et sponte petat stationem, et metas silentii. Sub exemplo ergo cujusdam pretiosi involucri, in quo stupendum sit, tam ipsum repositorium, quam repositum, aliquid de pascha prosequar, quasi quemdam pannum pretiosum et multicolorium de divinis thesauris assumens. Moyses in illo quadragenario jejunio, ubi a colloquio divino cornutam faciem reportavit, pascha illud in litteris suis prænominavit, et in illo sacro sanctas reliquias religans annuo recursu ad publicum nostrum devolvendum constituens, diem certum præfixit. Siquidem hic pannus, id est pascha, in exteriori facie plurimum nitoris exhibet; sed valde ampliora intrinsecus continet, et cariora pignora. Rubet igitur purpureo colore, propter passionem, rutilat hyacinthina specie, propter resurrectionem; subobscurus est, propter sputorum et alaparum et flagellorum, et cæterarum injuriarum coacervationem; albet unica nube, propter innocentiæ integritatem et peccati immunitatem. Ecce colores, colores cingentes pascha gloriosum, et delicatum animæ pallium, quo melius amiciuntur pauperes semicincti, quam divites purpura et bysso induti Revolvere autem

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(54) *Simoni pr. de Monte Dei.* Quem virum sanctissimum, laudatissimumque semel appellat Saresberiensis. Missam epistolam indita Christi æra indicat anno 1161. Post aliquot dehinc annos delectus ab Alexandro papa Simon, cum Bernardo Grandimontensi, qui ad regem Angliæ pontificias litteras deferret, eumque ad redintegrandam cum B. Thoma gratiam hortaretur, ea legatione strenue perfunctus est, cujus acta Saresberiensis idem exponit lib. IV collectaneorum historiæ S. Thomæ.

illas pretiosas margaritas, quæ sigillantur in sigillo isto aureo et argenteo, quis accedet, nisi mundas habuerit manus, nisi oculos columbinos? nisi labia purgata? nisi abluto toto homine interiori et exteriori sacro Jordanici fluminis baptismate? Quia ergo vobis sunt manus tornatiles per obedientiam, oculi clari per pudicitiam, labia stillantia myrrham primam per accusationem reatuum vestrorum, et ad scurrilia æternam clausuram; applicate pannum paschalem, et expandite thesaurum absconditum, ut exinde captivus mutuet redemptionem, mortuus resurrectionem, peccator justificationem, afflictus consolationem, religatus solutionem, anathematizatus absolutionem. Sanctificate ora vestra sanctis horum osculis, oculos tangite his smaragdis, singulos sensus exhilarate singulis benedictionibus.

Sed quæ sunt pignora tam cara pro pretio, tam efficacia pro remedio, tam rara pro numero, tam sancta pro merito, tam perpetua pro ævo, tam amabilia pro beneficio! Pignora, fratres mei, ista ore pudico et timore debito nominanda et amplectenda, sunt caro et sanguis Agni incontaminati, Jesu Christi ossa, nervi, medulla, cartilagines, cutis, corium, et quæcunque membra in corpore Jesu de sacris suis visceribus edidit Virgo virginum. Addamne clavos, lanceam, coronam spineam, sputa, irrisiones et illusionem, album vestem, vestimentum purpureum, fel, acetum, myrrham et aloes? Quanto enim hæc in se duriora et viliora, tanto in Salvatore nostro pretiosiora et appetibiliora facta sunt. Quis modo Christianorum si unum horum reperiret, nisi super aurum et lapidem pretiosum multum venerabilius coleret, ambitiosius servaret et adoraret. Dignum est, justum est. Si enim immundus erit, tangens morticinum et captum a bestia, id est Adam et Evam, quorum alter captus est suasu uxoris, Eva morticinum facta est suggestione serpentis, quomodo non justus emundatur ab operibus mortuis, qui viventem in sæcula sæculorum contingit credendo, amando, colendo, adorando? Nam non sicut delictum ita et donum. Pluris enim donum, quam delictum est. Sed quod est hoc donum? Jesus Christus sanctus. Quid est, inquam, hoc donum? Nativitas Jesu, passio Jesu, resurrectio Jesu, ascensio Jesu: *Quomodo non etiam omnia cum illo nobis donavit?* (*Rom.* VIII.) Clamat Apostolus: *Omnia*, inquit, *vestra sunt, sive mors, sive vita* (*I Cor.* III), quia est mortuus propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Domini et fratres, detineo vos plus justo, ad quorum januam stat et pulsat Jesus volens suum pascha vobiscum recolere, et de reliquiis mensæ illius magnæ partem bonam reservavit, quam adhuc recentem et calentem denuo de arca cœli refert et profert vobis. Ne vereamini, ne caro antiquata sit et putrefacta vetustate nimia, quia annus jam millesimus centesimus sexagesimus primus est. Nequaquam, fratres, nequaquam ascendat in cor vestrum hæsitatio ista, quia caro ejus etiam dum esset corruptibilis, non vidit corruptionem, multo vero minus facta incorruptibilis, et genere vivendi, et loco manendi. Recens est, calida est, sana est, vitalis est, regnum cœlorum dat, quia possidet. Non est illa caro et sanguis, de quo dicitur, *quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* XV). Quo studiosius arcentur a dentibus et stomachis vestris carnes animalium, quæ corrumpunt et corrumpuntur: eo dignius accedunt ad animas vestras sanctificandas carnes illæ, quæ sicut non moriuntur, ita nec corruptionem inesse patiuntur, ubicunque refectionem præstaverint. Has imperat religio, et quo religiosior sis, eo frequentius, et ut ita dicam, glutinosius comedere debes. Nondum quievisset manus, vel animus, sed reprimit et modus dictorum, et tempus alia faciendi. Orate pro nobis. Novellum illum angelum vestrum A. salutate, et Robertulum nostrum. Plurimum et multum singulos, et singillatim, et communiter saluto.

EPISTOLA XLVII.

AD EOSDEM.

[v, 13.] Dominis et Patribus suis de Monte Dei, Simoni priori cum cæteris fratribus, frater Petrus qualiscunque Cellensis abbas, vultus in propitiatorium semper tenere.

Varius rerum cursus, sæculorum volubilitati irremediabiliter innexus, nihil stabile, nihil æternum, sibi inesse evidenti ratione approbat. Currit, fluit, fugit, labitur, et evanescit quidquid unquam habere potest mundanus usus. Præcurrit defectus satietatem, præterfluit adeptio appetitum, effugit instantiam desiderii fumus gloriæ, elabitur utenti imago felicitatis, evanescit a viventibus vita, quia dum *ordirer succidit me* (*Isa.* XXXVIII). Summa itaque dementia est, currere post defectum, appetere non apprehensibile, instare fumo, uti imagine pro veritate, velle diu ea vita vivere, quæ, juxta Gregorium, vitæ æternæ comparata, mors potius dicenda est quam vita. Alias sine dubio cursum vestrum convertistis, fratres et domini charissimi; alio appetitu vivitis; alia instantia pretiosas margaritas in foro et nundinis Veteris et Novi Testamenti quæritis; alio usu in carne præter carnem vivendo corpora vestra quæ sunt super terram, Christo concrucifigitis; alia conversatione æterna et quæ non videntur concupiscitis. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Ideo ad montem Domini sicut passer evolastis et nidificastis in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, ne procella aeriarum suggestionum vos involveret, ne diluvium carnalium titillationum absorberet, ne laqueus sollicitudinum sæcularium concluderet, ne aura humani favoris omnem ventum a facie terræ dispergeret. Ecce locus iste est, quem constituit Dominus Moysi, in quo vidit posteriora ejus, dum ante eum transiret. Ni fallor, vir ille bonus, qui Sunamiti mortuum puerum reddidit, cui illa cum viro suo cœnaculum præparaverat, et

lectum, et mensam et candelabrum, per vos sæpe transitum facit, contemplatus a vobis in cœnaculo gloriæ, inventus in lecto mundatæ conscientiæ, cibatus et potatus in sacramento Eucharistiæ divinæ, accensus per donum sapientiæ et intelligentiæ. Adjuro vos per campos, cervosque camporum, ut cum transierit, post tergum ejus clametis pro pace universalis Ecclesiæ, pro his qui in sublimitate sunt, pro comite nostro, cujus cor tetigit Deus, ædificare vobis locum, in quo secundum genus vestrum fructum faciatis, pro me peccatore suo et vestro, pro omnibus nobis commissis. Transite cum illo et post illum, ut manentem in perpetuas æternitates, vel in ictu oculi, vel media hora, vel momento conspiciatis, donec transfiguremini a claritate in claritatem. Certe qui sequitur transeuntem, videbit stantem, vel sedentem.

Fratres mei charissimi, si delibatio sancta et massa; si memoria ejus vinum Libani, quid præsentia, nisi inebriatio uberum, nisi oblivio præteritorum, et jubilatio interminabilis de plenitudine gaudiorum? Exspectatio horum lætitia, quid fruitio, nisi lætitia sempiterna? Ad instar grani sinapis visio tua, Jesu, modico sibilo auræ tenuis aures cordis percellis, et quis poterit cogitare horam transitus tui? Si dormio, somniare possum, et videre non possum. Si vigilo, detentus aliis occupationibus et curis tam cito exoccupari nequeo. Si vigilo et vacavero, tunc forte venam susurrii ejus audio, sed nondum video. Quando ergo videbo transeuntem? Si mundum cor sursum habuero, si puras manus, si lotam faciem, si tota anima, tota virtute omnibus solum Deum quæsiero, et me totum in ipsum conflavero, ut non ego in me vivam, sed Christus vivat in me, qui factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. De mendacio autem, venia petita, me ipsum condemno apud vos. Nec enim solvi quod promisi, vel semel in anno revisere nidum illarum sanctarum virtutum, Montem Dei, in quo plumescunt animæ charismatibus gratiarum. Fefellit me tunc ignota futurorum facies, et involuta plurimorum casuum series. De præsenti affectu, quo mens mea tota illa quadragesima impinguata eructabat mellis et butyri rivulos, pensabam sequentes annos. Sed eruca, locusta, bruchus, et rubigo devoraverunt speciosa deserti, expandentes retia quotidianarum sollicitudinum pedibus meis, ut quod egressum est de labiis meis facerem irritum. Peccavi, quid aliud dicam? Si me excuso, os meum condemnabit me. Magis autem meretur veniam culpæ, humilis confessio erroris, quam argumentosa extenuatio criminis. Verumtamen cum redditur ratio facti, rei veritas non offuscatur, neque rei culpa si qua est dissimulatur. Distinguitur namque falsa excusatio, et rationabilis satisfactio. Alterum culpam cumulat, alterum quatenus culpandus, vel non culpandus sit qui arguitur, declarat. Uterque etiam peccat, et qui mentitur in sui accusatione, et qui dedignatur falsa objecta vera relatione diluere. Reproba humilitas est, plus quam in corde tuo sentias vane te dejicere: detestanda præsumptio, famam suam negligere, et suspicionis nævum non abolere. Utroque genere devitans tam quod a vero deviat, quam quod præsumptionem redoleat, et me non venisse fateor, et innumerabilibus detentum occupationibus attestor. Factum, imo non factum agnosco; causam facti, sive non facti, vobis dijudicandam relinquo. Quid pluris sit, vel quodlibet alteri præjudicet, id est factum causæ, aut causa facto, definite. Cedo enim sententiæ vestræ, qua credo vos de facto secundum causam, non de causa secundum facti qualitatem litem dirimere. Plus enim attendendum est, quare aliquid fiat, quam quid fiat. Informis namque est actus ille, qui nullam habet causam quare fiat; deformis, qui malam, bene formatus qui bonam. Unde et bonus est omnis actus ille, qui justam habet causam, malus qui injustam. Indifferens vero dicitur actus ille, cujus causa parum concurrit vel ad justificationem vel ad corruptionem. Augustinus De bona causa: *Causa, non pœna martyrum facit.* De mala Dominus in Evangelio: *Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit* (*Matth.* VI). Item in legibus de indifferenti: *Voluntas et propositum distinguunt maleficium.* Dicit Ambrosius: *Affectus tuus operi tuo nomen imponit.* Subtiliter tamen ratione quorumdam actuum pensata, nulla intentione, nulla affectione boni fieri possunt, ut crucifigere Christum, ut adulterari, et similia.

Ut ad propositum redeam, et congrua structura cohærere primordiis extrema faciam, venire ad Montem Dei inter illa numero, quæ si bono animo fiant remunerabilia sunt; si malo, damnabilia. Fur enim ille, qui fratris illius leprosi pannos, dum missa celebraretur, abstulit, præmium bonum pro tali facinore non habebit. Recipiet vero mercedem, qui pro sancto desiderio videre castra Dei apud vos properaverit. Satis est, si non plus satis sit. More enim meo tarde incipio, sed et tarde finio. Comes Henricus reaccenso spiritu instat quærere locum idoneum, et asserit illum alium locum non se dimisisse, nisi quia vos noluistis acquiescere. Consulo ergo, ut non grave sit iterum mittere aliquem de fratribus, cum quo ipse videam vel per me, vel nostros locum, ut jam dictum est, aptum ordini vestro. Sine mora facite hoc. Sigillatim et generaliter omnes vos saluto, quandoque venturus ad vos, si Deus voluerit, et forte cum redierit nuntius vester ad vos. Interim orate pro nobis. Robertulum nostrum saluto. Richardum, Stephanum, Rogerium, Nicolaum, et iterum omnes simul.

EPISTOLA XLVIII.

AD BASILIUM PRIOREM ET CARTHUSIANOS MONTIS DEI.

[v, 12.] Dominis et Patribus charissimis, Basilio priori Carthusiensium cum cæteris prioribus, et

sancto conventui, frater Petrus abbas Cellensis, consilium et auxilium veritatis et pacis.

Refusione uberiori irrigatur hortus Dei ille conclusus, fons signatus (*Cant.* IV), quoties in unum conveniunt fistulæ et canales benigni spiritus Dei, non ad calices Babylonicos absorbendos, sed ad fæces Jacob expurgandas, et ventres steriles fecundandos. Spiritus Dei a quatuor ventis cœli singulos vestrum de loco suo evocavit, ut unum corpus plenum gratia et veritate efficeremini. Vos enim qui priores estis, et curam aliorum suscepistis, quasi venæ in corpore Carthusiensis ordinis estis. Tam itaque unanimiter regimini vestro invigilare omnes, et tam temperanter a subjectis vestris mandata et consuetudines ordinis exigere debetis, quanta in charitate in humano corpore venæ omnes sibi sociantur, et salubrem vegetationem omnibus membris æqua distributione sanguinis largiuntur. Eadem siquidem cautela fugere debet nimiam exilitatem et subtilitatem vena, qua immoderatam grossitudinem et repletionem. Nimia namque repletio, nisi cito evacuetur, acutam facit, et longam ægritudinem gignit. Rursum nimia exinanitio vires detrahit, et bona valetudine destituit. Domini et Patres charissimi, ostium vestri ordinis et visione rara, et interrogatione assidua jam trivi; et si consilium alterius Jethro admittitis, non usquequaque dispensationes, quæ de corde charitatis procedunt, anathematizabitis. Quam enim frivolum et inconstans est, sine ratione et auctoritate meliorum mutare decreta, et statuta seniorum, tam pertinax est, et extra regulam temperantiæ, quæ est mater virtutum, velle temporibus et moribus hominum negare quæ deceant et expediant. Ignoscite quod vocem funestam quidem, quantum ad sonum, sed veram quantum ad sensum, in vestro sancto conventu de latibulo meo ausus sum proferre, et de his hactenus. Cæterum salutat vos dominus Henricus comes Trecensis, et universitati vestræ mandat cum omni supplicatione, ut suæ petitioni acquiescatis; et nobis hoc injunxit, ut ad vos unum de nostris mitteremus, per quem voluntas et desiderium cordis vobis innotesceret. Quod autem non proprio sigillo scripsit vobis, occupationis maximæ fuit de suis et regiis negotiis. Est autem petitio, ut ei concedatis locum præparare ordini vestro sumptibus suis, juxta morem vestrum, in terra sua, ubi visum fuerit his, quibus hoc negotium injunxeritis. Petit etiam, ut priori de Monte Dei, et priori de Valle Sancti Petri (55) injungatis hanc curam. A multis enim temporibus hoc ipsum cœpit, et orationibus vestris adjutus cupit perficere. Ex parte etiam nostra hoc ipsum humiliter et devote, petimus, quia Deo juvante auxilium et consilium non ficte huic operi subministrabimus.

EPISTOLA XLIX (56).

GIRARDI DE PERONA, MONACHI CLARÆVALLENSIS, AD PETRUM DE UNITA DILECTIONE.

Suo et vere suo abbati Cellensi, frater Girardus de Perona, in cellam vinariam introduci.

Quod vos meum appello, non insolentia est, sed amicitia. Conscientia enim mea, quæ sentit me esse servum vestrum, præsumit vos dicere meum. Dignatio enim vestra fecit me vobis familiarem, familiaritas amicum, amicitia unum animum ex duobus effecit. Et quamvis vos in sublime, ex humili loco fortuna locaverit, charitas tamen, quæ in sacrario suæ majestatis omnem hominem aut parem fecit, aut accepit, de personis imparibus pares amicos facit. Quem enim sic diligo, cui æque dilectus ego? Nonne ego et vos unum sumus? Neminem habeo tam unanimem in visceribus Jesu Christi: testis est mihi Christus. Et licet nos ordo divisus dividat, charitas ligat, quia non color vestium, sed amor cordium hanc effecit unitatem, imo unanimitatem, amantissime pater, et, ut aliquid ludam coram Domino meo, quod in me torquetis, in vos retorqueo. Quid enim? Suspiciosus vobis factus sum, sicut etiam in litteris vestris apparet. Hoc signum est quia aut non diligitis, aut minus diligitis quod in veram amicitiam nec cadit nec cadere potest. Quid si vidissem vos et non locutus fuissem, aut statim exissem: nunquid tamen ideo minus diligerent? Absit a servo vestro. Absit a corde vestro, ut vel tenuis suspiciuncula in tantum amorem descendere possit! Quod autem ostia non confregi, parcite verecundiæ meæ, quæ juxta virum sanctum, egressa est ex utero, mecum crevit ab infantia mea. A modo pudorem ante excutiam, quam vobis suspicionem incutiam, et etiam portas æreas conteram et vectes ferreos confringam veniam peto: facite de vestro, quod de vestro. Verumtamen monacho illi sit pro me, melius, cui pejus propter me fuit. Illud autem scitote quia sic collocavi memoriam vestram inter ubera mea ut nulla occasione possit avelli. Salutat vos N. vester, ut vester, vester est enim.

EPISTOLA L (57).

NICOLAI CLARÆVALLENSIS AD PETRUM EXCUSATIVA SCRIBENDI VEL DICTANDI.

Inter amicos amicissimo Domino Petro Cellensi abbati, fr. Nicolaus, sic in nigris vivere pannis ut candidis induatur in cœlis.

Sufficere vobis deberet, si vos diligerem sicut me, quia nunc vos plus quam me, me constat dilexisse. Furtum enim feceram propter vos, nunc

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(55) *Prior de valle S. Petri.* Ordinis item Carthusiensis insigne est monasterium in diœcesi Laudunensi, cujus priorem aliis etiam locis commemorat, eique scribit, sed nusquam nominat. Is autem erat Ingelbertus, ut didicimus ex epistolis Saresberiensis.

(56) Nova.

(57) Nova.

furatus sum me mihi pro vobis : ego enim, qui stylum abjuraveram, dignus latebris et omni solitudine, postquam aviditatem vestram præsensi et persensi quam habetis de verbis et pro verbis hominis illius, cujus eloquentia et sapientia, vita et fama non immerito per totam latinitatem decucurrit, accepi tabulas et quod habui et feci. Cum laborare et plorare et orare deberem, ut propitiaretur Dominus peccato meo (multum est enim) in linguæ volubilitatem refusus secretum cordis mei succussi pariter et concussi, et dicitis. Hæc omnia in silentio, et magis cum silentio operari potuistis. Mirum si hoc ex sententia dicitis. Quis enim magis in turba est, quam ille qui faciendis dictaminibus implicatur? Perstrepunt enim ut digne inveniri sensuum veritas, verborum varietas, quid melius ad consequentiam, denique quid, quando, ubi et quomodo proferri oporteat. Hoc ergo vos judicabitis silentium et quietem, maxime homini imperito, cui et sensus nullus adest, vel sermo non est venustus et facilis ad sententias vestiendas? Denique (57*) vel monachi, quod esse videor, vel peccatoris, quod sum, non est officium dictare, sed flere. Dictare ergo nec indocto est in promptu, nec monacho in ausu, nec pœnitenti in affectu. Coegi tamen me contra me, et duo volumina sermonum hominis Dei mitto vobis, in uno quorum ego dictavi quod ita incipit (58): *Solet apostolus Paulus in verbis esse brevis, in sententiis* (58*) *densus.* Aliud vero volumen jampridem dictatum est, et rosum et rasum; sed quærite quis diligenter et sapienter illud scribat, multis enim sensibus plenum, illud autem scitote, quia non parvam amicorum multitudinem contempsi quibus nolui præstare ea, ad vos enim festinabat cor meum. Festinate et hæc festinanter rescribere, et exemplaria remittite mihi et sic ad opus meum, secundum pactum meum rescribi facite; sed et illa quæ misi vobis, et rescripta illorum, secundum quod dictum est, mittite mihi, et videte ut nec unum iota perdam. Libellulum autem, qui ita incipit : *Tria sunt quibus reconciliari debemus* (59), et horas nostras, quas habetis de Domina nostra, remittite. Orate pro me et rescribite mihi de his omnibus voluntatem vestram, et per proprium nuntium vestrum.

EPISTOLA LI (58*).

RUALENI PRIORIS CLARÆVALLENSIS AD HENRICUM TRECENSEM EPISCOPUM. PRO ABBATE CELLENSI RECOMMENDATIVA.

Domino et Patri Henrico Trecensi episcopo fr. R. de Clarevalle, ambulare a claritate in claritatem, tanquam a Spiritu Domini.

Quam libenter audiamus illa de vobis, in quibus honoretur Deus, honoretur Ecclesia, honorificetur mysterium (60) vestrum, novit ille cui, et a quo est omnis honor et gloria. Ad hoc enim vos Deus in sublimitate posuit, ut deponatis superbos, et humiles exaltetis, vos præcipue cui et voluntas bona, et potestas magna tam ex auctoritate quam ex nobilitate descendit. Hoc idcirco diximus, ut sequentibus litteris viam faciamus. Abbas Cellensis (60*) vir religiosus ac timens Deum, homo bonus et testimonium bonum habens a bonis, vita et litteratura conspicuus, nobis quoque tanta familiaritate devinctus est, ut non sit unus de cæteris, sed præ cæteris unus. Omnia nostra, sua sunt : et sua, nostra sunt; nos in illo et ipse in nobis unus est de ordine suo (61), in quo domino abbati nostro, amico vestro multum complacuit. Invenit ipse abbatiam, cui præest, et turpatam, et turbatam a malitia habitantium in ea, vult eos reducere ad viam veritatis, sed facilius est informari ignaros quam reformari perversos. Sunt inter eos duo famosissimi et clamosissimi turbatores qui et malefactis suam, et maledictis alienam vitam jugiter attriverunt. Confidentes enim in linea suæ nobilitatis scandala nutriunt, moliuntur dissensiones, quia comprehensi sunt in operibus manuum suarum. Si quid igitur nostri Clarevallenses apud vos possunt, facite unum ex duobus, ut aut de monasterio penitus evellantur, aut sic statuantur in monasterio ut jam amplius mutire non audeant, et sciant prophetam surrexisse in Israel ad obstruendum os loquentium iniqua. De prædicto vero abbate patre et fratre nostro, hoc adjicimus, quia qui illi benefacit nobis facit, et qui illum audit nos audit, et qui illum lædit nos lædit.

EPISTOLA LII (62).

NICOLAI CLARÆVALLENSIS AD PETRUM EXHORTATIVA UNITATIS CONTRA MALOS ET DE CORRECTIONE.

Speciali et pene singulari amico Petro Cellensi

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(57*) Videtur imitari illud sancti Hieronym. in Apolog. 2, contra Vigilant. *Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium, qui se, vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstolatur adventum.*

(58) Exstat hic sermo secundus ordine inter sermones ds verbis Apostoli, a S. Bern. dictos.

(58*) Impress. liber habet, *copiosus.*

(59) In libello sent. S. Bernard. habes tertiam sectionem his incipientem verbis : *et hinc liquet vel libellum fuisse transpositum.* In lib. sent. moral. S. Bern. exstat horariarum precum in memoriam B. Virginis liber II, cui supra inscribuntur epist. 20, 22, 24.

(59*) Nova.

(60) Germanior est, lectio *ministerium :* respexit enim auctor S. Paulum scribentem Rom. II. *Honorificabo ministerium meum,* ubi Græce posuit τὴν διακονίαν, *non* μυστήριον.

(60*) Hic est abbas Cellensis, nomine Petrus ad quem supra epist. 20, 22, 24.

(61) *Petrus abbas Cellensis pergratus S. Bern. Compendium urbs est in diœcesi Suessionensi ad Isaram flumen, notissima ex Gallorum regum conventibus et conciliis quæ allegantur in capitula.*

(62) Nova.

abbati, frater Nicolaus, se ipsum, et si quid amplius possit.

Quod frequenter scribo vobis, non est insolentiæ, sed amicitiæ argumentum. Scio enim quis et cui scribam : alioquin quid tantæ extremitatis cum tanta summitate, si non mihi condescendisset illa vestra humilis sublimitas, imo sublimis humilitas? Credo, patienter audietis servum vestrum, et si dignum judicatis, filium, amicum autem velitis, nolitis. Si quid mordacius et audacius processerit, dilectioni ascribite, non præsumptioni. Manum vestram misistis ad fortia, et fortitudine opus est, quæ vos salvum faciat a pusillanimitate spiritus et tempestate, fortitudo in prælatorum mentibus summum obtinet principatum, qua cedente omnis virtutum fabrica per discrimina, imo per præcipitia labitur, vobis præcipue necessaria est, si attenditis et intenditis, ubi, cum quibus, ad quid, et quis positus estis, ubi, in loco utique honorato, sed onerato; ubi multæ divitiæ et malitiæ multæ, locus dives possessionum, sed præsumptionum ditissimus. Ab antiquo plantatum est toxicum mortis in horto illo. Ex quo ibidem regularis rigor elanguit, et res sanctuarii rapinis expositæ, dispositæ flagitiis, flagitiosos homines incurrerunt. Non fuit qui se opponeret murum pro domo Israel : qui gladio spiritus amputaret vites, purgaret palmites in vinea illa electa, quia, qui vigilabant super gregem illum, dormitaverunt omnes et dormierunt : cum quibus autem? Cum hominibus operantibus iniquitatem? qui ab uberibus, sub uberibus Ecclesiæ nutriti in ipsa matris viscera tota evisceratione grassati sunt, exterius infamia, et infamanda operati, interius horrida et horrenda fecerunt, ad quid autem? profecto ut vitia disperdatis in superficie, evellatis a radice, disperdatis in elongatione, dissipetis in communitione, vos autem quis? revera juxta Apostolum homo quieti et moderati spiritus totum habens quod lenitatis est, asperitatis aut parum aut nihil, vos multum mellis, illi multum fellis hauserunt sibi. Conversatio vestra dulcior sit quam mel et favum, illorum amaritudo habet myrrhæ et aloes plus quam libras centum. Non bene conveniunt nec in una sede morantur tanta simplicitas et tanta dolositas, tanta perversitas et tanta sanctitas, tanta benignitas, et malignitas tanta. Ponenda quidem fuit lucerna super candelabrum, ut lumen videret qui ingrederetur; sed forsitan non tantis ventorum turbinibus opponenda, ne exstingueretur. Et hæc quidem antequam ascenderetis. Postquam autem audistis a Domino : *Amice, ascende superius* (63), agendum est in manu fortî, et brachio extento, et (64) gladius Phinees sæpissime et potentissime educendus ad verberandum et transverberandum filios Belial (65), qui famæ et vitæ suæ nec rogati parcere volunt. Indigent enim increpatione, non exhortatione, præcepto, non consilio, non doctrina, sed virga, alioquin lætificastis omnes inimicos vestros et amicos mœstificastis : qui ambabus, ut dicitur, manibus parati sunt pestilentes filios a sacris ædibus, et sedibus exturbare, induite fortitudinem, non parcat oculus vester, et non misereatur, quia et si plerumque culpa est totam prosequi culpam, in illis tamen vitium est, vitio vel aliquatenus pepercisse. Novi ego quod populus duræ cervicis sit, cujus et vetus, et veterata rebellio velit vinum, non oleum, flagellum non beneficium, verbera non verba, punctionem non unctionem, serpentem non columbam, magistrum non patrem juxta comicum, male eos docuit lenitas vestra, quia domus exasperans est, legistis ne de illis qui ponunt pulvillos sub cubito hominum et faciunt cervicalia ad capiendas animas pulvilli; et cervicalia juxta Sapientem blanda et lenia verba sunt in quibus laudatur peccator in desideriis animæ suæ et iniquus benedicitur. Tali pulvillo et tali cervicali circa delinquentes filios usus est Heli, cum diceret : *Non bona fama, filii, quam audio* (*I Reg.* II) de vobis, et hæc quidem fuit corripere et coercere, sed lenitate et mansuetudine patris, non severitate et auctoritate pontificis, immisericordem debet sortiri semper exspectata judicem, nunquam secuta correctio.

Qui sunt tamen, qui affectant tyrannidem et ponunt in cœlos os suum? Profecto duo filii iniquitatis, quibus nulla mentio, de se nulla cura, pro se nulla, in se nulla reverentia, qui didicerunt fatigare Deum contemptu, naturam flagitio, leges abusu. Nunquid non mille mortibus dignus est, qui suam pueritiam turpavit, turbavit adolescentiam et ætatem tam inclinatam inclinat semper in pejus? non solum semper feriendus, sed et fulminandus est homo frontosus ad verecundiam, insensatus ad metum, inflexibilis ad pietatem, ad iram præceps, velox ad facinus, pronus ad injurias, sed et ille alter contemptibilis adolescentiæ et contemptricis insolentiæ est adhuc, lupicellus (66) in patrem suum mordaciter strinxit dentes suos, turpis corpore, turpior corde, opere turpissimus super omnes coætaneos suos, hic in primævo pueritiæ flore omni impuritate se polluit, et adolescentiæ vias ingressus, egressus est cum Dina (67) ut videret mulieres regionis illius, nec hominem veritus nec reveritus

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(63) Luc. in parabola convocatorum ad convivium.

(64) Lege c. XV Num.

(65) *Diabolus* lingua Hebræa *Satan* appellatur, id est *contrarius* sive *adversarius*, et ab Apostolo II Cor. VI, *Belial*, hoc est *absque jugo, quod de collo suo Dei abjecerit servitutem*. Ita B. Hieron. in cap. 4, epist. ad Ephes. Hic igitur Nicolaus scite appellat *exleges monachos, filios Belial*, id est *sine jugo religionis*, vel, si liceat novare vocilam cudere, *exjuges*.

(66) Male in exemplari, *lipecillus* pro *lupicello* vel *lupullo* ut loquar cum S. Ansel. Cantuar. Epist. 68, l. 3 ms.

(67) De qua, Genes. XXXIV.

ordinem, etsi non quæcunque voluit, tamen quæcunque valuit fecit. Quanta malignatus est inimicus in sancto! Quanta audivimus et cognovimus ea, et fratres nostri narraverunt nobis? Religandus est, et dentes ejus in ore ipsius conterendi ne in lupum transeat juvenis gratis currens ad facinus, ad honestum nec pretio. Ii duo unum impietatis parietem statuerunt et clamavit pilosus alter ad alterum, juvenes sunt, nobiles sunt: et idcirco alacrius et acrius corrigendi, ne vobis in scandalum, sibi in periculum, aliis veniant in exemplum, et sciant vitiis accessisse judicem, moribus fundatorem, vos autem, domine Pater, ne timeatis a duabus caudis (68) titionum fumigantium istorum, quia fortassis ducentis manus ducit eos, ut exeant opera eorum in lucem et arguantur a luce in luce, nonne vestri Clarevallenses vobiscum sunt, ante quorum faciem vel stare nedum loqui audebunt? videte, ut non annuntientur in Geth (69), neque in compitis Ascalonis et dicant filii incircumcisorum: Ubi est quem posuerunt custodem in vineis? Proinde extendite manum vestram, et sagittas vestras complete in eis. Sicut filius excussorum, hæc locutus sum, domine Pater, non quasi dirigens, sed quasi corrigens, et diligens multum, nec enim præsumo docere Minervam, vel in sole radios ponere, cum vos, me tam vita, quam scientia longe antecedatis. Claudite epistolam hanc vestris, et vestrorum oculis: quam idcirco propriis manibus exaravi, ne in oculos aliorum incideret. In fine ejus commendo vobis magistrum Joannem, qui vos suo pectori et altius et arctius impressit: quem propter vos singulariter diligimus, cum et propter se specialiter diligendus sit, valete.

EPISTOLA LIII.

AD FRATRES CELLENSES.

[III, 7.] Fratribus et filiis (70) dilectissimis, frater Petrus humilis eorum dictus abbas, spiritum dilectionis et pacis.

Quam unica et singulari erga omnium et singulorum vestrorum salutem affectione et sollicitudine teneat, unicus ille spiritus novit, qui scrutatur etiam profunda Dei. Non ignorat hoc ipsa quoque anima mea, quam utinam sicut est intueretur oculus mentis vestræ; et sine dubio compateretur doloribus suis. Præsumo etiam, in conscientiis quorumdam manifestos nos esse, quibus idem suadet puritas sua et veritas mea. Nullis vos circumvenire adulationibus, nullis allicere fomentationum fallaciis, fratres charissimi, volo; sed ut pax vestra firma sit ad Deum, et me non æstimetis a cordibus vestris alienum, hæc scribo. Cæterum si quis aliter sapit, desipit. Itaque resipiscat animam suam lædere, imo damnare, qui pacem vestram et meam quærit perturbare. Non designo aliquem, vel impropero cuiquam stultitiam suam. Sufficit enim accusatio propriæ conscientiæ, et ad tormentum pro malis, et ad præmium pro meritis bonis. Prorsus nemo ex hoc inter vos conturbetur, quia inanis nunquam erit pœnitentia, duntaxat si fuerit vera. Filio virginis castas mentes præparate; Filio Altissimi humiles animas exhibete: angelo sanctitatis habitacula cordium vestrorum emundate. Valete.

EPISTOLA LIV.

AD GRANDIMONTENSES.

[III, 8.] Charissimis Patribus et dominis suis de Grandi-Monte (71), frater Petrus Trecensis abbas, fideles orationes.

Scio quia in concilio justorum et congregatione magna opera Domini. Idcirco, fratres charissimi, longe licet a vobis remotus, tamen animæ meæ intentionem et supplicationem in præsenti conventu transfero, quatenus portiunculam cujuslibet cœlestis benedictionis referat, unde consoletur et longo tempore confortetur. Credo enim, si vel unam oratiunculam angeli illi vestri, qui faciem Patris semper vident in cœlis, ad ipsum Patrem luminum, et ad thronum gratiæ Filii ejus, ab ore et corde vestro pro me detulerint, quod faciet fructum sursum, et germen ponet in terra deorsum. Hinc vero fructus vitæ et spes misericordiæ egeno et pauperi erit. Manus igitur illas vestras puras ab omni sanguine et crimine, et oculos columbinos ad fenestras cœli, per quas ad propitiatorium et ad Sancta sanctorum intrare soletis, levate: nec aliquo modo deponatis, donec vos exaudierit qui desiderium pauperum exaudit Dominus. Vester sum; sed tunc dignius et affectuosius. Valete.

EPISTOLA LV.

AD A. SACERDOTEM S. PETRI PRUVINENSIS.

[III, 9.] Frater Petrus Cellensis abbas, venerabili A. sacerdoti Sancti Petri Pruvinensis, salutem.

Non immerito illi præsumo scribere, quem non præsumo non diligere. An impune non diligerem, quem apprime honorandum utinam vel simpliciter suscepissem! Sed quid tantopere laudo, quem vel rarissima visione cognosco? Sed plus hunc fateor cognosco auditione quam visione, plus fide quam confabulatione, plus religione quam familiari cohabitatione. Audivi enim viri non elatam sæculi pompam, sed electam doctrinæ formam; non ebrietatem, sed sobrietatem; non vanam pecuniarum

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(68) Lepide duob. illis effrenatis monachis tribuit quod Isai., c. VII, Rasin et Phacee obsidentibus Jerusalem.

(69) Id deprompsit ex II Reg. I c. ubi David de flet Saulem interfectum.

(70) *Fratribus et filiis.* Cellensis monasterii monachis.

(71) *De Grandimonte.* Id caput et sedes est non obscuri in Gallia ordinis clericorum, qui Grandimontenses inde appellati, in diœcesi Lemovicensi, haud procul Mureto. Unde et Stephanum religiosæ familiæ ducem ac principem, Stephanum de Mureto appellat Stephanus Tornacensis epistola 1, quia sedem ibi fixerat, cum alioquin Arvernus patria esset, non Lemovix.

sollicitudinem, sed variam Scripturarum meditationem; non curiositatem formarum et pulchritudinem faces gehennales accedentes, sed emundationem deformitatum propriæ conscientiæ juxta divini speculi illuminationem. Hæc, bone juvenis, de te ab aliis cum desiderio audivi, cum fide accepi, cum gaudio aliis enarravi. Nihil itaque mirum, si tali scribo, quem talem describere non vereor ex relatu eorum quibus firmiter credo. Hujus tamen ardentius cum aviditate faciem viderem, et vocem audirem, quam mortuis apicibus mortua verba ederem, ut cujus amor vivit in animo, ejus præsentia scintillaret in oculo. Applicat enim calorem latentem in remotis admista facula scintillantibus venis. Mutuo namque sese ita fovent, ut uterque ignis alium ad se trahendo confortet et confortetur : quatenus interior eo magis ferveat, quo exterior ei appropinquat, et exterior eo clarius luceat, quo ei interior vehementius participat. Hujus exempli similitudine, quem amas absentem, incipis superamare præsentem. Crescit enim in oculis amor : revehitur meatu aurium cordi diligentis vox dilecti expressa charactere dilectionis. Jam amor incipit esse cum gaudio, qui prius erat sine gaudio, aut cum tædio. Tædet enim non habere quem tendit semper amare. Sine gaudio quoque est, qui eum non habet, sine quo gaudere non potest. Apponitur igitur amori gaudium, cum amicus cernit suum amicum. Valete.

EPISTOLA LVI.

AD G. SACERDOTEM HASTINGIARUM.

[III, 10.] Petrus abbas indignus Cellæ monasterii, G. sacerdoti Hastingiarum (72), spiritum salutis.

Non in præsumptione spiritus mei ad te transmarinum sacerdotem scribo, sed reiterata petitione R. quem tu quidem carne, ego vero spiritu per Evangelium in Christo genui. Is siquidem quos habet impari generatione patres, pari desiderat affectione conjungere fratres. Et me certe jam fratrem tibi constituit, nisi in oculis tuis mea fraternitas forte propter vestem peregrinam sorduerit. Vix tamen apud sensatos tanta habetur vestium diversitas, ut eorum exinde divellatur idenditas. Proinde nuda corda melius copulantur, affectius uniuntur, castius immiscentur. Cor namque justi non induitur purpura et bysso, sed sapientia et consilio; non pannis et serico, sed virtutibus et Deo. His enim secundum creationis naturam in principio amictus, stolas non erubescebat angelicas, nec ipsius increati candoris lucem reformidabat, quandiu divinitus insitæ imaginis lineamenta incorrupta mutuo aspectu resignabat. At ubi hujuscemodi splendoribus nocturnis dispoliatus insidiis, præ confusione atrocioris incommodi foliis cœpit circumtegi ficulneis : venit Christus, ut reiteraret vestem cilicinam, saccum scinderet, et nudus nudis obtutibus paternis in carne nostra, imo sua appareret. Filii itaque nudi Christi, nuda adinvicem corda pandamus, ac stabili compagine in Christo ea compingamus : fluant ad Christum, refluant ad cœlum, confluant ad trinum et unum : *O quam bonum et quam jucundum*, frater, *fratres habitare in unum!* (*Psal.* CXXXII.) Unum est necessarium. Quid vero multa? non necessaria. Quæ ergo vanitas est filiorum hominum ut multa quærant, et non curent unum? Prius est unum, quam multa, et facilius consequimur unum, quam multa. Cum ergo sine uno non subsistimus, et in multis deficimus, in multa tamen insania unum postponimus, et multa cupimus. Desipit qui ad unum verum esse non tendit; sapit qui ad incommutabilem beatitudinem contendit. Revera solus ille sapit, qui unum solum sapit; solus ille desipit, qui multa præter unum sapere cupit. Unde ait Apostolus : *Non multum sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII).

Solent homines terræ tuæ potius sapere ad ebrietatem quam ad sobrietatem. Vitium ignobile, et inter cætera vitia ignobilius, ebrietas. Ubi enim sensus ebrii? ubi reverentia in ebrio? ubi dignitas? Immemor est præteriti, futuri ignarus, præsentis nescius. Discretio confunditur, ratio hebetatur, sensus ligantur, mens ipsa sepelitur. Risui derisoribus exponit magis se ipsum ridens. Ex hac viperea radice surgit, vel potius serpit, devastans totius religionis animæ vigorem luxuria. Denique tanquam ex magno gurgite perditionis prosiliunt non rara germina pestiferæ prævaricationis. Pes errat, labitur lingua, trepidat manus, labia tremunt, caligat visus, auditus surdescit. Adde his intrinsecus furias debacchantes, et miserum pectus miserabiliter lacerantes. O bone vir, nonne videntur tibi hæc principia mortis, fomenta ignis æterni, esca supplicii, illecebra damnationis? Ut igitur morsum colubri evadas, fugienda est ebrietas. Muscipula venantium capitur, qui vel semel inebriatur. Lusus dæmonum est homo ebrius. Tanquam prostibulum vitiorum reputatur, qui gulæ et ventris tyrannidi subjugatur. Mari commoto quid tempestuosius? excusso fulgure quid formidabilius? abysso quid profundius? Nullum tamen horum nequius, quam homo ebrius. Desistendum est a veneno, imo a vino, quod hominem vertit in truncum. Divinorum lectio librorum præceptis et exemplis ostendit, quam turpiter natura ex hoc dehonestetur, quam crudeliter condemnetur, quam interminabiliter crucietur, quam immisericorditer a regno Dei excludatur. *Neque ebriosi*, ait Apostolus, *regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI). Diutius impressi stylum, si forte refellerem, vel saltem reprimerem vitium. Interim collactaneam ejus luxuriam eodem acumine potius pungamus quam pingamus. Pinguius namque et

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(72) *Sacerd. Hastingiarum.* In Anglia. Ideo transmarinum sacerdotem vocat. Locus conserto inter Willelmum et Haroldum prælio memorabilis. Malmesburiensis Hastingas scribit, et bellum Hastingense, quod dixi.

ista pinguissima de pinguedine terræ apud vos exuberat. Ubi namque juvenum et puellarum forma decentior, aspectus gratiosior, cibus abundantior, potus crassior, aer salubrior, terra fertilior, amœnitas jucundior, pravus his enervatur animus. Satius est namque ei frui cupiditatibus vanis quam æternis bonis. Colore adulterino deceptus, quæ intus latet, falsitatem non attendit. Mendax mendaciter mulier de specie vana se jactat. Certe pulchritudo illa nec vera est, nec sua. Si enim vera esset, semper durasset. Unde quod semel est verum, semper est verum. Si sua, non in foro emeret. Fallax gratia, et vana est pulchritudo. Abjicienda est autem, quæ fallit gratia; ambienda, quæ liberat. Umbratilis postponenda pulchritudo, utilis appetenda. Communi hactenus admonitione præmissa, ut tuæ unicæ et singularis animæ curam maximam habeas, rogamus. Nemo enim de sæculo egrediens animam suam ulterius commutat. Hic locus, hic tempus commutationis faciendæ : mores hic commutandi et corrigendi. Cæterum correptio, non correctio in futuro dabitur; fiet comminatio, non commutatio, nisi forte de pœna in pœnam, de morte in mortem, de miseria in miseriam. Muta itaque vitam, dum vivis in hac vita, ne si forte modo cum potes distuleris mutare, tunc volens mutare cogaris tenere. R. timet sibi anima mea, timet et tibi. Pater meus es tu, et ego filius tuus. Et quia per te ingressus sum in vita corruptibili, utinam per me pervenires ad disciplinam Dei. Non contingat me sine te gaudere; contingat autem te et me cum Christo regnare. Vale.

EPISTOLA LVII.

AD H. SUBPRIOREM, THOMAM ET ASCELINUM CLARÆVALLENSES.

[III, 11.] Suis charissimis amicis, H. subpriori, Thomæ et Ascelino Clarævallensibus, frater Petrus abbas Cellensis, gratiam pro gratia.

Quibus gratiosiori affectu dulcius copulamur, eisdem non immerito meliora et dulciora scribimus. Ut enim dignior animus quam corpus, sic animi potiora sunt bona, quam corporis, fidelis vero sui ipsius interpres est animus. Itaque et nos potius quæ ad animum pertinent colimus, quam quæ ad corpus. Nam si de affectu non secundum affectum scribis, utique mentiris. Igitur affectus cum de se loquitur, se et non alium loquatur. Est enim hypocritarum aliena tanquam sua, sua tanquam aliena dicere. Nihilominus et simulatorum est, neque simpliciter diligere, neque veraciter ad amicos loqui vel scribere. Quamobrem in Christo et in conscientia vera pronuntio, quod erga me sinceriorem et puriorem habeatis affectum, ut credo, quam ego ipse. Nam quo purgatior est in vobis oculus mentis, eo perspicacior est etiam in amicis diligendis; et quo expeditior ad clare videndum, eo liberior ac justior de omni causa decernendum. Solummodo siquidem corporum nebula obstat, ne se vicissim meus et vester spiritus sublatis impedimentis clare videat. Attamen ut in corpore mortali immortalia corda, et ad se per amorem accedere, et sese per mutua desideria possunt contingere; sic unica et speciali dilectione, quotidiano recursu a suis commeant regionibus, quatenus datur, ad se salutandos et osculandos affectus nostri. Quoties enim vos recogito, toties pedibus animi vos adeo. Itaque, fratres charissimi et desideratissimi, vestras consolationes et sitienter suscepi, et ardenter perlegi, et velociter complevi. Et attendite etiam in hoc quam bene cohæreant, quam perfecte sibi consentiant conscientiæ nostræ. Quando enim scribebat dictante animo digitus vester, cogitabat animus noster : et quod scripserat digitus, hoc elegerat animus. Plane priusquam audirem obedivi, antequam consilium daretur acquievi. Tanta dilectionis velocitas, ut audire non exspectet quod facere debet. Lædi namque se æstimat, nisi amicorum voluntates præcurrat. De merito suo plurimum sibi præripi gemit, nisi etiam motum voluntatis vigilanter præoccupaverit. Tunc læta, tunc gratulabunda, cum præcesserit veniendo, et quodammodo excesserit majora faciendo. O excessus charitas! o excedens charitas! Sola in omni genere virtutum excedendo non excedis, ascendendo non corruis, descendendo ascendis.

Ad modum proprium cohibetur humilitas, terminos suos habet castitas, ad malum non laxamus obedientiæ habenas, ad fines suos, nec extra extenditur largitas, ad fines mendacii non accedit veritas. Sic denique et aliæ virtutes, cursus tantum suos excurrere, sed non transcurrere debent. Constituti sunt eis termini, qui præteriri non poterunt. At charitas usque ad cœlum, imo et supra cœlum, veluti cui lex non est posita, conscendit, usque ad infernum, et etiam in inferno ipso aliquando descendit. Amicos amplectitur, nec ab inimicis arcetur. Cum se extendit, non læditur, cum se superextendit, non rumpitur. Semper crescit, nunquam senescit. Anni ejus non deficiunt, sed perficiunt. Quo enim vetustior, imo diuturnior, neque enim veterascit, eo et clarior. Sicut vinum Libani semper novatur, semper confortatur, semper cumulatur. Vires semper accrescunt; splendores faciei ejus nunquam deflorescunt. O virtutum virtus! semper in me sic excedas, ut nunquam decedas. Non sinis decedere, in quo dignaris justos excessus creare. Sic novit Apostolus mente excedere, et cœlum tertium penetrare; sic prophetæ in excessu mentis supra hominem de Deo sentire. Præ stupore Petrus in considerationem glorificatæ majestatis sic excesserat, cum dicebat : *Faciamus hic tria tabernacula : tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum* (*Matth.* XVII). Secundo etiam et tertio sic excessit, vel quando Christum non sustinens mori, dicit : *Absit a te, Domine* (*Matth.* XVI); vel quando abscidit auriculam servi, vel etiam in captura piscium cum dicit : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc* V). O quoties sponsa ad sponsum excurrit, aut ut verius

dicam, se ipsam et omne quod creatum est pro amore sponsi excedit! Quandocunque enim vel de sponso vel ad sponsum loquitur, per excessum transvolare dicitur. Hos saltus sive excessus non novit, nisi qui experientia didicit. Quapropter de his mihi parcius loquendum, vobis idoneum est latius et largius agendum potius, quam disserendum. Valete. Quam citius potero veniam ad vos.

EPISTOLA LVIII.

AD R. CLARÆVALLENSEM.

[III, 12.] Suo R. Clarævallis, suus PETRUS Cellensis.

Solet nimia festinatio, etiam semicruda quasi jam bene cocta, præ nimio appetitu insumere, et tanquam famis necessitatem interdum temperare. Instas, et ostium amici velut necessitate hospitis supervenientis inquietare non cessas. Credo potius ex crassitudine animæ, vel ex non necessaria paupertate id te actitare, ut neque importunitatibus tuis occupationes meæ satisfaciant, neque voluntati tuæ solemnes istæ feriæ silentium imponant. Quid igitur? Experior nunc quod in Isaia jam ante legeram: *Venerunt filii usque ad partum, et tempus sive virtus pariendi non est* (*Isa.* XXXVII). Æstuo siquidem novi amici novam et primam promissionem adimplere, sed contradicentium irruptiones vix valeo mitigare. Quis itaque, a quo, vel quid petas mihi consideranti, offert ratio copiosam fortunam petitoris, pauperem inopiam postulati, difficultatem petitionis. Quis, nisi qui ambulat in medio lapidum ignitorum, nisi qui cedrorum medullam consuevit lambere, et præclara sententiarum stipendia de castris philosophorum reportare? A quo, nisi ab eo qui inter sentes, ne dicam sententias, delicias reputat dormire? nisi ab eo qui neque ungulam findit meliorum dictorum distinctione, neque ruminat si qua contigerit audire vel legere? Quis a quo, nisi doctus ab indocto, nisi plenus a vacuo, nisi videns a cæco? Non leve et simplex fateor impedimentum sustineo, ne intrem in sanctuarium Dei, ut de manu cherubim carbones consolatorios tibi accipiam. Obstat hinc flammeus gladius atque versatilis sollicitudinum, usque ad medullam animæ penetrantium, illinc caterva Philisthinorum puteos meos terra mortuorum replentium. Præter hæc, tanta certe confusio concurrentium ad me fit, cum incipio scribere, ut pene syllabæ singulæ nova cogantur habere principia. Ecce monachus confitetur, ecce alius diffitetur : ecce miles saltat, ecce clericus salutat, ecce famulus inquietat, ecce nuntius corvum frequentius quam columbam resonat.

Mi dilecte, quam interim cor humanum congregare poterit sanctarum Scripturarum meditationem? quod componere commonitorium? Sed forte hæc ipsa non monendo monent, inquietando suadent quietem, in diversum decerpendo verum, id ipsum quærere admonent. Sic enim esuriens panem quæro, aquam sitiens, algens ignem, caligans lucem, deficiens refectionem. Verum tu aliud habens melius et verius commonitorium, rursus aliud mendicaris potius ex voluntate quam ex necessitate. Exemplo credo apostolorum id facis, cui cum Jesum haberent, patrem nihilominus videre cupiebant. *Domine*, inquiunt, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Luc.* XIV). Nondum noverant quia cui Filius non sufficit, nec Patrem habere poterit. Plena etenim Filii cognitio, universæ rationalis creaturæ est plenissima recreatio. O quam præclara Clarevallensium commonitoria! Quid enim lacrymæ hujus, nisi compunctionis sunt incentivum? Quid alterius continuæ orationes, nisi supernæ contemplationis adjumentum? Hujus humilitas superbiam confundit apostatæ angeli et hominis : obedientia illius, pendentis in cruce Christi æmulatur obedientiam. Iste Jacob assimilatur in laboribus; simplicitas Joseph hunc exornat; zelus ordinis in isto Moysen reddit. O David mansuetudo! o fervor Eliæ! o Danielis abstinentia! o castitas Samuelis, et quod majus est, o Christi charitas! o Mariæ virginitas! Castra Dei sunt hæc. Quid videbis in Sunamite tua, in coccinea tua, nisi choros castrorum? Chorum alium videro procedentem adversus phalangas vitiorum innumerabilium, dum iste non quærens quæ sua sunt, spiritum avaritiæ strangulat, iste mundi gloriam calcans principem superbiæ suffocat, iste carnem macerans luxuriæ caput detruncat, et cuicunque obviaverit quisque de adversariis, sine misericordia fortiter in ore gladii enecat. Pluunt denique instanter post terga hostium sagittæ, vibrant hastas, frameam effundunt, et sive leones, sive unicornes cum omni bestia saltus exterminant. Non est in eis deficiens, neque laborans. In dextro cornu iterum considero alium in equis albis chorum certantem non jam pro victoria, sed ad coacervanda pretiosiora spolia, et jam prægustat alius mercedem laborum suorum, alius gratiam labiorum consequitur, alius de ligno, quod est in medio paradisi, superextensus in ulteriora velaminis per oblivionem terrenorum et contemplationem cœlestium edit. Isti sunt qui stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni, resistendo usque ad sanguinem vitiis, et pertingendo usque ad patientiam Agni immaculati. Hi docent te arcum et sagittam; hi sanguinem uvæ, et mori propinant. Arcum pravum isti non intendunt, sed spirituali subtilitate, etiam capillum minimæ cogitationis in arcu propriæ reprehensionis citissime feriunt. Prorsus conversi sunt in die belli, quia neque in incerto currunt, neque segniter vivunt. Ad hoc te mitto commonitorium. Omnia enim eorum commonent, sive consessus, sive incessus, sive sermo, sive silentium, sive jejunium, sive prandium. Ecce mille clypei pendent non solum ad te commonendum, sed etiam ad muniendum : et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam? Habes quoque et alium Paracletum, tanquam aliud commonitorium, quod prope est in ore et in corde tuo; unctionem spiritus, quæ

te docet de omnibus. Habes sapientiam, quæ non invenitur in terra suaviter viventium, quam filii Agar non inveniunt, de qua philosophorum abyssus loquitur : Non est mecum. Liga eam in corde tuo jugiter per amorem, describe illam in tempore otii tripliciter, cogitando, loquendo, operando. Discurre Scripturarum amœnissimos campos : lege tanquam apis et reconde in alveolo memoriæ suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ rosam, uvas spiritualium charismatum. Considera diligenter quæ apponuntur, quia quædam ad consolationem, quædam ad correptionem sunt. Alia ad sanitatem, alia ad satietatem, alia ad suavitatem. Spes præmii promissi mœrentem consolatur; corrigit comminatio æterni supplicii; medicamine pœnitentiæ sanantur omnes languores; præsentis justificationis exsultatio famelicum justitiæ satiat; adveniens gratia virgam timoris amovet, et sua infusione animam lætificat.

O Jesu! comminatoribus tuis quis sapor in faucibus? quis odor in naribus? quis splendor præ oculis? quæ auditus modulatio? quæ cordis jubilatio? Nihil infra votum, supra omnia abundant, imo superabundant, gaudia. Explicat et extendit se voluntas ad volendum, vel etiam ad volandum, sed non sufficit. Supercurrit oleum, quia vasa deficiunt. Hic, hic manus dantis largior, et accipientis rarior. Sola hæc ministrorum indignatio, quia pauci sunt, quibus fiat cœlestium ferculorum distributio. Longos fac funiculos tuos : extende pelles tuas, ne parcas, quia dilataberis ad orientem divinæ contemplationis, ad occidentem humanæ per Christum reparationis, ad septentrionem dæmoniacæ dejectionis, et ad austrum gloriosæ ascensionis. Vale, nec sine recompensatione nostram paupertatem velis accipere. Charissimum nostrum subpriorem ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute saluto, et cæteros amicos nostros.

EPISTOLA LIX.

AD EUMDEM.

[III, 13.] P. Cellensis R. suo Clarevallensi.

Excusationis meæ procemium, sive velamentum rusticitati meæ superinducerem, si clerico scholari, non monacho Clarevallensi, si spumanti in sæcularibus, non sudanti in regularibus, si denique Sirenarum oblectamenta captanti, non aspera quæque per desertum sectanti scriberem. Nunc autem quia id solum quod honestum est, bonum esse non dubito : omne vero verum honestum, si verum dixero ab honesto non recedens, confusionem non timeo. Scio itaque manum te ad fortia misisse, et satis perplexum antiquo sophismate sophisma fecisse. Crede mihi, frendens et rugiens quærit solvere quod nequit ex ratione refellere. Callidus est et in arte perversæ calliditatis potenter callens, utpote cui ab incomprehensibilitate retro labentium temporum annus, mensis, dies, hora, vel brevissimum momentum non est elapsum absque hujusmodi conflictationibus. Quoties vicit et victus est? dejecit et dejectus est? obruit et obrutus est? Non est ei pudor, timor procul abest, spes evertendi semper adest. Fulminat timens, attrectat tremens, recedit sperans, accedit dubitans. O astutia simplicitatis inimica, malignitatis filia, unica totius religionis tinea! Patrem nostrum a paradiso exclusisti, in exsilio detrusisti, in morte conclusisti : nos beatitudine spolias, miseriis cumulas, a Deo separas. Quid tibi et nobis? Cepisti et decepisti, sed non recepisti. Qui enim fecit, ipse reficiendo recepit. Seductor igitur, charissime, cavendus est, et laqueo suo capiendus, et gladio suo detruncandus. Sic fecit nobis, sic faciamus illi. Si malum est esse homicidam, sed non diabolicidam. Caput ergo ejus contere, caudam apprehende, corpus medium scinde : et sic vespere et mane et meridie narrabis in confessione, annuntiabis in satisfactione, exaudieris in oratione. Sophista iste male proponit, pejus assumit, pessime concludit. Suggerendo prava proponit, ad delectationem trahendo assumit, in consensum dejiciendo concludit. Si itaque suggestionem prudenter prævidens scuto sacræ institutionis propuleris, delectationem fortiter memoria passionis Christi excusseris, consensum constanter timore et amore Dei negaveris, tendiculas ejus tanquam fila aranearum abrumpens, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon.

EPISTOLA LX (73).

NICOLAI CLARÆVALLENSIS IN PERSONA FRATRIS ADÆ AD PETRUM.

Singulari Patri et domino P. Cellensi abbati, frater A., quidquid est, et quidquid potest in Domino.

Nihil est amicitia dulcius in rebus humanis, sed hoc fit cum hominis persona diligitur, non fortuna, hac dilectione dilexisti filium tuum, Pater sancte, ut aliquando dum recordor miserationum tuarum, cor meum et caro mea exsultent in Deum vivum. Eram enim juvenis ætate, pauper censu, pauperior meritis, et tu, dimissis illis qui me tam religione quam scientia transcendebant, junxisti lateri tuo, tuo conventui prætulisti. Quid retribuam Domino, pro his omnibus non quæ retribuit, sed tribuit mihi? (*Psal.* CXV.) scio quid faciam. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabo quoad vixero. Sed quousque longum facio prologum et non nude frontoseque dico, quæ dicenda sunt? Loquar ad dominum meum, utinam jucundum sit ei eloquium meum. Juxta enim vocem viri sancti (*Job.* IV), conceptum sermonem tenere quis potest? Tacere non possum, dicere non audeo, dicetur tamen. Diu est, amantissime Pater, quod proposueram ascensiones in corde meo, ut ascenderem ad locum sanctum, locum illum, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi, nec juvenili ut assolet levitate jactatus, sed morosa de-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(73) Nova.

liberatione firmatus texi propositum ne expositum penitus deperiret. Arreptus igitur in spiritu judicii et spiritu ardoris, nec ulterius valens vel volens dissimulare spiritum libertatis, veni ad vestros Clarevallenses plorans et orans ut reciperent me in concilio justorum et congregatione. Pulsavi fortiter sed fortius repulsus sum. Perseveravi, impetravi, intravi, et ecce sum inter illos quasi unus ex illis. Obsecro vos per viscera misericordiæ Dei nostri, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent, quia de vestris ad vestros transivi, vestros non verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Videte quantum confidant de vobis, qui sine vobis retinuerunt me, scientes quia ipsi in vobis et vos in illis, serenissime domine et amantissime Pater. Vale.

EPISTOLA LXI.

AD NICOLAUM CLARÆVALLENSEM MONACHUM.

[IV, 3.] NICOLAO SUO PETRUS SUUS.

Mirabili conditas sapore litteras aviditati meæ componitis, quoties scribitis. Ut enim veraci amico veraciter loquar, illud pene proprie proprium apud me habent : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV). Ipse autem etsi imperitus sum stylo rescribendi, non tamen scientia redamandi. Scio quem amare debeam, quare, et quantum, et quandiu. Quem, nisi servum Dei, nisi qui diligit justitiam, et odio habet iniquitatem, nisi denique qui in Deo manet et Deus in eo? Quare, nisi quia conservus, et frater est, nisi pro quo Christus passus est? Quantum, nisi quantum me Filius Dei, quantum me ipsum, quantum manus oculum? Quandiu, nisi usque ad mortem, nisi usque in sæculum sæculi, nisi usque in æternum et ultra? Generaliter sic afficiuntur qui non quæ sua sunt quærunt, sed quæ Jesu Christi, qui pleni charitate et dilectione in cubilibus et in hortis aromatum in meridie cubant et pascunt. Isti sunt tui, imo mei Clarevallenses. Hi sunt qui non sicut ille negaturus Jesum a longe sequuntur, non sicut alii appropinquantes stant, vel ab eo recedentes post Satanam redeunt; sed sindone rejecta nudi post nudum ambulant, Agni vestigiis inhærentes ad cœlum transvolant : et donec ad sedentem in throno accedant, et regi opera sua dicant, super montes aromatum transilire properant. Hi sunt cervi montium, capreæ camporum, hinnuli silvarum. Denique ipsi sunt lilium convallium, cedri Libani, olivæ uberes in domo Dei. Pulchræ sunt genæ eorum absque eo quod intrinsecus latet. Amplior virtus quam fama, flamma non tanta quantus ardor, laus eorum confortata est, nec possum ad eam. Vere et tu ex illis es. Nam et loquela tua et opera manifestum te faciunt. Si ergo, ut prædixi, mutua dilectione adinvicem specialiter afficimur, et quis et quare, et quantum et quandiu, firmiter conservabimus. Pene tanquam oculis captus non attendens, quis et cui scribam. Qua enim fronte insipientiam meam, turpitudinem meam, tarditatem meam non abscondo, non operio, non celo? Et si oculis insipientium illudo, capreæ et lyncei oculos sic quoque decipere posse præsumo. Sed ne decipiaris, plus in me aliquid quam audis sensus et ingenii suspicans, prorsus aperio paupertatis meæ inopiam. Nempe quia fodere non valeo, mendicare non erubesco. Aperi igitur manum, rasgra os, ut parturiat sapientiam. Quæro autem, quid sit quod ait Hieronymus in epistola ad Rufinum, exponens judicium Salomonis super quæstione duarum meretricum : « Tertia die postquam ego peperi, peperit et hæc. » *Si consideres*, inquit, *Pilatum lavantem manus atque dicentem : « Mundus ego sum a sanguine justi hujus ; » si centurionem ante patibulum confitentem : « Vere hic erat Filius Dei ; » si eos qui ante passionem per Philippum Dominum videre desiderant ; haud ambige primam peperisse Ecclesiam, et postea natum populum Judæorum, pro quo Dominus precabatur : Pater, ignosce illis*, etc. » De centurione, et de his qui Dominum videre quærunt, quod Ecclesiæ filii sint, non tam durum mihi videtur; sed de Pilato prorsus incredibile æstimo. Sequitur in eadem epistola : *Nulla*, inquit, *dubitatio est, quin cuncta quæ dicuntur, non Salomoni mortuo, sed Christi conveniant majestati. Simulat ignorantiam, et humanos pro dispensatione carnis mentitur affectus*, etc. Si Dominus noster Jesus Christus quidquid humanæ naturæ est præter peccatum assumpsit, et humanos affectus non fallaciter, sed veraciter habuit; quomodo ergo mentitur humanos affectus?

EPISTOLA LXII (74).

NICOLAI CLARÆVALLENSIS AD ABBATEM CELLENSEM. SUSPICIOSA SUPER TRADITIONE LITTERARUM.

Dilecto sibi multum et amabili valde domino PETRO Cellensi abbati, Fr. NICOLAUS, a summo Domino euge boni servi.

Antequam vos viderem, dilexi vos, et fuit principium dilectionis testimonium religionis, quod a religiosis de vobis audieram. Postquam vero auditui visus accessit, successit mutuæ familiaritatis arcanum, et de personis imparibus pares animos amicitia fecit. Et licet vos dignitas sublimem, dignatio tamen humilem reddidit, cum vos exinanistis vilem benigne colligendo personam. Hinc est quod in sacrario vestræ charitatis admissus commisi vobis, quod alteri committere non audebam; et hoc tanto securius, quanto sincerius vos diligebam. Et quia verus amor omnem suspicionem vel simulationem a veritate suæ puritatis eliminat; parvam suspiciunculam meam vobis aperio. Litteras vobis donaveram donandas Lecelino; sed nescio quo pacto Arremarensis abbatis manibus inhæserunt. Utrumque difficile imo impossibile est, ut vel vos ei dederitis vel ab illo illas acceperit, cum ego de vestra veritate et de illius taciturnitate non dubitem. Procli-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(74) Nova.

vius tamen crediderim juvenem juvenili levitate seductum, quam vos ad id deductum, amantissime Pater; sit tamen in beneplacito vestræ dignationis ut mihi rescribatis, qualiter Epistolam reddideritis ei. Librum nostrum per præsentium latorem mihi remittite. Illud autem scitote, quia servus vester sum : et, si dignum judicatis, amicus. Vale, et orate pro me.

EPISTOLA LXIII (75).

AD EUMDEM CONQUERENTEM CUR ALIQUID LONGIUS NON SCRIBERET. PULCHRA DE MISERIA HOMINIS. HOMO NATUS, etc.

Suo suus.

Nuper cum aquilonaris rabies rapidiori flatu nuditatem nostram perussisset et percussisset, jussi sumus minuere sanguinem universi. Hæc autem minutio solemnis est, et ab his qui fundaverunt ordinem, ordinatius ordinata, ut de superfluitate conqueri non queamus. Tacere namque et jacere præcipimur, omnia in refectorio sicca sicut heri et nudiustertius intuentes. Nec laborare possumus nec orare, nec legere, nec saltem legentibus adhærere. Justissima prorsus ratio, et æquo pondere confunditur, et contunditur antiqua superbia, ut qui parietum rimulas ipsi soli inaccessibiles claudebamus et gaudebamus ad tenebras; nunc soli et aeri caput offeramus, vir cum sit imago gloriæ Dei, ait Apostoles (*I Cor.* II), non debet velare caput suum; et nunc experimento didicimus, quia subinducta teneritudo fuit vitium, non natura. In hoc spatio spirituales viri secretissimos conscientiarum suarum recessus investigant; non ut non inveniant, quod reprehendant; sed, ut quod invenerint reprehendant. Tunc divident inter aquas et aquas videlicet inter puritatem spiritualis intelligentiæ et sensualitatem infimæ et infirmæ carnalitatis, ponunt autem firmamentum rationem : ne superiores inferioribus inclinentur, et inquinentur; vel inferiores copulentur in superioribus; infelix, qui sic non dividit, quia quidquid obtulerit, non placet ut placeat, sed placitum irritat. Ego inter alios, et cum aliis ad hoc jubilæum sum vocatus et collocatus in deliciis istis. Hic autem a flamma litteralium negotiorum, quæ assidue Clarevallis aguntur, paululum refrigeratus retorsi oculos ad memoriam vestram : et hoc utique tam gaudenter quam ardenter diligo vos et diligor a vobis. Reliquis reliqui subtiles et utiles illas meditationes, qui me durioris et vitæ purioris exercitiis attriti et astricti in plateis supernæ Sion sæpius, evolantes, imaginum cœlestium hauriunt theorias. Igitur a tumultu et vario rerum turbine liberatus confabulabar mecum et dicebam : Ecce jam venit plenitudo temporis, ut scribam illi quem diligit anima mea, si forte recursu familiarium paginarum possim illius blandimentis eloquentiæ revocare dulcedinem. In veritate comperi quia stylum potentissimum habet quem sensus acuit, et sermo polit; et qui sit utrarumque partium felici temperatura permistus. Dum hæc cogitarem : ecce alia cogitatio subintravit dicens : Nunquid hoc est sapientis necdum pœnitentis, ut amicum vocet et provocet, non ad medullas sensuum, sed ad spinas verborum? Hoc certe puerorum est, vel pueriliter sapientium; qui non sententiam lectionis, sed eloquentiam orationis attendunt, inhiantes spinarum floribus et ab asperitate segetum abhorrentes. Sermo veræ puritatis, vel puræ veritatis illibatus esse debet, et facilis nec artificioso colorum velamine desiderat opacari.

Teste quippe philosopho, aperta decent et simplicia bonitatem. Quid ergo dicam, vel dictabo roganti amico, dignum dilecto, ad videndum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum? Docebo te? sed hoc esset dementia : laudabo te? sed hoc esset stultitia : monebo te? sed hoc esset audacia : tamen circa hoc tutius versabitur stylus, cum audacia sit quasi comes individuus dilectionis. Volo ergo tibi duo verba proponere, ad quæ tremere soleo quæ vir sanctus in se ipso et de se ipso sentiens tam mirabiliter quam miserabiliter humanæ mortalitatis deplorans ærumnas, ait : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet* (*Job* XIV). O conditio abjecta nascendi : vivendi dura, misera moriendi. *Homo natus de muliere.* Quid enim abjectius? *brevi vivens tempore repletur multis miseriis;* quid durius? *qui quasi flos egreditur et conteritur;* quid miserius? Vides, homo, triplicem, sed infelicem funiculum quo stringitur et cingitur omnis humana propago; quo non modo difficilis, sed et impossibilis sit ad rumpendum. Vis oculata fide videre, quia nihil est homine nascente abjectius? Omnium certe animalium et avium corpora multiplici munivit natura præsidio, et eis quasi quodam patentissimo sinu pietatis occurrit. Denique bovi setam, volucri plumam, et dentes, et ungues, et cornua concessit, ut habeant unde vim vel inferant, vel repellant. Sola hominis membra videas abjecta esse, non edita, quibus illa benignissima rerum nutrix quasi quodam indignationis oculo novercatur. Adde quod profundissimis ignorantiæ tenebris homo pollutus et obvolutus veniat in locum hunc tormentorum ubi infeliciter nascitur, infelicius vivit, infelicissime moritur. Reliquorum namque animalium pulli, et cum nati fuerint currunt et inter tot millia gregum ad ubera materna mira facilitate revolare noverunt. Pueri autem pedes nec idonei sunt ad movendum nec manus ad tangendum; et nisi nutricis ubera puerilibus labris pressius imprimantur, ante potest mori, quam ori apposita invenire; hanc nobis hæreditatem reliquit ille vetustus Adam, qui fugit a facie Dei (*Gen.* III), quam inconvertibili mortis privilegio communivit.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(75) Nova.

Vide, Domine, et considera quia furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum, innocens plane quantum ad illum, qui me perdidit et occidit; ad nihilum redactus sum et nescivi, quia non ibi fui cum devorasset me morsu amarissimo : et attende quantum singula verba suo pondere librata sint. *Homo*, inquit, *natus*, non homo conditus, quia ille leges oppressionis istius non sensisset, si non consensisset apostatæ spiritui, qui eum fallaciter seduxit, et deduxit in locum afflictionis et lacum mortis. Idcirco autem additum arbitror, *de muliere*, quod filius virginis his passionibus subditus non fuit : quas etsi habuit, ex voluntate fuit, non ex necessitate : *Brevi*, inquit, *vivens tempore*, vere *universa vanitas*, *omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII). *Omnis*, inquit, *homo vivens*, non omnis homo vita. Corpus denique est vivens, anima est viva, Deus vita; vivens ex vanitate, viva ex simplicitate, vita ex unitate. Propterea corpus, quia compositum est, oritur et moritur; anima, quia simplex est, nescit occasum. *Omnia*, inquit Scriptura, *orta occidunt, et aucta senescunt*. Orta, inquit, non facta, quia quæcunque ab illa omnipotentis manu in ipsis rerum principiis facta sunt, in æternum permanent, ab ipsis composita et prodeuntia, et ortum recipiunt et occasum. Vita vero et unum est, et una est, quod nec simplex quodammodo nec compositum participare possunt, quia unius et unicæ unitatis est hæc prærogativa, quantum ergo vivum viveus præcellit, tantum vivum vita præcedit, nisi quod illud tanto eminentius supervehitur, quanto incomparabilius creator supereminet creaturæ : *vivens*, inquit, *tempore*, qui factus est ut præesset tempori, non ut temporalitati subesset, et hoc brevi tempore, ut velocitati jungat velocitatem, quia nihil est annis velocius; hinc est quod puer in adolescentem, adolescens in juvenem, juvenis in senem, senex in decrepitum commutatur, ut unde proficit, inde deficiat, donec redeat in terram unde assumptus est, ut illud impleatur : *Vespere decidat, induret et arescat* (*Psal.* LXXXIX). Recordare quia, etsi brevi tempore, non tamen brevi labore, et ideo sequitur : *Repletur multis miseriis*, et quis pondus humanarum miseriarum cogitationibus comprehendere, nedum vocibus enarrare sufficiat? Nullus excipitur, nullus evadit, etiam si illum in rerum verticem vocaverit, et locaverit ille magnus providentiæ oculus, qui de sublimi Divinitatis specula, cuncta prospectat. Hujusmodi enim quanto sublimiores sunt, tanto miseriis multiplicioribus implicantur. Subditis namque licet vel plangere miseriam suam : prælatis vero, inter ærumnas cor ipsum exerentes necesse est vultum induere gaudiorum. Semper ergo homo convertitur in miseria sua quia semper configitur spina; nunc ad miseriam corporis, nunc ad miseriam cordis; ad miseriam dum dormit, ad miseriam dum vigilat, ad miseriam quaquaversum se vertat. Animadverte quid de mala conscientia debeas judicare : ergo ipsam bonam arbitror, miseram licet longe diverso vel adverso respectu, nunquid non misera est, quæ cecidit ab æterno, quæ tenetur in exsilio, quæ differtur a regno? *Egreditur*, inquit, *et conteritur*, inter egressionem et contritionem nulla provenit intercapedo; sed statim ut egreditur, conteritur, quia unde incipit vivere, inde incipit mori. *Quotidie enim morimur*. [SENECA *ep.* 24.] Quotidie demitur aliqua pars vitæ; et hoc est quod subvertit, quia *fugit velut umbra*, quam eleganti similitudine, circuitus humani signavit involucrum, sicut enim umbra nunc a dextris est, nunc a sinistris; nunc ante, nunc retro; sic et homo nunc a dextris est, per prosperitatem, nunc a sinistris per adversitatem, nunc ante per elationem, nunc retro per detractionem, et *nunquam in eodem statu permanet*. Quam bene depicta est inertia vel vecordia animarum nostrarum. Nunquam enim stat anima, sed nunc intus, nunc foris, nunc in angulis platearum vaga et garrula, et quietis impatiens, nec valens domi consistere pedibus suis. Heu! quam verum est : *Peccatum peccavit Hierusalem, et ideo instabilis facta est* (*Thren.* I). Hæc tibi, amicorum dulcissime; saltem saltuatim dictavi, qui continuatim non potui, trahentibus et retrahentibus negotiis multis, sed et manibus meis scripsi.

Omnes enim, qui habent negotia, veniunt ad nos; sed et ego solus cum sancto Jacob dicere possum : *In me hæc omnia mala reciderunt* (*Gen.* XLII). Quamvis et hoc ultra occupationes tuas multas et malas sit, quem in terribile curarum pelagus honoris altitudo resorbuit. Validissimum tibi tamen argumentum sit quam profundius in viscerum meorum abdita descendisti, qui tantillum illud spatii, quod conscientiæ meæ debui, præbui amicitiæ tuæ; ubi si stylus rutilantiori verborum lumine non lucet, scito quia facultas defuit, non voluntas. Factus sum insipiens; tu me coegisti. Tu, inquam, qui cum sis verbo dives, scientia copiosus, magnus ingenio, loco primus, rusticitatis meæ eloquium concupisti, instar Eliæ, qui victum viduæ esurivit extremum; sed, nisi fallor, simili animo et tu facis qui petis, ut tribuas; esuris, ut saties, et mihi tui sensus horreum tota liberalitate recumules. Non attendas ergo styli claritatem, sed animi puritatem : et pensa opuscula nostra post mortem non esse pensanda, sed opera illo scrutante, qui reddet unicuique juxta opera sua. Propterea sic vive cum inferiori quemadmodum superiorem tecum vivere velis; et cum aliquid feceris, nihil te fecisse putes; et tunc plenissime cuncta fecisti fortunatus, si semper amari ames, et timeas timeri : hæc cogitatio tollit extollentiam, insolentiam reprimit, deprimit primum et ultimum vitiorum. Semper ergo cœlestibus invigilet tua lingua præconiis, anima sententiis, dextra donariis, quia quidquid hominibus tuis indulges, tibi retines : et quidquid pauperibus spargis, colligis tibi. Verum est enim quod ait ille rhetorum splendor, quia quidquid agis, tuum est; quod habes, alienum. Et hæc quidem dictaveram et bene scripseram, antequam tuus nuntius adveniret. Cum quanta autem

celebritate et suavitate recordationis tuæ, ista jactaverim, testis est mihi, qui hæc excepit meus, imo et tuus qui memoriam spiritus tui in suo spiritu abundantius collocavit; in illo enim mihi multum complacuit, tam propter puritatem conscientiæ suæ, quam propter indolis suæ alacritatem. Tu vero qui jam cum Domino ascendisti Hierosolymam, ora pro utroque, quia uterque tuus est ut protegat nos sub umbra alarum suarum donec transeat iniquitas, ut cum ipse apparuerit, vita nostra, et nos cum ipso appareamus in gloria. Quam fortiter autem universitas nostra, pusilli et magni, juvenes et senes, claustrales et officiales, uno verbo, uno animo, uno in loco, rogaverunt dominum Trecensem et pro persona tua, et pro Ecclesia tua melius est, ut per alium quam per me cognoscas.

EPISTOLA LXIV

AD NICOLAUM CLARÆVALLENSEM MONACHUM.

[IV, 2.] Suo suus.

Bestia quæ tetigerit montem lapidabitur. Cacumina, dilectissime, litterarum tuarum in tantam nubium densitatem sublevata sese recipiunt, quod vix conatibus difficillimis acumen luminum meorum quoquo modo admittant. Nunc enim volas et pervolas in sublimitate cedrorum, nunc nidificas in altissimis cavernis maceriarum, nunc ambulas super pennas ventorum, nunc denique curris et discurris incomprehensibiliter super montes aromatum, sive invenias semitam per quam ambulaverit homo, sive non invenias, non multum curas. Nec mirum. Nam tuus ille cæteris familiarior Seneca, hominum ingenia per tria divisit genera. Primum ponit ut tuum, vias sibi aperire, et quæque remota vi propria penetrare. Secundæ sortis ingenium non adeo ingenuum, quod præire nescit, sequi tamen non intumescit. Infelicioris tertium fortunæ dicit, quod nisi coactum, manu tractum, currui impositum, ab inertia sua minime concalescit et exsilit. Huic me larga manu natura, primum et etiam secundum mihi invidens ingenium, quam astrictissime, ni fallor, obligavit. et funiculo suæ dimensionis in hæreditatem prælaram confirmavit, sigilloque communivit et dolor! Tibi quidem oculo nequam nequaquam invideo; attamen mihi condoleo, quia quanto sors tua meæ vicina relucet splendidior, tanto ipsa sublucet obscurior. Dum ergo repagula ori induxisti, dum oculis dormitationem indulsisti, dum manum ad pharetram non adduxisti, magna majorum celeritate verborum effabar, perspicacitate ingenii non adæquabar, locupletem scientia Scripturarum me arbitrabar. At ubi fulgurare cœpisti tonitrua sententiarum, vibrare jacula argumentorum, pluere monita dulcium exhortationum, tardior lingua, sensu pauperior, stylo rusticior inventus sum. Video igitur paupertatem meam, mirantem, non migrantem in abundantiam tuam, suspicientem non suscipientem scientiam tuam. Confortata est, et non possum ad eam. Quanta enim putas profunditate, caligine, obscuritate reconda-

A tur : « Corpus est vivens, anima viva, Deus vita? » Demum abyssus abyssum invocat. Vivens, inquis, ex vanitate, vivum ex simplicitate, vita ex unitate. Hic, hic tenebræ, hic umbra ex nube, nubilosus aer in meridie. Sed quæ culpa solis, si non illuminor privatus oculis? O dignum, fortasse inquis, risu hominem, qui diem noctem, umbram lucem, tenebras autumat solem? Neque, inquam, solem, neque diem, neque lucem, sed plane palpabilem offendo obscuritatem. Cum enim corpus ab anima, animam a Deo, Deum vitam habere a semetipso irrefragabiliter credatur, nonne etsi rusticius, tamen verius diceretur, corpus vivificatum ab anima, animam vivificatam a Deo, et vivificantem corpus, Deum omnia viventia vivificantem, in se et ex se vivum et viventem? Sed

B rursum quid est corpus vivens ex vanitate? *Corpus*, inquit Apostolus, *mortuum est propter peccatum* (*Rom.* VIII). Quod ergo Apostolus mortuum vocat propter peccatum, tu vivens dicis ex vanitate? Annon vanitas peccatum? An idem simplici sensu intellectum operatur mortem et vitam? Odit Deus observantes vanitatem. Dilectio autem Dei vivificat, odium mortificat. Non ergo est aliquid vivens ex vanitate, sed ex veritate. Quod factum est in illo, id est, Verbo veritatis, vita erat. In se et ex se profecto creatura nulla terrestris vel supercœlestis vita est, cum tamen in illo universa sive vivens, sive vita carens, vitam suam habeat.

Addis vivum, id est animam ex simplicitate, vi-

C tam, id est Deum ex unitate. Istis non sic in spiritu vehementi offendor, sed nec penitus assentio. Nam anima ex unitate immortali et indissolubili, sicut et Deus suo singulari et alio modo immortalis est et indissolubilis, ex nihilo creata esse creditur. Idcirco namque ad imaginem et similitudinem suam creavit eam Deus. Per hoc etiam quod per omnes particulas corporis tota simul adest, nec minor in minoribus, nec in majoribus major, sed tamen, ut Augustinus testatur, in aliis intensius, in aliis remissius effectus suos exercet, cum in singulis particulis corporis essentialiter sit, unitati magis quam simplicitati obnoxia perpenditur. Omnis enim res simpliciter simplex, una et unum est. Non autem si una, statim et simplex. Unde dicitur Deus sim-

D plex, non ob aliud, teste Isidoro, nisi quia non est aliud ipse, et aliud quod in ipso est. Rem vero unam convenientia duo simul vel plura aliquando faciunt, ut unum corpus constans ex quatuor elementis. Anima itaque quamvis diversarum compactionem partium in sui confectionem non recipiat, quia tamen aliud ipsa et aliud in ipsa est, secundum auctoritatem prælatam, potius unitate, quam ex simplicitate convenit ei esse. Hac etiam eadem rationis demonstratione Deus ex simplicitate dicitur magis proprie, cum pene nihil aut prorsus nihil de eo dicatur, nisi improprie. Quid enim est quod dicitur Deus ex unitate vel ex simplicitate, nisi Deus ex Deo, Pater scilicet a semetipso, Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre et Filio? An desipit ita

quispiam, ut participatione simplicitatis simplicem, A participatione unitatis unum, participatione bonitatis bonum existimet Deum, sicut sapiens participatione sapientiæ efficitur homo, et cætera hujusmodi? Quidquid in Deo est, Deus est; sapientia in Deo est, et Deus sapientia est; potentia in Deo est, et Deus potentia est; bonitas in Deo est, et Deus bonitas est. Non magis ergo Deus ex unitate, quam ex simplicitate. Jam extorsissem digitis stylum, et ori meo imperassem tempestivum silentium, si non decrevissem exspirare hic quidquid de amico remordet animum. Durius siquidem pungitur cor meum, dum uspiam pingitur Filius medius inter Patrem et Spiritum. Prorsus idolum abominationis conflaret, qui sculptile quodlibet sic sculperet vel depingeret. Consubstantialitas enim, coæternitas, B cæqualitas unius Trinitatis et trinæ unitatis, Patris, ac Filii, ac Spiritus sancti, non recipit prius ac posterius, majus et minus, inferius et superius; sed totus Pater in toto Filio, totus Filius in toto Patre, totus Spiritus sanctus sigillatim et communiter in unoquoque et in utroque simul. Hæc sancta et semper cum tremore nominanda Trinitas, ubique tota per essentiam et potentiam, non per gratiam diffusa, non spatiosa magnitudine, quemadmodum lux visibilis, vel aliud visibile, sed sicut sapientia in homine. Vides enim duos homines, unum parvum et alium magnum corpore, in sapientiæ tamen participatione æquales esse. Sic divina essentia uniformis et uniusmodi est et in C maximis et in minimis. Sicut denique incomprehensibilis pro sui immensitate, sic etiam indivisibilis pro sui simplicitate. *Intelligamus*, inquit Augustinus contra Arium, *Deum quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine commutatione mutabilia facientem, nihil patientem.* Juras, credo, sic te nec aliter credere vel credidisse. Protestor et ipse in fide mea, si lingua quia in udo est erravit, corde sic tenuisse. Simplex enim res refugit et respuit omnem adjunctionem, omne consortium. Ne diu tamen a cogitationibus conturberis, revolvens ubi hoc dixeris, in sermone de sancto Victore scribis: Ubique autem est in medio. Nam D et in illa deitatis essentia est medius Filius inter Patrem et Spiritum. Meminisse debes nunc, quia mediator unius non est: Deus autem unus est, Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Quod si creatum, non increatum spiritum, ideo quia sanctum non subjunxisti, intelligendum aliquis æstimat: regulam Hieronymi de significatione hujus nominis penitus ignorat: *Ubi*, inquit, *Spiritus sine adjunctione aliqua in Scripturis ponitur, Spiritus sanctus recte intelligitur.* Si autem intellector jam dictus de creato spiritu dictum prorsus contenderit, nec minor abusio, quam de increato superius ostensum est, remanebit. Qui enim pugillo concludens omnia, extra et intra, infra et supra est, qua ratione medius dicatur, qui comprehendat nemo est. Clamitas, totum me effudisse spiritum meum. Quidni? Cum tibi effundo, non effundo, sed infundo (76).

EPISTOLA LXV (77).

NICOLAI AD PETRUM, DE MATERIA PRÆDICTA NIHIL AFFIRMANS.

Suo Cellensi, suus Clarevallensis, quod suus.

Anxietatem mihi generat, et scribere et non scribere vobis: in altero læditur amicitia, in altero propria conscientia. Illud quippe contra propositum, istud contra affectum est, monachi namque est non scribere, sed lugere, amici vero et loqui, et frequentibus epistolis interludere, ne muta charitas repræsentet speciem non amantis. In has igitur rerum angustias incidit amicus vester; et sic verbis indicare gestiens, et loqui æstuat, et veretur. Æstuat ut se aperiat, veretur ne præsumat. Timet, si loquitur, improbus; si taceat, alienus. Quis ergo vincet monachus, vel amicus? Amor: qui nescit vinci, vincere consuevit et facile triumphabit de homine, qui de cœlorum Domino triumphavit; et de illo quidem tanto facilius, quanto non solum amans sed et ipse amor est, cujus altitudo adæquata est, cujus singularitas associata est, cujus plenitudo effusa est, ipsos angelos vincens in ministrando. Denique, qui erat super illos, factus est inter illos quasi unus ex illis, imo magis sub illis minoratus ab angelis, hominibus subditus, novissimus virorum, vir dolorum, sciens infirmitates, et qui disceret obedientiam ex his quæ passus est. Judicabunt alii, prout volverint: ego malo in verbis excedere, quam vobis non satisfacere, et esse verbosus amicus, quam languidus: Unde ergo incipiam? A litteris vestris quæ non modicum hospitaverunt apud me; quæ floridioris eloquentiæ, et profundioris scientiæ dotibus rutilantes percusserunt me, et vulneraverunt me nihil minus sperantem. In simplicitate siquidem cordis mei scripseram vobis, utpote homo simplex et domi habitans; vos autem tam verborum venator, quam sensuum, et conclusum retibus, et percussum venabulo credidistis, utinam possemus dicere, frustra jacitur rete ante oculos pennatorum; nam repercutere etiamsi

JACOBI SIRMONDI NOTÆ

(76) Alias hæc epistola, quæ est inter Nicolai Clarevallensis litteras ordine 54 (*Biblioth. Patr. Lug.*, XXIII, 547), sic desinit: *Qui enim pugillo concludens omnia extra et intra, infra et supra, qua ratione medius dicatur, qui comprehendat nemo est, in carnis quoque assumptione Filius inter Patrem et Spiritum nullo modo medius, sed inter hominem et Deum dicatur et credatur, unde et mediator dicitur; sed de his hactenus. Audio nempe te intra fauces clamitantem et mussitantem: Utquid hæc effusio verborum? Prorsus effudi tibi animam meam, dimidium animæ meæ. Vale. Priorem dominum meum Henricum, Ascelinum, Guillelmum, Robertum, Hugonem scriptorem tuum, et Thomam et cæteros amicos nominatim salutа. Ignosce mihi.* EDIT. PATR.

(77) Nova.

valerem, non vellem, sed fortassis aut excla ia is aut cogitatis! O longa præmeditatio! o sensus exquisiti! o verba vigilata! quæ et ingenii viribus et eloquii floribus debeant insigniri. Non ego id mihi adrogaverim, cum utrumque veraciter desit mihi, nec mihi super hoc hactenus cogitavi, testimonium mihi perhibente conscientia mea. Negotiosus enim sum non otiosus; homo sub potestate, cui dicitur : *Veni, et venit;* et iterum : *Vade, et vadit* (*Matth.* VIII), ingrediens ad arbitrium imperantis. Vix enim et hac vice negotiis occursantibus me furari prævalui, quæsitus, sed non inventus.

Absconderam enim me a facie quærentium me in loco secretissimo et remoto, hic autem brevibus et interruptis spatiolis, ut hoc magis dicerem quam dictarem.

Prætermitto igitur respondere proœmio vestro; quod nunc ungens laudibus, nunc ictibus pungens nervoso dictamine vires orationis alternat, nisi quod in finem, quidquid obduxerat, eduxit in lucem. Ait enim, verba prioris epistolæ nostræ revolvendo collidens : *Quanta putas profunditate, caligine, obscuritate, reconditum involvatur : corpus est vivens, anima viva, Deus vita? Deinde abyssus abyssum invocat. Vivens, inquis, ex vanitate, vivum ex simplicitate, vita ex unitate, hic, hic, tenebræ, hic umbra ex nube, nubilosus aer in meridie. Hic neque solem, neque lucem, neque diem intueor, sed plane palpabilem obscuritatem.* Hæc verba vestra sunt de nostris quidem su i pta non ad propugnandum, sed ad impugnandum. Vestrum autem fuit, dilecte mi, singula verba suo pondere librare, antequam de verbis sententiam proferretis, et diligenter inquirere, utrum meum commentum an documentum esset altius, quod repelli vel refelli non posset. Habeo mecum plenam subtilitatis et sanctitatis animam, et quæ fronte non nomine solo præmineat, quam in auctoritatis arcem, tam scholasticorum quam ecclesiasticorum chorus evexit. Claudianus hic est (77*), qui totam Christianam, Romanam, Atticam Bibliothecam in viridi ævo secretissimis institutionibus ebibens, et ingenii acumine et operis mole pene nobis alterum reddidit Augustinum. Hic est enim de quo Romana Gymnasia, et auditoria Gallicana in hæc verba testimonium perhibent : *Cum venissemus ante eum, quidquid dixerat, reluctantium syllogismorum contrarietate excipiebamus : sed ipse omnes conatus nostros sicut aranearum fila rumpebat prævolanti ingenio, ipsa verborum principia eludens : homo enim erat, hominum, ævi, loci, populi sui ingeniosissimus, et nemo nostro sæculo, quæ voluit, affirmare sic valuit.* Ait ergo iste lib. III (cap. 7) de animæ statu, de rerum principiis ita loquens : *Sicut informis materia, quia formabilis est, præstat nihilo; ita quod jam formatum est, melius est illo, quod etsi formari potest, formatum non est. Itemque sicut id quod formatum est, anteit illud quod formatum non est, ita inanimum quodcunque formatum, cedit illi quod et formatum pariter est et animatum, quia sicut formatum proximat formæ, sic animatum proximat vitæ. Sicut autem tria sunt, informis materia, formatum exanime, rerum forma : sic item tria sunt vivificatum, vivificans, vita : corpus est vivens, anima viva, Deus vita.* Hic, hic inspicite, quid dixeritis, qui contradixeritis quia puto quod pro me faciat et satisfaciat Claudianus; quod autem sequitur, *vivens ex vanitate, vivum ex simplicitate, vita ex unitate*, verba mea sunt et tanto fortius munienda, quanto persona, quæ loquitur, et auctoritate caret, et nomine, *vivens ex vanitate*, vivens corpus est, quod et vivificatum vocat auctoritas Claudiani.

Audite igitur, *vanitas vanitatum* (dixit Ecclesiastes (cap. I) *et omnia vanitas*. Si omnia vanitas » et corpus vel ex omnibus, vel ex aliquo omnium est, ergo corpus vanitas est, *universa vanitas omnis homo vivens*, ait sanctus David (*Psal.* XXXVIII). Quod moritur, ipsum est quod vivit; quod ut vivat nascitur : vivit, ut moriatur. Quid enim moritur, nisi quod vita privatur? Ipsum est, quod moritur in homine, quod a vita exstinguitur : et quid hoc est, nisi corpus et corporeus sensus : ipsum enim prius animale ex quo ipsum animal est, ut cum sensibile esse desinit, desinit esse sensus. Ergo quod moritur in homine, ipsum est quod vivit in homine; quod ideo vanitas, quia mortalitas est, igitur universa vanitas, omnis homo vivens, non omnis homo vita, sed omnis homo vivens. Nam et vita quodammodo homo est, et vivens homo est vita in eo quod vivificat, vivens in eo quod vivificatur, vivit autem caro ex anima et anima in carne : et utrumque vivit, differentia tamen multa est, quia caro ex anima totum habet quod vivit, anima in carne non totum habet quod vivit. Nam vivit etiam in Deo, et utinam vivat! Quod vivit in carne, vanum est, quia ex vanitate. Quod autem Apostolus *corpus mortuum* dicit, *propter peccatum* (*Rom.* VIII), nisi facit quia et hoc expressissima vanitas est. Mortuum vero dicit, id est moriturum ea locutionis regula, qua dictum est : *Quacunque die comederitis, moriemini* (*Gen.* I), non quod ea die mortui fuerint, sed quod inconvertibilem acceperint moriendi necessitatem. Quomodo enim verum esset, et corpus mortuum, et homo vivens : illud Apostoli, istud Psalmistæ : nisi utrumque sub sensu tam subtili, quam utili Augustini sententia copularet? Ad quid ergo tota illa verborum instans constantia, vel constans instantia, qua subvertere nitimini amicum vestrum. Dicitis enim : Quid est corpus vivens ex vanitate? *Corpus*, inquit Apostolus, *mortuum est propter peccatum* (*Rom.* VIII). Quod ergo Apostolus mortuum vocat propter peccatum, tu vivens dicis ex vanitate? Annon vanitas peccatum? An idem sensu simplici intellectum operatur, et mortem et vitam? Odit Deus observantes

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(77*) Cognomento *Mamertus* Viennæ Galliarum episcopus, claruit anno 440.

vanitatem; dilectio autem Dei vivificat, odium mortificat; non est ergo aliquid vivens ex vanitate? Vos videte, quid concluseritis. Utrum autem hæc aliquantulum impugnata, ne dicam expugnata, vestro ipsius judicio derelinquo. Subjungitis autem : *Dicitis iterum, vivum, id est animam ex simplicitate; vitam, id est Deum ex unitate.* Istis non sic in spiritu vehementi offendor; nec tamen penitus assentior. Nam anima unitati magis quam simplicitati obnoxia esse perpenditur. Omnis enim res simpliciter simplex et unum et una est, non autem si una, statim et simplex. Si qua enim res simplex est, respuit et refugit prorsus omnem admistionem et consortium. Res vero una, duo simul vel plura convenientia aliquando in sese recipiendo convertit, ut unde fit, et post pauca : *Quid est ergo quod Deus dicitur ex unitate, vel ex simplicitate nisi Deus ex Deo, Pater a Filio, Filius a Patre, Spiritus sanctus a Patre et Filio? An desipit ita quispiam ut participatione simplicitatis, simplicem; bonitatis bonum; unitatis, unum existimet Deum? Bonitas in Deo est, et Deus bonitas est, non magis ergo Deus ex unitate quam ex simplicitate.* Hucusque verba vestra : intersecui autem medium epistolæ, illa colligens, et eligens quibus fuerat respondendum.

Quod enim longius progredior, non solum vestrorum argumentatio, sed et nostrorum qualiscunque probatio cogit. Neque enim verbum verbo reddere possum, quia non idem negotii est calumniam struere, quod destruere. Neque enim idem est spinas vellere, quod frugem jacere : et multo major opera in utroque horum insumenda est quam in altero. Neget quispiam mundum sphæram esse, quod uno verbo negari a qualicunque potest, neque uno id verbo Aristoteles astruxerit. Quid igitur dicetis, quia quod dico vivum ex simplicitate, vitam ex unitate, non sic offendimini nec tamen penitus assentimini? Mirum est. Gratias enim gratiæ vestræ, quia verba vestra vel ex parte recipitis; receditis autem in omnibus a Claudiano, cum dico vitam ex unitate nec pauperrimus sensus intelligit, ut subsit vel præsit Deus unitati suæ vel bonitati, atque illi unitas, non essentia sit, neque ipse sit unitas sua, sed in illo sit tanquam in subjecto. Non est enim aliud essentia Dei, et aliud ipse, quia hoc est illi esse, quod personam esse. Illi namque uni unitati non formabile aliquid vel formatum vel reformatum est, sed forma neque informis neque formata ipsa sibi est æterna immutabilisque substantia; illud autem quod proponitis quia omnis res quæ simpliciter simplex est, et unum et una est, aut non intelligo, quod magis puto, aut vos minus attenditis, quod ego non credo. Non enim aliqua res simpliciter simplex est, nisi illa una sola et summa res, si tamen res, et non eorum [rerum] omnium causa; si tamen et causa, quia non facile invenitur nomen, quod illi singulari excellentiæ possit aptari, corpus enim multiplex est, quod notissimum est etiam minus intelligenti. Anima vero comparatione corporis, simplex est, sed per se nullo modo (78). Habet enim varietatem cogitationum, et mutabilitatem affectuum. Nihil autem mutabile simplex est; sed et supercœlestes spiritus fortassis his carent; non tamen simplices sunt; quia aliud est, quo sunt, aliud quod sunt, aliud quoque quo beati sunt ad imitationem simplicitatis participando eos gratia redegit, non natura. Si igitur neque corporeum neque incorporeum aliquid simplex est, ut non collidam ad invicem rationes, videte quod dixeratis : *omnis res, quæ simpliciter simplex est, et unum et una est*, cum hæc nulla res sit. Quod vero prosequimini rem simplicem refugere et respuere omnem prorsus admistionem et consortium; rem autem unam, duo simul, vel plura convenientia aliquando in se recipere et convertere ut unum sint; hoc autem in contrarium relabi puto. Ista enim, quæ quodammodo simplicia dicuntur, consortium, vel admistionem recipiunt : quod autem unum est, horum omnium expers est et immune. Nam et animæ (utinam non cum tanta mistura) corporibus conglutinantur; et angeli, vel naturalia corpora habent, vel ex aere, vel in aere ea induunt cum mittuntur. Quod ideo dico, quia videntur hoc Patres sub ambiguo reliquisse. Neque nunc opponatis mihi incarnationem Filii Dei, quia alia est illa ratio (si tamen ratio, et non potius dignatio) nec hujus temporis, vel operis est hanc in disputationem assumere : quæ enim juxta rationem probabilia, ex ratione necessaria, contra rationem incredibilia, supra rationem mirabilia, quæ scrutari non liceat, sed mirari. Non est autem vere unum, nisi quod essentialiter et immutabiliter unum est increabile, invariabile, interminabile, quod nec ad *fuit*, præciditur; nec ab *erit* expungitur, cui solum et inexpugnabile remanet, EST : *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I), cui veraciter dicitur : *Neque enim est alius extra te* (*I Reg.* II, 2). Quare autem specialiter unitatem assignaverim Deo, factum est propter specialissimam numerorum similitudinem, quæ omnibus similitu-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(78) Origenes homil. 11, in Canticis canticorum scribit animam debere disquirere, num sint aliqui spiritus ejusdem substantiæ cum ipsa, alii vero non diversi; at I. 11, περὶ ἀρχῶν vult esse corporibus tenuissimis. Itidem S. August. pluribus in locis. Lactant. Hil. Basil. necnon S. Bern. serm. 5 in Cant. cant. et alii relati a Sixto Sent. tom. II Bibli. sanctæ annot. 8, sed generale concilium Lateranense, ut sileam plerosque et antiquos theologos, habitum anno 1215, relatum cap. firmiter de summa Trinitate definivit esse incorporeos; sed ex Luc. VIII constat in uno eodemque homine fuisse legionem dæmonum, hoc est sex millia, ut Veget. I. II de re milit. c. 11, supputat, quæ si habuissent corpora, non potuissent esse in eodem homine sine penetratione, ne præteream Christum dicentem discipulis : Spiritus carnem et ossa non habet.

dinibus antecellit, cum enim omne numerabile per numeros numeretur, ipsi numeri numerari non possunt. Nam quis, non dicam eloqui, sed cogitare digne sufficiat quod cum numerus ex uno et per unum et in uno sit : ipse tamen principium vel finem habere non possit? Sed enim unum dixerimus unius esse principium; ipsius unius, quod ostendis esse principium : ecce habetis principium numeri sine principio, ut ex ipso sit numerus. Jam vero si numerare velitis, adjicitis unum uni, ut fiant duo; et unum duobus ut fiant tria; et unum tribus, ut quatuor; et deinceps quoties unum multiplicaveritis, toties quasi multi singuli in summa dicuntur ut decies ducti decem : vicies, viginti; et centies, centum; et millies, mille nominentur, ut agnoscatis omnem numerum sicut per unum esse, ita ex uno procedere. Illud vero clarissime patet ad finem numeri, qui nullus est, omnino veniri non posse, quia trans omnem numerum, qui ex uno, per unum, et in uno est, semper unus est; tria tamen ista sunt cum divinis ex uno, et per unum, et in uno pariter æterna, pariter æquiterna, pariter illocalia, ubique tota, eodem infinito semper æqualia, quia nullum vere unum majus, unumve minus est. Hæc sunt numerorum inchoantia, ducentia, præfinientia, ipsa nec inchoata, nec numerata, nec finita, credo, quia sapientiæ Dei non est numerus (*Psal.* CXLVI). Nam cum ex uno et per unum, et in uno sit numerus, nec numerari nisi trifariam possit, ut per eumdem numerum ordiamur, numeros finiamus : ipse est ternarius totus, per quem omnis numerus, ubi et una trinitas et trina unitas indissolubiliter regnat; respicite igitur si possit similis similitudo reperiri : etsi non inveneritis, non inferatis Deum magis ex simplicitate proprie esse quam ex unitate, non tamen me fugit illa profundissima Platonis ratio, quæ de intimis philosophiæ disciplinis elicita μονάδα, id est unitatem, animæ; corpori vero δυάδα, id est dualitatem lucidissimis numerorum exemplis assignat. Dicit enim : *Duc ter unum, et fiunt tria; duc ter tria, et fiunt novem. Duc ter novem, fiunt viginti septem. Duc ter viginti septem, fiunt octoginta unum.*

Ecce tibi in quarto gradu unitas prima occurrit. Idemque eveniet si usque ad infinitum duxeris multiplicationem, ut semper in quarto gradu unitas emineat; rectissime autem essentia animæ, unitate exprimitur, quæ ipsa quoque incorporea est. Ternarius quoque propter indissolubile mediæ unitatis vinculum, congrue refertur ad animam, sicut quaternarius, quia duo media habet, ideoque indissolubilis est, proprie ad corpus pertinet. Prima igitur progressio animæ, qua de simplici essentia sua, quæ monade figuratur, in virtualem ternarium se extendit : ubi jam per concupiscentiam aliud appetat, aliud per iram contemnat : per rationem, inter utrumque discernat. Et recte a monade in triadem profluit, quia omnis essentia naturaliter prior est potentia sua. Rursum quod eadem in multiplicante ternario ter invenitur, hoc significat quod anima non per partes, sed tota in singulis suis potentiis consistat. Neque enim vel rationem solam, vel iram solam vel concupiscentiam solam tertiam partem animæ dicere possumus : cum nec aliud nec minus sit in substantia ratio quam anima; nec aliud, nec minus ira quam anima, sed una eademque substantia secundum diversas potentias suas, diversa vocabula sortiuntur. Deinde a victuali ternario, secunda progressione ad regendam humani corporis musicam descendit, quæ novenario componitur, quia novem sunt foramina in humano corpore, quibus secundum naturalem contemperantiam influit et effluit omne, quo idem corpus vegetatur et regitur. Hic quoque ordo est : quia prius naturaliter anima potentias suas habet, quam corpori commisceatur, postea vero in tertia progressione persensus jam extra se perfusa ad visibilia hæc quæ per viginti septem, qui solidus numerus est, et trina dimensione ad similitudinem corporis extenditur, figurantur dispensanda, per infinitas actiones dissipatur. In quarta autem progressione soluta a corpore ad unitatem suam, quæ de vera illa unitate descendit, revertitur : ideoque in quarta multiplicatione, ubi ter viginti septem in octoginta unum excrevit, monas in summo apparet, ut evidenter clareat, quod anima post hujus vitæ terminum, qui per octoginta designatur, ad simplicem suæ substantiam unitatis redeat, a qua prius discesserat, cum ad humanum corpus regendum descendebat. Non latuit hoc et philosophum nostrum (78*), David, qui metam humanæ vitæ constituit in octoginta annis. Si in valetudine octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor, jam corpori quoque suum assignat quaternium sicut μονὰς, ait, animæ, ita δυὰς quoque corpori congruit. Dic enim bis duo, fiunt quatuor; dic bis quatuor, fiunt octo; dic bis octo, fiunt sexdecim; dic bis sexdecim, fiunt triginta duo. Hic in quarto loco similiter idem numerus 1, binarius, a quo multiplicatio initium sumpsit, tibi occurret : idemque si in infinitum processeris, indubitanter continget, ut semper quarto gradu binarius emineat; et hic est quaternarius corporis, in quo intelligi datur, omne quod a solubilibus compositionem accepit, ipsum quoque esse dissolubile. Hæc idcirco de tanti philosophi assertionibus posui, ut agnoscatis, primitivam illam, quæ in primævâ rerum ratione est, veram unitatem non aliquam deducti-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(78*) Imo S. Mosen qui, teste S. Hieron. epist. 140, ad Cyprianum presb., præter Pentateuchum scripsit psalmos XI, ab octogesimo nono, usque ad nonagesimum nonum. Quod autem in plerisque codicibus nonagesimus octavus habet titulum : *Psalmus David*, non tamen ejus esse clamitat Hebr. Psalt. carens hac epigraphe; quia mos hic in scripturis servatur, ut omnes Psalmi, qui sui trunci sunt auctoris nomine, deputentur iis, quorum in proximis Psalmis apparuere nomina.

vam; nec etiam illam, quæ signaculum similitudinis appellatur, in qua prima unitatis inclinatur deductio. Quod autem pungimini, et compungimini me dixisse (79) Filium medium inter Patrem et Spiritum, nequaquam vos tam acerrime conturbasset, si verba sequentia legissetis, quia sensus manifeste se legentibus offert, medium enim dixi inter Patrem et Spiritum, quantum ad vocabulorum differentiam, non quantum ad substantiam indivisam, ubi nulli gradus, nulla tempora, nullæ distinctiones possunt excogitari. Sic enim nos consuevimus dicere : Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : unde et versiculum Psalmi ad hanc expositionem inflexi : *Benedicat nos Deus, Deus noster : benedicat nos Deus* (*Psal.* LXVI); illic ubi *noster* adjungitur, interpretans Filii personam, quæ quippe nostra est, quia in sua proprietate nostræ carnis paupertatem accepit, sed jam nimis evagatur amicus, amicorum dulcissime; et dum nihil monacho sui juris relinquit, delinquit. Verumtamen quis ego sum, qui tanto nomini vel homini ausus sum respondere? Nimirum ille suus, et specialiter suus et ipse amicus meus non tam dimidium, sed melior pars animæ meæ, nihil enim ab altero divisum, nihil alteri singulare, et meam bene reget imperitiam, qui me diligit ut animam suam; apud quem malui de verecundia, quam de amicitia periclitari. Tu autem, dilecte mi, claude epistolam nisi tibi et Thomæ tuo, nec me perducas in publicum, qui secretum professus sum, dignus latebris et omni solitudine in æternum et in sæculum sæculi. Propterea enim hæc propriis manibus scripsi, cum nimia vertigine capitis fatigarer, nec etiam familiarissimos familiarium meorum admisi, ne forte vel ad curiositatem vel ad suspicionem juveniles et ferventes animos mutarem. Absit enim ut alteri cuiquam sic effunderem etiam meam nisi tibi; tibi, inquam, soli, cui debeo quidquid sum, quidquid facere possum in Christo Jesu Domino nostro!

EPISTOLA LXVI.

AD NICOLAUM CLAREVALLENSEM MONACHUM.

[IV, 1.] Suo suus.

Ut perniciosum optimis telum invidiam nostra proscribat epistola, communis exorat charitas. Satis namque superque quod mihi scripsisti dulce, utile et honestum fuit. Quid enim dulcius amore? Quid utilius divinarum et humanarum rerum subtili et compendiosa descriptione? Ista procul dubio continent epistolæ tuæ principia, media et ultima. Quid honestius morum salubri informatione? His nostrum torpens ingenium excitasti, causam non cunctandi de sæcularibus parumper præbuisti ac otiosæ sollicitudinis vela relaxasti. Sic irrigant, inebriant et tranquillant scripta tua, dulcissime, animam meam. Sterilitati denique ubertate, tumultuositati libera pausatione, occupationum insolentiæ renuntians ad remotiora secessione, Nicolai mei hoc agi contestor scriptitatione. Deficiente ergo spiritu, manu trepidante, repugnante ingenio, grandiora præsumo, prætento fortiora, vix explicabilia arripio. Utrinque enim spiritu vehementi ex quatuor ventis conglobato, cujus spei robore floris teneritudo non evanescat, pulchritudo non deficiat, viror non emarcescat? Infidum est irato obviare leoni; stultum nihilominus emissam non declinare sagittam. Omnis armatura fortium tuis militat castris. Itaque congredi timeo. Nam cum propria satis armatura triumphare posses, quorumcunque etiam potentissimorum arma mutuasti, ut supervinceres. Solo clypeorum aureorum fulgore dejicior. Exclamo tamen : Pone non tua. Nam plurimum intererit, utrum majestate irrefragabili auctoritatis philosophorum, an propriarum rationum et sententiarum conspicuitate castra nostra poteris debellare. Tibi an illis deputetur victoria, cum sine discriminis examinatione illorum vestigiis procumbam volens, contra te autem arma, sed pacis, feram, statim elucescet. Quid enim? falsa sint philosophorum inattingibilia acumina, cum ingeniorum nostrorum vis sola quæritur, quid nostra interest? Prorsus eorum cedo auctoritati. Non sic vero, non sic subfugiet pupillam oculi mei quod egressum fuerit de labiis tuis. Jure suo privari se amicitia aliter conquereretur, nisi res amicorum æquo libramine discuteretur, Decursis itaque et discussis vernantis eloquentiæ tuæ sermonibus et sensibus, iterum iterumque tua revolvens et mea evolvere gestiens, timeo sub luce videri. Quid ergo? Periculum experiar? sed non in filia [*f.* fidelia] [inutilia] Loquar? sed utinam non inania! Reprehendam, sed amici superflua. Laudabo? sed philosophorum ingenia. Hinc tamen non progrediar, nisi prius data manu initum fuerit pactum, prorsus nequaquam irasci pro aliqua contumelia. Ingrediens itaque aggrediar, non veritatis domicilia subvertere, sed amici, si qua est, propriam de præjacentibus verborum diversitatibus calumniam arguere, et quibus potero auctoritatum rationibus refellere. Video autem in vestibulo et in fronte epistolæ tuæ quod nimia formositate sui curiositatem oculorum meorum sic allicit, ut vix eos ejicere et elicere valeam. Est enim quiddam, cujus nomen super omne nomen, cujus forma formosior omni forma, cujus statura et altitudo a fine superioris cœli usque ad finem inferioris inferni. Imago est inimitabiliter nata, non facta. Unus est qui hanc de corde suo excogitavit et eructavit, non artifex hujus, sed omnium, hujus autem pater. Huic conformari est reformari. Hanc loquentem et se exprimentem, aptis coloribus renitentem, sceptro imperiali cuncta regentem, cœlicolas cum terrigenis in brachiis conjungentem inveni, adoravi et tenui. Decor ejus inæstimabilis, dulcedo insatiabilis, claritas inaccessibilis. Tam suave loqui

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(79) Post medium antecedentis epist.

de illa, quam admirabile amplecti illam. Ad hanc qui accedit, aut vix, aut nunquam recedit. Oculus non satiatur visu, nec auris auditu. *Qui edunt, adhuc esurient*, etc. (*Eccli.* XXIV). Hæc osculata est me osculo oris sui (*Cant.* I). Hæc digito manus suæ tenens animam meam voce propria, ne declinarem ab ea. Hujusmodi attractus et delinitus blanditiis, an ulterius progrediendum sit hæsito. Bonum enim est hic esse. Tandem vero innuente et annuente ut irem non discedens, redirem permanens, aliam vidi visionem. Rubus ardens in interiora deserti apparuit. Suspensus intenta cogitatione : Num, inquam, sicut Moysi rubus ardebat et non consumebatur, sic mens iste reddit splendorem lucentem, non calorem urentem? Amici enim increpatio, grata potius correptio est, quam molesta exustio. Est autem. Vos venator tam verborum quam sensuum, et conclusum retibus et percussum venabulo credidistis. Hic enim rubus ruborem ingerens, sed perfectæ et solidæ charitatis robur nescienti. Oculus pupilli pungeretur, vel etiam compungeretur, si spina hujusmodi configeretur. Non vero contingat hoc oculo charitatis, cujus solius est colligere, imo producere rosam de spinis. Sic Jesus de spina passionis rosam protulit redemptionis. Annon ejus imitatione et tu reddis bona pro malis, qui mollia duris, dulcia amaris, vera retribuis vanis? Revera tu simplex et domi habitans, ut dicis, in simplicitate cordis tui scripsisti.

Animadverto igitur ad thronum gratiæ miro pennarum juvamine te convolasse, et ibi, quia citra non reperisti, simpliciter simplicem Deum didicisse. Quæro itaque, anne simplicitatem tuam ab illo fonte reportaveris, et utrum tantum transeundo, quantum cœlicolæ manendo et stando exhauseris. Quod si fieri non potuit, constat non injuriose inæstimabiliter illorum tuam præcellere simplicitatem, sicut et beatitudinem. Animam siquidem humanam naturaliter simplicem, angelorum vero naturam, etiam simpliciter simplicem indubitabili fide credo et confiteor. Quod ut evidentius appareat, nostra de simplicitate et tua sub oculis compendiosa adnotatione volo colligere. Dixi, quia omnis res simpliciter simplex una et unum est. Non autem si una, statim et simplex. Simplex enim respuit et refugit omnem prorsus admistionem. Rem vero unam convenientia duo simul, vel plura aliquando faciunt, ut unum corpus constans ex quatuor elementis. Ista, inquis, aut non intelligo, aut vos minus attenditis. Malo me minus intendere, quam te non intelligere. Tamen parumper attende, et de simplicitate si male sensi, quia cœpisti, iterum corrige. Interim ipse ut decet consignatam tuis exhibens reverentiam sensibus et sermonibus, meos, et si non verba sensus vallo veritatis communiam fortius. Omne igitur quod est, aut simplex, aut compositum est. Compositum autem aut substantiale, aut partiale. Substantiale, veluti cum una substantia alii substantiæ jungitur; partiale, cum unius substantiæ partes conjunguntur. Hoc autem compositum superiori simplicius est. Illud vero ex toto et naturaliter dicitur simplum, quod caret et substantiali et partiali compositione. Anima itaque, quia neque diversarum substantiarum, neque ejusdem substantiæ diversarum partium in se suscipit conjunctionem, naturaliter est simplex. Non enim ex prius existente aliqua materia creata est, ut respectu materiei suæ composita dici possit, sicut in omni corpore id quod factum est dicitur respectu illius quod de eo factum est, simplum; sed de nihilo facta catholice creditur. Angelica vero natura quia hoc habet amplius, quod nullis subjacet corruptionibus, quemadmodum anima ex conjunctione corporis, liberius evolat ad secretissimos simplicitatis recessus. In hoc etiam fere omnes philosophi, consentiunt, quod principium rerum est perfecta sapientia, lumen præclarum, substantia substantiarum, argumentum rerum universarum. Id autem unum et simplex, cujus simplicitas confert, non aufert simplicitatem. Neque enim creaturæ suæ suam invidit simplicitatem, cui suam non negavit imaginem. Eo igitur in arce veræ et summæ simplicitatis illocaliter locato, rationalis participat creatura. Fiunt autem magis et minus simplicia magis et minus eo participantia. Ideo namque simplex, imo simplicitas simplicium, sicut Deus deorum, in simplicitate jubet se quærere, cum simplicibus se dicit ambulare. Dat autem invenire et habere, si quæratur quomodo jubet quærere. Aliter quærentibus, *quæretis*, inquit, *me et non invenietis* (*Joan.* VII), quia itaque nisi in simplicitate non invenitur, simplicitate autem simplicem fieri non dubitatur, quicunque eum per simplicitatem invenerit, participatione ejusdem simplicitatis simplicior efficitur. Inæquali autem proportione participantes inæqualiter inveniuntur simplices. Ipsa autem simplicitas in se vera et summa est unitas. Sciendum vero quia sicut aliud est participans, aliud participatum; sic etiam aliud simplex, aliud simplicitas. Nec habet lingua et ratio hominis, nescio si angeli, idem esse simplex et simplicitatem, sicut nec album et albedinem. Noli, noli simplicitati nostræ, imo tuæ risum insimulare. De Deo enim nihil habes opponere, cum quidquid ipse est legatur omnem sensum transcendere. Tamen quod bonus, quod pius, quod justus, quod simplex dicitur, figurativa locutione accipitur. Ut enim Plato ait : *Deum invenire difficile est, inventum digne profari impossibile.* Nulla certe oratione, vel orationis parte, Deum potest aliquis describere, vel definire. Itaque de Deo nulla fiat oppositio, qui ipse est omnium conclusio, nihilominus et exclusio. Ex ejus stabili simplicitate sortitur ordinem, causas et formas, ut Boetius testatur, omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo

modo movetur. Ejus natura in sua simplicitatis arce composita, regendi multiplicem modum statuit. Potius ergo bonitas ipse, et participatione ejus creatura bona, potius pietas ipse, et consortio pietatis creatura pia, potius denique simplicitas, et possessione simplicitatis dicatur creatura simplex. Ejusdem autem locutionis genere quo Deus justus, et nos justitia Dei appellamur. Vide etiam utrum bona similitudine utatur Boetius ad exprimendum non tantum simplicem aliquem fieri, sed etiam simplicitatem ex strictissima connexione et societate simplicitatis. De providentia profecto et fato sic dicit : *Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit. Fatum vero inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus.* Et post pauca : *Manifestum est immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse providentiam. Fatum vero eorum, quæ divina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum atque ordinem temporalem.* Inducta itaque similitudine paulo post subdit : *Nam ut orbium circa eumdem cardinem sese vertentium qui est intimus ad medietatis simplicitatem accedit, cæterorumque extra locatorum veluti cardo quidam circa quem versentur existit : extimus vero majore ambitu rotatus, quanto a puncti media individuitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur ; si quid vero illi se medio connectat et societ, in simplicitatem cogitur, diffundique ac diffluere cessat. Simili ratione quod longius a prima mente discedit majoribus fati nexibus implicatur.*

Medium quod ait, sive media individuitas puncti, intelligitur veritas et simplicitas Dei. Quod enim huic amori consociatur, in simplicitatem cogitur. Divinæ igitur supernæque substantiæ, quibus et judicium perspicax, et incorrupta voluntas, et efficax optatorum præsto est potestas, quid est quare non inhæreant illi summæ et unicæ simplicitati? Cohærent procul dubio, et dotantur largiori simplicitatis privilegio. An ista recusas credere, et paras contradicere? Nequaquam, inquis, sed quod Creatoris est, creaturæ nolo attribuere. Quare? quia æmularis Deum, sed non bona æmulatione. Quantum enim desipit, qui non a Deo collata munera propria usurpatione rapere præsumit, tantumdem a pietate resilit, qui data negat, vel abscondit : *Nos*, inquit Apostolus, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*I Cor.* XI). Datum est enim omni corpori, ut sicut jam dictum est, compositione sit multiplex : animæ, ut carens partibus naturaliter sit simplex, sed propter limi societatem, subjiciatur vanitati, quæ est multiplex. Supercœlesti quoque indultum est creaturæ, ut ultra sensum humanum, sed citra divinum, et naturaliter et simpliciter sit simplex. Tu vero corpus multiplex asserens, animam quoque comparatione corporis non per se simplicem astruens, transvolas ad supercœlestes, et ex gratia, non ex natura imitationem tantummodo simplicitatis indulges. O nimium simplex! Forsitan enim angelus tuus hoc audiens irascitur, et quod dona gratiæ et naturæ suæ commutaveris, indignatur. Nam ipse quidem nihil minores gratias agit Creatori naturæ, quam datori gratiæ. Gratia namque creatum, gratia beatificatum, gratia novit se confirmatum. Ab eadem tamen gratia aliud in creatione, aliud meminit se accepisse in beatificatione, sive in confirmatione. Quod accepit in creatione, dona sunt naturæ; quod meruit in confirmatione, dona vocantur gratiæ. Igitur aut multiplex est angeli natura, quod soli convenit corpori, aut simplex, quod tantum spiritui. Quia autem nullum tertium est simplex, ut æstimo, concedas necesse est. Simplex itaque cum sit natura et vicinitate, ut ostensum est, ipsius summæ simplicitatis arctius exprimatur et imprimatur in eo radius simplicitatis, non jam tantum simplex est, sed simpliciter, ut opinor, simplex. Ministrando namque assistit et adhæret divinæ simplicitati. Ipsa autem divina simplicitas non naturaliter tantum, non simpliciter tantum, sed singulariter et ineffabiliter simplex est. Jam credo satisfactum, quare dixerim, omnis res simpliciter simplex, vel quare dicere potuerim. Quod autem sequitur, una et unum, est inculcatio verborum. Tamen ut vel tenuiter sic distinguam, una profecto est, quia ut Seneca testatur, divinorum una est natura, et nihil est divino divinius, cœlesti cœlestius, et Boetius, quia eorum eadem est substantia, quorum diversus effectus non est. Unum idcirco, quia natura simplicium indissolubilis, diversarum pluralitatem partium ad sui efficientiam non admittit. Quod enim ex diversis partibus compositum est, naturaliter solubile est. Omne autem simplex et incompositum unum est, et caret partibus resolutionis. Quæcunque igitur substantia tam simplex est una, prorsus non admiscetur, neque cum alia simplici et incorporea, neque cum multiplici et corporea. Nam ubicunque et quotiescunque substantiæ immiscentur, necesse est ut in se invicem commutentur et transformentur. Rerum enim quarumlibet conjunctio nisi in sese transfundantur, et a propria forma transformentur, copulatio vel adjunctio, vel aliquid hujusmodi, non autem admistio vel commistio dicitur proprie. Unde et Verbum assumptione carnis, et indisjuncta unione caro factum, ne substantiarum transfusio, scilicet carnis in divinitatem annihilatio, vel divinitatis in carnem substantialis exinanitio ab hæreticis persuaderentur, non commistionem passum dicitur, et ne rursum alius Dei, alius hominis Filius crederetur, et una in duas personas divideretur, illico sequitur, neque divisionem. Si nova, et ideo cassa, me confingere arbitraris, et vera et vetera statim si placet subjunctis rationibus comprobabis. *Non*, inquit Boetius, *omnis in omnem rem verti ac transmutari potest.*

Nam, cum substantiarum aliæ sint corporeæ, aliæ

incorporeæ, neque corporea in incorpoream, neque incorporea in eam quæ corpus est mutari potest. Nec vero incorporea in se invicem proprias formas mutant. Sola enim mutari transformarique in se possunt quæ habent unius materiæ commune subjectum. Neque hæc omnia, sed ea quæ in se et facere et pati possunt. Idque probatur hoc modo. Neque enim potest æs in lapidem mutari, nec idem æs in herbam; nec quodlibet aliud corpus in quodlibet aliud transfigurari potest, nisi et eadem sit materia rerum in sese transeuntium, et a se et facere et pati possint, ut cum vinum et aqua miscentur. Utraque enim sunt talia, quæ actum et passionem sibi communicent. Potest enim aquæ qualitas a vini qualitate aliquid pati. Atque idcirco, si multum quidem fuerit aquæ, vini vero paululum, non dicuntur immista, sed alterum alterius qualitate corrumpitur. Si quis enim vinum fundat in mare, non mistum est vinum mari, sed in mare corruptum, idcirco quod qualitas aquæ multitudine sui corporis nihil passa est a qualitate vini, sed potius in se ipsam vini qualitatem propria multitudine commutavit. Si vero sint mediocres, sibique æquales, vel paulo inæquales naturæ, quæ a se facere et pati possunt, illæ miscentur, et mediocribus inter se qualitatibus temperantur. Atque hæc quidem in corporibus, neque omnibus, sed tantum quæ a se, ut dictum est, facere et pati possunt communi atque eadem materia subjecta. Omne autem corpus, quod in generatione atque corruptione subsistit, communem videtur habere materiam, sed non omne ab omni, vel in omni, vel facere aliquid, vel pati potest. Corporea vero, vel incorporea nulla ratione poterunt permutari, quoniam nulla communi materia subjecta participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutrum permutentur. Omnis enim natura incorporeæ substantiæ nullo materiæ nititur fundamento. Nullum vero corpus est, cui non sit materia subjecta. Quod cum ita sit, cumque ne ea quidem, quæ communem materiam naturaliter habent, in se transeant, nisi illis adsit potestas in se et a se faciendi ac patiendi, multo magis in se non permutantur, quibus non modo communis materia non est, sed cum alia res materiæ fundamento nititur ut corpus, alia omnino materia subjecta non egeat ut incorporeum. Non igitur fieri potest, ut corpus in incorporalem speciem permutetur; nec vero fieri potest ut incorporalia in sese commistione aliqua permutentur. Quorum enim communis nulla materia est, nec in se verti ac permutari queunt. Nulla autem in incorporalibus materia rebus. Non poterunt igitur in se invicem admisceri vel permutari. Jure igitur simplex res refugit omnem commistionem, quia nullam in quamlibet creaturam recipit commutationem. Item quod a nobis ponitur, sumptum a nobis: rem autem unam duo simul vel plura convenientia aliquando in sese recipere, et convertere ut unum sint, in exemplari quod manibus meis scripsi, sic habetur: *Rem vero unam, convenientia duo vel plura aliquando faciunt, ut corpus unum constans ex quatuor elementis.*

Hic nullius cavillationis locum aliquatenus animadverto, et ideo respondere parco. Itemque intulisse me scribis, Deum magis proprie ex simplicitate quam unitate. Miror calumniam. Nonne enim statim subjunxi, nihil de Deo proprie dici. Jam quia, mi dilectissime, dulcedo viscerum meorum, lumen amicorum meorum, pro me satisfeci. Epistolæ tuæ sententias quasdam digna invectione corrigendas, et lima correptionis explanandas, partim contemplandas reperi. Quid dicis, amor? Placetne quod loquor? Gratiamne tuam persequor? Quodvis jube, et faciam. Clavem oris mei custodi, ne lapsio prorumpat amici. Constringe fauces maxillarum, ne profluant jocos Sirenarum. Aperi tamen aliquando labia, ut excludam gravamina mea. Nicolaus enim tuus, imo noster, gratias supervacuas agit gratiæ, ut asserit, meæ, quia verba, inquit, nostra vel ex parte recipitis, receditis autem in omnibus a Claudiano (79*). Judica, judica judicium meum, amor, juste. Quid enim? Pene nervorum et venarum fila nimiæ inflationis protensione intensa rumpuntur. Protestando jurant et contestantur intellectus, ratio et memoria, falsum contra se latum testimonium. Vix patientiam persuadeo. Amicus est, inquies, facetus: lepido jocorum sermone urbanus. Sine itaque, et disceptatione inextricabilem labyrinthum rationibus suis intexentem, et nunc quidem qua egreditur introeuntem, nunc vero qua ingreditur exeuntem sustine, complicata ejus explica, male explicata replica. O dulcissime! dormiebas quando epistolam nostram legebas? Forte eras occupatus, et ideo non es culpandus. In hoc tamen inexcusabiliter culparis, quod gratiarum tuarum nimium prodigus, dum male locas, perdis. Illas meas enim gratias ubi deprehendisti, quibus ingratiose gratias agis! Sed quid miror te mirabili et inaudita novitate gratiam quæ non est gratia asserere; cum mutandi et permutandi rerum et verborum proprietates auctoritate jam pristina cœperis pollere? Quid non faciat Nicolaus (80), qui de nigro factus est albus? Credo ista ductus et edoctus auctoritate, verba quoque et sensus verborum præsumis quandoque invertere. Nigredinem tamen pristinam somniasti, ubi me a Claudiano dissentire

IACOBI SIRMONDI NOTÆ

(79*) *A Claudiano.* Mamerto Claudiano presbytero Viennensi, cujus verba ex libro III, De statu animæ, ad refellendum Cellensem produxerat Nicolaus.

(80) *Nicolaus de Nigro f. e. albus.* Ex Cluniacensi monacho Cisterciensis. Nicolaus ipse epistola 18 ad Theobaldum ejusdem olim consilii participem: *Uno denique consensu reliquimus omnia, et de Vetere Testamento et umbra Cluniacensium, ad Cisterciensium evolavimus puritatem.*

notasti. Nempe sermonibus acquievi et acquiesco tuis, in parte contradixisti et contradico. Ubi enim corpus vivere, animam vivam, Deum vitam esse negavi? Nusquam, crede mihi, nusquam. Tantummodo enim assignationes proprietatum quas subjunxisti, vivens videlicet ex vanitate, vivum ex simplicitate, vitam ex unitate aggressus sum reprehendere. Sed monachum illum, qui cum amico in epistolæ tuæ principio contendebat et reticens, has jam præ tædio emittere audio voces. Utilius, inquit amor, claustra oris continuissemus, quam rescribendo tot exundantium impetus torrentum incurrissemus. Redundant enim torrentes vanitatis, et distillant ab ore amici nostri sermones superfluæ garrulitatis, totus profluit et pereffluit. Silentia nostra confundit; consuetudinis nostræ morem et ordinem conturbat et concutit; ad pomposa et superflua quæque improbitate sua, si acquieverimus, provocat et attrahit. Deinceps itaque noli scribere.

EPISTOLA LXVII.

AD JOANNEM SARESBERIENSEM.

[IV, 4] Suo suus semper suus.

Stella quandoque de cœlo ad ima videtur, sed oculis insipientium, defluere; coagulis tamen naturæ, et divini clavis mandati, sic defixa in æternam cœlo adhæret, ut sicut prius liber idem cœlum convolvatur, quam stella ab ipso divellatur. Sic sic, mi charissime, ex quo Deus in firmamento cordis nostri stellam amoris mutui impressit, etsi fefellit oculum ignorantis leges amicitiæ repentina scintillatio instabilis fortunæ, non tamen cessit aut decessit igniculus stellæ. Unde et tunc, cum quasi lædebam, non quasi, sed revera diligebam; et cum avertebam oculum, non avertebam animum. Deo autem gratias, quia in plenilunio suo reformata denuo, quasi viribus resumptis radios primos solito splendidiores, tanquam in invidia prioris defectus, amplificato affectu remisit. Procul jam deinceps sit, tam noctis tenebrosa interpolatio, quam diei nubilosa caligo. Sed de his hactenus. Quia vero minus jacula feriunt quæ prævidentur, mando et moneo, ut caveas tibi a labiis iniquis, et a lingua dolosa. Apud nos enim quædam de te disseminata sunt, quibus forte nisi clypeum cautæ provisionis opposueris, lædi in curia poteris. Summi nempe quidam viri cuidam, de curia qui apud nos est, ut ipse audivi, insusurraverunt te de curia dixisse quædam inhonesta, et te falsum legatum domini papæ in his partibus gessisse. Quæ nescio utrum sint magis falsa quam maligna, vel e converso. Sapiens es, esto tibi in his sapiens. Valete.

EPISTOLA LXVIII.

AD EUMDEM.

[IV, 5.] Suo suus (80*) semper et unice suus.

A Ecce in cineribus beati Aigulfi cum beato Job lugens et dolens, debeone studere verborum elimatis splendoribus, exquisitis facibus? Quinimo, juxta viscerum commotionem, lugubri, ut sic dicam, et fumoso sermone afflictum repræsento animum. Mi charissime, curro et discurro quasi vagus et profugus, si forte dispersos cineres a quatuor ventis cœli recolligere possim. Hinc est quod non cineres, sed fruges pretiosas, etiam ubi non seminavi, videlicet de Anglia, metere volo. Manipulos etenim eleemosynarum gentis illius ut metat beatus Aigulfus, injungo. Quid mea interest falcem extendere, ubi nunquam vel arare potui, vel seminare? Sed non usquequaque absurdum est quod facere propono, quia etsi terram illam non colui, te tamen quasi B areolam aromatis pro tempore consevi bonis speciebus, cum mecum fuisti, cum tecum habitavi, cum te amavi, cum te retinere promerui. O bone Deus! quam feliciter prosperata est bona ista area, imo pinguissima oliva! quomodo sursum germinavit! et radicem deorsum misit! quomodo ramos suos extendit! quomodo jam jam replentur famelici de fructu propaginum ejus! Gustavi et vidi, quia bona est pinguedo ejus, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Non est conversa in amaritudinem vitis alienæ. Jam in umbra ejus quam desideraveram sedeo; jam umbracula ejus ab æstu, a turbine et a pluvia me defendere sufficiunt. Dies illa sit benedicta, hora nunquam pertranseat cum defectu temporis, qua Joannem meum feci, qua talem et tantum C amicum in filiis hominum apprehendi. Tibi, Deus, custos animæ meæ, tibi commendo illum, tu ei vitam, tu bonam vitam tu prosperitatem dones, tu inter brachia tua, tu sub umbra alarum tuarum semper illum conserves. Quid enim melius optari potest amico? ut nihil aliud quæram vel mihi, vel amicis meis, isti quos nunc aspicio cineres monent. Retro paululum laquearia (81), trabes, postes, et ligna robusta erant, qui modo pulvis tenuissimus et cinis vilissimus est. O munde, aut res mundanæ, quid estis? Imo quam vane nos decipitis? Certe non estis quod esse videmini. Certe videtur in vobis pulchritudo aliqua, dulcedo et utilitas; sed veritate requisita neque pulchritudo, neque dulcedo, neque utilitas vera est in vobis. Vera est, vera est de vobis sen- D tentia, quia cum sit in vobis vanitas, cor vanum facitis, quod possidere poteritis. Sed de his hactenus. Ut ad rem accedamus, scito, amice, quia pretiosum martyrem Aigulfum in vase non vili ecce ad peregrinandum in egestate sua destinamus. De manu mea in manum meam illum depono. Quodcunque volueritis, quodcunque disposueritis de nuntiis, ratum habeo. Generalem administrationem et curam in his amicitiæ tuæ assigno

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(80*) *Suo suus.* Joanni Saresberiensi, ad quem et septem proximæ, atque aliæ passim complures. Huic enim arcta et vetus cum Petro Cellensi necessitudo, a quo exsul olim monasterio receptus, benigneque habitus, et multis postea beneficiis auctus est: quibus obnoxium se Joannes variis ad eum litteris profitetur, sed præcipue epistola 85.

(81) *Retro P. laquearia.* Ecclesiæ S. Aigulfi Pruvinensis, quæ conflagrarat, ut dictum est ad epist. 16.

EPISTOLA LXIX.

AD EUMDEM.

[IV, 6] Frater PETRUS magistro JOANNI.

Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua. Ut vidi litteras tuas, cor meum jubilo, os meum impletum est risu. Miscuisti siquidem jocos seriis, sed temperatos et sine detrimento dignationis et verecundiæ. Sales tui sine dente sunt, joci sine vilitate. Sic decurrit oratio tua, tanquam illa quæ aliquando nubes capite tangit, aliquando autem vultum in terra demittit. Invenit hæc gratiam in oculis meis, mecum manebit, et apud me tota nocte erit. Est namque vox tua dulcis in auribus meis; et monitus tui satis amabiles in faucibus meis. Insurgit autem sæpe ventus contrarius, imbrium turmæ quatiunt domum, et bruchus, locusta, eruca et rubigo hortuli mei areolas devastare tentant. Sed Angelus magni consilii surgit de navi, et facit tranquillitatem ventorum, serenitatem nimborum, exterminationem inutilium vermium. Cum enim Deus pro nobis, quis contra nos? Sunt certe mortis pericula, sunt in deserto serpentium venena mortifera, sunt prorsus amaritudines aquarum; sed serpens æneus, sed virga Moysi, sed columna nubis per diem, et ignis per noctem, amarum vertit in dulce, eripit a morte, liberatque a morsu. Sumus quasi nihil habentes, et omnia possidentes, quasi morientes et ecce vivimus. Hæc consolatio mea in loco peregrinationis meæ, quia nihil intulimus, in hunc mundum, sed nec quid auferre possumus, quia volucres cœli non serunt, neque metunt, et tamen Pater cœlestis pascit illas. In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior. Cum denique via sit brevis, locus prope quo tendimus; quare tot onera humeris debilibus imponimus? Quare incassum multa portamus? Certe si Dominus Deus fuerit mecum in vita ista, qua ego ambulo, non deerit mihi panis ad edendum, et vestimentum ad induendum. His paucis natura contenta erit. Tu autem, pars magna deliciarum mearum, in te opes meæ; tu capitis mei reclinatorium aureum; utinam, corporum eadem semper mediante Christo propinquitas esset, quæ animorum! Nolo ut piger sis, non valens manum ad os mittere, id est bonum quod doces facere. Deliciosus enim et improbus monitor est, qui in eo quod alium docet, seipsum non docet.

EPISTOLA LXX

AD EUMDEM.

[IV, 7] Magistro suo J. de Saresberia, suus abbas Cellensis, quidquid melius est in vita præsenti sive futura.

More sitientis sub æstu, et præstolatione diu desiderati potus jamjam supra modum fatigati, vasculum litterarum tuarum amanter suscipiens, ardenter relegens, frequenter resupinans, et quasi novi gustus iteratione in dulcedinis abundantia ad fundum usque ebibo. Duplicatur, imo triplicatur legentis affectus, ubi materia gratitudine dilecti animi et styli jucunda lepiditate optatam narrationis seriem profert. Sensibus philosophicis quæ scribis condiuntur, rhetoricis coloribus vestiuntur, decentissimis legum ornamentis decorantur, columnis evangelicis fulciuntur, et quod ad amicos attinet, mellito sapore decentissime dulcorantur. Si lucrum quæro sententiarum, si doctrinam, si voluptatem, si verborum junctura, si amoris veritatem et dulcedinem, in litteris tuis hæc omnia abunde reperio. Navis ibi ad natandum, hortus deliciarum ad deambulandum, mensa plena et parata ad convivandum, lectulus floridus ad quiescendum, gymnasium ad philosophandum. Non est idolum mendacii, non fallaciæ lenocinia, non denique adulationis profunda vorago, non lasciviose diffunditur ab exigua cordis vena verbum promissivum juxta illos qui dicunt et non faciunt. Sed quid? latior in corde, rarior in ore amor, ardet in fumo, currit sine spuma; movet alas, sed silenter; petit ima, sed tam sublimiter pre animi generositate, quam fortiter pro integritate. Accedit, sed non incendit. Nam calorem facit, sed non cinerem. Finem quidem novit, sed cum termino consummationis, non consumptionis. Qualem loquor scribendo amorem, talem in amicum cogito, imo recognosco. Felix anima mea, quæ talem peperit, vel saltem reperit amicum. Domine Deus cordis mei, tuus erat Joannes, et mihi eum dedisti. Proinde tuus sum ego, dicam amicus? utinam vel servus: certe servus, sed emptitius! Siquidem redemisti me, dando pro me Filium tuum: profecto et emisti, dando mihi famulum tuum. Præcipua hæc inter cætera beneficia, quæ etsi modo reticeo, non tamen prætereo, non denego, non obliviscor. Nam et ipsa consignata sunt in thesauris memoriæ, consepelio ad convivendum et ad commoriendum. Sine his enim nec vivere valeo, nec mori volo. Ad Joannem meum accedo, quem a manu gratiæ accepi, tanquam gratiam a gratia, sed tamen non pro gratia. Vacuum namque gratia invenit me gratia, denique ad plenum, sed culpa et pœna. Jam pœnam extenuare, culpam vero evacuare cœpit, cum Joannem in amicum subrogavit, qui nescientem instrueret, laborantem juvaret, errantem corrigeret, pigrum excitaret, exsulantem foveret, dolentem relevaret. Quem respiciunt hæc munera? Te Domine Deus, summe et principaliter: te charissime amice, secundario et multipliciter. Sub modio humilitatis nostræ aliquando latuisti, jam lucerna ardens quidem conscientia, sed non adeo lucens fama. Posuit autem te Dominus in lucem gentium, ut sis oculus cæco, pes claudo, lingua stulto, manus manco, auris surdo, ut secundum nomen tuum gratia in prædictis suppleat quod natura minus poterat. Profecto licet doleat absentiam tuam, tamen in his consolabitur anima mea, jura publica non ignorans præferenda privatorum utilitatibus. Sic cœpisti. Caudam appone in sacrificiis Dei tui. Hoc juxta capellam scripsi Sancti Aigulfi, tibi opportunitate nuntii tui nunquam fraudari volens, quod aliquid rusticitatis nostræ ad rusticandum mittam. Cras in decentissi-

mo tumulo, videlicet capsa nova, reposituri sumus sacratissimum corpus domini tui beati Aigulfi, cujus caput et corpus habemus. Vale.

EPISTOLA LXXI.

AD EUNDEM.

[IV, 8] P. Dei gratia Cellensis monasterii dictus abbas, JOANNI amico suo, a Deo totius consolationis consolari.

Quæris, frater, a me scripta exhortationis, parum pensans torrentes nostræ occupationis. Quæris, inquam, consolationem, quia sentis desolationem : postulas auxilium, quia portas exsilium ; imploras remedium, quia ploras discidium. Quis ergo ego sum, qui tibi scribere possum unde fovearis, unde conforteris, unde consoleris? Orare quidem pro te vix possum, perorare nullo modo possum. Filius vero olei, qui conceptus est de Spiritu sancto, quem unxit Deus præ participibus suis (*Hebr.* I), cujus nomen effusum Christus Jesus ,venit, ut ipse dicit, consolari lugentes Sion. Utinam secundum multitudinem dolorum tuorum consolationes ejus lætificent animam tuam! *In tribulatione*, inquit, *sua mane consurgent ad me* (*Osee.* VI). Et tu Jesu quid? quousque avertis faciem tuam? quousque non profers manum de sinu? quousque nubem opponis, ne transeat ad te oratio nostra? Tempus est miserendi. Convertere, respice, et deprecabilis esto. Da auxilium de tribulatione, erue ab oppressione, protege a tentatione. Filii hominum cui supplicare habent, nisi Filio hominis? quem interpellare, nisi mediatorem Dei et hominis? ubi confugere, nisi ad patibulum crucis? Hic, hic turtur pullos suos reponit, vultur audaciam ponit, columba gemitus promit. Hic botrus Cypri, flos campi, odor lilii, flumina paradisi, porta cœli, salus mundi. Ecce portus, ubi potus vini misti, ubi cibus panis in ligno crucis decocti, a patre signati. Ubinam tanta oculorum delectatio, tantumque aurium melos? Juxta figenda sunt castra, nec infra remanendum, nec ultra progrediendum. Hic compone mores, depone mœrores, appone tuos amores. Nusquam alibi propitiatio, non propitiator, neque cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium. Oblitusne es Abraham ad ilicem Mambre angelos vidisse, sub arbore malo sponsum sponsam suscitasse, omnem aquarum amaritudinem tactu ligni in dulcedinem Moysem convertisse? Omnibus itaque molestiis carnis, infestationibus antiqui hostis, machinationibus omnimodæ malignitatis oppone clypeum crucis. Manus Domini quæ tetigit te, recordare quia ipsa est quæ creavit te. Nunquid lutum dicit figulo suo : Quare fecisti sic? (*Isa.* XLV.) Loquere potius in amaritudine animæ tuæ, et dic Deo : « Misericordissime Domine, et Pater misericordiarum, posito in labore hominum da requiem angelorum, ejecto a facie terræ da ingressum supernæ patriæ, consolatione destituto humana, adsit divina. Usque ad sedentem in throno vox hæc evolabit, si non doloris impatientia, vel cordis insipientia illam retardaverit. Equidem, frater, dolores apprehenderunt te inter angustias. Quid mirum? Non est, inquit Jesus, dolor sicut dolor meus (*Thren.* I). Quare? Quia non peccavi, et pœnam peccati tolero ; quia non rapui, et solvere exigor. Imo non est dolor sicut dolor meus, quia servus emptus contemnit pati, quæ sustinet dominus ejus. Filii hominum, usquequo gravi corde? Nonne cum essem Dominus factus sum servus? cum essem impassibilis, factus sum passibilis, mortalis cum essem immortalis? Ut quid fenum recusat, quod cœlum, imo Dominus cœlorum portat? Ex hoc mundo Jesus transivit, et fenum manebit? Cœlum quoque et terra transibunt, et cinis et pulvis habitabunt? Propterea, frater, consoletur te flagellum inundans, imo mundans.

Hæc, inquam, tibi sit consolatio, ut affligens te manus Dei non parcat. Sic ad purum scoria tua excoquatur, ut anima tua nunquam : ex auro obrizo cœleste vas cœlesti forma formetur. Filius fabri sedet constans et emundans argentum ; et aliud quidem vas facit in honorem, aliud in contumeliam. Vis videre vas in honorem? Ad tertium cœlum rapitur Paulus vas electionis (*II Cor.* XII). Ubi ab ubertate domus Dei inebriatus exclamat : O Domine, calix tuus inebrians quam præclarus est? Sic inebriatus nec verberibus cedit, nec flagellis, nec plagis, nec doloribus, nec mortibus. Hic Joseph scyphus est, in quo augurari solitus, præterita, præsentia, et futura genti suæ enuntiat. Joannes evangelista nonne regressus a cella vinaria, exfæcatum nobis vinum propinat. *In principio*, inquiens, *erat Verbum*, etc. (*Joan.* I). Ecce vas in honorem. Vasa quoque stulti pastoris vasa sunt contumeliæ, in quibus vini sapor in saporem vertetur aceti. Hæc exsufflantur a mensa regis, quia inflantur scientia carnis ; hæc, inquam, per superbiam inflantur, per invidiam siccantur, per iram crepant, per acediam franguntur, per avaritiam disperguntur, per gulam inficiuntur, per luxuriam conculcantur, et in lutum rediguntur

EPISTOLA LXXII

AD EUNDEM.

[IV, 9] Suo clerico suus abbas (82).

Tibi an occupationibus tuis visitationum tuarum raritatem imputare debeam, non plane discerno. Hoc unum perpendo, quod litterarum tuarum ad nos rarissima pervenit salutatio. Et fortassis fluctus marini hoc faciunt? Sed quas absorbuerunt? Ostende mihi chartam charitatis deperisse, et non causabor oblitum fuisse. Rursus quem mittas non habes? Et unde hæc inopia, nisi forte ex copia? Certe ante te currunt plures, post te innumerabiles. Dicis huic : Vade, et vadit ; et alii : Veni, et venit (*Matth* VIII). Ignoras quo me requirere debeas? Plane in medio populi mei ego habito, non in secessu silvarum, non in voragine terrarum. Potesne te excusare et dicere:

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(82) *Suo clerico*. Eidem Saresberiensi quem clericum item suum nominat epist. 105.

Domine, Babylonem non vidi, et lacum nescio? Sed hic, hic tu mecum frequenter sedisti, dormisti, fuisti : taceo quod aliquando præ multis aliis locis et terris dilexisti. His verborum nexibus alius quilibet irretitus et illaqueatus cessante excusationum suarum ratione humiliter misericordiam peteret, et patientiam imploraret. At tu cornu legum sive dialecticarum argumentationum armatus, velut fila aranææ ista contemnis, et alia exire via contendis. Est, inquis, mihi dominus, sunt et alii amici, quibus trahor, vel necessitate obedire, vel charitate providere. Bene. Nonne prius et plus omnibus amavi? Nonne dextras societatis et ipse dedi? Equidem tibi fecundiora lucra apud alios reperisti, sed non fidem, sed non amorem. Plus quidem donare, non tamen plus possunt amare. Communicavi namque tibi non solum substantiam, sed et animam. Non est occultatum os meum a te, non consilium, non denique quantumlibet remotissimum arcanum. Et tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam? Addam, si addi potest ad animam. Quid, inquis, quæris? Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI), non eruendum, sed impendendum, non extrahendum, sed conservandum. Ad dominum papam appellatus cœmeterio Sancti Sereni de Cantumerula, quod imminuere, vel auferre nobis nititur canonicorum et abbatis nimis præsumptuosa superbia, contra privilegium Anastasii papæ (83), quod tu ipse vidisti, et partim fabricasti, contra jus antiquissimum nostrum, Lucæ evangelistæ coarctavi terminum, quem ipsi perduxerant in primam Dominicam adventus Domini. Causa ista tua est, cogita tanquam tuam, vel de tua. Non vadam, sed mittam juxta consilium tuum. Vale.

EPISTOLA LXXIII.

AD EUMDEM.

[IV, 10] Suo clerico suus abbas.

Satis amœnum delegisti, mi charissime, exsilium, ubi superabundant gaudia licet vana, ubi exuberat plus quam in patria panis et vini copia, ubi amicorum frequens affluentia, ubi sociorum non rara contubernia. Quis præter te alius sub cœlo Parisius non æstimavit locum deliciarum, hortum plantationum, agrum primitiarum? Ridendo tamen verum dixisti, quia ubi major et amplior voluptas corporum, ibi verum exsilium animarum : et ubi regnat luxuria, ibi miserabiliter ancillatur et affligitur animæ. O Parisius, quam idonea es ad capiendas et decipiendas animas! In te retiacula vitiorum, in te malorum decipula, in te sagitta inferni transfigit insipientium corda. Ita Joannes meus sensit, et ideo exsilium nominavit. Utinam istam exsilium vere sicut est deputares, et ad patriam non verbo et lingua, sed opere et veritate festinares! Ibi in libro vitæ non figuras et elementa, sed ipsam sicut est divinitatem et veritatem oculo ad oculum cerneres, sine labore legendi, sine fastidio videndi, sine fallacia, vel errore intelligendi, sine sollicitudine retinendi, sine timore obliviscendi. O beata schola, ubi Christus docet corda nostra verbo virtutis suæ, ubi sine studio et lectione apprehendimus quomodo debeamus æternaliter beate vivere! Non emitur ibi liber, non redimitur magister scriptorum, nulla circumventio disputationum, nulla sophismatum intricatio, plana omnium quæstionum determinatio, plena universarum rationum et argumentationum apprehensio. Ibi plus vita confert quam lectio, plus prodest simplicitas quam cavillatio. Ibi nemo concluditur, nisi qui excluditur. Uno verbo, omnis ibi solvitur objectio, cum male malam vitam objicienti respondetur : *Ite, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus*, cum bene opponenti dicitur : *Venite, benedicti*, etc. (*Matth.* XXV). Utinam his melioribus studiis sic intenderent filii hominum, quomodo vaniloquiis, quomodo scurrilitalibus vanis et pessimis! Certe fructus exinde uberiores, certe favores excellentiores, certe honores majores meterent, et finem consummationis Christum, quem in his inventuri non sunt, sine dubio perciperent. Valete.

EPISTOLA LXXIV.

AD EUMDEM.

[IV, 11] Suo JOANNI, suus PETRUS abbas Cellensis, bonum quod est super omne bonum.

Aliter fit frequenter in rerum eventu, quam perpendat hominis providentia. Ea præcipua est in causis, quare amatores veritatis quandoque loquuntur, etsi non contra veritatem, tamen extra orbem veritatis. Unde si hujus rei in luce exprimatur continentia, nec mendaces dicendi sunt, quia contra veritatem non loquuntur, nec proprie veraces qui aliud quam contingat opinantur. Itaque sicut præcipitium falsitatis, usquequaque devitare volo, sic veritatis ripam etsi non contingo, saltem affecto. Reducor proinde a falsitate volens, a vero nolens; teneo autem medium, imo retineor a confinio hujus et illius dolens, quia semper quod est, vel futurum est, tam vellem, amice, dicere quam scire. Scio equidem non imputandum alicui malum, quod patitur, sed quod facit, vel meretur. Similiter æstimo asserendum in eo, qui tantum ex insidiis fortunæ fallitur, et nunquam ex proposito fallit, ut dignus sit compassione, non condemnatione. Hæc, amice charissime, præmiserim, quatenus noveris me retentum invitum ab executione sponsionis, qua vel nuntios vestros, vel cineres beati Aigulfi (84) mittere debui. Intervenerunt plurima, quæ huic prævalide obstiterunt. Unum horum fuit, quod W. vester, imo vere noster, a Roma per nos redire debuit, et juxta suum consilium disponere

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(83) *Anastasii papæ*. Quarti, qui post Eugenium III sedem obtinuit anno 1153. De hac porro cœmeterii controversia jam ante scripsit epist. 4.

(84) *Cineres. B. Aigulfi Mitt. d.* Sacras reliquias, quas ei promiserat. Saresberiensis epist. 97 : *B. Aigulfi mihi pignora promisistis.*

negotium illud distuli. Non autem per nos venit. Itaque mitto fratrem W. monachum nostrum, ut juxta exemplar quod ab ore tuo detulerit, omnia faciamus. Ad nutum enim tuum semper facturus sum, præcipue in Anglia, quidquid dixeris. Neque enim volo tibi esse oneri hoc genus negotii, quod omni honesto viro molestum esse non dubito. Cujuscunque namque emolumenti lucra reportaturi sint, pro vilissimo stercore habiturus sum, si vel ad modicum fides, vel pudor faciei tuæ contra senserint. Mando igitur, imo adjuro amicitiam tuam sanctissimam, ne de statu rectitudinis tuæ propter me pedem moveas, sed quod justum et bonum in oculis tuis fuerit, indubitanter remandes. Pace et patientia indissimili, juxta verba oris tui, alterum quodlibet accepturus sum, scilicet mittere, vel non mittere prædicatores. De his hactenus. Cæterum exsultat spiritus meus in Deo salutari meo, tam de suavissimo bono odore opinionis tuæ, quam de prosperitatis tuæ. Unus es omnium mortalium, cui pene omnes inviderent, non immerito amici nostri, si quanta prærogativa præ omnibus illis sedem tuam in principali nostro collocaveris attenderent. Inter tres priores tu princeps, et ad te nescio si aliquis pervenire possit. Magister W. et magister R. amicitiam, quam ad te habent, in negotio Hawidis neptis nostræ (85) comprobaverunt. Steterunt enim pro marito sive matrimonio ejus, ne scinderetur, tam constanter in curia, quam fideliter. Non eis modicas grates referas. Dominum archiepiscopum ex parte nostra saluta, et omnes amicos nostros sancti B.

EPISTOLA LXXV.

AD EUMDEM.

[IV, 12.] Charissimo amico suo et magistro JOANNI de Saresberia, P. suus amicus et discipulus, cum Jesu et in Jesu semper in terra et in cœlo.

Novit prudentia tua, quod granum frumenti cadens in terram nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Granuli nostri fructum centesimum spero me recepturum, partim roris superni fecunda infusione, partim agri quem benedixit Dominus læta fecunditate. Provenit namque numerosa proles benedictionum ex accessu dati optimi, sive doni perfecti, cum libero arbitrio boni hominis. Ubi enim gratia saliendo cum impetu æternæ emanationis influit, quid anima nisi vitam refluit? Nunquam sterile, nunquam inane est conjugium gratiæ et animæ. Jesus, qui salvat populum suum a peccatis eorum, fructus benedictus est hujus copulæ. Ubera non habet arentia, non vulvam sine liberis, anima cui adjungitur gratia. Parturit anima quidem, sed non gemens; generat gratia, sed non corrumpens. Suscipit semen anima cum delectatione, sed non delicto; parit fetum de spiritu gratiæ, sed cum salute; venter non superbia turgescit, sed crescit humilitate; lumbi non opprimuntur gravedine, sed imprimuntur castitate; mammæ non intumescunt lactis recursu, sed extumescunt humanæ fragilitatis decursu. Manus angelicæ obstetricantur in tam salubri partu, pannis virtutum involvitur fetus, donec rapiatur ad Deum et ad thronum ejus. Mater autem quid? fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Draco namque stat ante mulierem quæ est paritura, ut devoret, cum pepererit filium ejus. Non est occultatum a te, magister et amice charissime, qui astutias serpentis antiqui non ignoras, quid esuriat draco, quid sitiat. Quid, nisi filium virginis? quid, nisi desiderium cordis? Quid, nisi prolem virtutis? Quamobrem rapiatur non tantum a faucibus, sed ab aspectibus ejus mentis propositum, et tota festinatione non delibatum, sed illibatum mittatur ad Deum. Certe nisi subvenerit vel prævenerit festinatio in ore draconis, fiet anima nostra delibatio ejus. Quam cito autem mater petit deserti solitudinem, tam cito filius conscendet cœli celsitudinem. Quo remotius secesserit mater, eo altius et remotius rapit filium pater. Nisi fugerit mater, proprii nati visceribus viscera draconis implebit. Non est timendum venire, ubi desinis timere. Nil timet, nil odit, nil refugit sic diabolus, quomodo solitudinem claustri. Potius deligit porcorum gregem, quam sanctorum solitudinem. Sponsus ducit sponsam suam in solitudinem, et ibi loquitur ad cor ejus. Isaac egressus erat ad meditandum in agro, cum ecce sponsa ejus Rebecca ascensis camelis calcando vitia superbiæ et immunditiæ suæ veniebat. In solitudine Jesus tentatus super aspidem et basiliscum ambulat, et conculcat leonem et draconem. Meritorium animarum est solitudo; castra Domini exercituum est solitudo: sagena ad capiendos pisces est solitudo; paradisus deliciarum est solitudo; gymnasium est cœlestis philosophiæ solitudo. Quid amplius? deambulatorium Dei est solitudo. Solitudo novit vigilias Jesu, solitudo suscipit lacrymas Jesu, solitudo orationes Jesu audit, solitudo tempus et horam nostræ redemptionis cognovit; solitudo nascentem, solitudo prædicantem, solitudo turbas pascentem, solitudo in transfiguratione coruscantem faciem Jesu sole clarius attendit, solitudo morientem, solitudo resurgentem, solitudo ascendentem Dominum conspexit. Ecce quare exsultant solitudines Jordanis. Si qua asperitas, si qua amaritudo, si qua prius fuerat in solitudine formido, mitigata est sanguinis Jesu effusione, dulcorata est ligni crucis immissione, sublata est Jesu cohabitatione. Socio Jesu quid times? pascente Jesu quid esuris? lavante et unguente Jesu quid doloris persentis? Vale.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(85) *In negotio Hawidis neptis.* Ejus nempe matrimonio cum Petro de Tornella, de quo supra, epist. 9.

EPISTOLA LXXVI.

AD P. MONACHUM NORWICENSEM.

[Iv, 13.] Frater Petrus abbas indignus Cellensis monasterii, P. monacho Norwicensi (86), spiritum salutis.

Ut ignotus ignoto scriberem, T. vester, imo noster impetravit et rogavit. Injustum namque esset, si in re tam honesta pater filium confunderet. Quia igitur vitæ, scientiæ et professionis probatæ, profundæ, nec ignotæ estis, pallio verecundiæ vultum abscondo, et vocem vix tremulam emitto. Audite itaque, si placet, veritatem, non vanitatem, pietatem non falsitatem, admonitionem non adulationem. Scio quia unius viri filii sumus, unius regula informamur, in domo una unum ab uno requirimus. Quapropter si trahimur trahamus, si vocamus invitemus, si currimus currere moneamus. Qui audit dicat, veni. Cæterum si sequi noluerint, liberi a conjuratione qua conjurati sumus, inter innocentes manus nostras lavabimus, et sic ab introitu gloriæ Dei epulabimur. Hæc ideo dixerim, quia in nostra, credo, quod et in vestra patria non monachi, ut pace illorum dicam, sed ex monachis super numerum multiplicati, nomini sancto, quod invocatum est super eos, contumeliam faciunt, dum turpiter vivunt, dum ventris, gulæ et luxuriæ desideriis se exponunt; dum corpus suum, quod dici nefas est, et negatio contra Deum, contumeliis afficiunt. Nomen itaque Dei per eos blasphematur inter gentes. Utinam Phinees resurgeret! utinam Elias zelo zelatus pro domo Israel recumbentes in idolio igne cœlesti consumeret! utinam saltem Jeremias captivitatem filiæ Sion triplici luctu, scilicet orationis, prædicationis et exempli doceret, moneret, deflere! Verus nempe Pharao, qui omnia dissipat, et cum Deo non congregat, lapides sanctuarii per platearum compita disseminat, vasa templi Domini in delubris suis juxta Dagon asportat, filium virginis cum filio Veneris collocat, et in phialis et scyphis cum concubinis suis usque ad mane potare non cessat. Usquequo, Domine, non est qui pennam moveat et gannire audeat? Medium silentium tenent omnia. Moyses non extendit manus ad cœlos; graves enim sunt, et plenæ sanguine. Ideo vincitur Israel et vincit Amalech. Quatuor fabri cornibus suis ventilant universum Judam et Israel, dum residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ bruchus, et residuum bruchi rubigo. Hæc sunt tertia et quarta generatio, in quibus Dominus reddit peccata patrum in filiis. Prima scilicet generatio est A suggestio carnis, secunda primus pulsus cogitationis, tertia deliberatio vel perpetratio operis, quarta gloriatio sceleris. Felix qui his cornibus non ventilatur. Si qua itaque in vobis est misericordiæ scintilla, si qua viscera pietatis, si quis ros benignitatis, compungimini. Lacrymæ procul dubio istæ nequaquam inutiles erunt. Aut enim illis proderunt et conv.rtentur, aut ad vos redient, et in sinum vestrum revertentur. Ut redeant itaque a via sua mala, monendo transite de porta ad portam gladio potenter accinctus. Nemini parcat, sed disperdat de terra memoriam eorum, qui ad cor redire distulerint; qui iniquitatem, quæ in manu eorum est, non abstulerint. Hæc ad vos tanquam ad amicum justitiæ, zelatorem domus Dei, odio habentem eos qui B contradicunt sermonibus sancti; ad eos vero, quibus nihil dulce præter vinum et pretium, nihil amarum præter claustrum et silentium, nihil amandum præter carnem et mundum, nihil exosum præter Dei verbum et spiritum, nubes Dei coruscant, tonitrua cœli fulgurant, ventus vehemens et ignis involutus accelerant. O insensati, quis poterit habitare ex vobis cum igne devorante, aut cum ardoribus sempiternis? Nonne ibi recipietis venenum pro vino, supplicium pro pretio? Seris et vectibus ferreis porta inferni conseretur vobis, qui claustro noluistis includi; et clamor quoque et continuus luctus, qui non siluistis a facie Domini. Caro, quam curiose nutristis, sollicite fovistis, studiose lactastis, C regnum Dei non possidebit. Mundus, cui mundi Creatorem postposuistis, in quo immunde sorduistis, cujus fallaci pulchritudine oblectati patriæ cœlestis obliti estis, non eruet vos de manu inimici. Verbum Dei tunc vos verberabit, non liberabit, accusabit, non excusabit, damnabit, non salvabit. Quid vobis cum Spiritu Dei, cujus contumeliis non parcitis, cujus templum violatis, quem contristare non reformidatis? Ni fallor, quod in eum peccastis non remittetur vobis, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Sed de his hactenus. Vos autem, qui apertos habetis oculos, in viam istorum ne abieritis, actibus eorum ne assentiatis, neque consiliis eorum acquiescatis. Ut prolixus nimium essem, nepos vester coegit, qui iterum rogando stylum resu- D mere monuit. Utinam virtus vestra amplior sit quam fama. Utinam vos videre, cognoscere et dextras societatis vobiscum habere merear. Utinam saltem, si non datur ultra, vel unam precem pro peccatis meis pio judici per manum sancti angeli offeratis. Valete.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(86) *Monacho Norwicensi.* Ecclesiæ Norwicensis in Anglia, in qua Joannes prior Norwicensis, ad quem Saresberiensis epistola 251.

LIBER SECUNDUS.

Continens epistolas quas scripsit Petrus post susceptam S. Remigii Remensis abbatialem curam.

EPISTOLA LXXVII.

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

[v, 19] ALEXANDRO papæ PETRUS abbas S. Remigii.

Quæ in evidenti et manifesto sunt vera, se ipsa loquuntur, se ipsa nullo adjuncto adminiculo testantur. Quæ autem remotione loci, evolutione temporis, vel cujuslibet implicatione caliginis profundum tenent ignorantiæ, cum rei publicæ poposcerit utilitas, sub luce volunt videri. Hinc est, Pater sanctissime, quod lator præsentium (87), in gremio nostræ humilitatis coalescens, habitum religionis a nobis in monasterio Cellensi suscepit, diuque ibi ubera vino meliora sugens, in virum episcopalem gratia Dei cooperante profecit. Revera opus et onus injuncti officii amplectens, non aurum robur suum ponens, nec obrizo dicens: Fiducia mea! Quærit enim a sede apostolica mortem per mortem, quia et in itinere quo pergit, mortem minatur æstas, et imperialis potestas, et quam exposcit, si obtinuerit, mortem importat barbarorum infida societas. Habet itaque animam suam in manibus suis, offerens illam Deo per manum cœlestis clavicularii, et vestram. Excipite, si placet, hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, et beatissimi apostolatus vestri auctoritate exponite ovem lupis, si forte beata conversatione non lupus comedat agnum, sed agnus convertat lupum. Quodlibet autem horum fiat, Deus glorificabitur, ministerium vestrum honorificabitur, et anima fratris nullum detrimentum patietur. Præsumo enim a præteritis, quæ in eo enutrivi, et multis didici argumentis, quod in commisso fidelis erit, et a tramite fidei nullo incursu exorbitabit, potiusque dabit sanguinem, quam imminuat fidem. Ait Apostolus: *Spiritum nolite extinguere* (*I Thess.* v), et lucernam jam in modio accensam amplioribus suffusoriis accendite, quia hæc est gloria et corona vestra, si granum frumenti per manum vestram in terram cadens multum fructum attulerit.

EPISTOLA LXXVIII.

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

[vi, 6] Domino et Patri ALEXANDRO summo pontifici, PETRUS abbas Sancti Remigii, quidquid filius Patri.

Nullis bona voluntas a sancto Spiritu incitata coercenda est habenis, nullis a proposito retardanda dissimulationibus. Sic enim jam totius nostræ Christianitatis religio intepuit, ut vix in toto grege Christiani populi aliqui inveniantur, qui non malint sub ficu et oliva terreni honoris et delectationis delitescere, quam procul odorare bellum, et audacter occurrere in occursum cum filiis Benjamin, et dimidia tribu Manasse, expediti armatis inimicis Christi. Ad vos itaque, Pater sanctissime, qui estis in corpore Ecclesiæ caput, de quo oleum non deficit, et qui Australe sufflatorium habetis, respicit desides excitare, excitatos vero ad meliora et viciniora saluti juvare et impellere. Nunquam ergo vobis molestum debet esse, quod a vobis postulatur in auxilio propagandæ Catholicæ fidei, quia et Dei et Domini nostri Jesu Christi laus inde augmentatur, meritum vestrum cumulatur, salus infideli populo acquiritur. Proinde petitiones pauperis illius episcopi Fulconis, qui hoc anno curiam visitavit, et modo nobiscum hospitatur, apud vestram sanctitatem commendamus, scientes et pensantes, quia ubi nulla aut rara fidei supellectilia sunt, suffragio copiosiore indigetur. Indulgendum est ergo illi in multis, qui omnibus indiget. Sic magister et Dominus vester, cum discipulos suos mitteret ut nova prædicarent, addidit eis ut mira quoque facerent. Non a vobis hoc exigitur, ut virtus miraculorum tribuatur, sed auctoritas vestra cum ipso et in ipso operans, ut facilius ei ab incredulis credatur. Nam et Moyses cum a Domino ad filios Israel mitteretur, signum rogavit dari, in quo sibi crederetur. Privilegia ergo, quæ a vobis petit, et pro virga Moysi, et pro miraculis discipulorum Christi suffragabuntur ei. Nemo enim Deo faciente contemnet auctoritatem vestram, vel personam illius vestra auctoritate munitam. Valeat sanctitas vestra, cui debeo quidquid sum et possum. A multis enim audio, et in multis experior magnificentissimam gratiam vestram.

EPISTOLA LXXIX.

AD REGEM, ARCHIEPISCOPUM ET MAGNATES SUEONUM.

[vi, 8.] Regi Sueonum (88), et ducibus, et principibus et eorumdem archiepiscopo, et cunctis suffraganeis ejus.

Cum animi Deo devoti principale et summum

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(87) *Lator præsentium.* Fulco episcopus in Suetia designatus pro quo iterum eidem Alexandro scribit epist. 78. Fuerat hic Cellensis primum monachus, dein etiam S. Remigii, Petrum opinor abbatem secutus. Sane in diptychis S. Remigii, inter alumnos ejus cœnobii, qui Petro abbate vita excesserunt, nominatur Fulco episcopus.

(88) *Regi Sueonum.* Carolo fortasse Suerconis regis filio. Is enim Sueonibus seu Suecis, Gothisque per hæc tempora imperabat. Fulco autem Estonum episcopus, qui Suecicæ tum regno adhærebant.

debeat esse studium, ad gloriam et honorem Dei omnia componere, si forte aliquatenus se omnipotenti Deo placere, vel leviter senserit, cumulatis intrinsecus gaudiis totum se effundit, tanquam liquefactus post sponsum, acclamans et dicens: *Exsultabimus et lætabimur in te memores uberum tuorum* (*Cant.* I). His nostra parvitas provocata exemplis, etsi in multis, imo pene in omnibus, quotidie me sciam peccare, et non ut justum est divinis mancipari studiis, in hoc uno non usquequaque despero de misericordia Dei, quia de manu nostra manipulum benigne suscepit, domnum Fulconem episcopum, quondam monachum nostrum, et in claustrali religione a nobis enutritum, ad summum provexit sacerdotium. Recognoscimus in eo vultum nostrum, et speramus quod non recedat cor ejus a Deo nostro et a mandatis ejus. Cum ergo opportunitas grata obtulerit, quod tempus habere possumus adhuc eum instruendi et informandi in ampliorem Dei dilectionem, gratanter et devote excipimus, quia ulterius non eum videndum, usque ad thronum gratiæ, et ad distributionem æterni stipendii arbitramur. Ad hæc ipsa temporis incommoditas cooperatur desiderio nostro. Si enim uterque nostrum vellet, discrimina et pericula quæ habet transire non posset. Inundantia enim aquarum, ut audivimus, tanta est, ut vix serenissimis temporibus meabile sit iter quo ad vos pervenitur. Tertia denique causa subest, quia domnus archiepiscopus noster Romam pergens officium suum nos supplere commisit. Nequaquam autem in dedicatione ecclesiarum, vel ordinatione clericorum, vel confirmatione Christianorum abbatis assurgit dignitas. Per ipsum ergo, qui in omnibus noster est, implemus quod per nos non possumus. Veniet autem ad vos plenus Dei benedictione, cum tempora fuerint meliorata. Valete.

EPISTOLA LXXX.

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

[VIII, 8.] ALEXANDRO summo pontifici, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Apostolicæ sedis oraculum nec sine reverentia penetrandum est, nec sine fiducia adeundum. Tibi itaque, Pater venerande, cui datæ sunt claves regni cœlorum, non est data potestas sine indulgentia, nec justitia absque misericordia. Interpellet igitur, et inclinet ad petitionem nostram auctoritatem tuæ potestatis sobria indulgentia, temperet æque rigorem justitiæ pia misericordia. Intutum proinde est, thronum magni regis, qui est in sæculum sæculi, aliquatenus concutere; nec minus periculosum, lectulum Salomonis, propter ambientes gladios versatiles, extra decubantis placitum, qui dormit ut catulus leonis, excitare. Sedentem et quiescentem Deum in sanctis quis audeat dubitare? De numero et sorte istorum, teste sancta conversatione, confratrem nostrum dilectissimum Clarevallensem abbatem (89) fide occulta cernimus et credimus. Forte electus est in episcopum Tolosanæ civitatis. Ut autem vere religiosus, metiens se sibi et insufficientiam suam metuens, repudiato connubio mavult discalceari, et sputa cujuslibet improperii in faciem cum Jesu excipere, quam vitis, olivæ, et ficus assumptæ professionis dulcedinem deserere. Nec in hoc usus est reprehensibili levitate, cum hoc faciat ex legislatoris auctoritate: Moysi utique, qui grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Reputat etiam, quod in Lamentationibus legitur, quia *mutatus est color optimus, postquam dispersi sunt lapides sanctuarii in capite plateurum* (*Thren.* IV). Timet in se fieri eclipsim solis, si de statione Hebræorum transierit in castris eorum, quorum os locutum est vanitatem (90), et quorum pedes currunt ad malum. Citius enim inficit venenum, quam curet antidotum: et fragilis natura difficilius reparatur, cum facile frangatur. Concedat igitur apostolica licentia hominem istum in paradiso Clarevallensi operari cibum, qui non perit, et in sudore vultus sui panem suum manducare, quia nec vult vetitum tangere, nec tunicam pelliceam assumere. Fixit namque tentorium suum de pellibus Salomonis juxta puteum viventis et videntis, juxta acervum novarum frugum, juxta denique propitiatorium, intra sanctuarii velum, subter alas cherubin sancti Benedicti et beati Bernardi. Supposuit quoque humerum arcæ fœderis Dei, in qua est virga crucis, quæ floruit in apostolis, fronduit in regeneratis fidelium turbis, et nuces protulit in martyribus, confessoribus atque virginibus? in qua duæ tabulæ testamenti, una asperitatem legis continens, altera Evangelii mansuetudinem et gratiam conferens. Ad ultimum manna est ibi absconditum promissæ dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, et dabit diligentibus se. Habitat in medio lapidum ignitorum, quorum contemplatione visus acuitur, torpor excutitur, vitalia nutriuntur, morticina rejiciuntur, religio perpetuatur. O quam dura, quam amara separatio religiosi affectus, cui credit carnalis necessitudo, cui supponitur delectatio,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(89) *Clarevallensem abbatem.* Henricum. Hic paulo ante, hoc est anno 1178, cum Petro S. Chrysogoni cardinale, et episcopis aliquot, Tolosam legatus fuerat adversus hæreticos Albigenses. Qua de re præclara exstat Henrici ipsius epistola apud Hovedenum. Nunc mortuo Gocelino episcopo Tolosano ad eam cathedram poscebatur.

(90) *Quorum os locutum est van.* Tolosatum, quos ea labes præaliis infecerat. Henricus ipse in epistola: *Tolosam, quæ sicut erat civitas maxima multitudinis, ita etiam dicebatur esse mater hæresis, et caput erroris.*

cui ambitio substernitur! Quam infelix commutatio, ubi pro suavi odore recipitur fetor, pro crispanti crine calvitium, pro fascia pectorali cilicium! Nequaquam est hæc commutatio dexteræ Excelsi. Non igitur audiat auris apostolica adversus Mariam ad pedes Jesu sedentem, Martham conquerentem, quæ sollicita est circa frequens ministerium, nec gustavit poculum ex vino condito sanctæ contemplationis, et in lege Dei assiduæ meditationis.

EPISTOLA LXXXI.

AD ALEXANDRUM PAPAM.

[VIII, 10.] ALEXANDRO papæ, PETRUS abbas S. Remigii.

Sicut a paternitate Domini nostri Remensis Willelmi, in mandatis acceperamus, de causa terminanda, quæ vertitur inter episcopum Suessionensem et comitem Robertum (91), Suessionis accessimus, et nobiscum abbates Sancti Crispini, Sancti Joannis, et vallis Serenæ. Ibi allegationibus utriusque partis auditis, ab episcopo productorum testium attestationes scriptas recepimus. Deinde aliam diem Remis utrique parti statuentes, iterum convenimus; et post multa, quia dominus rex super hoc negotio litteras suas episcopo direxerat, ex voluntate et consensu eorum diffinire causam distulimus, donec cognosceremus an dominus rex controversiam illam inter eos pacificaret. Postea vero nulla interpellatione interveniente, nec diem sibi dari episcopo a nobis postulante, interdicto excommunicationis nobis inconsultis terram præfati comitis episcopus subjecit. Proinde comitissa ex parte sua et comitis conquerens de hac injuria, ut terram suam absolveremus a nobis exegit. Consilio itaque sapientum habito, accepta cautione a parte comitis, quod si novum damnum, vel injuriam episcopo fecisset, plene resarciret, terram absolvimus. Hanc igitur hujus rei veritatem vobis mandamus et testamur.

EPISTOLA LXXXII

AD EUMDEM.

[VIII, 11.] ALEXANDRO summo pontifici (92), PETRUS abbas Sancti Remigii.

Totius Christianitatis onus humeris apostolicis impositum non ignorat, qui Christum Principi apostolorum dixisse non dubitat : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Necesse itaque est, ut Aaron, qui penetravit cœlos in sanguine suo, pontifex a Deo Patre constitutus in æternum, et Ur, qui in igneis linguis super apostolos descendit, tam manus quam humeros vestros auxilio suo sublevent, et ne deficiant, sustentent. Iniquitas namque, quæ sedet super talentum plumbi, geminatis quin potius junctis alis, Ecclesiam Dei et vestram, Dei, desponsatione, vestram, procuratione, usquequaque opprimit, tam in subditis quam in prælatis, adeo ut jam possit dici : *Sicut populus, sic sacerdos* (*Ose.* IV), sicut oves, sic et canes. Quid dicam, et quare dicam quod patet lippis et tonsoribus? Nonne clamor tanti mali, ne dicam furor, usque ad nubes ascendit? Et quis vos dubitat ista scire, cujus est non solum morbos discernere, sed etiam quæque morbosa secare aut sanare? Tamen, summe pastor, duo mala facit populus tuus. Descende et invenies vitulum conflatilem, lascivientem in vaccis populorum, et lingentem herbam usque ad radicem. In altero notatur luxuria, in altero avaritia. Olim hæc tenebrarum familia tenebant valles, jamjam occupant montes. Olim fœdabant templum Veneris, sed jam polluunt atria Virginis, quam Pater desponsavit Filio suo, et Paulus tanquam uni viro virginem castam vult exhibere Christo. Olim denique regnabant in Babylonia, nunc in Hierosolyma. Jeremias lamentatur avaritiam sedere in capite omnium compitorum, ubi concurrunt in dandis honoribus ecclesiasticis, aut carnalis affinitas, aut pecuniaria cupiditas. Dei quidem solius est ista amputare et tollere. Vestrum autem securim ad radicem ponere, et pro posse in sententia vigilum statuam istam confringere, et arborem succidere sollicitudine non pigra. Quomodo autem fiat istud, docebit vos qui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit David puero suo, et omnia quæ audivit a Patre suo nota fecit suis apostolis. Lator quoque præsentium fidelissimus vester, et totius honestatis et bonæ famæ vir insinuabit. Pungenda tamen est gladio ancipiti luxuria, quæ non solum thalamos pudicitiæ, sed etiam terminos totius verecundiæ transgreditur, quatenus etsi stimulus ejus non confringitur, saltem retundatur; etsi non sepelitur, saltem recondatur. Avaritiæ duo cornua in ecclesiasticis trajectionibus prorsus anathematizentur, in sæcularibus rapinis ungulæ ipsius aut eradicentur aut exsecentur, Spiritus Domini, quia omnia continens replet orbem terrarum, ori et cordi vestro semper adsit, et præcipue in hac secunda generali congregatione.

EPISTOLA LXXXIII.

AB EUMDEM.

[VIII, 12.] Domino papæ PETRUS abbas sancti Remigii.

Ad generale concilium, Pater venerande, cum cæteris Catholicæ Ecclesiæ filiis citatus excusationem præfero, non frivolam de perfunctoriis evangelicis

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(91) *Comitem Robertum.* Comitem Suessionensem. Episcopi vero nomen Nevelo, qui Lateranensi concilio subscripsit. De S. Crispini monasterio apud Suessiones dictum est superius. Apud eosdem est monasterium S. Joannis, quod de vineis vocant ordinis S. Augustini. In pago autem Suessionico Vallis Serena, Præmonstratensium cœnobium.

(92) *Alexandro sum. pont.* Anno 1179 cum instaret synodus Lateranensis, quam propterea secundam generalem Alexandri congregationem appellat, quia priorem ante annos 16 Turonis celebrarat : quod generale etiam concilium dicitur Neubrigensi lib. II, cap. 14, et aliis.

aliquam, quibus ad cœnam invitati se excusando A accusant; sed manifestis documentis probabilem et veram. Prompta siquidem est in me ad omnem obedientiam devotio; sed succumbit propter invaletudinem languida exsecutio. Inest voluntas, sed impedit infirmitas; *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI). Apud igitur paternam clementiam et æquissimam apostolicæ discretionis censuram, ætas annosa, longa via, brevis vita, fessa membra, sint nostræ excusationis probabilia et necessaria argumenta. Mavult habere filium absentem vivum quam secum semimortuum, vel certe exstinctum. Percussus sum, ut fenum, quod jam exaruit, quod hodie est, et cras non in clibanum, sed in feretrum mittetur, et quomodo tanquam plaustrum onustum feno prosequi potero ambulantes in equis, et volantes in pennis sanitatis et robustæ ætatis? Quid enim? si præsens essem, nec interesse possem. Quid faceret facula fumibunda, inter astra lucentia? Parcite ergo in hoc nunc, sicut semper fecistis, nostras preces benigne suscipiendo et efficaciter implendo.

EPISTOLA LXXXIV.

AD EUMDEM.

[VIII, 16.] ALEXANDRO papæ PETRUS abbas Sancti Remigii.

Cum universitas Christianitatis, Pater sanctissime, vestro regatur moderamine, et cura vestræ sollicitudinis ad plura distendatur, quam sit stellarum C numerus, vel arenæ maris, satis mirum est, si nunquam circumveniatur. Plures enim venantur in curia vestra subreptione, quam famulentur fideli devotione. Excipio sinceritatem sanctorum cardinalium, quorum fides satis nota est Deo et vobis. Adventium redarguo fallacem simulationem, præcipue Teutonicorum, quorum insidias et nos experti sumus, et vos vivo carbone tactus non ignoratis. Hi namque toto tempore schismatis, cum expositos nos, et quasi sine defensore calumniis et damnis pluribus afficerent, nunquam tamen in guerra obtinuerunt, quod modo in pace vestra et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nituntur ab ecclesia nostra auferre. Dominum namque imperatorem frequenter sollicitaverunt, ut de præbendis Marsnæ aliqua subripere D possent, quas olim a multis retro temporibus, concessione Leodiensium episcoporum, et tam privilegio piæ memoriæ prædecessoris vestri Innocentii, quam vestro, confirmatas habemus. Mandastis præposito nostro de Marsna, quatenus cuidam clerico imperatoris præbendam quæ non est daret. Petit igitur conventus noster prostratus pedibus vestris, revocare mandatum, et ulterius nullam recipere alicujus super hac re petitionem. Devoti enim sunt filii vestri; et exinde devotiores efficientur.

EPISTOLA LXXXV (93).

AD EUMDEM. IN CAUSA S. THOMÆ CANTUARIENSIS.

(Epistolæ S. Thomæ, edit. GILES, Oxon. 184, in-8°, t. II, p. 172.)

ALEXANDRO papæ PETRUS abbas Sancti Remigii.

Stylum cohibere poterat apostolicæ contemplatio majestatis, si non erigeret animum humanitatis respectus, et provocaret ausum parvulis Christi condescendere solita clementiæ vestræ gloriosa dignatio. Inter quos audeo et ego, cum vix ante Dominum meum, patrem fidelium, consolatorem depressorum, et deprimentium judicem, sim pulvis æstimandus et cinis, verbum facere pro Ecclesia Dei ad apostolatus vestri gloriam et honorem, quem in exhibitione justitiæ, qua totus indiget mundus, et operibus misericordiæ, qua sublimantur oppressi, et inopes reficiuntur, lætus audio dilatari. His, Pater, titulis sanctitas vestra promeruit, ut eam in brachio potenti et patenti virtute in tot periculis Dominus antecedat, et ante vos et pro vobis gloriosos terræ humiliet et prosternat. Revolvantur ab initio et introitus vester et variorum processus eventuum, et plane luce clarius erit, quia non manus hominum, sed Dominus fecit hæc omnia. Ille vero qui cœpit in vobis miserationis suæ magnalia, et apostolatus vestri consolidabit thronum, quia mundo palam est vos ambulare in semitis ejus, qui pauperem liberat a potente, qui acceptionem reprobat personarum, qui in judicio respondebit unicuique secundum opera sua. Exsultat in his, quæ de vobis audit, devotus filius vester Christianissimus rex Francorum, lætatur Ecclesia Gallicana, cujus tristitia de vanitate quorumdam insultantium veritati nuper est in gaudium commutata. Nam in adventu dominorum vestrorum cardinalium didicit, quod venerabilis viri, pro libertate Ecclesiæ laudabiliter decertantis, Cantuariensis archiepiscopi fovetis causam, et mendaces esse convincitis, qui se ruinam innocentum et confusionem Ecclesiæ gloriabantur a vobis impetrasse. Et plane saperent cardinales, si starent in finibus vestris. Sed quod itorum gemit Gallicana Ecclesia, jam in hac parte dicuntur excessisse. Unde paternitatem vestram toto corde prostratus imploro, quatenus Christianissimi regis et reginæ, et episcoporum et procerum Galliæ preces pro domino Cantuariensi porrectas audiatis, et deducatis in irritum, quidquid contra justitiam ejus noveritis esse præsumptum.

EPISTOLA LXXXVI.

AD ALBERTUM CARDINALEM.

[VI, 1.] Domino ALBERTO cardinali (94) et Romanæ sedis legato.

Nisi tanta distantia locorum et multiplex occupa-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(93) Nova.

(94) *Alberto cardin. legato.* S. Laurentii in Lucina. Sic enim apud Rogerum appellatur in litteris absolutionis, quas Henrico regi, cum se de B. Tho-

tionum impedimentum nos retineret, dilectissimam nobis paternitatem vestram visitare nullatenus tandiu postposuissemus. Est enim in pectore nostro multa de negotio vobis injuncto et de fine ejus sollicitudo, quia honor Dei et Ecclesiæ utilitas, et famæ vestræ integritas, atque totius curiæ Romanæ circumspectio ex eo accipiet apud conscientiam omnium laudem et magnificentiam, si secundum regulam æquitatis et veritatis sortitum fuerit effectum. Quatenus ergo res jam processerit, non sit vobis tædiosum amicum vestrum certificare. Habetis autem idoneum, si placuerit, per quem fideliter remandare et secure potestis, priorem utique de Valle Sancti Petri, charissimum filium vestrum, quem in Christo genuistis, et ejus spiritum in omnibus vobis obnoxium reddidistis. Ad locum namque, qui Vallis Dei (95) appellatur profectus, ut ibi priorem substituat, non multum a vobis remotus, si ei mandaveritis venire ad vos, tutis auribus instillare poteritis, quæ de statu vestro grata vel ingrata vobis occurrunt. Et mihi quidem videtur, præfatum locum vestro auxilio et consilio multum indigere, quia episcopus, ad cujus diœcesim pertinet, manum benedictionis et auxilii differt apponere. Neque enim cœmeterium, neque monasterii sui consecrationem, fratres qui ibi manent habere possunt. Vestra itaque interest, quod de facili potestis, pauperes Christi in hoc juvare, ut in loco benedicto Creatorem suum benedicant. In calce litterarum supponimus vobis commendare priorem, qui ibi substitutus est, quem de fornace religionis, et regularis subjectionis noviter extractum, ad curam animarum regendam filius vester manum mittere coegit. Doctrina itaque et auxilio vestro instruite illum, quia scitis quam difficilem rem arripit, qui animas suscipit regendas.

EPISTOLA LXXXVII.

AD EUMDEM.

[VI. 3.] Una sua Christus amplissima et generalissima regula omnes tam præcedentium quam subsequentium catholicorum Patrum sanctissimas sanctiones compendiose includit, dicens de dilectione Dei et proximi : *In his duobus tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). Revocanda igitur sunt omnia, quæ fiunt in Ecclesia Dei, ad hanc ornatissimam regulam, quia quidquid ab ea discordat, a spiritu pacis et charitatis non manat. Inde est, Pater venerande, quod dispensationes quarumdam institutionum non indigne admittuntur pro majori et meliori recompensatione. Volumus igitur vobis notificare, quanta mala et quanta hominum strages in terra nostra ex guerris quorumdam nobilium hominum, videlicet comitis Vuischardi de Ruzeio, et comitis Recensis atque Hugonis de Petriponte, diebus nostris et antecessorum nostrorum acciderunt. Homines innumerabiles tam occisi quam capti et redempti sunt, et novissima damna sustinuerunt. Religiosæ domus deprædatæ sunt, et multa alia mala provenerunt. Interventu tandem bonorum et sapientum et religiosorum, matrimonia inter se contrahere disposuerunt, ut saltem isto nexu confœderati, inter se pacem tenerent et haberent. Penset itaque vestra discretio, ut si quid de gradu consanguinitatis obstat, pro bono pacis, et pro tantorum malorum recompensatione, quæcunque fieri potest a domino papa non recusetur dispensatio. Valete

EPISTOLA LXXXVIII.

AD EUMDEM.

[VIII, 9.] Domino ALBERTO cancellario (96), PETRUS abbas Sancti Remigii.

Pro aliis rogare cogimur, qui pro nobis vix exorare sufficimus. Nec tamen in postulatione hæsitamus, quam commendat justitia postulationis, conscientia postulantis, et pietas postulati. Justitia est suum jus unicuique servare; conscientia bona est, dilecto domino pro conservo fideli humiliter supplicare; pietas paterna est, propositum etiam inflexibile anxiato filio benigne remittere. Scimus, domine amantissime, potestati apostolicæ subesse quod mandare voluerit, et dicere huic : Vade, et vadit, et alio : Veni, et venit ; et servo : Fac hoc, et facit (*Matth.* VIII). Sed jungatur currus potestatis et pietatis, sublimitatis et mansuetudinis, ut media sternatur charitas propter filias Jerusalem. Certe, ut credo, aut nullas filias in terris habet Ecclesia, quæ est mater nostra, aut in Clarevallensi cœnobio quotidie parturit, et maternis uberibus alit matrissantes filias. Siquidem Jesu Christi de Virgine nati, in mundo religiose conversati, in cruce sub Pontio Pilato affixi, vera vestigia vestri Clarevallenses sequuntur, caste vivendo, Patri spirituali in omnibus obediendo, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis quotidie crucifigendo. Si Deus pro his, quis contra illos? Ecce pulli isti sub alis gallinæ, quæ se contra milvos spiritalis nequitiæ opponit, lambunt sanguinem Dominicæ passionis, et dormiunt sub umbra juniperi, labores suos consolantes dilectione protectoris sui. Quanti itaque periculi sit excitare quiescentes sub hac ficu et vinea, non carnali, sed spirituali dulcedine, discernat discretissima moderatio apostolica, et non

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

mæ nece purgasset, cum Theodino collega dedit. Atque hic nimirum fuit exitus legationis, de qua audire avet hoc loco, et de qua scribit Alexander epist. 54.

(95) *Vallis Dei.* Carthusiensium cœnobium ad diœcesim pertinens episcopi Carnotensis. Hunc enim episcopum significat. Aliud est Vallis Dei monasterium, ordinis Præmonstratensis in Remensium diœcesi, quod ad rem nihil facit.

(96) *D. Alberto cancellario.* Cardinali, ad quem lib. VI, epistol. 1. Eidem Romanæ Ecclesiæ cancellario et noster posthac sæpius, et Stephanus item Tornacensis, ac Petrus Blesensis epist. 38.

auferat ab eis desiderabile oculorum suorum. Annon sunt alii præter istum? imo super numerum multiplicati sunt qui dicunt: *Ecce ego, mitte me* (*Isa.* VI), cum iste dicat: *A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia puer sum* (*Jer.* I). Forte dicitis: Quid ad te de Clarevallensibus, cum Samaritani non contantur Judæis, et nigra Æthiopissæ facies et vestis differat ab illa veste et facie, quæ apparuit apostolis in transfiguratione Domini? Ad quod ego: Ex multarum facierum personis, regina quæ assistit a dextris filii, in vestitu deaurato circumdata varietate, cantat in psalterio decachordo ante sedentem in throno gratiæ, unde procedunt diversa charismata gratiarum, cum sit tamen unus, atque idem spiritus idem Dominus.

EPISTOLA LXXXVIII *bis*.

AD EUMDEM.

[VIII, 13.] ALBERTO cancellario, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Arca Dei Israel, area sanctificationis, arca fœderis, quondam ex præcepto legislatoris circumtexta ex omni parte auro, antiquorum patrum sanctitate et doctrina, quam etiam cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium desuper tegebant, nunc in præsentiarum, abusione et negligentia filiorum Heli, vestimentis gloriæ suæ spoliata, atque infecundis salicibus operta et relicta, juxta Isaiam (*cap.* I) sicut tugurium in cucumerario, et umbraculum in vinea, recordatur dierum adolescentiæ suæ, et plorans atque in maxillis suis lacrymas reponens dicit: Revertar ad virum meum priorem, quia mihi melius erat tunc magis, quam nunc. Boves calcitrantes, videlicet doctores, a semitis justitiæ per sua desideria aberrantes declinant eam, cum deberent glorificare Deum, et portare in corpore suo. Verus itaque dolor illos tangit, qui diligunt illam non sermone et lingua, sed opere et veritate. Non ignoramus vos unum esse et specialem amicum sive filium universalis sanctæ Ecclesiæ, cujus typum et figuram illa arca tenuit. Ad luctum itaque et compassionem maternæ angustiæ, sive desolationis, vos advocamus, ut quidquid affectualis devotio exigit, maternis impendatis doloribus. Secundum enim locum post dominum papam a Deo in his corrigendis tenetis; sed cavete, ne in vacuum gratiam Dei acceperitis. Qui enim spiritum vestrum (97) et sanctam conversationem ante multis retro temporibus viderunt et cognoverunt, de meliorando statu Ecclesiæ spem optimam conceperunt, cum factum cancellarium audierunt. Nisi vero ubique essent notoria et vobis notissima, de his latius scriberemus. Tamen ne clausis labiis potius singultiamus quam loquamur, declarat charta quod non silet vita. Dilatat infernus animam suam absque ullo termino, dum immaniter grassatur, tam in oves quam in pastores. Qui enim prævii constituti sunt ad cœlum, malo exemplo suos sequaces trahunt in infernum. Non de omnibus dico, novit enim Dominus qui sunt ejus. Quo autem mercede meliori digni sunt boni, eo amplius increpatione et correptione indigent mali. Isaias, Jeremias, Ezechiel sua prophetia nostra deprehenderunt tempora. Contra pastores namque, et perversos rectores, nuda, sed et vera retorserunt jacula, avaritiam eorum, luxuriam, gulam, rapinam, et omnem injustitiam non in angulis, sed in plateis declamantes. Ingrediatur itaque in ossibus et medullis vestris, et impleat spiritum et os vestrum spiritus illorum zelotypus, conterens montes et petras, et efficax usque ad divisionem animæ, et spiritus. Gladius vester devoret carnes inebriatus in cœlo, quatenus emendatos remittatis nobis pastores nostros, et omnibus serpentinis exuviis spoliatos.

EPISTOLA LXXXIX.

AD EUMDEM.

[VIII, 14.] ALBERTO R. E. cancellario, PETRUS abbas Sancti Remigii.

En auctoritatis apostolicæ gallina grandosa et fetosa congregat pullos suos obedientia et subjectione sub alas benignæ protectionis et discretæ consultationis, quid fotura? quid paritura? quod scribatur in generatione altera, ut populus qui creabitur laudet Dominum. Ecce Jacob senex et plenus dierum, qui diu luctatus est cum angelo schismatico (98), exspectans salutare Dei, convocat filios ad benedictionem: nunquid taciturus quid Ruben fecerit, quod cubile patris ascenderit, et stratum ejus maculaverit? quid Simeon et Levi, vasa iniquitatis bellantia non prædicturus, aut constituturus, quid facere habeat posteritas futura? Grandis equidem apparatus Romani concilii, grandes portendit secuturas nuptias filii regis Jesu Christi. Ministeriales et officiales hujus sancti concilii cum cæteris, imo præ cæteris cardinalibus, non ignoro vos a Deo prædestinatos, quorum fidem, religionem, constantiam et æquitatem in multis jam expertus est sponsus Ecclesiæ unicus Dominus noster. Adhuc habet opus, ut obsequium vestrum sit rationabile et acce-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(97) *Qui enim spiritum vestrum.* Vir enim fuit Albertus cardinalis, qui et postea pontifex Gregorius VIII insigni pietate ac religione, de quo in vetere Chronico hujusmodi est elogium: *Albertus de Benevento cancellarius vir magnæ sanctitatis ac laudabilis parcimoniæ in omnibus actibus suis religiosus fuit. Ecclesiam B. Martini in qua habitum religionis sumpsit, semper cordi habuit, quæ etiam ei annuatim vestes secundum regulam procuravit.*

(98) *Cum angelo schismatico.* Triplici antipapa. Nam post Octavianum et Guidonem de quibus dictum epistola 22, contra Alexandrum stetit etiam Joannes abbas Strumensis, qui Callisti nomen usurpavit anno 1168. Addunt alii quartum Landonem, qui dictus sit Innocentius.

ptabile in hoc concilio, ut accincti gladio utrinque acuto super femur potentissime putridas amputetis carnes, et insanas superstitiones, quæ fiunt quotidie in orbe Christiano. Ramosa siquidem et silvosa quotidie pullulat apud nos malitia ; securis autem evangelicæ disciplinæ, fabro dormiente et negligente, pene ubique jacet retunsa. Rarus est, qui eam, vel hebetatam apponat ad radicem arboris. Ut exprimam quod sentio, quam irrisoria subsannatio, quam laboriosa et lacrymosa, ne dicam tædiosa, peregrinatio, quamque damnosa expensarum jactura, et bona bonorum consumptio, si cassa et sine fructu benedictionis redierit tam solemnis magnorum virorum et religiosarum personarum congregatio? Cavete ne dicatur :

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
HORAT.

Inveniat igitur vos Jesus amicos veritatis, ut a porta usque ad portam transeuntes, vituli conflatilis cultoribus non parcatis. Commendo vobis præsentium latores, charissimos et amicos et filios nostros, abbates Sancti Petri de Montibus (99), et Omnium Sanctorum de Insula, et Sanctæ Mariæ Virtuensis, ut de gratia, quam habemus in vobis, gratiam inveniant in oculis vestris. Quam citius poteritis, cum gratia Domini papæ et vestra nobis eos remittite.

EPISTOLA XC.

AD EUMDEM.

[VIII, 15.] ALBERTO cancellario, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Quoties naufragia patimur, toties ad portum festinamus. Portum autem tutissimi refugii in littore vestræ amicitiæ jamdudum fiximus. Molestiarum quidem ventos frequenter contrarios sentimus, sed portum vestrum usque ad graviorem non infestamus tempestatem. Leviora enim discrimina aut patientia tolerat, aut virtus fortiter superat. Cum autem nubes magna et ignis involvens naviculam nostram invadit, statim aut est periclitandum aut cito enavigandum. Hoc anno dominus papa, vestro interventu, privilegium suum Ecclesiæ nostræ indul- A sit : in quo specialiter expressit canonicas (100), seu præbendas de Marsna, et quas in usus proprios jam a multis retro temporibus retinemus, tenendas in perpetuum confirmavit. Quæ etenim quondam fuerunt canonicorum præbendæ, a longissimis retro temporibus, donatione episcoporum Leodiensium, et confirmatione papæ Innocentii, in proprietatem transierunt et possessionem monasterii nostri. Nuper vero dominus papa rem, ut credimus, ignorans jam secundo scripsit præposito nostro de Marsna, ut daret præbendam cuidam clerico imperatoris, cum nec præpositus dare possit, nec sit præbenda quæ dari possit. Insinuate ergo domino nostro, ne velit panem filiorum tollere, et dare canibus, qui non cessant adversum nos latrare, et bona nostra auferre. Alias enim dicere compellimur : *Ecce in pace amaritudo nostra amarissima* (*Isa.* XXXVIII). Nam per imperatorem tempore schismatis (1) instantissime id efficere conati sunt, sed minime prævaluerunt.

B

EPISTOLA XCI.

AD PETRUM CARDINALEM S. CHRYSOGONI.

[VII, 16.] PETRO cardinali (2) Sancti Chrysogoni PETRUS abbas Sancti Remigii.

Amplexus vestræ familiaritatis mihi gratissimos oro non senescere ; sed cum ligno vitæ dies æternos tenere. Res siquidem est familiaris amicitia, quotidianis refricanda salutationibus, imo irriganda mutuis collocutionibus, et forte renovanda munerum compensationibus. Placuit dignationi vestræ me annumerare in amicorum vestrorum collegio sine merito quidem meo, sed non sine vestro. Meritum namque æquitatis est, si summus se inclinat ad infimum, magnus ad parvum, valens ad infirmum. Me vermem, me putredinem, me jamjam ad non esse tendentem reputo ; vos cum senatoribus cœli thronum justitiæ honorantem suspicio et angelos cum apostolo judicantem non dubito. An irrisorium est et non verum quod dico? Plane Scripturæ auctoritate id assero. Nam *labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est* (*Malac.* II). Amicabilia sunt, exhortatoria sunt, ne Dominus et amicus obliviscatur, ca-

C

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(99) *Abbates S. Petri de Montibus.* Monasteria sunt diœcesis Catalaunensis, duo quidem priora in urbe ipsa, tertium in oppido non ignobili. Sed monasterium Omnium Sanctorum, cujus etiam mentio in epistola 6 Alexandri, ordinis est regularium S. Augustini, duo reliqua S. Benedicti.

(100) *Canonicas seu præb. de Marsna.* Quæ monasterio S. Remigii ita fuerant tributæ, ut decedentibus canonicis in usus cederent monachorum. Diploma Conradi imp. Odoni abbati concessum anno 1145 : *D. Odo venerabilis abbas S. Remigii confessoris et Francorum apostoli, nostram præsentiam apud Trajectum ulterius visitavit, et possessiones Ecclesiæ suæ, quæ in regno nostro adjacent, nostro petiit privilegio confirmari. Marsnam videlicet cum omnibus appendiciis suis, Herta, Cluma, Litta, Angledura, Becca, præbendas quoque Marsnenses in usus monachorum decedentibus monachis* [l. *clericis*] *transmutatas. Nos itaque tam religiosi viri petitionibus diligenter obtemperavimus, et tam possessiones supradictas, quam præbendas in usus monasticos conversas regiæ majestatis sigillo corroboravimus.* Diploma item Friderici imp. quod Hugo abbas Aquisgrani obtinuit anno 1152 : *Hoc etiam eidem B. Remigii Ecclesiæ regali munificentia adjicientes confirmamus, ut præbenda clericorum Marsnensis Ecclesiæ in usus monachorum decedentibus clericis sine ullius contradictione de cætero cedant.*

D

(1) *Tempore schismatis.* Ante annum 1177 quo imperator in gratiam rediit cum pontifice.

(2) *Petro cardinali.* Legato sedis apostolicæ, electo antea Meldensi, ut dicitur ad epistolam 117, legationem innuit epistola 117, in qua et de Crispino eodem.

sum graviorem de excelso quam de imo. Certe sollicitudo amicalis frequenter tangit me inquirere de omni statu vestro, tam de interiori quam de exteriori : et gratias ago Deo meo, quia non nisi bona nuntiantur, non nisi honesta, non nisi ordini et officio vestro congrua. Oro ut qui cœpit ipse perficiat. Magister Crispinus de vobis me lætificavit, referens unde gauderem et Deo gratias agerem. Clericus et amicus noster est ; æque desiderat esse et vester. Ecce Parisius ad scholas vadit, sed et ubique nomen vestrum super se invocari postulat. Utile equidem est tanto homini, qui tanta omnium sollicitudine pene continue vexatur, quod sui corporis necessaria et salubria postponens, ad intemperiem corporalem sæpe delabitur. Rogo pro ipso, et cum ipso, quatenus gratiam non qualem qualem inveniat in oculis vestris, sed bonam, sed confertam, sed superagitatam et superefluentem. Dico autem gratiam, non pecuniam. Hæc enim juxta Apostolum operanti reddatur secundum meritum. Præ cæteris hoc unum ad præsens postulat, ut de manu vestra primitias clericatus, id est coronam accipiat. Hoc etenim signo accepto, magis se obligatum erga obsequium vestrum non immerito deinceps arbitrabitur, et vos tanquam plantæ vestræ bonum jure providebitis. Credo per Dei gratiam quod alter de altero gaudebit, et Deo cooperante fructum salutis faciet. Diu siquidem laboravi, et monitis induxi, ut jugum in area Domini traheret, et glebas post ipsum confringeret. Valete, et de reditu vestro cum potueritis nos certificate.

EPISTOLA XCII.

AD EUNDEM.

[VII, 18.] PETRO cardinali Sancti Chrysogoni, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Raro meus sum, cujus ergo ? forte Apollo ? forte Pauli ? forte Cephæ ? Utinam ! Nam bonam habent mensam, mansuetam et fructuosam disciplinam, donativum denique præcipuum et perpetuum. Diversorum autem subsellia et iniquam tyrannidem frequenter experior. Utique Roboam, qui cædit scorpionibus : Pharaonis, qui affligit in luto et latere : Nabuchodonosor, qui potat urinam pecudum suorum, quos sub jugo carnis, ventris, et gulæ inescaverat. Denique in captivitate mea, et universa vanitate sub sole, concaptivam habeo puellam, nobilissimis ortam natalibus, videlicet pudicitiam. Hujus me injuriosa damnatio illorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum, non minus aggravat, quam propria miseria. Volui siquidem cum illa fœdus amicitiæ inire ab ineunte ætate, propter decorem suum, et genus illustrissimum, nec non et pacatissimum atque honestissimum contubernium. Cum itaque chaos sive cohors spurcissimorum hominum, tanquam porci pretiosissimam margaritam de cœlo lapsam pedibus suis conculcent, quæ pax ossibus meis ? quæ requies animæ meæ ? Clamo, nolite, nolite ; sed non est vox, neque sensus. Quinimo apponunt iniquitatem super iniquitatem, ut cum pudicitia obruant religionem. Huic nulla parcentes miseratione oculos eruunt, convertendo ad vanitates et insanias falsas ; nasum præcidunt, discretionis temperantiam evertentes ; aures obstruunt, obedientiam non tenentes ; labia concidunt, turpiloquio et scurrilitalibus assuescentes ; linguam decapulant, malum redarguentes et mendacium semper loquentes ; manus ligant, eleemosynam non dantes, sanguini et avaritiæ insistentes, pedes in nervo ponentes, Christum in carcere non visitantes. Quid amplius ? nervos detrahunt religioni effeminati, qui sanctorum Patrum abstinentiam, vigilias, psalmodiam, silentium, regularem disciplinam, claustralem remotionen a sæcularibus negotiis dissipant et vilipendunt. Forte dicitis, quid ad me ? Certe vestra interest, et certe officii vestri est, certe debito tenemini, pro posse vestro districta censura his occurrere injuriis, his aurem benignam accommodare clamoribus, has dirimere quæstiones, et amputatis Dagon brachiis et capite, arcam Dei restituere Bethsamitis. An habetis judicare causas pecuniarias, et non divinas ? Quis vos misit ? Ad quid vos destinavit Dominus Deus per vicarium suum dominum apostolicum ? Ad quid ? Ut solveretis asinam, id est religionem alligatam et pullum cum ea, id est, pudicitiam. *Dicite*, inquit, *quia Dominus his opus habet* (*Matth.* XXI). Sedet enim super utrumque, qui sedet super cherubin. Non negligatis Dominicum præceptum, imo non exstinguatis in vobis spiritum Moysi, de quo dictum est : *Auferam de spiritu tuo, et dabo septuaginta senioribus* (*Num.* XI), de quibus unum vos constituit gratia sua Deus. Quis autem est spiritus Moysi ? Spiritus iniquitatem non sustinens, spiritus occidens injuriam facientem, et vindicans patientem ; spiritus defendens septem puellas filias Jethro sacerdotis Madiam ; spiritus principem Ægypti decem plagis feriens, et tandem in mare demergens. Diu detineo vos, quia non possum ore proprio, saltem scripto. Dulce namque mihi super mel et favum, vos alloqui, et vobiscum favellare. Hujus tamen causa et materia est magister Crispinus, clericus noster, imo et vester ; nam populus meus, populus tuus, amice et domine charissime. Commendo itaque vobis eum, tanquam viscera mea, quia vidi honestam conversationem ejus, et proclivem ad meliora et viciniora saluti. Novi vos, quia talium familiaritatem non respuistis. Habeat itaque vos dominum, et signo clericatus a vobis suscepto, patronum et auctorem hujus ordinis habeat.

EPISTOLA XCIII.

AD PRÆNESTINUM EPISCOPUM

[VIII, 21.] Prænestino episcopo (3), PETRUS abbas Sancti Remigii.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(3) *Prænestino episcopo*. Bernecredo, qui ex abbate SS. Crispini et Crispiniani cardinalis Romæ ab Alexandro creatus est, epist. 94.

Plus molesta quam grata et jucunda occurrit materia, quoties ad scribendum unico et quondam collaterali amico abbati sumitur charta. Renovatur namque dolor meus repentina, sed et urgenti et urenti corrosione animi, dum transmontana remotio intercurrit et amicos dividit aspectus, non tamen affectus. Accedit huic severissima desperatio corporalis incorporationis, cum forte instet citissima alterutrius solutio animæ et corporis. Bone nunc domine, olim amice dulcissime, quem constitues vicarium, qui vices tuas suppleat in nostris exsequiis, in oculis claudendis, extrema salutatione, et æterna conclusione? De cujus manibus Salvator suscipiet spiritum meum, cum tuas mundas manus ad hoc delegissem dudum officiosum obsequium? Alius, ut video, amicus officii in his est substituendus. Sed quare conqueror? quare gemo? quare vultum obnubilo? Dei enim ordinationi quis resistit? An forte tulit Deus Eliam, ut Eliseus duplicem ejus reciperet spiritum? Nonne Joseph asportatio in Ægypto fratrum ejus et totius successionis fuit salvatio? Nonne Jesus ante apostolos cœlum ascendit, ut spiritum mitteret, et mansiones præpararet? Ecce juxta latus apostolorum locus a Deo tibi datus est. Quid ergo? Pulsa, excita : insta opportune importune (*II Tim.* IV), donec et ros et stillicidia gratiæ de sanctis ossibus, imo interpellationibus eorum, aridam nostram infundat, qui gratiam apostolatus et benedictionem singularem ad nostram eis salutem indulsit. Hoc munus si per te collatum fuerit, amissis præponderat, et una clausula innumera beneficia coagulat. Domino papæ de sua gratia ad vos gratias agite. Cancellarium Tusculanensem (4), Albanensem, dominum Hyacinthum et Ostiensem sanctum virum, et si quos habemus alios amicos in curia, salutate.

A

B

C

D

EPISTOLA XCIV.

AD EUMDEM.

[IX, 1.] Prænestino episcopo (5), Petrus abbas Sancti Remigii

Ex multa et pene inconsolabili cordis angustia, ex multorum relatione, perpendo vos usque in conquestionem tædii vitæ vestræ prorumpere. Hoc sine dubio sciatis viri minus constantis et prudentis esse. Apostolus certe magister non gentium tantum, sed omnium Christianorum, scit abundare, et penuriam pati, et in omnibus sufficiens esse. Ad hanc formam utinam componeremus titubantem vitam nostram! Causas tamen pusillanimitatis, imo assiduæ conquestionis, audire desidero, et tunc vel improbare vel approbare dolorem potero. Triplex siquidem occurrit mihi conquerendi ratio, sive occasio. Aut enim propria temeritas impellit ad aliquid faciendum, quod non sit faciendum; aut aliena calliditas, aut, ut vulgo loquar, perplexa divinæ prædestinationis necessitas. Sed propria temeritas semper culpanda; aliena calliditas cavenda; a Deo veniens justa sententia timenda; freno indiget propria temeritas, ut inconsulta; consilio aliena calliditas, ut suspecta; superna sententia timore, ut fortissima. Non mihi ignosco in propria temeritate, accuso me in alienæ calliditatis circumventione, gemo sub manus Dei percussione. Ne iterum præcipitet propria temeritas, rationem consulo; ne suffocet laqueus alienæ calliditatis, sapientem consulo; ne mucro supernæ severitatis usque ad internecionem desæviat, humiliter imploro. In propria temeritate fragilitatem meam cognosco; in aliena seductione spiritum discretionis advoco; in flagellis divinis Deo me totum committo. Quæro igitur, quam istarum magis suspectam habeas, utrum unam, vel duas, vel simul tres. Si unam et tuam, propitius tibi esto. Si alienam et meam, indulge mihi : potius enim simplicitate quam calliditate usus sum, quando ut tuo episcopo acquiescerem, ire cum eo ad concilium persuasi. Si te cœlestis dispensatio illaqueavit, quid tibi irasceris? quid mihi? Quis enim tu? quis ego? qui prohibere possem ne suo cursu curreret, quem nulla creatura declinare aut impedire potest? Quid enim Deus cogitet de nobis intra velum secreti consilii sui, eo usque nos latet, donec ad publicum nostrum ipso actu prodeat. Tandiu est nostrum nescire, quandiu suum duraverit celare. Longanimiter quoque exspectandum est, quod cum venerit, patienter est sustinendum. Non est properandum si differat; non est murmurandum si proferat. Jesus Christus heri et hodie : heri, antequam aperiat sacramentum voluntatis suæ; hodie, cum manifestaverit secretum præscientiæ suæ. Idcirco sic exclusa sopiatur omnis vestra conquestio, ubi nec temeritas apparet reprehensibilis, nec calliditas apprehenditur damnabilis, nec Dei sententia intolerabilis. Etsi enim privavit solo paterno, bono-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ

(4) *Cancellarium Tuscul.* Romanæ curiæ cardinales quinque. Ex his Albertus cancellarius jam notus est. Petro Tusculano scribit epist. 96. Et Stephanus epp. 50 et 89. Albanensis est Henricus, abbas antea Clarævallis, hujus libri epist. 80, quem in synodo Lateranensi cardinalem nuper crearat Alexander. Hyacinthus postea pontifex, Cœlestinus III appellatus est. Ostiensis item episcopus Hubaldus, qui mortuo Alexandro succedens Lucii III nomen tulit.

(5) *Prænestino episc.* Berneredo cardinali. Jam monuimus ad epist. 93, quod hoc loco fusius narrat. Abbatem S. Crispini, cum Romam ad concilium profectus esset cum episcopo Suessionensi, cardinalatus insignibus ornatum fuisse, donatumque episcopatu Prænestino. Sed hunc Bernardum appellat Panvinius : nos Berneredum apud Cellensem, in cujus codice prima tantum littera notabatur, edidimus, Alexandri III diploma pro monasterio nôvo apud Pictavos secuti, cujus antigraphum quod vidimus Berneredum inter cardinales qui subscribunt exhibet episcopum Prænestinum. Cæterum Bernaredus et Bernardus, idem nomen est, ut Medaredus et Medardus, Gildaredus et Gildardus, Felicem porro hujus obitum miraculis illustrem describit epistola 96 ad cardinalem Tusculanum.

ravit vos sublimi solio. Miscet namque sapientia in cratere vinum suum, ne nimis sit potanti calidum, ne rursus insipidum. Infert exsilium præsumptori, confert solatium exsulanti. Pluris est consolatio, quam desolatio vestra. Gregem pusillum dimisistis, egregios cardinales amicos et socios recepistis. Claustralem angulum reliquistis : urbem dominam mundi acquisistis. Abbatis gradum inferiorem episcopali quis nesciat ? Si corpora martyrum Crispini et Crispiniani Suessioni sepulta sunt; Petri principis apostolorum et Pauli doctoris gentium sacratiores reliquias in Romana urbe haberi quis ignorat? Si paria in vestra commutatione quærantur, tam in relictis quam in adeptis longe imparia omnia invenientur, præter affectum qui inde torquetur, unde alius extolletur. Omnia secundum se affectus moderatur. Nihil apud ipsum magnum, nisi in se de se faciat magnum. Si ergo affectus mitigabitur, pacata erunt omnia. Naturæ quidem mirabilis est animus, ex quo gignitur affectus. sed tamen quocunque suus pulsus illum tulerit, omnia ad se trahit, et suo nihilominus sive sapore, sive colore intingit. Cui turbato nihil quiescit, cui amaro nihil dulcescit, cui avaro nihil sufficit, cui vago nihil consistit. Econtra, fixo nulla mobilia flectuntur, pacato tranquilla sunt etiam procellosa, benigno mansuescunt etiam ferocia. Sic Deus adduxit ad Adam cuncta animantia terræ, et volatilia cœli, ut videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam, ipsum est nomen ejus. Procul dubio animi est omnes motus cordis et corporis judicare, et nomina imponere. Unde auctoritas dicit : Affectus tuus operi tuo nomen imponit. Præest enim volatilibus cœli cogitando de supernis; præest bestiis terræ, reprimendo motus carnis; præest etiam piscibus maris, moderando volubiles cogitationes mentis. Omni igitur studio est excolendus, sine quo nullus motus bonus. Laborandum ne sit malus, quia si malus est, non est in civitate malum quod ipse non fecerit. Enitendum quoque ut sit bonus, quatenus gratia cooperante creet bona, faciat pacem, et formet lucem. Diu detinuit epistola amicum occupatum in suis et domni apostolici negotiis. Proinde veniam peto. Remotissimum namque alloquor, quem solebam non chartis ad horam detinere, sed horis familiarissimo hinc inde colloquio, diebus plurimis quandoque adjunctis et noctibus, occupare. Valete.

EPISTOLA XCV.

AD EUMDEM.

[IX, 2.] Prænestino episcopo, Petrus abbas Sancti Remigii.

Vix occurro suscipere turbam cogitationum sive materiarum, quæ se ingerunt, insistentes opportune importune venire ad vos, dicendo : Ecce ego, mitte me. Inter cæteras vero adolescentulas medullatarum meditationum, famosissima illa et notissima atque nobilissima matrona, quæ ab humero et sursum omnes virtutes antecedit et præcellit, fraterna charitas, de qua ait Apostolus : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII), jure sedem regiam occupat, et suo splendore omnes obumbrat, imo illustrat, et suum tenere ordinem post se imperat. Huic obediunt omnia, non solum terrestria, sed et ipsa cœlestia; nam de ejus plenitudine omnes accipiunt nomen, et virtutem, gloriam et honorem. Hanc ego licet statura pusillus non attingam, tamen ad unam et minimam vestimenti ejus fimbriam totum me superextendo, et de salute nullatenus despero. Hanc cum amicis et inter amicos teneo et cognosco : et prius volo putrefieri cum vermibus in pulvere terræ, quam fidem semel datam et amicitiam promissam negligentia aut subreptione interrumpere. Matrona hæc duas habet claves, unam qua cor claudit et aperit, alteram qua atrii exterioris corbonam, id est arcam, in necessitatibus familiæ suæ similiter claudit et aperit. Cor est arca fœderis, ubi tabulæ testamenti, virga Aaron, et manna reponuntur. Tabulæ testamenti, ne ignores aut prævarices legem Dei. Virga Aaron, quæ fronduit et floruit, ut timeas offensam, quia virga; serves gratiam, quia frondosa et florida. Manna, ut per spiritum adoptionis degustes et prælibes gloriam absconsæ dulcedinis Deum timentibus, cujus stillicidium, ad quod lætatur germinans, sufficit in præsenti vita, et abundantia servatur in alia. Exclusa itaque omni malitia et iniquitate a corde, sola deambulet in suo pomerio charitas, sola ibi pascat, et cubet in meridie. Non videat illam ingredientem et deambulantem oculus nequam, qui fascinaverat Corinthios, et iniquos presbyteros. Cum tamen placuerit, advocet puellas suas de terra Israel, ut afferant ei smegmata suavissimi odoris, et oleum lætitiæ, de quibus aspergat cubile suum ad adventum sponsi, qui de sua propagine non nisi cœlestes et mansuros fructus generat. Deinde egreditur ad hortum nucum, ad hortum pomorum suorum, ut videat poma convallium, et inspiciat si floruerint vineæ et germinaverint mala punica, ad hortum utique nucum, eremitarum et reclusorum, hortum pomorum, in sæculari habitu religiose viventium : poma convallium, qui elegerunt abjecti esse in domo Dei; vineas, ferventes spiritu; mala punica, qui crucifigunt carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Ponit namque signa sua, pietatis opera, charitas in exitu actionum super summum, id est palam. Ponit namque et proponit, quatenus per signa extrinsecus apparentia deprehendatur intus latens veritas. Unde : *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Charitas enim aquas suas in plateis dividit, ut bibant homines et jumenta, quia sapientibus et insipientibus debitrix est. A corde tamen egreditur, et ad cor regreditur, quia cornua altaris ex ipso sunt procedentia, et nullum bonum opus remunerabile, quod non surgit de bonæ voluntatis radice. Ponit igitur charitas affe-

etiam cordis et obsequium operis. Affectus latet, opus patet. Sic habet charitas et secretum suum, et publicum. In secreto quiescit, in publico operatur. Imitatur operantem sex diebus, et Sabbato quiescentem. Duplex vero est officii ratio. Alia enim consideratur inter amicos, alia inter extraneos. Aliud est munus amicale, aliud generale. Amicale de corde exigitur, et in corde servatur. Generale de arca extrahitur, nec ibi retinetur. Rivus amoris non siccatur largiendo quod habet; sed arca extenuatur, dum evacuatur. Charius itaque est munus, quod nec arescit profusione, nec deficit largitione. Appetibilius tamen sæpe requiritur, quod in manu vel sinu refunditur, quam illud quod in medullis amicalibus per fidem reconditur. Exteriora siquidem et visibilia, quia usibus humanis necessaria sunt; ab his amplius diliguntur, quorum appetitus tenacius in temporalibus quam in spiritualibus irretitur. Qui vero calcatis grossioribus carnis fæculentiis cubilia spiritus ingressi, subtiliari in spiritualibus consueverunt, in amicis quærunt gratiam, non pecuniam, fidem, non extrinsecam possessionem, veritatem inviolabilem, non utilitatem temporalem. Qui enim cor hominis habet, quid est hominis, aut in homine, quod non possidet? Hinc est quod in Christo, quem Pater de corde suo eructavit, quando vel æternaliter æqualem sibi genuit, vel temporaliter de virgine incarnari constituit, omnia nostra sunt, juxta Apostolum qui ait : *Sive Cephas, sive Apollo, sive mors, sive vita, omnia vestra, vos autem Christi, Christus autem Dei* (*I Cor.* III). Forte dicitis : Ut quid, et ad quid hæc? Quia legi in litteris vestris, vos amisisse veteres amicos, nec comparasse novos. Concedo amisisse, si opinione aut veritate constat inveteratos esse. Vera certe amicitia puritate virginea, et caloris perpetuitate, neque adulteratur, neque refrigeratur; sed quotidiana renovatione cum sole semper oritur, nec moritur. Si unquam ergo habuistis amicos, adhuc habetis non inveteratos, quod esset vitium, sed remotos, quod est opus divinum. Sic enim Deus homines tanquam grana spargit et seminat. Nonne apostolos seminans ait : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI). Veniendo evangelica prædicatione sparsit, spargendo in universum mundum unitate fidei univit. Sic nostræ amicitiæ vinculum neque ruptum, neque laxatum erga vos, sed protractum usque ad sedem vestram episcopalem incorruptum et semper novum existit. Nescio si fortius, scio tamen quia tenerius absentia me vobis, imo vos mihi inviscerat, quam fecerit præsentia. Hoc probabile et necessarium argumentum est perfectæ dilectionis, quando eo amplius incendit affectus, quo remotius separat locus. Præsentia siquidem suo visu solatiatur, et satiatur usu; famelica vero absentia, præ inopia etiam amaris juniperi corticibus sustentatur, et ad solitam visionis dulcedinem vivacius inflammatur, et nutritur tenacius. Duris agitatur stimulis desiderium, quod semper quærit et nunquam invenit. Unde Psalmista : *Quærite Dominum, quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV). Et in Canticis, anima liquefacta surgit, et quærit per plateas et vicos civitatis quem diligit. Neque igitur stylo inveterato, neque animo scribo vobis. De his hactenus.

De statu autem nostro significo vobis, quod guttæ rostræ quasdam recenter sentio guttas. Cætera nostra, Deo cooperante, in omni prosperitate sunt. Theobaldum concorditer in abbatem vobis substituimus (6), et fratrem Joannem in omnibus ipsi obedientem effecimus; si tamen cum gratia vestra remanere poterit, quod omnino consulimus. Quid enim valeat, ubi est nobiscum, certi sumus. Quid vero apud vos facturus sit, nescimus. Certa vero pro incertis sunt relinquenda. Missale nostrum mitto vobis, et breviarium fratris Lucæ misimus. Quod vos supra modum in cibo et potu affligitis, non approbamus. Si nobiscum vivere et mori desideratis, non festinetis ad mortem, quia nescitis quid paritura sit crastina dies. Omnia possibilia sunt apud Deum, qui desiderium pauperum frequenter exaudit.

EPISTOLA XCVI.

AD TUSCULANUM EPISCOPUM.

[IX, 6.] TUSCULANO episcopo (7), PETRUS abbas Sancti Remigii.

Ignis divinus non minus est perpetuus, quam in hostiis Deo dicatis sanctificandis sanctus. Hinc est quod in altari, ubi tam holocausta quam sacrificia, quotidie ad expiationem peccatorum Deo immolantur, jugis et perpetuus ardet. Quid autem hoc est, nisi quod Apostolus ait : *Charitas nunquam excidit?* (*I Cor.* XIII). Nam pura a simulatione, munda a sæculari ambitione corde, Christi acceptabilia sunt altaria, sive templa. Forcipe igitur litterarum vestrarum suscepi in aureo thuribulo bonorum verborum sacras evaporationes jamdudum succensæ fornacis ex mutua inter nos visione et allocutione. Deo gratias, quia non inveni aquam crassam imminutæ dilectionis, sed ipsum ignem, non fumantem, sed flammantem in penetralibus tanti domini et amici. Putabam illum suffocatum cineribus tantarum sollicitudinum, et varietate succedentium occupationum. Præterea causam et quæstionem gravissimam adversum vos habebam, si justum habuissem judicem. A quo enim primordia cognitionis et dilectionis cum abbate Sanctorum Crispini et Crispiniani piæ memoriæ habuistis, nisi a nobis? Quare

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(6) *Theobaldum vobis substituimus.* Abbatem scilicet monasterii SS. Crispini et Crispiniani, cui ante præfuerat

(7) *Tusculano episcopo.* Petro. Petrum de Pavia, hoc est Ticinensem, vocat Rogerus Hovedenus, de absolutione agens Willelmi regis Scotiæ per Lucium III, anno 1182.

ergo de nostro bono opere nos lapidastis? Annon lapidastis, quem tot amaritudinibus et afflictionibus de ejus absentia concussistis? Annon Jacob furtum Laban de filiabus suis fecistis? Forte furtum non negatis, sed pium appellatis. Sed si furtum, quomodo pium? si pium, quomodo furtum? Probo autem furtum. Nam furtum est contrectatio rei alienæ invito domino. Romam certe ad concilium non ivisset, nisi illum misissem. Præter spem, et præter voluntatem meam illum retinuistis, et fratrem et parem vobis fecistis. Hoc tamen nec illi, nec nobis placuit. Mallet cellam Montis Dei incolere, ut frequenter mihi scripsit, quam episcopalem cathedram tenere. Quid igitur? Deus qui omnia conclusit, et meas querimonias prævenit, faciendo quod facere pie et misericorditer consuevit. Prævenit illum benedictionibus suis, et quem olim amicum et fratrem in terris habebamus, nunc dominum et sanctum in cœlis veneramur. Miracula enim, quæ facit Deus, testimonia credibilia sunt sanctæ conversationis ejus. Itaque digitum superpono ori meo.

EPISTOLA XCVII.

AD BERNEREDUM ABBATEM S. CRISPINI.

[v, 1.] Charissimo amico suo Berneredo abbati Sancti Crispini (8), frater Petrus humilis abbas S. Remigii, semper bene valere.

Chariora mihi forte et utiliora sunt spatia nocturnalia quam diurna. Siquidem diurna accersitis hinc inde et contra ductis copiosarum occupationum catervis, animam meam de manibus meis tollunt, et me mihi tam violenter quam fraudulenter assidue subtrahunt : hiemales autem noctes sua prolixitate non fastidium, aut tædium, sed interdum duplex beneficium conferunt. Tribuunt etenim corpori requiem, et animæ renovant vetustatem. Addunt insuper licentiam revisendi cœlestia, sua penetralia inquirendi, nec non et amicorum reminiscendi. Dicunt animæ cogitationibus sive meditationibus : *Vacate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XLV). Ducunt etiam sua quiete et silentio animas usque ad tertium cœlum, dum extra mundum, extra carnem, supra animam, ad regales sedes omnipotentis Verbi sancta desideria provehunt. Statim filium hominis ad abyssos humanarum infirmitatum humiliter inclinando pacata consideratione deponunt. Quis autem dum sua revolvit, amici negotia negligit? Plura de hac materia vobis libenter scriberem, sed scriptor noster frater Hugo, abrepta brevi chartula, propter finem chartæ finem fecit scripturæ nostræ. Volui tamen breviter tangere verbum illud, quod mandastis per fratrem Joannem, et sic respondere, ut dicatis illi dominæ et cognatæ nostræ : Terra in conspectu vestro est, potestis bene facere et male. Sed melius est benefacere, quàm male, quia benefacere sequitur gratia et gloria, malefacere vero pœna et pœnitentia. Dicite ei : *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas* (*Psal.* XXXVII). Dicite, inquam, ei, quia nobilius est minora a devotis gratanter accipere quam ab invitis insolenter majora exigere. Valete, et pro nobis orate. Boamundus dicit vias pessimas esse. Servate nobis litteras istas.

EPISTOLA XCVIII

AD BERNEREDUM ABBATEM ET FRATRES CONVENTUS SS. CRISPINI ET CRISPINIANI.

[v, 2.] Unicis amicis et fratribus Berneredo venerabili abbati et sancto conventui Sanctorum Crispini et Crispiniani, frater Petrus humilis abbas S. Remigii, dies solemnes et festivitates præclaras.

Non est mihi datum desuper in præsenti vobiscum sabbatizare Kalendas præcipuas in natalitiis pretiosorum martyrum vestrorum. Unde quia non quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio, pene irascor detentionum mearum funiculis, qui difficile solvuntur contorti, nec triplici tantum, sed multiplici connexione occupationum concatenatarum. Unum tantum quod vix residuum est mihi facio. Scribo itaque amaritudines meas, quas quotidie in distractione et distensione spiritus mei experior, dicens Deo : *Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?* (*Job.* VII) Ecce nunc vitulus saginatus immolatur Suessionis apud sanctos martyres Crispinum et Crispinianum, ecce symphonia et chorus, ecce amicorum ibi sanctus conventus, et ubi ego, et quid ego? Nec saltem hœdus compunctionis pro peccatis meis conceditur. Servate tamen et mittite, amici charissimi, partes nobis de oleo exsultationis vestræ, de adipe et pinguedine visitationis supernæ. Sufficiet enim copiosa gratia de mensa dominorum vestrorum nobis et vobis, quia sicut animabus suis non pepercerunt propter Christum usque ad mortem, sic Deus gratiam præmiorum exæquans gratiæ meritorum, non est quod neget orantibus pro salute animarum. Jam siquidem de se securi, pro suis veneratoribus adhuc sunt solliciti. Adsunt procul dubio passionum suarum recitatoribus, et præcipue imitatoribus. Orate ergo sicut pro vobis, sic et pro nobis, quia nullum est detrimentum orationis, si pluribus impertiatur, cujus natura est eo magis abundare in effectu, quo amplius se dilataverit in affectu. Valete

EPISTOLA XCIX.

AD EUNDEM.

[v, 3.] Domino et amico charissimo Berneredo abbati Sancti Crispini, frater Petrus humilis abbas S. Remigii, suis in omnibus, se ipsum per omnia.

Quoties in manu sumitur chartula vobis dicanda,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ

(8) *Berneredo abb. S. Crispini.* Apud Suessiones, ut sequens epistola docebit. Duo sunt in ea civitate Sancti Crispini cœnobia, Benedictinæ familiæ utrumque. Unum S. Crispini majoris appellabant, de quo hic sermo ; alterum S. Crispini in cavea. De Berneredo autem abbate plura epist. 94.

toties mens repletur, etsi ante fuerat bonis omnibus vacua. Cum tumultu namque et impetu magno rex innumerabilis diversarum materiarum egredi accelerantium in ostio exeundi sese impingit, alia dicente: Prior ego amicum salutabo, alia illam transiliente, atque ramum olivæ præferente in ore, amici amplexus priores pertinaciter præripiente. Rebecca in utero suo miratur duorum fratrum, imo gentium duarum hæc intestina et plus quam civilia bella. Sed quid mirum, si ubi corpus perfecti et consummati amoris, illuc congregantur aquilæ alternarum affectionum sive motuum animi, ut contendant non intrare, sed exire per angustam portam? Forte quod ait Laban, in terra sua consuetudinis esse, ut priores, licet lippæ, filiæ tradantur ad nuptias, contingat ut Rachel, miræ pulchritudinis et amantissimi decoris, non agat choros saltationis, imo salutationis, ante Liam primogenitam suam, sed in ultimo sequatur cum Joseph et Benjamin. Semper enim meliora, digniora, et saluti viciniora non tanquam fæces in fundo calicis residunt, sed tanquam cibi delicatiores, ut fastidium removeant, et appetitum renovent, in extremis apponuntur, quia melior est finis orationis, quam principium. Hoc in me ipso, hoc in amico desidero, ut nova semper sint, et nunquam veterascant desideria vestra, et semper sequamur ad palmam supernæ vocationis, obliti quæ retro sunt. Non enim tam quatenus perveneris pensare debes, quam quo pergendum, et peregrinationis meta figenda, atque trahendus funiculus. Sic audio te facere, et valde congratulor. Ne tamen nimis extendas et protendas funiculum, cave rupturam. Melius est enim tendere, quam rumpere. Est modus in rebus. Ne quid nimis. An invideo, quia cito et bene curris? Nequaquam. Amo cursum, sed timeo defectum. Virtutes non bene colligit, qui matrem virtutum spernit. A stirpe virtutum degenerat virtus, quæ lineam temperantiæ non servat. De his hactenus.

Cæterum ineptias nostras quia, ut audivi, intemperanter desideras, volo tibi exponere quæ sint modo negotia nostra, et cui ad præsens labori humeros supposuerim. Successor ille noster (9) Cellensis abbas, quia non bene multiplicavit, imo non fovit ova, quæ illic reliqueram, sed conculcavit imperfecta, destruxit autem perfecta, ultra dissimulare non possum; sed aggredior tentare et probare, utrum Deus respicere dignetur priores meos labores, illum vel prorsus amovendo ab abbatia, vel saltem corrigendo a stultitia sua, et in melius commutando. Pene omnes priores mecum sunt, et ut credo, triginta vel amplius de fratribus. Ora ut Deus propitietur mihi, et domui illi. Frater Hugo ista debuit scribere, et in sero promisit, sed tandiu dormivit, quandiu ista frater Henricus scripsit. Habet enim oculos nullos. Effert tamen bonitatem et pietatem vestram sibi exhibitam, usque ad cœlos, et usque ad nubes. Valete, quia deficit pergamenum.

EPISTOLA C.

AD FRATRES CELLENSES.

[v, 7.] Charissimis fratribus (10), filiis et amicis Cellensis monasterii, frater Petrus Sancti Remigii dictus abbas, salutem in Domino.

Præsenti epistolæ delegavi supplere in sancto conventu vestro, fratres et filii charissimi, si quid negotii est, quod ageret præsentia nostra, si adesset. Poterit enim tutius proponere sufficienter et insolenter, quod nec inutile sit acquiescentibus, nec scribenti criminosum. Undecunque siquidem et de quocunque agere velim, oculi fascinantes non desunt, perverse interpretantes, maligne arbitrantes ea, quorum nec rationem attingunt, nec finem apprehendunt. Ipse autem ego Deum constituo arbitrum et judicem omnium quæ fiunt ab ipso, veraciter diffiniendum quod est ambiguum, efficaciter exsecutioni mandandum quod fuerit sententia diffinitum, et tenaciter servandum quod ex labiis ejus semel fuerit prolatum. Per ipsum igitur contestor hunc solemnem vestræ fraternitatis conventum, ne a memoria vestra elabatur difficilis ille congressus sapientiæ et insipientiæ, justitiæ et injustitiæ, in quo graviter, sed fortiter desudastis, quidam fideliter proficientes et constanter perseverantes, quidam deficientes et retro abeuntes, quorum gloria in confusione ipsorum, qui Deo, et mihi, et vobis mentiti sunt. Jam Drogo ejectus est, ne dicam, draco, qui se terram et cœlum non solum concussurum, sed etiam evulsurum armis Judæ proditoris, id est pecunia publice minabatur; nescio si adhuc tertiam partem stellarum post se trahat; unum scio, quod de prædestinatis nullum Deo juvante absorbebit. In causa tamen ista, quia Dei est, nihil usurpet sibi stuppa nostræ fragilitatis, insultando his qui occupati bello non interfuerunt, vel ex adverso steterunt. Exsultandum quidem cum tremore, non insultandum contumeliose in operibus Dei, quia semper Dei judicia suspecta sunt, et nunquam caput erigendum, dum in nubibus consignata, sollicitos non securos homines, tam in prosperitate, quam in adversitate faciunt. Sit itaque timor Dei in vobis, et apponite cor in his quæ de Drogone facta sunt, ne similia faciatis, quia non similia, sed pejora pateremini. Est proverbium: Excalda-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(9) *Successor ille noster.* Drogo, qui Cellæ abbas Petro ad S. Remigii præfecturam migranti suffectus, gradu postea ob rem male administratam dejectus est, ut scribit epistola 100.

(10) *Fratrib. Cellensibus.* Prioribus et monachis, qui ejecto Drogone convenerant ad novi abbatis electionem. Quare archiepiscopum, cujus consilio agendum monet, Senonensem intelligit. Electus porro est post Drogonem abbas Girardus

tus aquam timet. Spiritu igitur paracletico totum negotium, et domini archiepiscopi consilio, atque viris religiosis et sapientibus, salva libertate electionis vestræ, committite. De mea vero voluntate nulla sit quæstio, quia nunquam discordabit a gloria vestra, ab honore vestro, et ab utilitate Ecclesiæ vestræ. Interim reflorent in vobis ordinis sancta observatio, silentii virtus, lectio claustralis, capituli rigor, psalmodiæ tenor, unitatis compago, hospitum devota susceptio: et quidquid de justitiæ et honestatis prosapia in exterminium evanuerat, ad propriam conscientiæ vestræ sedem feliciter redeat. Scriptura enim mandatum domini sui eloquitur succincte, constanter et fideliter, nihil detrahens de injuncto mandato, nihil addens, non cedens fascinatoribus, non credens adulatoribus. Pro eodem habet, si laudetur, aut si vituperetur. Quia igitur plures scio solere instanter insidiari, ut me capiant in sermone, potius elegi verba nostra scripto mandare, quam inconsiderata elocutione profundere. Valete.

EPISTOLA CI.

AD BERNEREDUM ABBATEM S. CRISPINI.

[v, 8.] Amico suo charissimo Berneredo abbati Sancti Crispini, frater Petrus abbas Sancti Remigii, salutem.

Quærenti mihi materiam unde tibi scribere exordiar, vix una de grege innumerabilium se sequestrans occurrit, arridens quidem prima fronte, sed vultum demittens in secessu vel recessu præsentiæ nostræ. Quæris quænam sit ista materia tam blanda in exordio, tam religiosa seu timida in supremo? Certe fama gloriæ tuæ hæc est, quæ amicis tuis jucunda et exhilarata facie civitates, castella, vicos et plateas discurrit et circuit usque ad palatium regis, usque ad regínæ thalamum, usque ad comitissæ nostræ (11) cubiculum. Templa quoque habitu religioso, vultu modesto perambulat: archiepiscopos, episcopos, abbates, clericos et milites sibi concilians, et ad venerationem sui non mediocriter inclinans. Sed timendum, ne sol tanti splendoris, tantorum radiorum, vergat ad occasum, et dicatur: *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX). Quantum enim gaudii de sanctitate et justitia amici in amicorum amicos profluit, tantum mœroris et doloris in evaporatione sive exinanitione earumdem virtutum circa eosdem residet. Video, video cogitationes tuas ad se ipsas tumultuantes, et quare amicus tuus talia tibi scribat, sollicitissime revolvere. Timidæ enim sunt cogitationes tuæ. Ne sis sollicitus, bone amice, res salva est, signacula clausa sunt. Aquilo durus ventus non congelavit continentiam, charitatem aut opinionem nostram. Qualem te habuimus, talem te habemus et semper habituri sumus. Huic quoque præsentium latori, si quid ex his imputandum, imputa: qui non solum scribere compulit, sed talem materiam præscripsit. Revocavit enim ad memoriam illa magnifica præconia, quæ auribus nostris instillaveras, quando ab illa solemnitate Trecensi, quantum vacuatus propria et bona conscientia, tantum inflatus vana lætitia rediisti. Dixisti enim te præ aliis exceptum et receptum a Trecensium comitissa, invitatum ad epulas, glorificatum in mensa, in omni postulatione exauditum, et cum longa cauda gloriæ reversum. Cave caudam, cum tam omnis laus, quam omne vituperium in cauda, id est in fine terminetur. Dico autem, quem te ipsum facis? Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo et nobis. Si enim propheta es in Israel, veni ad nos, ut ipsis rebus experiamur potentiam, prophetiam, et virtutem tuam. Signis enim quæ in patria tua facis, non credemus, nisi te virum, cujus spiritus in naribus, ex fructibus cognoverimus. Decurtata tamen est gloria tua, quia non fecisti pacem inter archiepiscopum et adversarios (12) suos. Valete.

EPISTOLA CI *bis*.

AD PRIOREM ET CONVENTUM SS. CRISPINI ET CRISPINIANI.

[VIII, 18.] Priori et conventui Sanctorum Crispini et Crispiniani, Petrus abbas Sancti Remigii

Si quod consilium, si quod solatium, si denique consolatio ulla in me est, sine invidia vobis communicare debeo; et tam in vobis novellas plantationes, quam frugiferas arbores qualicunque stillicidio nostrarum exhortationum rigare desidero. Vicarios siquidem affectus erga vos absentis dilecti et charissimi nobis abbatis vestri viscerali sollicitudine in ejus recessu me excepisse reminiscor. Visitare itaque vos affectuosa charitate in vobis habeo; sed concurrentium causarum retardat concatenatio, et ægra aeris et itineris contemplatio. Suppleat littera, quod non valet præsentia. Universitatem igitur vestram, filii charissimi, alloquor, et in Domino commoneo, ne quis de vobis vapor sinistri rumoris erumpat, ne odor suavissimæ opinionis excidat, ne districtio ordinis aliquatenus tepore aquilonari perefluens evanescat. Facilius enim potestis servare quod tenetis, quam recuperare

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(11) *Comitissæ nostræ*. Quæ paulo post *Trecensis comitissa*. Maria nimirum Ludovici regis filia, uxor Henrici comitis.

(12) *Inter archiepiscopum et advers.* Henricum Remensem et canonicos. Graves namque inter eos discordiæ fuerunt; ad quas sedandas suam quoque operam contulit Alexander pontifex, cujus de ea re binas epistolas ad Henricum archiepiscopum, et ad Ludovicum regem illius fratrem vidimus in Bibliotheca Ecclesiæ Remensis. De iisdem etiam turbis Remensibus agit et Saresber. epist. 214.

quod amiseritis, vel acquirere quod nunquam possedistis. Præveniente autem et præoperante Dei gratia, et adjuvante boni Patris vestri sancto exemplo atque doctrina, cooperantibusque vestris studiis, triplici, imo multiplici splendore supernus radius intrinsecus et extrinsecus, congregationem vestram illustravit religione, opinione et temporalium possessione. Hanc Isaac benedictionem dedit Jacob hæredi suo. *Det*, inquit, tibi *Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam* (*Gen.* XXVII). De rore cœli pullulat claustralis religio, et sanctitatis fragrans optime suavis opinio. De pinguedine terræ frumenti, vini et olei exuberans fecunda possessio. Hæc gratia gratos, non ingratos, Deo faciat. Humilia, non inflata pectora, certe gratia inhabitat; aut fugit inflationem. Æquat inæqualia, frangit excelsa, elata tollit, aspera emollit, fracta consolidat, ficta respuit, dispersa congregat, congregata conservat, hominem ad Deum elevat, Deum ad hominem inclinat. Hæc decurrit a throno gratiæ ad thronum sanctæ conscientiæ, et facit germinare fructus tricenos, sexagenos et centenos. Hanc quamvis erogare vobis non possum, tamen rogare possum. Hæc ergo vobiscum et in vobis sit semper. Amen. Orate pro abbate vestro, et pro nobis. Fratrem Joannem, cui cura est de omnibus, specialiter commendo.

EPISTOLA CII.

AD ABBATEM S. CRISPINI.

[VIII, 17.] Abbati Sancti Crispini PETRUS abbas Sancti Remigii.

Mira veri amoris natura : ignea siquidem est, et tamen contra ignis naturam acrius fervet in amicis remotis, quam sub oculis constitutis. Quæris quare? Quia sollicitudo ministra dilectionis quasi jacet, dum quod amat videt; currit vero cum assiduo impetu mordens animum propter absentem amicum, Ubi est, inquiens, quem diligit anima mea? Vivitne? sospesne est? estne tristis, an lætus? estne timens, an securus? estne de me sollicitus, an ad se intentus? estne indigens, an copiosus? Hac fuscinula corbones suos amor movens, et commovens, auget flammam, calorem multiplicat; medullam ossium liquefacit, et post dilectum longa reste sollicitum trahit animum. Trahit, inquam, fortius, dum longius subtrahit. Sic Tobias pater et senex, morantem filium suspirans gemit, accusans se non potius excepisse pecuniæ damnum, quam pro ipsa misisse vel amisisse filium. Silenter et suaviter dormit dilectio, cum nullis evagatur excursibus quærens de statu amici amicalis sollicitudo. Experto credendum est. Duros, imo acutos aculeos visceribus nostris infigit absentia vestri, quorum punctiones non eram expertus, dum præsentem haberem, dum frequenter audirem. Præ cæteris unum habeo non vobiscum, sed adversus vos, quod intemperanter vivitis, non excedendo mensuram justam vivendi supra, sed infra. Sententia enim quæ dicit : Ne quid nimis, plus et minus redarguit. Amplius edere voracitatis est, minus hypocrisis vel avaritiæ. Apostolus scit abundare et penuriam pati. In omnibus instructus est ad regulam vivere, qui neque ad ima curvatur, neque ad superiora distenditur, sed recto cursu bene tenditur.

EPISTOLA CIII.

AD ESKILUM LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[V, 5.] Domino suo et amico charissimo ESKILO Lundensi archiepiscopo, frater PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, salutem et devotionis obsequium.

Suavissimus odor miserationum vestrarum non solum præsentes recreat afflatu delectabili, sed etiam absentes et remotos attrahit ad se, spe nimirum tam dulci quam inconfusibili. Quis enim vestra expetivit suffragia, et inconsolatus recessit? Quis ad ostium vestrum pulsavit, et non aperuistis ei? Quis de manu vestra benedictionem petens, tanquam de thesauris opulentissimis copiosam non retulit? Inter cæteros itaque, et de cæteris unus est T. præsentium lator, quem tot pericula itineris, tot difficultates ad vos perveniendi non exterruerunt, nec retinuerunt, compellente et instigante illum tantum laborem insumere fama, quæ de vobis ubique terrarum diffunditur. Non equidem rerum inopia, non abjectio et vilitas inter suos, evomuit illum in terram vestram, cum et canonicus Sancti Timothei (13) sit, et frater Hildoini, vicedomini et canonici Sanctæ Mariæ Remensis. Rogamus igitur, ne frustretur spe sua, ne quando apud se pœnitens, et dolore cordis intrinsecus tactus dicat : Periit opera et impensa. Ego cum toto conventu Beati Remigii vester sum, et pro vobis orationem fundimus ad Deum, ut sanctissima anima vestra thesauros, quos in cœlo posuit per manus pauperum in exitu suo reperiat, et bonis domus Dei repleta cum sanctis angelis æterna lætitia congaudeat. Valete.

EPISTOLA CIV.

AD EUMDEM (14).

Æternas et antiquas venas misericordiarum et benedictionum suarum profusa in omni largitate divina gratia his temporibus, licet charitas multorum refrigescat, nondum exclusit. Quamvis enim re-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(13) *Canon. S. Timothei.* Basilicæ SS. Timothei et Apollinaris, in urbe Remensi, cujus sæpe mentio apud Flodoardum. Hujus ecclesiæ præbendas concedebat abbas S. Remigii, ut docet Alexandri epist. 7.

(14) Vide epistolam 20. Eskilus, etsi archiepiscopus erat in Dania, Sueciæ tamen etiam ecclesias procurabat, quia archiepiscopus Lundensis ex Adriani IV papæ decreto, quod Eskilo ipsi concessum est, primas erat regni Sueciæ. Propterea ergo et Fulconem Estonibus episcopum crearat.

conditos et labentes sinus gratiæ in mentibus multorum fidelium Deus in Ecclesia sua adhuc retineat; vos præcipue tanquam lucernam super candelabrum positam, oleo multiplici perfudit, unde multæ areolæ ecclesiarum, episcoporum, pauperum, viduarum, tam suaviter quam abundanter irrigantur. A multis siquidem retro temporibus, non in vacuum sive gratiam, sive pecuniam Dei excepistis, ligando illam in sudario, vel infrà domesticos parietes recludendo. Quis enim ad vos accedens vestram non sensit benedictionem? quis quantumlibet tepens, audiens vel videns conversationem vestram, manum egenis expositam, ostium viatoribus patens, judicium et justitiam æqua lance, causam non personam discernens, omnemque reliquam actionum et sermonum vestrorum regionem perlustrans, non calefactus, non melioratus, non bene instructus abiit? Deo gratias, qui juxta consuetudinem suam gratiam pro gratia superabundare facit in vobis, ut melior sit finis orationis quam principium, et ut exitus matutini et vespere delectabiles fiant. Adhuc enim stillant manus vestræ aromata Dei, quæ de thuribulis sanctorum, per manus angelorum, in incensum suavitatis naribus sedentis super thronum gratiæ referantur, quatenus in æterna tabernacula vos recipiant, qui de bonitate et beneficiis vestris in terris sustentati, per gratiarum actionem in cœlo jam sunt recepti vel adhuc recipiendi. Pauper iste episcopus domnus Fulco, quem per Evangelium in Christo ego genui monachum, et vos episcopum, de magnificentissima liberalitate vestra Deo gratias nobiscum refert, exponens quod sustentamentum vitæ et peregrinationis suæ vos habet, et semper habiturum confidit. Scitis, domine Pater, quam duram provinciam sortitus sit, et quod animam suam in manibus suis posuerit, potius mortem semper exspectans, quam longam vitam. Scitis etiam, quia qui prophetam in nomine prophetæ recipit, mercedem prophetæ recipit. Unde remittimus eum ad vos, et commendamus eum Deo et vobis. Retinuimus eum siquidem malo tempore, remittimus autem bono et congruo, ut visitet messem, utrum matura sit ad metendum, an immatura ad laborandum. Manum siquidem misit ad aratrum ope vestra et opere, ad Christianitatem dilatandam, et horrea Dei fertiliori segete implenda. Vestrum enim, vestrum est, quid- A B C D quid incrementi provenerit ex labore ipsius, quia et de vestro vivit, tanquam operarius Dei et vester: et ad gloriam vestram respicit atque coronam, quodcunque Christo acquirere potuerit. Non igitur obturandum est os bovi trituranti, neque palea subtrahenda.

EPISTOLA CV.

AD EUMDEM (15).

[VII, 6.] Vacillans fluctuatione inter spem et deliberationem, ultra se intra metas patientiæ non potuit continere verus amicitiæ affectus. Suadebat spes quotidie, diligentissimum et dilectissimum dominum et amicum statum suum renuntiaturum. Urgebat deliberatio, nil immorandum ad quærendam certitudinem de incertitudine adversi casus, qui dicebatur oppressisse tantum dominum. In his itaque procellis usque ad lassitudinem animo laborante, et diutius pensante quid inde potius esset eligendum, communicato consilio cum dilecto filio vestro abbate Sanctorum Crispini et Crispiniani, festinavi mittere ad vos nuntium nostrum, ut sciremus quomodo tentaverit vos, et probaverit dominus, tam in mari quam in terra. Nam parumper laxavit frena leonis rugientis, quæ tenet in manu sua; sed nec rupit, nec solvit. Siquidem si Deus solvisset, aut diabolus rupisset, aqua nimia vos absorbuisset. Ad torporem itaque, si quis in vobis, aut in vestris erat, excitandum juste passus est dare fremitum; ad ostendendum erga vos filialem affectum, pie reclusit ora leonum, et maris ferocem tumultum. Non dormivit Dei justitia, nec se elongavit divina clementia. Impugnari voluit diabolus, sed sola peccata purgavit Dominus: fidem puram, devotionem sanctissimam offuscare voluit princeps tenebrarum; sed Deus qui lux est, et tenebræ in eo non sunt nullæ, de camino clariorem extraxit, et aurum suum pretiosius reddidit. Si superest dilectus noster Crispinus, attentissime illum vobis commendamus, et filium Joannis Burgensis nostri, et omnes quos vobiscum duxistis. Dilectissimus vester abbas Sanctorum Crispini et Crispiniani salutat vos. De his quæ apud nos fiunt, suggero Domino meo, quia satis prospera sunt. Senonensis archiepiscopus factus est Remensis (16): magister Joannes Saresberiensis, quondam clericus noster, factus est episcopus Carnotensis (17). Conventus noster

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(15) De Eskili naufragio, quod in Danica navigatione passus est, scribit denuo epistola sequenti.

(16) *Senonensis archiep. f. e. Remensis.* Willelmus Theobaldi Magni filius. Vetus Chronicum anno 1177: *Willelmus Senonensis archiepiscopus a clericis Remensibus postulatus, mortuo Henrico Ludovici regis germano, qui per annos* XIII *Remensem ecclesiam palatiis, turribus et aliis munitionibus insignissime illustravit, regendam papa Alexandro assentiente suscepit.*

(17) *M. Joannes Saresb. f. e. episcop. Carnotensis.* Anno 1177, ut est in supplemento Sigeberti. Castigandus ergo episcoporum Carnotensium catalogus, qui Willelmum Joanni et Petro nostris postponit, cum præire debeat. Nam Roberto, qui obiit anno 1164, successit Willelmus. Hic quarto post anno archiepiscopatum Senonensem adeptus, Carnotensem quoque retinuit, consecratusque est anno 1168; de cujus ordinatione tacito nomine Saresberiensis sub finem epist. 233, et Robertus S. Mariani monachus in Chronico. Idem denique ad Remensem cathedram, ut paulo ante dictum est, translatus, Carnotensem Joanni hoc anno reliquit. Joannis successor fuit Petrus noster anno 1182, Petri Reginaldus anno 1187. Ad Reginaldum electum exstat epistola Stephani Tornacensis CXXXVI quæ hæc omnia confirmat: *Ut sicut prædecessores*

semper orat pro vobis. Joannes Burgensis multum A salutat vos.

EPISTOLA CVI.

AD EUMDEM.

[VII, 13.] Londensi archiepiscopo, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Imago vestræ dilectionis impressa et expressa stylo ferreo in ungue adamantino cordis nostri viget, et in eo vigere non cessabit. Radicem namque misit deorsum, quam irrigare non cessat jugis et quotidiana recordatio benignitatis vestræ ad amicum, ne dicam ad servum vestrum. Totum enim occupat gratia et amicitia, excluso et expulso timore, tanquam mercenario. Inde est, Pater reverentissime, quod in oblatione primitiarum mearum B Domino vivo et vero, vestri quoque memoriam ejus propitiationi pro posse quotidie repræsento. Rediit ad nos magister Crispinus, marina potione non parum amaricatus, vestro tamen beneficio aliquantulum recreatus. Inter cætera retulit nobis duram historiam naufragii vestri, in qua elatione sævissima mare adversum vos intumuit, ventus immoderatus navem ferocissime repercussit, tempestas paulo minus absorbuit. Recordor, Petrum in fluctibus ambulantem, et ventum validum contra illum venientem, Paulum tertio naufragantem, Jonam absorptum a bellua, quæ tamen illum retinere non potuit. Domine Jesu, ubi eras? manum auxilii quare tunc subtrahebas? nisi forte ut de reliquis calicis tui, C quem cum in passione gustasses bibere noluisti, ministri tui et sequaces de eodem misto portionem, sive potionem, quæ sibi contingebat, ad recuperandam sanitatem, imo hæreditatem [*sup.* biberent].

EPISTOLA CVII.

AD EUMDEM.

[VII, 17.] E. Lundens. archiepiscopo (18), PETRUS abbas Sancti Remigii.

De duobus oculis meis, alterum ad me retineo, alterum frequenter ad vos, Pater et domine charissime, retorqueo. Qui meus mihi remanet, quid in me videt? Certe plura, quibus condolet, quibus illacrymatur, quibus usque ad nimiam suffusionem turbatur. Certe reptilia, quorum non est numerus; D certe gentem illam nefariam, quam Ezechiel vidit depictam in pariete domus, quam jubente Domino effoderat. Ad ultimum, quædam ineffabilia non profunditate mysterii, sed enormitate corrupti animi. Sed quando ista cernit oculus? Quando incurvatur ad suas fæces revolvendas, quando lucernam accendit et evertit domum quærens drachmam perditam, quando scissuras in muris Jerusalem et ruinas respicit, si forte cum Zorobabel et Esdra reparare licitum sit. Occurrunt vestigia erucæ, locustæ, bruchi, rubiginis, quæ devoraverunt universa speciosa deserti, pilosi, onocentauri, ululæ, simiæ, et omnis generis phantasmatum grandis silva. Si quando autem idem oculus sursum palpebras erexerit, et cœlum aspexerit, videt Dominum innixum scalæ, vocantem et exspectantem male soporatum, et dicentem : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis* (*Ephes.* v), et : *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI), et : *Adolescens, tibi dico, surge* (*Luc.* VII), et : *Puella, surge* (*Marc.* v). Porrigit quoque manum Petro naufraganti, occurrit in via Saulo spiranti minas et cædes in discipulos Domini : prodigo filio revertenti, stolam, annulum et calceamenta restituit, convivium et vitulum immolat, et misericordiarum suarum silvam condensam fugientibus et ereptis de laqueis ferreis ad sese refovendum offert. Hujusmodi collyrio relevatur turbatus de se ipso ad se ipsum oculus. Jam illum convenio oculum, qui de vobis amicabiliter sollicitus, lustrat vias nostras et studia ab adolescentia. Dic mihi, bone ocule, de amico nostro quod occurrit, quod sentis, quod intelligis. Non sine multa fatigatione, inquit, gesta ejus recolo, quia aliquando vidi illum supra nubes ambulantem, et usque in densissimam altitudinem evolantem. Quis gloriam illam, quis potestatem, quis dominationem, quis rerum omnium opulentiam, quis erogationes et donationes tam largas, tam innumeras enarrare sufficiat? Quis enavigationes, quis marina pericula, quis insidias magnorum latronum dicat? Tandem Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui inter astra Dei solium gloriæ et archiepiscopatus tenuerat, non sicut fulgur de cœlo cecidit, sed sicut filius hominis semetipsum exinanivit, formam pauperis assumpsit, principis mundi exuvias rejecit ; ut si Laban Jacob insecutus fuerit, idola sua apud illum non inveniat, et cum Domino, saltem cum beato Martino dicat : Nihil in me reperies, inimice. Ecce sic humiliatus in Claravalle spicas recolligit post terga metentium, non glorians de labore, sed se humilians de impossibilitate. Voluntate quidem currit, et charitate cum prioribus et juvenibus, sed ætate et infirmitate sortem habet cum novissimis, ut sit novissimus vocatione, primus remuneratione, quia apud patremfamilias, cujus universæ viæ misericordia et veritas, non est potior remuneratione qui prior tempore, sed prior denarii acceptione, qui posterior labore et tempore.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

vestri Carnotenses episcopi, præcipue Dominus noster, id est Willelmus Reginaldi avunculus, tum Remensis archiepiscopus superstes, *et post eum bonæ memoriæ Joannes et Petrus episcopi nobis benevole detulerunt, et vos æquis passibus, si non majoribus deferatis.* Item supplementum Sigeberti anno 1177.

(18) *E. Lundensi archiep.* Qui tum monasticam vitam inierat in Claravalle, abdicato post annos XLI archiepiscopatu. In Gestis Danorum : *Anno* 1178 *Eskillus secundus archiepiscopus Daciæ recessit factus monachus Clarævallis. Absalon fit archiepiscopus. Anno* 1182 *obiit Eskillus archiepiscopus in Claravalle.* Quadriennium ergo inibi vixit. De hoc excessu scribit etiam Saxo grammaticus Historiæ Danicæ libro XIV.

Annon ita est? Plane hoc probat Veritas, qui prius latronem de cruce transtulit in paradisum, quam principem apostolorum Petrum, cui tamen dederat claves regni cœlorum. Pietatis est, parum de meritis præsumentem suscipere; securum vero, si necesse sit differre, et citius trepidantem a timore excutere, quam jam subaratum admittere. Ecce, Pater amantissime, ut credo, non me fefellit oculus meus. Hæc enim eadem præter illum multi alii de te mihi dixerunt. Sit itaque pax cum spiritu tuo, sit anima tua cum Deo meo. Sit melior finis orationis, quam principium, quia omnis laus in fine canitur. Totus sum vester.

EPISTOLA CVIII.

AD EUMDEM.

[VIII, 1.] Eskilo Londensi quondam archiepiscopo (19), Petrus abbas S. Remigii.

Frequens corporis molestia hortatur cogitare de patria, ubi nulla est tristitia. Quanto enim ista infelicior quam patimur, tanto illa felicior quam speramus. Utinam jam littus ejus attingeremus! utinam fluctus istius evaderemus! Circumferimur, periclitamur, naufragia experimur, et exire dissimulamus? Quis non optat portum, ne incurrat naufragium? Quis non præcidit hærentis in salo naviculæ funem, ne sentiat tempestatem? Quis negligit patriam, et amat exsilium? Quis fugit patrem, et sequitur hostem? Gaudeo quia jam tenetis portum, et sedetis ad portam sanctæ civitatis, cujus participatio in id ipsum. Vacillat quidem adhuc navicula nostra, sed spero et exspecto solatium vestrum, cujus per integram amicitiam possideo totum animum. Adjuro vos, si inveneritis dilectum, imo si veneritis ad ejus cubiculum, nuntietis ei quia amore langueo. Credite mihi, si venirem ad porticum Salomonis, ne dicam ad sanctuarium Salvatoris, loquerer pro amico, postularem pro domino meo, pronuntiarem in auribus Domini Sabaoth, et quæ mihi, et quæ per me pauperibus fecistis. Appellarem pium, compellarem justum dicens : *Memor esto verbi tui servo tuo* (*Psal.* CXVIII). Est enim verbum tuum, *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Ecce substantia domini mei Londensis quondam archiepiscopi, nunc pauperis Clarevallensis, per manus pauperum tuorum apud te est. Repende ergo ei vicem, et da ei substantiam tuam, qui tibi dedit suam, tamen quam tu dederas, quam a te acceperat. Amantissime Pater, non dormit neque dormitat in recordatione vestra cor meum. Clamat, pulsat, statque ad fores nostras : Quando, inquiens, videbo quem desiderat anima mea? quando veniam et videbo illum? Via longa est, pedes vix moventur, renes congelantur, et quomodo longe positus amicus videbitur? Quærendum est ergo remedium, ubi primum deest solatium. Pergere nequeo, scribere saltem valeo. Cernere non potest oculus, alloquatur stylus. Currat in membranis littera, quia in membris suis retardatur corporalis præsentia. Referat charta quod non potest lingua. Suppleat imago mortua, quod non valet viva et vera. Syllabæ fortunam nostram nuntient, quia eloquia oris nequeunt; desidero vos videre. Pax Christi et gratia Dei vobiscum semper. Saluto capellanos, et priorem, domnum Gaucherium, et domnum Antisiodorensem episcopum, et Philippum, et omnes amicos nostros. Valete.

EPISTOLA CIX.

AD ARCHIEPISCOPUM LUNDENSEM.

[VIII, 19.] Archiepiscopo Londensi (20), Petrus abbas Sancti Remigii.

Spiracula virtutum et odoramenta suavia sunt et perpetua. Nam nec longævitate veterascunt, nec longinquitate odorem suum minuunt. Ecce vestra Dacia remota est a nostra Francia. Distant enim et moribus hominum, et consuetudinibus, sive situ terrarum. Sed virtus, sive hic, sive illic, nec vultum mutat, nec habitum; nec fructum, nec usum. Species illi una et in Dacia et in Francia. Quorsum hæc? quid ad materiam præsentem attinet de insolubili et immobili vigore et decore virtutis scribere, cum sufficit grates referre vobis pro beneficiis fratri et amico nostro Fulconi episcopo collatis, et quod obsequium suum tantum Dominus tam indigno monacho litteris suis porrexit? Sed peccatum reputo falsa dicere, nihilominus et vera tacere. Sicut enim improbus incenditur, aut inflatur, si falso laudetur; sic præditus naturali et gratuita bonitate humiliatur, et fortius ad meliora accenditur, cum ad se et ante se relatione, non adulatoria, sed vera revocatur. Timet enim, ne non sit vel minus sit, quam dicitur. A multis retro annis, Pater charissime, de vestra nobilitate et industria plura audivimus, et quod ferventissimo zelo quæ Dei sunt in vobis et in aliis augmentare studeatis. Tenui fama hoc didiceram, sed cumulum veritatis et certitudinis adjecit charissimus noster et vester, Fulco episcopus. Phinees utinam tam apud vos, quam apud nos

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(19) *Eskilo quondam archiepisc.* Nunc monacho Clarevallensi. Antisiodorensis episcopus, quem extrema epistola salutat, est Alanus, qui relicto item, ut ante monuimus, episcopatu ad Clarevallenses jam pridem redierat, anno ut Chronicum S. Mariani notat, 1177. Gaucherii etiam ac Philippi monachorum Clarevallensium fit mentio in epistolis Nicolai.

(20) *Archiep. Londensi.* Absaloni, ad quem et proxima, et Stephani Tornacensis multæ. s episcopus antea Roskildensis in Dania, Eskilo archiepiscopo abdicanti successerat, ut adnotatum est ad epist. 107. Inde maximus Danorum pontifex dicitur Saxoni Grammatico qui se Absalonis hujus hortatu Danicam historiam aggressum testatur in proœmio. Daciam vero pro Dania scribit, recepta plerisque etiam illius ævi scriptoribus consuetudine.

resurgeret; et filii Mathatiæ antiqua pro lege Dei bella renovarent, et sibi usque ad animas non parcerent. Ferventis illius spiritus stillicidium in vobis infundat Spiritus sanctus. Satis dictum sit sapienti. Pro his quæ aguntur in partibus vestris erga nepotes et amicos prædecessoris vestri, utinam ea mihi esset apud vos gratia et amicitia, quæ apud illum est; et sicut illi honore, sic dilectione succedatis. Valete.

EPISTOLA CX.

AD EUMDEM.

[VIII, 20.] Archiepiscopo Londensi, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Gratias divinæ agimus gratiæ de bono odore gratissimæ famæ vestræ; cujus tam copiosa redundat affluentia, ut cœlos ascendat, et terras etiam finitimas suaviter respergat. Larga Dei manus de oleo cœlestis promptuarii mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dedit in sinum, imo in caput vestrum. De hoc itaque oleo et lampas propriæ conscientiæ decenter ornatur, et lucernæ totius provinciæ vestræ sufficienter suffunduntur. Scio et pro certo habeo, quod nisi fundamentum subesset bonæ conscientiæ, non sic dilataretur, et continuaretur vapor tam lucidæ et præclaræ famæ. Germen antiquum prædecessoris vestri non sub una nocte aruit, sicut cucurbita Jonæ, requievit spiritus Eliæ super Eliseum, utique Esquilii super Absalonem. Rigavit quod ipse plantavit, nec sufficit rigare, nisi adjeceritis et nova plantare. Deus itaque incrementum dabit, nec erit utriusque vestrum labor inanis, ubi superaddit gratiam manus superni remuneratoris. Nunquam enim Deus fraudat operarium suum digna mercede. Utique et pie juvat laborantem, et juste remunerat operatorem. Unde et suum est nihilominus et suum munus. Nequaquam igitur mentitur opus olivæ, ubi cooperatur donum gratiæ. Non cesset itaque operatio, ubi restat certissima remuneratio. Denique, Pater amantissime, carbones vivos et consolatorios instantissime animo vestro suggerat, non solum spes futurorum, sed etiam ipsa prælibatio, qua jam nunc memoria vestri traditur et commendatur orationibus fidelium et sanctorum virorum. Interim ne miramini, quod ego ignotus et terra remotus jam secundo scribo vobis. Habetis amicos juxta vos et notos, Fulconem quondam monachum nostrum, nunc episcopum, qui multis persuasionibus pulsat me, et compellit vobis scribere. Præsentium quoque lator, qui vos usque ad angelos Dei extollit.

EPISTOLA CXI.

AD HENRICUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[I, 14.] Venerabili domino et Patri charissimo HENRICO Remensium archiepiscopo (21) frater PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, se ipsum devotissime.

Cum semper præsentia vestra nobis et toti provinciæ Remensi necessaria sit, quia nunc solito increverunt et intumescunt tribulationes, quæ circumdederunt nos, omnino postulantes rogamus ne moram faciatis redire ad nos. In absentia enim vestra cornua sibi assumunt inimici vestri et nostri, adeo ut non sit pax ingredienti vel egredienti. Indifferenter ingrediuntur rapere, vastare et devorare omnia, in quibus manus injicere possunt. Monacho, clerico, laico, pauperi, viduæ, nullique conditionis miseriæ parcunt. Placeat igitur, Pater amantissime, sollicitudini vestræ inclinare animam necessitatibus et angustiis terræ vestræ, quæ clamat ad vos et post vos.

EPISTOLA CXII.

AD JOANNEM CANCELLARIUM ET R. CANTOREM COMPENDIENSEM.

[VI, 7.] Magistro JOANNI cancellario, et R. cantori Compendiensi (22).

Tam sedula dilectissimi domini mei archiepiscopi in pectore meo viget memoria, ut non solum vigilans, sed etiam dormiens frequentissima visione et allocutione fruar de absente, quod modo non possum de præsente. Nulla falsitas in sua et nostra dilectione, quia benignissimum et dilectum semper habeo illum patronum. Tam de ipso itaque, quam de vobis, et omnibus sociis vestris, habetur apud nos continua et indefessa oratio. De statu autem nostro et terræ vobis remando, quia in pace sunt quæcunque ad dominum nostrum pertinent. Undecunque enim bene agitur circa negotia ejus, et nepotes sani sunt. Dominus quoque Galerannus strenue agit, et dominus Thomas sacerdos, et magister Radulfus, nec non et archidiaconus, et omnes amici vestri. Unum solum est quod nobis deest, præsentia vestra, et domini nostri, quam rogamus, ut salvo ejus honore maturetis citius nobis et patriæ restitui. Omnes socios vestros et amicos salutate, præcipue abbates Belliloci et Sancti Petri de Montibus (23).

EPISTOLA CXIII.

AD PHILIPPUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[I, 13.] Domino suo et Patri charissimo PHILIPPO

JACOBI SIRMONDI NOTÆ

(21) *Henrico Rem. archiep.* Qui regis frater et episcopus Bellovacensis, epist. 21. Frater enim fuit Ludovici Junioris, et ad Remensem cathedram translatus est a Bellovacensi.

(22) *Joanni canc. et R. cant. Compend.* Videntur in comitatu fuisse archiepiscopi Remensis, qui Romam profectus erat.

(23) *Abbates Belliloci et S. Petri de Montibus.* Utrumque monasterium ordinis S. Benedicti: illud quidem in Argona pago diœcesis Virdunensis; hoc vero Catalauni, de quo iterum epist. 89.

Coloniensi archiepiscopo (24) frater PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, salutem cum omni devotione.

Frequenter cum beato Remigio patrono vestræ sublimitati humiles porreximus preces, si quo modo animum sine culpa nostra, ut credimus, hactenus implacatum nobis ad misericordiam faciendam flectere possemus. Denique iterum atque iterum quanta humilitatis supplicatione potest tota congregatio nostra appellat, si qua sunt in vobis viscera misericordiæ, ne adhuc extenta in flagello nostro perseveret manus vestra. De clementia namque Dei indultum est, ut potestatem habeatis et bene facere et male nobis si vultis. Nolite oblivisci, quia limites, quos Dominus dominationi vestræ posuit, certi et finiti sunt in prædestinatione Dei. Utimini ergo potestate vobis concessa semper ad bonum, nunquam ad malum; nam indubitanter utriusque sequitur retributio æterna. Pro Jesu itaque amore, et per Christum Jesum contestamur vos, quatenus misereamini pauperum compeditorum, quibus nec ingredi, nec egredi licet, nisi sub manu et cum licentia pastoris. Boves sunt triturantes, nocte et die pro peccatis suis et totius mundi Dominum deprecantes. Ne obturetis ora eorum, subtrahendo alimoniam a prædecessoribus fideliter pro remissione peccatorum suorum eis concessam. Certe non erit famæ, et gloriæ vestræ augmentum, nec cumulus divitiarum, nisi tantummodo peccatorum. Respondemus itaque pro præbendis de Marna (25), de quibus mandastis, ut de manu nostra eximendo quibuslibet personis eas daremus, quod nullatenus in sæculum sæculi id facturi sumus. Provoluti etiam genibus vestris, ne id ulterius a nobis exigatis, exoramus. Valete.

EPISTOLA CXIV.

AD THOMAM CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[1, 10.] Domino et Patri charissimo THOMÆ venerabili Cantuariensi (26) archiepiscopo, frater PETRUS abbas Sancti Remigii ex toto corde devotissimam salutem.

Sollicito revolvens animo quam potius materiam assumam cum vobis scribere volo, vix occurrit, non deficiendo quid dicatur, sed reverentia ejus comprimente manum cui dicatur. Nihil enim dignum vestri animi fortitudine dicere possum, nihil addere constantissimæ tolerantiæ vestræ, nihil denique docere omnia a longe prospicientem, atque fines rerum et causarum futurarum plenissime dimetientem, atque palearum acervum ut quid anteponerem præsepio, cui adhæret bos adipe et pinguedine opulentissima satiatus et saginatus? Equidem hoc mihi ad ministerium aliquod impendendum in obsequio vestro non indigne reservatum reperio, si muscas abigere possem vestram sanctitatem oblatratione invidiosa pungere volentes, vel saltem interpretatione perversa denigrare sinceritatem fidei vestræ insistentes. Plane muscæ ibi morientes, quæ in Ægypto abundant, et Pharaonem regem Ægypti, tanquam virum muscarum circumdant, Deo opitulante, non perdent suavitatem unguenti. Servabitur namque in diem sepulturæ Jesu, et prædicabitur in generatione et generationem, quod archiepiscopus Cantuariensis murum se opponens pro domo Israel, vestigia sanctorum antiquorum imitatur, dum Christum in cruce nudum pendentem nudus sequitur. Quomodo ergo cum Abraham potero abigere easdem muscas contaminare volentes illibatum Domini sacrificium, nisi sancto ventilabro de authenticis Scripturis, quo vel feriantur, vel saltem effugentur? Dicunt enim: Non debet archiepiscopus tam instanter sua repetere a rege Angliæ (27), ut dimittat reconciliationis pacem pro amissa pecunia. Falluntur specie veri, vel adulatione falsi. Qui specie veri decipiuntur, instruendi sunt; qui adulatione falsi, repellendi. Simplicitas enim revocanda est, malitia prorsus abjicienda. Cæterum pensandum est in omni tam contractu quam actu, quid propter quid faciendum vel dimittendum sit. Pensanda etiam sunt tempora et diversi status temporum, secundum quos mutantur merita causarum. Nam in primitiva Ecclesia sola patientia locum habuit, ut auferenti tunicam dimitteret et pallium. Alius enim erat, et alibi, id est ex-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(24) *Philippo Colon. archiep.* Hæc etiam epistola multo inferius collocanda erat. Nam abbas S. Remigii erat Petrus, cum hæc scriberet, et Philippum constat Coloniensem cathedram non iniisse anteannum 1166.

(25) *Præb. de Marna.* Rectius Marsna, ut epist. 90. Sic enim in capitulis regum, quæ anno 851 edita feruntur, *quando tres fratres, Lotharius scilicet, Ludovicus et Carolus secus municipium Trajectum penes locum qui dicitur Marsna iterum convenerunt*, et in Fragmento Gallici scriptoris apud Pithœum, de Gisleberto: *Recepit itaque Trajectum, Juppilam, Haristallum, Marsnam, Littam, Capræ montem, quæ a defunctis derelicta vacabant.* Ex his patet Marsnam locum fuisse Trajecto vicinum, quod verum est. Nam tribus fere passuum millibus distat, et Maersena vocitatur. De præbendis autem Marsnensibus S. Remigii monasterio attributis, et in usus monasticos conversis, iterum agit epistola supra scripta

(26) *Thomæ Cantuar.* Cum adhuc exsul esset in Gallia et de ipsius cum Henrico rege Angliæ reconciliatione tractaretur.

(27) *Sua repetere a r. Angl.* Rex enim ablata restituere abnuebat. Mauricius Parisiensis episcopus Alexandro III: *Præterea requirebat D. Cantuariensis partem ablatorum sibi restitui; alteram vero partem in sustentationem dimitti, donec vestrum super hoc et religiosorum virorum haberet consilium. Inconveniens enim et sibi valde damnosum, et perniciosum sanctæ Ecclesiæ exemplum videretur, si ipse omnia ablata, sicut rex Angliæ postulabat, penitus remitteret, cum per ejus absentiam ædificia Cantuariensis ecclesiæ diruta essent, et ad possessiones dissipatas tenue haberet refugium, et ipse gravissimo alieni aris debito astrictus teneretur.* Cæterum pervicit tandem, ut restituerentur, quod ipsemet testatur in epistola quam de reditu suo scripsit ad Alexandrum.

tra Ecclesiam, qui persequebatur, alius et alibi, id est intra Ecclesiam qui patiebatur. Modo vero jam adulta Ecclesia, non licet filiis Ecclesiæ quod aliquando licuit inimicis. Decet enim matrem corrigere filium, sicut decuit pupillam tolerare adversarium. Distinctus namque sapphiris legitur venter sponsi, et quemadmodum ante passionem suam Jesus dixerat : *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV) ; et similia in passione dicit apostolis : *Qui non habet gladium, vendat tunicam et emat* (*Luc.* XXII). Verba quidem bona, verba consolatoria non immerito exigeret causa justa in oculis Dei, in oculis autem insipientium dubia et infirma, nisi virtus patientiæ omnem transcenderet consolationem, et plus gauderetis de consolatione, quam malleus feriens proficeret de percussione. Ferrum ferro acuitur, et de malitia regis Angliæ virtus vestra invincibilis clarius illustratur. Quo fortius premit torcular olivam, eo profusius oleum producit. Candelabrum ductile de auro purissimo non facit Beseleel in tabernaculo Domini, nisi productis laminis contritione limæ et mallei. Nondum contritus est malleus universæ terræ : adhuc necessarius ut suppleat quæ desunt passioni Christi in corpore vestro. Sed quem moneo? quem exhortor? cui calcaria adhibeo? Sine dubio qui freno indiget, qui paratus est plus ambulare quam via extendatur, qui etiam metas velociter transcurrere nullis retardatur periculis. Procul enim odoratur bellum, exsilium reputat patriam, quia omne solum forti patria est. Sine labore laborat, sine fame esurit, sine dolore patitur, sine amaritudine felle et absinthio cibatur. Vir est in millibus unus, cum gigantes gemunt sub aquis, ipse ridet et irridet fortunam cum inversione rotæ suæ. Vale.

EPISTOLA CXV.

AD R. CANTUARIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

VII, 21.] R. Cantuariensi archiepiscopo (28) Petrus abbas S. Remigii.

Maximum argumentum est honestatis et religionis, ad se vocare et juxta se statuere alumnos et cultores bonæ conversationis. Probata namque virtus consimili gaudet reclinatorio, vires quotidianis resumens incrementis, non solum de nativo germine, sed et de uterina propagine. Inde est, Pater sancte, quod ad commendationem non modicam vestri nominis magistrum G. advocatis, et mundanis destitutum copiis in spe bona sub alis vestris, ut audivimus, nidificare compellitis. Novimus eum non transitoria aut adventitia familiaritate, sed longa et diuturna vicinitate, ac beneficiorum nostrorum communicatione. Utinam sufficisset ei nostra paupertas, nec amovisset illum a nobis tam patriæ amicitia, quam vestræ largitatis fiducia! Raros ei similes penes nos habemus, quos sic ornet doctrina quam vita. Dignus est latere sacerdotali, qui sua non inquinat vestimenta, qui sæcularia lenocinia postponit pro vera philosophia. Cum granis siquidem philosophiæ etiam quisquilias retinet, amans sententias, nec verba respuens, legens codices et corrigens mores. Excipite pauperem, et facite divitem. Imitetur manus vestra mundi fabricatorem ; qui in creatione terram, prius inanem et informem, fecundavit tam multipliciter, et formavit tam mirabiliter, ut fetus sint innumerabiles, formæ incomparabiles. Sanctissimæ memoriæ prædecessor vester, archiepiscopus Theobaldus, de gremio et sinu nostro magistrum Joannem Carnotensem episcopum inopem et pauperem suscepit, sed Deo juvante usque ad nomen magnorum qui sunt in terra fomentis suis provexit. Mortuus quidem est ille archiepiscopus corpore, sed adhuc vivit in propagine, et durat in illo adhuc suavissimum memoriale. Sicut successistis ei et sancto Thomæ in episcopatum, sic in isto magistro G. succedat amplissimum vestrum beneficium. Valeant ei preces nostræ, quia, etsi ignoti sumus vobis facie, non tamen, si opportunitas se præberet, obsequio, et interim bona voluntate.

EPISTOLA CXVI.

AD ARCHIEPISCOPUM SENONENSEM.

[VI, 2.] Archiepiscopo Senonensi, Petrus abbas Sancti Remigii.

Opus manuum vestrarum, locum utique qui dicitur Vallis Dei, non tradatis oblivioni, quia novella plantatio cito deficit sive arescit, nisi frequenti irrigatione ei succurratur, et fomento multiplici foveatur. Ad suam patriam, ut credimus, evolavit spiritus filii vestri fratris R. quem sicut paternis gremiis, dum in carne esset, continuistis, sic justum est ut orationibus et benedictionibus vestris usque ad thronum gratiæ conducatis. Quia ergo sublato pane de mensa Domini, in Sabbato novum substituendum non ignoratis, eamdem dilectionem et protectionem oramus impendi bono et religioso inveni, quem amicus et filius vester charissimus ibi ex voluntate fratrum præposuit, prior de Valle Sancti Petri. Ut scitis, domus ista domus orationis vocatur. Necesse est ergo, ut sine dilatione auxilio vestro consecretur, quatenus veraciter et non fallaciter locus ille sanctus vocetur. Quidquid enim ibi religionis, orationis, sanctificationis, mortificationis, et aliarum sanctarum observationum servi Dei conservando, cœleste præmium promeruerint, in sinu vestro revertetur, et ad caput vestrum defluet ; quia qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Non ergo pigeat vos

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(28) *R. Cantuar. archiepiscopo.* Richardo S. Thomæ successori : S. Thomæ autem decessor Theobaldus, qui Joannem Saresberiensem postea episcopum, in familiam suam primus asciverat.

cœpisse expendere in usus pauperum aliquid de substantia vestra, quia vos recepturi sunt in æterna tabernacula.

EPISTOLA CXVII.

AD WILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

[VII, 8.] Unico et unice reverendo Patri et domino WILLELMO Dei gratia Senonensi, imo Remensi archiepiscopo, frater PETRUS humilis abbas S. Remigii, salutem et promptum cum omni devotione obsequium.

In insigni electione Carnotensi de magistro Joanne stellam matutinam produxit Deus de thesauris suis. Adfuit, adfuit huic prædestinationis Dei partui vigilantissima sagacitas domini mei, et manum obstetricantem supposuit, ne aborsum pateretur incommutabilis Dei prælectio. Deus, tibi laus, tibi gratiarum actio : archiepiscope, tibi merces, tibi æterna remuneratio. Hoc opus de raritate admirabile, de singularitate incomparabile, de puritate commendabile, de bonitate speciali omnibus imitabile. Quando et ubi simile factum est in regno Franciæ, ut remotis omnibus Simoniæ speciebus, nullis munerum suffragiis incumbentibus, nullis clicatrm vellicationibus pruritum aurium excitantibus, solus Dei honor et populi salus in episcopali electione quæreretur? Certe hoc in rationali et superhumerali tuo, Pater amantissime, stylo ferreo, imo adamantino scribetur, quod in vicariis Petri eligendis nulla te movet humana gratia, nullus favor, nullus carnalis affectus, nulla pecuniæ avaritia. Trecensem episcopum (29), virum qui ministerium suum honorificat, elegisti et consecrasti. Meldensi Ecclesiæ tres viros honorificentissimos, domnum scilicet cardinalem (30), magistrum Petrum, et Simonem archidiaconum vicissim assignasti; sed nunc superlative hominem de alia gente, amore Dei tantummodo ductus, in Ecclesia Carnotensi substituisti. Ubicunque hoc Evangelium prædicabitur, dicetur quod sis amicus sponsi, cum tam verax sis et fidelis, non jam in quærenda uxore Isaac, sed inveniendo Joseph virum Mariæ. Vere Maria veneratur in Carnotensi Ecclesia. Vere vir iste Joannes, pretioso sanguine beati Thomæ pontificis et martyris intinctus, lege divina ad plenum instructus, bonis moribus et piis actibus ornatus, apostolico ad Timotheum catalogo virtutum bene depictus, ad Dei honorem, et ad vestram perpetuam laudem, columna factus est in Ecclesia Dei. Reviruit in vobis antiquus apostolicæ ordinationis ramusculus, cum pro patribus filii ungebantur, imo pro panibus omni Sabbato calidi cum thure substituebantur panes.

EPISTOLA CXVIII.

[AD JOANNEM CARNOTENSEM EPISCOPUM.

[VII, 22.] JOANNI episcopo Carnotensi, PETRUS abbas S. Remigii.

In bivio dubietatis positus, utrum conquerar de me ipso ad amicum, an de amico ad amicum, vix discernere possum. Sed si utrumque facio, alterum non omitto. Nam quia utrumque culpabilem invenio, neutrum excuso. Me abbatem, te episcopum quis ignorat? Hactenus unice amicos fuisse quis dubitat? Hujus rei testis est acervus epistolarum, marina pericula non timentium, cum familiarissimo recursu et brachiali complexu nostra quondam sese revisitabat amicitia. Unde autem obstupuit, imo elanguit communis stylus, non jam quatriduanus stertens, imo annuali elapsu deficiens? Certe si episcopalium sollicitudinum allegationes negligentiam istam excipiunt, meam æque consimili ratione defendunt. Esto. Nullum fuit tempus vacuum, vel veniendi, vel scribendi, nunquid amandi? nunquid recordandi? Procul dubio quamlibet excusationem potest habere omnis actio, nullum dilectio. Si dormis, dilectio non dormit. Unde : *Ego dormio et cor meum vigilat* (*Cant.* v). Quibuscunque tenearis occupationibus et necessitatibus, non impeditur, non compeditur vera dilectio. Ubi est vera dilectio? Certe pallio hyacinthino multi se operiunt, sicut falsi prophetæ, qui in vestimentis ovium veniunt, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, vel amici rapaces. Nolo, nolo me vel te esse de illis, qui magnificant fimbrias fictæ amicitiæ, profitentes et promittentes inopinabilia et incredibilia, digito autem suo nec quæque modica tangentes. De hoc amicorum genere vel grege nunquam te expertus sum, nec tu me. Tardius enim os in promittendo moveo, quam cor in diligendo. Urget autem me suis stimulis hæc, de qua loquor, dilectio, redarguere non superbe, neque ficte, quæ de amico audio. Siquidem propter antiquam nostram amicitiam, qui habent adversus episcopum Carnotensem querelam, abbatem S. Remigii conveniunt, et quasi magistrum et judicem proponunt. Hæc et hæc, inquiunt, facit episcopus, sic loquitur, sic movetur, sic mutabilis est in promissis, sic instabilis in verbis et consiliis suis, sic ingratus beneficiis, sic ad iram facilis, sic improvidus in disponendis judiciis, sic totus pendet de voluntate et consilio unius hominis, mi-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(29) *Trecensem episc.* Matthæum, cujus exstat in collectaneis Saresberiensis epistola ad Alexandrum papam pro S. Thoma, quinto ejus exsilii anno scripta, initio episcopatus, hoc est anno 1169.

(30) *D. cardinalem.* Petrum tit. S. Chrysogoni. Rogerus Hovedenus anno 1177 : *Eodem anno Petrus tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, quondam Meldensis Ecclesiæ electus venit in Franciam.* In tabulis episcoporum Meldensium, post Stephanum, cujus etiam leguntur apud Saresberiensem epistolæ aliquot pro S. Thoma, subjicitur Simon, archidiaconus antea Senonensis, de quo nondum episcopo Saresberiensis epistola 280. At ex verbis Cellensis hoc loco liquet duos alios ante Simonem electos episcopos fuisse.

nus prudentis et multum cupidi. Ecce capitula quæ objiciunt episcopo. Quid autem, o amice, respondes ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? Si talis es, in alium virum mutatus es. Non te talem noveram, non didiceram, non prædicaveram. Archiepiscopus noster, vir discretissimus, et qui morum scrutator et cognitor est perspicacissimus, discipulum S. Thomæ aliter informatum, aliter institutum fide oculata ex diuturna cohabitatione acceperat. Absit, absit a me ista credere, sed rationes vellem habere, quibus vanitates istas et insanias falsas possem refellere! Ecce per amantissimum nostrum abbatem Sanctorum Crispini et Crispiniani rescribite, et remandate tam de his, quæ ex parte nostra dicturus est vobis, quam de his quæ scribo.

EPISTOLA CXIX.

AD EPISCOPUM CARNOTENSEM.

[VIII, 4.] Carnotensi episcopo (31), PETRUS abbas S. Remigii.

Si quando in mente constantis hominis priora mutentur vota seu proposita, considerandum est, utrum hoc fiat levitate, aut necessitate, aut superveniente affectione. Si levitate, inconstantia; si necessitate, fortuna; si affectione, ratio pensanda est. Si enim vitiosa est affectio, improbitas est; si justa, virtus, et est admittenda. Causa vero, unde oritur affectio, sorte inter bonam et malam dividit, et nomen imponit. Bona excusat voti mutabilitatem; mala accusat inconstantiam. Non enim ab inchoatis recedendum est sine ratione, quæ inchoata sunt cum ratione. Alioquin non est in illo est, sed est et non in illo est; et de illo dicitur, quia *stultus ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII). Ne autem sim oneri occupatissimis auribus Carnotensis episcopi, negotium breviter et aperte exponam. Postulatio nostra apud vos pro Hugone cognato et amico nostro Remensi canonico, ante fores vestras obseratas æstatem et hiemem fecit, et valde lassata et jejuna ad sinum nostrum reversa est; et ecce occurrit charissimus amicus et cognatus ampliori affectione suscipiendus in eadem postulatione G. archidiaconus vester, qui vobis de latere et Ecclesiæ vestræ magis paratus est servire. Cedit itaque ille, si iste successerit; imo ut iste succedat, cedo et ego in priori petitione, si exauditus fuero in secunda, quin potius ut fiat, et citius fiat secunda, ne forte steriles anni renuntient mihi defectum imbris matutini et serotini; et desperans de messione cessem deinceps arare, seu aliquid a vobis petere. Valete.

EPISTOLA CXX.

AD EUMDEM.

[VIII, 5.] Episcopo Carnotensi, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Facile est amicorum erratibus ignoscere, qui contingunt casu, non deliberatione. Causales quoque excessus facile corrigit, qui occupatione, non contemptu, delinquit. Amicum nostrum et vestrum, abbatem Sanctorum Crispini et Crispiniani, aliter quam decuit excepistis. In hoc circumspectio vestra oberravit. Sed hoc debitum cum satisfactione dimittetur, cum ad nos veneritis et culpam recognoveritis. Jam quoque nubeculam istam amovit a facie nostra relatio Alexandri amici vestri, qua de statu vestro lætificavit nos. Solet enim verum dicere. Prosperum itaque et felicem statum in his quæ erga vos fiunt asseruit, et ambages circumvolantes a corde nostro abegit. Non difficile credo quod multum desidero. Verbis igitur illius credo, et valde congaudeo. Nam a me nihil alienum æstimo, quidquid de vobis sensero. Radix enim longæva pruina subita non arescit, neque marcescit. De his hactenus.

EPISTOLA CXXI.

AD JOANNEM SARESBERIENSEM ET RICHARDUM FRATREM EJUS.

[V, 14.] Amicis suis charissimis M. JOANNI, et RICHARDO fratri suo (32), frater PETRUS S. Remigii dictus abbas, perpetua pace gaudere.

Stylum scribendi in sepulcro beati martyris Thomæ Cantuariensis, audita ejus morte, jam jam recluseram, arbitrans charissimos meos Joannem et Richardum ei consepultos, nec interim aura libertatis fruituros. Fallax namque rumor, et nimium varius, nil nobis de vobis certi afferebat, vel asserebat. Unde quod in dubiis semper faciendum censeo, lucem veritatis patienter sed non gratanter exspectabam, ne in incertum currerem, falsum pro vero retinens; gaudens forsitan cum esset mœrendum, et mœrens, cum esset gaudendum. Resumebam tamen, post longam ad me ipsum disputationem, de incommutabili Divinitatis consilio spiritum, et quidquid vobis contigisset, post glorificationem sancti martyris, in partem vertebam meliorem, quia sive contribularemini, sive consolaremini, in argumentum et augmentum fidei vestræ accipiendum non dubitabam. Neque enim tam modicæ fidei scio vos esse, ut timeatis calicem Domini bibere in passione, quem frequenter bibitis in Christi recordatione. Tandem ex veraci relatione status vestri, omni absoluta compage, omnipotenti et benignissimo Deo medullatas refero grates, qui non aufert a vobis solitas suas miserationes, sed, ut credo, quia præmisistis dilectissimum patronum in cœlis, recipietis sine dubio alium paracletum vice ejus in terris. Ecce, mi dulcissime Richarde, proruo in osculis faciei tuæ, non sine affectu viscerali, attendens mutatum habitum, nescio si melioratum ani-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(31) *Carnotensi episc.* Joanni Saresberiensi. Item et epistola sequens.

(32) *Joanni et Richardo fratri suo.* Joannis quoque Saresberiensis ad Richardum fratrem epistolæ tres leguntur. Richardus autem hoc tempore, id est sub annum Christi 1170 quo exeunte interfectus S. Thomas, habitum mutarat, regulari suscepto. Quare idem posthac, ut canonico regulari scribit.

mum. Quid enim honestatis, quid maturitatis, quid pietatis, quid charitatis, quid totius religionis decerat, cum esses in oculis meis, et nostræ congregationis, speculum bonitatis, et forma integra æmulandæ imitationis? Nusquam fuisset illa præpropera sollicitudo regressionis, potuisset tibi sufficere domicilium amicæ paupertatis, et satis charæ si recolis societatis. Sed o cæca et futurorum nescia mens humana! extra vel ultra divinæ moderationis gressum ne porrigas pedem, quia labi est, a Deo non regi; et per se ire, perire est. Si nobiscum mansisses, solatio contra pene omnem molestiam fuisses, nec a Deo desertum crederem, dum hujusmodi pignus suæ miserationis mecum tenerem. Sed factum est, quod factum est. Sit stimulus majoris desiderii molesta corporis absentia, et ubi nulla subest corporalis visio, continuetur oratio. Ne diutius scribam, familiares succedunt interruptiones, quæ animi quietem interrumpere non cessant, et laborem perpetuare. De statu autem nostro utrumque amicum certifico, ac de corporali sospitate dico, quod qualem dimisistis, talem adhuc invenire potestis. Pax in congregatione nostra est, et cursu consuetudinario adhuc currimus. Cum omnibus hominibus pacem habemus, maxime cum domino archiepiscopo. Debitis non valde gravamur. De Marna redditus nostros habemus. Bene est amicis nostris et vestris; Cellensi abbati, Sanctorum Crispini et Crispiniani, abbati Sancti Nicasii (33), prioribus de Monte Dei, et de Valle Sancti Petri. De quæstione autem illa, quam in fine passionis beati martyris Thomæ, bone amice, posuisti, credo nullatenus solutionem te latere. Forsitan tamen et meum animum in tuam sententiam translatum non dubitabas; sed ut recogitarem, quia quod Deus per se facere disponit, hominis auxilium vel auctoritatem non quærit, ubi autem ministeria hominum non despicit, causa nostræ utilitatis vel humilitatis hoc facit. Absque enim omni sacramento, id est visibilium elementorum vel operum adminiculo, hominem salvare posset, nisi exercitia humilitatis vel fidei ad utilitatem salvandorum utilia procurasset. Diffinitive ergo teneo, nulla ratione lucernam accensam in manu Dei posse supprimi vel exstingui: nec ibi exspectandum hominis judicium, ubi manifesta luce Dei se explanat judicium.

A et columnas citra mare, legatos scilicet Romanæ curiæ (34) tenemus. Quid autem statuere, quid dejicere, quid aperire, quidve claudere debeant, tam ipsis quam nobis incertum est. Tota siquidem clausula negotii pendet ex adventu et responsis regis Angliæ. Tamen modestos præsensi nimis animos eorum in exsecutione mandati, nisi forte ex contemptu exasperati in duriorem prosilierint sententiam. De proprio ergo statu id enuntio; quod quantum ad personam nostram, cursu consueto valetudo procedit; quantum autem ad Ecclesiæ communem pacem et prosperitatem, sic se habet quomodo solet. Unus autem, scilicet frater Herveus, jam nobiscum non ambulat. Ivit viam suam; utinam non post Satanam! Si ad vos venerit, equos accipite, et B si quid aliud honeste ab eo auferri poterit. Super quæstione autem tua, frater Richarde, amice dilectissime, nolo multiplicare supervacuos circuitus, et multorum verborum anfractus. Quæris autem, utrum ad singulos de collegio culpa, quæ videtur respicere œconomum vel præpositum, ipsius derivatione singulari et certa percurrat, et illiciat singulorum conscientias. Ait propheta: *Anima quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filii* (*Ezech.* XVIII). Item auctoritas: *Mala non sunt, quæ nec mentem implicant, nec conscientiam ligant.* Item Apostolus: *Quæ in macello venient, edite cum gratiarum actione, nihil interrogantes propter conscientiam* (*I Cor.* X). His omnibus C auctoritatibus, non mihi videtur singulorum capita percutere, si quid a præposito male administratum fuerit: et sufficere claustralibus, nescire unde veniat quod edant, vel quid vestiant. Tanta enim simplicitas debet esse columbæ, quæ in foraminibus petræ et in cavernis maceriæ nidificat, ut remota omni sollicitudine, quidquid manus ejus invenerit in lecto, sive in refectorio, simpliciter accipiat, et Deo gratias agat. Si quis autem dixerit, hoc idolothytum est, id est de rapina, vel usura, vel alio quolibet modo male acquisitum, abstineat. Valete.

EPISTOLA CXXII.

AD EOSDEM.

[V, 20.] Magistro JOANNI, et fratri suo RICHARDO, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Statum nostrum prætermisso procœmio vobis notificare studeo, cujus nec satis bonus, nec pessimus ad præsens occurrit aspectus. Valde autem sollicitus sum de statu terræ vestræ, cujus quasi claves D Dei se explanat judicium.

EPISTOLA CXXIII.

AD JOANNEM SARESBERIENSEM ET RICHARDUM FRATREM EJUS.

[VI, 11.] Magistro JOANNI Saresberiensi et fratri suo RICHARDO.

Grande dispendium patitur ardens desiderium, si data occasione crassa et supina negligentia negaverit de amico refluere, vel ab amico recipere saltem litterale refrigerium. Sit ergo inter nos pactum, quod impune prævaricari non liceat, quatenus vacua manu, vel brevissima salutatione nuntius nullus accedat, vel abscedat. Non tamen credo aliquando sic evacuari tempora circumvolantia, ut non alterutrum habeamus, unde vel de

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(33) *Abbati S. Nicasii.* Remensium id cœnobium, Remigiano situ proximum, atque ordinis ejusdem. Abbas autem tunc erat Guido II monachus olim Sancti Remigii, ad quem Alexandri epistola 28.

(34) *Legatos Rom. curiæ.* Albertum et Theodinum cardinales ad Henricum Angliæ regem missos, ut de cæde S. Thomæ cognoscerent; utriusque mentio in epistola 54 Alexandri.

prosperitate, vel de adversitate aliquatenus conqueramur. Ineptissima plane excusatio quorumdam, qui cum moneantur ad confessionem, dicunt se nihil habere quod in confessione referant. Revera tales copia inopes facit, vel solis claritas eos excæcavit. Non ergo similes eis efficiamur, dicendo, nihil novi nos habere quod referamus, cum nec Francia citra mare perpetuitatem pacis et tranquillitatis adhuc juraverit, nec Anglia vestra ultra et juxta mare medium silentium post completorium teneat. Solent enim tunc fecundi calices tam apud vos, quam apud nos, nova et vetera dicere et facere. Sed de his taceamus, ne vestrates irascantur, qui potu viliori non minus inebriantur, quam nostrates vino meracissimo. Imperator indulsit (35) nobis bona nostra de Marna. Valete.

EPISTOLA CXXIV.

AD JOANNEM SARESBERIENSEM.

[VI, 12.] Si bene recolo jocos prioris sæculi, dum simul essemus, et ad invicem plura jocando sereremus, occurrit inter cætera, quod quasi de magnitudine cassulæ tunc archiepiscopi Thomæ, nunc pretiosissimi martyris, conquerebar ubi posset reperiri. Verbum illud fecit Deus, imo risum fecit nobis et toti provinciæ vestræ et nostræ. Inde est quod undecunque non solum Angli, sed et Galli, quasi ad solemnes epulas, et ad fertilissimas jubilationes, concurrunt ad tumbam prædicti sancti; quo et mihi miserrimo et indignissimo contingat venire, videre mirabilia Dei, et adorare Deum in sancto suo antequam moriar. Etsi enim intercipi voragine maris quod intercurrit possem, non timerem mortem cum vitam quærerem. Interim autem corde meo, ore vestro, adite præsentiam ejus; et totis visceribus atque medullis, pro peccatis et miseriis nostris rogate alumnum gratiæ, ne præ ebrietate immensurabilium gaudiorum suorum, qua ab uberibus Christi et gloriosæ virginis Mariæ repletur, nostri obliviscatur, cum nos comparticipes compassione animi in tribulatione sua aliquando habuerit, et adhuc pro posse devotissimos gloriæ suæ prædicatores. De his hactenus. Cæterum de oblatione vestra universitas fratrum nostrorum grates quas potest vobis rependit, et quem cum fratre vestro Richardo ab annis prioribus in societate bonorum suorum adnumeravit, cumulatius amplectitur, et jucundius in perpetuam commemorationem astringit. Nondum tamen reditus exinde comparavimus, quia nulla opportunitas se obtulit. Instantius autem laborabimus quærere, quo id maturius efficiatur. De glosis nostris, quas retinuistis, utcunque patienter sustineremus, nisi plus quam granum sinapis minutissimam fidem de nobis apud vos deprehenderemus. Tanto tempore A nobiscum fuistis, et miror, imo horreo, si tam exiguam de nobis confidentiam ex præteritis actibus et verbis conceperitis, ut libellum parvissimi pretii a nobis gratis retinere formidaretis. Tamen quia ita egressum est de labiis vestris, ne fiant irrita vestra, prorsus sumptus reposcimus grandes et graves, ut fiat vobis juxta fidem vestram. Pretium tamen sine taxatione et sine æstimatione est. Dominum episcopum Exoniensem saluto, et me sanctissimis suis orationibus commendo. Fratrem vestrum Richardum, quem tenerrime diligo et dulcissime amplector a Jesu Christo et a Spiritu sancto, imo a Deo Patre, ubertate gratiarum impleri exopto. Participem enim me totorum bonorum ejus non dubito. Valete.

B

EPISTOLA CXXV.

AD EUMDEM.

[VII, 2.] Petrus abbas Sancti Remigii, Joanni de Saresberia.

Nunquam pulsum tuum in litteris a te receptis inæqualem, aut citatum de superveniente febre regiæ commotionis deprehendo. Mirarer tam bonæ et optimæ animi complexionis, nisi antiqua cognitio admirationem compesceret, et olim jam notus status tuus majora et meliora innotuisset. Certe cum illis et de illis te esse non ambigo, de quibus dicitur quia *ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur* (*Ezech.* I). Cholerica et cœlestis complexio tua suis passionibus hilarescit, suis congelationibus frondescit, suis eversionibus excrescit, suis ægritudinibus convalescit, suis contrariis infortuniis fortior et audacior enitescit. Quid igitur? Consolabor te? Sed non es desolatus, qui desolationem reputas consolationem. Relevabo te? sed non es dejectus, qui dum ejiceris elevaris. Conficiam aliquod emplastrum sive electuarium? sed neque vulneratus es, neque in passione aliqua turbatus. Tamen percusso et non vulnerato, impulso et non dejecto, concusso et non excusso, reor congratulandum de constantia, timendum de nondum finita pugna, adhortandum de perseverantia. Ecce caminus, sed non timet aurum; ecce mare, sed supernatat folium; ecce malleus, sed non confringitur adamas; ecce ventus, sed mons Sion non commovebitur; ecce prælium, sed miles tenet gladium. Supervacuis impendiis (36) laborat, qui solem facibus nititur adjuvare. Non ista et scientia et experientia. Si qua tamen tibi ex me potest fieri consolatio, utere ut libet, et præsens et absens, tuus sum, et omnia mea tua sunt. De gente tua et moribus, mihi satis notum est, quia utres, imo ventres suos solent implere, quinimo superinfundere, tam de vino quam de mulso, sine reprehensione; et tanquam Hebræi

C

D

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(35) *Imperator indulsit.* Fridericus Ahenobarbus. Non semel, ut in remotis possessionibus accidere solet, in Marsnæ bonis vim passi sunt monachi Sancti Remigii. Nam et paucis abhinc annis in eorum possessionem, qua dejecti per annos complures caruerant, regis nostri auctoritate postliminio restituti sunt.

(36) *Supervacuis impendiis.* Verba sunt Ennodii Ticinensis lib. II, epist. 22, cujus et alia quædam hinc inde imitatur.

carnem suam circumcidunt, in signum quod semen sunt Abrahæ, absque opprobrii confusione.

EPISTOLA CXXVI.

AD AVENIONENSEM EPISCOPUM.

[VIII, 2.] Avenionensi episcopo (37), PETRUS abbas Sancti Remigii.

Virtutis propago ramos gratiæ suæ semper pullulans, in Ecclesia Christi beneficio suo rigat novellas, sicut antiquas paradisi plantationes, quando in decessu religiosi prælati bonus nihilominus et honestus substituitur. Sic ignis in altari perpetuatur; sic in Sabbato panes propositionis renovantur; sic pro patribus filii Ecclesiæ nascuntur; sic denique vectes in arca semper circumferenda infiguntur. Prædecessoris vestri gratiam, ut decet, firmiter teneamus; qui tanquam pius pastor et pater, fratres nostros, et quod in episcopatu vestro habemus, dum vixit, servavit, et pro posse ab infestatione defendit. Oramus ut spiritus ejus duplex fiat in vobis; quatenus nec farina regiminis, nec oleum mansuetudinis in lecytho deficiat. Habetis fidelem in cœlo remuneratorem beatum Remigium, cujus oves sumus, et si necesse et opportunum fuerit, tam de lacte, quam de lanis nostris, ad usum vestrum mutuare poteritis. Mittimus itaque juvenem istum ætate, sed moribus, ut experti sumus, maturum, ad partes vestras, cui tradidimus et committimus prioratum nostrum cum his quæ ad nos pertinent in provincia. Ut ergo sub alis vestris ipsum excipiatis et foveatis, rogamus et obsecramus.

EPISTOLA CXXVII.

AD B. EPISCOPUM EXCESTRIENSEM.

[V, 4.] Domino et Patri suo charissimo B. Dei gratia episcopo Excestriensi (38), frater PETRUS Sancti Remigii dictus abbas, salutem devotissimam.

Sententia dubia quæstionibus ventilata clarescit, species aromatica pistillorum tunsione fragrascit, Ecclesia oppressione malorum crescit. Virtus quoque bonorum, adversariorum infestatione lacessita flore vernat et fructu. Equus ille, qui procul odoratur bellum ad vocem buccinæ dicit Vah! eoque amplius fervet in certamine, quo acrius concitatur fuso undique clamore. Quas enim vires collectas tempore pacis dissimulabat, fenore multiplicato exsolvit, cum expostulaverit necessitas, ut tanquam de grano sinapis virtutem mireris, si speciem simpliciter minutissimi grani intuearis. Tunc igitur virtus se expandit propagine multa, cum malis reluctantibus fuerit provocata, nec ad plenum fides discernitur, nisi telo infidelitatis fortiter impetatur. Justus denique, qui ut leo confidens absque terrore est, quando gloriatur, nisi quando experimentum sui ex aliquo discrimine capit, ut tunc se aliquid posse cognoverit, cum locum virtutis oblato labore invenerit? Gloriosos faciunt martyres nostros causa cum pœna, et pœna cum causa. Diu est quod in terra vestra latuit, imo consopita jacuit fidei virtus, ubi plures ad se evocabat poculum confectionis, quam Evangelium apostolicæ prædicationis. Unde igitur sic efflоruit et refloruit moderna in vobis religio, ut apostolicos spiritus ebiberetis, et tota fiducia in medium prosilientes dicatis: *Melius est Deo obedire, quam hominibus?* (*Act.* V.) Certe musto non sicera pleni sunt, qui concepto robore pellem pro pelle, et cuncta quæ habent dant pro animabus suis. De his hactenus. Cæterum si magna illa bellua evomuerit vos de terra vestra, est apud nos domus nova vobis parata, cum omni sumptu, sine auro et argento, ubi et copiam librorum, et studendi otium pro libitu invenietis. Valete.

EPISTOLA CXXVIII.

AD EPISCOPUM EXONIENSEM (39).

[V, 16.] Luctus noster in gaudium vertitur, cum de terris amicus noster ad cœlum levatur. Spem quidem bonam de ipso, si diu inter nos viveret, conceperamus; sed jam optimam in cœlo repositam habemus, episcope Exoniensis. Quid et de quo loquamur, nostis. Non dubito partes vestras plenissime interpositas, ubi tantum perpetratum est nefas. Remanserunt hujus aquilæ, quæ ad astra evolavit, pulli lambentes sanguinem ejus, et sese quotidie inebriantes felle et absinthio. Sit eis tamen solatium spes futurorum, evidentia miraculorum, et patientia præsentium malorum. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, ut evolem (*Psal.* LIV), et visitem tumbam pretiosi martyris sancti Thomæ? Credite mihi confidenter, veniam impetraturus de peccatis meis adirem locum illum, de quo sanctissima ejus anima per proprium sanguinem assumpta est ad consortium sanctorum meorum. Vos ergo vices nostras supplete, et pro nobis orate, atque dulcissimos illos amicos nostros et vestros benigne fovete.

EPISTOLA CXXIX.

AD EPISCOPUM CESTRENSEM.

[VII, 10.] Episcopo Cestrensi (40), PETRUS abbas S. Remigii.

Vestri officii est, Pater charissime, calamum quassatum non conterere, et religionem impulsam

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(37) *Avenionensi episcopo.* Pontio, ut conjectura est, successori Gaufredi.

(38) *Excestrensi episcopo.* Excestra Domnoniæ civitas in Anglia, sedes episcopalis esse cœpit ante annos plus minus DL. Cathedra illuc per Lifricum episcopum translata, cum Cridiæ antea esset. Iidem itaque episcopi Excestrenses, qui olim Cridienses.

(39) *Ad episc. Exoniensem.* Bartholomæo, ut liquet ex epistolis Joannis Saresb. et Petri Blesensis 83. Eumdem ergo intelligi oportet lib. V, epist. 12.

(40) *Episc. Cestrensi.* Auctor est Malmesburiensis lib. IV De gestis pontificum Anglorum, Petrum episcopum Licefeldensem, Guillelmi senioris temporibus, sedem Cestram transtulisse, quæ olim civitas Legionum a militari in ea colonia vocitata. In eo tractu positus videtur fuisse prioratus Lapeleensis, nec procul a monasterio Beldewas, ad cujus abbatem epistola quæ sequitur.

vero aut falso rumore non penitus evertere, sed sustentare et relevare. Nihil namque in hominibus cujuscunque professionis adeo sanctum et perfectum, quandiu in eodem statu nullus reperitur, ut nulla impostura seu scissura interveniat. Ut enim ait Gregorius, vera religio compassionem habet, non indignationem. Unde et Jesus inclinans se scribebat in terra : *Si quis sine peccato est vestrum, prior in adulteram lapidem mittat* (*Joan.* VIII). Tandem reatum solvit, et ream absolvit; non favendo iniquitati, sed commissa delendo, et non committenda præcipiendo. Venerande Pater et domine, non excusamus peccata nostra, sive illorum, qui in opprobrium sui ordinis faciunt ea quæ non conveniunt. Secretius tamen, non mitius, arguendos decerno illos, quorum vita spectaculum debet esse mundo, et angelis et hominibus, si offenderint in lapidem offensionis, non suo, sed sancti ordinis merito. Cum enim causa distinguat inter personam et regulam, salva regula tangatur persona, ne nomen Christi blasphemetur inter gentes. Hactenus monachi solent judicari in capitulo, non in consilio; inter monachos, non inter presbyteros; ab abbate, non ab archidiacono; corporali, non pecuniaria pœna. Scitis, ut credo, quia si notificasset nobis paternitas vestra, aut sedulitas archidiaconi, enormitates monachorum nostrorum, nec oculos, nec aures clauderemus, sed juxta antiquorum Patrum consuetudinem regulariter male acta corrigeremus. Amovemus igitur tam priorem illum, quam fratrem suum a prioratu illo, et subrogamus bonos ut credimus fratres, quos vestræ paternitati attentius commendamus, quatenus sub alis vestræ protectionis milvorum rapacitatem non timeant, et cum Dei adjutorio, vestro fulti auxilio, ruinam,] si qua est, in domo illa reparent.

EPISTOLA CXXX.

AD ABBATEM DE BELDEWAS.

[VII, 11.] Abbati de Beldewas PETRUS abbas Sancti Remigii.

In negotiis amicorum gerendis tantumdem bonæ fidei exigitur, quantum et in propriis. Nec ignoro fraternam sollicitudinem vestram operam dedisse, quatenus fidei vestræ commissum negotium, bono inchoatum principio, fine meliori clauderetur. Fortuna tamen, quæ non subjacet humano arbitrio, frequenter eludit sollicitudinem nostram, et elidit intentionem. Quis enim dominatur potestati maris, imo quis imperat motibus indomiti cordis? Vix quisque potest regere familiam penetralium suorum; alienam vero, quam adire non potest, regere quomodo potest? Idcirco indulgentia Dei nobis non negatur, si de commissorum sollicitudine nihil omittatur. In exactione itaque amicali nemo sit durior, quam Dominum vult sentire, indebita repetendo, vel remittendo. His omnibus diligenter inspectis et appensis, ignosco vobis sterilitatem domus nostræ de Lapelee, quam, ut credo, bonis admonitionibus vestris circumfodistis, sed incrementum, quod solius Dei est, præstare non potuistis. Commendo rursum vobis novellas istas plantationes, quæ genimine meliori, Deo cooperante, ut speramus, gustabiliorem referent fructum.

EPISTOLA CXXXI.

AD H. ABBATEM S. HUBERTI.

[V, 6.] H. venerando abbati de Sancto Huberto (41), P. Sancti Remigii dictus abbas, salutem.

Omnia quæ in tempore fiunt rationem temporis cum omnibus circumstantiis suis sollicite pensare debent, si finem bonum habere volunt. Idcirco, bone Pater et amice charissime, si susceptam navigationem ad portum salutis perducere potestis, non deseratis abbatiam vestram, sed in hoc tempore malitiæ et discordiæ patiendo et tolerando, donec transeat iniquitas, resumite vires, et onus diu portatum nolite projicere, cum vestra et multorum læsione; sed paulatim ab humeris deponite. Si enim pax et unitas Ecclesiæ redderetur, nec esset chaos inter nos et vos, fieri possent multa quæ modo fieri non possunt. Valete.

EPISTOLA CXXXII.

AD E. ABBATEM STABULENSEM.

[V, 10.] Venerando domino et amico charissimo E. abbati Stabulensis (42) Ecclesiæ, PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, in perpetuum cum Christo gaudere.

Nulla negligentia bona est; non tamen omnis æqualiter culpabilis. Cumulat namque aut minuit meritum negligentiæ amputanda dissimulatio faciendorum, aut inconsiderata festinatio non faciendorum. Ea nihilominus quæ a nobis remota sunt, et per procuratores fiunt, non consimili a nobis pœna exiguntur, si male administrentur, sicut illa quæ manu nostra et proprio studio peragi solent. Inde est, domine abba et amice charissime, quod aliquantam opponunt pro nobis excusationem, si fratres nostri de Marna, non solvendo pecuniam quam debent, molestiam vobis fecerunt, cum factum ab anno præterito æstimaremus, quod adhuc faciendum modo cognoscimus. Ignoscite itaque culpam, quam nec superbia genuit, nec contumacia defendit. Dignus namque venia est, qui cito corrigit delictum, vel qui pro posse reddit debitum. Domini imperatoris mandatum vestrum et nostrum certe turbavit negotium. Injungimus præposito nostro, ut cito solvat, quod jam fecisse debuerat. Vobis gratias agimus de bona patientia vestra,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(41) *Abbati de S. Huberto.* In Arduenna silva, diœcesi Leodiensi. Scripta fervente adhuc schismate, quod tempus malitiæ et discordiæ vocat.

(42) *Abb. Stabulensis.* In diœcesi Leodiensi, in qua præbendæ erant Marsnenses S. Remigii. De his vero, et de Friderici imper. mandato, quod innuit, plura epist. 90.

et innotescimus, quod nunquam utilis nobis fuerit commutatio illa.

EPISTOLA CXXXIII.

AD ABBATEM S. EADMUNDI.

[v, 15.] Charissimo domino et amico suo abbati Sancti Eadmundi (43) PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, salutem et devotum obsequium.

Non solum scribere, sed nec nuntium mittere a multis temporibus vobis potuimus. Causa non latet, nec quidem jacet. Adhuc in pendulo est, et magis apud nos dubium quam certum, utrum præsentes litteræ salvæ aliquo modo ad vos pervenire valeant. Pereant tamen an veniant, nostra dilectio obire non poterit, quia nec hominem timet, nec ignem, nec aquam, nec quamlibet oppressionem ex insidiis fortunæ. Mediatores illos, quorum interventu familiaritas inter nos oborta est, penes vos habetis; de quorum amore tam vester quam noster animus pendet; in ipsis et ex ipsis faciem nostram aspicite, et quam habeamus erga vos affectionem, pensate. Plura scriberemus, sed digito labellum compescimus, quia incultum est veritatem fines vestros perambulare, ubi recenter suffocata et strangulata est, nec jam in palam apparere audet.

EPISTOLA CXXXIV.

AD EUNDEM.

[vi, 10.] Non vilescat vobis nostra littera, quam commendat dilectio. Fungitur namque legatione devoti amici, et parvis expensis supplet impossibilitatem difficillimæ peregrinationis. Illota forte facie, et minus compta vilitate pannorum, sublimes offenderet oculos, nisi essent amicabiles. Genus itaque pensandum, non decus, quia specimen generationis pluris est, quam forma lucrativa adulterii et fornicationis. Nostra ad vos oratio de genere Israel est, non deprehensa, vel aliquando deprehendenda macula mendacii, tanquam adulterii. Magnum mihi est religiosorum familiaritatem habere, et pretiosum firmiter retinere. Rogo itaque, vices mutuæ orationum nostrarum sæpe alterno recursu ad invicem præbeant columbina oscula, et duæ pennæ jungantur, quarum beneficio cœli palatia, Deo annuente, penetrentur. Valete.

EPISTOLA CXXXV.

AD ABBATEM LATINIACENSEM,

[v, 18.] Abbati Latiniacensi (44) abbas Sancti Remigii.

Promissioni nostræ et petitioni vestræ, nec potui, nec debui deesse. Cui enim semel animam nostram communicavimus, valde absurdum esset, si ea quæ infra animam sunt negaremus. Apparens etenim et evidens argumentum est, non bene animos conjunctos, ubi quæ possibilia sunt, et factu digna, nulla interveniente ratione, ab amicis non præstantur. Et in hoc itaque et in aliis, me et mea vobis exhibeo, non diffidens de bonitate vestra, ut si quando simile quid a vobis expostulavero, facile mihi indulgeatur. Tamen noverit dilectio vestra, frater, nos opus nostrum incorrectum confidentissime vobis credere, obnixe rogans et supplicans, ut limam correctionis adhibeatis, superflua confodiendo, exilia supplendo, male ordinata ad ordinem revocando, et quidquid inde vobis visum fuerit, tanquam de vestro faciendo. Valete.

EPISTOLA CXXXVI.

AD PETRUM ABBATEM DE SILVA.

[v, 17.] Domino PETRO abbati de Silva (45) PETRUS abbas Sancti Remigii.

Satis est grata nobis occasio, qua vobis scribere compellimur. Cum enim vestram præsentiam, si à Deo daretur, totis semper amplecteremur brachiis, quid mirum si vel semel in anno absentiam qualicunque stylo alloqui desideramus? Nec tamen quæ, vel quantum volumus, amantissimo amico præsentibus litteris insinuamus : obstante illa, quæ pene cunctis affectionibus nostris insidioso novercatur oculo, importunitate congestorum negotiorum, quæ tollit a me animam meam plus sæpe nolente quam volente. Est itaque petitio nostra apud vos pro priore vestro Noviense, viro honesto, opinionis bonæ, et famæ hilaris in partibus nostris. Electus enim in abbatem, excusat se a tanto onere, tum propter humilitatem suam, tum propter difficultatem laboris, quem nondum expertus, jam reformidat tanquam expertus. Instillavit enim auribus nostris, se potius sæculum repetere, quam onus istud suscipere. Non quidem approbo tantam hominis in isto negotio constantiam, ne dicam pertinaciam, quia ordinata Ecclesiæ charitas hoc exigit, ut gratiam acceptam in invicem subministremus, et juxta legem Mosaicam, maledictionem illam fugiamus, qua dicitur maledicta sterilis, et quæ semen non fecerit in Israel. Quia tamen alias dicitur : *Quid molesti estis huic mulieri?* (*Matth.* XVI.) Et in Canticis : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* (*Cant.* II). Pede postulationis nostræ suspenso in ambiguitate spinosa deambulans, vestræ discretioni quid potius e duobus eligendum sit relinquo. Officium autem postulantis expleo, ut suggerens vobis nullo modo cogendum supra vires hominem discretum definiam.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(43) *Abbati S. Eadmundi.* Hugoni, ad quem Saresberiensis epist. 256 et aliæ. De S. Edmundi monasterio in Norwicensi Orientalis Angliæ diœcesi multa Willelmus Malmesb. lib. II De gestis pontificum Anglorum.

(44) *Abbati Latiniacensi.* Quod S. Petri, de Latiniaco ordinis item Benedictorum est cœnobium in diœcesi Parisiensi. Exstat D. Bernardi epistola 230 pro abbate Latiniacensi.

(45) *Petro abb. de Silva.* Silvæ Majoris dicitur libro VI. Sic enim appellant Benedictinorum cœnobium in diœcesi Burdegalensi, de quo ejusque auctore B. Gerardo in Sanctorum album tunc recens ascripto Stephanus Tornacensis epist. 331. Aliud est Grandis silvæ monasterium ordinis Cisterciensis in Tolosana.

EPISTOLA CXXXVII

AD ABBATEM DE MAJORI SILVA.

[VI, 17.] Quod me semel vestris sanctis commendavi orationibus, et vice mutua nostras qualescunque orationes repromisi, huic congratulor contractui, et perpetuandum totis viribus exopto. Scintillas in litteris vestris excandentes et recalentes hujus nostri mutui amoris cum multa lætitia excepi, et tanquam de sacro altari igne hausto thuribulum propriæ conscientiæ replens, devotionum nostrarum incensa prout potui adhibui. Scit Deus et Dominus scientiarum, quod de propriis nihil præsumens meritis, et orationibus amicorum intercessiones, ad illum qui adhuc longe agit legatione fungentes, securus mitto, nec aliquatenus vacuas redire spero. Juxta itaque fidem meam unus de mediatoribus et reconciliatoribus meæ fragilitatis ad illum qui sedet in throno gratiæ accedatis, et copiosam de plenitudine gratiarum benedictionem infelici et misero peccatori referatis. Cæterum pro priore de Novis valde familiari et amico nostro, vestro autem fidelissimo, paternitatem vestram supplex deprecor, quatenus sicut cœpistis paterno foveatis gremio, nec aliquid aliquando sinistri de illo suspicemini. Quod enim quasi contumaciter onus abbatiæ recusavit, non de protervitate, aut elatione, sive inobedientia processit. Venas quidem susurrii de sacratissimo pectoris vestri arcano susceperat, quod de facili indulgentiam vestram habiturus esset, si potius eligeret in potestate vestra et monachus vester remanere, quam si emancipationem et abbatiam appeteret. Valete.

EPISTOLA CXXXVIII.

AD EUMDEM.

[VI, 19.] Abbati Silvæ Majoris, PETRUS abbas S. Remigii.

Jam in itinere posuerant pedem priores vestri, ut ad vos venirent, cum valefacientes nos, dixerunt quid humilitas nostra remandaret paternitati vestræ. Cœpi urgeri, utrum in tanta festinatione nudo verbo, an qualicunque scripto salutare vos deberem. Impetrato tamen brevissimo spatio cucurri ad scriptorem, nihil excogitatum, nihil præmeditatum, nihil emendicatum quærens; sed sicut in ore nostro et in manu scriptoris accurrebant verba, sic ea incondita litteris mandavi. Nec etenim aliorum thesauros, nec nostros pauperes angulos evolvere poteram. Verbum illud, quod prope est in ore et in corde, non fuit necesse diu quærere, hoc est verbum dilectionis, verbum salutationis. Semper enim stat in januis, et omni transeunti occurrit quod diligam vos, et quod vester totus sum, et de orationibus vestris apud Deum plurimum confido. Scio sine dubio ad judicium me properare, ubi sola veritas locum habebit; sed nolo ut sola justitia sine misericordia portas judicii præripiat. Ad fugam enim potius me præpararem, si possem, quam ad talem curiam, in qua malo suo merito omnis homo condemnaretur, et nullus nisi misericordia suas partes interponeret, salvaretur. Credo vos aliquid posse apud misericordem et justum judicem, sive præire sive sequi vos contingat causam nostram. Dedit enim apud se fideles suos multum posse, qui fideles fecit, et januam suæ amicitiæ illis aperuit. Sit ergo fiduciæ meæ spes certa, non præsumptio vana, quod de Dei misericordia confido, et de intercessione vestra. De his hactenus. Priores vestros amicos nostros, præcipue Norviensem, et de Bella valle, et S. Pauli, affectuosius vobis commendo, et ut eosdem ad nos remittatis cum bona gratia, imploro. Valete.

EPISTOLA CXXXIX.

AD THEOBALDUM ABBATEM MOLISMENSEM.

[VI, 13.] Venerando, et utinam non verbo et lingua, sed opere et veritate amico, THEOBALDO abbati Molismensi, frater PETRUS Sancti Remigii humilis minister, spiritum veritatis.

Vox quidem vestra vox Jacob est, et utinam manus non essent manus Esau. Verba vestra venti sunt, litteræ cymbalum tinniens, promissiones nubes sine aqua, sermo sine voce, flores sine fructu, ignis sine calore, aqua sine humore, corpus sine anima, anima sine vita. Quoties, dilectissime domine, baculus arundineus mihi factus estis, dum vobis crederem, et nihil acciperem? Quoties nuntios nostros non primo, non secundo, non tertio fatigastis, et vanis atque frustratoriis dilationibus delusistis? Ubi est ergo illud privilegium amicitiæ, ut scribitis? ubi dilectio illa specialis, ubi fides singularis? Communia vestra male æstimo, cum specialia tam cassa et vana reperio. Homo tantæ auctoritatis, abbas tantæ congregationis, monachus et sacerdos veracissimi Christi, quare non appendit in statera justa verba sua, ut nunquam exorbitet a regula veritatis, qui Regulam professus est Beati Benedicti, imo Christianæ religionis? Fideliter et veraciter protestor, multa incommoda sequi mendacem, dum quisque se et sua illi credere refugit. Si meis acquiescere volueritis consiliis, mutato meliori fundamento, diutius et melius cum prosperitate in abbatia vestra durabitis, et adversariis vestris locum adversum vos malignandi non præstabitis. Debitum nostrum, cum Deus voluerit et vobis placuerit, habebo. Verumtamen exinde non promerui laborem et dispendium, quia bona fide et cum utilitate Ecclesiæ vestræ mutuo centum libras ab Otranno Trecensi accepi. Sufficiunt mihi veteres molestiæ, et pristini labores, quos sustinui, ne vel una die creditorem molestarem. Non igitur vadam vobis in occursum pro ista re. Apud nos sunt, qui sciunt quid ex debito receperimus, et quid non. Si ad nos veneritis, honorifice vos suscipiemus, et maxime cum pace, si pacem detuleritis. Valete.

EPISTOLA CXL.

AD EUMDEM.

(VII, 15.] THEOBALDO Molismensi (46) abbati P. abbas Sancti Remigii, salutem.

Statum vestrum cogitans et recogitans pene usque ad nescio quid dicam rapior. Caligine siquidem nimia pressus an hoc aut illud eligam, dicere confundor. Si enim dixero, Sta, casum timeo. Si dixero, Susceptum rejice onus, providentiam Dei offendere vereor. Proinde verum est quod ait Scriptura : *Incerta et timida sunt hominum consilia* (*Sap.* IX). Quid ergo? Tacebo et silentio abscondam charissimo amico quid de ipso sentio? Rursus tanquam cæcus lapidem jactabo, et feriam ubi non video? Sed scio quia in ambiguis benignius semper interpretandum est, juxta Apostolum qui ait : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino stat, aut cadit : stabit autem* (*Rom.* XIV). Consulo itaque priores et multos labores, in cella Carthusiensis ordinis pro Dei amore perpessos, semper te ante oculos habere, et tutissimo loco intimi cordis reponere, et si datum fuerit desuper, novos quotidie acervos aggregare. Nunquam enim bono negotiatori quæstus sufficit hesternus. Quotidie namque multa de acquisitis expendimus, et forte una jactura plus amittimus, quam per annum lucrati fuerimus. Ideo Apostolus quæ retro oblitus, ad anteriora semper tendit, nisi meliora et fortiora agat, parum pensans quid egerit. Si ergo lucrativa sunt tibi quæ facis, fac quod facis. Appende lucrum animæ tuæ; appende tibi commissorum profectum; appende quid tibi accreverit in temporalibus, quid iterum in spiritualibus. Pensandum siquidem est quietis pristinæ damnum, etsi reparat illud novum emolumentum. Tibi, non mihi, crede de bonis tuis; tu enim illa vides et sentis, ego tantum audio et credo. Tibi sunt nota, quia vicina, interiora tua. Si ventrem doles, nescio, nisi dixeris mihi, ventrem meum doleo. Sic nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Itaque cum spiritu tuo, imo cum Spiritu Dei, discerne causam tuam, et appende in statera justa, ne sis mendax in statera dolosa, sanum te asserens, cum infirmus sis, vel infirmum, cum sanus sis. Sed omnis homo mendax non solum in his, quorum non penetrat occulta, sed etiam in se, cujus privato amore palpat molliter, quæ amputanda essent mordaciter et fortiter. Adhibendum itaque præclarissimum speculum Scripturarum ad se cognoscendum et de se judicandum. Regula veritatis apponenda, quæ nec modicum tacet fermentum, nec dissimulat minimum quoque et veniale peccatum. Si dormieris inter hos cleros, si accubueris inter hos terminos, si consulueris oraculum inter hos cherubin productiles et aureos, rectos faciet gressus tuos, nec erit necesse consilium Achitofel, quod aliquando infatuatum est. Infra hos circulos immitte vectes tuos, et semper habens arcam Dei ante oculos non timebis Philistæos tuos, sive spirituales sive corporales. Ipsa die qua recessistis a nobis, venit frater Henricus. Persuasimus ei de reditu ad vos.

EPISTOLA CXLI.

AD ABBATEM SANCTI RICHARII (47).

[VII, 1.] In præcipuis boni pastoris sollicitudinibus non infimum tenent locum deliberatio et moderatio cunctarum suarum actionum. Præcipitatio enim et subita animi perturbatio regulam summi arbitri offendit. Qui omnia non mensura et pondere et numero disponit, male quoque cuncta ministrat. Utilius tamen et commodius est corrigere illicita et resecare superflua, quam contumaciter semper ad proclivia defluere. Nam Petrus princeps apostolorum, qui est optima forma omnium prælatorum, habenas regni dicitur habere, quibus impetum cordis tanquam pullum indomitum refrenet, et passibus ordinatis ambulare compellat. Ut ad rem veniam, sacramentum illud, quo monachum vestrum astrinxistis, ne ad monasterium, cui præsidetis, quandiu administratio vestra duraret, aliquatenus nisi permissione vestra rediret, de sancta pœnitentia absque ullo pudore et reatu perjurii, potestis relaxare, quod aliquantisper inconsiderate factum est. Si ergo nostro consilio acquiescitis, ovem abjectam revocabitis, et potius ad misericordiæ cornu dextrum, quam ad judicii sinistrum, censuram vestram inclinabitis. Misericordia enim superexaltat judicio. Quærit etiam monachus vester, utrum tenendum sit tale juramentum, an non. Pro certo respondeo, non tenendum, nisi urgentissima et exactissima subsit causæ necessitas. Valete.

EPISTOLA CXLII.

AD ABBATEM ET CONVENTUM VILLARIENSEM.

[VII, 4.] Abbati Villariensi (48) et conventui, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Cum reo, et pro reo, ipse non in uno, sed in multis reus, reatus veniam postulo, causam non justitiæ, sed misericordiæ allego, fontem David resignandum et aperiendum sitienti et de via redeunti imploro. Judæi captum a bestia, et morticinum, atque carnem porcinam non comedunt; sed Jesus lilium inter spinas, et captum liberat, et morticinum salvat, et porci immunditiam sua munditia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII), emundat et

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(46) *Molismensi abbati.* Ex hac epistola discimus, Theobaldum aliquando inter Carthusienses versatum.

(47) *Abbatis Richarii.* Centulum olim loco nomen, et monasterio. Postea auctoris nomen sumpsit, hodieque retinet, S. Richarii in Pontino pago diœcesis Ambianensis.

(48) *Abbati Villariensi.* Celebre est in diœcesi Metensi monasterium de Villariis : est et in Leodiensi alterum de Villari, utrumque ordinis Cisterciensis. Utrius horum, an alterius fortasse cognominis abbati scribat, incertum.

emendat. Fossa juxta altare, quæ sacrificiorum et holocaustorum reliquias sive superflua solet excipere, non nobis oppilata sed aperta reservetur, quia et ipsum altare concavum et in modum retis fieri jussum est, quatenus et cineres excipiat, et vapores admotæ flammæ intrinsecus usque ad animam foveat. Nostrum altare, quod est non hujus creationis, sed in excelsis, paternæ tantum generationis, et in terris maternæ nihilominus tantum conceptionis Jesus Christus, ventrem habet eburneum quidem, sed distinctum sapphiris : quatenus et ex virtute Dei nostras deleat ignorantias et peccata, et ex susceptione humanæ naturæ nostris infirmitatibus ex his quæ passus est compati noverit. Noluit autem plagas illas sanctas et vulnera in cruce suscepta, ita recludi, quod meatus veniæ et indulgentiæ peccatoribus obstruerentur ; sed adhuc manus habet expansas in cruce dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* xi). Quia igitur viris sapientibus scribo, de arca sapientiæ vestræ quantaslibet quisquilias mutuare mihi concedat eadem sapientia, quæ nunquam caret affluenti bonitate et copiosa largitate. Pro fratre Ansfredo, imo pro causa ejus, qui ad vos revertitur, hæc intimare nec mihi pigrum est, nec vobis onerosum esse debet. Causa equidem suæ abscessionis differens fuit ab aliis, qui propositum sanctæ religionis irreverenter abjiciunt, et tanquam canis ad vomitum redeunt (*II Petr.* ii). Effectus siquidem causæ ipsam probat. Non enim abjecto pudore et reverentia sancti propositi, cum meretricibus more aliorum lupanaribus se immiscuit, vel aliis enormitatibus sæcularis conversationis rupto fœdere sanctitatis se immersit. Non ergo a vobis uno et indifferenti modo rerum causæ pensentur. Quamvis enim in mente divina causa atque ratio omnium habeatur, tamen sicut fluvius, qui egreditur de paradiso in quatuor capita dividitur, sic de illa radice divinæ dispositionis rami innumerabilium causarum, et in se eadem manens diversas propagines exuberat, universitate eorum quæ fuerunt, vel sunt vel erunt. Quisque enim eventus sive effectus de propria causa procedit. Inde est, quantum ad præsentem causam attinet, quod manus Moysi, quam primo de sinu leprosam retraxit, secundo remisit, et carni reliquæ similis apparuit. Similiter frater Ansfredus, cum ad claustrum sanctæ congregationis vestræ, tanquam ad sinum Moysi, conversus contineretur, nulla in eo lepra criminalis peccati apparebat. Cum autem de claustro exiit, tanquam leprosus apparuit. Favente igitur et agente divina jussione, ad sinum Moysi, tanquam ad virum priorem rediens dicit : Melius mihi erat tunc magis quam nunc, nunquam inde postea exiturus, nisi ex mandato abbatis, vel vocatione cœlesti in exitu mortis, quando sana et integra, qualis de baptismate exivit, anima ejus ad domum ipso propitio redibit. Non ergo pœniteat vos ad horam illum amisisse, quem perpetuum fratrem et monachum recipitis. Proderit enim ei sensisse laqueos diaboli, quibus Dei adjutorio contritis, anima ejus liberata est. Tam enim nos, quam fratres nostri, nec non et clerus de castro nostro (49) testimonium ei perhibemus, quod religiosius se habuit in sæculo, quam multi in claustro, dum fere septennio nobiscum conversatus est. Exempla misericordiæ plurima supponerem, nisi viscera Joseph jam in vobis mota ad misericordiam præsentirem, et nisi modum epistolarem excedere timerem. Breviter tamen et compendiose patrem prodigi filii ad eum revertentis cum vitulo saginato, stola, annulo et calceamentis occurrentem, imo accurrentem monstro : et Jesum æque filium Mariæ virginis, adhuc Thomæ apostolo latus et manus ostendentem, ut quasi petra refugium erinaceis, in cavernis et foraminibus suæ passionis pullos fugientes admittat, et ab insecutione milvi rapacissimi tutetur. Oleum itaque de capite vestro non deficiat, quia postquam Sareptena mulier, id est Ecclesia, Eliam pavit, id est Christum recepit, farina misericordiæ divinæ non defecit, nec lecythus olei imminutus est. Itaque nec ubera sint vobis arentia, nec sterilis vulva. Christus enim non de sterili natus est, sed de puella gratia virginitatis et fecunditatis plena. Valete. Quidam clericus bene litteratus, qui in lege Domini die ac nocte meditatur, januam vestram pulsat, magister Willelmus, ut ad convivium sive ad cœnam Domini admittatur. Vestem siquidem habet nuptialem, id est pauperem et humilem, non villosam, nec pomposam. Quo itaque substantia et spiritu pauperior, eo societate Christi dignior. Rogo ut illum recipiatis. Orate pro nobis, quia ovem vestram detonsam bene vobis conservavimus, et cum multa lana remisimus.

EPISTOLA CXLIII.

AD ABBATEM VILLARIENSEM.

[vii, 5.] Abbati Villariensi, Petrus abbas Sancti Remigii.

Munus amicabile est amico sollicitudinem gerere. Pluris etenim est munus animi quam nummi. Sollicitudo autem implet animum, non manum. Unde nec tam facile tollitur de corde sollicitudo amoris, quam cito excutitur de sinu vel manu pignus cujuslibet materialitatis. Cum igitur a fratre H. diligenter de statu vestro quærerem, audivi vos in labore hominum esse et calicem sororis nostræ, quæ est passio Christi, cum his qui in torcular premunt, frequenter bibere. Amara quidem potio bibentibus illam, sed spem salutis optimam in se habet repositam. Nihil enim ad cœlum euntibus tu-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(49) *Clerus de castro nostro.* Castro S. Remigii, in suburbio scilicet Remensi, in quo situm monasterium, et aliæ basilicæ complures. Nunc etiam tametsi mœnibus urbis inclusum, Burgum S. Remigii eam partem vocant.

tius, quam sequi stratam sanguine Christi tinctam, quam vestigia clavorum impressa prospicere, et ante oculos suos Christum semper perscriptum et præscriptum inspicere. Rectissimum hoc iter ad tribunal gratiæ. Via hæc latronibus vacua, et finem suum pertendens ad illum, qui peregrinantibus est via, proficiscentibus veritas, pervenientibus vita. Duri sunt lapides ad caput Jacob in itinere quiescenti, asperi silices cacumina montium petenti, pungunt spinæ et tribuli teneros pedes, femori infiguntur sagittæ, sed nunquid non erit finis? *Finem*, inquit apostolus, *Domini vidistis, patientiam Job audistis* (*Jacob.* v). Quid igitur post finem, quid in fine? *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII). In fine siquidem apprehendemus quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas crucis Christi, et profundum. Longitudo dierum in dextera ejus; latitudo, ut sit tanta cognitio de Deo quanta dilectio, tanta dilectio quanta beatitudo, tanta beatitudo quanta dulcedo Dei, tanta dulcedo quantus ipse Deus. Sublimitas, in capite Nazaræi, Jesus Nazarenus rex angelorum. Profundum, cum omnia subjecta erunt ei, præter illum qui sibi subjecit omnia. Hæc, charissime frater et domine, charissimus filius vester H. a nobis nolens vacuus redire sua instantia extorsit, non a nolente, sed ab obsesso multis curis et turbis. Libentissime vidimus novum hominem factum de veteri, reversum de regione dissimilitudinis ad patrem clementissimi pectoris et redundantissimæ pinguedinis. Hunc vobis affectuosius commendamus, tanquam mutuæ dilectionis pignus, et fratrem, quem ego aliquantisper enutrivi, et valde diligo.

EPISTOLA CXLIV.

AD ABBATEM SANCTI ÆGIDII.

[IX, 7.] Abbati Sancti Ægidii (50), PETRUS abbas Sancti Remigii.

Vagabundas frequenter litteras ad diversos huc illucque absque emolumento aliquo devolvimus. Una vero res seria plura redimit otiosa. Columna quoque firmiter locata sustinet in se residentia etiam titubantia. Uno lucro plures jacturas compensat sedulus negotiator. Ut ad nostra veniamus, delictum Judæorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium. Hæc idcirco prælibaverim, ut non sine fructu scribam vobis. Fructum dico, non qui perit, sed qui permanet. Permanet autem quidquid Deo placet. Placet vero Deo vera dilectio, pura oratio, sancta compunctio, mandatorum Dei observatio. Suum possessorem nec avarum nec prodigum faciunt. Avarum redderent, si dilectionem et orationem amicis non erogaret; prodigum, nisi compunctionem et mandatorum Dei observationem proprie retineret. Sic monet Sapientia: *Deriventur*, inquiens, *fontes tui in plateis* (*Prov.* v), quod ad alios; *Sit tibi fons proprius et non communicet ex eo alienus* (*ibid.*), quod ad te ipsum. Bene offert, qui sic dividit. Progrediatur epistola, et demissa facie quæ sequuntur eloquatur. Nobilitas vestra et litteratura, sicut de carne et sanguine sunt, sic carnem et sanguinem, nisi condimentum religionis interponatur, sapiunt. Regularia tamen irregularibus ab oppositis sese objiciunt. Claustralis disciplina in habitu et forma regularium deputantur. Carnalia et sæcularia regulam aut exuunt, aut interrumpunt. Operiat utique velamen religionis turpitudinem lubricæ carnalitatis: et in abbate monacho lateat ventosæ nobilitatis, et superfulgeat vexillum humilitatis. Dicat igitur conscientia in vestimentis ovium sepulta: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX). Item: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi* (*Gal.* VI). Vera nobilitas nunquam superbit; litteratura sæcularis inflat, si illam charitas non reprimat. Ecce super candelabrum præclarum lucerna superposita in abbatia Sancti Ægidii, si clare ardet, plurimas adventantium regiones illuminat; si declinat in obscurum seu vaporem fumi, offendit videntes. Sic itaque luceat lux vestra, ut videntes glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.

EPISTOLA CXLIV *bis*.

AD BASILIUM ET ALIOS PRIORES CARTHUSIENSES.

[V, 9.] Dominis et Patribus BASILIO (51) cum cæteris prioribus Carthusiensis ordinis, frater PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, salutem cum omni devotione.

Ad glorificandum Christum vos convenire, quotiescunque convenitis, non ignoramus. De nullo itaque negotio sæculari directionem cordis vestri impedire sine dubio fas est. Commonere autem vos dignum est, ut quod facitis usque in finem facere studeatis. Virtus enim boni operis de radice procedit bonæ intentionis, et in perseverantia dilectionis perficitur, et omnis laus in fine canitur; melior quoque est finis orationis quam principium. Hæc ideo præmiserim, ut quia manum misistis ad fortia, semper ad ampliora et anteriora charitatis opera extendere contendatis, ad ejus imitationem, qui dum in mundo esset, porrigendo manum, corporum lepras, oculorum cæcitates, aurium surditates, et labiorum silentia curavit. In fine vero prorsus in cruce manus extendens, cœli et terræ, universaliter plagas et vulnera antidoto sanguinis

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(50) *Abbatis Ægidii*. Viro nobili et litterato. Monasterium est in Septimania, haud procul a Rhodani confluentibus, quod oppido etiam nomen fecit, ut primum juris, in Cluniacensium postea disciplinam potestatemque translatum.

(51) *Basilio*. Majoris Carthusiæ priori VIII vitæ sanctimonia, doctrinaque illustri. Huic iterum, universique ordinis comitiis, quæ quotannis haberi solent, scribit epistolam 11, nec dissimili argumento; nunc quidem pro monasterio in Dacia Esquili archiepiscopi rogatu erigendo; tum vero pro Trevensi, quod Henricus comes meditabatur.

sui curavit, et contra omnia recidiva, validissimam medicinam in cornu crucis, omnibus posteris usque ad consummationem sæculi reposuit, ut quicunque crucem suam post eum bajulaverit, vitæ æternæ compos et particeps, contrariam valetudinem timere non habeat. Frater iste, præsentium lator, per nos et per multos alios rogat mitti operarios de vobis in messem Domini. Messis enim multa in Dacia jam alba et ad metendum; sed operarii pauci, sed minor numerus qui non potest sufficere ad edendum agnum. Non sit itaque vobis pigrum, non durum, non desperabile, mittere ex vobis, qui nomen Dei et sanctum ordinem vestrum in terra illa portent in spe percipiendi fructus centesimi, aut potius millesimi. Corona vestra et gloria, si bono exemplo vestro animas plures Deus lucratus fuerit, et in regno gloriæ de salute aliorum merces vestra amplior et gloriosior in conspectu Dei et sanctorum angelorum erit. Valete.

EPISTOLA CXLV.

AD THEOBALDUM CLUNIACENSEM ELECTUM.

[IX, 3.] THEOBALDO electo Cluniacensi (52), PETRUS abbas Sancti Remigii.

Gemebundas, et quasi intestinorum suorum tumultuosa collisione seu conquestione, et velut a fulgure et tempestate percussas a vobis recepi litteras. Hominem siquidem redolebant satis conturbatum et exterritum, ac velut repentino superveniente tonitruo pene jacentem exanimatum. Nec mirum. Res namque nova, tam sua novitate quam magnitudine, hominem audacissimum et fortissimum potuit concutere. Qui ad crucem ducitur, gemens et lugens merito conqueritur. Si crux a cruciatu dicitur, nonne in cruce cruciatur, cujus humeri importabili oneri supponuntur? Profecto amodo tot molas supportabitis, quot monachorum curam recipietis. Quid ergo? Nonne cum Apostolo dicetis : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Ecce timor, ecce anxietas, ecce cruciatus. Sed quid? ubi consolatio? ubi revelatio? ubi tanti doloris remedium? sine dubio in Christo. Nam ipse primus ascensor, mitigator et sanctificator crucis; qui suo cruciatu nostros absolvit cruciatus in cruce, et de cruce dixit : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX), et discipulo : *Ecce mater tua* (*ibid.*). Sed quid hoc ad rem? quid ad præsentem quæstionem? Multum per omnem modum. Nam mulier est Cluniacensis Ecclesia, quæ est mater omnium nostrum, quæ de fructu ventris sui plures manipulos sanctarum animarum ab Oriente et Occidente in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob, jam collocavit, et sponso suo pœna nova novitiorum, et vetera antiquorum et senum, in cœlesti mensa frequenter obtulit. Quis vero discipulus sit, de quo dicitur : *Mulier, ecce filius tuus*, jam credo animadvertitis. Tangit enim vos hæc sententia, quia æterna prædestinatione, et moderna vocatione, sollicitudinem hujus matris vestræ decreto inviolabili gratia Dei injungit. Temerarium autem est, et inhumanum, tam divinam ordinationem respuere, quam matri fidele obsequium denegare. Igitur tanquam Issachar asinus fortis, cervicem et humeros huic electioni supponite, et de Dei auxilio fideliter præsumite, quia spiritus adjuvat infirmitatem vestram. Mihi autem amico et fideli vestro gaudium est et exsultatio, quod tantum amicum in tam excellenti loco merui videre sublimatum. Nam et ipse servus et filius sum Cluniacensis Ecclesiæ. Valete, et per nos, oro, transitum facite.

EPISTOLA CXLVI.

AD H. ABBATEM CLUNIACENSEM (53).

[IX, 11.] Non omissis excubiis Dominicæ sepulturæ vestri habens memoriam, sancto Sabbato opus aggredior lege non prohibitum. Nec legere namque, nec scribere prohibet lex. Lugeo interim ex lege sua contra legem proscriptum Jesum extra synagogam, extra civitatem sanctam tunc profanam, extra vitam. Sed Christus proscriptus meliorem adiit mansionem, populum chariorem, civitatem sanctiorem, lectulum gratiorem, mensam suaviorem. Quid plura? proscriptus a Judæis ascriptus est rex et Dominus in cœlis. De exsilio migravit ad regnum; ab his qui odio habuerunt eum gratis, ad illos qui obsequuntur semper gratis, a cruce ad cœlum, a patibulo contumeliæ ad thronum gratiæ. O benigna patientia, quousque sustinui locum contumeliosum, populum injuriosum? Certe non una die, non mense, non anno, sed annis multis, quatenus pœnitentiam de commisso agerent, et indulgentiam acciperent. Dormis, Jesu, in monumento, nec ore, nec naribus ullos strepitus facis : medium noctis silentium tenent omnia, donec surgas, donec evigiles, donec apostolos dispersos revoces. Mittat gallus vocem, et melius cantet in Christi resurrectione quam in Petri negatione. Rauce tunc cantavit dicens : Raucæ factæ sunt fauces meæ a conturbatione hominum, a tempestate procellarum. Ubi enim in terra vox clara, quando Verbum suffocabatur, quinimo et verberabatur, ut veritas supprimeretur? Sed parvo intervallo factus est terræmotus, quia surrexit Dominus, et cantavit gallus, surrexit Dominus de sepulcro. Non ter, sed millies gallus Christianorum singulis noctibus, singulis civitatibus, singulis sanctorum congregationibus cantat Alleluia, cantat et Christi mortem et resurrectionem, Unde : *Gallo canente spes redit*, etc. Alius quidam

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(52) *Theobaldo electo Cluniac.* Anno 1180. Anno unico fuit abbas Cluniacensium. Postea cardinalis Ostiensis a Lucio III pontifice creatus est. Itaque in Urbani III et Clementis III privilegiis ad Hugonem abbatem Cluniacensem, Theobaldi hujus successorem, subscribit ipse Theobaldus episcopus Ostiensis et Veliternensis.

(53) *H. abb. Cluniac.* Hugonem IV, qui Theobaldo cardinali successerat.

ineffabilis gallus de cœlo intonuit, dicens : *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* LVI). O Fili, gloria mea ! nam filius sapiens gloria est patris ; exsurge, dormisti, somnum cepisti, satis est, exsurge, ultra non dormiturus, sed mecum : o gloria mea vigilaturus ad psallendum, ad citharizandum vicinis et amicis meis, qui libenter, non impudenter auscultant vocem tuam. Concentum certe cœli cantando et psallendo dormire facis. Veni cum psalterio, veni cum cithara tua. In psalterio decem chordarum cantabis, quia super novem ordines angelorum cum homine redempto collocaberis. Citharam quoque passionis tuæ percute in auribus meis, quia illum qui non debuit condemnari condemnavi, et volo ut senior ille frater, qui in agro occidit Abel, meam audiat diabolus symphoniam et chorum, non ut delectetur, sed ut confundatur, et sit ei in testimonium suæ malignitatis et meæ benignitatis, qui dedi filium ut redimerem servum. Hanc portionem mihi hodie contulit Dominus de sua passione et resurrectione, antequam ad nostrum capitulum accederemus. Tingite panem vestrum in aquam crassam vituli saginati, et sicut adipe et pinguedine repleatur anima vestra. De his hactenus. Mitto fratrem Stephanum quem diligitis, cum fratre suo B. quatenus eo pacto sub fratre suo domus nostræ de Provincia curam habeat, ut vos et fratrem ejus fidejussores habeam de indemnitate bonorum nostrorum. Est enim in hoc officio novus, et necesse est ut habeat bonos adjutores et consiliarios, donec per se ambulare didicerit.

EPISTOLA CXLVII (54).

AD HUGONEM ABBATEM S. AMANDI.

(Opp. Joannis Saresb. edit. Giles, Oxon. 1848, in-8°, t. I, col. 192, epist. 136.)

Amicorum fidem articulus necessitatis examinat, et qua quisque moveatur ad alium affectione convincit. Nobis autem, qui jampridem totum animum devovimus obsequio vestro, devotumque Domino auctore inviolabiliter conservamus, gravis et onerosa incumbit necessitas, quam vestra gratia, de qua plurimum confidimus, speramus, et petimus sublevari. Nam quod fortasse mirabimini, addicti sumus exsilio, et in eo jugi sollicitamur et torquemur angustia. Si quidem clericus quidam nobis longe semper amicissimus, cujus omnia tam prospera, quam adversa a multis retro temporibus nostra sunt, litterarum eruditione et morum honestate, tanto cunctis probatior, quanto notior, ab Anglia exsulat apud nos, et nos domi nostræ exsulamus cum illo. Sustinet enim indignationem regis Angliæ, non suo quidem merito, ut de nostra et ipsius loquamur conscientia, sed quia domino suo Cantuariensi archiepiscopo, ut oportuit, servivit. Is est magister Joannes de Saresberia, bonum testimonium habens in partibus cismarinis et transmarinis. Ut ergo a nobis ipsis tam proprii quam futuri exsilii amoveatis angustias, dilectioni vestræ attentius supplicamus, ut eum interventu comitis Flandrensis et vestro, reconcilietis regi Anglorum, et sicut videritis expedire, ei litteras regis patentes perquiratis, quibus secure redeat, et suis in pace fruatur bonis. Sciatisque pro certo quia nos in nulla re magis poteritis promereri, nec est quod dissimuletis, quia constat pluribus, potestatem vobis esse collatam, si voluntas adfuerit.]

EPISTOLA CXLVIII.

AD ABBATES S. MEDARDI ET S. CRISPINI.

Sancti Medardi (55) et Sancti Crispini abbatibus Petrus abbas Sancti Remigii.

[v, 21.] Nescit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem vento agitatam. Sine profunda radice amicitia, accidens est non substantia, species non virtus, fenum de tecto, quod antequam evellatur arescit. Tres itaque præcipuas ancillas, sine quibus vivere non potest, comites habet et pedisequas, justitiam, patientiam, et constantiam. Justitia suum jus unicuique servat ; patientia, si forte intervenerit, injuriam salva integritate amicitiæ tolerat ; constantia nec qualitate nec quantitate pacti prævaricati exspirat. Quis ergo abduxit ? quis seduxit ? quis exturbavit funiculum hunc triplicem a sacratissimis visceribus dominorum et amicorum meorum, abbatis Sancti Medardi, et abbatis Sanctorum Crispini et Crispiniani ? Moriatur non vivat tam nefarium et nefandissimum scandalum servorum Dei, quod de radice vetustissimi colubri, id est ineptissimæ avaritiæ prodiit. Subornat se quidem occasio avaritiæ vestimentis justitiæ, sicut Jacob vestimentis Esau valde bonis, et Jacob mentitur se Esau. Pater tamen universorum, qui quasi oculos caligantes exhibet, dum ipso judice, ipso omnia regente, injustitia justitiam opprimit, nec pœnam recipit, quasi miratur de tanta hominum fraude, qui sub oculis ejus non timent mentiri, et in invicem fraudare, dicens : *Vox quidem, vox Jacob, sed manus, manus sunt Esau* (*Gen.* XXVII). Prælert quisque altercantium jus authenticum et regulare se habere, nostra, inquiens, diu sic possedit Ecclesia, et nostra sic. Ecce Jacob in voce. Deinde pax cordium conculitur, antiqua familiaritas excutitur, obliquantur oculi, castissimi amplexus solvuntur, de altero alter conqueritur, innexi discipulorum parietes in domus scissuram partiuntur. Ecce manus Esau. Redite, amici charissimi, redite ad cor. Non grandis querela, grandis autem est de hac discordia inter notos et vicinos vestros infamia. Prædecessorum vestrorum temporibus, nec in personis, nec in rebus monasteriorum vestrorum dicitur fuisse inventa tanta concordia, quantam firmo et fraterno fœdere hactenus ad invicem excoluistis. Unde ergo tam subito valde odiosa advenit simultas ? Quomodo ausa

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(54) Nova.

(55) *S. Medardi abb.* Apud Suessiones. Vetus ac nobile S. Benedicti monasterium, vel S. Gregorii papæ privilegio clarissimum

est sacra penetrare pectora exsecrabilis et exsecranda temeritas, qua pacis cubicula inquietarentur, et utriusque pacatissima quies intempestive sollicitata infestaretur? Resarciatur repente amoris vinculum, ne charitas in alumnis suis saltem unius diei, ne dicam mensis vel anni, præscriptionis incurrat dispendium. Qui enim ait : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV), regulam juris præfixit, quam intutum est prævaricari. Gravis enim sumitur vindicta de illo qui Evangelii jura violat perpetua. *Quare*, inquit Apostolus, *non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* (*I Cor.* VI.) Sordet religio, ubi prævalet ambitio; fama fœdatur, si res injuste auferatur vel acquiratur; conscientia molestatur, si stimulo elationis quoquo modo pungatur. Oleum quo caput mentis impinguatur extra funditur, si pluris pecunia quam justitia habeatur. Itaque interpono partes nostræ amicitiæ, si forte recognita cognatione antiquæ familiaritatis, reporrigant sibi hiantia corda reconciliationis mutua brachia. Rogo ut dies per amicos vestros accipiatur, in quo de concordia familiariter agatur. Valete.

EPISTOLA CXLIX.

AD PRIOREM CANTUARIENSEM

[VI, 9.] Me debitorem vobis constituit tam obsequium dilectionis, quod omnibus ex parte nostra per vos transeuntibus impenditis, quam charissimi nostri magistri Joannis gratia, quam plenissime obtinetis. Novus quoque a Deo vobis collatus martyr ad suæ sepulturæ locum attrahit et allicit. Quem enim præ aliis mortalibus virum constantem, et in fide vera fundatum cognovi, cum sanctis angelis et martyribus jam annumeratum (56) corde credo, et ore confiteor. Præsumo autem et ipse de orationibus ejus, utique quia dignum fecit me Deus suis benedictionibus, colloquio, cognitione atque familiaritate. Accedit et hoc ad cumulum totius amicitiæ, quod in turbine illo et tempestate per M. Joannem (57) salvatus et conservatus est. Noluit Deus stellas omnes cum magno illo sole simul de terra vestra tollere. Ideo reliquiæ salvæ factæ sunt. Plane bene appellaverim stellas, doctrina et vita relucentes tanti patris filios, et tanti doctoris discipulos. Utinam radios suos libere, et absque interpolatione tenebrosæ noctis exercere valerent. Cæteris enim terris vestra melior et clarior appareret, si doctrinam illorum reciperet.

EPISTOLA CL.

AD EUMDEM (58)

[VI, 18.] Lugdunensem archiepiscopum nobis aliquando scripsisse de revelatione pretiosæ mortis sancti et gloriosi martyris Thomæ non teneo. Audivi quidem, sed a quo audierim mente excidit. Nolui ergo certa pro incertis scribere. Superflua enim sunt impendia lucernæ, ubi sol meridianus lucet in virtute sua, et denigrat majestatem verorum, admistum modicum fermenti mendacii et falsitatis. Credo enim magis laborandum, ut plura demantur miracula, quæ mera veritate fulciuntur in gloria Dei et præfati martyris, quam ut aliqua furtiva et emendicata supponantur. Omni supplicatione et postulatione tam vos quam omnes qui posteris tradituri estis memoriam mirabilium vestri et nostri martyris exoro, ut nihil nisi septempliciter examinatum, purgatum, et colatum fidelissima veritate scribatur de eo vel de miraculis ejus. De monacho Montis Dei, nomine Gaufredo, refero quæ veraciter facta partim ab ipso, plenius a quodam monacho nostro, qui tunc temporis ibi scribebat, audivi. Forte ab Anglia charta miraculorum sancti Thomæ ad nos devenerat, et a nobis ad fratres de Monte Dei. Jam dictus frater turgidus et inflatus toto corpore, ut vere hydropicus, cellam egredi non poterat. Accepta itaque cum fide et invocatione sancti nominis charta, tetigit pedes suos, et tibias, et totum corpus suum de ipsa, et in tantum convolavit ut parvo tempore interposito ad Ecclesiam, et ad officia sua, non tamen ex toto curatus, rediret. Addo miraculum plus jucundum quam utile. In capella nostra libellus qui legitur in capitulo de natalitiis sanctorum, et de recordatione defunctorum nostrorum, nescio quis forte furatus est. Altera die cum flagitarem more solito legi lectionem ex ipso libro, turbatis capellanis non est inventus libellus. Cum vero de negligentia et de incuria malæ custodiæ eosdem capellanos increparem, unus eorum, nomine Robertus Anglicus, qui frequenter missam ad altare, in quo reliquiæ sancti Thomæ continentur, celebrabat, in hanc vocem prorupit : Certe nunquam credam Thomam esse sanctum, nisi reddiderit nostrum libellum. Fere post mensem, redditus est nobis liber. Si hoc miraculum est, istud verum esse confirmo. Valete. Sanctum conventum, et M. Joannem salutate.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(56) *Martyribus jam annumeratum.* Annumerandum haud multo post apostolica auctoritate decrevit Alexander pont. anno 1172 die primo Quadragesimæ, ut est in ejus epistola 54.

(57) *Per M. Joannem.* Saresberiensem, qui notarius et familiaris fuerat B. Thomæ. Itaque illo incolumi non totus obiisse B. Thomas videbatur.

(58) Quod de mortis B. Thomæ revelatione initio epistolæ ait, eo spectare videtur, quod a multis proditum est, atque in litteris Willelmi archiepiscopi Senonensis ad Alexandrum papam legitur his verbis : *Dicitur namque et constanter asseritur, post passionem suam multis apparuisse in visu, quibus perhibet se non mortuum esse, sed vivere, et non vulnera, sed vulnerum tantum cicatrices ostendit.* De miraculorum autem fama, quæ B. martyris occasum mox secuta est, in litteris Ludovici regis ad Alexandrum eumdem : *Et ecce ad tumulum agonistæ, ut revelatum est nobis, divina in miraculis revelatur gratia, et divinitus demonstratur, ubi humatus requiescit, pro cujus nomine decertavit.*

EPISTOLA CLI.

AD PRIOREM ET FRATRES CANTUARIENSES.

[VII, 20.] Priori Cantuariensi et cæteris fratribus, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Beata occasio, qua vobis admoneor scribere. Miserum certe me judico de inertia, quæ detinet senectutem meam a visitatione quondam amici, nunc domini, Patris et patroni nostri sancti Thomæ pretiosi martyris Dei. Hinc arguit me conscientia, inde excusat. Si viveret in corpore archiepiscopus Thomas, nonne, inquit conscientia, ires et visitares illum? nonne et marina pericula postponeres, et omnem a te torporem excuteres, ut amicum visitares, et mutua conferres colloquia? Econtra iterum talia refert: Sed monachus es, sed abbas, sed senex, sed corpore invalidus. Monachi est, non egredi de castris Domini, imo de claustris monasterii: abbatis est, procurare curæ suæ temporalem et regularem sollicitudinem: senis est, inniti baculo suo sub oliva et ficu et vite sua, et cogitare dies antiquos et annos æternos in mente habere. Invalidi est, converti in ærumna sua, dum confringitur spina, et dicere quotidie: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII). His cogitationibus disputatione sua sic me accusantibus et excusantibus, interponit se statera æquitatis mediam, sicque litem resolvit, ut neutra de conclusione erubescat, sed pace bona alteri cedat altera. Pium namque est ire, pium non ire, bona est peregrinatio, quam comitata fuerit sancta devotio; religiosa nihilominus detentio, cui assidue adest pia commemoratio, et eo intentio flagrantior, quo suo non satiatur desiderio. Utinam sic me deferret angelus ad sancti sepulcrum, sicut Habacuc transtulit ad lacum leonum, non ut deferrem Danieli refectionem, sed ut referrem peccatorum remissionem! Constituo autem interim absentiæ nostræ vicarium magistrum G. quem ad se vocavit D. archiepiscopus Cantuariensis. Commendo itaque vobis commendabilem amicum et clericum nostrum eumdem G. qui sentit in se viscera dilectionis, misericordiæ, et pietatis, quæ ad nos habetis, non pro merito nostro, sed pro gratuito beneplacito vestro. Certe si primam familiaritatis vestræ portam aperueritis ei gratia nostri, credo quod ex prælibatione avida subsequetur fames, et continuo dicetis, jam non propter tuam loquelam illum diligimus, ipsum enim cognoscimus, et scimus quia dignus est amicitia et contubernio bonorum. Excipite itaque illum tanquam honestum clericum et bene litteratum, ut apud vos possideam hunc ramusculum, successione illius magnæ arboris, quæ transplantata est in ecclesia Carnotensi. Fuit enim noster alumnus magister Joannes: et iste, utinam similiter!

EPISTOLA CLII.

AD PRIOREM WIGORNENSEM (59).

[VI, 21.] Rerum et temporum varietas, quæ nos ubique et undique circumvallat, non sinit nos stabili gradu in eodem stare, aliquando quidem nostro, aliquando alterius vitio. Nam cum in eodem proposito volentes stare pedem figimus, frequenter irruit, et occupat propositum stabilitatis nostræ, decursus et incursus instabilitatis alienæ. Inde est, charissime amice, quod contra propositum et voluntatem cordis vestri, fratrem P. priorem de Lappelee cogimur amovere. Toties siquidem rumores malos de prioratu illo accipimus, quoties transmarinos de illis partibus hospites suscipimus. Claustrales et ministeriales uno impetu concitati clamant perire domum, prioratum ad nihilum redigi, et in summa jam paupertate detineri. Quid ultra? Nullum ibi monachum esse, solum priorem semivivum palpitare. Mittimus itaque a latere nostro fratrem Absalonem, cujus industriam in multis experti sumus, et cujus studio, si ei gratia Dei adfuerit, ruinas illas reparandas et in melius commutandas speramus. Commendamus ergo illum vobis, ut consilio et auxilio vestro fultus, ad honorem Dei, et animæ suæ salutem, ac Ecclesiæ nostræ utilitatem, valeat commissa sibi strenue adimplere. Valete.

EPISTOLA CLIII.

AD EUNDEM.

[VII, 9.] Priori Wigornensi, PETRUS Sancti Remigii abbas.

Neque subitaneus, neque repentinus soleo res magnas disponere, sed cum multa maturi consilii deliberatione, finis causarum appensione. Inde est, amice charissime, quod non statim credo omni spiritui, propter illum qui transfigurat se in angelum lucis, et sub pallio consultationis offert sæpe venenum deceptionis. Vitium autem est, omnibus credere, et nulli. Exemplo igitur illius, qui omnia novit antequam fiant, et tamen descendit per angelos probare utrum clamor Sodomorum, qui ascenderat ad cœlum, opere compleretur, an non, diu substiti acquiescere rumoribus quotidianis, de fratribus nostris de Lapelee, vel meliores fructus de ficulnea sperans, vel judicium tanquam meridiem exspectans. Quia itaque crebrescit, non rarescit fumus funestæ opinionis, securim appono ad radicem arboris, non detruncans, sed relevans ramos usque ad terram inclinatos, imo incurvatos, si forte suspensi ferant denuo uvas, non labruscas. Mitto autem a latere nostro fratres integræ hactenus apud nos opinionis, quorum conversationem, si de præteritis futurorum præsagia apprehenduntur, bonam in terra vestra credimus futuram et honestam. Sit

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(59) *Priorem Wigornensem*. Radulphum, ad quem Saresberiensis epist. 205, et noster epist. 153, 154, 155, quibus agit de Lapeleensi S. Remigii prioratu in Anglia.

cum illis manus vestra et consilium, quo si quid in eis minus est suppleatur ad bene regendam domum nostram, et ad famam dignam reparandam.

EPISTOLA CLIV.

AD ING. PRIOREM DE LAPELEE.

[IX, 5.] PETRUS humilis abbas Sancti Remigii ING. priori de Lapelee (60).

Postulas in litteris tuis nostrum stylum recipere, non alienum. Sed hebetatus, sed retunsus, sed denique plenus squalore et rubigine, qua facie transire poterit mare, cum potius sua rusticitate cachinnos moveat, quam suos lætificet hospites? Calamus quoque noster annositate et desuetudine quassatus, necnon et terrenorum sollicitudine assidua obstructus et obstrictus, rauce sonat, nec jam auditores suos demulcet, sed male commovet. Ne tamen filii et amici charissimi petitiunculam excludam, vel eludam, emendicatis repressis coloribus rhetoricis, et leporem sermonis postponens, dies Dominicæ passionis præ oculis habens, moneo cum Jesu partiri suas contumelias, suas passiones, sua flagella, sua sputa, et totum cursum patientissimæ dispensationis, qua pro nobis usque ad inferna descendit. Reduc Jesum a planta pedis usque ad verticem vulneratum ante oculos tuos, aut animum deduc ad locum et focum ubi Petrus negavit, et quæ cordis medulla non liquefacta totum altare tam æneum quam aureum sua aspersione implebit? *Holocausta*, ait Psalmista, *medullata offeram tibi* (*Psal.* LXV). Medulla animæ non est nisi de infusione gratiæ. Si anima, licet macra, tamen esuriens et sitiens, magno appetitu stillicidia elambuerit gratiæ, vespere, et mane, et meridie; vespere, complantata similitudini mortis Jesu; mane, renovata cum resurgente Jesu; meridie, translata ad dexteram Patris cum Jesu: certe inebriabitur ab ubertate domus Dei, dicens: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII). Quare non saginaretur de vitulo saginato? Quare non inebriaretur de flumine quod lætificat civitatem Dei? Habes vinum de vite vera expressum in torculari crucis, et attractum aperto ostio lateris. Sicut enim tonellus foratur, ut vinum habeatur, sic latus Christi lancea militis apertum est, ut exiret aqua baptismatis, et sanguis nostræ redemptionis. Hunc quotidie sumimus in altari sub specie vini. Altare siquidem est locus pascuæ, de quo dicitur: *In loco pascuæ, ibi me Dominus collocavit* (*Psal.* XXII). Et in Canticis: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* I). Quid est in meridie? In luce, in puritate, in veritate, in charitate. Qui latet ut anguis in herba, abscondens peccata sua, non est in meridie; qui impudice vivit, et templum Dei violat immunditia aliqua, non est in meridie; qui dolosus et fraudulentus est, speciem pietatis habens et virtutem abnegans, non est in meridie; qui tepet odio fraterno, non est in meridie. Non ergo ipsum, vel cum ipso pascit Christus qui dicit: *Superbo et insatiabili corde cum hoc non edebam* (*Psal.* C). Non cubat etiam nisi ubi pascit. Sed de his hactenus pro tempore. De me vero si vis scire, onere tam annorum quam peccatorum quotidie more meo solito premor. Tamen benignitate et clementia Dei adhuc excedere valeo, et injuncta officii negotia utcunque procurare. Pacem etiam bonam cum fratribus nostris, et cum archiepiscopo, et cum omnibus hominibus habeo. Caput monasterii nostri renovare aggredior, et cum Dei auxilio jam opus inchoatum ridet, et sequentis operis auspicia nobilia spondet. Non excidit a memoria, quod aliquando mihi quasi reprehensorie dixeris, studere alia opera facere, et non curare de monasterio. Hoc verbum, etsi perfunctorie fuit dictum, non transitorie fuit auditum. Mille enim libras, adhuc simul quingentas postea pro opere monasterii expendi. Saluto fratrem Dudonem. De bono odore vestræ conversationis gaudeo.

EPISTOLA CLV.

AD PRIOREM DE VALLE S. PETRI.

[VI, 14.] De quæstione vestra, utrum scilicet salva conscientia vere pœnitens possit respondere antiqua crimina sibi objicienti, nihil est, aut nescio quid dicis, utinam tempus et licentiam largiorem scribendi obtinerem! Tamen quod in transcursu animo occurrit, respondeo. Vera confessio et plena satisfactio, omnes Ægyptios, tanquam plumbum, in aquis vehementibus indifferenter submergunt, adeo ut solus Israelita, id est virtus a Deo concessa evadat, et Ægyptii, id est peccati opprobrium tollatur a conscientia et ab infamiæ nota. Sicut enim in baptismo, tam originalium quam actualium nullæ supernatant reliquiæ, sic in confessione illustrantur tenebræ, et nox vertitur in diem, ut veraciter converso et confitenti dicatur, fuisti aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et sicut idem Apostolus ait de Christo: *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V); sic et de isto dicatur, etsi noveramus peccatorem, mendacem, homicidam, adulterum, injustum et impium, liquefactis iniquitatibus omnibus in fornace confessionis, reformetur ad sanctitatis imaginem, et dicatur bonus, verax, innocens, castus, justus et pius. *Verte*, inquit Scriptura, *impios, et non erunt* (*Prov.* XXII), utique impii. Ut enim tollitur nigredo superveniente albedine, sic malitia superveniente bonitate. Neminem Jesus semiplene curavit, nemini gratiam suam modio injusto mensuravit, ut totum se Deo exponentem non totis ulnis misericordiæ exciperet. *Sine pœnitentia*, ait Apostolus, *sunt dona et vocatio Dei* (*Rom.* XI); quia nisi ab ingratis semel a Deo concessa gratia non revocatur. Est namque in illo est, nec est in illo est et non, sed est tantum in illo est. Cum ergo vere confitens et vere pœnitens his ditetur pri-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

60) *Ing. priori de Lapel.* Ingelberto fortasse, aut Ingelranno, quem Lapeleensi S. Remigii in Anglia prioratui præfecerat.

vilegiis, quis nequam oculus audebit dicere judicia Dei non esse justa, et opera reprehensibilia? [*An*, inquit Dominus in Evangelio, *oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* (*Matth.* XX) Sic erunt novissimi, id est gravissimis occupati peccatis, per correptionem primi: et primi, qui se justos arbitrantur, suam justitiam constituentes, novissimi, id est gratia Dei vacui. His auctoritatibus non improbe asserere possumus, veraciter posse respondere vere pœnitentem exprobranti sibi antiquas et exterminatas abominationes, imo per confessionem antiquatas et deletas, nescio ita esse ut dicis, vel, nihil est quod dicis. De præsenti enim statu unumquemque judicat Deus, nec alicui ad confusionem priores cicatrices peccatorum a Deo opponuntur, cujus ut aquilæ juventus per innovationem vitæ renovata est. Quidquid autem judex ignoscit, adversarius imputare non potest. Unde Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom.* VIII.) Non enim solum cum pœnitente, imo etiam pro pœnitente stat Deus, dicens pro ea quæ in adulterio deprehensa ei damnanda oblata fuerat: *Si quis vestrum sine peccato est, prior in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII). Qua sententia illa liberata, cum ei diceretur: *Nemo te condemnavit, mulier?* (*ibid.*) et illa responderet: *Nemo, Domine: Nec ego*, inquit, *te condemnabo* (*ibid.*) Nonne recte dicere posset salva conscientia, Non sum quæ fueram, non sum adultera? Tamen regularius et modestius improperanti et calumniatori respondendum est taliter: Melius posses dicere, vel, Deus tibi ignoscat hoc peccatum, vel si qua talia sunt, ad exemplum Jesu, cui cum dictum esset: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes* (*ibid.*), alterum simpliciter negavit, dicens: *Ego dæmonium non habeo* (*ibid.*), de alio prorsus tacens. De his hactenus.

Abbas Sancti Crispini in præsenti nobiscum ad Montem Dei venturus est, et mandat ut nobis ibi occurratis. Si ergo potestis, facite quod amicus rogat, quia de omnibus tunc melius poterimus conferre, et ad invicem, et cum priore. Marcam argenti et dimidiam ad faciendum calicem Ellandus canonicus Sanctæ Mariæ Remensis legavit vobis. Orate pro anima ejus. Valete.

EPISTOLA CLVI.

AD FRATRES MOLISMENSES

[VII, 14.] Fratribus Molismensibus, Petrus abbas Sancti Remigii.

Ad monumentum ordinis nostri cum Jeremiæ lamentationibus consternatus resideo, et quadruplici alphabeto, quia jam quatriduano madet fetore, vehementer afficior. Fuit, fuit quondam de magno genere et nobili progenie ordo iste procreatus, etiam angelicis virtutibus morum informator prudentissimus, rerum mundanarum contemptor perfectus, et divinæ voluntatis amator idoneus. Hic hic brachia sua extendit a mari usque ad mare, de omni gente, quæ sub cœlo est, portans in ulnis suis usque ad thronum gratiæ, et collocans in soliis vacuatis et relictis a Lucifero, quando sicut fulgur cecidit in lacum fœcis et miseriæ. O sancti angeli, quot palmites de hac vinea tulistis ad vos, quot ordine claustrali vobiscum consedere fecistis in cœlestibus in Christo? Heu, heu! capite vulpes quæ demoliuntur vineas; cucullatos, qui transferunt terminos Patrum, et sepem regularis institutionis diripiunt. Hi sunt, qui retia Domini rumpunt, qui vestimenta Domini dividunt, qui lancea linguæ suæ latus jam pendentis in cruce ordinis effodiunt; intestina religionis in auras exsufflant, et si quid vitalis spiritus remanserat, exstinguunt. Sic armantur filii contra patrem, sic genimina viperarum viscera materna crudeliter concutiunt, sic ab ortu suo sepulcrum patens inordinate vivendo ordini professo aperiunt. Credo moveri vos contra tantæ sterilitatis auctores, quoties, juxta vos aspicientes coronam sanctorum spirituum et beatarum animarum, recordamini prioris sæculi, et magnæ fertilitatis sinus vestros replentis. Si Phinees adesset, forte pugione suo hanc iram placaret. Sed ecce quisque ponit gladium in vaginam, nec est qui accingatur ad vindicandum sanguinem patris. Inde est quod mundus plenus est cucullatis, et pene vacuus monachis. Inde est, quod in area Domini palea non ventilatur, sed fovetur, non exstirpantur spinæ, sed multiplicantur. Ego, ego unus de cucullatis, video iniquitatem, et quid facio? Nequeo resuscitare ordinem mortuum, et qua patientia inter patricidas exsequias funeris ejus celebrabo? Non valeo refrenare præcipitem cursum ad barathrum, nunquid effici debeo socius furum? Omnes quidem currunt, non ad bravium, sed ad malum, et ego quid? Optabam cum Apostolo anathema esse a Christo pro fratribus meis. Quis mihi det, ut ego moriar pro te, ordo sanctissime? in cujus præsentia quondam principes cessabant loqui, et superponebant digitum ori suo. Juvenes abscondebantur cum sederet in porta, et assurgebant, nec audebant addere ad verba ejus. Nunc derident illum juniores tempore, quia senuit Isaac, et clare videre non poterat; senuit David, et calefieri vestibus non poterat. At Moyses CXX annorum cum esset, nec oculorum caliginem sensit, neque dentes ei moti sunt. Etsi Regulæ professores, etsi speciem pietatis habentes, sicut Isaac et David, senescendo spiritu tepefacti sunt, et oculi eorum caligaverunt; tamen Moyses, id est beatus Benedictus claris obtutibus nunc nostras respicit pravitates, et in novissimo dentibus mordebit, accusando apud Dominum suorum decretorum et regularis professionis contemptores. Forte dicitis: Quid ad nos parabola ista? Abbas Remensis stylo suo utquid tam mordaciter ex obliquo tangit nos? Quid de nobis ad ipsum? Respondeo: Christianitatis societate, ordinis germanitate antiqua, vicinitatis familiaritate novi vos et diligo vos. Doleo itaque, quod nimis extenuatur bonus odor Christi in vobis, tam apud vicinos, quam apud remotos. Doleo quod regionem, imo religionem

vestram, coram vobis alieni devorant : quod tinea usurarum et debitorum substantiam vestram demolitur, quod nobilis puella hactenus duplicibus vestita enormiter exspoliatur. Religionis siquidem, et possessionis dotibus a fundatoribus suis Ecclesia vestra ditata diu floruit; sed nunc jam exaruit. Gallina illa Molismensis plena plumis, et bene pennata quot et quales de utero suo fœtus produxit, dum ex se collegium Cisterciense (61) originario germine pullulavit! Deus meus, de illo uno ovo quam innumerabilis arena monachorum et conversorum faciem terræ operuit! quam lucido splendore cutem mundi denigratam per infectam vivendi negligentiam reformavit et illustravit! Respice, respice, Sion, filios tuos, et pelles tuas emarcidas noli contemnere; sed resume spiritum adolescentiæ tuæ, si forte cum Jacob, quasi de gravi somno evigilans, audias Joseph filium tuum in Ægypto regnare, et de manu ejus famem tuam, imo infamiam possis relevare. Fratres mei, fratres mei, recolligite plumas matris vestræ, et replantati suis in membris, conversationem vestram emendando, substantiam redimendo, odorem bonæ opinionis comparando, et ad antiquum statum omnia revocando. Epistola hæc non contristet vos; et si contristaverit, utinam ad pœnitentiam! Valete

EPISTOLA CLVII.

AD GRANDIMONTENSES.

[VIII, 7.] Priori et fratribus Grandimontis, PETRUS humilis abbas Sancti Remigii, manus orationis et pretium.

Quanto fragiliores sumus, et de nostris minus speramus viribus, tanto si sapimus ardentius validiora et ampliora emendicamus suffragia. Væ enim soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se! Si autem fuerint duo, fovebuntur mutuo. Solum æstimo, qui nec cum Deo in simplicitate et puritate ambulat, nec fraternum currum invincibili societate et inseparabili unitate equitat, domini et fratres charissimi, ego vir videns tam paupertatem quam insufficientiam meam, ubi audio cœlestes pauperibus erogari dapes, curro, pulso, quæro, et de reliquiarum micis offellas quas possum exspecto. Vestrum est, vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro apostolo, cum convenitis ad cœnam Agni, sumere, sed et his qui non præparaverunt sibi, partes mittere. Dies enim Domini sanctus est, solemnitas Sancti Joannis Baptistæ (61*), quando ad matrem pulli gallinæ revolant, et de singulis locis vestris rivuli ad locum de quo exierunt refluunt, ut de paterna instructione et correctione reparato meatu copiosius et fortius iterum fluant. Servanda et tenenda est hæc probabilis et sancta consuetudo? quia non tantum ab homine et per hominem, sed etiam a lege et Deo hæc approbata est institutio. Tribus enim vicibus jubet Dominus in lege, ut Hebræus appareat ante Dominum, non tamen vacuis manibus. Nunquam autem vanum aut vacuum est, sinus paternos, tanquam suæ professionis alumnos, relambere, et novos inde sibi sapores attrahere. Procul igitur odorans ipse ego tam jucundos et festivos sanctitatis vestræ concursus, prompto animo et vultu submisso. Amen pauper inclamo, et de orationum suffragiis sublevamen expostulo. Hæc autem nostra postulatio non usquequaque imbecillis, et carens sustentationis baculo, claudicans sanctum conventum vestrum ingreditur, quia fratres vestros, qui nostris in partibus commorantur, diligimus et honoramus, et etiam cellam bonam in nostro habetis patrimonio. Hac ergo securus confidentia, vestrorum rogo societatem bonorum; et cum anima soluto corpore vias ignotas aggressa fuerit, conductum vestrum usque ad meum judicem deposco. Rescribite, si placet, et quam misericordiam facere disponitis remandate. Valete.

EPISTOLA CLVIII.

AD GRANDIMONTENSES.

[VIII, 22.] Dominis et amicis suis de Grandimonte, PETRUS abbas S. Remigii, salutem.

Religioso fraternitatis vestræ conventui et sanctissimis orationibus saltem anniversaria revolutione nos commendamus. Videtur siquidem mihi meatus suos fluvius paradisi quasi ad sinum originalem revocare, cum de singulis partibus orbis ad diem beati Joannis Baptistæ solemnem contingit priores vestros in unum convenire. Refluxus iste pretiosarum gemmarum arena ad utilitatem negotiatorum spiritualium redundat, et si quis pretiosas quærens margaritas ad littus hoc applicuerit studium sanctæ negotiationis, nequaquam vacuus et inanis exibit. Ego itaque vir videns paupertatem meam, sed non negligens, bono et pauco pretio suffragium orationum vestrarum tento emere. Est autem pretium nostrum, rogare, postulare, scribere, et tenuissimas orationes rependere. Si pensatis usum æstimationis, parum est quod datur; si votum, imo animum devotum, multum. Æstimabile procul dubio est, quod manus legitur : impretiabile, quod animus. Ut enim ait Gregorius, non quantum, sed ex quanto offeratur considerat Deus, id est non quantum pecuniæ, sed ex quanta devotione. Suggerimus fraternitati vestræ supplicatione humili, quatenus benefactoribus Ecclesiæ nostræ beneficium sanctæ societatis vestræ indulgeatis; et præcipue illis, qui eleemosynas suas faciunt novo operi (62), quod ad honorem et decorem domus Dei

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(61) *Ex se coll. Cisterciense.* Robertus enim abbas Molismensis, ut Sigebertus narrat, anno 1098 in Cisterciensi eremo cœnobium primus exstruxit, in eoque cum aliquot monachis suis habitavit. Itaque Molismensis monasterii colonia Cisterciense.

(61*) *Solemnitas S. Joannis B.* Quo die anniversaria ordinis sui comitia celebrare solebant Grandimontenses, epist. 175.

(62) *Novo operi.* Ecclesiæ S. Remigii, quam fabricandam susceperat, epist. 166 et 154 sub finem.

et beati Remigii inchoavimus. Nam caput monasterii nostri renovare volentes, cum Dei adjutorio manum ad fortia mittimus. Rescriptum itaque sigillo vestro roboratum mittite, ad excitandos fidelium animos, vestra sancta exhortatione, et orationum concessione. Valeat sancta congregatio vestra.

EPISTOLA CLIX.

AD CLUNIACENSES.

[VIII, 23.] Cluniacensibus, PETRUS abbas Sancti Remigii, salutem.

In tanta sanctorum congregatione, et persona nostra, si adesset, vilis et abjecta appareret, et vox exigua, timeo ne et littera rusticana. Loquar tamen in medio vestrum, ut servus Abraham, ut puer Daniel, ut senex Jacob, non ut Heliu, cujus venter est ut mustum absque spiraculo. Lego in Scripturis Jeremiam lamentantem, Paulum optantem anathema a Christo pro fratribus suis. Stillicidiis tantæ charitatis inebriatus, nonne dolere debeo usque ad medullarum compagum discretionem, super ruinam matris filiarum Sion, utique cœnobii Cluniacensis? Nonne hæc est urbs fortitudinis nostræ, de qua egrediebantur quondam mille per episcopatus, per abbatias, per regum et principum curias, et nunc paucissimi sunt incolæ ejus? Nonne luminare hoc magnum tenebras obscuratæ religionis per diversas regiones illuminavit, ordinem reformando, honestatem docendo, charitatem infundendo, et cætera pietatis officia renovando? Usque ad sedem apostolicam (63) nonne gradibus humilitatis ascendit? O domini! o fratres! o filii Cluniacenses! ego ipse apud Sanctum Martinum de campis adolescentulus verissimis experimentis quod dico gustavi, et vidi ubi erat auro locus, in quo conflabatur. Proh dolor! Intepuit et consenuit tantus fervor. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est; quod absit a vobis, et ab hæreditate Jacob! Melius est certe mori vos in bello vitiorum et vitiosorum, qui more vulpium demoliuntur vineam Domini Sabaoth, quam videre ultima funera matris vestræ et nostræ. Repurgate igitur puteos Abrahæ, Isaac et Jacob, et zizania superseminata nocte ab inimico eradicate: præcipue illud originarium malum, de quo pessima seges ad suffocationem monasticæ religionis suboritur. Est autem consuetudo comessationum et epotationum, quæ fiunt completorium. Succidite, oro, hanc arborem malam in sententia vigilum. Adsit vobis gratia Spiritus sancti, qua cooperante constituatis quod Deo sit acceptabile, Ecclesiæ Cluniacensi utile, præsentibus salubre, posteris remediabile.

EPISTOLA CLX.

AD MAGISTRUM G.

[VII, 3.] PETRUS abbas Sancti Remigii magistro G. Puell. (64).

Nullum virtutis dispendium est, ubi ab umbraculis ejus vitium extrahitur, ut revelata facie quod latebat appareat. Hac ætate atque his malignitatis diebus, Deus splendescere facit quis sit de gente tenebrarum, vel de populo honorificato diei et lucis, dum stricto ense et universo apparatu armorum hinc inde conglobato, bonum et malum, virtus et vitium in castris suis manu conserta cominus acriter dimicant. O quam pomposæ phalanges Philistinorum, multo numero et propriis viribus confidentes vibrant hastas, intorquent sagittas toxicatas veneno sæcularis gloriæ, adversus Israel populum humilem, pusillum gregem, de se nil præsumentem! Ab initio enim, ex quo in veritate non stetit homicida ille, qui tanquam fulgur de cœlo cecidit, multiplicata sunt mala super terram; et rarescente tam virtute quam religione, super numerum excreverunt mulieres, Ægyptiorum nimirum et Hebræorum; adeo ut vix septem mulieres apprehendant virum unum, et pretiosior sit vir auro, et homo mundo obrizo. Quæris forte, quid intendat hoc nostrum proverbium; et quare hanc proposuerimus in exordio litterarum nostrarum querimoniam. Res ipsa sine dubio, et ratio temporis nodum quæstionis solvit, dum in errore schismatico, qui videbantur columnæ esse in domo Dei, proclivius elabuntur, pro buccella panis et pro glòria carnis, quæ tanquam fenum tectorum evanescit, quod priusquam evellatur exaruit. Vident et agnoscunt homines, quod draco tertiam partem stellarum de cœlo secum dejecerit, nec exterriti tam fœdo et crudeli exemplo abhorrent ire post Satanam, et detinere veritatem Dei in mendacio. Una hæc de plagis Ægypti, quæ filios Israel non tangit, sed filios hujus sæculi, qui quærunt quæ videntur et temporalia sunt, non ea quæ non videntur et æterna sunt. Secunda autem similis est huic, quæ maxime debacchatur in partibus vestris transmarinis, ubi rex Angliæ omnes pene canes sic elingues reddidit, ut mutire non valeant, ne dicam latrare. Superenatarunt tamen aliqui, qui timebant ne simili tinea corroderentur, et tabefierent fauces eorum: de quibus est Cantuariensis cum domestica familia sua, ex quibus unum habemus catulum, Joannem de Saresberia, qui non facit animam suam pretiosiorem se, sed dominæ Ægyptiacæ auferenti tunicam non tenuit prius dimittere pallium, quam stupro falsitatis corrumpi, et nudus rejecta sindone

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(63) *Usque ad sedem apostol.* Ad quam evectus Urbanus II, qui ante pontificatum prior fuerat monasterii Cluniacensis.

(64) *M. G. Puell.* Hoc est *M. Girardo Puellæ*. Id enim viro cognomen, qui postea episcopus fuit Cestrensis. Supplementum Sigeberti anno 1182: *M. Girardus cognomento Puella, vir magnæ litteraturæ et honestatis, electus est in episcopum Cestrensem.* Scripta est epistola superstite S. Thoma, cum exsul esset in Gallia. Duo enim Ecclesiæ mala deflet, schisma Germanicum, et persecutionem Anglicanam.

nudum sequi desiderat Christum. Bone amice, et tu de illis es; nam et loquela tua manifestum te facit. Quamvis enim cum nube umbrosa latites, et corporaliter cum illis habites, qui de lateribus aquilonis frigescunt, tamen corde bono et optimo, tanquam veræ philosophiæ discipulus, respicis ad austrum, et exspectas inde Paracletum, qui nebulas istas adventus sui illustratione expellat. Faciet autem hoc, cum sibi beneplacitum erit. Interim offero tibi me et mea, et rogo ut si opportunum fuerit, et necessitas aliqua exegerit, apud archiepiscopum bonum nobis teneas locum.

EPISTOLA CLXI.

AD MAGISTRUM PRESBYTERUM

[VII, 7.] Magistro presbytero charissimo amico suo PETRUS abbas, salutem.

Memor temporis illius, quo fervente non minus studio, quam ætate, in Cellensi monasterio simul commorati sumus, attendo plurimum detraxisse cursum interlabentem a corpore valetudinis, ab animo lectionis et meditationis. Inexplebili siquidem desiderio, nec oculus visu librorum, nec auris satiabatur auditu lectionum. Harum extremitatum Deus erat et medius, et primus, et ultimus. Salvo namque ordine, salva divinæ laudis debiti pensione, legebam leges, nec amittebam, vel omittebam consuetas orationes. Nunc autem, amice bone, curæ et sollicitudines, quæ me a juventute decerpere non destiterunt, quotidie accrescunt, et ut mihi videtur, obsidionem perpetuam contra me firmaverunt. Si quid roris gratiæ, si quid pinguedinis misericordiæ raptim, et quasi furtim, de divinis cellariis interdum attraxit spiritus meus, de repente subitus et intempestivus totum absorbet nimius æstus. Unde clamo ad Deum : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal* CXLII). Hoc de interiori. De exteriori vero statu, gratias ago benignissimo Deo meo, quia in omni prosperitate et pace sum, tamen qualem potest dare mundus. Libenter vos viderem, et senectutem meam vel ad tempus sub alis beati Remigii foverem. Magister Joannes de Anglia, quondam clericus noster, electus est Carnotensis. Munusculum vestrum accepi, et gratias ago. Valete.

EPISTOLA CLXII.

AD DOMINUM RICHARDUM (65).

[VI, 16.] Tanquam de sepulcro Domini species aromaticas, quibus Nicodemus et Joseph Dominicum corpus perunxerunt, in monumento litterarum tuarum excepi, et tam ori quam odoratui apponens, spiritum super mel dulcem non semel legendo attraxi. Nihil fetidum, nihil fœdum, nihil emortuum vivus ille sermo tuus, nitidus, et sale sufficienter respersus continet. Vivit memoria accepti beneficii, relucet narratio compacti amoris, stylus elimatus pondere sententiarum et ornatu verborum refulget sicut sol in clypeos aureos, usque ad divisionem animæ et spiritus pertingens. De intimo et profundo cordis venas cœlesti unguento repletas ad medium educit, et pulcherrimæ puellæ de terra Israel speciem spectaculo angelorum et hominum sistit. In vestitu enim deaurato per auctoritates divini eloquii et colores rhetoricos, in lecto eburneo propter verum et castum sermonem quiescentem hanc inveni, sine macula mendacii, et ruga duplicitatis. Spiritus veritatis talem solet sobolem in mente sancta gignere, et spiraculum vitæ insufflare, ne mens amore divino gravida aliud possit parere, quam concepit. Cum adhuc esses, dilectissime, in atrio exteriori et sæculari habitu, per foramen nobis incognitum, manum submittebat ad animæ ventrem invisibilis ille amator, et demulcebat viscera jam jam sibi legitimo matrimonio copulanda, suavitate sibi certe et tibi forte cognita. Quales autem nunc tibi amplexus porrigat, quæ oscula offerat, cujusmodi fœtus conferat, nemo novit, nisi cum in sermone vel in scriptura partus latentem gratiam prodiderit. Secretum tuum tibi, secretum tuum tibi. Admittendi tamen salvo silentio sunt amici illi, cum quibus omnia sunt communia, qui non invident, sed congaudent fortunis prosperis; qui optant et dicunt, Crescas in mille millia. Credo me Petrum cum Joanne assumendum, etiam in transfiguratione, etiam in morte, etiam in resurrectione. Non me præfero Joanni, qui recubuit super pectus, sed præsumo post Joannem et stationem habere, et castra nostra ponere. Habeat ut dignum est Jesus cum Patre suo et Spiritu primam in te sessionem : habeat Virgo secundam ; habeant sancti in ordine suo tertiam. De incolis autem terræ M. Joannes primam, ego, si placet, secundam ; aliis quibuslibet non invideo tertiam, et deinceps. De his hactenus. Si medicus essem, et medicinam qua repellerem infirmitatem tuam nossem, omnimodam curam adhiberem. Quia vero id non possum, facio quod possum. Mitto tibi species qualescunque nostras, utinam in nomine Jesu eis mandare possem effectum salutis et sanitatis !

EPISTOLA CLXII *bis*.

AD EUNDEM.

[VI, 20.] Domino RICHARDO regulari canonico PETRUS abbas Sancti Remigii.

Præsentium lator bene vobis notus, viva voce quæ apud nos geruntur poterit referre, atque ideo parcius voluimus scribere. Una enim littera, non atramento sed spiritu Dei scripta in corde nostro et vestro, amplius sufficit quam multa librorum congeries, quæ est vera et firma charitas. Hæc non delebitur in diluvio aquarum multarum, quia aquæ multæ non poterunt exstinguere charitatem. Hæc nullo incisorio sollicitudinum, sive occupationum radetur; hæc nullo igne tribulationum et malorum conflagrabit. Charitas enim nostra nunquam excidit.

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(65) *D. Richardum*. Canonicum regularem fratremque, ut dictum est, Joannis Saresberiensis, ad cujus nomen et suum, hoc est Petri, alludit.

Hanc legere potestis sine sole in die, sine lucerna in nocte. Hanc oro ut legatis, cum sanctis altaribus assistitis, et in conspectu angelorum atque omnium cœlestium virtutum. Lectio ista sine *Tu autem* continuetur. Nullum in auribus Domini Sabaoth strepitum faciet. Non a quiete sua Christus excutitur sonitu hujus lectionis, non interrumpitur silentium cœli, non excitatur sponsa illa, quæ habens inter ubera sponsum, lævam ipsius sponsi sub capite, et dexteram in amplexu habet. Valete.

EPISTOLA CLXIII

AD RICHARDUM.

[VII, 12.] PETRUS abbas Sancti Remigii, RICHARDO.

Etsi non est sermo in lingua mea de inopia scientiæ, tamen in manibus habeo signa de plenitudine amicitiæ. Fontes qui præcedentibus annis rupti sunt et aperti, usque ad diluvium aquarum multarum, præsenti anno siccati sunt, et aruerunt usque ad defectum herbarum et virgultorum. Hæc siccitas linguam quidem et fauces tangere potuit, sed non venam dilectionis attigit, nec oleum de capite defecit. Manabit certe cum vita, imo sine dubio, et ultra. Nam charitas nunquam excidit (*I Cor.* XIII).

EPISTOLA CLXIV.

R. CANONICO MERITONÆ.

[VIII, 5.] PETRUS abbas Sancti Remigii, R. (66) canonico Meritonæ.

Adipe et pinguedine spirituali refertas ex parte tua recepi litteras, quibus cibatis et potatis, salvo quadragesimali jejunio, factum est in ore meo tanquam mel dulce, et medullæ repletæ sunt uberrima exsultatione. De vase siquidem bono et optimo eructavit stylus tuus verba bona, verba consolatoria, quæ me a diluvio aquarum multarum ad arcam Noe, qui interpretatur *requies*, provocant, et de claustrali disciplina (67) non solum cogitare, sed et scribere exorant. Promptum me et facilem nosti in omni obedientia, sed vinctum et occupatum laboriosa sarcina, cui nova alluvione accrevit et accessit renum gravissima infirmitas. Non credas quod de solito luti et lateris penso aliquid imminuerit urgentissima principis tenebrarum harum exactio. Componit quotidie strues lignorum, in negotiis addit paleas, et stipulam siccam in nugis et vanis discursionibus. Vexatus denique plagis variis orationum, psalmodiarum, sanctarum meditationum, eleemosynarum, magis ac magis cor ejus induratur, negans licentiam deserto abeundi et immolandi Deo sacrificium justitiæ et innocentiæ. Quomodo itaque in manicis ferreis detentus, et supra modum fame lectionis et otii eximanitus, speciosa deserti dinumerare, et claustralem disciplinam possum funiculo prophetico dimetiri? Non potuit Josue filiis Israel terram promissionis sorte dividere, donec terra quievit a præliis. Utinam veniret Sabbatum delicatum! utinam pax requiesceret in cubili nostro! utinam jubilæus annus celebraretur! ut sic rediret cor ad possessionem suam, et servus peccati, corpus mortale ad libertatem suam. Interim tamen claustralis disciplina non atramento, sed exercitio compingatur, quia is qui sub lege est non Moysi, sed Augustini, aut beati Benedicti, si præcepta servaverit, præmia habebit. Compendiose et succincte claustralem disciplinam uno illo verbo complector, quo Pharao usus est ad Joseph: *Ego*, inquit, *sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti* (*Gen.* XLI). Sanctissima et æquissima disciplina in claustro, ut nihil agatur, nihil dicatur, nihil habeatur, nisi cum abbatis licentia, ut nec oculus egrediatur constituta, nec manus moveatur ad illicita, nec pes currat ad prohibita. His nervis corpus religionis compactum immobile stat, fundamentum habemus, præter quod nulla firma est religio.

EPISTOLA CLXV.

AD R. CANONICUM.

[VIII, 6.] Amico suo charissimo R. canonico, PETRUS abbas Sancti Remigii.

Unum quaternum jam impleveram de disciplina claustri, et mittere per præsentium latorem plurimum festinabam. Sed dissuasum est ab amicis, ne opus imperfectum amico mitterem, propter rapaces curiosorum manus et oculos. Nam si viderent, aut abjicerent, aut retinerent. Si abjicerent, forte conculcarent. Si conculcarent, nullum delectum habentes inter utile et inutile peccarent. Si retinerent, aut legerent, aut scriberent, aut negligerent. Si legerent, aut scriberent, scabrosam forte lectionem et minus compositam offendentes, imperitiæ et præsumptioni, non festinationi imputarent, quatenus mihi merito illud proverbium ascribatur, quo dicitur: *Onos lyras*, id est, *asinus ad lyram*, aut rescriberent, et nostra vitia perpetuarent. Si negligerent, quantum ad illos in vanum laborassem, et perisset opera et impensa. Quicunque igitur fidelis nuntius post paucissimos dies occurrerit, casibus fortuitis me committens, mittam quæ ad petitionem tuam de disciplina claustri scripsi. Valete.

EPISTOLA CLXVI.

AD EUMDEM.

[IX, 4.] PETRUS abbas Sancti Remigii, R. canonico de Meritonia.

Simul moventur et manus ad tibi scribendum, et

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(66) *Canonico Meritonæ.* In Anglia. Saresberiensis epist. 28. *Sanctorum fratrum qui apud Meritonam Deo famulantur, et luce bonorum operum illustrant Insulam nostram, vexationibus et injuriis jure compatior.* Regulares erant S. Augustini, eoque nomine illos Adriano IV ejusdem olim ordinis canonico commendat. Pro Meritano *Mintona* vitiose apud eumdem Saresberiensem legitur epist. 139.

(67) *De claustrali disciplina.* Hoc enim argumento ac titulo librum scripsit ad Henricum comitem Trecensem, cujus etiam meminit epistola 30. Vetus Index Bibliothecæ Montis Dei: *Petri abbatis S. Remigii De disciplina claustrali. Incipit, domino et amico suo H. illustri Trecensium comiti palatino.*

nuntius ad iter arripiendum. Non sum immemor antiquæ nostræ consuetudinis, quia invicem solebamus quamlibet informes conceptus nostrarum meditationum communicare. Ego ut senex sensu exinanitus, ætate fessus, occupatione irretitus, jam parere fetus idoneos ad legendum deficio. Consulens autem naturali erubescentiæ meæ, potius abortivos meos infra latebras suas sepelio, quam extra cum pudore profero. Quis enim ramus fronde et fructu formosus de veternoso et emortuo trunco pullulabit? fons aridus et cisterna dissipata quas irrigabit areolas, cum nec gutta supersit ad proprias consolandas venas? Vetus itaque homo qui corrumpitur, novitate spiritus renovandus esset : nisi et ipse spiritus sua negligentia inveteratus juxta Apostolum prope interitum esset. Altera istorum vetustas apparet, altera latet. Periculosior autem est latens quam apparens. Nullum enim periculum est, cubile vitiorum, corpus animale, hospitium de impossibilitate peccatis non exhibere. Optimum equidem est non peccare : imo et nolle; sed et bonum et non posse. Fomes siquidem peccati utitur ætate juvenili, velut fornace, in qua tres pueri a rege Babylonio mittuntur, et membra puerilia, tanquam ligna flammis apta, obstinacissime succiduntur. Cum vero senectus evisceraverit medullas corporis, et omnino debilitaverit legem membrorum, quæ repugnat legi mentis, conquiescunt strepitus vitiorum, et quia non habent ubi caput reclinent, exeunt, et deserta circumeunt. Potius ergo lætandum quam dolendum de ista oppressione, quæ magis operatur vitam quam mortem, remedium quam excidium. Hæc est apparens et parum nocens vetustas. Latens vero, quia nescitur, minime aut tarde curatur. Unde Isaias : *Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo* (*Isa.* I). Quis enim medicinam morbo porrigeret, quem nec oculus, nec manus attingeret? Solus itaque Dei Spiritus, qui omnia scrutatur, spiritum nostrum curat, vivificat, et renovat. In medio istarum vetustatum positus, spiritualem timeo, corporalem jam .sperno. In fundo vitæ meæ, ubi sera parcimonia est, de reliquiis primæ prævaricationis jamjam fæces limosas exhaurio, et lutum vespere indurandum et arescendum præsentio. Jesum tamen, non minus sapientissimum quam benignissimum figulum, exspecto; qui de vase fictili, usque ad minutissimum pulverem effracto, potest aliud in resurrectione vas facere in honorem, ut sit clementior, ne dicam cautior, aut potentior in reficiendo, quam in faciendo; ut sit major gloria secundæ domus, quam primæ, et Adam qui primus factus est in animam viventem, denuo fiat in spiritum vivificantem. Hæc spes in sinu meo reposita, excitat vota mea mortem non timere, sed amare, non fugere, sed patienter exspectare. Interim neque dormitare neque dormire volo, sed juxta Sapientis consilium quæcunque possum instanter operari. Hinc est quod nobilem ecclesiam nostram tam in fronte quam in ventre, cui caput secundum se deerat, fabricandam suscepimus, et ut speramus, cum Dei adjutorio perficiemus.

EPISTOLA CLXVII.

AD MONACHUM DE S. BERTINO.

[VII, 19.] PETRUS abbas S. Remigii monacho de Sancto Bertino (68).

Sermones nostros, quos tanquam plumas inutiles et superfluas quatuor venti cœli per diversa projecerunt, habere desideras. Si legisti, nonne exsangues sensibus sententiarum et enerves tenuitate verborum invenisti? Si non vidisti, quis persuasit tantopere te quærere, quos inventos statim habeas respuere? Curiositas, an studii assiduitas te urgent, vilissimi hominis herbas et cortices insipidos mendicare, cum sedeas ad mensas divitis Augustini, benigni Gregorii, pecuniosi Hieronymi, gloriosi Ambrosii, Bedæ omnium monetarum nummosi, profundissimi tanquam maris magni Hilarii, suavissimi eloquii Origenis, et aliorum innumerabilium, quorum nec micas sub mensa dignus sum colligere? Si nova placent, ecce magistri Hugonis; ecce S. Bernardi, ecce magistri Gilleberti et magistri Petri (69) scripta, in quibus nec rosæ, nec lilia desunt. Nostra vero scripta nec de profundo hauriunt, nec de alto propinant, quia verba nostra sunt arentia, forte et sterilia. Intentione tamen hac frequenter admovi tabellis stylum, quatenus vigiliis solemnitatum saltem media hora occuparem me contemplationi sequentium gaudiorum, et subtraherem me a tumultibus me opprimentium jugiter sæcularium sollicitudinum. Idcirco imperfectos invenies multos de sermonibus nostris, quia post horam aliquando negligentia mea, aliquando occupatione ingrata, conceptum fetum parturiebam infectum et imperfectum, nec saltem sicut ursa lambendo promovebam postea ad plenum partum. Ecce hoc erit tibi signum, si quando in manus tuas venerint, qui nostri sunt, si imperfecti, si squalidi, si rusticani, si male amicti prodierint. Tamen da veniam, quia pudibundi non se ingerunt, sed compulsi vix publicum ferunt.

EPISTOLA CLXVIII.

AD MONACHUM DE REDDINGES.

[VI, 22.] PETRUS abbas S. Remigii monacho de Reddinges (70).

Litteras vestræ amicitiæ ad manum non habebam,

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(68) *Monacho de S. Bertino.* Sithivensis monasterii, quod Taravanensis olim diœcesis, nunc S. Audomari.

(69) *M. Gilleberti, et m. Petri.* Petrum, ni fallor, Trecensem intelligit, qui appellatus est Comestor. Gillebertum vero illum fortasse S. Stephani Antisiodorensis canonicum, qui glossas edidit in utrumque Testamentum, et propter eximiam doctrinam vocatus est universalis, Londinensisque postea creatus episcopus.

(70) *Monacho de Reddinges.* Ordinis Cluniacensis. Radingense in Anglia monasterium inter Kenetam

cum nata occasione vobis scribere decrevi. Frater enim vester magister Willelmus secum eas asportaverat. Tenorem quoque illarum non bene memoriæ commendaveram; unde nec recapitulare potui, quæ præcipua et digna erant, sive responsione, sive præconio laudis. Tenuissime siquidem reminiscor, quia tanquam in opaca silva, tam sensuum quam verborum grandis in eis præjacebat materia, de qua sapientia excidens columnas septem, domum Salomonis, sive templum Domini posset construere. Itaque factus tanquam vir, qui præ inopia racemos colligit in autumno, non mihi occurrit, quod vellem præstare amico venienti de via, vel animæ esurienti, magis ex copia quam ex inopia. Equidem non ignoro patere vobis spatiosa illa deambulatoria, ubi omnia ligna paradisi, ubi vitis abundans in lateribus domus Dei, ubi promptuaria eructantia ex hoc in illud, ubi deliciæ deliciarum, ubi cantica omnium lætantium de sponsi præsentia et sponsæ magnificentia. Puro namque pectore quid jucundius, quid ditius, quid appetibilius? Ibi Deus, ibi angelus, ibi virtus, ibi juge convivium, ibi solemnitas solemnitatum, ibi mensa refectionis, ibi somnus quietissimæ pausationis. Potoria sunt quæ ibi præsentiuntur, quam ea quæ dicuntur. Sic enim in Psalmo loquitur talis conscientia : *Non est sermo in lingua mea* (*Psal.* CXXXIX), id est quæ corde sentio, ore non profero. Sic de vobis sentire mihi persuadet fama publica, sic testatur conversatio sancta, et integra atque inviolabilis propositi observatio, quam fortius tenetis proficiendo, quam inchoaveritis arripiendo. Contra faciunt, qui cum spiritu cœperint, carne consummantur. Panes nostros (71), si tamen nostros, libenter comeditis, et scripta nostra sublimiori honore quam decet excipitis. Nunquam enim de tam immundo vase emanat aqua digna ad sorbendum, vel de tam furfureo et cinereo clibano mundus egreditur panis. Dilectio tamen, quæ cinerem tanquam panem manducat, in vobis abundans, vilia quæque amici pretiosa reputat, et pallio honestiori ignobilia nostra, circumvenustat. Sed utinam lima correctionis vestræ omnia scripta nostra explanata essent et emendata!

EPISTOLA CLXIX.

AD NICOLAUM MONACHUM (72).

[VI, 4.] Iniqua sorte sæcularis occupatio, et æternorum affectio, sollicitudinem nostram dividunt. Sesquialteram namque et supra animæ nostræ portionem negotiatio temporalium actionum sibi, nullo interveniente bonæ fidei contractu, vindicat, et mihi de me vel exiguam partem non relinquit. Passam denique injuriam in alios referre, non minus stulti quam injuriosi est. Sumpto siquidem probabili et noto de prope argumento, cavere quisque debet, ne A de alieno ægrotet incommodo. Igitur de quamulacunque relicta mihi portione quietis, sive furtivi otii, subdividens indulgeo amico modicum de modico. Gratia quoque tui facio licitum, quod de facto, non de jure, pene redditur illicitum. Sola etenim non licent, quæ sola licere deberent. Ea vero plurima et sine licentia sese ingerunt, quæ salutem magis impediunt quam expediant. Unde ergo exordiar? Quam solemne, quam devotum acturus sum vicinis congratulationis convivium, qui quasi de morte recepi amicum? Plus falsi quam veri rumores serere populares, in multis expertus, fallaciam ejus æquitatis judicio condemnare soleo. In hoc autem articulo, mendacio ramusculosæ verbositatis gratias ago. Jam namque a multis retro annis te in B fata concessisse acceperam; quod veraciter falsum esse nuper, quasi de gravi somno evigilans, gavisus sum, in eo quod adhuc nostræ sortis et vitæ consortem te esse audivi. Equidem de numero amicorum nostrorum ex eo habere te censui, ex quo scripta tua legi. Amplius autem nostræ amicitiæ vincula tenacissima intexere debet, quod ex toto corde compassus, Deo animam tuam, quam de corpore evolasse ad sinum matris misericordiæ credebam, non semel commendavi. Vicem ergo debes nobis, si recte de amicitia judicaveris. Quam idcirco obnixe expostulo, quia nescio qua hora, quod de te falso opinatus sum, mihi indubitanter contingat. Et video viscera misericordiæ Dei nostri fines vestros copiosa benedictione respersisse. Pretiosi C namque martyris Thomæ Cantuariensis archiepiscopi occasus, orientalem nobis fenestram aperuit, et de fidei atque patientiæ suæ splendore angelicas tenebras illustravit. Quæ enim terra tantum de se palmitem protulit, ministeriales cœlicolas, angelicas utique virtutes, pro tanto fructu in sinu suo recepto, perpetuo conciliavit. Qua itaque ratione non sæpe et frequenter revisitent terram, de qua tantum thesaurum suis gazis intulerunt? Credo manum cultoris, sive agricolæ, de quo dicitur : *Pater meus agricola est* (*Joan.* XV), venas et valvas nubium suarum nondum inclusisse, ut abstineat benedicere terræ, quam compluit sanguine magni sacerdotis Thomæ. Non immerito igitur undecunque populi D advenientes, et tumbam illius venerantes, benedicunt genti, populo et nationi, de qua tantus Christi testis ortum habuit. Exora itaque sancta ejus merita pro amico tuo, et si qua habes nova scripta mitte nobis. Quæro a te, memor favorabilis non odiosæ altercationis dudum inter nos habitæ, utrum ficta morte emendatus, errorem qui non de odio, sed de summo, aut plus quam summo favore Virginis virginum venit, deleveris aut delinieris. Vellem ergo videre, si quid de vera morte simulata

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

et Tamesim fluvios ab Henrico primo rege collocatum, Cluniacensibusque monachis traditum docet Malmesburiensis lib. V De gestis regum Anglorum.

(71) Id est opusculum *De panibus*.

(72) *Nicolaum monachum*. Ad Anglum, monachum Sancti Albani, quocum de conceptione Beatæ Virginis altercatur epist. 171 et 173.

mutaverit, cum absque præcipiti ambiguo vexatio inferni, etsi non salubriter, tamen pœnaliter, colonum suum doceat ubi erraverit. Ämulanda certe, imo cumulanda imitatione, seria illa non sera præoccupatione anticipat mens cauta et provida, quotidie advocans cœlum et terram cum omni circumlustratione angelorum, hominum et dæmonum, acta singulorum proferentium, et debita tormenta allegantium. Felix anima, quæ talibus assueta præludiis, fallaces et feroces tempestive præcidit malignorum accusationes, vindictam judicialem de se ipsa a se ipsa exigens et solvens, ut ventilabrum non inveniens, quod vexando excutiat, sola grana æternis apothecis reponat. Quid igitur de imagine ista transumpseris, rogo mandata litteris mittere amico non dedigneris. Tuus enim mihi placet et stylus et animus. Vale.

EPISTOLA CLXX

AD NICOLAUM ALIUM.

[VI, 5.] Jam in desuetudinem pene abierunt reciprocæ salutationes, quas tu bonus sub ovina pelle mihi solebas mittere, et ego qualis qualis tibi. Nescio utrum modo sis melior, quam tunc, vetustior tamen et nigrior es, et terræ propinquior. Exspecto facetias istas nostras a te cum usura statim solvi. Provolutus ergo pedibus teterrimi idoli, peto indulgentiam de nullo reatu. Mando tamen ut venias ad festum nostrum, quatenus tua pulcherrima et sanctissima facie tota solemnitas illustretur, et ore illo veridico animæ nostræ a plagis et vulneribus suis curentur. Interim mando tibi negotia nostra, quæ tibi frater iste et socius tuus in colore et facie dicet. Vale, et ora pro nobis. Tua enim oratio penetrat cœlos.

EPISTOLA CLXXI.

AD NICOLAUM MONACHUM S. ALBANI.

[VI, 23.] PETRUS S. Remigii, NICOLAO monacho S. Albani (73).

Vacui et vacantis animi esset, singulis quæ in litteris tuis sunt recapitulatis, sigillatim ad verbum respondere. Summam itaque responsionum mearum constringens, et potioribus epistolæ tuis dictis astringens, pacis et bonæ patientiæ pactum prius hinc inde interpono, ne quis nostrum cujuslibet commotionis scintilla pro quolibet verbo aduratur vel inflammetur. Sola mihi sancti Bernardi injuria donetur, et quæcunque et undecunque vis jacula conglomera, sive ut meam rusticitatem confundas, sive ut de sensu meo vilissimas sententiarum quisquilias excutias; sive ut thesauros tuos homini pauperi aperias, sive ut nescientem doceas, et sensus tuos fortissimis assertionum repagulis stabilias. Aggredior igitur phantasmata tua, lenocinantia quidem pulcritudinis specie, sed titubantia stabilis fundamenti egestate. Quidquid enim Scripturæ basibus auctoritatum non supportatur, nullius roboris stabilitate fulcitur. Nec indignetur Anglica levitas, si ea solidior sit Gallica maturitas. Insula enim est circumfusa aqua, unde hujus elementi propria qualitate ejus incolæ non immerito afficiuntur, et nimia mobilitate in tenuissimas et subtiles phantasias frequenter transferuntur, somnia sua visionibus comparantes, ne dicam præferentes. Et quæ culpa naturæ, si talis est natura terræ? Certe expertus sum somniatores plus esse Anglicos quam Gallos. Cerebrum namque humidius fumositate stomachi citius involvitur, et quaslibet imagines in se ipso depingit, quæ ab animali virtute utcunque spirituali deferuntur, et ex occupatione omnium, tam naturalium quam animalium, seu spiritualium virtutum, infra judicii veritatem confinguntur, ut phantasmata seu somnia appellentur. Non sic cavernosa, non sic aquatica Gallia, ubi sunt montes lapidei, ubi ferrum nascitur, ubi terra suo pondere gravatur. Quid ergo? non cito a suo sensu moventur, et veritatis auctoritatibus tenacius innituntur. *Meus est*, inquit Dominus, *Galaad* (*Psal.* LIX), id est, *acervus testimonii*, et, *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* XVIII). Leve est ergo omne verbum, quod neque testimonio solidum, neque auctoritate verum est. Nec est alicujus momenti quidquid humani sensus ingeniosa fornax commentata fuerit, si examine careat veritatis. Pondus siquidem sanctuarii, quo tam merita quam præmia angelorum et hominum appenduntur, clausura dispensabili penes veritatem in arca justitiæ perpetua reconditur custodia. Vagatur itaque vanis evolationibus per aera, qui nullius auctoritatis fundamento affixus, arundinea volubilitate et mobilitate circumagitatur, et hospes testamentorum Dei nullis detinetur certis mansionibus. Mira virtus veritatis, quæ adversarios deprehendit nolentes et nescientes in astutia sua. Fugitivos namque suos frequenter urget ad laqueos inevitabilis conclusionis, ut capiantur et illaqueentur sermonibus suis, dum inviti vera loquuntur, et quod non sentiunt corde, exprimunt ore. Inde est, frater Nicolae, quod ridendo verum dixisti, cum me fixum, te mobilem scripsisti. Me petram vocasti, et concedo, si pro constantia, non pro duritia intellexisti. Sum quidem natura, professione, et jam ætate ac voluntate, sicut nomine Petrus, petrinus, radicatus, et fundatus in montibus sanctarum auctoritatum, et in medio petrarum, ubi mater Ecclesia nidificat in

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(73) *Nicolao monacho S. Albani.* Vetus et nobile apud Anglos S. Albani monasterium, ab Offa rege conditum haud procul Verolamio, ubi sanguinem pro Christo fuderat S. Albanus. Cæterum eadem hic Petro abbati de festo Conceptionis B. Virginis cum Nicolao concertatio, quæ D. Bernardo fuerat cum canonicis Lugdunensibus epistola 174 eademque sententia; nihil videlicet in ea renovandum videri ante sedis apostolicæ decretum. Quod quidem si eorum ævo prodiisset, quale postea secutum est, haud dubium quin pro eximia utriusque erga Virginem reverentia æquissimis lætissimisque animis accepissent.

foraminibus petræ, et in cavernis maceriæ. Hinc non exeo, nisi ad vocem rotarum, quæ in se habent spiritum vitæ, et stant ac moventur, tanquam volubiles cum animalibus senas alas habentibus et oculos ante et retro. Securus sequor, quia facies leonis præcedit, ne aliquid noceat; facies hominis, ne aliquid decipiat; facies vituli, ne vanitatis aliquid interveniat; facies aquilæ, ne aliquid dubietatis remaneat, vel tarditatis præpediat. Regula veritatis tornavit rotas istas in circino et orbe veritatis æternæ, quæ de mente divina procedens tantæ apud Deum majestatis est, ut in summo vertice lucis inhabitabilis resideat, tantæ auctoritatis, ut nullius ditioni subjaceat; tantæ maturitatis, ut nunquam vultum deificum deponat; tantæ certitudinis, ut nulla mutatio aut vicissitudinis obumbratio in ea incurrat; tantæ severitatis, ut nec Lucifero peccanti in cœlis locum relinquat, nec homini a Verbo assumpto petenti: *Si possibile est transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI), crucem et mortem remittat. Hæc æterno tramite stelliferas deambulans regiones, imbrem matutinum et serotinum distillavit, et sublunarem regionem arentem mediante nube virginea, rivis de sanguine et doctrina illum perpetuis irroravit. Collactanea ejus misericordia, salvo jure privilegii inviolabilis, leges mitiores et jura tolerabiliora ab ea impetravit, quatenus peccatorum remissionem et exsilii relevationem speraret, qui in regno veritatis correctis erroribus et emendatis moribus viveret. Neutra tamen sororum istarum adulationum lenocinia admittit, quin potius tanquam fila aranearum vehementissimo turbine corrumpit, et tunicam inconsutilem, tam illi quam matri ejus, fideli textura componit. Bone amice, quid facit stuppa, ubi de auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, et bysso retorta sacerdotalis contexitur vestis, et cœlo, sole ac luna pretiosior et purior summo sacerdoti aptatur cidaris? Prorsus nihil ad nos, nihil ad angelos dignius et melius de omnibus thesauris suis protulit æterna Trinitas, quam templum virginale, et holocaustum, quod ad immolandum ex eo traxit et extraxit Verbum Deo Patri coæternum et consubstantiale. Sic corde credo, sic ore confiteor. Nonne et tu? Imo vehementius, ne dicam immoderatius tu. Totum te expendis in laude Virginis, et ego quid? Impendo plane, et expendo, et superimpendo. Tu contendis honorare conceptionem, et ego prædestinationem, ac totam ejus retro progeniem; tu rosam, ego etiam spinam; tu florem et fructum, ego corticem et folium; tu apparentia, ego latentia; tu farinam, ego furfurem: tu panem, ego cinerem; tu solium, ego scabellum; tu substantiam, ego picturam. Si cursum ejus fas esset distinguere, et sequestrare in mente divina a collegio cunctorum creatorum, mitterem animam ab initio prædestinationis, ut sequeretur adorando, sancta et suprema veneratione colendo ejus vestigia. Repetenda tibi, imo nova et longa expetenda peregrinatio, non ad sanctum Thomam archiepiscopum in Anglia, sed ad sanctum Thomam apostolum in India, quia semper interero conventiculis, ubi Dominæ nostræ digna celebratur commemoratio, sive nominetur Conceptio, sive Nativitas, sive Assumptio, sive alia quæcunque veneratio. Cum ergo una gradiamur via, quid ad rem si diversa sit semita? Tu sinistram tenes semitam, quare murmuras si ego teneo dexteram? Si tua tibi displicet semita, quia et larga et charitativa est nostra, cedo; et concedo tibi locum juxta me. Proverbium est: Non sunt dimittendæ veteres viæ propter novas. Quis sanctorum, quis antiquorum non ambulavit semitam nostram? Credo et vere fateor, si in hoc errassent, et hoc eis Deus revelasset. Quibus enim sua tam familiariter revelavit consilia, ut etiam ad supplementum evangeliorum, epistolarum, et prophetarum, perpetua stabilitate canones et decreta statuerint pari pene observantia tenenda cum Evangelio, hoc solum eis tacuisset, si periculosum esset? Sed forte dices mihi: Audesne, tu, qualiscunque abbas, occludere puteos semper continuandæ devotionis, et profundius quotidie fodiendæ venerationis? Nonne eodem spiritu potantur moderni, quo et antiqui? Nonne, ut ait Hieronymus, in templo Dei quisque pro vili portione offert, alius aurum, alius argentum, alius lapides pretiosos, alius, ut ad viliora veniamus, pilos caprarum, et cætera? Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente fidelium devotione, addita est præclaris Ecclesiæ solemnitatibus. Quare igitur non similiter et diem Conceptionis obtineat sedulitas Christianæ devotionis? Ad quod ego: Cataractas cœli et fontes abyssi libentius in obsequium Virginis solverem quam clauderem: et si filius ejus Jesus aliquid omisisset in prærogativa exaltationis suæ matris, ego servus, ego mancipium, non quidem de effectu, sed saltem affectu supplere gestirem. Mallem certe non habere linguam, quam aliquid dicere contra Dominam nostram. Ante eligerem non habere animam, quam vellem ejus extenuare gloriam. Licuit quoque, semperque licebit sponsam Christi Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secundum mutationes rerum, personarum et temporum, variare rationes decretorum, et nova adinvenire medicamina remediorum; et statuere sanctis adeptione gloriæ frequentiam solemnitatum.

Est tamen auro locus in quo conflatur, et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam Romanam, quæ claves cœli principaliter tenet; et clausura consiliorum Dei reserata dispensante Deo, unguentum gratiæ a capite usque in oram vestimenti habet compluere. Hæc sedes Petri, id est petra in qua Moyses residet, videlicet lex Dei immaculata convertens animas, fragosa quæque hæreticorum conciliabula elidit et allidit, profanas vocum novitates resecat et rescindit, superflua confodit et jugulat, hiantia et ecliptica complet et illustrat. Utinam salva veritatis auctoritate, lance com-

munis concilii, hæc domina et moderatrix totius Christianitatis, conceptionem Virginis librasset et approbasset, et a mari usque ad mare hanc propagasset! Sole, id est apostolico, ac luna, id est curia Romana præeunte : tam secure quam expedite, in lumine vultus eorum gressus meos ponerem et disponerem, ex hoc videns vitare lubricum, et sequi solidum et securum. Nihil in Ecclesia pessimius præsumptione erronea, nihil stultius præsumptione temeraria, nihil odibilius præsumptione noxia. Utcunque vero tolerabilis præsumptio pia, sed non satis probabilis. Abstinere certe ab omni præsumptione volo : gradatim tamen servatis distinctionibus præmissis secundum magis et minus. Jam destitissem ultra de præjacenti materia scribere, non condemnans errorem tuum, si error dicendus est, qui de pietate venit, nec me opponens gloriosissimæ Dominæ nostræ, cujus non solum terram, sed et pulverem lingere summas divitias reputo : præcipue cum in calculo epistolæ tuæ asseras, nullatenus te posse moveri ab eo quod scripsisti, dicens : Quod dixi dixi, quod scripsi scripsi ; nisi lapidem offensionis et petram scandali in eadem epistola tua conjecisses. Dicis, Dominæ nostræ animam non solum in passione filii gladio transfixam, sed etiam in conceptionis suæ contradictione. Hic bonus dormitavit Homerus. Bone magister, nunquid non mea et tua Domina super choros angelorum exaltata, sic omni plena et circumfusa est gloria Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et sanctorum angelorum, ut nullatenus nostris indigeat obsequiis, nostris neque violetur aut molestetur negligentiis quantum ad se, neque melioretur beneficiis? Esto, nostra placent ei obsequia, nunquid passibilis adhuc est ejus anima? Fides supplet irrefragabilem conclusionem, ut vera impassibilitas et immortalitas nullas admittat molestias, ne ad supera transeant fæces malorum, quæ inferos exercent pro pœna peccatorum. Hic lapis est offensionis. Petra vero scandali est, quod beatissimum Bernardum debita exuis veneratione, et verborum jacula post eum emittis, tanquam famam ejus possis extenuare, vel gloriam evacuare.

Bona fide qua te diligo, et fidelissima charitate laudo, consulo et rogo, ne amplius in cœlum ponas os tuum, quia nisi caveris tibi, in caput tuum recasurus est lapis quo ferreum vis penetrare cœlum. An excidit a mente tua omni sancto competere, *flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo?* (*Psal.* xc.) Super quem certe ceciderit lapis iste incaute missus, conteret eum. Subrides, et forte nondum correctus labia mordes, Quæ, inquiens, hujus Bernardi sanctitas, quæ religio, quæ meritorum prærogativa? Nullus sum ego ad illius sancta præconia referre [*f.* referenda]. Vita ejus, fama ejus, opera, scripta, miracula, fides, spes, charitas, castitas, abstinentia, mortificatio demum in membris ejus, sermo, vultus, habitus et gestus ejus, et A his similia, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de eo.

Prætermitto ista omnia, si nondum emolliri cor tuum potuit : unum est, in quo clavis in altum defixis arbitror me te apprehensurum, et in amorem sancti Bernardi liquefacturum. Alumnus enim familiarissimus fuit Dominæ nostræ, cui non unam tantum basilicam, sed totius ordinis Cisterciensis basilicas dedicavit, ad cujus laudem politissimos tractatus et facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Dominæ nostræ, scribe contra Bernardum suum, cui loquitur ipsa : *Qui tangit te, quasi qui tangit pupillam oculi mei* (*Zacch.* II). Cisterciensium quoque nugas nescio, quos præ aliis mortalibus seriis et sine fine mansuris intendere video. B Hi sunt, qui monetam nostri jam in agonia positi ordinis reformaverunt. Hi sunt, qui Regulam beati Benedicti pene combustam, sicut Esdras veterem legem, restauraverunt. Hi cum Apostolo Corinthiis, id est agricolis et rusticis sæcularibus onerosi non sunt ; sed propriis manibus laborantes, se et alios pauperes pro posse exhibent. Claustra illorum castra Dei sunt, ubi nocte in psalmis et orationibus parati sunt suscitare Leviathan, qui sub umbra dormit in locis humentibus, et in die in agro Jericho principi militiæ occurrunt, qui tenet gladium bis acutum, ut superflua resecet cogitationum et operationum. Quærunt ergo cum Josue dicentes : *Noster es, an adversariorum?* (*Jos.* v.) Utilis quæstio, et inefflagitabilis solutio, utrum Deus pro nobis, an C contra nos (*Rom.* VIII). Si autem contra nos, quis pro nobis? Ampliorem provocat amorem, si pro nobis ; sollicitudinem et timorem, si contra nos. Ponamus itaque animam nostram in manibus nostris, si contra nos, quia etsi horrendum incidere in manus Dei post sæculum, melius est tamen incidere in hoc sæculo propitiabili quam in manus dæmonum. Dicamus itaque cum Job : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo* (*Job* XIII). Hæ sunt nugæ Cisterciensium.

Statera tua in hoc etiam videtur mentiri, aut inæqualitate ponderis, aut iniquitate moderantis, forte plus labiorum non bona distinctione, quam sensus falsitate, quod dicis, Virgo singularis vicit D omne peccatum, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo. Sta hic, frater, tene aciem, infige radiis solis amici intentionem, ut discas virginem nondum matrem et virginem jam matrem. Attendas domum sapientiæ inchoatam, et jam consummatam, distinguas lanam de prima gratia candidam, et purpuram de secunda sanguine conchylii tinctam : dividas vellus non complutum imprægnatione, et vellus madefactum incarnatione. Qua enim ratione de ipsa in Ecclesia cantaretur : *Quæ est ista, quæ ascendit quasi aurora consurgens*, utique in nativitate, *pulchra ut luna*, in sancta conversatione, *electa ut sol*, divina conceptione, *terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI), cœlesti exal-

tatione seu assumptione, si nullus ei virtutum fuisset profectus et provectus? Si ab hora conceptionis nulla cum carne aut cum hoste concertatio superfuisset causa merendi, plurimum dispendium sustinuisset, cum de ea dictum sit, quia plus est meritis et non natura, quam virgo et homo. Concedo et credo siquidem, quod sæva libidinis incentiva Deo præoperante nunquam senserit, vel ad modicum : cætera vero impedimenta humanæ fragilitatis, quæ naturali origine, sive scaturigine, de natura procedunt, ante divinam conceptionem sentire potuit, sed nullatenus consensit. Et prævéniente siquidem gratia, et in virgine sua præludia habente, fomes peccati anhelando extremum spiritum trahebat, solum sepulcrum ei supererat, donec veniens Spiritus sanctus defunctum perpetuæ sepulturæ mandavit, et serpentem antiquum suo gladio jugulavit. Dictum namque fuerat : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* (*Gen.* III). Unde Hieronymus : Etsi cæteræ virgines imitantur illam utque ad conceptum partus, et Gabrielis novæ salutationis obsequium, deinceps totum divinum est, quod operatur in ea, teste angelo, quia Spiritu sancto et virtute Altissimi obumbratur. Ante hoc ipsum sane uterus virginis quamvis mundus, quamvis impollutus, et alienus a contagione peccati, quamvis sanctus, tamen adhuc vilitate humanitatis induitur, ut ita dicam, ac si lana candidissima, suique coloris dealbata. Ad quam sane cum accessit Spiritus sanctus, quasi ipsa eademque lana, cum inficitur sanguine conchylii, vel muricis, vertitur in purpuram, versa est et ipsa sine coitu in matrem, ut non sit jam admodum quod fuerat, sed purpura veracissima ad indumentum et gloriam summi Regis divinitus aptissime dedicata, ut nulli deinceps ea uti usu femineo liceret, nisi Deo. Post conceptum itaque suum meruit crystallinam soliditatem, quæ ante gratiæ plenitudinem non exuerat teneritudinem, sed puram, sed sanctam, sed immaculatam, quæ consensu uri nullatenus potuit, et si aliquatenus admota tentatione percelli potuit, non ad læsionem, sed ad probationem, non ad mortificationem conscientiæ, sed ad confirmationem gratiæ et ostensionem constantiæ. Utquid enim tanta virtus latitans obdormiret? utquid tanta gratia fructum non faciens præter consuetudinem suam vacaret? utquid denique tanta gloria matris Domini carnem domando, hostem debellando, peccatum ex omni parte vincendo, toti mundo non se manifestaret? Tolle pugnam, tolles et victoriam. Tolle victoriam, tolles et coronam. Tolle coronam, tolles et gloriam. Ne ergo demas gloriam, noli subtrahere pugnam, quia *non coronabitur, nisi qui legitime pugnaverit* (*II Tim.* XI). Si recte offeras, et recte dividas.

Quid est igitur, Virgo singularis omne peccatum vicit, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo? Quam victricem appellas, debellatricem appellare cur formidas? An times eam debellare in bello, quam non potes dicere vincere nisi in prælio, aut sine prælio? Segnior est si qua est victoria sine prælio, fortior quæ in prælio. Ad ampliorem itaque gloriam, assero Dominam nostram peccatum omne vicisse et debellasse. Addis : Non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo. Hic si distinxisses, non peccasses. Multiformiter enim peccatum sentitur. Aliquando cum peccato, aliquando sine peccato. Quod in præsenti occurrit, sentio peccatum aliquando tanquam ignem, aliquando tanquam picem, aliquando tanquam lapidem, aliquando tanquam aerem. Ignem generat delectatio, picem consensus vel ipsa perpetratio; lapidem consuetudo vel obstinatio, aerem serpentis sibilatio, quæ Virginis nostræ fores potuit pulsare, sed non penetrare. Hortus enim erat conclusus, an non eadem Domina potuit calcare super serpentes et scorpiones, ita quod nil illam noceret? Re itaque integra potuit hoc modo sentire peccatum, non autem consentire peccato. Potuit debellare omne peccatum sine vulnere, sine pudore, sine silentii sui concussione, sine futuri partus violatione. De proposita quæstione, Deus cum omnia possit, non potest de corrupta virgine facere incorruptam; valet quidem liberare a pœna, sed non valet coronare corruptam. Utinam vim intelligerem verbi, et sensum tenerem Hieronymi! Procul dubio neque maligne reconderem, neque avare communicarem. Ab eo igitur imploranda solutio, qui dignus inventus est solvere signacula septem libri signati. In epistola tamen Hieronymi aliter dicitur : *Audenter*, inquit, *loquor: cum omnia possit Deus, virginem post ruinam suscitare non potest*, etc. Recurrendum proinde est ad materiam locutionis, et ad intentionem loquentis. De observanda virginitate et cavenda corruptione tractabatur. Exaudivit ergo, et ad præconium virginitatis eloquium suum Hieronymus inflammavit, venas susurrii sui infra Dei potentiæ et virginitatis gloriæ venas subinferens, et velut munditiam virginitatis rebus creatis omnibus præferens ut facilius sit Deo cœlum novum et terram novam, et omnem creaturæ defectum reparare, quam virginitatem semel lapsam in priorem statum refigurare. Hoc, inquam, unicum suæ imaginis et similitudinis signaculum animæ de cœlo impressit, contestatus in mandatis, ut hoc fidele depositum præ aliis omnibus omni diligentia servaret, et tanquam irreparabile damnum intra medullas suas a latronibus et ab omni casu consignaret. Nil in possessione felicius, et Deo similius, in amissione nil miserius, et Deo dissimilius. Ut ergo tam egregium et singulare beneficium non negligeretur, durissima conditio apponitur, ut quodammodo ad id resarciendum damnum Deus infirmetur, non de potestate, sed de dispensatione. Si enim potentia ejus simpliciter attendatur, et a pœna valet liberare, et quæ fuerit aliquando corrupta tanquam incorruptam coronare. Si ad dispensationem et constitutionem æternis legibus fixam et invariabilem, non valet, quia nihil

contra se ipsum valet, id est velle potest, vel debet. Cum enim simplicissimæ sit naturæ Deus, de ipso tamen secundum usus nostræ locutionis impropriè loquimur, dicendo eum aliquid posse, vel non posse, aliquid nosse vel non nosse, aliquid velle vel nolle. Quasi igitur in Deo parturiente in misericordia ad redintegrandum fractum virginitatis signaculum, obstetricando, imo obstando, justitia decretorum suorum ostia ventris claudit, et ne de vulva egrediatur, aut genibus excipiatur, aut uberibus lactetur, aborsum facit, ne de corrupta incorrupta iterato pariatur, sicut de baptismo legitur : *Nunquid*, ait Dominus, *homo cum sit senex potest in ventrem matris suæ iterato introire et renasci?* (*Joan.* III.) Vicaria denique vicissitudine justitia in partu suo, refellente misericordia, non dissimiliter periclitatur, cum volens vituli fabricatores delere, ait Moysi : *Dimitte me ut deleam multitudinem hanc, faciamque te in gentem magnam* (*Exod.* XXXII). At Moyses gladium divinæ animadversionis tenens, et in vaginam mansuetudinis solitæ refringens respondit : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti* (*Ibid.*). Sic quasi quod voluit Deus non valuit, propitiabilius se inclinans servi fidelis amicitiæ, quam ingratissimi populi genuissimæ culpæ. Et notandum, quia triplex est corruptio, aut corporis tantum, aut animi tantum, aut simul corporis et animi. De prima dicit Hieronymus : « Finge tempore persecutionis aliquam virginem prostitutam : corrupta est in lege, incorrupta in Evangelio. De secunda Apostolus : *Timeo ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate fidei* (*I Cor.* XI). De tertia idem Apostolus : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (*I Cor.* III). A nullo tamen genere corrupta mundatur, nisi Deus misereatur. Si autem tanquam vasculi sui fracturam quamcunque manus tornatiles resarcire voluerint, poteritne plus negligentia, vel impotentia, quam Dei omnipotentia? Absit! Sane id solum non potest Deus, quod se non posse vult. Quis infinitæ detrahet potentiæ, etiam voluntate corruptam mutata voluntate posse facere, si voluerit, incorruptam, aut coronare tanquam incorruptam? Dictum est ergo non pro diminutione divinæ potentiæ, sed pro commendatione sanctissimæ pudicitiæ, Deus non valet, id est non vult, post ruinam coronare corruptam. Hæc spica de agro Booz sorti nostræ obvenit, salvis messorum grandiusculis acervis. Extremam apponimus manum ad Samsonis nostris problemata multis sindonibus involuta, neque parvo pretio resignanda. Habeant, inquiens, Galli de Anglica quæstione quod ruminent, et Angli de Gallicano hausto quod petissent. Sicut enim potus est Dagon Angliæ, sic Baal est cibus Galliæ. Malus potus, malus cibus, mala inebriatio, mala ructatio. Singulum horum suis cultoribus patrat gehennam. Quam ergo simul inferrent pœnam? Si de refragatione conceptionis agis, aut de impossibilitate reparandæ conceptionis, fornace et sufflatorio utcunque sufficiente, capita et membra omnia idolorum frustratim comminuta, atque in pulverem conflata, sive in cibum, sive in potum, ab Anglis et Gallis jamjam absumi possunt. An itaque sitis Anglica et fames Gallica refectæ tali cibo et potu conquiescent? Non credo, quia et sitis perpetua, et nostra fames continua. Furemur autem per disciplinam, et conflemus per abstinentiam, quod superfluum est in cibo et potu, tanquam idolum patris nostri Adæ, quod de ligno scientiæ boni et mali confl tum est, unde ipse et Eva saturati, dimiserunt reliquias parvulis suis, quas sorte missa diviserunt inter se Angli et Galli, ut illi humilioribus resolverentur, isti solidioribus suffocarentur. Nisi vera scriberem, meum *Confiteor* dicerem. Attamen quia veritas odium parit, digito compesco labellum, et interim nova tonitrua, et fulgurationes Nicolai mei humo absconditus formido. Vale, et ora pro me.

EPISTOLA CLXXII.

NICOLAI MONACHI S. ALBANI AD PETRUM.

[IX, 9.] Nicolaus monachus Sancti Albani, Petro abbati Sancti Remigii (75).

Invectionis palliatæ saturatus opprobrio, et ironico crapulatus a vino, vere putabam me missionem accepisse, et fœdus jam cum silentio pepigisse. Quid senserim sane de privilegio singularis integritatis in virginem Virgine scripseram, et metam ibi fixeram : et ecce meus Petrus de nova materia novum suscitat ex insperato bellum, et omnes Virginis domesticos provocat ad indignationem, et doctos in lege Domini ad præsumptionis minus Catholicæ contradictionem. Quandiu tractabatur de articulis, qui sic vel aliter poterant intelligi, sana utrinque fide, dissimulabam, et animus noster si concepit non peperit dolorem. Nunc autem cum tuba canitur, quod Virgo peccatum senserit, et sentiendo debellaverit, non dissimulo, non patienter ago, vix manus teneo, quin in publicum hostem irruo. Sed priusquam pro communi omnium Virginis domesticorum indignatione respondeam, lapidem offensionis et scandali petram contueor, quæ in nostra epistola invenit, qui nodum in scirpo sæpius quærit; et prava privatæ læsionis in directa, et aspera redigam in vias planas. Lapis itaque lapidem offendit in eo quod dixi : *Virginis ipsius animam pertransivit gladius, non solum olim in Filii passione, sed etiam nuper in conceptionis suæ condemnatione, et ironico typo subsannans hic bonum dormitasse Homerum Aristotelico more sic logicat. Esto, nostra placent ei obsequia, nunquid passibilis est adhuc ejus anima? Fides supplet irrefragabilem*

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(75) *Nicolaus mon. S. Albani.* Refutat Petri Cellensis epistolam 171, pugnatque pro immaculata B. Virginis Conceptione.

conclusionem, ut vera impassibilitas et immortalitas nullas admittat molestias.

Miror, et indignor virum ecclesiasticum, in divinæ Scripturæ figuris exercitorum, has loquendi figuras ignorare, vel earum scientiam dissimulare. Nonne legitur Deus zelans, irascens, pœnitens, dolore cordis intrinsecus tactus, antequam fuerit humanatus? Nunquid ideo ejus divinitas sensit passionum molestias, quia nostro more de ipsa loquitur Scripturæ auctoritas? Nunquid angelos sollicitudo inquietat, quia leguntur securi de sua, solliciti de nostra gloria? Tanta est hujus tropi copia in divina pagina, quod ipsa abundantia generat inopiam. Pauca igitur de multis sapienti sufficere debent in tam plano articulo. Ad petram vero scandali de corde vestro tollendam plusculum est immorandum, qui res exigit ut palam faciam quod celare proposueram. Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione, et post eum verborum jacula emittere, quondam sanctorum Catalogo ascriptus, nuper est in Ecclesia canonizatus (76), et ab humano judicio exemptus. Exemptus, inquam, est, ne de gloria ejus dubitemus; sed non ut minus de ejus dictis disputemus. De gloria beati martyris Cypriani beatus Augustinus non dubitat, tamen in Spiritus sancti datione eum errasse verissime comprobat. Errorem martyrio deletum scribit, et sic docuit Ecclesiam venerari martyris gloriam, ut tamen non imitaretur errorem. Ego autem, etsi dissimili scientia, simili tamen conscientia, sic veneror beatum confessorem Bernardum, ut laudem et amem ejus sanctitatem, qui nec amem, nec laudem ejus præsumptionem in matris Domini conceptionem. Et ne putes me magis pertinaci quam bona conscientia dicere quæ dico; audi quid ab ipsis Cisterciensibus vera religione præditis, et Virginem in veritate diligentibus, acceperim de sancto Bernardo, quorum nomina abscondo sub modio, ne odiosos faciam fratrum suorum collegio. In Clarevallensi collegio quidam conversus bene religiosus in visu noctis vidit abbatem Bernardum niveis indutum vestibus, quasi ad mamillam pectoris furvam habere maculam. Quem ex admiratione tristior alloquens. Quid est, inquit, Pater, quod nigram in te maculam video? et ille: Quia de Dominicæ nostræ conceptione scripsi non scribendo, signum purgationis meæ maculam in pectore porto. Frater visa conventui innotuit, et aliquis fratrum in scriptum redegit. Relatum est in generali Cisterciensi capitulo, et de communi consilio scriptum periit incendio. Maluitque abbatum universitas Virginis periclitari gloriam, quam sancti Bernardi opinionem. Non sic Paulus, non sic; qui se blasphemum et injuriosum inclamitat, ut Redemptoris gloriam amplius extollat. Et certe, ut credo, ea ratione sanctus in propria persona viro simplici et de talibus nil scienti apparuit, et culpam suam innotuit, ut totius Cisterciensis capituli discretio deprehenderet eum velle suum errorem damnari, et virgineæ conceptionis gloriam prædicari. Igitur si ego publico, quod ipse, ut credo, publicari voluit, hoc non est ejus famam extenuare, vel gloriam evacuare, sed ejus voluntatem super delicti sui pœnitentia exprimere. Porro facto levi per purgatorium transitu, intravit in gaudium Domini sui, qui in diebus suis sanctitate venerabilis, opinione singularis, eloquentia suavis, et signorum innovatione, immutationeque mirabilium exstitit mirabilis. Hæc ego de beatissimo abbate Bernardo.

Nunc de statera mea, quæ in hoc, ut scribitis, videtur mentiri quod dixi: Virgo singularis vicit omne peccatum, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo. Quod non omne debellaverit, testimonium perhibent, homicidium, adulterium, furtum, et horum similia multa peccata, quæ ejus affectum nunquam momorderunt, ejus memoriam nunquam contaminarunt, ejus denique opinionem nunquam læserunt. Testimonium etiam perhibet conscientia petrina, quæ, etsi cotibus sit durior, hanc tamen abhorret duritiam, quam totus mundus abhorret. Os enim aliter sentiens non solum est obstruendum fimo, sed lapide conterendum durissimo. Quod nullum prorsus senserit peccatum Virgo peccati destructrix, hoc videtur sentire beatus Augustinus, ubi inhibet Virginis mentionem in peccati mentione. Hoc videtur sensisse et prophetico spiritu prædixisse David, ubi Verbum incarnari desiderans, dicit: *Surge in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* (*Psal.* CXXXI). Surgere enim Verbi, fuit ab occulto suo prodire in nostrum publicum, invisibilem fieri visibilem habitu carnis indutum. Incarnatum itaque desiderat surgere in requiem, quam signanter dicit suam, ut a communi hominum requie distinguat, quam idem David designat alibi: *Convertere*, inquiens, *anima mea in requiem tuam* (*Psal.* CXIV). Requies animæ humanæ in hac vita est, vel devicta, vel sopita carnis contradictione, sensualitatem rationis imperio de facili obedire. Verbi vero incarnati requies est, in carne nullam carnis contradictionem, nullam membrorum legem menti repugnantem sentire. In hanc igitur requiem suam surrexit Verbum, incarnatum, et non solum Verbum sed et arca sanctificationis suæ, videlicet mater sua, de qua, et in qua est Verbum incarnatum. Sicut enim in cœlo, qualis Pater, talis Filius; sic et in terra, qualis Filius, talis Mater, non dico de Spiritu concepta, ut Filius, sed de Spiritu repleta et sanctificata ex utero matris, ut Filius. Quod quidem sensit et scripsit, quem laudas auctorem in præsenti, abbas Bernardus. Inde quippe dies Nativitatis non Conceptionis virgineæ diem haberi solemnem, quia quæ in peccatis concepta est, ut universum genus hominum, sine peccato nata est, ut pauci hominum. Si igitur sine peccato nata

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(76) *Nuper canonizatus.* Ab Alexandro III Anagniæ anno 1174, post ipsius obitum 20.

est, consequenter sine peccato conversata est. Si sine peccato conversata est, consequenter sine sensu peccati ex hoc mundo ad patrem assumpta est. Sed dicis, eam sine peccato sensisse peccatum. Fateor me nescire quid velis dicere. Nam exempla sentiendi, quæ proponis, nullius sunt auctoritatis, et ideo nullius ponderis. De cætero omnia exempla quæ ponis, solis sensibus corporeis comprehenduntur. Possunt enim videri, audiri et tangi, et forte olfactu et gustu percipi. Et licet quinque sint corporei sensus, tamen non dicimus, sentio ignem quia video, nec sentio aerem quia audio, nec sentio lapidem gustu : forte picem sentio olfactu, sed de sensu olfaciendi nihil ad sensum peccati. Proinde omnia quæ posuisti sentire te dicis, quia tangis. Si igitur Virgo sensit peccatum, cum peccatum tripliciter accipiatur in sacro eloquio, videlicet pœna peccati, culpa peccati, hostia pro peccato : utrum hæc omnia, an duo, an unum tantum senserit, vellem tuo edoceri magisterio. Si enim sic intelligis; sensit peccatum, id est pœnam peccati; sic et ego intelligo. More quippe nostro esurivit, sitivit, friguit, et multis tribulationibus decocta, nostris calamitatibus subjacuit, et ex talium in Christo patientia, multimoda meritorum prærogativa efloruit, absque his quibus intrinsecus quotidie proficiebat : nova videlicet virginitatis dilectione, singulari Dei contemplatione, incompatibili proximi charitate, tota virtutum omnium pulchritudine, nulla maculæ vel levissimæ turpitudine. Nam cum meritorum nostrorum summa consistat in patiendo pro Christo, et in diligendo Christum; Deum videlicet, et proximum nostrum : in his duobus excitata est ad plenum agonista nostra ante adventum Verbi in uterum ejus; ut nec ei deesset vel cum carne, vel cum hoste certatio, nec pacatissimi animi contemplatio. Proinde dispendium merendi non sustinuit, quæ tot tentationibus exposita, gratia, qua ante obumbrationem plena, et Dominus cum ea fuit, omnes debellavit, et omnes superavit. Dispendium, inquam, merendi non sustinuit, quæ in dies operatione proficiens pariter et amore, optimam Mariæ partem adimplevit, et Marthæ sollicitudinem p r ætatis teneritudinem non exclusit. Quod si intelligis, sensit peccatum, id est sensit culpam peccati, more nostro legem membrorum sensit, motus pudendos sensit, picem titillationis sensit, et inquinata est ab ea, quod absit !

Ivo (77) venerabilis Carnotensium episcopus in Chronicis suis scripsit, duodecimo anno ætatis suæ Virginem ab archangelo Gabriele salutatam, et a Spiritu sancto obumbratam : infra quem ætatis annum non permittit natura moveri pubescentium genitalia. Terminus igitur pudendi motus in Virgine a Spiritu sancto præventus reliquit nos dubios, utrum a die conceptionis, an a die nativitatis, an certe a die superventionis Spiritus] sancti in Virgine, Virgo liberata sit a contradictione carnis pudenda. Unde et Augustinus dubitative de Christo dixit : Quod inde suscepit, aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit. Sed modis omnibus constare nobis debet, quod Virgo singularis nunquam in carne, in qua et de qua Christus homo factus est, motum illicitum sensit, nunquam legem membrorum sensit, nunquam quod non voluit egit, nunquam sensit quod sentire non decuit. Cum igitur ante duodennatum ex naturæ beneficio, post duodennatum ex gratiæ dono peccatum sentire non potuerit; quando sensit et sentiendo debellavit Virgo peccatum, quæ aliis temporibus in terris non vixit ? Si de Salomone et Achaz das instantiam, qui undecimo ætatis suæ anno genuerunt filios, scias quia singulare privilegium non facit legem communem; vel certe, quia reprehendit eos Scriptura de incontinentia, potuit fieri ut obscenis motibus genitalium infirma irritarent, et pudoris claustra rumperent, et de animi sui perversitate jura suæ naturæ inolita perverterent, non communem hominum naturam exterminarent. Radicatus et fundatus in montibus sanctarum auctoritatum, da sanctam auctoritatem, quæ perhibeat Dominam nostram sensisse peccatum, quæ ita distinguat sensum peccati, videlicet in ignis, in picis, in lapidis, in aeris sensum; et errasse me fatebor. Quod si non occurrit, qua fronte audes fingere nova commenta in tantam virginem? qua dementia infamare sensum genitalium, quæ Salvatorem pudoris titulo fuderunt? Quæ prærogativæ distinctio inter singularem Virginem et alias sanctas virgines, si peccatum sensit ut aliæ, sed non consensit peccato, sicut nec aliæ? Quo gratiæ merito præminuit, ante virtutis obumbrationem dico, si ipsam cum universo hominum genere exclamare necesse fuit : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* (*Rom.* VII.) Parcius novas in Virginem adinventiones de spiritu tuo cudere debuisses, quam de Spiritu suo Deus Pater tam gloriose fecundavit. Si ergo aliquid scribo de Virgine, quod non legerim in canone, laudem tamen sapit Virginis, laudem et Filii Virginis : et occasione scripturæ canonicæ, vel vera scribo, licet occulta, vel verisimilia et ipsa Catholica. Præsumuntur multa de Virgine, quæ nusquam leguntur; et præsumptionibus standum est, donec probetur in contrarium. Singularis Virginis privilegium non habet similitudinis consortium. Non solum singulare est, quod Virgo concepit, sed et quod Virgo sola et prima in Israel virginitatem adamavit. Non solum inauditum, quod Virgo peperit, sed et quod Virgo cito Angelo credidit et de facto non dubitans modum conceptionis inquisivit. Et in hunc

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(77) *Ivo in chronicis suis.* Non exstant hæc Chronica Ivonis. Et quidem veterum fere omnium, recentiorumque est sententia, Mariam Virginem non duodecimo, sed decimoquinto ætatis suæ anno Christum Dominum concepisse.

modum distingue inter Virginem nondum matrem, et Virginem jam matrem, ut singulari utrobique cæteris virginibus prærogotur privilegio, quæ singulariter nondum mater, Angelo testante, gratia plena fuit; et singulariter jam mater Spiritus sancti sacrarium exstitit, quæ nondum mater, quasi lana candidissima, nullius peccati sensu maculosa fuit, et singulariter jam mater, quasi purpura sanguine conchylii tincta, ita Spiritu sancto compluta et madefacta fuit, ut nullis de cætero usibus manciparetur, nisi divinis. Multa in hunc modum occurrunt differentiarum genera, quibus Virgo nondum mater differt a se Verbi matre, licet nunquam peccatum senserit, vel nondum mater, vel jam mater. Vellus quippe, cum sit de corpore, ut ait Hieronymus, corporis non sentit passionem; sic et nostræ Virginis virginitas, cum sit in carne, non sensit vitia carnis.

Sed dicis : Multiformiter peccatum sentitur : aliquando cum peccato, aliquando sine peccato. Sine peccato sentitur, sicut aer. Hoc exemplum nullius est auctoritatis, ut dictum est, sed nec intelligentis expressivum. Aer quippe sentitur aliquando intensius, aliquando remissius, secundum motus sui impetum, vel leniorem vel asperiorem; et durior est aeris frigidi sensus asperior, quam ignis tepidioris levior, vel lapidis, vel picis remotior. Ea propter me non movent exempla, quæ tam remota sunt a re, ad quam explicandam sunt inducta. Recurramus itaque ad sensum Ecclesiæ, et secundum quod ipsa sentit de sensu peccati proferamus in medium, et videamus quo sensu Virgo potuerit sentire peccatum, sine sensu peccati. Cum igitur peccatum ecclesiastico sensu tripliciter dicatur, ut dictum est, videlicet pœna, culpa, hostia, jungamus primo singula singulis, deinde singula omnibus, ut experiamur qua conjunctione verum sit, peccatum sentiri sine peccato, et tandem deprehendamus, utrum veritas æquivocæ conjunctionis obviet clausulæ univocæ acceptionis, qua dicitur : Virgo vicit ex omni parte peccatum, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo. Attende, rogo, si virgo pœnam peccati sensit sine pœna peccati, si culpam peccati sensit sine culpa peccati, si hostiam sine hostia sensit : et doce quomodo hæc possint fieri. Quod si non occurrit, attende si culpam sine pœna, vel sine hostia sensit, si hostiam sine pœna, vel sine culpa, sensit; et doce quæ Scriptura hæc doceat, et quid utilitatis in præsenti disquisitione habeat. Perpende denique, quod Virgo pœnam peccati sensit sine culpa peccati : et hoc sensu forte fieri potuit, quod peccatum sensit sine peccato, cum peccatum æquivoce pœna dicatur et culpa peccati. Sed hic sensus in nullo derogat clausulæ, quæ Virgo perhibetur omne vicisse peccatum, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo, quia in ea univoce ubique peccatum pro culpa peccati accipitur. Ipsa quippe culpam peccati, videlicet concupiscentiam, et cætera quæ simul sunt et pœna et culpa peccati, ex omni parte vicit, quod horum omnium nullum omnino sensit. Nam serpentis sibilatio foris fuit per suggestionem, non intus per titillationis pruriginem. Nec decuit illam carnem titillari, per quam meruit omnis caro a damnatione titillationis purgari. Non decuit illam carnem inordinate moveri, de cujus propagine ordinis disciplina demanavit; et omnem mundum sub justitiæ moderamine colligens ad vitam æternam reformavit.

EPISTOLA CLXXIII,

PETRI AD NICOLAUM.

[IX, 10.] PETRUS Carnotensis electus NICOLAO (78) S. Albani monacho.

Epistola tua multifarie dentata, dum me acerrime mordere intendit, dentes suos in semet elisos non injuria collidit. Acutos equidem formido, sed putres contemno. Subtiliter syllogizas, vel forte paralogizas; sed fallaciter concludis. Nostram irrides simplicitatem, nec mirum; non enim tenes veritatem. Contra legem fratris tui turpitudinem revelas, non quæ est, sed quam fingis. In humanis certe mentiri vereor, quanto magis in divinis? Credo, dico, assero, et juro, beatissimam Virginem nostram in æterna prædestinatione singulari privilegio munitam, nec a sua conceptione in aliquo violatam; sed semper mansisse et permansisse illibatam; et sicut beata ultra humanam et cæterorum hominum naturam, sic secreta et incognita manet ultra omnium notionem. Quamvis autem more vervecum ad invicem nostra tentaverimus cornua, et verborum diversos hinc inde protulerimus sonos; tamen unus et simplex oculus utriusque nostrum in ejus obsequio et famulatu nunquam caligavit; sed] neque Deo volente caligabit. Ut autem gustus cibum discernit, et alius plus salis, alius minus exigit; sic sensus humanus quandoque austeriora, quandoque dulciora appetit avidius. Profert alius absque pondere rationis, seu auctoritatis quod ei placuerit; recusat alius quidquid sale evangelico aut prophetico conditum non est. Est alius utilior, dulcior alius. Ego utilem dulci præpono. Solas fauces magis demulcet dulcis; omnibus membris utilis plus confert. Tu verba dulcia, ego utilia quæro. Tu jocunda, ego salubria et confortantia. Seriis itaque intendamus. Quædam tamen seria jocosa aliquando non respuunt, imo libenter admittunt, quædam vero sic respuunt et expuunt; quod etiam anathematizant et suspendunt. Reginæ Dominæ nostræ beatissimæ Virginis Mariæ obsequia venerationem postulant, non adulationem; maturitatem, non scurrilitatem; cordis devotionem, non oris verbositatem; secreti admirationem, non publicam

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(78) *Petrus Carnot. Nicolao.* Respondet epistolæ præcedenti, atque ita de B. Virginis laudibus disserit, ut satis appareat illum, quamvis in dispari de festo Conceptionis sententia; non impar tamen erga illam venerationis studio fuisse.

discussionem Uterque nostrum currit post ipsam, et utinam ad ipsam. Ut credo, una intentio animos parificat; sed varietas sermonum, utpote linguæ diversæ, sensus Scripturæ salva fide alternat. An scientiores, an sapientiores sumus Augustino et Hieronymo? Nonne in fide unanimes, in religione concordes, in charitate ferventes, in scientia Scripturarum sublimes, in auctoritate pares, in quibusdam sententiis valde sunt dispares? In Epistola ad Galatas sic legitur : *Cum venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat. Cum autem venissent, subtrahebat, et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant*, etc. (*Gal.* II)

Hieronymus defendit Petrum dicens, invitum fecisse, et dispensatorie simulasse, ne scilicet Judæos amitteret, nec in hoc peccabat, quia bona intentione id agebat. Augustinus econtra dicit Petrum illa legalia servasse non dispensatorie, sed vere; et eum vere peccasse, non illa servando, sed alios suo exemplo Judaizare cogendo. Ecce cedri Libani, ecce sublimes abietes alio et alio impulsu, aliter et aliter sentiunt, sed in charitatis radice nunquam dissentiunt. Unusquisque autem in suo sensu abundat. Nequaquam enim in articulis fidei, in iis, qui sunt duæ olivæ et duo candelabra ante Deum lucentia, error innascitur, pro quo alter periclitetur. Non itaque mirum, si nos stipulam siccam ventus rapiat in diversa. Si tu tendis honorare Virginem, hoc ego collaudo; si contendis defendere incircumcisum sermonem, istud non approbo. Incircumcisus autem sermo est, qui originale præputium trahens de ventre sensus humani arbitrii, cultro petrino non amputatur ad regulam evangelicæ auctoritatis. Si omnes sermones superfluos communicarem, et huic nostro scripto insererem, nemus juxta altare complantarem. Salvo nomine et numine sacratissimæ Virginis, verbale duellum non recusarem, si vacaret legere, si scribere, si arma quærere in scutariis Salomonis. Si aures et oculos suos clauserit Domina nostra, et nænias disputatiuncularum nostrarum nihili penderit, in cavernis suis Anglum Francigena conclusum et ligatum usque ad tempus mille annorum consignabit. O magister doctissime! dormiens, an vigilans, tubam canentem audisti, quod Virgo peccatum senserit, sentiendo debellaverit? Quam sis dolosus interpres in occultis, patet in apertis. Nam stylum vel calamum nostrum appellas tubam. Sed tubæ officium est vocem exaltare, styli et calami in silentio scribere. Sis ergo Davus, qui interturbat omnia. Quo autem sensu dixerim Virginem peccatum sensisse et debellasse, et si tu arreptus in tanto furore, quod vix manus contines, non potes patienter audire, qui nostra legerit scripta, favore et odio postpositis, audiat, et in statera æquitatis diligenter appendat. Ne vero auctoritate nudus circa Goliath ad bellum congrediar, antepono scutum auctoritatis qua dicitur : *Inimicitias ponam* A *inter te et mulierem*, etc. *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (*Gen.* III).

Quæ est hæc mulier? Virgo, quæ pro sexu, non pro corruptione, mulier appellatur. Quod est ejus semen? Jesus, in quo benedicentur omnes gentes. Quæ sunt illæ inimicitiæ? Lege Apocalypsim Joannis : *Postquam*, inquit, *vidit draco quod projectus est in terram, persecutus est mulierem* (*Apoc.* XII). Ecce Virginem Mariam. Evangelium docet, quod draco malignus in Herode, sicut aliquando in serpente, quærebat occidere Jesum filium hujus sanctissimæ mulieris. Quare Joseph cum matre et puero, monitus ab angelo, secessit in Ægyptum, tanquam in locum desertum. Luce clarius ad verbum exponit hoc sermo qui legitur in nativitate ejusdem Virginis, B ubi dicitur : *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, etc. Quid est, fratres, inquit auctor in hoc loco, serpentis caput conterere, nisi principalem diaboli suggestionem, id est concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quæritur, quæ mulier hujusmodi victoriam operata sit; profecto non reperitur in linea generationis humanæ, donec perveniatur ad illam, de qua nunc agimus, sanctarum Sanctam. Surdus es, si non audis; cæcus, si non vides; mutus, si non clamas; infidelis, si non credis; contumax, si adhuc contendis. Vade ad natatoriam Siloe, et lava oculos, et vide quomodo verum sit, quia sensit peccatum sine peccato. Sensit equidem, non ad læsionem, sed ad probationem; sensit, non succumbendo, sed superando; sensit extrinsecus, non intrinsecus; sensit hoste suggestionem jaciendo, non carne delectando, vel spiritu consentiendo; sensit propulsando, non excipiendo, vel admittendo. Quis nostrum magis honorat Virginem, qui illam prædicat absque certamine felicem, an qui in certamine fortem? *Nam mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus* (*Prov.* XXXI). Apostolus ait : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II). Spiritus in Apocalypsi dicit : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi* (*Apoc.* XI). Item : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis* (*Apoc.* III). Item : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei* (*ibid.*). Item : *Qui vicerit, dabo ei sedem mecum in throno meo* (*ibid.*). D

Virgo nostra sedens juxta sedentem in throno gratiæ filium suum Jesum, loquitur omnes victorias, quas obtinuit non dormiendo, sed vigilando; non otiando, sed pugnando; non fugiendo, sed resistendo; non cadendo, sed cædendo. An mater felicior filio, an sanctior? an fortior? an gratia plenior? Sed ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo; sed dicit illum Apostolus tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Qui tentatur nonne sentit tentationem? Est autem modus sentiendi secundum virtutem non tentantis, sed tentati; debilis, debilior, debilissimus effectus sentiendi, secundum affectum et virtutem sentientis. Non enim quisquam potest judicare quid sentias

nisi tu qui sentis. Hucusque satis sit de tuba, quam fecisti et sonuisti. Nunc autem ut ad singula epistolæ tuæ capitula, quibus meam, quam et ego confiteor, arguis insipientiam, respondeam, spineta tua sicut hinnulus cervorum transilio. Sed me non ignorare tropos divinæ locutionis assero : tuos vero in terra conculco. Denique compatior insolentiæ tuæ, qui de excellentissimis nostræ Virginis montibus ad profundissimam vallem descendisti, ne dicam corruisti. Licet enim in ista nihil fit verecundum, ubi omnia et singula ejus membra luna sunt puriora, et sole clariora ; tamen nostræ fragilitatis teterrima memoria, cum audierit nominari genitalia, vix a sua excutietur palude, vix incipiet non solita cogitare. In Virgine igitur talia sacrosanctis cortinis potius volo honorando involvere, quam nudis nominibus et manibus contrectare. Virgo certe virgineis verbis et sancto velamine consecratis delectatur affari. Parco epistolæ meæ tua inserere verba, quæ tamen non pateo reprehendere. Finem facere festinabam ; sed novum tuum decretum prius volo discutere, et ex quo consilio promulgatum sit requiro.

Sicut, inquis, *in cœlo qualis Pater, talis Filius, sic in terra qualis filius, talis mater.* O Domina ! ignosce dicenti quod displicet tibi. Nonne tu filii tui, licet mater, tamen ancilla ? Nonne sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi tui in manibus Domini Filii tui ? Non adæquabitur ei aurum de Æthiopia, nec conferetur tinctis Indiæ coloribus, quia non est inventus similis ei super terram, qui unus et unicus est, et secundum non habet. Sufficit tibi, a dextris ejus stare, non æqualitatis, vel qualitatis comparatione, sed gloriæ et beatitudinis stabili et æterna copulatione. Datis jam dextris pacem habeamus ad Dominam nostram, cujus tu adjutor, ego assertor, cujus tu zelator, ego amator. Suum in laude Virginis expendere ingenium et studium nec improbabile est, nec irremunerabile. Ungulam tamen, et in hoc, et in omni actione nostra et intentione, findere auctoritas jubet et ratio suadet. Discernere autem quid et quomodo debeas laudare, ungulam est findere. Qui alterum postponit, officium laudationis aut pervertit aut prorsus amittit. In modo erras, si supra, vel infra, aut extra metas veritatis quemlibet laudas ; in persona, si laude indignum laudare velis. Ut ad rem veniam, tu effers nostræ Virginis laudes, ego vero offero. Tu in aere evolas, ego interim dum in terra sum, pedibus curro. Tu præcipitas verba, ego dispono sermones meos in judicio, et in statera appendo. Tu acerbam et immaturam vindemiam, ego in imbre matutino et serotino jam matura poma nova et vetera ad mensam comporto. Virginem laudas, et ego laudo. Prædicas sanctam, et ego. Extollis, super choros angelorum, et ego. Dicis immunem ab omni peccato, et ego. Asseris Dei genitricem, astruis nostram ad Deum mediatricem, et ego. Versa et reversa in quolibet statu venerationis et glorificationis, tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communitis monetæ formam vis fabricare aliam, quam non approbaverit sedes Petri, cujus est approbare, vel improbare ordinem universalis Ecclesiæ, pedem sisto, et terminos constitutos non transgredior. Credo et confiteor plura esse apud nos ignota de Virgine sacrosancta, quam nota, quia confortata est et gratia et gloria, et non possumus ad eam. Evangelio, non somniis, de illa credo, et si aliter sapio, et hoc ipsum revelabit Deus, quando voluerit, et quomodo voluerit. Interim autem dum fit vox super firmamentum, nec descendit ad nostrum fundamentum, pennas submitto, et meæ ignorantiæ caliginem non a te, sed a Patre luminum illustrandam imploro. Si ferrum de manubrio elapsum te in aliquo læsit, da veniam, eamdem a me recepturus indulgentiam. Ora pro me, amice charissime, et utinam facie ad faciem viderem te, quem scriptorum tuorum bene ornatus habitus non semel præstitit audire.

EPISTOLA CLXXIV.

AD CAPITULUM CISTERCIENSE.

[IX, 8.] Petrus Carnotensis (79) electus capitulo Cisterciensis.

Sancta sanctorum studia impedire non minoris æstimo culpæ, quam angelica et divina negotia interrumpere. Tanti vero reatus pœnam timeo incurrere, si vos ad divina et in divinis occupatos, vanis et superfluis tentavero verbis retinere. Excusat tamen quandoque urgens necessitas ingerentem se importunitatem, quando etsi reprimit ad modicum festinationem, non premit aut deprimit penitus necessariam operationem. *Utinam*, inquit Apostolus, *sustineretis modicum quid insipientiæ meæ !* (*II Cor.* XI.) Non arguitur insipientiæ formica, quæ sibi præparat escam in æstate. Non arguitur insipientiæ villicus iniquitatis, qui fodere non valens et mendicare erubescens, fecit sibi amicos, qui receperent illum in æterna tabernacula. Non ad insipientiam est mihi, si non de mammona iniquitatis, sed de supplicatione humilitatis, et debito fraternæ charitatis interpello dominos meos et fratres charissimos, quatenus me commemorent inter sui gaudii socios, et futuræ exspectationis amicos. Recolat igitur sanctissimum vestrum collegium, unum me esse de alumnis beatissimi Bernardi, cujus merito Cisterciensem ordinem Deus usque ad mare et ultra dilatavit, et usque ad nubes, ut istæ quæ adhuc supersunt reliquæ testantur, magnificavit. Inter cætera sua beneficia contulit mihi superna gratia, eo vivente, adfuisse in his castro-

JACOBI SIRMONDI NOTÆ.

(79) *Petrus Carnotensis electus.* Post Joannem Saresberiensem, ut dictum est epistola 105. Supplementum Sigeberti anno 1182. *Obiit Joannes Carnotensis episcopus, et successit ei Petrus, qui fuerat abbas S. Remigii Remensis.* Ante hæc autem abbas fuerat Cellensis, superstite adhuc S. Bernardo.

rum Dei convenientibus et commendatum, atque receptum tam beneficiis quam orationibus. Translato etiam ipso ad cœlestem curiam, semel adivi dominos meos et fratres charissimos, replicans et inculcans societatem et charitatem antiquitus indultam. Prostratus itaque, licet absens, pedibus totius sanctæ hujus congregationis, semper exspectatum et expetitum, nec non etiam expetendum imploro suffragium. Vester fui, vester sum, vester semper ero. Alienos ad sinum suum colligit vestra charitas, et me leonibus, lupis, ursis, et malis bestiis indefensum exponitis? Cellensem enutristis, Remensem amastis, Carnotensem projicietis? Ubi major necessitas, ibi expirabit charitas? ubi summum periculum, ibi nullum subsidium? ubi descendes a Jerusalem in Jericho semivivus relinquitur, post sacerdotis et levitæ negligentiam, Samaritani pectus indurabitur, ne oleum et vinum vulneribus sauciati infundantur? Absit ut fons olei arescat, ut lecythus olei in sancto ordine vestro deficiat. Certe si in vobis defecerit sanctus, mundus remanebit immundus. Non esset dolor angelis Dei, sicut dolor iste. Pax itaque æterna et gratia sit vobiscum. Amen.

EPISTOLA CLXXV

AD GRANDIMONTENSES QUOSDAM, UT IN ORDINE CISTERCIENSI PERMANEANT ADMONET.

[IX, 12.] Ut breviter tumultuosis et scrupulosis cordis vestri quæstionibus super professione facta, tam in ordine Grandimontis, quam in Cisterciensi, respondeam, id mihi videtur, quod fidem promissi non lædit qui solvit, quod promiserit, is quoque gratiæ meritum superaddit, qui plus solverit quam ex voto debuerit. Non est meum ordines sanctorum judicare, neque meis stateris merita illorum appendere. Suo domino stant, aut cadunt, stant autem. Opinionis tamen meæ est, plus rigoris, plus justitiæ, plus severitatis, plus etiam discretionis esse in ordine Cisterciensi quam in illo, qui mihi incognitus est, et de quo propter incertitudinem nullam præcipitare audeo sententiam. His omissis, ranas et muscas inquietantes penetralia cordis vestri utinam abjicere, vel potius exterminare brevi admonitione possem! Non ignoro, apud Aristotelem dubitare de singulis non esse inutile. Teneo autem apud Hippocratem, quod mutationes maximæ generant morbos. Dicit Gregorius, quod plantæ, quæ sæpe transponuntur, radices non mittunt. Paulus anathematizat qui aliud evangelium prædicaverit, quam quod ipse prædicavit, etiam angelum de cœlo. Dominus noster Jesus Christus de Joanne Baptista dicit : *Quid existis in deserto videre? arundinem vento agitatam?* (*Matth.* XI.) In parabola quoque Evangelii, dum fatuæ virgines irent emere oleum, clausa est janua? Harum auctoritatum sensus hic est, ne instabiles simus, ne fluctuemus, ne omni vento circumferamur, ne dicamus, ecce hic Christus, ecce illic. Videte itaque vocationem vestram, et bases et plantas vestras statuite supra petram, et cum Job dicite : *In nidulo isto moriar, et tanquam palma multiplicabo dies* (*Job* XXIX). Rogo amicitiam et fraternitatem vestram, ut parcatis vobismetipsis, et pro certo sciatis, quia unum ad salutem sufficiens est et necessarium, Deo se committere, nunquam cum Deo disputare. Prælato in omnibus obedire, omnia sua onera humeris ejus imponere, et sufficientem responsalem in Dei judicio contra omnes adversarii allegationes tam veras quam falsas illum constituere; in simplicitate, non in subtilitate, Deum quærere.

EPISTOLA CLXXVI (80).

AD EOSDEM EJUSDEM ARGUMENTI.

(*Spicil.*, ed. in-4°, t. II, 447.)

Charissimis in Christo fratribus Willelmo, Petro, Widoni, Petrus Remensis spiritum consilii et fortitudinis.

Primum loquar tibi, frater Willelme, quia in te et propter te commota sunt viscera mea, turbatus sum a facie commotionis, dicam commutationis tuæ. Audieram enim propositum tuum, laudaveram fortitudinem, approbaveram discretionem, modo autem nescio quo spiritu exagitatus nutare cœpisti qui debueras esse columna immobilis, qui portaveras jugum ab adolescentia tua, et modo tandem ad frugem melioris vitæ, scilicet ad ordinem Cisterciensem veniens; levaveras te supra te. Timeo, dilecte, versutias illius qui transfigurat se in Angelum lucis; timeo ne in te mutetur color optimus; ne argentum imo aurum vertatur in scoriam; siquidem *cum immundus spiritus exiit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, et tunc assumptis septem aliis spiritibus nequioribus se redit in domum suam : unde et fiunt novissima illius hominis pejora prioribus* (*Luc.* II). Nec hoc quod a te exierit spiritus immundus, qui per gratiam Dei in te non fuit, sed quod a te magis elongatum, modo quadam mutabili tua levitate, et levi mutabilitate vicinior tibi fieri conatur; et qui, ut ita dicam, substantiam religionis, et sinceritatem zeli tui mundanis istis et manifestis immunditiis non potest corrumpere, quibusdam pessimis accidentibus, locorum, sicut et ordinum mutationibus, et occultis illusionibus nititur te absorbere. Quippe spem habet ut influat Jordanis in os ejus. Teste philosopho primum argumentum bene compositæ mentis existimo posse consistere, et secum morari. Discurrere enim et locorum mutationibus inquietari, ægri animi jactatio est, non enim coalescit vel convalescit planta quæ sæpe transfertur.

Quod autem de professione prioris voti moveris, nullum scrupulum habet. Auxisti enim votum, non fregisti; modo enim imples, et plenius adimplebis illud Davidicum : *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII). Quid plura? Credo, fateor et obtestor, quod de minori ad majus instinctu et inspiratione Spiritus

(80) Nova

sancti ascendisti, et quanto ascensus altior, tanto descensus, ne dicam casus, gravior. Proinde obsecro te, charissime, ego tuus Petrus jam ex solo auditu pro te usque ad effusionem animæ vulneratus, ne mihi dolorem super dolorem adjicias, ne clero, populo, et diabolo materiam risus præbeas, ne te moveas ne in felici ascensu ubi non est voti fractio, sed integratio, ubi non est metus, timeas.

Tibi, frater Petre, incognitus facie, absens corpore, præsens autem spiritu, et devoto corde consulo, et ad pedes profusus anxie et obnixe supplico, ut non obtenta pristinæ ad quam suspiras quietis te et alios inquietare incipias. Vera enim quies est in ordine Cisterciensi, ubi Martha Mariæ jungitur (*Luc.* x), ubi, juxta verbum Sapientis, et agenti quiescendum, et quiescenti agendum. Sane quod de priore quiete et otio objicis, ut pace tua loquar, ita sine quæstione omni procul est a ratione, ut responsione non indigeat : ubi enim plus silentii, plus jejunii, minus sollicitudinis mundanæ, et ideo plus contemplationis et sanctæ quietis, quam in ordine Cisterciensi? Quiescat ergo, quiescat ista tua commotio, et dum parvula est, allidatur ad petram, dum vulpecula parva est, capiatur, et in matutino occidatur, ne demoliatur vineam Domini, id est conscientiam tuam : ne sub obtentu cujusdam vanæ quietis, ad pisces, non dico Ægypti, et ad alia, non dico Pharaonis, videaris suspirare. Invalidæ sunt ad exprimendum quod super tuis et fratris Willelmi phantasticis illusionibus sentio, litteræ; sed tu cum fratre Willelmo ex paucis multa perpende : consilium meum est, imo ut paululum audacius loquar, sacræ Scripturæ mandatum, ut in ordine Cisterciensi sic curratis, sic in agone contendatis, ut bravium æternæ vocationis feliciter comprehendatis.

De te nunc. Wido, minus ad præsens sollicitus eum, tibi novissime non tanquam abortivo, sed quasi perfecto, cui non opus lacte, sed solido cibo sollicitati tuæ congratulans pauca scribo more matris, quæ magis anxiatur circa parvulum et debilem filium, quam circa fortem et perfectum. Tu ergo robustus in Domino alios conforta, viriliter agens, argue, obsecra, increpa; opportune, importune (*II Tim.* iv). Arduus quidem est ordo Cisterciensis, sed tendit in ardua virtus; siquidem juxta verbum philosophi

... Serpens nisi ardor arenæ,
Dulcia virtuti gaudet patientia duris.

Expergiscimini ergo gloriosi milites Christi, mementote quia transit mundus, et figura, et gloria, et omnis concupiscentia ejus. Valete. Magistrum Arraudum, fortem et prudentem Christi athletam salutat anima mea, et per vos orationum munus ab eo expostulat.

EPISTOLA CLXXVII (81).

AD LUDOVICUM REGEM.

(Duchesne, *Script. rer. Franc.*, iv, 678.)

Piissimo regi Francorum Ludovico, dilecto et illustri Domino, P. Dei miseratione ecclesiæ Sancti Remigii humilis minister, temporali felicitate felicitatem promereri sempiternam.

Mandastis mihi palefridum, qui ad opus vestri faceret, talem sane nullum habeo, sed habere quam citius potero non differam, nec dissimulabo. Quod si forte non potero talem invenire qui vestra dignus gratia videatur, hoc ipsum vobis remandare, et alio genere servitii recompensare, usque ad festum Sancti Andreæ sollicitus ero. Sciatis enim, quod ad serviendum vobis major mihi semper fuit, et adhuc est animus, quam facultas. Miror autem quo animo acceperitis servitia quæ vobis præterito anno exhibui, quippe cum necdum rescire potuerim, nec adhuc mihi innotuerit vos scire, vel gratum habere quod vobis miserim copiam quatuor marcarum, et Domino nostro rhedam trium equorum occasione vestri servitii et causa commodaverim, quos nunquam rehabui. Valeat excellentia vestra.

(81) Nova.

ALEXANDRI III PAPÆ

EPISTOLÆ LVI

AD PETRUM ABBATEM S. REMIGII ET ALIOS

(Harum epistolarum seriem, quam primus evulgavit Jacobus Sirmondus, jam edidimus inter Alexandri III Regesta, *Patrologiæ* tom. CC.)

PETRI CELLENSIS

ABBATIS

DEINDE S. REMIGII REMENSIS AC DEMUM EPISCOPI CARNOTENSIS

SERMONES

SERMO PRIMUS.

IN ADVENTU DOMINI I.

Veni, Domine, visitare nos in pace, ut lætemur coram te corde perfecto.

Pedibus calceatis, visibili specie, ad peccatores non solum discalceatos fide sed et dispoliatos beatitudine, nec non et vulneratos cupiditate, Salvator venit. Ut clarius autem intelligamus calceamentum Domini, totum habitum prout possumus discutiamus; curramus tamen primum ad textrinum sapientiæ, et a cœtu sanctarum virtutum in eo pulcherrimam et sanctissimam vestem contexentium quæramus, utrum jam Verbo incarnando telam vel tunicam præparaverint. Exhibe igitur, Rebecca, nobis vestes valde bonas quas domi habes (*Gen.* XXVII), ut his junior filius, secundum humanitatem indutus, benedictionem sive primogenita omnis creaturæ hæreditate possideat. Profer Moysæ vestem sanctam fratri tuo præparatam in gloriam et decorem in qua sanctificatus ministret (*Exod.* XXVIII). Aperi Maria vestiarium tuum ut stola byssina filius tuus circumamictus, offerat victimam quam nemo hactenus ausus est attrectare, ne dicam offerre, unde Apostolus: *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos : cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari deserviunt et umbræ cœlestium* (*Hebr.* VIII, 4). *Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide*, inquit, *omnia facito secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte* (*Exod.* XXV, 40)

Tres igitur doctissimas puellas de Israel in omni varietate et pulchritudine texentes, prius prædestinatione in meritorio cœli altissimi, ac demum in vestibulo uteri tui prudentissima, castissima et humillima Virgo reperio. Harum prior omnium prædestinatio, deinde sapientia, tertio gratia divina, simul et similiter in præparanda tunica Verbi Dei cooperantur; prædestinatio disponit, sapientia depingit, gratia componit, velut materiam carnis creando disponit prædestinatio, velut formam novi hominis novo ordine concipiendi et nascendi inspirando depingit sapientia, velut insolitæ junctionis compactionem Dei et hominis componit gratia æterna, nonnisi prædestinatio hoc excogitare, nonnisi gratia persuadere, nonnisi sapientia adimplere potuit. Dixit Sapientia ad redemptionem humani generis hoc esse necessarium; gratia admonuit ut fieret in corde Altissimi voluntarium; prædestinatio, ut salus veniret in plenitudine temporis, adhibuit obsequium. Viam liberationis præmonstravit prædestinatio, sapientia præambulavit, gratia perfecit; prædestinatio cadaver ostendit mortui, sapientia lavat, gratia elevat; jubet prædestinatio, juvat sapientia, complet omnia gratia. Sed quia nostræ salvationis tenuissima hujusmodi sunt fila et manum summi artificis exigentia, in sacrario hoc replicata interim veneremur, et ad grossiora quædam propter astantem populum sermonem vertamus

Adam, fratres charissimi, cum a Deo crearetur, nudus quidem carne factus est, sicut et pueri omnes nudi de utero matris nascuntur, sed animo vestitus erat quadam decentissima virtutum varietate. Scire namque debetis quod sicut turpitudinem corporum vestimento celamus, sic animæ fœditatem, quæ a peccatis accidit, bonis virtutibus reprimimus, forte in dorso vel in pectore vel in quolibet loco corporis tui subortum est aliquid, quod denigret aut deturpet formositatem totius corporis, quid ergo facis? certe celas, certe velas, certe contegis, quare hoc? procul dubio ne deridearis, procul dubio ne oculos amici vel mariti offendas. Hoc faciunt homines ad homines, et propter homines, sed propter angelos quid? imo propter Deum quid? peccasti, falsum testimonium dixisti, rem vicini rapuisti, hominem occidisti, adulterium sive fornicationem fecisti, aliquid de criminalibus commisisti, et verecundia non erubescis, et confusione non repleris?

O homo! nonne vident angeli, nonne Deus aspicit qui scrutatur corda et renes? plus autem times homines quam angelos? vicinum tuum quam Dominum tuum? derisionem transitoriam times, et damnationem æternam non times? Noli transitorie gehennam cogitare, quia vexatio ejus non erit transitoria sed perpetua, quia per ignem transiturus es, ne sentias adustionem, assume tecum unum de panniculis pueri Jesu, aut saltem fimbriam vestimenti ejus. Redi ad cor et quære vel pannos quibus tegas turpitudinem, vel vestes quas habeas ad solemnitatem. Si pauper et peccator es, minoris sunt pretii quibus involvitur puer Jesus in præsepio, quam vir-

tines quas attulit de cœlo ; sufficiunt tamen tegere turpitudinem, tegere putredinis tabem et calefacere cadaveris præmortui pulverem. Sunt autem panni isti, jejunium, humilitas, paupertas, confessio et eleemosyna ; non timebit a frigoribus nivis qui talibus indutus fuerit pannis.

Cur, Domine Jesu, pannis coopertorium divinitatis involvis, quod postea sine pannis, clavis et lanceæ in cruce pandis, et usque ad distensionem expandis ? an times pruinam, qui non reformidas lanceam ? sed in pannoso humilitas, in lanceato notatur patientia. O pannose da nobis, aut saltem vende pannos, lepram siquidem panni isti tangunt et tergunt : meretricem necnon in adulterio deprehensam tam a pœna quam a culpa lenissimo tactu liberant. Da ergo Jesu pannos humilitatis per conversionem, vende per correctionem : *Beati enim quorum remissæ sunt iniquitates* per correctionem, *et tecta sunt peccata* (*Psal.* xxxi, 1) per satisfactionem.

Audi pœnitens ad quid tegumentum requiras, et quomodo, vel unde, vel ubi, denique qua tegere te debeas. Tanti fetoris, tantæque fœditatis est nebula peccatorum Adæ seu filiorum ejus, ut ea sol offensus convertatur in tenebras et luna in sanguinem ; astra non sint munda, mare fervescat, terra contremiscat, cœlum erubescat, aer intumescat, angelus fugiat, Deus se avertat, os et ventrem suum mors et infernus absque termino aperiat. Satisne intelligere ex his horrorem peccati potuisti ? certe nondum expressi abominationem, nondum descripsi exsecrabilem ejus ferocitatem ; ita leonis, furor draconis, sibilus serpentis, feritas apri, et quidquid in rebus creatis insanius in ira efferri potest, non possunt adaptari crudelitati malitiæ sive peccati. Hæc fera tam ferocissima aliquando mordet animam, aliquando fœdat, aliquando vulnerat, aliquando devorat, aliquando absorbet ; mordet per suggestionem, fœdat per delectationem, vulnerat per consensum, devorat per operationem, absorbet per desperationem.

Sed tu, Domine Jesu, veni visitare animam et sana morsum per confessionem, lava maculam per compunctionem, cura vulnus per orationem, extrahe de faucibus per condignam satisfactionem, revoca jam absorptum per omnipotentissimam miserationem. Tu enim Danielem de lacu leonum, tu Jonam de ventre ceti, tu Abraham de Ur Chaldæorum, tu tres pueros de camino Babylonis, tu Susannam de ore gladii ; tu populum Hebræorum a persecutione Pharaonis ; tu Petrum naufragantem in mari, et negantem in atrio principis sacerdotum ; tu Paulum de profundo pelagi, tu David de ore leonis ; tu latronem de faucibus mortis eripuisti ; et nunc non misereris populi tui adventum tuum præstolantis ? et nunc ad filios tuos incipis indurari. Veni, sed in pannis non in armis ; veni, sed humilis non excelsus ; veni, sed super asinam non super cherubim ; veni, sed in præsepio non in altissimo cœlo ; veni, sed ad nos non contra nos ; veni, sed salvans non judicans ; veni, sed in gremio matris non in sceptro majestatis ; veni, sed visitare nos in pace, non arguere in furore. Si talis veneris fugiemus non a te sed ad te ; omnino namque inconsueta pavorem faciunt ; consueta vero suavius attrahunt.

Consueto igitur habitu, consueto victu, consueto sermone, sed tamen more dissueto et conditione dissimili ad homines venit Deus homo, ad mortales immortalis factus mortalis ; ad peccatores nihil cum peccato habens, habens tamen formam et naturam sine peccato peccatoris. Hic qui super aspidem et basiliscum veniebat, calceatus accessit ; hic qui leprosos mundare veniebat, in pannis ægrum visitavit. Animadverte in calceamento mysterium fidei significari ; in pannis, ecclesiastica sacramenta quibus venena deterguntur peccatorum, quibus ornatur facies conversorum, quibus velatur turpitudo pœnitentium.

Ecce habes tegumenta, quia habes et pudenda, id est peccata quæ sunt tegenda : forte quæris quomodo ? docet Rebecca (*Gen.* xxvii) quæ filium suum Jacob benedictioni paternæ supponens, prius eum induit vestibus Esau valde bonis quas apud se domi habebat, et quia colli nuda sive manus unde tegeret deerat, pelliculas hædorum quorum jam carnes coxerat circumdedit manibus, et colli nuda protexit. Utilis hæc historia, sufficientem exhibet formam pœnitentiæ peccatoribus recedentibus a peccato, et quærentibus gratiam et benedictionem Dei Jacob. Sed ne satietas fastidium generet, alias reposituri et latius exposituri ; interim eam supprimimus, hoc tantum ex ea sumamus ut quomodo vestire se debeat anima pœnitentis innotescamus, vestibus namque Esau valde bonis quas Rebecca domi retinuit cum ad venationem pilosus ille exiret, vestiri debemus, cum benedictionem quærimus.

Sed quid est hoc ? Rebecca virgo decora nimis, est illa angelorum sancta societas quæ Isaac, gaudio videlicet cœlestis jubilationis desponsata, cogitat semper et amat quæ Domini sunt. Esau pilosus, qui venatione agrestium et silvestrium, postquam offenderat animum Isaac, occupatur, diabolus est qui postquam de cœlo sicut fulgur cecidit, fictus et callidus velut pilosus in insidiis sedet, ut in occulto rapiat pauperem, decipiat animam volantem. Is vestes valde bonas domi reliquit, cum optimæ naturæ suæ scilicet angelicæ bonas dotes a Deo infusas, per apostasiam amisit : *In veritate enim non stetit* (*Joan.* viii, 44). Sed Rebecca sibi vestes bonas vindicavit, cum illa sancta societas, decidente Lucifero, firmius stabilita in amore sui Creatoris, animos ad Deum convertit, et ne similiter laberetur, fortius amoris vinculis sese innexuit.

Vestes itaque valde bonæ Esau, sunt illæ veræ virtutes quibus in paradiso Dei sui plenus decore Lucifer in propheta (*Ezech.* xxviii) resplenduisse legitur. His Jesus pannis, imo satis melioribus indutus, ad nos de cœlo venit. Adam enim sicut et Lucifer ornamenti pectoris sui in paradiso ablitus tunicam hyacinthinam ejectus perdidit, et pelliceam recepit : frequenter

quidem postea eam repetere voluit, sed nec semel potuit. Secum itaque veniens Jesus Filius Altissimi vestes illas valde bonas attulit, qui primam stolam, annulum et calceamenta prodigo filio restituit; reddidit namque lætitiam salutaris sui, reddidit Spiritum rectum, Spiritum sanctum, Spiritum principalem, cor mundum, animam puram, carnem immaculatam. Istæ sunt mutatoriæ vestes, quas pro semicinctiis, pro pannis menstruatæ, nobis pietas Jesu commutavit, ut de reis innocentes, amici de inimicis, de ejectis efficeremur concives.

Præterea nuda colli et manus sine tegmine remanerent nisi pelliculas hædorum Rebecca reservasset : nuda colli manifestam designant superbiam; manus nudæ, opera injustitiæ; pelliculæ hædorum, pœnitentiam conversorum. Pœnitentia itaque quam Angelus nescit, quia nec bonus stans in justitia, ea indiget, nec malus perseverans in injustitia agit, a peccatoribus sumpta est, et nuda colli, id est peccatum superbiæ, et manus nuda, id est opera injustitiæ, vindictæ Dei abscondit; ecce quomodo anima se vestire debet.

SERMO II.

IN ADVENTU DOMINI II.

Nuntia nobis si tu es ipse qui regnaturus es in populo Israel.

Tibi soli Jesu de omni re credimus, quia veritas es, te credimus quia solus es quod es, in te etiam credimus, quia non verbo et lingua, sed opere et veritate te diligimus. Ideo *nuntia nobis, si tu es qui regnaturus es*, quia te volumus regnare super nos, cujus jugum suave est, cujus onus leve, cui servire regnare est. Opponit se et transfigurat in angelum lucis pater mendacii diabolus, totque et tantas ex quo a veritate decidit, tam in paradiso primis parentibus, quam posteritati eorum contexuit in hoc exsilio tendiculas deceptionum tot, ut vix quod verum est in caligine ista discernatur, quod certum in ambiguitate eligatur, quod optimam acquiratur. Caventes itaque et nolentes impingere damnosum fidei nostræ errorem te Jesu de te consulimus, ut indices nobis ubi pascis, ubi cubas in meridie, ne incipientes vagari post greges sodalium tuorum pro Christo Antichristum, pro bono pessimum, pro Deo diabolum excipiamus : *Nuntia* ergo *nobis si tu es*, etc

Causas equidem missionis tuæ non omnino ignoramus; missus es enim ut annunties populo tuo scelera eorum et domui Jacob peccata eorum, missus es ut manifestes te ipsum mundo, missus es ut destruas inimicum et ultorem, missus es ut solvas compeditos, educas incarceratos, liberes captivos, regnum peccati destruas, et regnum justitiæ statuas. Equidem diu est quod prophetæ, quorum testimonia credibilia facta sunt nimis, tam de adventu tuo quam de nostra redemptione libros plurimos impleverunt. Urgente itaque tam nostra necessitate quam tua miseratione occurrimus cum omni supplicatione, quærentes si tu es ipse quem exspectamus et ad cujus regnum sortem nostram transferri exoptamus. Tyrannus namque ille, cui ab ira indignationis tuæ traditi fuimus, scorpionibus cædit nos, urit flagellis, in verberibus torquet et excruciat usque ad medullas viscerum, non est sanitas in carne nostra in qua habitat peccatum, non in corde ubi infidelitas et ignorantia regnant; omne caput languidum et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est sanitas. Cum totam occupavit massam fermentum prævaricationis, nusquam locus remansit immunis a peccato et pœna peccati. Totum cum omnibus partibus suis hominem inspiciamus, et quæ membra quæ possideant vitia diligenter discutiamus.

A planta pedis usque ad verticem non est sanitas cum pedes currunt ad malum in consilio impiorum; genua et tibiæ stant in via peccatorum; renes sedent in cathedra pestilentiæ; membra pudenda quæ sunt partes vulpium polluunt templum Spiritus sancti, tabernaculum nominis Dei; lumbi implentur illusionibus, venter cibo et mero distentus despumat in libidines; guttur nitidius super oleum, ministrat carbones subter craterem ferream, os ebullit stultitiam, lingua vibrat faculam accensam; labia loquuntur magniloqua, oculi aspiciunt vanitatem, aures suscipiunt detractionem; manus effundunt sanguinem; cervix erigitur in elationem. Inspiciamus adhuc quam gravi stimulo male sollicitus de morte nostra convulneravit nos ille cujus nomen est mors. Planta igitur pedis terræ hærens gravis et fissa, quasi planta vituli aggravat hominem in terra, et dividit ad multa; insidiatur autem serpens calcaneo qui plantæ continuus est, unde conqueritur Psalmista : *Iniquitas*, inquit, *calcanei mei circumdabit me* (*Psal.* XLVIII, 6); id est primæ suggestionis peccatum a ventre matris nullo tempore, nulla parte usque ad exitum vitæ cessat me inquietare

Præsumit enim diabolus sequentia facile se posse occupare si principia veneno suo prævaluerit inficere. Illum ergo cujus intentionem in calcaneo, cujus affectionem in planta, cujusque actionem afflaverit in pede; illum cujus anhelitus prunam ardere facit, in regno peccati detinere, et ad regnum mortis transmittere quis prohibebit, nisi gratia et vita quæ per Jesum Christum facta est subvenerit: Tibiæ sequuntur in ascensu membrorum, de quibus ait idem Psalmista : *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei* (*Psal.* CXLVI, 10); quod est dicere nec superbia vel potestas contumacium placet Deo, nec incompositus incessus præsumptuosi et audacis hominis. Est autem utrumque vitium, nimis composite, vel incomposite incedere, alterum enim luxuriæ, alterum est signum inconstantiæ. Isaias reprehendit filias Sion quæ composito gradu incedebant. Jacobus apostolus in Epistola sua ait : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* (*Jac.* I, 8). Genua quæ sequuntur non sunt curvanda Baal, sed Deo

excelso, quia omne genu flectitur ei cœlestium, terrestrium et infernorum; non ergo curves genua meretrici, sed Dei genitrici, non simulacro, sed Deo vivo et vero. Renes et lumbos qui sequuntur, accinge sicut vir, ne effluant per luxuriam, die Deo : *Tu possedisti renes meos* (*Psal.* CXXXVIII, 13), id est delectationes meas, et non me tenent luxuria, sed continentia et castitas.

Sequitur venter et stomachus cujus officium, si legitime administratur, utile et pernecessarium est; si fines naturæ excesserit, omnino perniciosum et damnosum, nam sine ipso nec vivitur, per ipsum, si jugum moderationis excusserit, pessime vivitur. Sit ergo in subsidium quotidianæ reparationis, nec se præcipitet in exterminium malignæ superfluitatis. Deinde gulam tenemus quæ velut infusorium ventris pene quidquid voraverit infundit, tanquam portam itaque ventris gulam observare debemus, ne quid intret per portam quod evertat naturam; claudit hanc portam jejunium, abstinentia custodit, moderata refectio salubriter aperit, immoderata ipsos ejus cardines concutit. Fauces deinde quasi atrium intrinsecus, os habent ostium extrinsecus, quo non custodito non est pax intranti vel exeunti; si enim de radice colubri conceperit mala cogitatio quemlibet fetum, quandiu os clausum cohibet intrinsecus cadaver mortuum, sepulcrum quidem est guttur sive fauces, sed nondum patens, si autem fetorem pressum ore aperto exhalaverit, sepulcrum patens est et aere corrupto moritur etiam species religionis, quæ hactenus vivebat in lucrum bonæ opinionis. Sit ergo eloquium dulce, sint casta eloquia, sit porta semper clausa malis, aperta bonis. Quid deinde oculi quorum ministerio velut sol et luna, dies sapientiæ et nox ignorantiæ reguntur in homine, ut sint tenebræ ejus tanquam lumen ejus, id est humiliter se accuset de ignorantia, et utiliter ac sobrie utatur data a Deo sapientia et scientia, oculus qui non satiatur visu, si pudicus sit et castus, cœlum potius respicit quam terram, unde : *Attennati sunt oculi mei suspicientes in excelsum* (*Isa.* XXXVIII, 14).

Oculi itaque isti videntes Dei potentiam a longe venientem, signa circa Jesum et de Jesu propheta curiosius quærunt, et an omnia quæ de ipso dicta sunt concurrant, diligenter investigant non cum Judæis dicentes : *Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII, 13), sed cum Petro : *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas* (*Matth.* XIV, 28), non tentando, sed inquirendo dicunt : *Nuntia nobis*, etc. Si tu es Rex Judæorum, si tu es Rex regum et Dominus dominantium, si tu es Rex Sion qui super asinam et pullum filium subjugalis sedens, Hosanna Filio David a pueris Hebræorum audisti, nuntia nobis, si tu es qui super solium David, et super regnum ejus sedere venisti, nuntia nobis si tu es principatum habens super humerum, nuntia nobis si tu es Filius Regis cui Pater omne judicium dedit ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem qui misit illum; nuntia nobis si desinet regnum a Damasco, si mortem præcipitare venisti, si dare redemptionem pro populo tuo, si venisti ut salvum facias populum tuum a peccatis eorum. Nuntia nobis si venisti dona naturæ reparare, et dona gratiæ reformare; nuntia nobis si de necessitatibus suis liberaturus es creaturam, quæ vanitati subjecta est non volens, si soluturus es nos a miseria et peccato. Videmus, ecce Virginem Matrem, videmus tempus beneplaciti Deus, videmus defecisse sceptrum de Juda et ducem de femoribus ejus. Videmus conflari gladios in vomeres, et lanceas in falces. Videmus signa innovata, videmus iter habere medium silentium noctis; hæc omnia indicant novum venisse super terram a quo novum cœpit testamentum, lege veteri antiquata cum omnibus observantiis suis. Translati ergo in legem gratiæ, fidei et justitiæ ad regnum transferamur æternæ salutis et gloriæ, te procurante Jesu qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

IN ADVENTU DOMINI III.

Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion (*Isa.* XVI, 1).

Mitte angelum et emitte Agnum, non aprum, non unicornem, non taurum, non bovem, non asinum, non camelum, non leonem, non basiliscum, non scorpionem, non serpentem; aper namque dente morderet, unicornis vero cornu impeteret, taurus cervicositate ventilaret, bos cornu peteret, hircus feteret, asinus stoliditate molestaret, camelus gibbo displiceret, leo devoraret, basiliscus veneno occideret, scorpio cauda pungeret, serpens deciperet. Hæc vitia cavenda sunt non oranda. In apro namque significatur rixa et contentio, in unicorne singularitas et præsumptio, in tauro lascivia et rebellio, in bove pigredo vel induratio, in hirco luxuria, in asino hebetudo, in camelo inflatio et pravitas, in leone rabies et rapina, in basilisco mala persuasio, in scorpione detractio; in serpente dolosa deceptio; in agno innocentia. A supradictis vitiis præcipue abstineamus, qui in vestimentis ovium, sive laneis, sive pelliceis speciem pietatis non utinam [*f.* virtutem] mentiamur. Quasi enim leonina pelle asinus inducitur, cum mens vitiosa pelles Salomonis vel agni simulatione assumit. Unde Apostolus de quibusdam : *Speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem ejus abnegantes* (*II Tim.* III, 5). Nequaquam itaque in spiritu sit dolus, cum extrinsecus præferatur simplicitatis habitus; sed hoc homo habeat in corde quod demonstratur in facie. Tunc siquidem utiliter orabit : *Emitte agnum, Domine*, quia qualem invenerit talem se illi exhibebit, *cum sancto enim sanctus* erit *et cum innocente innocens* (*Psal.* XVII, 26), id est cum agno agnus erit.

Emitte ergo agnum, Domine, qui non irascitur.

qui non insidiatur, qui non recalcitrat, qui non ambulat in magnis, neque in mirabilibus super se, qui lanam suam dat nobis, sicut nivem ad calefaciendum quod in nobis est frigidum, ad operiendum quod probrosum, qui dat corium suum ad restringendum quod dissolutum, ad vestiendum quod in pedibus nudum est, qui dat carnem suam ad manducandum, ne deficiamus in via, qui humilia et infirma assumptæ humanitatis tanquam fœnum dispergit in terra nostra, ut his visitata et inebriata et locupletata multiplicetur ut afferat fructum tricesimum, sexagesimum vel centesimum. Ungula etiam sua, id est increpatione scabiem nostram tollit, id est desideria maligna et pruriginem compescit, intestina aperit et exponit dicens : *Omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis* (*Joan.* xv, 15). Ventriculum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, suggerit convivatoribus suis ; dorsum patientiæ quod Pilatus flagellavit, ostendit ad informationem correptionis. Costas quas in cruce extensas dinumeraverunt crucifixores sui, edendas apponit in mensa altaris. Cornibus hæret in cruce sicut aries Abrahæ inter vepres hærebat. Caudam offert cum dicit : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* xxviii, 20). Dentes ejus lacte candidiores sunt, quia in ejus prædicatione nihil mendosum, nihil obscurum est. Oculi vino pulchriores quia, ut ait Gregorius, in comparatione vel in contemplatione ejus vilescunt omnia : *Hic est Agnus Dei qui tollit peccata mundi* (*Joan.* i, 29).

Hunc Agnum emitte, Domine, qui secum deferat sapientiam sedium tuarum assistricem, lucem et veritatem, unde : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* (*Psal.* xlii, 3), id est gratiam et doctrinam; manum quoque unde David dicit : *Emitte manum tuam de alto* (*Psal.* xiv, 7), id est de sinu Patris, auxilium contra impugnatorem diabolum ; emitte latenter ne audiatur strepitus in compitis Ascalonis, ubi conveniunt dæmones fures animarum, fures consiliorum Dei, si forte contra malitiam suam tractat aliquid bonitas sapientiæ Dei. Emitte sapienter, quia omnia in sapientia fecisti, et prudentia tua superbum diabolum percussisti. Emitte fortiter, quia fortis Dominus et potens in prælio ; emitte suaviter, ut descendat sicut pluvia in vellus, et impleat lagunculas virginalis uteri aqua nostræ humanitatis et vino divinitatis. Emitte libenter quia unicus filius multos adoptivos acquiret : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* i). Emitte licenter ut jam saltem in plenitudine temporis in fine sæculorum, licentiam habeat veniendi qui ab initio prævaricationis et ejectionis Adæ paradiso, non destitit præmittere adventus sui præcones, et misericordiarum frequentissimas distillationes. Emitte Agnum mansuetum qui fugiat Herodem sicut damula leonem, et a facie Judæorum quando tulerunt lapides ut lapidarent eum, sicut ovis lupum. A Emitte Agnum tondendum in circumcisione, exoriandum in crucifixione, vendendum triginta denariis in proditione, immolandum pro nostra redemptione. Emitte Agnum qui dignus sit accipere virtutem et divinitatem, qui dignus sit solvere septem signacula libri signati id est mysterii Dominicæ Incarnationis; emitte Agnum qui non statim occidat peccatores, sed ad pœnitentiam provocet, dicens : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* ix, 13.)

Emitte, sed ad quid ? ut dominetur, *Dominatorem*, inquit, *terræ*. Unde? *de petra deserti*. Quo? *ad montem filiæ Sion*. Quæ est petra deserti? Ruth Moabitis quam Booz in uxorem accepit et ex ea genuit Obed, Obed autem genuit Jesse, Jesse autem David, de cujus B semine Christus, qui de Virgine Matre originem habuit. *De petra* igitur *deserti emitte Agnum, Domine, ad montem filiæ Sion*, ut linea propagationis, profundo et incognito Dei judicio, duas humani generis propagines, id est Judæos et gentiles complectatur, lapis angularis qui facit utraque unum ; moveat gressus suos a petra deserti, qui multis annorum millibus licet ab Adam venire cœperit, nullis tamen vestigiis evidenter alicubi impressis cum silentio sicut aquæ Siloe, ad nostram liberationem longo anhelitu tendebat. Huc autem quasi victor gratia mansionis divertens, consiliorum et cogitationum antiquarum respiracula concipiens, passibus manifestioribus cœpit appropinquare, ita ut Matthæus C evangelista ex hoc incipiat dinumerare; ab Abraham tamen inchoata propter promissionem Dei digressione.

Hoc etiam notandum in eo quod *de petra deserti, emitte agnum* dicitur, pater exoratur quod sicut solet fieri in conductibus aquæ, ut ad respirationem vel inspectionem salientis aquæ, lapideum interponatur receptaculum ; sic cursus miserationis divinæ a primo homine tanquam a primo lapide confluens, mysticum canalem habuit Ruth Moabitem Booz Judæo copulatam : meatu ergo venustiori per David regem recepto, lucidiori vena *ad montem filiæ Sion*, id est Virginem Mariam, quem acquisivit dextera ejus, perefluxit, ibique lagunculam testeam propter fragilitatem sexus muliebris imber matutinus divi- D nitatis et serotinus humanitatis, sicut pluvia descendens in vellus implevit; hæc enim est piscina portæ superioris in qua gratia abluit et caro peccati abluitur, dum ad præparationem incarnandi Verbi Virgo ab omni peccato emundatur, et Christi caro absque ullo peccato concipitur, quæ caro Agni non solum est immunis ab omni labe corruptionis, sed est tantæ puritatis et virtutis, ut solo nutu vel contactu curet lepram totius contagionis. *Agnus Dei est, qui tollit peccata mundi* (*Joan.* i, 29). Ut itaque tollat peccata mundi, *emitte Agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*, Jesum Christum Dominum nostrum qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

IN TEMPORE ADVENTUS IV.

Emitte Agnum tuum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion (*Isa.* XVI, 1).

Humanæ quærelæ necessitas et remedii opportunitas nulli magis nota quam Deo, qui prius præparavit antidota quam diabolus evomeret in ore et mente hominis pessima venena. Crescente itaque et superexcrescente morbo, adjecit medicus conficere juxta singulorum accidentia, congrua suæ sapientiæ et humanæ miseriæ remedia. Inde tabula divinæ propaginis formas votorum et vocum diversarum recitat per singulos prophetarum libros, dum alter sic afficitur, et alter aliter; bono namque domino servus familiaris non veretur humiliter suggerere unde non credit eum offendere; non autem offenditur qui vult rogari antequam rogetur, et prius porrigit manum quam qui accipiat reperiatur; nunquam enim digno petitori defuit gratia largitoris, nec semel indignis prærogavit misericordiam, qui passim omnes quotidie vocat et urget ad gratiæ suæ plenam omni bono arcam. Antiquorum igitur Patrum quisque contemperans postulationem suam et sempiternæ dispositioni et nostræ necessitati, porrigit libellum per manum angeli legendum in palatio summi Regis, ut de beneplacito Creatoris Agnus mittatur ad opus universalis restitutionis.

Hoc tempore et huic negotio leo non erat necessarius, quia nimium est rigidus, neque camelus quia altus et gibbosus, neque asinus quia iners et tardus, neque lupus quia rapax, neque ursus quia contumax, neque hædus quia fetet, neque equus quia procul odoratur bellum, neque bos cornupeta quia terræ nimium hæret, neque taurus quia cervicosus est; solus Agnus congruit rei agendæ quia incorruptus, quia immaculatus, quia mansuetus, quia villosus, quia tenerrimus, quia pacatus et placidus. *Emitte* igitur, *Domine, dominatorem terræ*, emitte de sinu divinæ mentis, emitte a summo cœli, emitte a supremo cardine invisibilis majestatis, emitte de concessu tuo, emitte de thesauris et abyssis. *emitte agnum, Domine, dominatorem terræ*. Non Saulem qui quærit asinas patris tanquam asinarius; non Pharaonem, regem Ægypti, qui in equis et curribus persequitur populum Dei; non Nabuchodonosor qui quasi bos comedit herbam; non Alexandrum Magnum qui sicut leo omnia regna vastavit, non Roboam qui scorpionibus subjectum populum cædit, non Salomonem qui amator mulierum, luxuriæ idololatriam junxit; non Sedeciam qui pactum scindens sicut ursus effossis oculis in catenis fuit; non Achaz, qui vineam Naboth tanquam lupus per uxoris rabiem quasi per famem rapuit et occidit; non de aliis regibus quemlibet mittas, quia devorant plebem suam sicut escam panis, non salvant, non liberant, non redimunt; frater enim non redimit nec purus homo, sed Deus homo, sed Agnus immaculatus cujus sanguine redempti sumus de vana nostra conversatione; hic est Agnus quem Pater signavit et misit in mundum.

Attendamus ergo signum Agni quia utrumque postem nostrum munire debemus sanguine Agni contra exterminatorem Angelum; nihil in Agno negligendum, quia etiam minima pars ejus saluti nostræ valde necessaria est. Quatuor pedes Agni sunt quatuor partes crucis, longitudo, latitudo, altitudo et profundum, vel quatuor partes mundi, oriens, occidens, septentrio et meridies. Vel quod in cantico Annæ legitur (*I Reg.* II), Dominus mortificat propter ungulam, et vivificat propter plantam, et est primus pes; secundus est qui deducit ad inferos impios et reducit conversos; tertius pes, Dominus pauperem facit spiritu, et ditat beatitudine; quartus pes Agni humiliat superbum, sublevat contritum et humiliatum. Vultus Agni voluntas Dei, quia *quæ placita sunt ei*, inquit Jesus, *facio semper* (*Joan.* VIII, 29); et: *Hic est in quo mihi bene complacui* (*Matth.* XVII, 5). Oculos in Apocalypsi habet septem, quia requievit *super eum spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* II); et cornua septem quia reddet in die judicii unicuique secundum opera sua, prout gessit in corpore quadrupliciter, in anima tripliciter. *Super tribus sceleribus Damasci*, inquit Dominus, *et super quatuor non convertam eum* (*Amos* I, 3).

Venter Agni distinctus est sapphiris quia humana passus, sed divina operatus est. Dorsum ejus patientia est, unde David: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 39). Lana ejus beneficia vel evangelica prædicatio, quam nent et texunt omni creaturæ prædicando evangelistæ et omnes doctores Ecclesiæ. Caro ejus vitalis animæ cibus, sanguis potus.

SERMO V.

IN TEMPORE ADVENTUS V.

Ecce virgo concipiet, etc. (*Isa.* VII, 14)

Ut aliquid de pondere litteræ dicam, illud *Ecce*, renovativum est temporis, revocativum fidei, recreativum animi. *Virgo concipiet et pariet filium*, suspensivum est intentionis, succensivum devotionis, consolidativum Christianæ dignitatis. Per adventum Domini tempora renovantur, fides mortua resuscitatur, animus lugens præ inopia et deficiens præ tædio diuturnæ exspectationis recreatur. Intentio cum Job elegit suspendium in occursum Salvatoris, devotio sicut Maria Magdalene audiens quia Dominus venit, cito surgit et venienti lacrymas offert. Christiana fides in conceptione Deum quasi vitalem spiritum divina insufflatione accipit. De renovatione ait Dominus: *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI, 1); utique novum adventum, novum conceptum, novum partum, novam matrem, novum filium, novum morem nascendi, vivendi, prædicandi, moriendi, resurgendi, ascendendi ad cœlos, iterum veniendi ad judicandum vivos et mortuos.

De revocatione fidei item dicit: *Veniens Filius hominis, putas, inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII,

8). Et Propheta : Non est fides in terra. In dies inquirunt Judæi et annos, prophetat iste, et deridendo dicebant : *Manda remanda, exspecta reexspecta* (*Isa.* XXVIII, 10, 13). Item : *Lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17), qui dixit : *Creditis in Deum et in me credite* (*Joan.* XIV, 1), jam ergo fidem abeuntem et animam exhalantem revocavit. De recreatione animi Propheta ait : *Suscita prædicationes quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores, da mercedem sustinentibus te at prophetæ tui fideles inveniantur* (*Eccli.* XXXVI, 17). Item : *Iste consolabitur nos ab operibus nostris* (*Gen.* V, 29).

De suspensione intentionis ait Job : *Elegit suspendium anima mea* (*Job* VII, 15), et Ezechias : *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso* (*Isa.* XXVIII, 14), et David : *Ad te levavi oculos meos*, etc. (*Psal.* CXXII, 1). Nec immerito, quia Moyses ascendit in montem et Dominus descendit cum legem dare vellet; quanto igitur justius, ad verticem ascendendum, cum Deus in carne suscipiendus sit et a virgine concipiendus? medio satis spatio et ultra Dominus descendit, cum claustra puellaria intravit; sed non plusquam decuit partes nostras inferiores attigit, quia virilem commistionem in sua conceptione non admisit. Intendat itaque et extendat se nostra intentio quousque fides fines velaminis sui protendat ut credat. Non discutiat mysterium incarnationis simpliciter sentiens de incomprehensibili unione Verbi et hominis simul, in verbo Angeli et fide Virginis et operatione Spiritus sancti facta, nec simul nec semel donec oculo ad oculum videatur exprimenda.

De successione devotionis ait Isaias : *Cujus ignis est in Sion et caminus in Jerusalem* (*Isa.* XXXI, 9). Latitabat ignis in Sion quandiu conceptio Virginis detineretur in utero. Sed caminus apparuit in Jerusalem, cum stella magos Jerosolyma adduceret, et regem natum manifestaret : succensa proinde devotio est, quia *populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam* (*Matth.* IV, 16), et sol Justitiæ exortus est timentibus Deum.

De consolidatione Christianæ dignitatis restat dicere, quomodo in conceptione Virginis solidatum sit. Qui non credit Jesum de Spiritu sancto et Virgine Maria conceptum et natum, non habebit fidei fundamentum, quod ita stat inexpugnabile et inconvulsum, quod potestatum aeriarum et mundanarum et infernalium vis tota coacervata impugnando magis ac magis firmaret et stabiliret.

SERMO VI.

IN EODEM TEMPORE VI.

Ecce virgo concipiet et pariet filium (*Isa.* VII, 14).

O singulare, o speciale Virginis privilegium præ angelis, præ omnibus sanctis, præ omnibus Dei donis est, quod *virgo concipiet et pariet filium*, non angelis, non archangelis, non virtutibus, non potestatibus, non principatibus, non dominationibus, non thronis, non cherubim, non seraphim, datum est hoc beneficium. Satis sit eis Deum adorare, Deum videre, Deum diligere, Deum cognoscere, Deo obedire, voluntatem Dei in omnibus adimplere et in nullo deficere; nec aliquid timere. Accipiunt siquidem beata munera, nec est in tanta societate cui insit plusquam accepit velle habere. Confertum et coagitatum omnium gratiarum cumulum Virgini nostræ reservavit, ut haberet proprium fontem, cui nec Angelus nisi cum gratiarum actione communicaret, cui omnia sæcula summa veneratione, inclinato capite deferunt, nec simile quid ultra sperare præsumerent, sed exinde portionem sibi debitam cum gratiarum actione singulorum sæculorum generationes vindicarent. Superlunaris quoque regionis incolæ sua obsequia gratanter exhiberent, non admirantes ab æterno latuisse, quod tam silenter sapientia Dei de inscrutabilibus scriniis suis extraxerat ut Virginis uterum intraret, quem totus mundus nequaquam caperet. Mirum quidem quod sic intravit ut in ea habitaret, sed amplius plus stupendum quod sic intravit ut illum Virgo conciperet.

Alius namque venientem ad se Deum digne recipit, alius suscipit, alius excipit. Recipit hospitem, suscipit Dominum, excipit amicum; quis vero capit, imo quis concipit illum nisi Virgo, de qua dicitur : *Ecce virgo concipiet*, etc. Dicitur de quodam cujus moti sunt pedes, *quod spiritus pertransibit in illo et non subsistet* (*Psal.* CII, 16). Dicitur de Moyse : *Cum transiero posteriora mea videbis* (*Exod.* XXXIII, 23). Dicit Job : *In horrore visionis nocturnæ transivit quidam cujus non agnoscebam vultum* (*Job* IV, 13, 16). Multum est, multum est vel in transitu videre Deum, sed jucundius, sed utilius capere Deum, retinere Deum, incomparabilius vero concipere in carne et de carne sua Deum. Facta enim est ista virginalis conceptio interveniente coagulo fidei et charitatis, incomprehensibiliter fervente gratia circa cultum legis et mandatorum Dei, fermentante etiam Spiritu sancto sata tria, id est carnem et animam virginalem cum desuper data gratia, unde panis formaretur, cum crusta humanitatis, et mica Divinitatis, coquendus in furno crucis, et sumendus interim in mensa altaris, tandem in regno Dei; et hoc est quod ait : *Ecce virgo concipiet*, etc.

Et quia Virgo non solum est ager plenus de quo dicitur : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXVII, 27), ad procreandum panem, ut legitur in Psalmo : *Ut educat panem*, id est Christum, *de terra* (*Psal.* CIII, 14), id est Virgine Maria : attendendum quia ipsa est vitis de qua exprimitur vinum libaminum, ut in Ecclesiastico legitur : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* (*Eccli.* XXIV, 23). In dissimili rerum specie, ratione probabili assimilamus conceptionem factam in Virgine, sicut enim terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat, sic Virgo Deum, sic Deus in Virgine concipitur et nascitur, solo utique humore terræ et pinguedine gratiæ. Ad vitem nostram, id est Virginem nostram, alligatum

pulium, id est Filium suum, Pater ostendit, et hanc vitem putavit cœlestis Agricola, cum purgavit illam ab omni tam originali quam actuali culpa. Paxillo alligavit, cum Joseph desponsavit; fecundavit, cum per angelum salutavit; frondes et folia protulit, cum angelo respondit : *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Quasi lagunculam vino implevit, juxta Isaiam qui ait : *Decem jugera facient lagunculam unam* (*Isa.* V, 10), quando decem mensibus carnem Christi sacris fovit gremiis, et hominem atque Deum verum et perfectum in nativitate mundo edidit. Decem namque jugera, tanquam decem sulcos in vitula Samsonis exaravit, quando Christum suum, qui est finis legis, quæ decem constat mandatis, ad incarnandum Mariæ Virgini destinavit. Vel decem jugera sunt humana et angelica justitia quæ plenaria fuit in Maria : novem siquidem ordinibus distinguitur angelica natura, decima vero creata est humana. Nihil autem in homine, nihil in angelo collatum aut collocatum fuit justitiæ, quod non deflueret pleno gurgite ad thronum gratiæ, ut in gratia quiesceret qui in tempore orbem suum sua gratia abundanter impleret; quam enim præmisit vel attulit gratiam, concipiendus, hanc extulit, salva possessione materna, natus plenissime longe lateque eam erogaturus.

Afferamus itaque ad lagunculam plenam cyathos sive scyphos nostros, ut inebriemur ab ubertate domus Dei, et bibamus vinum quod Virgo vitis germinavit, et quod æque germinat virgines. Non simus dediti vino in quo luxuria est, quod est de uva fellis, et est fel draconum, et venenum aspidum insanabile. Jesus Nazarenus quia Nazaræus est, non bibit hoc vinum; et quia vocabitur Emmanuel, id est *nobiscum Deus*, non faciamus nisi quod viderimus eum facientem, et non sint in nobis schismata. Conceptus certe est et natus de Maria quæ non est divisa, quia Virgo est et una virtute, virginitate, conceptione, prole, dignitate, protestatione, propitiatione et salvatione. Dicamus ergo *Ecce virgo concipiet*, etc., *et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, nobiscum in hac peregrinatione.

Non sufficio cogitare quo habitu, quo sermone et qua lingua ad illam nubem lucidam possim accedere, in qua Jesus non est transfiguratus sed incarnatus, nisi merito et incarnationem illam appellaverim a transfiguratione, cum ille *qui in forma Dei erat non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 6). Hæc revera est mirabilis transfiguratio qua non aliud in se transfiguravit, sicut Apostolus in se et Apollo transfigurat quorumdam infirmitates, sed se Deum in se hominem dispensatione ineffabili, non amissa, sed reposita forma Dei, et exposita forma servi transfiguravit, vel potius univit.

Mutato itaque, imo mutuato angelico habitu, si fieri posset utcunque cogitare, loqui aut scribere de Domina mea auderem; nam in isto sive proprio sive alieno, sive publico, sive privato habitu quid dicam? cum publicus sit dissolutus, privatus restrictus, alienus suspectus, proprius despectus, publicus nescit sobrietatem, privatus ignorat cordis dilationem, alienus securitatem, proprius timet abjectionem. In publico est filius Belial, liber justitiæ, onager in solitudine; in privato servus mammonæ, serviens ventri et gulæ; in alieno filiæ sanguisugæ quæ dicunt *Affer* (*Prov.* XXX, 15); in proprio, positus sub lege qui dicit : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23); suspensus itaque quid eligam ignoro.

Sed in dubiis tenenda est benignior interpretatio; semper igitur depressos et pavidos circumfero oculos, non sursum versus faciem in qua sunt duo luminaria magna, ultra valentiam oculorum præclara; per quæ subradiabat horis incertis lux lucis et fons luminis, sola quæ gestabant ultra valentiam oculorum præclaram : sed deorsum versus calceamenta filiæ principis quæ accincta et calceata mundi gloriam calcabat, et angelicam excellentiam eminebat; ubi ad radices Libani oritur fluvius paradisi Christus, qui factus est nobis Dei virtus, et Dei sapientia, justificatio et redemptio. Contrito itaque et humiliato spiritu mussitabo in gemitu meo ad januam Matris misericordiæ, si forte ab ipsa accipiam quod digne de ipsa dicam vel scribam; ratio enim hominis et ingenium succumbendo potius potest exspirare, quam dignum aliquid, sine gratia, de plena gratia dicere.

Devolvamus itaque arcam sanctificationis salutis gloriæ suæ indumentis, ut quæ soli filio nata superparcamus attingere, et quæ publicæ utilitati sufficiunt venerando tentemus appetere. Est enim in ipsa, et quod sine damno expandat in via; et quod cum gaudio servet in patria, unde hic fovetur devotio, et ibi perfruatur visio. De conceptu igitur ejus et partu assidua fiat commemoratio, quia æterni regni hæc est potior prælibatio; et est dulce super mel et favum, semper in ore et corde habere Mariam et Jesum.

Ecce novus, ecce recens, ecce adhuc in ipsa pendens arbore, tam bene sapidus, quam plene jucundus fructus. Neque enim tempore fit melior, quia omni tempore, non ætate sed creatione est senior. Verbum non maturandam naturam humanam assumpsit, quoniam assumendo consummate maturavit. Nec crudum aut semicoctum quidquam in ea reliquit. Non enim virtus in homine crevit, quem creando Divinitas perfecte implevit. Etsi ætate et gratia proficere puer Jesus apud Dominum et homines dicitur, nullum tamen in meritis per tempora augmentum creditur habuisse, quod non habuerit ab ipsa conceptione, de qua dicitur : *Ecce virgo*, etc. Crevit autem ætate, dies revera multiplicando; et gratia, non virtutes ampliando, sed divulgando apud Dominum et homines; sed hoc

totum propter homines. Nam apud Deum tantus, et talis fuit in ipsa conceptione; qualis et quantus fuit in sequentis temporis evidentissima manifestatione. Sed præmittit signum quod est et res et signum. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Signum aliud est quod datum est de Jesu; et aliud quod factum est a Jesu : utrumque tamen ab eodem Deo, qui fuit ante hominem Jesum, et est homo Deus. Cum enim sine ipso factum sit nihil, nec ipse Jesus qui factus est ex muliere, factus sub lege, sine ipso fieri, vel significari potuit. De illis vero signis quæ fecit Jesus, dicit Nicodemus : *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (*Joan.* III, 2). Hoc enim fuerat singulare, et supra quam credi possit admirabile est, Deum fieri hominem; merito signa hoc signum prævenire debuerunt; nec enim subito sed paulatim tam profundæ cogitationis Dei factura mentibus humanis infundi potuit, nec usque ad altissima Dei magnalia subvolaret nisi plumis et pennis suffulta anima.

Suaserat quoque propheta regi Achaz, ut peteret signum in profundum inferni..... aliud.... utique descensioni et ascensioni Domini, quibus incarnationis Dominicæ completur dispensatio. Recusante autem hoc indigno et reprobo, Isaias subjecit, dicens : *Propter hoc*, ipse, quia peccata tua, o Achaz, non merentur præscire mysterium incarnationis : *propter hoc dabit* (o fideles populi!) *signum*. Moyses non respuit signum, nec Gedeon, nec Manue, nec alii plures, quorum fides, licet parvula esset, sicut in Canticis dicitur : *Soror nostra parvula, et ubera non habet* (*Cant.* VIII, 8). : tamen integra stirpis nobilitate, et legitima unius Domini propagatione, præsumebat manum ad fortia mittere obedientiæ. Spicula rationis amputat fides, omnium adinventionem phantasmata elidit, usum consuetudinarium recludit, impossibilium naturam excludit; et velle atque posse Domini omnia subjicit. Accipit autem signum, non pro sua debilitate, sed pro jussione Dei. Sicut enim juvenis, sanus et validus, baculum in manu tenet, non quo sustentetur, sed quo delectetur : sic fides ad obedientiam non ad diffidentiam, quomodo fiant quæ..... comitem [*f.* contra communem] omnium opinionem mandantur, quærit. Unde est illud : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Luc.* I, 34.)

Hoc signum petit in persona Christi David : *Fac*, inquit, *mecum signum in bonum* (*Psal.* LXXXV, 17). Mecum, inquit, fac signum, ut Maria mater mea concipiat virgo et pariat, quod signum est in bono, quia de Spiritu sancto, qui est donum Dei bonum. Signum quoque Moysi, quo stabant aquæ maris Rubri hinc et inde quasi pro muro [*f.* murum], significatur Virginis conceptio, in qua nulla est pudoris violatio, sed tollitur tam a corde quam a carne fomitis prurigo. Gedeon denique postulat vellus madefieri sicca area, sicut imprægnata de Spiritu sancto sine acta pudoris Virgo Maria. Quid plura? Supra sidera, supra cœlum, supra omnem creaturam hoc signum præcelsius et gloriosius præeminet, quod virgo concepit, quod virgo peperit. *Ecce Virgo.* Quod ait, *Ecce*, videtur mihi oculo et digito propheta in horologio æternæ dispositionis affixisse, et prævidisse atque prænonstrasse unde angelus miraretur, homo redimeretur, Dominus conciperetur. Ecce avertite oculos ne videant vanitatem, et advertite quod factum a Domino; quod est mirabile in oculis nostris, in eadem virginitatem et fecunditatem. Ecce palatium mirificis impensis constructum, sed et gazis incomparabilibus locupletatum; solique Deo Dei Filio locupletatum. Ecce Virgo, ecce vitis, ecce uva, non acerba, sed matura.

Eva fuit uva acerba; Maria fuit uva matura. Nec mirum : illa enim initio sæculi compatiens gulæ, immatura consideratione prosilivit ad pomum acerbum prohibitione; et dentes filiorum necdum natorum obstupescere fecit in omni generatione. Hæc autem in fine sæculorum modestissima, rore et sole cœlesti maturata, nec propria [*f.* præceps] fuit præsumptione, nec tarda quasi putrida incredulitate. Angelus attulit ei florem, dicens : *Ave, Maria;* attulit rorem, dicens : *Gratia plena;* attulit fructum, dicens : *Dominus tecum* (*Luc.* I, 28); attulit maturitatem, dicens : *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui* (*ibid.*, 42). Idcirco more Christiano benedicimus fructus novos antequam gustemus, ne forte dentes obstupescant antiqua maledictione; si cadant sine benedictione. Ecce Virgo; ore, oculis, labiis, digito, pede, manu, corde, mente, carne. Ecce Virgo, quasi aurora inter noctem et diem, inter Dominum et hominem. *Pulchra ut luna* (*Cant.* VI, 9) dierum, id est virtutum plenitudine. *Electa ut sol* (*ibid.*), gratia, meritorum singularitate. *Terribilis ut castrorum acies* (*ibid.*), super omnes potestates angelicas et aereas, plena donatione. Ecce Virgo sapiens, quæ habet oleum effusum in ventre suo cum lampade mirabilium operum, quæ introivit cum sponso; imo, inquam, introivit sponsus, et filius ejus Jesus; tanquam ..... a cœli palatio, potius horto venustiore, vel paradiso delicatiore. Ecce Virgo : pia ad infirmos; sancta ad justos; herba fullonum ad immundos; sal ad putridos : scala ad claudos; reconciliatrix ad reos; misericordia ad miseros; portus ad naufragos; turris ad pavidos; domina ad suos; singularis bonitas ad cunctos. Ecce Virgo orientalis porta, per quam solus princeps ingreditur. Ecce Virgo, cella aromatum, cujus verba fragrantia super omnia aromata, quia in nulla virgine Spiritus sanctus tanta immisit spiracula virtutum, quibus odoratus Dominus odorem suavitatis, et angelica implentur thuribula, nostraque incensoria.

SERMO VII.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Super evangelium : *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph* (*Matth.* I, 18).

Fulcite me floribus, stipate me malis (*Cant.* II, 5).

Vox ista dulcis illius est quæ habitat in hortis, singulari et divino partui propinquantis; cœlicolas et terrigenas simul appellantis ad partum suspiciendum et suscipiendum; ad gratiam suam excipiendam et conservandam; ad gloriam Domini, et suam contemplandam et admirandam. Plane hoc sacramentum magnæ pietatis amabile est propter gratiam; admirabile propter gloriam; ineffabile propter splendorem et lucem inaccessibilem: splendor enim in circuitu ejus, et intrinsecus, a lumbis et sursum, de quo in præsenti evangelii lectione: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph.*

Quid amabilius in universis creaturis, Virgine Dominum singulariter amante, et a Domino præamata, de qua dicit Salomon: *Cerva charissima?* (*Prov.* v, 19.) Quid etiam amabilius illo Dei Filio dilecto, ab æterno nato ex dilecto; in fine sæculi, secundum Apostolum, facto ex dilecta, de qua subinfertur: *Et gratissimus hinnulus?* (*Ibid.*) Quid denique admirabilius quam incomprehensibilem [incomprehensibiliter sigillari in utero, nec separari vel subtrahi a cohabitatione, confessione, et cœqualitate Patris? Simul namque totus erat in Matre, et totus apud Patrem; quod quamvis dictu sit difficile, omnino tamen corde est credibile. Quid ineffabilius quam Verbum fieri carnem; quam hominem fieri Deum, et Deum hominem?

Ecce artifex Trinitas in uno opere suo totum hoc, id est Verbum et hominem, simul conflavit: ubi omnipotentia Patris, quod impossibile apud homines erat, et ideo ineffabile, in officina virginali vas novum de nova materia, novaque cælatura secundum omnipotentiam suam exculpsit. Sapientia Dei, quod Patrem vidit facientem, hæc eadem similiter fecit; ut si dici liceret, studiosius et affectuosius quam de se et per [*vel* pro] se vires ingenii sui in hoc eodem opere expendit. Spiritus sanctus tanquam ignis superveniens in fornace, divinitatem simul et humanitatem quasi colliquefaciens, non solum studia sua huic operi adhibuit, sed se ipsum vario opere omnium gratiarum fundens nec confundens, in eodem vase contexuit; unde dictum est: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). Ecce amabile ad ipsum tendamus. Ecce admirabile ad ipsum extendamus. Ecce ineffabile ad ipsum supra nos rapiamur: ibi flores, ibi mala, ex ipso, meditando; in ipso, quærendo; de ipso, amando; et per ipsum contemplando excerpamus, quæ filio, quæ matri parienti in præsepio, afferamus, offeramus et conferamus. Afferamus, ipsum meditando; conferamus, ipsum cum matre laudando; offeramus, super matrem Dominum hominem adorando.

Ut vero possibilia non de impossibili vobis, fratres charissimi, suggeramus, flores quos Dominæ nostræ afferatis succincte depingemus: sufficit enim flores offeratis illi, per quam refloruit caro nostra novitate virginei partus, quæ defloruerat per Adam vetustate originalis reatus. Nihil certe de furfurea A prævaricatione, in assumptione nostræ naturæ, Christo adhæsit; qui non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati, de primitiis humanæ naturæ, qualis in primo parente creata est, de matre in unione Verbi accepit. Nec asserimus aliquam particulam substantiæ humanæ immunem a peccato in Adam remansisse, et usque ad Virginem occultis meatibus decucurrisse; cum vera et catholica fides teneat modicum fermentum primæ transgressionis, totam massam naturæ nostræ in anima et corpore corrupisse.

Attinuit etiam plurimum ad causam nostræ reparationis ut omnipotens gratia tanto gloriosior in operatione sua appareret, quanto de vetusto, annoso, et putrido trunco, mirabiliori virtute, et B faciliori opere florem immarcescibilem, carnem scilicet Jesu, sacratricem angelorum, et vivificatricem hominum, sine peccato de Virgine procrearet. Ipse enim Christus de humanitate sua dicit: *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II, 1). Purificemus itaque, et renovemus corda et corpora nostra, ut in aliquo gradu castitatis ei appropinquare valeamus.

Est itaque primus gradus castitatis (ut ab inferioribus [*vel* infirmioribus] consurgamus) castitas fenalis, quæ naturaliter inest pueris, vel decrepitis, vel naturali complexione frigidis; quæ ideo fenalis dicitur, quia non multum, quantum ex homine est, meritum facit. Quod enim sine labore acC quiritur, sine pugna obtinetur. Bonum tamen est, quocunque modo, quacunque occasione fiat, non corrumpi.

Secunda est temporalis, quæ comparatur semini, *quod cecidit super petram; et natum aruit, quia non habebat humorem* (*Luc.* VIII, 6). Sic quorumdam castitas non mittit radicem deorsum, ut faciat fructum sursum: *sed ad tempus credit, et in tempore tentationis recedit* (*Luc.* VIII, 14), menstruam vel annuam retinens incorruptionem

Tertia pœnalis est: hic labor, hic opus, hic Jacob et Esau in utero Rebeccæ luctantur; sed dicitur *Quia major* [*serviet minori* (*Gen.* XXV, 23; *Rom* IX, 13), id est caro spiritui, virtuti vitium, luxuria castitati. De hac Apostolus: *Video aliam legem in* D *membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23). Item: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5).

Quarta triumphalis. De hac in Apocalypsi: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ* (*Apoc.* II, 7). Et Isaias: *Hæc dicit Dominus eunuchis (qui se castraverunt propter regna cœlorum* [*Matth.* XIX, 12]): *Dabo eis locum in muris meis, et nomen melius a filiis et filiabus* (*Isa.* LVI, 5). Hæc est revertentium de bello ad portam, qui sub vite et ficu, id est dulcedine gratiæ spiritalis complent annos virtutum, in senectute dierum; et habent pacem cordis et carnis, quam nec caro nec mundus dare potest

Quinta est virginalis. De hac in Evangelio: *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.*

v, 8). Hæc est Joannis evangelistæ. De ista dicitur : *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis* (*Cant.* I, 12). Virgineo enim pectori illabitur unicornis ille, qui singulariter et specialiter diligit castitatem; qui loquitur in Canticis : *Aperi mihi, sponsa mea, columba mea*, etc. (*Cant.* v, 2.)

Sexta cristallina : hæc adeo valida est et fortis, sicut mors, ut magis eligat mori quam ab integritate virginitatis violari. Et sicut in crystallo aquæ liquiditas in soliditatem lapidis versa est; sic ista indissolubilis carni et animæ inviscerata est. De hac Psalmista : *Mittit crystallum suam sicut buccellas* (*Psal.* CXLVII, 17). Hæc enim sorbitiunculas puero Jesu et matri ejus facit, quandoque et buccellas.

Septima est singularis; huic enim nec prima similis visa est, nec sequens. Proprie enim propria est beatæ Virginis, quæ non solum virginitas, sed fecunda virginitas, quæ virum non cognovit, et Deum hominem peperit. Hæc in Canticis loquitur : *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant.* II, 16); *inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* I, 12). In hujus contemplatione cor nostrum dilatatur exsultatione; sed pene rumpitur ineffabili admiratione et jubilatione. Isti sunt flores de quibus dicitur : *Fulcite me floribus* : de *malis* enim et de *amore langueo*, forte alias dicturi sumus, quia hic causa vitandi tædii, reticemus.

Summopere autem vestram dilectionem admonere curamus, ne manu fœdata in aliquo, sed bene lota, flores istos contingatis; est enim multiplex genus contaminationis, quo si contacti fuerint flores, statim marcescunt et evanescunt; nulla enim societas luci et tenebris; puritati et immunditiæ. Non ergo pulvis, non putredo, non scabies, non sudor, non sanguis, non venenum in manu tua sit. Pulvis enim cogitationes significat, quæ tanquam muscæ circumvolant, juxta animi puritatem, ut sacrificium Abrahæ commaculent, sed volucres abigebat Abraham; sic nos circumcidere a corde, et solvere ab affectu debemus omnem superfluam cogitationem. Putredinem quoque extergere debemus quam mala et longa mansione malitia in nobis operata est : sicut enim in pomo nascitur putredo de ejus corruptione, sic in nobis nascitur pollutio de mala cogitatione; hæc in confessione lavanda est. Scabies in manu nascitur, dum delectatio et consensus cogitationem sequitur. Sed ne flos boni operis tui, et castitatis tuæ hac peste contaminetur, confricanda est in confessione, et abluenda compunctione scabies immundæ pollutionis.

His omnibus vitiis correptione melioratis, adhuc cavendus est sudor, qui solet prodire de intercutaneo humore superfluo, et calore immoderato : in hoc notatur illud pollutionis genus, quod notat Apostolus, ubi dicit : *Melius est nubere quam uri* (*I Cor.* VII, 9). Et Isaias vocat duas caudas titionum fumigantium, ubi ait : *Noli timere a duabus caudis titionum fumigantium istorum* (*Isa.* VII, 4). Significantur A enim in duabus caudis, in utroque sexu membra illa pudenda, quorum exsecrabili fetore omnia in nobis corrumpuntur genera virtutum. Tolle et istum sudorem de manu tua, si vis in domo Domini florere sicut oliva fructifera.

Restant adhuc duo genera, Chananæorum et Amorrhæorum, quos subnervare in terra promissionis debet verus Israelita : quorum alter sanguineus a sanguine dicitur; alter venenum aspidum nuncupatur. Est autem ille sanguineus, illa pollutio de qua ait Apostolus : *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI, 18), et proprie adulterium vel incestus nominatur. Quicunque de genere sacerdotum his infectus sancta Domini contrectat, audiat a voce cardinum : *Non est mihi voluntas in* B *vobis* (*Malac.* I, 10); *quia manus vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I, 15). *Incensum abominatio est mihi*, etc. (*Ibid.*, 13.) De ultimo dicitur, quia passio est ignominiæ, et rogat Apostolus : *Nec nominetur in vobis* (*Ephes.* V, 3); quia, ut idem ipse ait : *Neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt* (*I Tim.* I, 10). His denique omnibus tanquam serpentis antiqui exuviis spoliati, inter innocentes lavemus manus nostras, et corde puro, corpore casto, ore sancto, spiritu sanctificato, anima castificata, novos flores nov æ nativitati novi Regis de paradiso Domini comparemus; et Sanctam sanctarum, Virginem virginum, Reginam reginarum, Dominam dominarum his floribus fulciamus; quatenus partem in partu ejus habere C mereamur. Quod nobis parare dignetur Jesus Christus Filius ejus, qui vivit et regnat, etc.

SERMO VIII.

IN NATIVITATE DOMINI I.

Dum medium noctis silentium iter haberet, omnipotens sermo a regalibus sedibus venit (*Sap.* XVIII, 15).

Intendite, fratres charissimi, quid sit iter silentii, et quid sit medium silentium noctis, medium autem quod non dicatur nisi inter duo vel aliqua planum est; ad minus itaque tria silentia requirere debemus quia medium audivimus.

Primum igitur silentium in utero matris habuimus, cum loqui nondum poteramus; secundum cum jam nati sonos quidem efferre, nondum autem D potuimus verba formare; tertium cum mortui vel in morte positi ultra loqui cessamus. Sic mundus vel antequam esset, vel cum adhuc informis esset, sine voce fuit, ecce primum silentium; completa vero creatura et homine perfecto in paradisi felicitate, vocem laudationis protulit; unde in Job : *Cum me laudarent astra matutina et jubilarent filii Dei* (*Job* XXXVIII, 7), videlicet in principio creationis, cum utique obediens æternæ dispositioni universa creatura cursu naturali procederet, et extra ordinem nihil faceret. Deinde venit medium silentium cum vel Lucifer in cœlo, vel Adam in paradiso peccavit : hoc iter suum habuit donec Verbum carnem assumpsit, et suis radiis noctem, et suis vocibus silentium interrupit. Movit enim quæstionem, litem

contestatus est super statu ingenuitatis nostræ, et præscriptionem antiquæ possessionis interrupit. Venturum denique est aliud silentium in tempore Antichristi vel in die judicii, quod tertium et extremum erit, quia ergo inter primum peccatum et extremum supplicium Christus venit : *Cum medium silentium iter haberet, sermo a regalibus sedibus venit.* Noluit profecto ante peccatum venire, quod necesse non fuit ad sanum descendere medicum.

Usque ad judicium quoque recusavit differre, quod misericordiam ante sententiam clementer accelleravit prorogare; in medio itaque venit, ut et peccatum emendaret et judicium mitigaret; in medio venit, quatenus neque injustus fieret sine satisfactione remittendo peccatum, neque crudelis exercendo sine temperamento pietatis judicium. In medio venit apponendo vinum et oleum, vinum propter peccatum, oleum propter judicium, ne judicium sine oleo, id est sententia sine misericordia condemnaret, ne peccatum sine vino, id est pœnitentia, impunitum remaneret.

Medium etiam silentium est in conversatione adhuc viventis, primum in origine nascentis, tertium et extremum in morte occumbentis; in medio venit qui in medio terræ salutem nostram operatus est; in medio venit, qui in medio duorum animalium in præsepio jacuit; in medio venit, qui inter duos latrones medius in cruce pependit; in medio venit, qui in medio Ecclesiæ et Synagogæ pene in omni malo fuit; in medio venit, qui *in medio Ecclesiæ* aperuit *os suum*, *et* implevit *eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus* (*Eccli.* xv, 5). Hic est fructus in medio paradisi; hic est dilectus inter ubera sponsæ; hic est angulus; hic lapis angularis; Hic *mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II, 5); hic primum amputat silentium, secundum interrumpit, tertium vincit; liberat enim non solum a peccato, sed et a pœna peccati, et a reatu peccati. A peccato liberat quod non imputat, a reatu quod salvat, a pœna quod eripit : *Eripuit*, inquit Psalmista, *Dominus animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* (*Psal.* cxiv, 8). *A morte*, id est a peccato, *a lacrymis*, id est a pœna peccati, *a lapsu*, id est a reatu nos liberat omnipotens sermo qui a regalibus sedibus venit.

Cogitate, fratres charissimi, cogitate quæ sint illæ sedes regales; non sedent in his nisi reges, nisi nobiles, nisi consules. Servus peccati non conscendit tribunalia ista; anima cui spiritus fornicationis insidet, quam incurvat spiritus avaritiæ, quam impingit spiritus iracundiæ, quam infrenat spiritus cænodoxiæ, quam fœdat spiritus luxuriæ, quam extollit spiritus superbiæ, quam depascit spiritus gulæ sedes regales non habebit. Sedebit autem super sedes regales in judicio qui carnem suam domat, qui avaritiam calcat, qui luxuriam amputat, qui cervicem suam humiliat, qui vanam gloriam contemnit, qui iracundiam reprimit, qui post Christum ambulans crucem suam accipit. Tales non recusant sedes regales, talibus enim debentur.

Sapiens architectus sedes quidem jamdudum collocaverat in cœlo, sed et sessores paravit cum crearet angelos; lapsi quidem sunt nonnulli in abusione et superbia cordis, et sic ex parte sine sessore factæ sunt regales sedes; quia qui in veritate non stetit, remanere in cœlesti sede non potuit. Ut itaque pararet idoneos sessores a suis regalibus sedibus ad nostra sterquilinia descendit pius Dominus; venit quærere in terra pauperes quos in cœlo faceret divites; venit ad exsules ut faceret consules, venit ad ægrotos ut sanaret, venit ad cæcos ut illuminaret; venit ad mutos ut loquelam redderet; venit ad immundos ut mundaret; venit ad impios ut converteret; venit ad ejectos ut reduceret; venit ad desperatos ut spem reponeret; venit ad miseros ut beatos efficeret, venit ad mœstos ut lætificaret.

Quid facitis, o homines? quid hic statis tota die otiosi? quare non curritis? quare retardatis? quare dissimulatis? Egrediatur jam sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo, quia Sponsus Ecclesiæ Christus egressus de cœlis venit ad hortum suum, ad areolam aromatis, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Hortus ejus Ecclesia; areola aromatis, Virgo Maria : hic hortus conclusus est, quia sexaginta fortes ex fortissimis Israel, id est angelicæ potestates, ambiunt eum, die ac nocte stantes super muros ejus, ne fur ingrediatur ad exstirpanda bona semina, ad evellendas plantationes novellas olivarum, id est animas ad misericordiam Dei noviter conversas. Ipse quoque Dominus est ei murus in circuitu et antemurale, murus propter assumens Verbum, antemurale propter assumptum hominem. Est namque refugium, sive turris fortitudinis a facie inimici; unus Christus in utroque, id est in divinitate et humanitate : habet hortus iste areolas quidem multas et varias, quia apostolos, quia martyres, quia confessores, quia virgines in gremio fidei et educationis suæ tam per passionem in terra, quam per glorificationem in cœlo continet : una est enim Ecclesia et in membris jam cum Christo capite regnantibus, et in membris adhuc extra mansionem peregrinantibus.

Præterea tam in ordine quam odore unicam areolam unice dilectam habet Virginem Mariam; hæc areola dicitur, non quia Joseph eam vel contactus virilis exaraverit, sed quia ordinator charitatis Spiritus plenitudine gratiarum eam conseverit; hæc areola dicitur, non quia spinas produxerit, id est productiones mali desiderii; non quia tribulos, id est anxietates cujuslibet malignitatis; non quia fenum, id est sæcularis prosperitatis; non quia stipulam, id est defectum sancti propositi; non quia salices de torrente, id est infecunda studia occupationum mundanarum; non denique quia aliquid plebeii aut forensis mercimonii; sed quia flos campi, sed quia lilium convallium, sed quia uva passa, sed quia aromaticæ species, sed quia

fistula et cinnamomum, sed quia myrrha et cassia, sed quia, quod incomparabile si attendas ad pretium, mirabile si ad usum, investigabile si ad mysterium, palpabile si ad visum, dulce si ad gustum, efficax si ad officium, sunt emissiones ejus.

Venite, fratres charissimi, ad areolam istam in spe sancta, in fide recta, in charitate perfecta, in castimonia integra, et emitte absque argento et absque ulla commutatione, si placet, vinum et lac, si placet mel et favum, si placet mala punica, si placet myrrham probatissimam, perfecti amatores Christi, et jam absorpti in concupiscentiam sapientiæ vinum, quasi modo geniti infantes, sive per regenerationem baptismi sive per renovationem sanctæ conversationis, rationabiles sine dolo lac in visceribus et in faucibus multitudinis gratiæ recipite mel, in meditatione Veteris et Novi Testamenti; favum in perfectione amoris Dei et speæterni præmii; mala punica, in imitatione passionis Christi, myrrham probatissimam. Recolite quam sit sapiens mater sapientiæ, quam simplex, quam pia, quam studiosa, quam plena charitatis, quam jucunda conversationis integritate, quam patiens in Filii passione, immarcescibilis propter incorruptionem casti corporis et fidelis animæ, delectabilis propter floris amœnitatem, fertilis propter gratiæ plenitudinem, cultorem admittens propter humilitatem, raptorem excludens propter cautissimam circumspectionem.

Hæc Verbi generatione medium silentium de medio tulit, de regalique stirpe exorta, de regalibus sedibus Filium Altissimi casta conceptione nobis attulit. Procedamus et procidamus ante hunc thronum gratiæ et adoremus scabellum pedum Domini, non solum illi præ mulieribus gloriam solventes, sed etiam reverentiam pro omni etiam angelica creatura exhibentes. O Domina, ostende servo renato Filium natum, ut nati exorans clementiam, renati deleas culpam.

SERMO IX.

IN NATIVITATE DOMINI II.

Super hæc verba : *Ait Moyses : Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto; in quo enim scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur in omnibus populis qui habitant super terram? Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum istud faciam*, etc. (*Exod.* XXXIII, 15-17.)

Beata mens tota securitate Deum aggreditur, et tanquam ex æquo interpellans, suis beneplacitis summam inclinare majestatem nequaquam impossibile arbitratur; nihil enim non præsumit perfecta charitas : nec immerito, moderatur enim et appendit in statera æquitatis se Deo, nec minorem, nec indigniorem, nec inferiorem se illo qui est charitas reputat. Cum ergo de mente divina diffundendo per Spiritum sanctum in animam humanam suavitas illa perfecte colliquescit, jure originario primarium repetens alveum, quia ad locum de quo exeunt flumina revertuntur, audet nulli alii præter ipsam audenda, et quasi Deum ipsum astringens rogat insperata, petit ardua, inaudita implorat. Hinc est quod Moyses ausu familiarissimo de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta, testimonium ei perhibente eadem conscientia in Spiritu sancto, loquitur ad Deum : *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Nihil, inquit, sine te possumus, hostes equidem acerbissimos a tergo et ante habemus, nos ipsi parum docti et modesti sumus, iter invium et inaquosum, desertum horridum et tetrum, locus ad quem ire debemus ignotus, et quomodo sine te ibimus? *Ne ergo educas nos, si tu non ipse præcedas.* Pertinuit quidem hæc oratio Moysi ad rem quæ tunc gerebatur cum Israel de Ægypto educeretur, sed convenientissime etiam huic præclaræ solemnitati quæ de nativitate Salvatoris agitur, alludere videtur.

Est igitur vox totius humani generis in ore prophetarum, et eorum justorum qui adventum Christi præcesserunt. *Si non tu ipse*, inquiunt, *Domine, præcedas nos, ne educas nos de loco isto.* Plane locus in quo positi imo expositi sumus, malignus est propter malitiam nostram et miseriam : carcer tenebrosus est propter divinæ lucis absentiam, et verorum bonorum inopiam; vallis lacrymarum est propter laborum, spinarum et veprium abundantiam. Hinc ergo exire libet, sed ad meliora, non deteriora; satius est enim tolerare jam nota et assueta, et utcunque tolerabilia mala, quam attentare pessimiora, et nullo relevamine finienda; indubitanter enim homo venundatus sub peccato post hanc pœnam trahitur ad æternam, nisi subvenerit Redemptor, qui solvat pretium et educat captivum.

Compeditus ergo nexibus mortalitatis et pœnalitatis, tormenta crucis et suspensionem patibuli gemens sibi præparata in exitu carceris, provide consolanti se Deo per oracula sua, et promittenti liberationem, ait : *Si tu non ipse præcedas nos, ne educas nos de loco isto.* Non mihi sufficit Michael qui præliaturus est cum dracone, et victurus eum in novissimo tempore, quia non adeo confido de bonitate ipsius, aut de potestate sicut de tua, cujus et potestati nihil resistit et bonitate omnia implentur. Non credam causam meam Abrahæ cum trecentis vernaculis; non Josue qui triginta tres reges vicit; non Gedeon qui Philisthiim in trecentis qui aquam lambuerant, in lampadibus et lagenis superavit; non Samsoni qui mandibula asini mille viros prostravit; non cuilibet de massa peccatrice, quia nullus in hoc articulo vel soli sibi patrocinari potuit. Tibi ergo soli credendum de itinere, quia via es; de rectitudine semitæ, quia veritas es; de reparatione laboris et inopiæ, quia vita es; de defensione ab hostibus, quia omnipotens es; de refectione, quia panis angelorum es; de consilio, quia sapiens es; de reconciliatione, quia pacificus es; de remedio infirmitatis, quia medicina es; de omni

infortunio, quia beatitudo es. Præcede igitur tanquam sol, tanquam dux, tanquam dominus, tanquam patronus, tanquam gallina pullos suos, tanquam aries oviculas, tanquam columna lucis et nubis; exemplo eris sequentibus, solatio mœrentibus, recreationi deficientibus, increpationi malefacientibus, vehiculo lassescentibus, exsultationi pergentibus : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es; — si consistant adversum me castra, non timebit cor meum* (*Psal.* XXII. 4; XXVI, 3).

Quid Pharao cum Ægyptus suis? quid mare Rubrum, quid Jebuzæus, Pheræsæus, Chananæus, Amorrhæus, Hethæus, Gersezæus et Hevæus filii Enacim? Quid solitudo, ubi Deus? Plane in obsequium redigitur quidquid contrarium minabatur; B cui Dominus comes est in via, omnia prosperantur et in bonum convertuntur. Sed exigit sibi tantæ majestatis præsentia summæ venerationis cultum, videlicet oculum simplicitate columbinum, castitate turturinum, linguam sacra doctrina eruditam, labia calculo igneo manu angeli purgata, aures circumcisas ne audiant sanguinem, manus mundas a munere, puras ab omni pollutione, pedes rectos in prædicatione, ablutos a sæculari vanitate, cor castum ab irruentium cogitationum et desideriorum phantasmate; standum in timore et tremore in conspectu Domini Sabaoth, ne irascatur, ne immittat iram et indignationem per angelos malos; si juxta illum discooperueris turpitudinem tuam, ut leo rugiet, arcum tendet, sagittas igneas vibrabit, et mucro ejus desæviet pertransiens animam usque ad inferni novissima. Verendum certe illic irreverenter cum immunditia assistere, ubi nec ipsa sidera munda, ubi nec illi ministratorii spiritus sine reverentia accedunt, ubi etiam justitiæ nostræ velut pannus menstruatæ sordescunt.

Sed ecce descendit Dominus composita et quasi complicata illa deitatis majestate intra lutum assumpti de Virgine corporis, quatenus ad nostræ fragilitatis et cohabitationis tuguria benigne se humilians mores nostros cognosceret, et suos nobis manifestaret, ut paulatim impuros nostros calore suæ dilectionis excoqueret, et suos purissime defæcatos nostris intorquendo imprimeret. Dare namque venit, non accipere; nisi forte dicatur quod a nobis animam et corpus accepit, plane ita est, corpus et animam a nobis, id est conforme, non tamen tanquam de nostro, sed tanquam de suo accepit. Ipse enim novo artificio novam creaturam de veteri compegit materia, ubi pluris æstimatur opificis artificium, quam præjacens materia originalis, nisi enim fieret caro de carne Virginis caro Dei, quid esset caro Virginis nisi caro hominis? at ubi obumbrante Spiritu sancto præcisus est ramunculus carnis de arbore humani generis, et insertus divinæ naturæ, in novam concrevit arborem justitiæ Jesu Christi conditione meliorata; nunquam enim deinceps fuit caro peccati, nec appellata est tantummodo caro hominis, sed etiam caro Dei. Hoc autem totum est ex gratia non ex natura, nec merito materiæ, sed artificio gratiæ atque divinæ potentiæ. A

In hac ergo carne assumpta *si tu ipse non præcedas, ne educas nos de loco isto; in quo enim scire poterimus ego et populus tuus*, etc. *Et verbum*, inquit, *illud faciam*. Gratias tibi, Domine, quia complesti quod promisisti : non fuit apud te est et non, sed est apud te est, sunt enim sine pœnitentia dona et vocatio Dei, semper ambules et perambules in medio, in corde nostro, semper præcedas nos ut expedias viam, et deducas atque perducas in æternam patriam in lumine vultus tui, Christe Jesu, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

IN NATIVITATE DOMINI III.

Super hæc verba : *Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine*, etc.

Ad bonos mores nostros, contra quos nemo debet venire, pertinet undelibet et quibuslibet noviter advenientibus aut obviantibus devote et humiliter salutis obsequium exhibere; nobilis, ignobilis, servus, dominus, vicinus, amicus, clericus, monachus, vir, mulier, Christianus, gentilis, Judæus plane indifferenter utuntur hoc jure. Itaque, fratres charissimi, sollicita sedulitate ad invicem requiramus qua salutatione honorandus sit tantus Dominus, tantus hospes, tantus rex, tam necessarius medicus, tam charissimus amicus, tam germanus frater, tam C desideratus Salvator et Redemptor, qui ad nos hodie venit, qui tugurium nostrum intravit, qui semicinctiis nostris sese operuit; revera hilarem vultum, jucundum eloquium, mundissimum hospitium præstantissimum ei parare debemus obsequium; causa enim nostri venit et nostram causam suam fecit, dignus ergo est salutatione qui venit salvare, sed qua? equidem nova et cœlesti non inferiore, non viliore quam mater sua ab angelo salutari meruit, sic enim salutat eam angelus : *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28); deinde salutata Domina nostra, et ipsa paulo post salutat Elisabeth cognatam suam : quare ergo et nos his novis salutationibus ex parte nostra non interseramus tam D dignam salutationem, quæ locum congruum in his accipiat?

Dicamus ergo *Gloria tibi, Domine*, quia tu Filius sapiens gloria es Patris; quia gloriam possides in regno tuo, non amittis in stercore nostro, quia tibi est consubstantialis gloria, ut nascendo de Patre ante omnia tempora, ut carnem assumendo de Virgine in fine temporum; tu enim nunquam angelis tuis in cœlis inglorius apparuisti; tu rectis corde in terris etiam cum esset vultus tuus absconditus; etiam cum appareres leprosus non habens speciem neque decorem; etiam pannis involutus in præsepio; etiam clavis confixus inter duos latrones in crucis patibulo; etiam positus in sepulcro; semper et ubique gloriosus es, et gloriose magnificatus.

Gloria tibi, Domine, fons gloriæ, sedes gratiæ; opera magnifica et a sæculis inaudita tu operatus es in médio terræ.

Si Moyses legum lator de monte umbroso et condenso, propter loquelam tuam, quam audivit in nube, et faciem, quam vidit in caligine, ubi tu habitas, tantam gloriam descendens ad filios Israel reportavit, ut non possent intendere in faciem ejus, propter gloriam vultus illius, quæ evacuatur : quanto magis facies tua gloriosior, quæ sicut sol lucet in virtute sua, resplenduit in nativitate tua, qui es splendor gloriæ, et figura substantiæ Dei ; qui es candor lucis æternæ; qui es candidus et rubicundus, electus ex millibus; qui es gloria quæ elevatur super cherubim; qui es imago gloriæ Dei, Rex sæculorum immortalis, invisibilis, cui honor et gloria in sæcula sæculorum; gloria, inquam, tibi de Patre, de Matre, de omni genere tuo et generatione, de nomine, de opere, de nativitate, de vita et conversatione; de verbo et prædicatione; de cæcorum illuminatione; de auditus restitutione; de leprosorum emundatione; de mortuorum resuscitatione; de passione tua; de morte; de descensione ad inferos; de resurrectione; de ejusdem resurrectionis manifestatione; de ascensione; de consessione ad dexteram Dei Patris; de interpellatione pro nobis; de extrema futuri judicii bonorum et malorum discussione.

Gloria tibi, quod jugum legis Mosaicæ, quod portare non potuerunt antiqui patres nostri, quia manus Moysi graves erant, et chirurgica curatione circa ægrotos suos sanandos utebantur; dum oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore, talionem pro talione absque ulla miseratione rependebant, a cervicibus nostris deposuisti, et jugum tuum suave supposuisti, quo peccatores terræ non occideres, neque intolerabiliter curares; sed sicut plenus gratia et veritate, semper gratiam prorogares, oleum promittens præcantares infirmis tuis; deinde veritatem, deinde vinum, deinde judicium temperate subinferres.

Quid mirum si Moyses durius egit, tu mollius? Quis enim ille, quis tu? Quid ad nos ille, aut nos illi? Neque ille nos creavit, neque plasmavit; nihilominus neque redimere potuit : frater enim non redimit. Sed quis? Homo? utique, sed homo Deus, homo qui dicit in Psalmo : *Mater Sion, et homo natus est in ea et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Homo; quem ille evangelicus non habebat qui exspectabat aquæ motum descendente angelo in piscinam, et dicit : *Hominem non habeo* (*Joan.* V, 7).

O puer Jesu, tu es ille homo in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo; o homo Dei, imo homo Deus! Noe, Abraham et Moyses nescierunt nos, quia figmentum nostrum non ipsi plasmaverant, neque scire potuerunt quid esset in homine, nisi quatenus homines in facie videbant, imo animarum medicinam talem conficere nequiverunt quæ languores nostros omnes sanaret, sed de qua languor magis ingravesceret. Nam sive lex sive circumcisio neminem ad perfectum adduxit; tu vero solus nosti corda hominum, qui sigillatim finxisti corda eorum. Tu plene intelligis quam sint fragilia corpora nostra, quam limosa, quam lutea, quam fluxa, quam impatientissima, quæ mane florent et transeunt, vespere decidunt, indurant et arescunt. Adhibuisti ergo congrua medicamenta naturæ nostræ contritæ et conquassatæ tanquam bonus, tanquam pius medicus. Utique de Spiritu sancto conceptus, de Virgine plena gratia natus, Filius hominis Filius Dei non in igne, non in commotione, non in ustione, non in secatione, sed in aqua regenerationis, sed in oleo chrismatis, sed in confessione cordis et oris constituisti sacramenta nostræ reparationis.

Quid facilius ad remissionem peccatorum, quam quod remissa sunt peccata per lacrymas mulieri, quæ in civitate erat peccatrix, et omni transeunti divaricaverat pedes suos, et habebat septem dæmonia. Item alii deprehensæ in adulterio dicitur : *Vade et amplius jam noli peccare* (*Joan.* VIII, 11). Nusquam in Evangelio aliquid crudelitatis de Jesu invenies : cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit; parvulos, peccatores et meretrices suscipit. Scribis, Pharisæis superbis, hypocritis de sua justitia præsumentibus resistit, dicens : *Misericordiam volo et non sacrificium* (*Matth.* IX, 13). Quid ultra de bonitate et pietate pueri nobis nati dicere possumus, nisi quod etiam mortem suam ignoscit suis crucifixoribus. *Gloria tibi, Domine, qui natus es*, etc.

SERMO XI.

IN NATIVITATE DOMINI IV.

In hæc verba : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII, 20)

Opulentissimus quondam et dives inter omnes Orientales Dominus, cujus orbis est et plenitudo ejus, non casu fatali urgente, sed ipso agente et infinitos thesauros, gazasque innumerabiles misericorditer proponente, ad paupertatis extremas devenit reliquias, ita ut de se dicat : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*. Quare? forte quia nihil voluit habere de anathemate Jericho, forte quia non venit pecuniam accipere, sed dare animam suam redemptionem pro multis : *In propria* enim *venit et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 11). O sui non sui, sui creatione, non sui electione; sui servili timore, non sui filiali subjectione; sui radice patriarcharum, non sui participatione pinguedinis olivæ; sui legislatione, non sui adoptione gratiæ; sui specie, non re; sui habitu non spiritu; sui verbo et lingua, non opere et veritate; sui, inquam, non receperunt eum animo, corde, voluntate, veneratione, exhibitione.

Quæris causam? quia non est propheta sine honore nisi in patria sua. Estne hoc propter avaritiam, an propter inopiam, an propter odium, an propter negligentiam, an propter ejus insolentiam? sed quæ agni insolentia, qui *coram tondente se ob-*

mutuit et non aperuit os suum? (*Isa.* LIII, 7) quæ insolentia ejus qui *venit non ministrari sed ministrare?* (*Matth.* XX, 28) quæ insolentia ejus *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste?* (*I Petr.* II, 23.) Si vero negligentia eorum, nimis crassa et supina negligentia est : negligere Dominum, negligere Redemptorem et liberatorem suum, negligere incurabilem morbum! Si autem odium, unde putas charitas odiosa, unde justitia reprobanda, unde pietas exsecranda, unde salus respuenda? Si denique propter inopiam; quis adeo inops ut non habeat saltem miserrimum tuguriolum, saltem calicem aquæ frigidæ, saltem sinum, saltem gremium? Si ad extremum propter avaritiam, fenerare nesciebas? Ad usuram centesimam dare pecuniam tuam quare illi recusabas, a quo etiam cœlum luctari poteras? Voluit certe sic reprobari lapis angularis, ut vineam suam aliis agricolis locaret; et daretur regnum Dei genti facienti fructus ejus. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate; semini nequam : filiis sceleratis!* (*Isa.* I, 4.) — *Projecisti eum tanquam leprosum, tanquam percussum a Deo, et vulneratum. Ipse autem dolores nostros tulit* (*Isa.* LIII, 4); et hospitium suum benedictionibus cumulavit; ut hospites ejus efficiantur filii Dei; *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17); — *cives sanctorum, et domestici Dei* (*Ephes.* II, 19).

Vacuandum itaque est, fratres charissimi, hospitium Christi fide et voluntaria paupertate : mundandum confessione; dilatandum charitate; ornandum religione; bonis odoribus aspergendum : et ne quis alienus vel profanus accedat, intenta circumspectione muniendum. Cura et sollicitudo sæcularis, concupiscentia carnis, superbia cum omni familia sua secedant, et locum Christo in corde faciant. Deinde gula, luxuria, avaritia, ira, discordia, et tota infernalis familia fugam arripiant; ut egrediatur diabolus ante pedes ejus, cum filiis et filiabus suis, Gergesæo, Hethæo, Amorrhæo, Pheresæo, Ævæo, Jebusæo, et Philisthæo : male enim occupant terram : qui vero Domino pensum non solvunt, nec ab ipso possessionem recognoscunt, nec colunt eam ad fructum, sed parant ad incendium. Verus et legitimus Dominus, explosa gente non sancta, ingrediatur : hanc hæreditatem suam recipiat, et recognoscat imaginem suam; quatenus anima nostra revertatur ad antiquitatem suam, quando nondum peccaverat Adam. *Cogitavi*, inquit Propheta, *dies antiquos; et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVI, 6). Perflat namque Christus habitans in corde, hortum suum, ut fluant talia aromata, id est cœlestium et æternorum desideria : vacuatum quidem cor ab ira, ab odio, ab inimicitia, a gratia sæculari, ab omni quod virtutum germen suffocat, etsi nondum caput, pedes tamen Jesu jam adorat.

Sed quale caput? caput Filii hominis, quod non habet ubi reclinet. Audi Sponsam, quæ forte comas capitis hujus aliquando discriminaverat, et fonte lacrymarum irroraverat; audi quid dicat : *Caput*, inquit, *ejus aurum optimum* (*Cant.* V, 11). Dic et tu amice Sponsi, Joannes evangelista, quale sit caput Filii hominis. *Caput*, inquit, *ejus et capilli tanquam lana alba, et tanquam nix* (*Apoc.* I, 14). Dic planius : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I, 1). Et Paulus : *Caput Christi Deus* (*I Cor.* II, 3). Hoc caput apud Patrem habet reclinatorium aureum, quia est in sinu ejus, quia Filius in Patre, ut ipse ait : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* X, 38). Parva sunt hoc caput, et hoc cervicale sive capitale. Nihil æquabilius, alterna requie horum nihil delectabilius. Pater complacet sibi in Filio; et Filius in Patre. Mutua sese, et ineffabili dilectione, modo indicibili fovent, et sibi cohærent. Hac eadem retenta indissolubili unitate, absque coæternitatis dispendio, temporali dispensatione, in gremio Virginis humanitatis capitale alio astrinxit vinculo : ut sicut vera unitate cum Deo Patre, unus Deus; sic vera unione Verbi, animæ et carnis, esset unus homo Deus, et Deus homo.

Tria itaque habet Christus reclinatoria : Deum Patrem; Virginem matrem; assumptum hominem. In matre namque totum caput reclinavit, quia, obumbrante Spiritu sancto, in ea accumbens et requiescens, quasi longos somnos fecit, dum moras humani corporis per membra disponendi seu componendi profunda secreti sui ratione patienter exspectavit. Interim cum esset in accubitu suo, nullas ei molestias Virgo integerrima excitavit. Cœleste silentium per omnes motus animi et corporis continuit, intrinsecus rapta audiebat arcana quæ non licet homini loqui. Soporem immisit Dominus in Adam, cum de costa ejus Evam fabricaret. Sed nullatenus fuit necesse Dominam nostram obdormisse, cum Christi caro de carne ejus extraheretur. Quæ enim læsio, ubi nulla corruptio? imo quid tam suave, quam gratiam Spiritus sancti sensibiliter in medullis, et ossibus, et carne, et sanguine, et animo sentire; Deoque in obsequium substantiam suam concorporandam, in gloriam et gratiam Unigeniti Filii Dei subministrare? Nullus dolor discissionis, ubi omnem jacturam perditionis restaurat vinculum tam adorandæ unionis. Et hoc aureum reclinatorium est.

Quartum restat reclinatorium, quia Jesum natum, locum non habens in diversorio, reclinavit eum mater sua in præsepio. Commune forte aut cujuslibet alterius. Non Joseph, non Mariæ fuit hoc reclinatorium; idcirco veraciter dicitur, quia : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Animalium erat præsepe, non hominum. O Jesu, de altissimo solio gloriæ tuæ, quam incomparabile elegisti descensorium, seu reclinatorium! quam altum illud, quam profundum istud; quam Deo dignum illud, quam indignum istud; quam gloriosum et nobile illud, quam vile et despicabile istud! Occurrant miseriæ nostræ, penetralia undique liquefacta visceribus misericordiæ Dei nostri, sic a summo ad imum sta-

tionis nostræ, distillantibus incerta et occulta sapientiæ Dei, et nulla recompensatione moderantibus, unde vel quo venerit summa Deitas. Tali Dominus voluit mysteria nostræ restaurationis inchoare initio, ut, capite nostræ superbiæ compresso, dedisceret homo alta sapere, et disceret humilibus consentire.

Hæc signa pueri nobis nati et dati : ab oppositis se erigunt apostasiæ diaboli et hominis. Quis putas puer iste erit? ecce officinam suam incipit, non statuere in lateribus aquilonis, sed in præsepio; non throno regali, sed in loco humili. De hoc reclinatorio agnus vagiens in excelso throno auditur; et ei cœli sublimitas mittendo stellam vel angelos, devote et humiliter substernitur.

Quintum quoque recenseo crucis reclinatorium, quod commodius appellaretur recurvatorium, quam reclinatorium. Mater reclinavit eum in præsepio, noverca Synagoga Judæorum suspendit in patibulo. Ibi potestas ejus quasi recurvata, non se vindicando extendit; sed omnes patiendo mortis angustias, pro reis pependit. Nec fuit inanis hæc recurvatio; quia ad fetum sicut cerva, ut ait Job (cap. XXXIX), incurvavit se; quatenus ex dolore crucis simul pareret omnes filios prædestinationis; ut ascendens ad palmam victoriosi triumphi Jesus, fructus apprehenderet credentis populi. Quomodo igitur *non habet Filius hominis* in terra *ubi caput reclinet?* Animadverte quod se ait exaltandum a terra, cum se crucifigendum prædiceret : hoc et alio intellige modo; quia Judæi Christum in cruce positum, non se ipse suspendit; sicut Judas, qui suspensus crepuit medius.

Jam igitur præstemus illi nascenti reclinatorium aureum, id est cor mundum fide, dilatatum charitate, exultatum cœlesti contemplatione, et innovatum Spiritus sanctificatione. Tale cor non terrenum, sed cœleste, Christo hospitium præparabit : ubi mensa legis et Evangelii, ubi candelabrum crucis, ubi lectus divinæ dilectionis, ubi chorus jubilationis, ubi balneum sanctæ compunctionis, ubi caminus charitatis, ubi fenestræ meditationis, ubi cancelli lectionis, ubi privata domus sanctæ confessionis, ubi panis divinæ voluntatis, ubi vinum fervoris, ubi area conscientiæ planæ, et absque scrupulo peccati urgentis. Non recusat reclinari in tali reclinatorio Puer qui natus est nobis Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

IN NATIVITATE DOMINI V.

Si omnis anima undecunque vires ingenii sui, quasi in funiculo beatæ sollicitudinis colligaret, et ad unam quærendi Dominum occupationem cogeret, seu colligeret; nunquid vel sic sapientiam Dei præcedentem omnia investigaret? O misera et insipiens anima, quare argentum tuum expendis, non in panibus; et laborem tuum, non in saturitate? Cur te evisceras in vanitates et insanias falsas, vana mundi lucra sectando; philosophica ingenia admirando, poetica figmenta legendo; et evangelica Dei negligendo, legemque prævaricando? Dic potius Domino : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum; et exquiram eam semper* (*Psal.* CXVIII, 33); ut nunquam desistas quærere, nunquam desinas amare, quasi ardentissimus potator, qui quo amplius biberit, vehementius ad pocula recurrit. Dic Sapientiæ : *Vias tuas demonstra mihi, et semitas tuas edoce me* (*Psal.* XXIV, 4).

Quære illius hospitium, quære transitum, quære domum, quære cubiculum, quære deambulatorium, quære solium. Credo quod si fideliter, si humiliter, si pie, assidue his te alligaveris studiis, saltem fimbriam vestimenti ejus contingere poteris. *Omnis gloria ejus filiæ regis* primogenitæ, *ab intus; in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* (*Psal.* XLIV, 15). Cingulum Sapientiæ, in quo dependent fimbriæ aureæ, est dispositio tam visibilium creaturarum quam invisibilium. Fimbriæ vero aureæ sunt; vel prima illa opera sex dierum; vel ætates mundanarum distinctionum, vel opera quæ in carne gessit Filius Dei; vel etiam sacramenta quæ Sponsæ suæ dimisit, cum ad Patrem rediret; et ad procreandam Christianorum sobolem, post se usque ad tempus et numerum præfinitum in terra relinqueret. Sed quid faciendum si jam mutaret hospitium, antequam tarda accurrant desideria animæ quærentis Deum, quærentis sapientiam? Quærat saltem transitum.

Sed ubi est hospitium Dei? in lege Moysi. Ubi transitus? in prophetis. Ubi domus? in Evangelio. Ubi cubiculum? in Epistolis Pauli, vel in utero matris, vel in patibulo crucis, aut in monumento lapideo. Ubi deambulatorium? in expositione Scripturarum, vel in ascensione nubium. Ubi solium? in dextera Patris. Quare dicitur lex hospitium Dei? Quia propter inutilitatem et infirmitatem, quæ suo tempore facta fuit, translata est, ut ait Apostolus : *Quod*, inquit, *antiquatur et senescit, prope interitum est* (*Hebr.* VIII, 12). Fuit ergo tanquam hospes in lege Christus : quia ut Isaac oculis caligantibus filio suo benedicens, quis esset ignorabat : sic in vitulo, in ariete, in agno, in capra, in hirco emissario, in turture et columba, in simila, in oleo, et cæteris cæremoniis figurabatur, et non agnoscebatur. Hospes ergo erat, quia de se, ipse legere dederat; et cum hæres esset, quis esset latitabat.

Quidam tamen, qui quasi poma in cacumine ficulneæ, erant sancti patres, qui ei debitum obsequium impendentes, justificabantur eadem fide, qua et nos credimus et salvamur. Adhuc apud Moysen hospitatur Dominus, tanquam apud archisynagogum, cujus filia, id est Synagoga infidelis, licet mortua, si crediderit, ab eo resuscitatur. Cum enim Scribæ et Pharisæi sedentes super cathedram Moysi legem tenentes, contra legem Dominum legis extra Synagogam fecerunt; succedentes prophetas, ut per eos transitum haberet, meruerunt. De ipso enim in Can-

ticis dicitur : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles* (*Cant.* II, 8). Modo enim Isaias Regem Dominum exercituum videt sedentem super solium excelsum, et elevatum, etc. Modo Ezechiel videt gloriam Domini juxta fluvium Chobar. Modo in campo; modo in civitate; modo in templo. Modo Jeremias videt virgam vigilantem. Modo Amos videt Dominum super murum litum stantem, et uncinum pomorum atque trullam cœmentarii in manu tenentem. Modo Zacharias inter myrteta videt Virum, scilicet Dominum; et alii suo tempore, et suo modo transilientem per se gratiam senserunt. Unde Psalmista : *Deus cum egredereris in conspectu populi; cum pertransires in deserto : cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel* (*Psal.* LXVII, 8). Jesu namque transeunte, cœlum gloriam [*vel* gratiam] non cessabat pluere. Ubi facies Dei, ibi cognitio Dei; et ubi cognitio Dei, ibi devotio; et ubi devotio, virtutum fructificatio.

Sub figura hujus transitus in quarto volumine Regum, dicit magna quædam mulier de Elisæo : *Animadverte quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter : faciamus ergo ei cœnaculum parvum et ponamus ei in eo lectulum et mensam, et sellam, et candelabrum; ut cum venerit ad nos maneat ibi* (*IV Reg.* IV, 9, 10). Lustrando et illustrando sanctorum mentes gratia superna transitum facit, quia tenuissimo contemplationis filo ponderositas humanæ fragilitatis elevata cito ad ima reflectitur, et vix in bonis Dei demoratur; solus Jesus hoc usus est privilegio, ut Spiritus sanctus super eum descenderet et maneret.

Faciamus ergo cœnaculum parvum; parvum quidem propter fragilitatem; cœnaculum tamen, propter cœlestium æmulationem. Faciamus in eo lectulum ad quiescendum, mensam ad reficiendum, sellam ad residendum, candelabrum ad videndum. Pausat Dominus in mente quieta; reficitur in anima ad mandata Dei, et scientiam Scripturarum intenta; sedet in eo, qui se non judicat in eo quod probat. Accendit candelabrum illius, qui simplici oculo, id est pura intentione, soli Deo placere cupit. Sic in iis saliendo et transiliendo, transilientes eosdem facit; tamen quia, *pro Idithun*, quod interpretatur *transiliens*, quibusdam psalmorum titulus apponitur, in libro Psalmorum passus illius et saltus, qui similis est capreæ hinnuloque cervorum, a primo ingressu in uterum Virginis, usque ad regressum in dexteram Dei Patris, si bene distinxeris, sicut et in aliis prophetis, reperire poteris : et in hospitio itaque, et in transitu occurre hospiti et transilienti.

De hospitio Jesus transit au domum, id est Evangelium : quia *quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3) : cujus incarnationis mysterium, loquitur Evangelium. Sic ergo Dominus manet in domo, sic Christus in Evangelio, ubi Gabriel archangelus missus a Deo, quasi portam claudit et aperit, dicens : *Ave, Maria*, etc. usque *paries Filium* (*Luc.* I); Joseph in atrio exteriori observat valvas, sed vix audet respicere illas : unde sicut centurio ad sepulcrum Domini territus clamavit : *Vere hic homo Filius Dei erat* (*Marc.* XV, 39); sic Joseph Virginis in prægnatione turbatus voluit occulte dimittere eam : hinc est quod in ostio templi palmæ et cherubim ministrent Filio regis tanquam Domino suo.

Domus proinde evangelica quatuor habet angulos, juxta quatuor cœli ventos; ubi singuli evangelistæ singulos muniunt angulos, dum Matthæus ad orientem juxta columnam cedrinam, habentem faciem hominis, conscripsit Evangelium stylo hominis, dicens : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1). Ad septentrionem vero Marcus, juxta columnam marmoream exculptam facie leonis, scripsit Evangelium suum calamo solitudinis, sic inchoans : *Ego vox clamantis in deserto : Parate viam Domini* (*Marc.* I, 3). Ad occidentem Lucas, juxta columnam de lignis Sethim, quæ sunt similia albæ spinæ, habentem faciem vituli, sic exorsus : *Fuit in diebus Herodis regis, sacerdos nomine Zacharias* (*Luc.* I, 5). Ad meridiem Joannes, juxta sapphirinam faciem aquilæ, scripsit Evangelium suum penna evangelica [*f.* angelica], sic evaporans de fumo altaris : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I, 1). Matthæus residet in sella justitiæ; Marcus in sede fortitudinis; Lucas findens ungulam in consistorio prudentiæ; Joannes in throno temperantiæ. Omnes habent vultus suos semper in propitiatorium, et cum Virginem intrat, et cum in deserto jejunat, et cum in templo prædicat; vel animam ponit pro ovibus suis, et cum regrediens ascendensque ad cœlum Patrem et patriam visitat.

Ex domo ista erogantur imperialia beneficia, ut sit extra regnum cœlorum qui non pertinet ad hanc domum; sunt enim in ea vasa aurea et argentea, lignea et fictilia, et mansiones multæ. Est in ea mensa altaris, in qua cibus ab angelis quotidie fidelibus ministratur. Est baptismus, in quo corpora et animæ ab omni contagione perfidiæ abluuntur. Est oraculum, in quo Deus palatium cordis perliniens sua dulcedine, thesauros æternæ beatitudinis promittit; et anima choleras interaneorum vera confessione, et larga compunctione evomens, petitionem remissionis de manu ejus expetit et accipit. Est caminus ignis ad cremanda sacrificia et holocausta; frigida calefaciendo; dura liquefaciendo; superflua comburendo; et obscura illuminando : locus secretus ad vacandum contemplationi; ad inserviendum meditationi; ad confabulandum cordi; ad scrutandum eloquia divini eloquii. Est denique porticus languentium; piscina lacrymarum. Est locus cinerum in quo memorantur novissima. Ecce hic Christus, aut certe illic. Quære ergo in domo sua, quia filius manet in domo in æternum dicens :

Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem (*Matth.* XXVIII, 20).

Transeamus jam ad cubiculum; sic enim ait Sponsa : *Ducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis* (*Cant.* III, 4). Castissimum et placatissimum Christi cubiculum esse Virginis uterum novit anima ejus, novit ipse Dominus; novit Gabriel archangelus, novit Joannes Baptista, et Joannes evangelista; novit denique tam cœlestis curia, quam universalis Ecclesia fidelium. Est enim lectulus Salomonis quem ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israel, lectus floridus omni gratia Dei, specie et pulchritudine, Verbo utique Dei, anima et carne. Si fideliter adieris matrem, procul dubio invenies filium cum matre; non enim mater sine filio, nec filius sine matre, sicut nunquam fuit filius sine patre, nec pater sine filio. Quem namque aliquando in utero habuit, nunc a dextris ejus perpetuo assistit. Quid ergo poterit loqui mater quod non audiat filius : imo quando audiet mater sine filio; quæ corpore et anima tota pendet ex filio? Veni ergo ad matrem tanquam ad cubiculum, quia singulariter quiescit in ea, qui unicus et unice natus est ex ea. Tintinnabulum tuæ postulationis ut pulsaverit aures Virginis, excitabitur Jesus a somno dissumulatæ exauditionis.

In Evangelio legitur Jesum deambulasse in porticu Salomonis : quia Judæi non intelligebant ipsum esse templum, templo illo significatum, ideo in porticu deambulabat. In eodem templo extrinsecus per gyrum muri et labium erat, ubi deambulatorium erat valde delectabile; quia in summitate erant affixa poma, aureæ uvæ cum pampinis aureis; ita ut sursum aspicientibus moveri viderentur. Hic ordo est contemplativorum, quorum oculi semper ad Dominum; sic illi infiguntur, ut neque tribulatio, neque angustia, neque mors, neque vita, separet a charitate, quæ est in Christo. Ideo aureas uvas de vera vite dependentes dum suspiciunt cum pampinis aureis, cum Apostolo dicunt : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18), cujus vias, id est beatitudines, sapore intimo prægustamus, et certi de promissione, in fide non hæsitamus. In his deambulat ad cœlum corde elevato, et in charitate dilatato.

His decursis, quid restat? Solium excelsum et elevatum, de quo in Canticis : *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum* (*Cant.* VIII, 14). Illuc non ascendet nisi aquila et filii aquilæ. *Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo* (*Joan.* III, 13). Aquila grandis, magnarum alarum Joannes evangelista; et alia aquila similiter aliarum, alarum, Paulus; de quibus Ezechiel loquitur. Altera usque ad tertium cœlum, altera ultra cœlum cœlorum evolaverunt; et quæ non licet homini loqui, de medulla cedri gustaverunt; et ut potuerunt de adipe frumenti, et de rore cœli, atque melle Divinitatis, eructaverunt in Scripturis.

O Domine Jesu, *genua mea infirmata sunt* (*Psal.* CVIII, 24), quomodo curram? O Domine, *pedes mei moti sunt* (*Psal.* LXXII, 2), quomodo vadam? O Domine, *quis dabit mihi pennas sicut columbæ; et volabo et requiescam?* (*Psal.* LIV, 7.) O Domine, ubi currus igneus, et equi ignei, quibus secretam regionem petam? O Domine, ubi nubes lucida, in qua post te vel tecum ascendam? O Domine, mitte seraphim qui teneat dexteram meam, et ad thronum gratiæ ducat, ut explorem causam meam, et implorem gratiam tuam, antequam accusatus vel convictus, in die mala sententiam judicii referam : *Vias* ergo *tuas, Domine, edoce me* (*Psal.* XXIV, 4); quia via et veritas es. Amen.

SERMO XIII.

IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem Christum, etc.

Quam sit jucunda et præclara præsens solemnitas, ipsa luminarium claritas, quæ cum processione festiva ad missam tenebitis in manibus, satis sufficienter declarat. Ecce siquidem duo magna luminaria ad Patrem luminum, in templo accedunt, quando Maria Jesum offert Patri spirituum. Luminare minus Maria : luminare majus Jesus Filius Mariæ. Pater luminum Deus est, qui Verbum ex utero ante luciferum genuit, et de Matre incarnari in fine sæculorum constituit. Ab ipso quoque sole quem concepit Virgo et genuit, magnum luminare fieri meruit, unde et Stella maris appellatur. Hanc itaque sermo divinus alloquitur dicens : *Adorna thalamum tuum, Sion*, etc.

Sed diligenter animadvertendum quod Sion aliquando accipitur patria cœlestis; aliquando, Virgo singularis; aliquando, Ecclesia universalis; aliquando, anima fidelis. Unaquæque vero istarum suum habet thalamum, in quo sponsus cubat vespere, et mane, et meridie. Si Sion anima intelligitur, mane cubat in ea, quando inchoat in ea charitatem; vespere, quando consummat; meridie, quando inflammat usque ad distillationem ipsius animæ. In Ecclesia vero universali mane cubavit per fidem patriarcharum ante legem; meridie, per fidem prophetarum sub lege; vespere, per prædicationem apostolorum in tempore gratiæ. In Virgine singulari mane cubavit per annuntiationem angelicam; meridie, per obumbrationem Spiritus sancti; vespere, per partum ejusdem Virginis. In cœlesti thalamo neque mane, neque vespere cubat, sed tantum meridie. Unde in Canticis dicitur : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie* (*Cant.* I, 7). Plane ibi est meridies, id est mera dies, quando sol in centro est, plenioremque lucem et calorem reddens, quia in æternitate illa, nullum nubilum vespertinum, nullæ tenebræ abeuntis noctis apparent; sed plena et perfecta claritas visionis gloriæ Dei, plena et perfecta charitas amoris Dei.

Quomodo ergo huic Sion dicitur : *Adorna thalamum tuum?* Thalamus namque ille cœlestis nunquam est non ornatus, nisi forte quando Jesus in cruce passus est; tunc enim quasi deposuit ornatum suum, quando et ipse sol superiorem sentiens in virtutibus angelicis mœstitiam, quodammodo mutavit vultum et habitum, abscondens in sinu suo radios lucis, et faciens tenebras super universam faciem terræ.

Est autem cœlestis ornatus in splendoribus sanctorum, habens diversa ornamenta utique in cognitione pulchritudinis et admirationis; serica præferens pallia in novem ordinibus angelorum; tapetia varia et depicta in meritis patriarcharum et prophetarum; hyacinthina pallia in conversatione apostolorum; purpurea in sanguine martyrum; crocea in puritate confessorum; byssina in integritate et castitate virginum. Ornatum istum in futuro exspectare debemus, non modo explanare quod non sufficimus cogitare.

Habet thalamus iste inter illa quæ de terra nostra allata sunt ei, ornamenta pretiosa super omnibus aliis pretiosiora, tunicas illorum qui non inquinaverunt vestimenta sua, virgines enim sunt et sequuntur Agnum quocunque ierit. Nam et de longinqua terra solent ei venire opes, et peregrinæ merces quæ multum charæ sunt in cœlo, animæ utique sanctorum. De sua vero cultura et nativis opibus sunt angelicæ virtutes, quas sola artificis Sapientiæ manus contexuit mirabiliter. Pinge, o anima, quascunque formas venustiores et pulchriores excogitare poteris, et tamen non dico veritatem, sed nec saltem aliquam imaginationem cœlestis ornatus mutuaveris. *Adorna* itaque *thalamum tuum, Sion*, quia hoc totum puero Jesu debetur, hoc ejus Matri promittitur.

Inflectamus itaque et visum et stylum ad ipsam Matrem Domini, et de suo ornatu faciat festum Deo et angelis, et hominibus : Deo spectaculum, quando Verbum quod de corde suo eructavit, Pater, speculatur, Matris in utero incarnatur, tam non patiens illam suis abesse conspectibus, quam nesciens elongari a Filii amplexibus. Quando enim a Matre Filii sui oculos suos avertet Pater et Spiritus sanctus, cum omnimoda conversione Pater sit in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in Patre et Filio, nihilominus et in Matre et in Filio? O Virgo virginum, quid est hoc? Ubi es? Singulari et quodam modo inæstimabili pene immediate accedis ipsi Trinitati, ut si ullo modo Trinitas illa quaternitatem externam admitteret, tu sola quaternitatem compleres; sed est Trinitas, nec aliquatenus ibi fieri potuit aut poterit quaternitas. Non ergo es una persona de Trinitate quæ Deus est, quia variari aut alternari non possunt illæ personæ quæ ibi sunt, quia æternaliter sunt quod sunt; nec etiam quarta ad Trinitatem es, quia quartum Trinitati ad æqualitatem nihil est : quid ergo es? una et prima post Unitatem et Trinitatem, Mater ejus cujus Pater est Deus Pater; Mater ejus de quo procedit sicut et a Patre Spiritus sanctus.

Quæ tanta et talis es, *adorna thalamum tuum, Sion :* illustrissimus hospes ad te venit Pater, Filius et Spiritus sanctus. Explica si quid plicatum habes, propone si quid repositum, accende si quid exstinctum, tege si quid humanum : totum deificetur, totum illustretur, totum simplicetur [*f.* simpliciter], ad subministrationem assumendæ naturæ nostræ sanctificetur; ut quod a Verbo de te assumitur, ante sit sanctum quam assumptum. *Adorna thalamum tuum, Sion*, ut nihil sit quod Pater abhorreat, nihil quod Filium offendat, nihil quod Spiritum sanctum rejiciat. Pater de sinu suo collocat Filium suum in utero tuo, Spiritus sanctus fovet et calefacit uterum tuum, et tu quid? *Adorna thalamum tuum.* Abraham non suscepit tales hospites; non Lot, non quilibet sanctorum tales taliter suscepit; et si aliquando ad animas sanctorum Deus ingressus est invisibiliter dono gratiæ Spiritus sancti, quando et ad quos ingressus est incarnandus unigenitus Filius Dei? cujus uterus imprægnatus est de Spiritu sancto? cujus caro et sanguis coagulata sunt in carnem hominis-Dei? Certe nullius nisi Virginis virginum; nullius nisi Sion, ad quam dicitur : *Adorna thalamum tuum, Sion.*

Præclarior certe ornatus virginalis uteri quam sidera cœli, mundior uterus de quo præscinditur surculus naturæ humanæ, quam stellifer axis : ornatior mansio virginalis paradisi, quam terrestris illius in quo Adam peccare potuit. *Adorna* ergo *thalamum tuum, Sion*, quidquid vitii est a te propellendo, et quidquid virtutis est acquirendo et possidendo. Præcipue duobus sterne palliis thalamum tuum, humilitatis et virginitatis, et sertum fecunditatis mutua ab hospite Uno et Trino, imo ab illo qui potius mansionarius est aperte quam hospes et peregrinus : sic Patrem honorabis humilitate, Spiritum sanctum virginitate, Filium fecunditate; satis est, bene ornata es, neque amplius, neque minus in ornatu tuo invenitur.

Jam ad illam Sion quæ est Ecclesia transeamus, et dicamus ei : *Adorna thalamum tuum, Sion*, etc. Tam cumulato acervo gloriæ et splendoris venustatur Ecclesia, ut possem appellare etiam oculos impudicos sola admiratione pulchritudinis, nisi ad lucem cæcos offerret oculos vanitatis et infidelitatis. Pio et religioso fidei oculo lustra diversas mansiones fidelium a Deo peregrinantium, et suspende animum a Babylonicis theatris, si vis intelligere decorem illum de quo dicitur : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* XXIII, 8). Primo attende exuvias sanctorum corporum quæ tam venerabiles sunt in honore, quam fecundæ et utiles in protectione. Thecas aureas et argenteas præparat eis devotio fidelium, ut quorum vita et conversatio fuit sancta et casta, eorum sit mansio decora et pretiosa.

Vide ministeria angelorum; attende quomodo

æmulentur illos illæ dispositiones sacrorum ordinum, ut quod ab illis impletur vera manifestatione et manifesta veritate, ab ecclesiasticis ministerialibus imitetur saltem fideli et pia obumbratione. Quid enim exorcistæ? quid cantores? quid lectores? quid acolythi? quid subdiaconi? quid diaconi? quid sacerdotes? quid episcopi? quid archiepiscopi? quid summus et universalis episcopus? Nonne choros castrorum faciunt isti, de quibus dicitur : *Quid videbis in Sunamite*, id est Ecclesia, quæ est coccinea per fidem passionis Christi, *nisi choros castrorum?* (*Cant.* VI, 12.) Juxta religionem namque angelorum et admirationem [*f.* administrationem] illorum, totam ministrorum suorum componit Ecclesia militiam, unde etiam orat : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Adorna* itaque *thalamum tuum, Sion;* non contemptibiles personas in ministeriis Ecclesiæ præficiendo, sed quorum vita luceat super terram, quorum prædicatio audiatur in omnem terram, et quorum doctrina fulgeat ut sol et luna.

Considerate decorem Ecclesiæ in baptismatis ablutione, in chrismatis inunctione, in corporis et sanguinis Domini consecratione; in multis aliis quæ planius est quotidie videre quam modo exponere. *Adorna* itaque *thalamum tuum, Sion*, digne et fideliter sacramenta ecclesiastica contrectando, sapienter et eligendis et præficiendis rectoribus providendo, regulariter et pie vivendo, fidem servando, veritatem tenendo, pacem persequendo. Plura de ornatu Ecclesiæ diceremus nisi ad finem tenderemus.

Jam ad Sion illam quæ dicitur anima fidelis parumper sermonem vertamus, et sic finem faciamus. Petere et mutuare decorem suum et ornatum thalami sui debet anima a Deo, ab Ecclesia, a Scriptura divina. In Scripturis namque quasi in speculo formam suam speculari debet, et cum invenerit aliquid nigredinis vel turpitudinis in habitu suo, ad sacerdotes Ecclesiæ concurrat, et de lepra remedium quærat. Deinde a Domino qui fecit cœlum et terram, ultimam absolutionis manum suppliciter postulans non recedat donec sanitatem recipiat. Lavet se in confessione, reformet in satisfactione, componat in oratione, adornet in mandatorum observatione. O anima, *adorna thalamum tuum, et suscipe regem Christum* amore, honore, fide, sacramentorum perceptione, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

IN CAPITE JEJUNII I.

Memento quia cinis et pulvis es, et in cinerem et pulverem reverteris (*Gen.* III, 19).

Sancti Patres studiosa sollicitudine Ecclesiæ Dei invigilantes, docere, orare (70), studuerunt : ut esset docta in sermonibus, pulchra in moribus, et munita in omnibus actionibus suis. Docta utique tanquam Sponsa illius, cujus sapientiæ non est numerus. Pulchra nihilominus, tanquam uxor ejus, qui est candor lucis æternæ. Munita prorsus veluti illa, quæ in montibus habet fundamenta, et est civitas regis potentissimi; cujus fortitudo veluti rhinocerotis, quod animal alio nomine monoceros vocatur; propter singulare cornu quod gestat in nare, et nulla fortitudine vincitur.

Ad hanc itaque Ecclesiæ doctrinam, pulchritudinem et munitionem pertinent cineres, qui capitibus Christianorum hodie imponuntur, doctrinam, ut cognoscamus figmentum nostrum; pulchritudinem, ut lavemus cor nostrum; munitionem, ut opponamus adversario clypeum humilitatis. Ut autem sacramenti pulchritudo vobis innotescat; non attendamus vilitatem ipsius cineris, sed virtutem veræ humilitatis; nam per cinerem humilitas designatur. Sub exemplo autem id vobis demonstrandum est, ut non in obscuro et latenti sermone simplicitatem quorumdam fraudemus.

Exemplum vobis hoc est : Arbor sive lignum frondosum et ramosum forte occurrit nobis; laudamus et magnificamus proceritatem staturæ, viriditatem frondium, opacitatem ramorum; non post multum temporis succiditur, comburitur et in cinerem redigitur. Ubi est ergo, ubi illa proceritas, ubi viriditas, ubi opacitas? Humiliata est certe gloria illa usque ad cinerem. Hoc idem de leone fortissimo; hoc idem de equo velocissimo; hoc idem de accipitre rapacissimo; hoc de ipso homine superbissimo. Quid hæc omnia dum vivunt, nisi quoddam lutum, stans et ambulans, comedens et bibens, loquens et ridens, quandiu anima est in eo? Venit finis, venit mors; et cinis revertitur ad cinerem, pulvis ad pulverem. Quid interim superbit terra et cinis? Aufer extollentiam oculorum, o homo, quia fenestræ istæ cito claudentur et non aperientur usque ad diem judicii. Prohibe pedes tuos a malo, quia tibiæ istæ colligabuntur usque ad novissimum dierum. Retine manus ab effusione sanguinis, a rapina et præda, quia complodentur, et inflexibiles sternentur in ventre terræ. Omnia membra corporis tui castiga, quia festinato mors accurrit, sicut equus cum impetu currens ad bellum; ut absorbeat hoc mortale corpus. Quid tunc fiet? in sepulcro reponeris, et sine socio remanebis, donec computrescas.

O bone Christiane, antequam veniat tempus illud, *memento quia pulvis et cinis es; et in pulverem et cinerem reverteris.* Impone capiti tuo cinerem, ut humiliter sentias, et nunquam inflatus spiritu mentis tuæ superbias. Memento non vana revolutione cogitationis perfunctoriæ, quæ transit ut nubes matutina; sed cum pondere meditationis columbinæ : cum gemitu namque est meditatio columbæ. Unde magnus ille pœnitens Ezechias, cui adjecit Dominus quindecim annos : *Meditabor*, inquit, *ut columba* (*Isa.* XXXVIII, 14). De hujusmodi *Memento* loquitur Psalmista : *Nunquid pulvis confitebitur tibi, aut annuntiabit veritatem?* (*Psal.* XXIX, 10.) Audi remune-

(70) Deesse hic videtur, *et vigilare*.

rationem hujus Memento : *Audivit Dominus et misertus est mei : Dominus factus est adjutor meus* (*Psal.* XXIX, 11). Misertus est ignoscendo præterita. Adjutor factus est, de futuris cautelam subinferendo ex gratia.

Tu quoque dic Deo reciproce : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me* (*Job* X, 9). O conditor Deus, vide introitum meum et exitum meum. Quam vilis laguncula nativitatis meæ, cum in vulva genitricis tam spurco et fetido refluxu commisceretur lutum in paterno et materno coitu ! Lutum tam vile, quod odoratus vix ferret, nisi immunda delectatio interveniret ! O quam vilis janua ! quam despecta porta nostræ nativitatis et conceptionis ! Memento ergo, Deus, originis nostræ quando peccamus

Quid enim mirum si immundus sum, qui de immundo semine conceptus sum ? Non degenero a prima origine si opera carnis facio ; si carnali concupiscentia tentor. Non tamen impropero tibi quod talem me feceris ; sed flecto ad pietatem, quod de tam ærumnosa materia, tam pretiosum animal, propter imaginem tuam creaveris. Si nobilitatem animæ, in qua est imago tua, in me consideras, et conversationem sanctam expetis, rursum considera quod sicut lutum, secundum corpus, me feceris. Quam justo oculo a me imaginis tuæ opera exigis, tam pio respice domum luteam, cui eam vinculis pene insolubilibus connexueris. Memento non mirum esse, si lutum sit sordidum. Memento..... secundum naturam pulverem esse mobilem et dissolutum.

Contaminationes itaque meas et dissolutiones noli tam districte ferire, ac si essem anima sine corpore. *Nonne sicut lac mulsisti me*, fragili compaginatione elementorum, *et sicut caseum me coagulasti* (*Job* X, 10), soliditate membrorum ? *Pelle et carnibus*, tanquam tunicis pelliceis, *vestisti me. Ossibus et nervis compegisti me* (*ibid.*, 11), veluti basibus et columnis. *Et sic repente præcipitas me ?* (*Ibid.*, 8.) pro uno gustu vetiti pomi ejiciendo de paradiso ; et contra Eden, id est paradisum, collocando, *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me* (*ibid.*, 9) ; ut cum iratus fueris misericordiæ reminiscaris, et severitatem justitiæ tuæ temperet fragilitas conditionis meæ.

Sicut opponis mihi : *Memento quia cinis et pulvis es*, ne superbiam ; sic tibi objicio : *Memento quod sicut lutum feceris me*, ut compescas iram tuam. Ego in signum recognitionis cinerem in capite accipio : tu noli ferire animam insignitam hujusmodi signaculo. Forte audacius et confidentius loquor ; ibi gladium tuum non timeo, ubi crucis et cineris vexilla porto. Hoc scuto, et hac galeâ, tibi, non contra te, milito. Tuum militem, etsi inertem, occidesne, et non defendes ? Ecce sub signis tuis milito ; tu protege sub umbra alarum tuarum, Christe Jesu, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

IN CAPITE JEJUNII II.

Memento quia cinis et pulvis es, et in cinerem et pulverem reverteris (*Gen.* III, 19).

Hæc admonitio sufficit nobis, et ad pœnitendum de præteritis, et ad dolendum de præsentibus, et ad abstinendum a futuris. Hæc tria, fratres charissimi, valde sunt necessaria ; ut nobis propitietur illa Dei propitiatio, illa copiosa redemptio quæ apud Patrem pro nobis quotidie interpellat gemitibus inenarrabilibus. Unde Joannes : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris* (*II Joan.* II, 2). Et apostolus Paulus : *Spiritus orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Dei autem adjutores sumus, si pœniteamus, si doleamus, si abstineamus. Quid itaque veniat in pœnitentia ; quid in dolore, quid in abstinentia, videamus. Et primo videndum quid sit pœnitentia.

Pœnitentia est, ut ait Gregorius (71), *commissa flere, et flenda non committere. Nam qui sic alia peccata deplorat, verumtamen alia committat, pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat.* Isidorus (72) : *Irrisor est qui adhuc agit quod pœnitet ; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus.* Augustinus : *Inanis est pœnitentia quam sequens coinquinat culpa : nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata.* Gregorius : *Qui admissa plangit, nec tamen desinit, pœnæ graviori se subjicit.* Satis ex auctoritatibus his intelligere potestis quid sit, vel qualis esse debeat pœnitentia. Qui autem pœnitet, secundum tabulam post naufragium tenet : sicut enim in baptismo deletum est quidquid culpæ præcesserat ; sic per pœnitentiam deletur reatus qui de peccato remanserat. Ut itaque pœnitentiam agas, *Memento quia cinis et pulvis es.*

Non es lapis, non ferrum, non testa ; sed pulvis et cinis. Si lapis esses, flecti ad pœnitentiam non posses ; si ferrum, durus et indomabilis esses ; si æs, quam contumax in defensione erroris remaneres ; si testa, nullo igne liquesceres. Satan ferreus est, Pharao lapideus, Adam æreus, Judas testaceus. Petrus vero, David, Maria Magdalena, cinerem se recognoscunt : et quid faciunt ? in amaritudine pœnitentiæ effundunt se in terra, humiliantes se usque ad pulverem : *Humiliata est*, inquiunt, *in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster* (*Psal.* XLIII, 25). Inde est quod Petrus nominatim exprimitur in resurrectione ; ubi dicitur : *Ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam* (*Marc.* XVI, 7). Stimulum conscientiæ qui remanserat in culpa negationis, a corde vere pœnitentis exclusit et excussit Deus, qui non connumerat illum inter alios, sed præ aliis gaudium resurrectionis illi per angelum mandat. Jam enim

(71) Epist. 9, et homil. 34.

(72) Lib. II Sent. c. 3.

mens apostolica, forte præ confusione facti, pascere hædos vix delegerat, nec ad sanctum illum conventum redire audebat.

Quid tu David? quid dicis de te ipso? *Ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal.* XXI, 17). Sed tu mulier, in civitate peccatrix, qua fronte frontem Salvatoris aspicies? *Non aspiciam*, inquit, *hominem ultra* (*Isa.* XXXVIII, 11), ne dicam Deum et hominem : secus pedes, post ostium, post parietem, prostrabo me ipsam, quia pulvis et cinis sum, tota combusta incendio laboriosæ concupiscentiæ usque ad favillam et cinerem. Quæ hactenus conculcata sum ut lutum platearum; nunc ad pedes Plasmatoris mei, aliud componam lutum; non de saliva, sed de lacryma mea; recordata utique, quia sum pulvis et cinis, et effudi in me animam.

Revera sicut prodigus dissipavit omnem substantiam suam vivendo luxuriose cum meretricibus; sic ego devastavi omnia ligna paradisi Dei mei, id est omnia dona gratiæ et naturæ; flagrans illo igne qui ardet usque ad inferni novissima. Quot scintillas illiciti amoris evaporavi! quam celsam feci flammam; quam grandem silvam stultorum consumpsi : quot prunas, quot carbones in sinu multorum congessi! sed jam tandem ad favillam declinavi, et cinerem emortuum mihi retinui. Memoria malorum cinis, non qui spargendus sit in ventum, ne cæcitatem operetur oculorum; sed qui recolligendus est in sacculo cordis, et miscendus aquis ad ablutionem pannorum mulieris menstruatæ. Sic enim præcepit mihi Dominus : *Peccatorum*, inquit, *tuorum jam non recordabor* (*Isa.* XLIII, 25) : ecce dimissa sunt peccata tua, quoniam dilexisti multum; tu autem memor esto. Inde est quod dicitur : *Memento quia cinis et pulvis es*, etc. Jam de pœnitentia auctoritates sanctorum vobis, fratres charissimi, proposuimus : de dolore cordis et confusione exempla adduximus. Restat nunc de abstinentia aliqua prosequamur.

Abstinentia vero duplex est : abstinentia a cibo, et abstinentia a malo. Prior vero est abstinentia a malo, secunda a cibo : illa nullo tempore relaxanda, hæc pro tempore remittenda. Est enim sicut arcus, qui nec semper intenditur, ne deficiat; nec semper remittitur, ne officium suum perdat. Sic abstinentia cibi cum modo et ratione tenenda est, ut propter vitia extenuanda seu mortificanda jejunetur; pro reparatione vero naturæ, corpori, congruo tempore indulgeatur. Epularum siquidem abundantia, et ciborum repletio, fomentum parant titillationibus et incentivis carnis. Unde Hieronymus : Venter distentus cibo, despumat in libidinibus. Mordaciter quidem, sed veraciter hoc dictum est : nam quasi scopulis illisa esca in interioribus et receptaculis ventris, spumam ex superfluis, tam per superiora quam per inferiora emittit.

Cum ergo extenuaveris illas concretiones humorum parcitate cibi, minores molestias senties in egestione, sive retentione illarum. Cibo multo velut cinerum congerie superjecta, sensus sopitur : ingenii acumen obtunditur; vigiliarum excubiæ in somnum declinantur, et tota virtutum familia lethargum patitur. Abstinentia vero contraria operatur, penna velociori extollens quidquid animæ marcidum fuerat; totum revirescere faciens truncum animæ, cujus rami aruerant hiemali negligentia et torpore : hoc de abstinentia ciborum.

De abstinentia vero a malo, quid amplius dicendum cum pene nihil aliud Scriptura moneat? *Declina*, inquit Psalmista, *a malo et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27). Quod nobis facere præstare dignetur Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Ductus est Jesus in desertum a Spiritu ut tentaretur a diabolo (*Matth.* IV, 1).

Quando procedendum ad bellum, arca præcedebat populum; quia ante faciem nostram Christus Dominus, tanquam Gad accinctus præliatus est; cum tentatus est per omnia pro similitudine carnis peccati, tamen absque peccato. Membra hujus capitis, filii hujus Patris sumus, quicunque ex aqua et Spiritu sancto regenerati sumus. Caput membra regit, pater filios erudit. Membra quoque caput sequuntur, et filii patrem imitantur. De membris dicitur, quia : *Si quid patitur unum membrum; compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XII, 26), propter vinculum unitatis, et moderamen capitis. De filio identidem dicitur : *Quia quæcunque Pater fecerit; hæc eadem et similiter Filius facit* (*Joan.* V, 19).

Spectemus itaque caput et Patrem nostrum, tanquam principem belli, qualiter cum hoste confligat, quam dispensative jacula inimici excipiat, quam patienter perferat, quam sapienter depellat. Non excipit nolens; non sustinet invitus; non rejicit impatiens; non relidit in jacientem temerarius : non formidolosus fugit tentatorem, sicut nec proditorem, aut crucifixores, nec contumelia afficit audentem tentare, sed ratione contradicit; non instantia tentationis succumbit tentatori, sed moderata responsione primo instruit, dicens : *Non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV, 4). Secundo male interpretantem Scripturas reprehendit, dicens : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*ibid.* 7). Tertio procacem et protervum confundit, dicens : *Vade Satana* (*ibid.* 10). Sic malitiæ jacula in scuto patientiæ excipit incarnata Dei Sapientia : et non in clamore obtinet victoriam de hoste, sed in ratione, et Scripturarum auctoritate. Sic David contra Goliam; sic Samson contra leonem et ursum; sic Gedeon contra Amalech, sic Moyses, sic Josue contra Pharaonem, contra Seon et Og, contraque adversarios populi pu-

gnant, et eos expugnant. Omnes isti fortes ex fortissimis Israel, tenentes gladios, et ad bella doctissimi, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum, id est contra diabolum, qui sitit sanguinem animarum.

Sed ut ad nostras veniamus phalangas, et stationes hostium consideremus; et quanta congestione armorum machinas erexerunt, superspeculemur: tunc enim quæ bello sunt necessaria cogitabimus, si hostilem virtutem sufficienter æstimaverimus. Attendite ergo, fratres charissimi, principes tenebrarum loricatos et galeatos, in equis et curribus gestatos; gestantes arma bellica, ab omni vento cœli venientes et concurrentes ad debellandum populum Christianorum; et præcipue congregationes religiosorum : *Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus* (*Psal.* XIX, 8).

Statuamus ergo in sinistra parte illos tanquam hædos fetentes, sed et leones sævientes : principes, scilicet tenebrarum, qui cum exercitu suo et gente pessima statuerunt contra nos castra. Ad dexteram vero occupemus munitiones vexilli triumphalis, quoniam vias quæ a dextris sunt novit Dominus et *Dominus a dextris est mihi ne commovear* (*Psal.* XV, 8). Interponatur quoque alveus baptismalis inter castra et castra. Urbs fortitudinis nostræ, turris Sion prope sit nobis ad refugium, quia illis est turris confusionis, et civitas quæ Babylonia appellatur; illi in robore confidunt, et brachio suo. Nos neque in arcu, neque in hasta, sed in nomine Domini faciemus virtutem. Judas alligavit ad vitem pullum suum, id est corpus suum in passione tradidit, erit dux belli; et cum eo David percussit decem millia in millibus suis, triumphans in corpore suo super lignum crucis, potestates aerias; necnon et Samson, qui interpretatur *sol eorum*, et suffocavit propria manu leonem illum qui circuit quærens quem devoret. Gedeon etiam rogandus est, ut nobiscum veniat cum trecentis signatis in fronte signo crucis, qui non flexo poplite lambuerunt aquas.

Abraham denique, pater multarum gentium, cujus et nos filii sumus; nonne et ipse cum trecentis vernaculis suis venit in auxilium nostrum? Moyses qui educit populum de Ægypto, et ipse valde est utilis nobis in hoc bello. Annon et Josue secum adducet principem militiæ, ut sit robustus bellator coram Domino? Cum omni fiducia bello nos immisceamus, si tales duces et principes in castris Domini habuerimus. Sed antequam assultum faciamus, acies adversariorum qualiter procedant depingamus. Tyrannus quidam qui habet septem diademata, id est universam malitiam in capite suo, sedens in cathedra pestilentiæ, convocatis principibus et satrapis suis, dolos et fraudes concinnat, diffidens de viribus adversus palæstram nostram. Tamen et multa licentia accepta ab eo sine cujus permissione non oppugnaret nos, et sine cujus auxilio non expugnaremus eum; aptitur ea infringens habenas maxillarum suarum, quibus constringitur, ne tantum nocere possit, quantum velit. Æstimemus igitur sicut dignoscere per umbram possumus : imo aliquando et per experientiam, quæ sint illæ potestates; qui principatus tenebrarum harum, qui militant sub illo principe militiæ diabolo.

Princeps principum pestilentiosior occurrit superbia, cujus nomen declinatur genere feminino, sed malitia ejus non declinatur etiam a genere masculino. Sub hasta sua incurvat colla superborum et sublimium; et ipsa triumphat de regibus, de nobilibus, de prudentibus secundum carnem, de sanctis et religiosis, de omni genere hominum qui moventur super terram. In equo velocissimo sedet, qui mobilior est omni vento, adeo ut præcurrat super pennas ventorum, ut pene non sit qui se abscondat a squalore ejus. Tyrannus iste primus occurrit in acie Christianæ militiæ, et ultimus recedit. Ante luciferum surgit ad pugnam, et nec post vesperum quiescit. Quocunque te verteris, aut tergo insidet, aut faciem possidet. Aliquando enim superbia scientem et animadvertentem inflat. Aliquando etiam non percipientem maculat. Hæc regina Amazonum quæ bello muliebri, non fragilitate, sed mollitie, multa virorum regna et terras sibi acquisivit. Hanc juvenes; hanc senes; hanc adolescentulæ; hanc vetulæ, hanc clerici; hanc canonici et monachi; hanc ipsi eremitæ nec in cinere et cilicio declinant; sed horum plurimi simulantes fugere, magis sequuntur eam. Mirum est, quod quicunque corde illi famulantur, magis eam voce detestantur.

Hæc tota virtute et audacia sua, aciem humilitatis subvertere attentans, ipsum Jesum aggreditur; et dissimulatione ejus diutius perpessa, nec eatenus justo talione repercussa, tandem quod in vase illo fictili seu vitreo corporis Jesu continebatur, sensit et recessit; nam stare non potuit, quæ uno pede venit, sed illo fracto, cum nullo abiit. Cum enim diceret : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV, 9); supra se promittens; et non sua sed ejus cujus erant quæ promittebantur, illi ostendens : relisa scopulo veritatis, et elisa cum suo bene merito pudore, abscessit; mentita est enim superbia sibi. *Vade*, inquit Dominus, *Satana; scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*ibid.*, 10). Forti pugione isto, usque ad ipsa vitalia, defixa superbia; quasi de vita desperans, grabato infernali se contulit; deinceps futura vilior etiam inter sorores sive filias nequissimæ stirpis.

Præmiserat autem quasi minoris roboris, duas sorores sive filias, eadem superbia. Revera præ superbia sua dedignata prima egredi, gulam scilicet et inanem gloriam. Gulæ ergo et vanæ gloriæ ut intorquerent jacula, et murum abstinentiæ suffoderent, injunxit; et post si dignum esset, venturam

se spopondit. Gula ergo una de plebe, sed multa in plebe, nam per suas gulas non singulos, sed plurimos possidet. Gulam non gulosam Jesu attrectans, tractu consuetudinario putavit se lenire illam, et demulcere ut peteret escas, non de consuetudine tantum esurientis, sed et de potentia miracula facientis. Tentavit ergo gula de gula Dominum, ut ex proprio desiderio gulæ, novo miraculo de lapidibus panem faceret. Sed nec gula ita urgebat panem qui de cœlo descendit, ut pro pane de lapide faceret panem ; nec tentator adeo prævaluit, ut signa Deitatis in hoc præriperet, et aliquatenus de Deo homine certior fieret.

Elisa itaque tentatio gulæ et elusa, deinde sequitur inanis gloria, quæ tam ex victoria, quam ex abstinentia, plerumque infesta est aliis hominibus. Evacuare ergo quærit in Christo veram gloriam, inanis gloria ; dum ad favorem ostentationis deorsum se mittere suggerit qui gradus habebat, quibus decenter descendere poterat. Inane prorsus hoc esset ; quia sine causa fieret : et ista secundo lapide redargutionis, de vase pastorali a David percussa et repulsa, sequitur illa quæ extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in montem excelsum, ostendat omnem gloriam mundi, et dicat : *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Hac quoque, tertio lapide peremptorio de eodem vase pastorali, in fronte vulnerata, victoria secuta est, et cum triumpho angeli accesserunt et ministrabant ei. Redeamus ad nostra a castris Dei ; et sub eodem rege, eadem lege, cum eodem hoste, videamus quomodo dimicemus.

Jam vero dictum est de illa, quæ ambulat in equis, sed et equis vehementibus, superba ; cujus lorica impenetrabilis, cujus hasta penetrabilis ; cujus sella variabilis ; cujus equus valde mobilis ; cujus scutum mirabiliter depictum ; cujus totus apparatus satis appetibilis, si non esset damnabilis. Alio tamen ordine contra nos moventur, quam contra caput nostrum, quia vident nos ampliores in præsumptione, et imbecilliores in congressione. Cursum itaque et incursum faciunt ; non eodem semper ordine, sed aliquando mutato, ex industria, ne discamus semitas illarum et cautiores efficiamur. Modo itaque urget ante alios calcaribus equum suum, inanis gloria, modo invidia, modo ira, modo tristitia, modo avaritia, modo ventris ingluvies, modo luxuria. Vide asseclas habere et collaterales inanem gloriam, secundum genus suum (quæ cum illa, et post illam cinerem commoventes, improvise efferuntur et lanceis suis vulnerant nos) inobedientiam, jactantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam, discordiam, præsumptionem, novitatem ; cinifes isti quam graviter terebrant oculos animæ ; et prædones isti quam avare diripiunt substantiolam nostram, usque ad corrigiam caligæ. Fures isti quam subito dormientes comprehendunt et apprehendunt.

Est autem familia, et familia seorsum. Familia inanis gloriæ seorsum, familia invidiæ seorsum, quæ est odium, susurrum, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis. Familia iræ seorsum, quæ est rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemiæ. Familia tristitiæ seorsum, quæ est malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis. Familia avaritiæ seorsum, perditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, obduratio cordis contra misericordiam. Familia ventris seorsum, quæ est inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis. Familia luxuriæ seorsum, quæ est cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri.

Ecce istæ sunt familiæ vitiorum, in quibus non est deficiens, nec solvitur cingulum de renibus earum. Cum vigilantibus bellum habent continuum : quinimo somnos interrumpunt, vel interdum fœda imaginatione corrumpunt. Unde tot phantasticæ illusiones dormientibus subrepunt ; nisi quia immittuntur immissiones malæ, per angelos malos? Sed quia jam sermo excedit modum ; et si non omnes familias virtutum, saltem principes, id est principales virtutes opponamus castris Philisthinorum ; quatenus sub alis earum defensi, captivitatem et pericula omnia effugiamus.

Illa ergo virtus, in qua pendet omnis ordo præceptorum, et quæ non impar est in velocitate quam in omni probitate et fortitudine, illi cujus arrogantia est plus quam fortitudo ejus ; illa, inquam, ordinata ut castrorum acies, proferat familiam suam in arma lucis, et subita coruscatione fuget invalidam gentem tenebrarum. Disponat quoque per familiam, et familiam choros sequentium, et cum illa procedentium ad bellum. Hæc est charitas.

Humilitas cum sua familia recto tramite incedat et oppugnet inanem gloriam. Deinde dilectio proximi cum familia sua irruat in castris invidiæ, et debellet eam usque ad mingentem ad parietem. Post hanc pax cum familia sua, iram vincat, et nullas ex ea reliquias relinquat. Videns gaudium spiritus, sorores tam nobiliter de adversariis triumphare ; accedat cum familia sua, et tristitiam exterminet de omnibus finibus suis, possidens portas inimicorum suorum. Corde dilatato eleemosyna larga, cum familia sua avaritiam, quæ est idolorum servitus amputet, ut memoria ejus non remaneat sub cœlo. Tot victoriis adeptis, quæ custodia bonorum hominis est tanquam habens clavem in manu sequatur abstinentia, et compescat ventris ingluviem, sicut Nabuzardam principem coquorum regis Babyloniæ. Soror charissima cum ista veniat castitas, et triumphum compleat ; in quo infernus gemat, et cœlum gaudeat. Quod nobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVII.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAGESIMÆ.

Erat dies festus Judæorum; et ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis probatica piscina quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens (*Joan.* v, 1, 2).

Peccatum quod de malitia prodiit et origine, suam in multas propagines nativam malitiam dilatavit. Primo suo partu pœnam actori suo homini genuit laborem et dolorem invenit, ærumnas multiplicavit, et dies festos de felici paradisi habitatione, et Creatoris sui familiaritate, in luctum hujus peregrinationis convertit. Inde dies isti nubis et caliginis, dies mali et parvi, dies afflictionis et mœroris, dies incerti, et qui velut umbra transeunt; miseria sua miseros faciunt, amaritudine amaros; sterilitate infecundos, vanitate vacuos et infructuosos. Quomodo ergo erat dies festus Judæorum.

Joel propheta in initio libri sui dicens : *Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro* (*Joel.* I, 5); causas subsequentes adjungit, unde populo illi sint dies non festi, sed doloris, addens : *Gens enim ascendit super terram fortis et innumerabilis; dentes ejus ut dentes leonis; et molares ejus ut catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, et ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam et projecit; albi facti sunt rami ejus. Plange quasi virgo accincta sacco*, etc. (*Ibid.* 6 et seq.)

Gens ista fortis et innumerabilis, quæ ascendit super terram, ad litteram est eruca, locusta, bruchus, rubigo : moraliter passiones carnis et vitia animæ, quæ super terram ascendunt; cum peccatum regnat in corpore nostro mortali, ad obediendum desideriis ejus; et tunc ponit vineam in desertum, cum animam ad imaginem et similitudinem Dei factam, ad botros et uvas mandatorum et contemplationum Dei propagandas, suggestionibus suis, humorem gratiæ detrahens, bonitate Dei vacuat, et radices boni operis nequiter exstirpat; ficum quoque decorticat, quando abundantiam dulcedinis Domini, non solemnitate, sed superficie exterioris habitus exturbat, nudans exspoliat, sicut Jerichontini latrones descendentem a Jerusalem in Jericho exspoliaverunt, quando bona naturalia sic imminuunt, ut nec apud Deum, nec apud homines gratiam relinquat. Projicit, sicut illi qui *plagis impositis abierunt semivivo relicto* (*Luc.* x, 30); quando abominabilem ita efficiunt, ut etiam Pharaoni fetere dicatur, nec ullus seductori labor ultra sit; cum talis, quasi bos ductus ad victimam, sequatur diabolum, et adhæreat peccato, ut non possit implere ventrem suum de siliquis quas porci manducant.

Albi facti sunt rami ejus. In hypocrisi forte occulta dedecoris tegentes; vel equum pallidum quem mors sequitur, equitantes. Quod si quatriduane jam fetens, habens sororem Mariam pro te lacrymantem, cui dicitur : *Plange quasi virgo accincta sacco;* Judæus, id est confitens factus fueris, quia confessio secunda tabula est post naufragium, noctem convertes in diem, mœrorem in lætitiam; et erit *dies festus Judæorum*, sicut in eodem propheta post pauca sequitur : *Filii, exsultate et lætamini in Domino Deo vestro; quia dedit doctorem justitiæ; et reddam vobis annos quos comedit locusta, et rubigo, et eruca* (*Joel.* II, 23). Nam vera confessio et pœnitentia, sicut Maria et Martha suis meritis, etiam quatriduanum fetentem Lazarum propter locustam, erucam et rubiginem, id est gulam, luxuriam, invidiam, et detractionem, de sepulcro revocant. De ventre ceti Jonam recipiunt, et de ore leonis extrahunt.

Ecce dies festus Judæorum cui accurrit pater prodigi, cui interest Jesus; quia sine Jesu Jerosolymis, hoc est in civitate sancta, in congregatione sanctorum, in confessione peccatorum, non est venia, non est lætitia, non est solemnitas et dies festus Judæorum. Ne autem sterilis et vacua, inanis et arida sit ista solemnitas confitentium : sequitur unde sit omnis virtus pœnitentium.

Est autem, inquit, *Jerosolymis probatica piscina, quinque porticus habens.* Jesus, quem in confessione tanquam serpentem debes aspicere, est piscina plena aquæ gratiæ, in qua lavantur hostiæ quæ Deo sunt immolandæ. Habet certe quinque porticus, quinque plagas corporis sui ad reponendos pullos quasi modo genitos, infantes desiderorum nostrorum; ad hospitandos a paradiso advenas, pauperes spiritu et peregrinos. Ad emanandas emissiones deliciarum paradisi; ad excipiendos fugitivos, quinque sensus nostros a formidine majestatis in fossa petra, quæ est Christus passus, fugientes ad testes de redemptione nostra contra diabolum, duos vel tres producendos; quia *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum* (*Matth.* XVIII, 15). Unde Apostolus : *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* (*Rom.* VIII, 31). *In his jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum* (*Joan.* v, 3). Beati qui vigilant ad fores istas, conservant ad fores hujus ostii, quod est in cœlo apertum. *Qui enim mane vigilaverint ad me* (ait sive anima Jesu, sive divinitas habitans corporaliter in piscina ista, id est in homine Jesu, quæ Hebraice dicitur Bethsaida, id est *domus frugum*, id est virtutum; vel *domus venatorum*, id est peccatorum de campis silvæ mundanæ) *invenient me* (*Prov.* VIII, 17). Hic enim puteus satietatis, vel puteus septimus, ubi divinitas, ubi anima, ubi corpus quinque plagis quinque partitum. Sitivit ad te, o putee satietatis, anima mea quam multipliciter, et caro mea, quæ languida est, quæ cæca, quæ clauda, quæ arida; sed tamen exspectat aquæ motum. Adhuc sitio aquam illam quæ de illo latere, tanquam a dextro latere altaris, exivit semel in cruce.

Frequenter in vera confessione, et cordis contritione, in Jordane isto Naamam leprosus septies se

favit, et restituta est caro illius sicut caro pueri; quia tria et quatuor scelera Damasci animam illam non condemnabunt, quæ a septem criminalibus fuerit sanata, et de quibuslibet venialibus compuncta. Si languore aliquo quasi præoccupata detenta es, o anima, aquæ motum juxta piscinam devote, id est divinam miserationem patienter exspecta; quia, etsi moram fecerit, tamen veniens veniet. Cor, enim, contritum et humiliatum non spernet. Si cæca viam pacis nesciens, sicut cæcus in via nec voluntatem Dei, nec te ipsam cognoscens, non minoris est efficaciæ hæc aqua, quam saliva, quæ, luto facto, cæcum a nativitate illuminavit. Exspecta ergo aquæ motum. Si clauda nervo femoris percusso, ita quod rectas nunquam semitas tenueris, clama : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te Deus* (*Psal.* XLI, 2). Si arida exsors divinæ gratiæ, accede ad thronum gratiæ, dicens : *Anima mea*, o Deus, *sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLI, 6); et statim convertetur in exitus aquarum.

Sed quis movet hanc aquam? angelus; sic enim sequitur : *Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam, et movebatur aqua* (*Joan.* V, 3). Angelus iste qui commovet aquam, vel angelus est nobis a Deo datus, qui movet supernæ pietatis viscera, ex injuncto sibi officio divinæ gratiæ, gemitus nostros referens, et miserabiles æstus tam de nostra fragilitate, quam de peccati stimulatione; vel ipse magni consilii Angelus, qui se ipsum ingenita bonitate, cujus natura bonitas, movet; sicut viscera Joseph super fratre suo continere se non poterant; et pluit super nos misericordias fideles, misericordias ab æterno, et usque in æternum, ut sanet omnes infirmitates nostras, et consoletur nos ab operibus nostris. Vel angelus est Spiritus gratiæ et precum qui a Patre, Filioque procedens, orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; nec sine ista ineffabili motione, qua nobis datur datum optimum, et donum perfectum, ad nos venit.

Ipsa ejus missio, est ista eadem totius Trinitatis motio, miseratio, quam exspectat multitudo magna prædestinatorum, et salvandorum, adhuc tamen languentium naturali necessitate, cæcorum errore, claudorum affectu, aridorum devotione exspectantium aquæ motum in spe veniæ : non enim cum observatione venit regnum Dei, de quo dicitur : *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7); ut quasi nostrum sit metas ponere potestati supernæ quando fluat piscina, quæ sicut ubi vult spirat, sic et quando vult. Exspecta ergo motum aquæ, ut nunquam ab oratione cesses et exspectatione, donec veniat gratia; habet enim horam suam sicut Dominus ait Matri suæ : *Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4), et in passione : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis* (*Joan.* XII, 23). Unde bene dicitur : *Angelus Domini secundum tempus*, id est suæ voluntatis et prædestinationis, *descendebat in piscinam, et movebatur aqua*.

Non perfunctorie dictum est : *Secundum tempus. Omnia* enim *tempus habent* (*Eccle.* III, 1), unde et de Machabæo dicitur : *Videns Jonathas quia tempus eum juvaret, misit Romam renovare amicitiam* (*I Mach.* XII, 1). Apostolus quoque ait : *Quia Christus secundum tempus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Juxta hunc sensum in Numeris legitur (*cap.* XXXV), quod exsules, et profugi ante mortem pontificis, nullo modo in urbes suas reverti poterant. Quid enim mors pontificis nisi aquæ motus, quando commota est civitas, et contremuit terra, quando cœli de cardine suo moti sunt; quando dicunt angeli : *Surgamus ex his sedibus*; quando vertiginem passus est mundus? et hoc totum secundum tempus beneplaciti Dei, sicut dicitur : *Tempore accepto exaudivi te* (*Isa.* XLIX, 8)

Movebatur aqua novitate religionis, efficacia religionis, miraculorum multiplici admiratione, patientiæ insuperabili virtute, publicanorum et meretricum familiaritate, superborum, scribarum et pharisæorum intrepida increpatione, omnium quæ vellet facere et dicere facillima possibilitate, Dei Patris æterna generatione; sed mota aqua, mortua est vita. Invaluit enim populi seditio, et facta est in Jesu animæ et corporis solutio. Quid tunc? Certe piscatio bona, et copiosa innumerabilium piscium consecuta est sicut vulgo dicitur : quia bonum est piscari in aquam turbidam.

Inde sequitur : *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacunque tenebatur infirmitate* (*Joan.* V, 5). Periculosa est ad Dominum veniendi mora, quia tollit Esau primogenita sua. *Non tardes*, ait Scriptura, *converti ad Dominum* (*Eccli.* V, 12). Inde etiam David post mortem Absalon repetens Jerusalem, mittit ad majores natu Juda, dicens : *Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? Fratres mei vos, os meum et caro mea vos* (*Reg.* XIX, 11). Idcirco Maria Magdalena, tanquam canis Tobiæ, qui similiter fuerat in via, quasi nuntius resurrectionis ad apostolos veniens, blandimento suæ caudæ gaudebat, dicens : *Quia vidi Dominum et hæc locutus est mihi* (*Joan.* XX, 18). Hæc vespere Sabbati : hæc cum adhuc tenebræ essent venit ad monumentum, descendens in piscinam post motionem aquæ, post passionem Domini; et sanata est a quacunque detinebatur infirmitate, non peccati, sed dubietatis.

Ne tamen quod dicitur : Quicunque prior descendisset sanabatur, incongrue accipiatur : intelligendum est, quod sane prior descendit, qui antequam vita decedat, sacro baptismate regeneratus, in Dominum fideliter credit. Prior enim, id est prius descendit in piscinam, quam in gehennam. Sed quia superius hanc piscinam, propter festum Judæorum, confessionem significare diximus; quomodo confessio piscina sit, et quinque porticus habeat, juvante Deo, dicamus. Nomen piscinæ, rem

quam quærimus loquitur; cognominatur namque *Bethsaida* (84), id est *domus venatorum*, vel *domus frugum*. Dicitur etiam Græce προβατικὴ, id est *ovicularis*, quia πρόβατον *ovis* interpretatur. Apud nos piscina vocatur locus concavus, sive lapis sepositus ad aquam excipiendam expiationum calicis, corporalis, pallæ altaris, et omnium sacrorum vasorum, et manuum sacerdotalium, post immolationem Dominici corporis et sanguinis. Apud Judæos non multum dissimilis, pro sacramentorum tamen varietate, alterius faciei et capacitatis. Ibi namque, oves, vitulos, arietes, hædos et cætera animalia quæ immolationi deferebantur, lavabant et expiabant.

Hæc omnia aptissime congruunt sacramento confessionis. Lapis concavus sive locus sepositus est prælatus, cujus vita sanctior, compassio diffusior, scientia profundior, compunctio affluentior, abundantior; abstinentia austerior; et ad confovendos peccatores sinus largior; atque ad celanda commissa pertusus in parte inferiori, ut peccatum absorbeatur pœnitentia, et sepeliatur ab omnium dæmonum notitia. Lapis hic non sit sine aqua et misericordia; quia nec Jacob inunctum dimisit lapidem, cui tota nocte caput suum condiderat: habeat itaque aquam compassionis, qua confricetur conscientia peccatoris; nec in aqua defluat; sed affluat lapis sibi, piscina sit peccatori. Superfundat orationem, et consolationem, et effundat sordes et rubiginem. Benignitatis Dei superius ostendat latitudinem; judiciorum Dei interius non taceat districtionem. Attendat præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi: *Aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, plumbum, et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. Quod autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur* (*Num.* XXXI, 22). Æqua igitur lance apprehendat velut in statera personam, ordinem, ætatem, sexum, complexionem, religionem, pudorem, fragilitatem animi vel corporis: utrum ex superbia, an ex natura, usum, vel non usum peccandi, necessitatem, facilitatem, dolorem cordis, et cuncta quæ circa sunt tanquam supra crepidinem profundissimi alvei. Super ambulans caveat suum casum: confitentem sibi non dejiciat in præcipitium, sed elevet præcipitatum.

Si aurum est præclari ingenii, utatur ratiocinatione, et vivis argumentationibus ignem vel temporalem vel æternum probet deberi peccatis, sicut in corpore nostro caro emortua indiget secatione vel ustione. Si argentum instructus in lege, faciens se ipsum eruditorem insipientium, magistrum infantium, et lumen eorum qui in tenebris sunt; proponat ei mandata legis et Evangelii, et ita suo fune liget eum. Si æs, cujus bona fama respergatur ubique, et sit nominatus in populo suo propter aliqua præclara quæ in eo sunt; proponat ei ut magis quærat gloriam quæ apud Deum est, et lætificat conscientiam, quam illam quæ est apud homines, quæ cum sonitu perit, et veterascet in inferno, neque descendet in inferno cum ipso gloria ejus. Si ferrum, patientissimus labore in sæcularibus occupationibus, moneat ut ferrum de terra tollat, et ad patientiam quæ operatur probationem, se transferat. Si stannum quærens quæ in facie sunt, non quæ in corde, habens speciem, non veritatem argenti: persuadeat quia plus est quod est in veritate, quam quod est in opinione. Si plumbum, ignem tentationis non diu sustinens; sed cito deficiens in tentatione, præcipiat ne opponat se occasionibus et formis; quibus tanquam tendiculis impeditur anima et involvitur, quia tamen salva substantia, per ignem jejuniorum et aliarum macerationum transire præstat; moderanda est pœnitentia secundum culpam et possibilem tolerantiam, ne nihil cum possit, pœniteat, et de indulgentia præsumat. *Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.*

Gratias tibi, Deus, qui neminem vis perire. Revera idem Deus in lege non obliviscitur misereri, qui gratiam et benedictionem compluit in Evangelio dicens: *Qui calicem aquæ frigidæ tantum dederit, amen dico vobis non perdet mercedem suam* (*Matth.* x, 42). Geme itaque qui non potes jejunare: hauri aquam de puteo pectoris tui, ut refrigeres culpam tuam, qui non potes per ignem eruginare miseriam tuam, occasionem quærit Deus non perdendi sed salvandi peccatores: occasione igitur accepta in confessione lacrymabili, purgat te levius, ne perdat severius. Ad hanc piscinam festinandum, et in hac immorandum, donec Angelus Domini secundum tempus descendat, et aquam moveat, ut infirmus post motionem veniat et sanetur a quacunque tenetur infirmitate. Cœlestem nuntium Raphael bonum medicum corporum et animarum ubi in confessione exposueris plagas, vulnera, apostemata, et cicatrices innumeras, confidenter exspecta: quia sicut seniori Tobiæ, lumen oculorum restituit; et Saram quam juniori in uxorem acquisivit, a dæmonio liberavit, sic animas confitentes per piscem illum qui de hac piscina ascendit, ab omni infortunio et calamitate salvabit. Sed historia, licet nota sit, retexatur; ut et sacramentum ejus commodius pandatur: jucunde siquidem satis alludit sanctæ confessioni, et quæ per illam adipiscitur, peccatorum remissioni.

Ut reciperet pecuniam a Gabelo Tobias filium misit, eumque Angelo Domini nesciens tradidit. Cumque prima mansione juxta fluvium Tygris manerent, exivit juvenis ut pedes lavaret, et immanis piscis exivit ad devorandum eum; quem expavescens clamavit: *Domine, invadit me: et angelus: Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te, et attraxit in siccum, et cœpit palpitare ante pedes ejus. Exentera*, inquit *angelus, hunc piscem, et cor ejus, et fel, et je-*

(84) Hebraice.

cur repone tibi ; sunt enim necessaria ad medicamenta utiliter ; et assavit carnes ejus, et sustulerunt in via, et cætera salierunt (*Tob.* VI, 3 et seq.).

Qui paternam pecuniam, hoc est innocentiam primam, pergit repetere, juxta fluvium Tygris, id est baptismum vel confessionem prima mansione per fidem et contritionem cordis, præeunte et comite gratia, quasi angelo Domini, debet manere. Altiori denique exemplo comparatur hic fluvius Tygris confessioni ; eo quod iste juvenis non exierat mane ut se totum ablueret, quod maxime baptismi est, ubi totus homo immergitur, et totus mundatur ; sed ut pedes lavaret itinerans pulvere fœdatos, qui post baptismum quotidie multiformiter tam in criminalibus forte, quam certe in venialibus inquinantur. Inde Psalmista : *In flumine pertransibunt pede* (*Psal.* LXV, 6) ; id est quamvis Dominus Deus mare criminum nostrorum, in baptismo convertit in aridam plenissimæ remissionis, tamen in flumine hujus mortalitatis pertransibunt pede, saltem venialiter offendentes, nec superbe quasi in equo mala sua defendentes ; sed, humiliter quasi pede se accusantes et dicentes : *In multis offendimus omnes* (*Jac.* III, 2). Cum ergo sic Tobias pedes lavaret, et pœnitens extremitates, et affectiones omnium malorum defleret ; piscis immanis exivit ad devorandum eum. Hunc piscem vel Christum vel diabolum, sub diversa expositione, interpretamur.

Christus exivit ad devorandum eum, qui simpliciter et veraciter confitetur ; quia quem pro peccatis suis a corpore Ecclesiæ, vel a participatione gratiæ separaverat, redeuntem cum ampliori congratulatione, sicut ovem errantem, et drachmam perditam, colligit dicens fratri seniori qui in agro erat : *Epulari et gaudere oportet ; quia hic filius meus mortuus fuerat et revixit ; perierat et inventus est* (*Luc.* XV, 32). Ad devorandum itaque illum exivit, id est inviscerandum corpori Ecclesiæ, qui prius aversus, postea ad plebem suam quæ ad cor redit, revertitur. Quique mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV), concorporans et vivificans oleastrum præsenti fidei justificatione et futura glorificatione. Nec abhorreas ab eo devorari, cujus caput cum pedibus et intestinis ex mandato legis teneris vorare ; in utroque exactissimam dilectionem tenens de visceribus charitatis mutuo influens, totum te dans ipsi ; vel totum ipsum accipiens tibi toti. Sed animus carnalis expavescens ad hæc insueta, clamat et dicit angelo ductori suo : *Domine, invadit me.* Et Petrus in captura piscium attonitus, dixit : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum ; stupor enim circumdederat eum* (*Luc.* V, 8).

Non mirum si animalis homo de castris, et claustro carnis nunquam, aut vix, aut raro progrediens, tonitruum reputat sibilum auræ tenuis ; quia nulla sunt nostra, ubi coruscant divina ; nec ascendit ad id etiam quod minimum, quod infirmum, quod stultum est Dei, mens coarctati in sæcularibus, et se minor facta, carnalium occupationibus : *Domine*, inquit, *invadit me ;* in me vadit. Utinam invadat me, et in me vadat ! Appetendus, non fugiendus ; amplectendus, non elongandus ; desiderandus, non expavescendus ; occurrendum, non tergiversandum [*Utrum* occurrendus et tergendus]. Unde ait angelus : *Apprehende branchiam ejus.*

Ecce similem habemus piscem et serpentem, juxta illud Evangelii : *Aut si petierit piscem ; nunquid serpentem dabit illi ?* (*Matth.* VII, 10). Animadverte sacramentum veritatis ; quia congrue serpentem Moyses in Ægypto per caudam apprehendit ; Tobias piscem per branchiam, quæ de capitis parte est juxta fluvium Tygris. In Ægypto serpens peccatum est in animo et corpore obscuro delectatione et consensu pravæ actionis, quem Moyses sumptum de aqua purificationis baptismalis per caudam apprehendit, cum inverecunde posteriora, et quæque deteriora pravæ conscientiæ opera, in sacrificio confessionis constringit. Tobias vero juxta fluvium Tygris in velocitate compuncti animi, branchiam, id est fauces apprehendit ; quia initia suggestionis diabolicæ nequaquam tacet in confessione : Christum quoque per branchiam apprehendit, qui de Spiritu sancto conceptum credit ; et pro gratiæ suæ exaltationibus in Ecclesiam refusis, vicem pro posse rependendo, assidue os suum aperit. Trahit eum ad se qui votis omnibus, et modis confitendi, placere Deo, sive absens, sive præsens, attrahit eum in siccum, cum credit per resurrectionis virtutem, mortalitatem in eo consumptam ; et carnem ab omni passibilitate siccatam

SERMO XVIII

DOMINICA IN MEDIO QUADRAGESIMÆ I.

Lætamini cum Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam (*Isa.* LXVI, 10).

De bonis ac malis etiam in hac vita præsenti propinat nobis Deus, ne comminationes illius pro vili ; ne promissiones suas pro contemptu haberemus ; et ut eis firmiter fidem adhibeamus. Nam juxta cujusdam sapientis sententiam : Mendaces faciunt ne veris credatur, quia quod promittunt ad nullum effectum perducunt ; quod vero minantur, nunquam prosequuntur. Et quia semel exustus timet ignem ; qui semel fallitur, vix ullis audet adhibere fidem. Et ut aliter sentiatur de Domino qui veritas est : *Apud quem non est transmutatio ; nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17) ; placuit ei, ut quædam haberemus in præsentibus signa futurorum.

De propinatione siquidem, vel de libatione bonorum vel malorum futurorum ; ut de promissione vel comminatione certiores simus, sunt prospera vel adversa quæ patimur, sanitates scilicet et infirmitates tam morum quam corporum ; fames, sitis, flagella, et his similia. Sed hæc omnia quidem umbra sunt futurorum ; quia nulla comparatione præsentium possunt æstimari futura. Nam in hac regione umbræ mortis facilia sunt quæ patimur, vel morte interveniente transitoria, quæ non in regione

umbræ mortis, sed in regione mortis intolerabilia sunt et perpetua. *Sed quoniam*, ut ait B. Hieronymus, *quod melius scimus, melius loquimur*; de his perfecte loqui non possumus, quia ea perfecte non sentimus. Quæ igitur, vel qualia, vel quanta sint tormenta inferni; quæ gaudia cœli, expressius et planius dicere possunt, qui plenius noverunt: huic igitur credendum est, qui ait: *Dolores inferni circumdederunt me* (*Psal.* XVII, 6), et huic similiter qui ait: *Lætamini cum Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam.* Alter quidem de civibus Babyloniæ; alter de civibus Jerusalem locutus est. Felices hi, et infelices illi. Tam hujus quam illius cives inveniuntur in terris; imo in corde hominis, quod mirabilius est. In corde siquidem hominis, etsi non eadem, diversis tamen horis invenitur aliquis civis Babyloniæ, et civis Jerusalem. Hoc non reperitur in cœlo, vel in terra, vel in inferno; ut idem nunc sit Jerusalem, nunc Babylonia.

Res miranda! hoc invenitur in homine; cor scilicet hominis. Propterea *omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV, 23); quia de eo exeunt bona vel mala, mors et vita. Civis Babyloniæ est omnis qui delectatur et qui moratur in desideriis carnis suæ, et peccatorum suorum confusione. Civis Jerusalem est, cujus desiderium et affectio, cujus omnis delectatio est in contemplatione cœlestium, et ibi conversatur, sicut Apostolus, qui ait: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20).

O utinam nostra saltem esset illuc migratio, ubi nostra debet esse conversatio, ubi justorum est congregatio! Tunc nimirum promissiones Dei, quas consecuti omnes sancti Dei, plenius vobis et expressius possemus explicare quomodo exsultant sancti in gloria, lætantur in cubilibus suis. Hoc faciunt, quorum cor cœlum est, in quo charitas, et omnis bonitas; quorum tale est cor, exsultationes Dei sunt in gutture eorum; hi facile prædicare possunt, et eructare verbum bonum, nam exsultationes Dei in gutture eorum. Prope est verbum in corde et in ore eorum (*Rom.* X). In corde per fidem, nam *corde creditur ad justitiam.* In ore per confessionem; nam *ore confessio fit ad salutem.* Talis erat hic qui contemplatus et delectatus in amœnitate cœlestis Jerusalem, quasi parturiens quæ partum retinere nequit, exclamavit cum exsultatione: *Lætare, Jerusalem*, ad quam lætitiam nos perducat Rex Jerusalem.

SERMO XIX.

DOMINICA IN MEDIO QUADRAGESIMÆ II.

Lætare, Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam (*Isa.* LXVI, 10).

Iste est introitus missæ, in quo prælibatione futuri boni confortata, et accensa anima, desiderii pennis levatur ad cœlum. Et notate, fratres charissimi, quasi quemdam hominem oculos suos circumjecisse supra, infra, ante et retro, deorsum et sinistrorsum, longe et prope; fortunasque quorumdam et infortunia plurimorum attendisse, et quasi respondere in cogitatione sua, quid de Scripturis quemque deceret secundum statum in quo esset: transfigurare quoque pia compassione voces et affectiones singulorum, juxta modum tormentorum, et levamen afflictionum.

Depressos itaque tenens oculos ad inferiora terræ, ubi infernus esse dicitur, videt tenebras, audit gemitus et suspiria, odoratur sulphureum fetorem, et accedens quasi tentare quid patiantur, præ dolore clamat: *Circumdederunt me gemitus mortis*, etc. (*Psal.* XVII, 5). Item convertens oculos ad Babyloniam, et captivos Jerosolymitas ibi inveniens, et quasi ad eos enavigans visitandos, ait: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus dum recordaremur Sion* (*Psal.* CXXXVI, 1). Rursum ab his rediens, et quosdam in itinere reversionis ab Jerusalem intuens, et se cum eis adjungens cantat: *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem* (*Psal.* LXIV, 2). Tandem appropinquans castello quo ibat, id est Jerusalem, prævolasse usque ad atria ejus quosdam inveniens, et pedem cum eis inferens, ait: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, etc., usque *In atriis tuis Jerusalem* (*Psal.* CXXI, 1). Ulterius ad portam civitatis accedens, videt luminaria magna, videt choros, videt abundantiam, videt lætitiam, videt omnia quæ ibi aguntur, videt symphoniam et chorum [*vel* choros] (*Isa.* LXVI) et voce alta incipit cantare: *Lætare, Jerusalem*, etc. Sed quia hospes adhuc et indigena est, transit ad Cœlum cœlorum, et de incolis mansionariisque ejus loquitur: *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). Item: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5).

Stationes itaque singularum mansionum circuiens, et extendens cœlum animæ suæ sicut pellem, pingit et describit civitatem Jerusalem, sicut Ezechiel propheta jubetur eam in latere describere. Vertit itaque se ad amœna, et virentia prata, quæ irrigantur quatuor paradisi fluminibus; et ferunt herbas immarcescibiles ad visum; salubres ad gustum; molles ad tactum; odoriferas ad olfactum. Inde arbores florigeras et frondosas contemplatur; quarum umbra caput sub eis bellantium obumbrat in die belli; quarum frondes ad medicinam; flores ad gloriam, fructus sunt ad vitam. Inde vitales aquas a dextro latere templi effluere, et civitatem Dei suo impetu lætificare cernit. Inde muros in montibus sanctis, et duodecim portas ex lapidibus pretiosis. Inde propugnacula ex lapide jaspide. Inde templum summi pontificis. Inde palatium regis et reginæ. Inde cantores et cantatrices in plateis civitatis. Inde juvenes, virgines, senes cum junioribus, laudantes nomen Domini.

Sed in itinere illo necessarii ei sunt panes ad edendum; quia grandis labor sine refectione durare non potest. Quærat itaque et habeat angelicos panes,

qui angelicas et evangelicas suscepit contemplationes. Quinque panes hordeaceos, et duos pisces in præsenti Evangelio accepimus Dominum accepisse, et quinque millia hominum satiasse. In prima itaque peregrinatione viator iste panem doloris comedat. Videre namque tot et tantos dolores animarum sine dolore quis potest? Videre gentem convulsam acerbitate pœnarum, dilaceratam a corrosione ungularum serpentium et draconum, exspectantem sine recuperatione, conculcatam desperatione, populum terribilem magnitudine, post quem non est alius horrore et deformitate. Quis hæc videre, et non dolere poterit? Absque fœdere humanæ societatis, absque misericordia pietatis est, qui non compatitur, nec habet cor humanum, sed belluinum, imo dæmonum habet. Id- B circo cum talia viderit compatiatur patientibus, et comedat panem doloris, fundendo preces, et orationes pro his qui talia patiuntur, psalmum istum decantando : *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam* (*Psal.* CXXIX, 1).

Petat iterum alium panem, qui congruat itineri suo, in secunda dieta in qua per Babyloniam transiens, captivos Jerosolimitanæ civitatis vidit sedere super flumina Babylonis, et flere cum recordarentur Sion. Accipiat itaque panem compunctionis, de quo dicitur in Psalmo : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4); ut fluminibus Babylonicis opponat aquas defluentes ab oculis cordis. Compungatur itaque et pro suis peccatis, et pro alienis miseriis cantans : *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas in finem*, etc. (*Psal.* XLIII, 24) et istum panem comedat ne in itinere deficiat.

Tertio denique itinere panem illius diei et itineris petat, videlicet panem protectionis et auxilii divini. Unde etiam cantare debet : *Esto mihi in Deum protectorem*, etc. (*Psal.* XXX, 3). Cum enim egrediens de inferno, et exiens a Babylonica captivitate, disruperit catenas et faciem vinculi colligati, id est peccati, vel diaboli, tota instantia sub pennis gallinæ subintret, quæ expandit alas suas in cruce, et in ascensione ut pullos suos protegeret, vel ad volandum provocaret. Panem itaque divinæ protectionis requirat, qui laqueos captivitatis evasit; et in D patriam, adhuc in medio laqueorum ambulans, tendat.

Quarta peregrinatione panem consolationis petat qui mansionem facturus est in atriis Domini, in atriis Jerusalem : hic est panis de quo dicitur : *Clamabit ad me et ego exaudiam eum; cum ipso sum* (*Psal.* XC, 15); nondum in mansione palatii, sed adhuc in atriis tribulationis. *Non sunt tamen condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Iste cantat : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1). Exsultat jam quidem iste, sed cum timore; quia dicitur : *Ibimus*. Habet ergo consolationis, vel potius quasi A consolationis panem; et alias dicitur : *Facti sumus sicut consolati* (*Psal.* CXXV, 1).

Quinta mansione viator noster ad portas castra sua ponit, et audiens symphoniam et choros, odoransque balsama illa suavissimi odoris, quæ distillant inter manus recumbentium; cæterumque apparatum ita admirans, ut non sit in eo spiritus, petat panem desiderii, cantans : *Redime me, Domine, et miserere mei* (*Psal.* XXIX, 11).

Sexta mansione ingrediens portas justitiæ; et videns gloriosa quæ dicta sunt de civitate Dei, plebem, sedem, legem et regem intuens, dicit : *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XXIV, 15). Panem sive piscem gaudii iste comedat : *Quia omnem lacrymam absterget Deus ab oculis sanctorum, et non* B *erit ultra luctus; neque clamor, neque dolor erit amplius; quia prima abierunt* (*Apoc.* VII, 17).

Septima mansione accedat in aula, et mansionem sibi paratam dedicans, cantet : *Lætare Jerusalem*, etc. Et iste panem, sive piscem æternæ delectationis accipiat. Magis autem pisces quam panes habent isti duo, qui quasi natant in abundantia illa beatitudinis æternæ; nec aliquid duri, quod inter dentes, quod frangere debeant, occurrit, in tota æternitate illa. Superiores vero quinque, quod masticandum sit in omnibus mansionibus suis abundanter reperiunt, donec, omni sublata difficultate, de torrente voluptatis Dei, quantum voluerint usque ad satietatem bibant.

Accepta ergo mansione novitius iste in mansio- C nibus sanctorum, visitet mansiones aliorum; et usque ad Reginæ cœli veniens, stationem ibi devotissimam faciat. Non reformidet illam videre, quia non est ibi formido, sed sola dilectio. Dicat etiam illi : Quæ habitas in hortis cum puellaribus choris, colens amœna et viridia prata virginitatis, et hortos fecunditatis, fac me audire vocem tuam, quia cum amicis ad fores tuas accessi, tam ut viderem faciem tuam, quæ est pulchra; quam ut audirem vocem tuam, quæ est sonora. Veniat post organa ista ad Sedentem in throno, et audiat sonum sublimis Dei intonantem : Pax æterna ab æterno Patre. Tota lustratione peracta, rediens ad suam mansionem per medium civitatis, exclamet in voce jubilationis; in D medio civitatis Jerusalem, et dicat : *Lætare, Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam.*

Sed vos, fratres charissimi, conventum facite, sed conventum apostolorum, sed conventum sanctorum, sed conventum virtutum; non ventum, sed conventum facite. Ventum facit, qui seminat inter fratres discordias; conventum facit, qui discordes pacificat. Ventum facit, qui murmurat; conventum facit, qui omnia patienter tolerat. Ventum facit, qui in flatus est superbia; conventum, qui humilitate virtutes congregat. Ventum facit, qui inanem sequitur gloriam; conventum, qui veram. Ventum faciunt singulares, conventum communes, qui *nihil faciunt, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla. Conven-*

tum igitur, *facite omnes qui diligitis eam* (85). Ut ad ipsum dicatis : *Et non sint in vobis schismata* (*I Cor.* I, 10). Ut unum quæratis quia unum necessarium est. Unitatem tenentis, quatenus ad ipsum qui trinus et unus est Deus, pervenire valeatis, ipso præstante, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

DOMINICA IN MEDIO QUADRAGESIMÆ III.

Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, etc. (*Galat.* IV, 22).

Cursor ille viarum Dei qui bonas facit vias suas, et studia sua, quasi medio itinere confecto, pedem figit, et spiritu resumpto, residuum viæ instanter arripit. Occurrit ergo ei Paulus ; et quod alia sit via sequens quam præcedens, in figura et ænigmate ostendit, dicens : *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit*, etc. Quasi diceret : Cum Ismael hactenus peregrinatus es, sed jam cum Isaac erit tibi perambulandum ad civitatem habitationis : horum duorum filiorum Abraham, alter dicitur Ismael, alter Isaac.

Ismael Vetus est Testamentum, et est quasi vetusta via et media. Neminem enim ad perfectum adduxit lex ; viam tamen exhibuit, licet viatorem perducere nequiverit ; cognitionem enim mandati divini, quam lex docuit, quid aliud quam viam Dei diximus? Ismael itaque, id est populus antiquus Judæorum, cœpit ambulare viam mandatorum Dei ; sed pondere carnium, pellium, ciliciorum, cortinarum, tabularum, columnarum, tabularum lapidearum fessus, in legem justitiæ non pervenit. *Ex operibus enim legis*, id est cæremonialibus, vel sacramentalibus observantiis, *non justificabitur omnis homo* (*Rom.* III, 20).

Namque alia sunt moralia in lege opera, alia sacramentalia. Moralia, ut non concupiscere rem proximi sui, honorare patrem et matrem, et similia, quæ cum fide et charitate servata justificant et perducunt ad Deum. Sabbatum vero observare, circumcidere carnem præputii sui, vitulum immolare et similia non justificant, neque perducunt. Venerunt tamen ista usque ad mediam viam, id est usque Joannem, quia lex et prophetæ usque ad Joannem Baptistam, nec potuit ultra Ismael pergere, id est filius carnis, qui litteram tantum servat, quia in terram promissionis, nec Moyses, nec Aaron populum introduxerunt. Jesus [Josue] autem Jordanem transivit, et secundo populum circumcidit, nova exspoliatione peccati, in baptismate Christi novum inchoans testamentum, et per repromissionem, sive remissionem peccatorum generans Isaac.

In nativitate vero Isaac dicit Sara : *Risum fecit mihi Dominus* (*Gen.* XXI, 6). Idcirco, fratres charissimi, tota sancta Ecclesia, quia vetera transierunt, et nova facta sunt, hodie in voce exsultationis cantat : *Lætare, Jerusalem*, etc. (*Isa.* LXVI, 10.) Solent viatores, cum asperas vias et paludes cœnosas exierint, et planum iter invenerint, patriæque jam appropinquaverint, voces gaudii altius tollere, et labores præteritos parvipendere. Sic sancta Ecclesia, sic fidelis anima onere illo sacrificiorum et holocaustorum veteris observantiæ absoluta, jugo Christi, quod suave est, collum supponens, tanquam torque aurea ornata, cantat in viis Domini de canticis Sion. Quid autem moraliter exprimat Ismael, vel Isaac ; aut quomodo Ismael non impleat vel saltem dies suos, attendite, fratres charissimi.

Isaac homo justus, bonum mentis motum designat. Ismael homo ferus, malum animæ motum nihilominus significat. Ismael non implet dies suos, et dies pleni non invenientur in eo ; nec dimidiat quidem ; quia *viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* (*Psal.* LIV, 24). Isaac vero plenus dierum in senectute sua bona collectus est ad patres suos. O Domine, quot sunt dies servi tui Isaac, id est bonæ voluntatis? Septem quidem ad minus ; quod autem amplius est a bono est.

Horum primus dicitur indicativus, secundus optativus, tertius imperativus, quartus conjunctivus, quintus infinitivus, sextus completivus, septimus remunerativus. Indicativus confitetur, optativus gemit, imperativus obedit, conjunctivus Deum et proximum diligit, infinitivus nunquam a Deo recedit, completivus humiliatur, remunerativus quiescit.

Indicativo dicitur : *Fiat lux* (*Gen.* I, 3) ; optativo : *Fiat firmamentum in medio aquarum* (*ibid.*, 6) ; imperativo : *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum*, etc. (*ibid.*, 9) ; conjunctivo : *Fiant luminaria in firmamento cœli* (*ibid.* 14) ; infinitivo : *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram* (*ibid.*, 20) ; completivo : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.* 26) ; remunerativo : *Requievit Deus die septimo ab universo opere quod patraverat* (*Gen.* II, 2).

Confessio ergo est in luce ; gemitus in medio aquarum ; obedientia congregat aquas, quæ sub cælo sunt, in locum unum, et germinavit herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum juxta genus suum ; dilectio Dei et proximi, duo magna luminaria in firmamento cœli ; perseverantia producit reptile animæ viventis, et volatile super terram ; humilitas, hominem ad imaginem et similitudinem Dei facit ; remuneratio æternam quietem tribuit.

Confessio ut lucem primam faciat, indicativi sui nec personas minuat nec tempora. Tres enim personas habet indicativus, id est primam, secundam et tertiam. Tempora sex, id est unum præsens ; tria præterita, id est imperfectum, perfectum, et plus quam perfectum ; unum quoque futurum. Plane

(85) Reg. SS. P. Benedict. c. 7, in-8. humil. gradu.

prima persona est in peccati perpetratione, serpentina suggestio; secunda carnalis delectatio; tertia animæ consensus vel operatio. Has debet indicativa confessio proferre in lucem, et congruum his adjungere casum, ut diabolo assignet suggestionem; suæ fragilitati delectationem; suæ culpæ consensum seu operationem. Ipsa quoque tempora sic ad unguem comprehendat, ut non solum præsentia, sed etiam præterita imperfecta, præterita perfecta, et præterita plus quam perfecta distincte aperiat.

Ad imperfectum præteritum pertinent, quæ heri et hodie mala feci, de quo dicitur : *Adhuc escæ erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos* (*Psal.* LXXVII, 31). Ad præteritum perfectum pertinent, quæ hoc anno vel proximis diebus mala commisi, et quorum desiderium in me jam cessavit de quo dicitur : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Ad præteritum plus quam perfectum pertinent quæ in pueritia feci, vel quorum pene memoria elapsa est a mente mea, de quo dicitur : *Ne memineris iniquitatum mearum antiquarum* (*Psal.* LXXVIII, 8). Ad præsens pertinet quod adhuc vel actualiter committo, vel cogitatione concupisco; dicitur : *Repleta est malis anima mea*, etc. (*Psal.* LXXXVII, 4). Ad futurum quodammodo pertinent, quorum opportunitatem exspecto; de quo dicitur : *Venient dies luctus Patris mei, ut occidam Jacob* (*Gen.* XXVII, 41); hæc omnia in luce confessionis denudanda sunt, ut nec persona taceatur, nec tempus abscondatur.

Sequitur gemitus, qui sicut firmamentum est in medio aquarum, ut dividat aquas ab aquis, et respicit ad optativum; per aquas superiores accipiamus culpas præcedentes; per aquas inferiores culpas sequentes. Gemitus ergo noster adeo debet esse firmus; ut si quasi murus, et a prioribus nos per pœnitentiam liberans, et a sequentibus per cautelam observans.

Tertio loco sequitur obedientia, quæ ab imperativo procedit; inferioribus enim imperat, qui superiori obedit : congregat autem aquas quæ sub cœlo sunt in locum unum, quando totam collectionem desideriorum refrenat ad naturalem sufficientiam; et tunc germinat herbam virentem, in bono proposito sanctæ religionis; lignumque pomiferum, in operibus pietatis.

Quarto loco sequitur dilectio Dei et proximi, quasi duo luminaria magna in firmamento cœli, id est in medio cordis; quibus dies et nox illuminantur, id est bona nostra tanquam dies remunerantur, mala tanquam nox delentur : *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV, 8)

Quinto loco sequitur perseverantia quæ respicit ad infinitivum, et debet producere ex aquis reptile animæ viventis et volatile super terram, id est ex affectionibus appetitum virtutum in corde, et virtutem contemplationis in exhibitione.

Sexto loco sequitur completiva humilitas, quæ hominem reformat ad imaginem et similitudinem Dei; per imitationem ad imaginem; per consummationem gratiarum ad similitudinem, ut sit imago in labore, similitudo in requie.

Septima enim sequitur requies, in qua dicitur : *Ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV, 13), quid tunc? *Lætare, Jerusalem*, etc. Quid tunc? Isaac risus, jubilus, vox exsultationis in tabernaculis justorum, convivium magnum quando Joseph comesturus est cum fratribus : quando et ipse filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia. *Lætare Jerusalem*, quia Ismael cum Agar expulsus est in inferno inferiori. *Lætare, Jerusalem*, quia Isaac cum Sara dies et annos complevit, ut ad longitudinem dierum veniret, et cum angelis in æternitate regnaret. Tot Ismael passibus recedit, quot Isaac accedit. Recedit enim Ismael ad Babylonem, cujus est civis, id est ad confusionem inferni. Unde dicitur in Psalmo: *Convertantur in infernum omnes gentes quæ obliviscuntur Deum* (*Psal.* IX, 18).

Sicut autem Isaac dies accessionis, vel perfectionis dici possunt : ita dies Ismael dicuntur dies recessionis et defectionis. Horum primus dicitur cæcitas mentis, de qua dicitur : *Misit tenebras et obscuravit eos* (*Psal.* CIV, 28). Secunda error, de quo dicitur : *Immisit eis Deus spiritum erroris* (*II Thess.* II, 11). Tertia fallacia, de qua dicit malus spiritus : *Et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum* (*II Par.* XVIII, 21) : et erunt qui seducunt, et seducuntur præcipitati. Quinta, odium Dei vel contemptus, de quo Apostolus : *Deum non glorificaverunt* (*Rom.* I, 21). Sexta contumacia sive obstinatio, de qua dicitur : *Tu autem secundum duritiam tuam, et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ revolutionis* (*Rom.* II, 5). Septima, sepultura in inferno, de qua dicitur : *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno* (*Luc.* XVI, 22). Ecce Ismael habitat in tenebris, de quo dictum est : *Ejice ancillam et filium ejus* (*Gal.* IV, 30).

Isaac autem ore pleno ridet, et ad risum hortatur socios gaudii sui, dicens : Lætare Jerusalem, *Lætare, sterilis; erumpe et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Gal.* IV, 27). Inter istos filios, id est inter angelos, et omnes Dei sanctos, annumeret nos primogenitus mortuorum, et Princeps regum terræ, Jesus Christus, qui vivit et regnat, etc.

SERMO XXI.

IN FESTO SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

Omnes filii viri unius sumus; pacifice venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali (*Gen.* XLII, 11).

Duriora passus Joseph a fratribus, ore, non corde; verbo, non animo, dissimulando mansuetudinem, non vindicando venditionem, durius loquitur ad eos dicens : *Exploratores estis; ut videatis infirmiora terræ, venistis* (*Gen.* LXII, 9). At illi quibus mysterium latebat, et vultum fraterna dominatio insperata ce'abat, furorem opinantes, non tentationem aut fraternam correptionem, dixerunt : *Non est ita, Domine, servi tui venerunt ut emerent cibos* (*ibid.* 10).

Deinde ad captandam benevolentiam illius, subdunt: *Omnes filii viri unius sumus*, etc. (*Gen.* XLII, 11).

Quia patroni nostri B. Benedicti abbatis solemnitas instat, quomodo hoc de veteri historia sumptum, et festivitati Patris nostri, et nostræ professioni congruat, enodemus. Granum frumenti, panis vivus qui de cœlo descenderat, nuper de virgine natus Jesus, in Ægypto fugerat; et tanti hospitis præsentia, terra salsuginis prius et inhabitabilis, visitata, impinguata, inebriata, fecundata, cœpit abundare frumento, et esurientibus aliis, vendere alimenta religionis. Unde nusquam fertilior, nusquam ferventior post resurrectionem Christi exuberavit seges eremitarum et monachorum, quam in Ægypto. Transferimus itaque specialitatem ad universitatem, quia nec sola Ægyptus, sed etiam totus mundus intelligitur per ejus interpretationem. Ægyptus sonat *tenebras;* has tenebras incoluit B. Benedictus in specu, in solitudine, in raritate hominum habitans, *sicut passer solitarius in tecto, sicut nycticorax in domicilio, sicut pellicanus in solitudine* (*Psal.* CI, 7).

In solitudine, ut sileret ab otiosis et vacuis, ut non offenderetur aspectus vanis et variis sæculi lenocinilis; ut auditus non impleretur detractionibus et vaniloquiis. *In domicilio*, ut abstineret a deliciis, ut memor esset suæ fragilitatis et mortis; ut extra non inveniens locum delectationis, ad mentem semper rediret; et ibi frueretur et puritate mentis. *In tecto*, ut cum animalibus jam corpore exutis, spoliando se a corpore, levaret se super se, ut cum angelis Deum laudaret; ut Deum in speculo et ænigmate contemplaretur. Non odio lucis, sed cautela fugiendæ elationis, in antris seu cellis absconditis se reponunt sancti. Nemo enim quieti dans operam, radios solis quærit. Unde Jeremias : *Diem hominis*, id est favorem, *non desideravi, tu scis* (*Jer.* XVII, 16). Dominus quoque in caligine habitat, et latibulum in circuitu ejus. Præcipit enim in Evangelio, dicens : *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum : et absconde eleemosynam in sinu pauperis* (*Matth.* VI, 6). Ubi non videt homo hominem, melius videt Deum, qui nunquam bene videtur, nisi totus oculus mundetur, et totus ipsius visioni mancipetur : hoc intempestæ noctis hora expertus B. Benedictus; *cum sub uno solis radio, omnem mundum collectum conspiceret* (86)

Joseph hic dominatur, Joseph hic dispensat alimenta universæ terræ; quia *oculi omnium in te sperant, Domine* (*Psal.* CXLIV, 15), qui carnem tuam, sanguinem et animam dedisti, et parvo pretio Judæis per procuratorem, imo proditorem tuum vendidisti. Non enim in te potestatem haberet, sicut nec Pilatus, nisi datum ei esset desuper. *Quid*, inquit Judas Scribis et Pharisæis, *vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* (*Matth.* XXVI, 15.) Procuratoris est, O Jude, meliorem facere conditionem Domini, non deteriorem; res et substantiam Domini dispensare fideliter et prudenter; non personam ejus et vitam adimere crudeliter et procaciter. Sed forte legerat vel audierat quod fratres vendiderant Joseph in Ægyptum; sua itaque avaritia compensare voluit illorum invidiam. Sed minoris fuit illorum invidia, quam istius avaritia; iste enim inimicis Dominum ad mortem osculo, vili pretio, portans loculos ejus, vendidit. Illi fratrem qui accusaverat eos apud patrem, Ismaelitis pro bonis speciebus, ut inter alienam gentem viveret dederunt; et illi locum habuerunt pœnitentiæ; iste sibi inflixit præjudicium desperationis et amentiæ.

Utique tamen Joseph, et ille charus filius Jacob, et iste dominus regnans in domo Jacob in æternum, non abscondit frumenta in populis, sed aperit horrea, prius pro pecunia, postea pro animabus, tertio pro suis libertatibus. Sic Christus cuidam dicenti : *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Ait : *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* (*Luc.* X, 25). Ecce pecuniam totam accipit. Alii vero dicenti : *Magister, sepeliam patrem meum, et sequar te*, ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade et annuntia regnum Dei* (*Matth.* VIII, 21). Hic quasi animalia de grege naturalium affectionum carnalem affectum possidebat, sed et hanc possessionem præcidit ab animo Christus, non ut omnino affectio pereat, sed ut ad Dominum transeat. Alibi quoque ait : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX, 23). Sic ille Petrus, cui dictum est : *Sequere me* (*Joan.* XXI, 19), imperium, consilium, et beneplacitum Domini implens, ait : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX, 27.) Sic Paulus servus Christi Jesu, omnia reputat ut stercora, ut Christum lucrifaciat.

Notandum quoque quia in pecunia propter imaginem signatam ratio, quæ est imago Dei signatur, ut reddantur Deo quæ Dei sunt. In animalibus propter appetitum ventris et gulæ, sensualitas intelligitur, quæ mater est carnalium desideriorum, ut in reticulo jecoris, et renunculis, quæ cremanda sunt in igne altaris, prædicta mortificemus, quatenus veraciter dicamus : *Delectatio* [Vulg. *meditatio*] *cordis mei in conspectu tuo semper* (*Psal.* XVIII, 15). Et : *Tu possedisti renes meos* (*Psal.* CXXXVIII, 13). In venditione libertatis, summa consistit nostræ liberationis. Jure itaque originario, male utimur, bona a bono, et bene concessa nobis libertate.

Tria impediunt bene uti. Hostis astutia, carnis levitas, animæ impatientia. Hostis tripliciter decipit, specie compassionis, specie consultationis, promissione ambitionis; specie compassionis, ut ibi : *Dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV, 3); specie consultationis, ubi dicit : *Mitte te deorsum :*

(86) B. Greg. dial. 35, in vita S. Ben.

quoniam angelis suis Deus mandavit de te (*Matth.* IV, 6); promissione ambitionis, ut *hæc omnia tibi dabo* (*ibid.* 9). Carnis levitas venit de conditione, de corruptione, de consuetudine. De conditione, quia de limo est; de corruptione, quia vitiosa est; de consuetudine, quia incurvata est, nec potest sursum aspicere. Animæ imperitia itidem triplex, quia se ipsam unde, quando, et qualis facta sit non novit, ut utrum prædestinata sit; vel si prædestinata, quando de corpore exitura. Ut ergo certa deinceps, cauta et secura sit possessio libertatis, in manu Dei collocemus illam, quia *justorum animæ in manu Dei sunt; et non tanget illos tormentum malitiæ* (*Sap.* III, 1). Tormentum malitiæ est passio carnis, elatio cordis, tentatio hostis. Ut ergo ab his non timeamus, quæ sunt negotium perambulans in tenebris, dæmonium meridianum, sagitta volans per diem, dicamus cum apostolo Petro: *Ecce nos reliquimus omnia* (*Matth.* XIX, 27). Omnia, nihil proprium retinentes, nihil illicite accipientes, nihil cupientes; sic Christus in novacula conducta pilos capitis et barbæ, et etiam pedum in monachis suis rasit, dicens: *Exeuntes de civitate*, id est de mundo, *etiam pulverem pedum vestrorum*, id est rem quantumlibet parvam, *excutite de pedibus vestris* (*Matth.* X, 14), id est in usu, non in affectu, necessaria naturæ habeatis.

Ista rerum exspoliatio, affectuum castigatio, vestigiorum Dei sancta connexio, facit nos omnes filios viri unius, aut Dei Benedicti, aut Benedicti servi; Deus enim voluntarie genuit nos verbo veritatis. Et Benedictus per Evangelium genuit nos in Christo Jesu, ut id ipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata; sic enim sequitur: *Pacifice venimus*, quia *beati pacifici* (*Matth.* V, 9). *Nec quidquam famuli tui machinantur mali*, ut simus sine querela apud Deum et apud homines. Sic ait Joseph: *Exploratores estis.* Absit mendacium a verace, imo a veritate! Est namque et bona exploratio et mala.

SERMO XXII.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA I

Sume tibi librum grandem (*Isa.* VIII, 1).

Mens divina liber grandis est; in eo sunt plura volumina sententiarum, sermonum et actionum summæ et adorandæ Trinitatis Dei. Ibi prædestinatio nondum existentium, ibi creatio jam ad esse prodeuntium, ibi distinctio bonorum et malorum; ibi bonorum electio, malorum reprobatio, ibi vocatio prædestinatorum, ibi justificatio vocatorum, ibi glorificatio justificatorum, ibi præscientia peccati Adæ, per quod introivit mors in mundum; ibi Virginis Mariæ præparatio et Verbi incarnatio; ibi humani generis reparatio et amissæ felicitatis recuperatio. In Apocalypsi et in Isaia signatus est liber iste, et Ezechiel expanso illo cibatur. In ore quidem habet mel; venter autem ejus amaricatus est, quia cœlestium bonorum jucunda est possessio, sed dura negotiatio. Job in humeris suis offert illum judici; A gratias agens de collatis sibi beneficiis. Esdras legit in eo distincte et aperte super gradum ligneum crucis; ubi miles latus Christi lancea aperuit; et in sanguine et aqua, accensa sunt omnia Christianæ fidei luminaria, ut nihil esset opertum, quod non revelaretur. Paulus de hoc libro audivit arcana illa quæ non licet homini loqui, sed admirari, unde ait: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI, 33.)

De hoc libro angelus Gabriel missus a Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, et nomen Virginis Maria, epistolam detulit, cujus talis est salutatio: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum*, etc. (*Luc.* I, 28.) Revera hæc paginula B de corpore illo libri grandis et Novi ac æterni Testamenti sumpta, publicum et commune omnium continens negotium, et illam, cui destinatur, affluenti gaudio lætificat; et nos de quorum liberatione agitur, in diem solemnem non indecenter excitat. Stupendum dictum imo causa dicti scrutanda, et singulis diebus atque horis, cum tota fide et devotione veneranda: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Quid proinde gratiæ deesse potuit, ubi totus sancti Spiritus alveus, cum septem rivis suis, coadunatus tanquam in utre, in utero virginali, mansionarium meatum fecit? Totus namque cum Verbo incarnato accessit; sed eo nato non abcessit. Habitavit quidem in Filio tota ejus plenitudo divinitatis corporaliter; sed et in Matre præ omni alia creatura C plene et singulariter. Visne haurire ex puteo virginis, peccatis tuis indulgentiam, tentationibus medelam; flagellis temperamentum; insidianti adversario repagulum? Hydria plena est usque ad summum, nec deficit hydria farinæ; et lecythus olei non minuitur ab hora suæ conceptionis, usque in hanc vel ultimam præsentis sæculi diem et horam. Miserrime, infelicissime ideo Christus balsama gratiarum suarum refudit copiosa benedictione huic lavatorio peccatorum, ne procul abesset subsidium lapsibus suorum fidelium, sed de facili et incontinenti impulsus redires, dejectus resurgeres, serpentino morsus veneno, non desperares.

Denique in hac plenitudine gratiæ, tanquam in D balneo Dominus salutem nostram operatur, emundans lepram Naaman, id est Adam, aquis istis Jordanicis, naturam separatam a culpa; induens stolam primam, et expediens compeditum liberum arbitrium per fidem et cooperatricem gratiam. Vocatur enim Filius virginis: *Velociter spolia detrahe, cito prædare* (*Isa.* VIII, 1). Spolia quibus exspoliatus est homo ille qui descendebat a Jerusalem in Jericho, et quia a malignis raptoribus sunt sublata, et pœnalibus latrociniorum suorum repositoriis consignata, fortior ille armatus et potens in prælio, mox hospitium virginale ingrediens, vindicavit; et malæ fidei possessori detraxit; quando et sibi uniendo naturam nostram sanctificavit, et sanctificando univit: *Velociter* enim *currit sermo ejus* (*Psal.*

CXLVII, 13), citius et facilius sua omnia complens opera, quam aliquis homo sua verbo proferat cogitata.

Sed quis est stylus hominis? Stylus altera sui parte acuta imprimit quoslibet characteres ceræ, aut cuilibet molliori materiæ : altera plana, quod displicet, complanat et delet. Hoc Jesu officium fuit in carne mortali, eradicare utique vitia et virtutes plantare. *Vocaberis*, inquit Isaias, *ædificator sepium, avertens semitas iniquitatum* (*Isa.* LVIII, 12). Vide stylum pungentem : *Pœnitentiam agite* (*Matth.* III, 2). Vide delentem : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Et item deprehensæ in adulterio : *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Nemo*, inquit, *Domine. Nec ego te condemnabo* (*Joan.* VIII, 10). Pupugit etiam stylus iste hominem ut rediret ad se, dicens peccanti : *Adam, ubi es?* (*Gen.* III, 9.) Pupugit post peccatum dicens : *Pulvis es et in pulverem reverteris* (*ibid.*, 19). Denique sigillo totius honestatis fracto, cum irreverenter et incontinenter peccando corrupisset omnis caro viam suam, tactus dolore cordis intrinsecus, complantare volens omnem Scripturam generis humani, ait : *Delebo hominem de sub cælo* (*Gen.* VI, 7).

Sed mira misericordiæ recordatus; et mitius volens incarnatus pungere; utique ad pœnitentiam, non ad punientiam planam commutavit, ut in homine peccatum deleret, et naturam servaret. Omnia siquidem quæ in Ecclesia celebrantur sacramenta, uno suo effectu, quidquid homo stultitia, id est infirmitate seu etiam malitia sua male scripserit complanare; cum Dei gratia prævalent, ne exigantur in judicio, quæ ante judicium cum fletu peccatoris complanaverit sacramentalis operatio. Nam hujus styli Scriptura talis est : *Velociter spolia detrahe, cito prædare*. Velox divina bonitas ad remissionem, tarda ad severitatem. O quoties minatur ne feriat; quoties verberat ne occidat; quoties temporali morte præripit innocentem, ne perdita innocentia cum descendentibus in lacum projiciat! Avertit faciem suam ne videat peccantem; videns iniquitatem dissimulat, exspectando correctionem. Jam in cruce et morte posito latroni, extremæ voci in confessione, æternæ rependit præmia vitæ : *Amen*, inquit, *dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). O summa pietas! quot millia annorum non sufficerent expiare animam latrociniis pollutam, si districte cum ea ageretur, et tu nec annum ponis, nec mensem, nec saltem alterum diem; sed : *Hodie*, inquis, *mecum eris in paradiso*. Abeant sibi crudelia hominum edicta, evanescat pharisaica justitia, quæ *omnia gravia et importabilia imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere* (*Matth.* XXIII, 4).

Misericordia enim, qua plena est terra, digito suo, et brachio in cruce passione propria, affixit omnia ad Deum conversorum peccata, ut alleviaretur humana natura, per ipsum redempta, a cunctis oneribus suis, quibus a peccato Adæ tanquam fenore grandi oppressa, solvere debita non prævalens, in extremis agebat. Clementiam illam non exspirasse credimus, sed semper miris et novis successibus, continuatam ad nostra, et ad futurorum sæcula, quatenus novam segetem de hoc agro, in horreis sempiternis evehat; seminando gratiam, rigando per evangelicam doctrinam. Dicamus itaque Filio hominis, Filio Virginis : *Velociter spolia detrahe*, vetustam pellem nostram, quam de peccato primi parentis contexuimus, et quotidie deterius vivendo multis actionibus corrupimus, *cito prædare*, ut de potestate diaboli nos eripias; et qui odio habes rapinam in holocaustum, non rapinam arbitratus es esse te æqualem Deo. Fac de nobis rapinam, ut charitate violentissima, nos a nobis exuas, et eodem loro constrictos, ad te pertrahas; Qui vivis et regnas, etc.

SERMO XXIII.

IN ANNUNTIATIONE DOMINI II.

Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis (*Cant.* VII, 2).

In libris sive thesauris nunquam fallendæ prædestinationis, præcipue singularem, et singulariter incomparabilem thesaurum sapientiæ et scientiæ suæ Deus in B. Virgine Maria ab æterno congessit; in fine sæculorum resignavit; sine fine in summa cœlorum arce collocavit : ubi opes hactenus nulli communicatas intromisit; ubi omnium pretiosorum lapidum gloriam insignissime conglomerans, ad complementum totius honoris et supereffluentis magnificentiæ, se ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, annumeravit. Cherubim igitur gloriæ obumbrantia propitiatorium, adjunctis sexaginta ex fortibus Israel, ad hunc thesaurum sive lectulum suum custodiendum deputavit; atque ut solis fidelibus, et devotis sibi viam propalarent, mandavit.

Ad limen itaque hujus sanctuarii, alis submissis per humilitatem; et capite ad collum retorto per continuam devotionem prædicantes gloriam Dei, et venerantes scabellum Divinitatis adoremus, quoniam sanctum est. Quidquid in ea apparet, quidquid latet, sive quod in ea natum est, quia de Spiritu sancto est. Joseph tanti solis vix fert splendorem, tanti mysterii vix sustinet admirationem; ante fenestras stat tremulus, pedem inferre recusat castissimus; opprimitur enim gloria majestatis ejus, quam videt Deum præoccupasse, et solis usibus suis signasse et assignasse. Denique angelico certificatur alloquio, nullum incurrens dispendium de dilatione fidei, quam non concepit nequitia mentis, sed immensitas operis. Non enim veritati opposuit pessulum diffidentiæ, sed incrustabili consilio maluit se non ingerere, et exspectare a longe exitum rei, quæ claudebatur sub signaculo fidei. Quod si Joseph vallatus auctoritate maritali, dominam et conjugem suam a limine salutat, appropinquare trepidat. Quid ego in anima immundus, carne pollutus, quibus

labiis nominabo, quibus oculis videbo illam, quæ refringit etiam puras sanctorum acies; quæ *pulchra ut luna, electa ut sol* (*Cant.* VI, 2), angelicos quoque exsuperat fulgores et splendores? *Sed perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18); sed præcedens devotio extenuat præsumptionem.

Rejecto igitur in nominatione umbilici consuetudinario, et vulgari cogitatu, cum debita reverentia ingrediamur sanctuarium Dei, et eo affectu loquendo contingamus in Virgine nostra, membra quæ in aliis dicuntur inhonesta, quo rapimur cum tractamus angelica ministeria, et ipsius Dei intellectualia membra? Dicat igitur de Domina nostra Sapientia in Canticis : *Umbilicus tuus crater tornatilis;* et excipiat dictum sacramentale mens casta, puro corde et sensibus castissimis. Notandum autem quia umbilicus sæpe in Scriptura nominatur. Alibi umbilicus terræ (*Jud.* IX); alibi umbilicus ollæ, qui non est præcisus in die nativitatis ejus (*Ezech.* XVI), et alibi fortitudo Leviathan dicitur esse in umbilico ventris ejus (*Job* XL); et hic : *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Postpositis vero terræ, et ollæ umbilicis, attendamus in Leviathan umbilicum malitiæ; et in Sponsa umbilicum gratiæ; quatenus malitiæ excursum, gratiæ occursus compescat, et vincat sapientia malitiam, naturæ humanæ damna resarciendo, et opera malitiæ destruendo.

Ubi ergo prima species mali post peccatum in primis parentibus apparuit; ibi sedem et principatum misericordissima gratia in B. Virgine collocavit; arefacto enim et siccato usque ad primam innocentiæ castitatem (quæ nuditatem non erubuit, nec in membris se habere putavit quod esset velandum aut verendum) forte libidinis et luxuriæ, qui pleno gurgite in filiis Adæ supereffluebat, donec rosa nostra in Jericho plantata, hiemales destituit paludes; extunc a throno gratiæ procedens fluminis impetus civitatem Dei, id est Dominam nostram lætificavit; sic in ea exstinguens libidinosum ardorem, ut conservaret inauditam sæculis fecunditatem. Sic enim area sicca, vellus madefactum est, ut in carne virginali vitio subtracto corruptionis, eadem Virgo gigneret pretium nostræ redemptionis. Quod manus creatrix naturale indiderat visceribus et membris Evæ necdum corruptis, mulierem videlicet concipere sine ardore libidinis, factu impossibile reputabat usus generandi; elicuit autem vim illam secretissimam de abditis naturæ, obumbrante Spiritu sancto, Virgo Dei genitrix in umbilico suo confringens virtutem serpentis antiqui, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam in utero concipiens, non ex concupiscentia viri, sed ex gratia Dei.

Umbilicus ergo iste est *crater;* quia uterus virginalis plenus vino Divinitatis, sicut crater, divinis potionibus aptus est. Unde in Psalmo : *Calix in manu Domini, vini meri plenus misto* (*Psal.* LXXIV, 9), id est homine Deo. *Tornatilis,* quia juxta primam tornationem, id est creationem, castitatem habuit, et supra consuetudinem toro immaculato, Virgo et Mater Deum et hominem genuit. Crater est, id est scyphus Joseph in quo augurari solet; dum tanquam quodam augurio vires mirabilium suorum experiri cœpit, ille qui facit mirabilia magna solus in virginali conceptu; ubi unum fecit supra naturam, alterum vero supra omnem scientiam. Supra naturam etenim est, virginem concipere; supra omnem scientiam, Verbum humanæ naturæ indissolubiliter couniri. *Tornatilis* est *crater* iste, quia in omnibus Deo complacuit : in omnibus divinis mandatis obedivit, in omnibus irreprehensibilis fuit.

Manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, tornaverunt et formaverunt craterem istum. Unde in Psalmo loquitur : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu* (*Psal.* CXVIII, 73). Vere totum in circuitu, quia tornatilis consummatione legis; in æmulatione angelicæ puritatis; in dilatatione cordis; eatenus ut contineret Deum quem non capiunt cœli cœlorum; miro modo versa vice et Deus suis circulis inclusit craterem istum, creando Virginem sanctam, sanctiorem operando, sanctissimamque semper conservando : et ipsa utero incarnatum Deum gestavit, et natum non semel beatissimis brachiis continuit.

Irrigata igitur de plenitudine plena gratia, inundatione rivulorum suorum angelicas virtutes debriavit, divites implevit, pauperibus absque argento, et absque ulla commutatione pocula indulsit. Est enim nunquam indigens..... hæc est illa Rebecca, puella nimis pulchra, quæ, deposita hydria de scapulis, adaquavit non solum servum Abrahæ, sed etiam camelos. *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV, 1), de fonte et puteo Salvatoris, de quibus ipse bibit et omnis familia ejus. Plane inebriatum Deum reputo, propter exinanitionem, et nudatum vestimentis gloriæ, quia habitu inventus est ut homo; quando cerva gratissima gratissimum hinnulum inter ubera sua vino purissimæ et sincerissimæ conversationis illectum, et attractum collocavit; et præ vini dulcedine, pauperem factum, oculis nostris opposuit.

Denique omnes familiæ gentium, hujus Agni sanguine redemptæ, lotæ et potatæ, dederunt vestimenta sua, id est corpora sua pro vino isto, bajulantes crucem, tanquam botrum in vecte, et lavantes in vino stolas suas, quas Benjamin a Joseph accepit quinque, propter configurationem corporis humilitatis nostræ, corpori claritatis Dei. In convivio illo meridiano inebriatus est Joseph cum fratribus suis; quia plenum in resurrectione gaudium, cum Deus erit omnia in omnibus, nemo tollet a cohæredibus Christi, et consortibus regni ejus.

Interim vero *Umbilicus crater tornatilis est, nunquam indigens poculis,* quia Domina nostra gratia plena, humanis nostris defectibus compatiens, apothecas suas nunquam claudit; nunquam miseris patrocinari desistit; nunquam vota humilium spernit; nunquam vultum supplicantis a propitiatorio,

pro peccatis populi Christiani deflectit. Laboras forte in peccatis et deficis? sed ecce ad ostium exspectat Mater misericordiæ, intendens cui venas exponat auxilii. Quærendo Christum per plateas et vicos civitatis discurris, et non invenis? Sed ecce benignissima illa, quæ filii sui omnia diverticula ad plenum novit, occurrit et dicit tibi: Ecce hic filius meus, ecce illic. Draco rufus habens iram magnam, malignitatis suæ agmen adversus te congerit, aperta persecutione, vel occulta tentatione? Sed ecce potentissima auxiliatrix occurrit, mediis castris se opponens, et umbraculum super caput tuum in die belli faciens. Quacunque mœstitudine pulsatus, humiliter et fideliter Dominam nostram adieris, nunquam derelictus, nunquam non lætus, nunquam non consolatus redibis.

Nunquam ergo indigens poculis, vel excusat se de inopia, vel abstinet succurrere præ avaritia. Quid nunquam indigens poculis? Plane quod dicitur : *Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia* (*Sap.* VI, 13); quod arca de imputribilibus facta est : quod ignis perpetuus in altari; quod charitas nunquam excidit; quod oleum de capite justi non deficit; quod folium non defluit de ligno, quod plantatum est secus decursus aquarum; quod apostolis dicitur : *Ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* (*Joan.* XV, 16). Quod farina Sareptenæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus; quod denique gratia Spiritus sancti, nec angustias patitur, si omnibus diffundatur, nec amplior invenitur, si rarius sumatur.

Sed cujus saporis, cujus qualitatis, cujus quantitatis, cujus pretii sunt pocula ista? Cœlum utique et Spiritum sapiunt. Alba, nigra et sanguinea sunt; vasorum capacitatem excedunt, et pretium superant. Quid enim aliud saperet plena gratia, nisi gratiam? obumbrata et impinguata Spiritu sancto, nisi Spiritum rectum, nisi Spiritum sanctum, nisi Spiritum principalem? Quid casta, nisi album vinum? Quid humilis nisi nigrum? Quid amans nisi rubeum vinum potat et propinat? Quid avarus inæstimabiles divitias pugillo recludet, cum misericordia nec meritum attendat nec modum. Seipsam enim gratia et misericordia exstingueret, si modum et meritum accipientis non vinceret. Non habet pretium, unde procedit omne meritum, Jesus filius Virginis, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, etc.

SERMO XXIV.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA III.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus; et benedictus fructus ventris tui (*Luc.* I, 28).

Plenus malitia, et vacuus gratia, qua temeritate præsumo attentare aliquid proferre de plena gratia? Sed plena fide everto fundum conscientiæ; et effundo usque ad fæces venenum malitiæ, ad pedes gratiæ. Ego quidem, o Domina! fundo mea crimina, de mala redundantia; tu in vase vacuo refunde de tua plenissima gratia. Tu illa es puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro, quæ ad fontem jam descenderas, et onusta redibas, cum tibi occurreret Gabriel archangelus nuntius deferens de desponsatione contrahenda inter te et Isaac filium Abrahæ; quas tibi detulerit inaures aureas, quas armillas, non ignorant qui te in vestitu deaurato intuiti sunt astantem a dextris regis Filii tui.

Potum aquæ petiit, tribuisti; insuper et camelos ultronea adaquasti : hoc exemplo non vane admonitus, nullatenus etiam propter enormitatem scelerum meorum de tua gratia despero, malorum per te sperans correptionem; bonorum refocillationem. Et quid dicam, fratres, de Domina nostra? nisi quod gratia plena, omni petenti se tribuit, in manu et potestate habens thesauros cœlestes, et profundum divitiarum Dei semper penetrans et erogans; nunquam tamen minuens, aut evacuans. Adhuc in carne mortali, mortalium indigentiam noverat et portabat; et tamen cellariorum et horrei cœlestis apothecas pro libitu propinabat, et quibus vellet distribuere poterat.

Sed tempus jam est, alterum hujus solemnitatis puteum aperire, et potu salubri ex eo astantes et attendentes vos reficere. Nolo autem fraudare vos desiderio vestro, et tollere animam vestram; si diutius exspectatione fastidiosa tenuero fraternitatem vestram; tanquam ego daturus sim vobis aquam vivam, tanquam resignationis lapidem signatum in ore putei; non hoc attentabo, ne ruam in abyssum; si posuero os meum in cœlum. Quis enim alius resignabit, nisi qui signavit, clavis David quæ aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit (*Apoc.* III). Certe hoc est illud magnum mysterium a sæculis absconditum. Hæc sunt illa incerta et occulta sapientiæ Dei, quæ Prophetæ manifestata sunt, cum ei dictum est : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11).

Fateor de magno negotio magna exspectatis, sed quasi jamjam incipiet decrescere et rarescere flamma desiderii vestri, nisi talia apposita fuerint, quæ advenientibus undecunque ad missam istam sufficiant, et solemnitati respondeant, et vestro appetitui satisfaciant : *Ave, Maria, gratia plena.* Nihil dormitet in sensibus vestris, sed evigilata intentione, vigilanter quæ dicuntur intelligite; de cœlo enim verba ista allata sunt, nec a parte qualibet cœlorum, sed a summo cœlo egressa sunt, et in ore tanti nuntii posita, qui præ sapientia sua non solœcizet, aut deficiat in verbo; præ fidelitate non mutet, aut abscondat quæ injuncta sunt : præ potentia non timeat aerias occursiones; præ familiaritate de Patre ad Matrem futuram, Filium ab æterno de Patre consubstantialiter genitum, novo genere concipiendum et nasciturum deferat; præ humilitate Dominam suam reverenter salutet.

Nuntii hujus prærogativam assignata legatio præclare designat. Legationem legamus et intelligamus. *Ave, gratia plena.* Non jacet ista salutatio. Vacare, non jacere debemus ad investigationem ejus, quæ

quidem tam plena est; ut nec quidem cæco sit offendiculum ea, sed et tam profunda, ut nec remiges cœli, eam transvadare queant. Si simpliciter gradiaris, curre, et currendo intellige, quia plena est gratia Mater Domini, et benedicta in mulieribus, et Dominus cum ea; si profunda vada quæris, ut videas mirabilia Dei in profundo, et in aquis vehementibus, intra rimando epistolam cœlestem, et qualibus litteris, qualibus coloribus depicta sit, tam in titulo quam textu, potius mirari, quam comprehendere poteris.

Ave, Maria, gratia plena. Hic est titulus *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Hic quoque est textus. Satis autem de titulo et textu qui de scriniis cœlestibus digito Dei scripti, ad nos effluxerunt. Summam possumus recolligere libri nostræ redemptionis; de quo in Isaia dicitur : *Et dabitur liber nescienti litteras, et dicetur ei : Lege. Et respondebit : Non possum : signatus est enim liber* (*Isa.* XXIX, 12); scriptorum cœlestium litteras nos terrigenæ nescimus, quia plurimum notæ illæ a nostris distant, et est nobis tam ignota Scriptura, quam incognita lingua.

In libro ergo prædestinationis, legere nostræ redemptionis mysteria non potuimus, quia talibus litteris non studuimus, neque consuevimus. Prophetæ autem et patriarchæ, summi quidam angelici spiritus, qui didicerunt quidem litteras illas, et ad plenum, non tamen capere potuerunt effectum incarnationis, quandiu clausa fuissent sigilla in Apocalypsi; et ideo etiam ipsi dicebant se non posse legere, signatus enim erat liber; hunc librum intitulavit : *Gabriel missus in civitatem Galilææ, cui nomen erat Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Ave*, inquit, *Maria, gratia plena.* Bene illustrat titulus iste materiam sequentis operis. Et si per sæcula humanus sensus elaborasset adinvenire verbum bonum, verbum consolatorium, tam aptum in principio nostræ redemptionis, non commendasset.

Non ex commentariis nostrarum adinventionum fabricari potuit hoc exordium verborum nuntii angelici; sed de corde Patris eructuatum, labiis angelicis est ad virginem delatum et prolatum. Sed quid est : *Ave?* Pax tecum; qui pacem non amat, anathema sit. *Ave.* Quid est *Ave?* sine væ. Quis est sine væ? Maria. Quare? quia *gratia plena. Ave*, id est sine væ; id est pax tecum. Quid est sine væ? Quid est pax tecum? Væ Adæ, væ Evæ, sed Mariæ, *Ave.* Adam in labore; Eva in conceptu habet suum væ. Spinas et tribulos profert væ Adæ; dolores et ærumnas væ Evæ. Eva in utero includit suum væ. Sed quid est væ? interjectio dolentis. Vere interjectio, nam inter mandatum Dei et peccatum Adæ, ista interjectio accidit. Interjectio utique dolentis de bono quod perdidit, et de malo quod invenit. *Tribulationem et dolorem inveni* (*Psal.* CXIV, 3); quod est væ, unde est væ. Sed Maria nescit interjectionem dolentis, quia excepta est a regula universitatis. Singularis enim est tam gratiæ quam meriti, tam virginitatis quam fecunditatis, tam conceptu quam partu, tam angelica salutatione quam deifica prole.

Ave ergo, sancte angele, cui loqueris? quod est nomen ejus? Estne in cœlis scriptum, agnitum et nominatum? Novi, inquit, eam ex nomine. Quod est nomen? *Et nomen virginis Maria.* Hoc nomen benedictum et exaltatum in omnibus sæculis; adorandum et colendum gentibus, tribubus et populis. O nomen nominabile! o nomen venerabile! o nomen semper nominandum in periculis, semper invocandum in angustiis! o nomen sanans palatum se nominans! o nomen linguam gratificans se appellantem! o nomen lætificans se nominantem! Maria, ridet cœlum, cum audit Maria. Exsultat anima, tranquillatur conscientia cum audit Maria. Fugit tentatio, si fideliter reciprocatur Maria. Tempestas quiescit, si jusserit Maria : unda stat, si nominata fuerit Maria.

Sed quid est Maria? maris stella. Quid est Maria? illuminatrix. Quid est Maria? domina. O Maria, o maris stella, o illuminatrix, o domina. O maris stella, non timet naufragium qui ad te potest habere confugium; non incurret Carybdim et Scylleam voraginem, qui te habuerit propitiatricem. O illuminatrix, secure transibit per umbram mortis, quem tu illustraveris, quem tu præibis. O domina, ego servus tuus, non semel, sed iterum ego servus tuus; nec secundo tantum, sed tertio filius ancillæ tuæ, a progenie in progenies ego servus tuus; ego mancipium, ego subsellium tuum, ego scabellum pedum tuorum. Si tempestas ingruerit, o Maria, maris stella eris; si nox tenebras induxerit, illuminatrix. Si me in servitutem aliquis malignorum spirituum, per negligentiam meam proclamaverit, tu mihi vera et sempiterna domina, vindica me in tuum, excusa me ut tuum, libera ut tuum.

Ave, Maria : in palatio æterno, in superliminari templi, in fronte tabernaculi, auditum est et scriptum nomen quod non delebitur, nomen quod describetur a generatione in generationem. *Ave, Maria, gratia plena.* Plenaria infusio venarum divinarum, quarum emanatio utrem, imo uterum virginalem implevit, ut congregaret Dominus sicut in utre aquas maris. Et sicut appellavit congregationes aquarum *maria*, sic virtutum coadunationes in virgine Maria. *Gratia plena*, non caperet, non conciperet Jesum, nisi *gratia plena.* Semper enim Jesus natavit apud Patrem in mari copiosarum deliciarum. Præmisit ergo matri eamdem navem in qua natare consueverat, et alluvione gratiarum alveum ejus implevit, ut merito diceretur *gratia plena.*

Alveus iste gratiarum per diem sole adurente non siccatur, nocte quoque, lunari consumptione non minuitur. Adustio solis eam non penetrat, nec detractio lunæ devastat. Non enim *gratia plena* esset, si gratia illa pereffluerel, vel mobilitate pro-

pria non consistens apud virginem, vel qualibet rimula negligentiarum a virgine resiliens. Plenitudo igitur gratiæ, gratia plenam facit; et sic in lectulo suo habet, et quo caput reclinaret, et quo pedes protenderet divinitatis. Ecce ego sto juxta fontem aquæ, igitur, puella, da mihi bibere, quia superabundas dono donandi et voluntate largiendi. Si voluntatem dandi haberes, et quid dares nihil haberes, non esses *gratia plena*, sed dimidia; iterum si haberes quod dare posses et dare nolles, non esses *gratia plena*; adhuc amplius si haberes et dare velles, sed sine licentia non auderes, non esses *gratia plena*. Quarto etiam si haberes, et dare velles, et sine licentia posses, sed detrimentum timeres, non esses *gratia plena*. Quinto denique si haberes, si dare velles, et posses, et defectum non timeres, sed non cuilibet dare posses, non esses *gratia plena*.

Quæ igitur habes quod des, et voluntatem habes dandi, et potestatem cuivis sine timore damni, da mihi aquam de hydria tua, ut bibam : *gratia* enim *plena* es. Adeo plena, ut in scapula sua plenam de fonte ferentem occurrerit servus Abrahæ, forte ut biberet cœlestes virtutes, quæ nos transcendunt ab humero, gloria, honore et felicitate cum Deo jam regnandi, sed deposuit puella hæc hydriam in ulnis suis cum audivit, pauxillum aquæ ad sorbendum mihi præbe de hydria tua, quia sanctorum in hoc sæculo laborantium desideriis clementer accurrit, et sitim eorum suis auxiliis exstinguit.

Tertio denique *gratia plena* vere de superabundanti gratia camelos non petentes, sed desiderantes potat, in canalibus effusa aqua, quia sicut filiis corvorum invocantibus eum Dominus dat escam. Prævenit enim in benedictionibus dulcedinis quosdam peccatores Deus; prævenit et Maria in respectu auxilii quosdam peccatores, ut antequam petant accipiant. Ecce *gratia plena*, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ecce paradisi flumina irrigant universam superficiem terræ. Ecce diluvium aquarum multarum. Ecce fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Ecce *Maria gratia plena*. Ipsa apud Filium suum pro nobis interveniat; ut de gratia Mariæ, gratiam accipiamus filii Mariæ, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia, etc.

SERMO XXV.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA IV.

Ave, Maria, gratia plena.

Vascula nostra priori sermone tanquam oleo infusa; non eo deficiente, sed gratiosius adhuc redundante ejus liquoris gratia, vasa hesterno die defuerunt, quæ caperent superinfusionem illam quæ adhuc stillabat. Mutuavimus ergo vasa vacua non pauca; et hodie deferimus ad fontem olei, præsumentes quod si tam sapida fuit aqua de fonte aquæ; quale oleum erit de fonte gratiæ? Pernoctavimus certe, et quia meridiati sumus inter duos acervos, quorum unus est : *Gratia plena*, alter : *Dominus tecum*. Quid est hoc? hinc inde fons vitæ profluit. Sed quia de *gratia plena*, etsi non plenam, saltem quantulumcunque gratiam prælibavimus. Ad *Dominus tecum*, mansionem faciamus; et exinde quod Dominus dederit, eloquamur.

Dominus tecum. Nisi repetitum, nisi recogitatum, nisi masticatum, non sapit quod sapit *Dominus tecum*. Morigera ergo consideratione versans atque reversans in ore et corde, quid dulcedinis, quid saporis retineat *Dominus tecum*, noli sicut stultus semel totum deglutire *Dominus tecum*; sed in dies et annos repone tibi partes, et eis qui non præparaverunt sibi. Si diceret archangelus Dominus mecum, verum diceret, et satisfaceret de fide nuntii; quatenus non hæsitaret credere nuntio, cum quo Dominus esset. Rursum si diceret Dominus secum in cœlo est; et ejus nuntius ad te in terra descendo; verum similiter diceret, et mittentis auctoritatem commendaret. Tacito ergo quod verum quidem, sed non novum, nec mirum erat, protulit quod verum, et novum, et mirum erat.

Verum quia sicut erat prædestinatum, sic jam fuerat implendum. Novum, quod utique solum sub sole factum est novum. *Nihil*, inquit Scriptura, *sub sole fit novum* (*Eccle.* I, 10). Sed hoc novum novorum, et omnium novitatum sub sole factum est novum, quia neque in cœlo, neque in terra, ortum vel auditum fuit tale aut tantum novum. Tale non fuit, quia non simile. Tantum non fuit, quia, etsi aliquando aliquid novi contingit, non fuit tamen illud novum tantum. Quale est hoc novum? *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14). Quantum est hoc novum? Exsuperat procul dubio omnem sensum. Quantum, inquam, est hoc novum? Etsi non potest dici illud quantum; dicendum tamen est aliquid de illo; non quantum sit, sed quantum credi et capi possit.

Fit homo Deus, et Deus homo : nihil mirabilius, nihil factum est majus. Quam mirabile est Deum hominem fieri, tam grande est hominem in Deum assumi. Indicibilis est illa Dei exinanitio; ineffabilis est hominis sublimatio. Non potuit Deus ultra exinaniendo se humiliare, non potuit Deus hominem ultra se sublimare. Quasi igitur amplexu firmo utraque natura Dei, scilicet, et hominis copulantur in utero Virginis; ubi ille magnus Propheta contraxit se ad mensuram parvuli; et solium Dei inclinavit se ad profundum nostrum; nostrumque profundum excrevit ad solium Dei excelsum et elevatum.

Sed quis in hoc adjuvit Spiritum Domini, nisi Maria? Quis expensas subministravit laboranti nisi Virgo virginum, quæ carnem et sanguinem, de intactis et sacrosanctis visceribus incarnando Verbo pro nostra reparatione præparavit, ideo ad eam dicitur : *Dominus tecum*. Sine te quidem Dominus, per se solum, hominem creavit, sed tecum, et in te, et ex te reparavit. Tecum quidem, quia naturam divinam in humanam non confundit. In te, quia in

utero tuo copulam illam univit. Ex te, quia in carne de te sumpta, passionem consummavit. Honor tibi, quia tecum. Amor, quia in te. Compassio seu congratulatio, quia ex te. Compassio quidem pro pœna mortis. Congratulatio pro gloria resurrectionis.

Honorabilis ergo, amabilis et laudabilis es, quia saluti nostræ cooperata es, quia officina salvationis facta es, quia causa et materia solvendi pro nobis debiti a te suscepta est. *Dominus tecum.* Multum ad te, et ad omnem creaturam, ut sit cum Domino. Quid vero hoc amplius honoris habeat ut sit Dominus tecum, quis cogitare sufficiat? Gedeon dictum est, *Dominus tecum virorum fortissime* (*Jud.* VI, 12). Sed cum Gedeone Dominus, ut daret illi victoriam inimicorum suorum. Tecum vero Dominus, ut det B tibi gloriam sæculorum. Cum Gedeone ad tempus, ut cum amico. Tecum perpetuo, ut filius. Cum Gedeone simpliciter, per collatam gratiam. Tecum multipliciter, et singulariter, per assumptam humanam per te naturam.

Dominus tecum in cogitatione sancta, in affectione pia, in voluntate recta, in intentione pura, in desiderio futurorum, in omni motu interiori regens in bono, et exteriori compescens a malo, in sermone vero, in opere justo, in ore pudico, in osculo sancto, in aure parata ad obedientiam, in manu tornatili ad eleemosynam, in pede veloci ad relevandam aliorum miseriam, in singulis et in omnibus partibus corporis tui per disciplinam. Te- C cum uterum implens et impræ̃gnans de Spiritu sancto; sed non corrumpens, nec onerans ardore libidinoso; tecum in contemplatione sublevata per excessum mentis; tecum in actione, humiliata in necessitate proximi; tecum visibiliter, tecum invisibiliter, tecum levans te ad cœlum, tecum conservans te in mundo, tecum per gratiam salvantem, tecum per ineffabile gaudium, tecum per ævum. *Dominus tecum* excellenter, tecum incomprehensibiliter.

Benedicta tu in mulieribus. Abeat sibi in malam viam maledictio, et veniat per te ad nos, o Maria, o Benedicta, benedictio. Benedicta tu de rore cœli et de pinguedine terræ. Benedicta a montibus æternis. Benedicta plus quam filii Jacob, quorum bene- D dictionibus adjunguntur non optantis, sed prophetantis animo quædam quasi maledictionem. Benedicta tu in omni benedictione cœlesti. Benedicta tu, cujus benedictione reparantur quæ in cœlis, et quæ in terra sunt. *Benedicta tu in mulieribus*, quia per te maledictio mulierum evacuata est, opprobrium sempiternum comparaverat illis peccatum Evæ, sed ab isto opprobrio, non solum absolvisti, sed privilegium indulsisti, quo se tueantur ab objectione probrosa dicentes, quia si objicitis Evæ culpam, replicamus vobis Mariæ benedictionem et gratiam (87).

(87) Videtur aliquid deesse.

SERMO XXVI.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA V.

A *Sume tibi librum grandem*, etc. (*Isa.* VIII, 1).

Virgo virginum, quæ alias appellatur cella aromatum, hic designatur per librum intus et foris scriptum; foris humilitate, intus castitate. Intus et foris salvo integritatis signaculo. Fecunditate, quia Deum genuit, et hominem. Hunc librum de membranulis primi hominis originali propagatione extractum, tanquam pellem mortui animalis, contactu et contractu originariæ culpæ hispidam, quatuor illæ cardinales virtutes, id est prudentia, justitia, fortitudo et temperantia, invisibili scriptori, scilicet Spiritui sancto præparaverunt, radendo, leniendo, regulando et scribendo.

Omnes namque pilos de peccato Adæ pullulantes in carne ejus mortali, perfecte fortitudo fomitem peccati debilitando erasit, usque ad novissimum quadrantem otiosi verbi et resolutæ cogitationis. Sic enim in pistrinum divinæ religionis inclusit in ipsis puerilibus annis, ut porta esset orientalis clausa, solique principi in ingressu et egressu sanctorum pervia. Accinxit ergo fortitudine lumbos suos, ne vel minimo luxu aut pulsu illicito concuteretur. *Roboravit brachium suum*, ut naturæ lubricum, paxillo fide immobile statueret. Originali (88) igitur, et de peccati fomite peccata prurientia sic fortiter a Virgine explosa.

Temperantia temperanter operam propriam subministrans, assumpto pumice mordacis reprehensionis, et ad proximos benignissimæ compassionis, sic exhibuit eam ut conversatio illius sine querela esset apud Deum et homines. Hinc est quod a Deo visitata, ab angelo salutata, a Spiritu sancto impræ̃gnata, compassionis gratiam in vacuum non accepit, irregulariter evagando, nec proximam suam neglexit, arroganter obsequium non exhibendo; hinc vanitatem fugiens, inde charitatem non relinquens, sic temperantia lenivit in Virgine quidquid de Adæ intemperantia surculus ejus contraxit ex conceptione, et ne itinera divinitatis offenderentur, lapides de via collegit, ut Verbum Dei virginali humanitate, imo humana proprietate formam in qua Patri æqualis est, occultaret, et utramque naturam Dei et hominis, sub habitus nostri littera, legendam traderet.

Succedit huic regularis justitia, quæ sic gressus virgineos in omnibus mandatis, et justitiis Domini direxit, ut nec humana justitia omnium justorum illam apprehenderet, nec angelica præcederet. Nihil ergo inordinatum, nihil non æqua lance pensatum, nihil in alteram partem devexum aut suspensum. In omni vita et conversatione Virginis justitia præivit indispositum.

Jam manum ad scribendum apponit prudentia; atramentarium et incaustum de spinis Davidici seminis in Genealogia Matthæi evangelistæ, seu

(88) Deest aliquid.

Lucæ conficiens. Ubi residente in fundo malorum fæce, supernatat pura bonorum gutta, recto tramite usque ad Virginem descendens, ut sicut de spinis rosa, sic oriatur de peccatoribus Virgo Maria. Scribit itaque nomen Virginis, salutationem angelicam; uteri imprægnationem, maritalem desponsationem, et totius Dominicæ Incarnationis seriem.

Superveniens quoque Spiritus sanctus, hanc Scripturam illuminat; sumptis coloribus in cornu sublimi solii paternæ sessionis, de quibus capita singulorum versuum, in humanis actionibus descriptorum, miraculis coruscantibus intitulat, ut semper in Jesu nostra fragilia regant divina opera; et in matre ipsius consideretur, et sexus fragilis ex se, et sensus divinus ex filio supra se.

Tandem ligandus est liber iste grandis, disciplinæ et religionis angelicæ corrigiis, ut semper Gabrielis et Joseph utatur solatio, aut societur Joanni et apostolico choro. Duo capitella hujus libri sunt, Annuntiatio Domini, sive ipsius Virginis Assumptio. Gabriel minister est annuntiationis, ut credo et assumptionis. Tamen primum capitellum mirabili varietate et veritate idem archangelus contexuit et decoravit, teste evangelica lectione, quæ ait : *Missus est angelus Gabriel*, etc. Secundum capitellum Joanni traditum in cruce legimus, ubi in cruce Jesus matrem et discipulum sic alloquitur : *Mulier, ecce filius tuus* (*Joan.* XIX, 26). Ad discipulum autem : *Ecce mater tua* (*ibid.*) ; et ex illa hora, accepit eam discipulus in sua.

Sola firmatoria restant, quorum alterum desponsatio Joseph fuit; alterum virginalis incorruptio. Horum alterum diabolo opponitur, ne videat impius gloriam Dei, id est desponsatio. Alterum philosophicæ disputationi, videlicet incorrupta Virginis fecunditas, ut omne os obstruatur et subditus fiat omnis mundus Deo. *Sume igitur*, o propheta, *librum grandem*, quia de grandi tractat materia, divinæ, scilicet incarnationis et humanæ restaurationis; et scribe in eo stylo hominis, alto propter divinitatem; mediocri propter animam, humili et pedestri propter carnem simul assumptam. In hoc stylo attende alteram extremitatem acutam, alteram planam, medietatem vero rectam et tractabilem.

Christus Jesus venit vitia pungere, ut homo compungeretur dum configitur spina. *Pœnitentiam*, inquit, *agite* (*Matth.* III, 2). In punctione autem sanguis educitur cum dolore; quia mens verbo Dei compuncta, de peccato gemit in confessione. Comedens vero et bibens cum publicanis et peccatoribus socialem se præbuit Dominus angelorum, habitu inventus ut homo in humana conversatione; tam misericors pœnitentibus, quam contrarius peccantibus. Remittit ergo peccata tanquam ex superiori parte confitentibus, quæ ut homo improperat ad hoc ut quæratur medicus; unde in psalmo dicitur ei : *Intende, prospere procede, et regna, propter veritatem et mansuetudinem et justitiam* (*Psal.* XLIV, 5). Veritas monet non peccare; mansuetudo tolerat nolentem redire; justitia liberat volentem ad Deum redire. Hic est stylus hominis.

Scribe ergo stylo hominis : *Velociter spolia detrahe, cito prædare* (*Isa.* VIII, 1). A matre spolia accepit, sive detraxit, cum de carne ejus et sanguine naturam humanam in unionem Verbi assumpsit. A Patre quoque quodammodo spolia detraxit; cum formam Dei Patris, in qua ei æqualis est, sub umbraculo humanæ speciei, ne videretur reposuit; et semetipsum exinaniens, formam servi, in qua appareret hominibus, accepit. [Ab hominibus spolia accepit et detraxit, dum ab errore in fidem suam convertit; vel aperto, vel occulto martyrio exposuit. A diabolo spolia detraxit, dum ipsum in cruce triumphans, inferna confregit, et ad se omnia sua traxit.

Sed quod dicitur *spolia detrahe*, factum est in prædicatione, quod dicitur *cito prædare*, in passione. Unde : *Ad prædam, fili mi, ascendisti* (*Gen.* XLIX, 9). Velociter hoc fit et cito, quia velociter currit sermo ejus. Quia subest ei cum voluerit posse. Quia omnia quæcunque faciet prosperabuntur. Quia dixit : *Fiat, et factum est* (*Gen.* I passim). Sic tu, bone Christiane, velociter spolia peccatorum detrahe a conscientia tua per confessionem. Cito prædare gratiam Dei per satisfactionem, ut in libro tuo scribatur Jesus per sanctam conversationem; imo in libro Dei scribatur nomen tuum, per peccatorum remissionem, quam nobis præstare dignetur Christus Jesus, qui vivit et regnat, etc.

SERMO XXVII.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA VI.

Nunquid de petra agri deficiet nix Libani, aut evelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, et defluentes? (*Jer.* XVIII, 14.)

Præsens hujus diei solemnitas præclara est, ut nix æterna, quia nunquam deficiet; pura, emundans omnes antiquas peccatorum sordes; tanquam aqua frigida mitigans Dei iram, et hominis, per pœnitentiam, futuram pœnam. De divinis visceribus erumpens, propter nimiam charitatem Dei, et divitias misericordiæ ejus. *Libanus* est cœlum cœlorum. *Nix* est sapientia Patris : *Verbum in principio apud Deum* (*Joan.* I; 1). Candor lucis æternæ. Speculum sine macula. Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus. *Petra*, Ecclesia, vel virgo Maria. *Ager* mundus. *Aquæ erumpentes*, gratiæ de ore et pectore Jesu defluentes, quibus sanabantur omnes quotquot tangebat. *Frigidæ*, ardentes concupiscentias temperantes.

Isaac benedicens Jacob hanc prænuntiat annuntiationem, dicens : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et olei* (*Gen.* XXVII, 27). Odor Jesu, odor suavissimus; cujus utraque natura et angelos in patria sola odoris visione pascit, in quem desiderant angeli prospicere; et sua umbra homines

regeneratos ex aqua, et Spiritu sancto vivificat et confortat sui corporis et sanguinis sacramentali cibo; sed quia adhuc parvuli necdum attingimus, ut angeli, solidum illum cibum, quem cum illis sumpturi sumus, cum eis æquales fuerimus; ad nostrum panem quotidianum accedamus; et de semine atque terra, et rore, et agricola, qui in sacco semen attulit, et terræ commendavit, breviter videamus.

Semen est Verbum; terra, virgo Maria; ros, Spiritus sancti gratia. Agricola Gabriel archangelus, qui ingressus ad Virginem, ait : *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* I, 28); hæc pinguedo terræ. *Spiritus sanctus superveniet in te* (*ibid.*, 35); ros de cœlo. Conceptus Jesus de Spiritu sancto ex Maria virgine, videlicet ex humore virginis; unde caro et sanguis : et calore Spiritus sancti, unde anima et Verbum Dei. Ros refrigerat, fecundat, humectat, penetrat, mundat, silenter intrat, calorem et serenitatem diei prænuntiat. Sine rore sterilis est terra, macra, vacua. Unde Psalmista : *Anima mea sicut terra sine aqua* (*Psal.* CXLII, 6), id est sine gratia. In creatione autem cœli et terræ Spiritus Dei ferebatur super aquas, calefaciens et fecundans eas, sive per baptismum, sive per compunctionem lacrymarum; nam et in baptismo totam remissionem peccatorum operatur Spiritus, et in compunctione adjuvat infirmitatem nostram.

Refrigerat itaque æstus libidinis; fecundat voluntatem, quæ cupit desiderare justificationes Domini. Humectat terram australem; cui Axa filia Caleb, rogat jungi irriguum superius, quod est cœleste desiderium cum gemitu malorum præsentium. Penetrat medullas, unde offerat holocausta medullata. Mundat fide inquinamenta carnis et spiritus. Silenter intrat, quia *spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed non scis unde veniat, et quo vadat* (*Joan.* III, 8). Serenitatem diei prænuntiat, quia requiem et futuram gloriam et promittit, et donat. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, cujus aquæ evelli non possunt erumpentes frigidæ, et defluentes

Testatur Petrus in Actibus apostolorum quod aquæ erumpentes evelli non possunt; cum enim ingrederetur ad viros præputium habentes, ex Judæis conversi murmurabant adversus eum, quibus ait : *Si ergo et illis dedit Deus gratiam, quis ego sum, qui possem prohibere* (*Act.* II, 17). Ex oculis Dei eruperunt lacrymæ, sicut de Joseph dicitur : *Erumpebant lacrymæ, et non poterat se continere* (*Gen.* XLIII, 30); quando Filium suum misit in mundum, et Spiritum sanctum in apostolos; tunc enim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel. Quando pluviam voluntariam segregavit Deus hæreditati suæ.

Sunt etiam *aquæ erumpentes* de montibus, misericordia et veritas, quæ obviaverunt sibi; justitia et pax quæ osculatæ sunt, tam in incarnatione Christi quam in passione : nec non et in resurrectione atque ascensione. Misericordia præcedit in incarnatione; justitia in passione; pax in resurrectione : similiter omnibus occurrit in ascensione. Non enim secundum peccata nostra reddidit, cum semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Diabolo solvit usuras pro nobis in cruce, quando non peccator, non justus tantum; sed Dominus ipse gloriæ, crucifixus est et mortuus; quod est justitiæ.

De mortuis denique resurgens tanquam columba ad aream, id est ad apostolos rediens, ramum olivæ in ore attulit dicens : Pax vobis. Aquæ istæ a mente Dei evelli non possunt; misericordia enim ejus ab æterno usque in æternum et in æternum veritas ejus permanet in cœlo, justitia ejus manet in sæculum sæculi, et pax ejus quæ exsuperat omnem sensum; et fines Jerusalem posuit pacem, ad quam nos perducat ipse Jesus, qui est pax nostra; qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVIII.

IN ANNUNTIATIONE DOMINICA VII.

Replicatis apud Patrem unicus Filius regalibus ornamentis, quibus insignitus splendor paternæ gloriæ in splendoribus sanctorum, ante Luciferum genitus irradiabat, hodie a regalibus sedibus descendit, et cellam vinariam, cellam aromaticam, se ipsum exinaniendo intravit. O cella benedicta! o cella beata! paradiso jucundior, cœlo sublimior, angelis beatior, pande sinum, aperi ostium, resolve pessulum, festinanti, venienti et currenti ad nostrum suffragium, ad naufragantis subsidium, ad desperantis remedium : grande habet negotium, sed secretum; idcirco in secreto tuo silentio excipe illum.

Postponit palatia regum, propter discursantium tumultum : Synagogam respuit sacerdotum, propter avaritiam et calumniam pauperum. Ab initio æternitatis radius beneplaciti sui in te directus, donec veniret tempus miserendi, te sibi fabricare distulit; at postquam in fine sæculorum viscera pietatis suæ continere non potuit, de grandi silva generis humani, in securi beatricis potestatis, et ascia inconvulsæ charitatis, præcidit ad umbraculum suæ operationis ramusculos pulcherrimæ arboris, et opere incomparabili officinam Verbo incarnando aptam, et solius Dei receptivam construxit. Hanc extra circumlinivit specie et pulchritudine, quam rex concupisceret : intus replevit optimis cœli mercibus; nullo modo ante pretio emptis vel adeptis.

Fidelissimum et notissimum Gabrielem nuntium futuræ matri præmisit qui eam salutaret novo salutandi modo; instrueret divino oraculo; lætificaret dono præsenti, et adfuturo promisso certificaret de mandato injuncto. Fidelis quoque Dominus in verbis et operibus suis prævenit, et cum legato suo venit, quia emittit eloquium suum terræ, id est Mariæ : *Velociter currit sermo ejus* (*Psal.* CXLVII,

15). Inter cætera etiam munera amoris, dat nivem sicut lanam; nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suam sicut buccellas. Nix designat castitatem. Lana fecunditatem. Nebula Joseph desponsationem. Cinis diaboli et Judæorum cæcitatem. Crystallus Dei et hominis unionem. Buccellæ corporis et sanguinis Christi communionem.

Tota pulchra et candida virginitas, pruritus carnis, et impetus nescit : nullos infamiæ strepitus de continentia sua facit. A Deo desursum descendit, et sæculares actus abscondit. Fecunditas vero quæ Deum hominem parit, mirabili modo Deum hominem induit et hominem assumptione Dei calefacit, quatenus naturæ ad invicem liquescant affectione et inseparabili unione, sed nulla dehiscant mutatione proprietatis aut confusionis versibilitate. Desponsatio proinde Virginis velamen est et obumbratio, ne impius diabolus vel Judæus videret gloriam Dei et non Dominum glorificaret, sed virginem lapidaret aut infamaret, unde in persona Christi Psalmista : *Obumbra super caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX, 8); ut sicut Spiritus sanctus obumbravit Virginem ad concipiendum Dominum, sic Joseph obumbraret ad defendendum conceptum.

Deinde obscuratum est insipiens cor invidorum turbante oculos eorum cinere quo diabolus timebat perdere potestatem in homine, et Judæi locum et civitatem; proinde in incarnatione Verbi naturam humanam fluidam, instabilem, omni vento circumagitatam virtus immutabilis consolidavit, et Divinitati affigens, ad stabilitatem æternitatis provexit. Quamvis autem ad Patrem homo Deus ascenderit, buccellas tamen in cœna consecravit, accipiens panem et calicem ac benedicens, apostolisque tradens : *Hoc est*, inquit, *corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26), et : *Hic est calix sanguinis mei : hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19). His apostoli saturati dimiserunt reliquias suas parvulis suis. Sed vide ordinem quo accedas ad buccellas. Prius habenda nix castitatis, lana charitatis, deinde nebula fidei, quæ est : *Substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1). Deinde cinis pœnitentiæ, audiens : *Memento quia cinis es et pulvis es, et in cinerem et pulverem reverteris.* Deinde crystallus novæ religionis, et secundæ professionis, ad ultimum buccella secundæ admonitionis.

Si homo ad ostium cellæ, seu speluncæ virginalis cum Elia operto vultu pallio resederis, audies sibilum auræ tenuis, dicentem : *Quid hic agis, Elia? et ille : Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et quærunt animam meam : et ecce specie grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio, non in commotione Dominus. Post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis, et dixit : Quid hic agis, Elia?* (*III Reg.* XIX.)

Allegorice, mentem prophetæ divina revelatio tangit, et cursum temporis usque ad incarnationem Christi per spiritum grandem et fortem; per commotionem et per ignem, et per sibilum auræ tenuis distinguit. Specie grandis et fortis subvertens montes et conterens petras, ira Dei fuit, qua Luciferum de cœlo, et hominem de paradiso expulit. Commotio est temporalitas et passibilitas quam homo meruit. Ignis lex Moysi, quæ dicitur ignea, quia in igne data fuit. Sibilus auræ tenuis, nuntius nostræ reparationis. Annon est sibilus mitigationis *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui?* Hoc sibilo, Domine, mitigasti omnem iram tuam, et sibilasti muscæ quæ est in extremo fluminum Ægypti, id est culpæ damnabili, et api quæ est in terra Assur, id est pœnæ pungenti, Christus enim de peccato damnavit peccatum; videlicet de pœna suæ passionis delevit et culpam et pœnam nostræ prævaricationis.

Antequam vero introspiciamus speluncæ seu cellæ nostræ secretissima penetralia, moraliter assignemus spiritum grandem, et fortem subvertentem montes, conterentem petras. Verbum prædicationis quo superbia nostra humiliatur, et duritia emollitur, est specie grandis, sed non in spiritu Dominus : *Accedit homo ad cor altum, et exaltatur Dominus* (*Psal.* LXIII, 7), quia per spiritum commotio, et angelus descendens in piscina, facit commotionem aquæ; dolorem utique de malis in corde, nec in commotione Dominus, qui cum tranquillitate omnia judicat, et post commotionem ignis, scilicet confessio oris, quæ usque ad cinerem peccata tanquam ligna extenuat. Hoc in igne Dominus, quia dignum fructum pœnitentiæ exspectat. Et ecce sibilus auræ tenuis dicens : Dimissa sunt tibi peccata tua, quoniam dilexisti multum.

Sed quid tibi aura tenuis? Gratiæ inspiratio. Quare aura, quare tenuis? Quia temperatissime æstus præsentis et futuri mali mitigat, ideo aura; quia vero præsumptionem et desperationem tollit, ideo tenuis. Sibilus quid? *Quiescite agere perverse, discite bene facere* (*Isa.* I, 16). Ex his quasi duobus labiis sibilus medius egreditur, quia spe bona anima fovetur et fruitur. Rursus ad ostium virginalis speluncæ aspectus furtivos raptim injiciamus, inquirendo quid angelus tympanizet ad aurem; quid Spiritus sanctus citharizet ad mentem; quid digitus Dei segreget de carne ad carnem; quid odoris, quid suavitatis, quid inexpertæ delectationis mutuent ab hospite suo interiora Virginis. Dic nobis, aura tenuis.

O Maria, ecce unguentum exinanitum omnia vasa tua implevit; ecce dolia tua plena sunt vino meracissimo; ecce scrinia tua referta sunt vestibus valde bonis; ecce in arca tua est *panis vivus qui de cœlo descendit; ecce lectulus tuus floridus;* ecce domus tuæ ligna cedrina, laquearia cypressina; columnæ portantes quatuor parietes, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia : ecce sedes Sapientiæ parata, quæ docet facienda et non facienda,

intellectus legit et intelligit omnia in Scriptura divinitus inspirata.

Consilium disponit omnia; fortitudo regit et gubernat naturæ impossibilia; scientia discernit mores, actus, dicta et cogitata singula; pietas excipit cunctorum contraria, et expendit propria; timor custodit januam, ne quid irregulare ingrediatur aut egrediatur, cantat symphonia, unio personæ, cantat chorus duarum naturarum inconfuse; cantat ipsa Maria in tympano carnis maceratæ et afflictæ; cantat spiritus in cymbalis jubilationis, laudat omnis spiritus et Matrem et Filium Dei, et filium Virginis.

SERMO XXIX.

IN PASSIONE DOMINI.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta (*Psal.* XLII, 1).

Vestigia Christi sequentes, fratres charissimi, usque ad passionem ejus accessimus. Utinam nec in passione ab eo discessuri quousque finem cum Petro videntes, sine fine societatem ejus teneamus. Expressa itaque vestigia et signata defluxione sanguinis qui de pedibus profluxit, ut intinguatur pes tuus, o bone Christiane, in sanguine Agni, observa dicens cum sancto Job : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea, et a mandatis labiorum ejus non recessi* (*Job* XXIII, 11). Aliis tamen cum Jesu utitur vestigiis in cœlo, aliis in terra, aliis in mari, aliis in inferno : gloriosa vestigia Christi in cœlo, casta in terra, mirabilia in mari, potentia in abysso. Vide potentiam in abysso, Vectes ferreos confregit; draconis capita qui ibi cubabat amputavit; divitias quas devoraverat de ventre illius extraxit. Rete suum piscibus patriarcharum, prophetarum implevit : thesauros ibi absconditos ab initio mundi in manu potenti et brachio extento recuperavit.

Ista sunt vestigia, hæc deambulatio Dei apud inferos. Tanquam potens potentissime accinctus circa femur suum gladio illo quo interficit Antichristum, officinas infernales circuivit, et sicut de jure suo nihil dimisit, sic inimico de suo nihil abstulit : tam justus fuit, cum non suos reliquit, quam pius cum suos asportavit. Non de impossibilitate fuit, quod omnes non liberavit, non de crudelitate, non de oblivione, sed de justitia, sed de veritate, sed de apprehensione stateræ justæ. Ecce hæc sunt vestigia Christi in inferno inferiori

Item vide ambulantem super aquas et attende miraculum hominis Dei, imo Dei hominis, revera scilicet corruptio peccati non erat in corpore illo plus cœlesti propter spiritus sanctificationem, quam terrestri propter terrenam inhabitationem ; sic nulla gravedo oppressionis deprimebat illud, ut ad negligentiam sui propositi, ut ad inefficaciam sui beneplaciti. Quam facile enim animus ejus poterat aliquid velle, tam facile sine difficultate poterat posse. Ideo quando voluit, super aquas ambulavit. Hoc de vestigiis ejus in aquis, ubi sine vestigio ambulavit, A cum vestigia sine vestigio impressit. Petrus et reliqui alii similes Petri, noverunt vestigia ejus sequi ut dicant in Ecclesia : *Vestigia ejus secutus est pes meus.*

Jam de vestigiis humilitatis ejus videndum, et his arenis insistendum, quia de his dicitur in Psalmo : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI, 5). Sunt autem semitæ stricta itinera, id est duorum pedum, quasi media itinera, nec immerito viæ Jesu dicuntur potius semitæ quam itinera, quia nulla evagatio, nulla effrenatio ad illicita in via illa quæ dicit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6); arcta enim est et angusta; et pauci qui inveniunt eam : orat proinde ille qui dixerat : *Vestigia ejus secutus est pes meus*, et dicit B *perfice*, id est usque in finem dirige *gressus meos*, id est actiones meas *in semitis* ejus, id est in castis exemplis et operibus pietatis, *ut non moveantur vestigia mea* aliqua tentatione vel suggestione inimici, a charitate et imitatione tua.

Quæ sunt vero ejus vestigia? Ecce audi quæ sunt ejus vestigia. Conceptus est de Spiritu sancto. Ecce primus passus de vestigio. Natus est de Maria virgine, secundus passus. Positus est in præsepio, tertius ejus passus. Circumcisus est octava die, quartus passus. Oblatus est in templo, quintus passus. Baptizatus est a Joanne, sextus passus. Jejunavit in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, septimus passus. Tentatus est tertio a diabolo, octavus passus. Prædicavit, et miracula C fecit, nonus passus. Transfiguratus est coram apostolis, decimus passus. Venditus est a discipulo suo, undecimus passus. Et crucifixus est, duodecimus passus. Mortuus est, decimus tertius passus. Sepultus est, decimus quartus passus. Hucusque vestigia ejus in terra.

O Domine Jesu, *notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* XV, 11). Viæ istæ, viæ pulchræ, et omnes semitæ istæ pacificæ; *perfice* igitur *gressus meos in semitis tuis*, ubi tanta itineris religio et distinctio est, ut vix justus religionem, sapiens distinctionem presso gradu valeant tenere. Consequenter ergo sequamur Jesum conceptum de Spiritu sancto, ab eodem accipientes inspi D rantem gratiam : natum de Virgine Maria, adjuti a gratia, adjungentes gratiæ liberum arbitrium. Positum in præsepio, humiliter de nobis sentiendo. Circumcisum, superflua primæ nativitatis amputando. Oblatum in templo, corpora nostra templum Spiritus sancti faciendo. Baptizatum a Joanne, in confessione nos purgando. Jejunantem in deserto, abstinendo; tentatum, tentationibus resistendo; prædicantem, miracula facientem, verbo Dei et doctrinæ insistendo; transfiguratum, corpori Jesu nos conformando. Passum, omnem injuriam patienter tolerando. Venditum, nostris voluptatibus renuntiando, et divinis jussionibus nos mancipando. Crucifixum, vitia nostra mortificando; mortuum, mundo moriendo; sepultum, futurum judicium in pace ex-

spectando. Igitur : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.*

Attendite, fratres charissimi, Dominum nostrum dicentem : *Judica me, Deus*, etc., et commoveantur viscera vestra si bene consideraveritis quam pius sensus contineatur in verbis istis. Jesum itaque filium Virginis, hominem sine peccato, qui in Evangelio præsenti dicit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII, 46.) Æstima te in capitulo Scribarum et Pharisæorum exspoliatum et nudum sub virga correptionis, seu baculo flagellationis ad abbatem suum dicentem : *Judica me, Deus.* Judæi enim exspoliaverunt eum, Pilatus flagellavit. O pietas cordis, o commotio superluminarium cœli et terræ! Pilatus flagellat Jesum; et quid facit, quid dicit Jesus, quid balat Agnus? *Judica me*, etc. Fratres, *unusquisque*, ait Apostolus, *portabit judicium suum* (*Gal.* V, 10), et iste portavit nostrum, non suum judicium, nisi forte quia nostrum fecit suum; non participatione delicti, sed ratione unctionis Dei et hominis; dorsum proinde suum pro nostro exponit, ut super illud fabricarent peccatores fabricam dolorum et vulnerum; disciplinam pacis nostræ pertulit, et reatum delicti unde arguebamur tulit.

Judica me, inquit, *Deus*, etc., quomodo? *et discerne causam meam de gente non sancta.* Nam causa mea est redemptio hominum, causa mea est ipse homo pro quo veni ut liberarem eum : discerne ergo Deus meus causam meam, ut in ista discretione quid ponderis habeat passio mea, quid damnationis culpa Adæ, quid pensi ira patientiæ appendatur, et justo examine trutinetur, quia favorabiliores sunt res magnæ quam actores : unde non solum veniam, sed gratiam inveniat homo seducibilis propter inexpertam peccati novitatem. Non viderat enim alium hominem ante se peccasse, nec putavit tam acerba et prolixa vexatione puniendum unum morsum vetiti pomi. Discerne ergo causam meam a causa diaboli, discerne et a causa primi hominis, discerne et causam hominis et diaboli, discerne causam meam secundi hominis a causa primi hominis, ut non sicut delictum, ita et donum; delictum Satanæ sine remedio manet, delictum Adæ et actu et reatu manet usque ad mortem meam, sed per me redemptis de filiis ejus transit reatu non actu.

Quid est autem peccatum transire reatu nisi imputare? Quid est transire actu? Prorsus desinere peccare, et sine peccato esse; sed nulli datum est hoc nisi Deo homini; nisi ei qui de Spiritu sancto conceptus est, et ejus beatæ Genitrici post illam obumbrationem Spiritus sancti, quia tota circumvoluta, et induta, sic tota occupata fuit a gratia, ut locum deinceps nullum inveniret vel levissima culpa. In cæteris ergo regnavit mors peccati ab Adam usque ad Christi passionem utroque pede, id est actu et reatu; sed claudicare cœpit contracto prorsus nervo femoris, dum reatus donatus est nobis in morte Christi. Debilitato etiam pede alio dum fomes peccati aspersus sanguine Christi et segnius deinceps movere ad malum potuit, et validioribus articulis dolere cœpit, hoc est ergo; *discerne causam meam de gente non sancta*, ut causa ejus homo liberetur, et diabolus elidatur, homo jam liberetur reatu, in futuro actu et reatu. Gratias tibi, Domine, agimus, quia causa tua tam bona fuit, ut de nostra mala faceres bonam, qui cum Patre vivis et regnas per omnia, etc.

SERMO XXX.

DE PASSIONE DOMINI II.

Isti sunt dies quos observare debetis, primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam (*Exod.* XIII, 18).

Paulus apostolus cum gravi incomminatione redarguit illos qui observant dies, menses et annos, dicens : *Dies observatis et menses, et annos. Timeo ne sine causa laboraverimus in vobis* (*Gal.* IV, 10). Lex autem Moysi, imo Dominus in Lege mandat observari dies istos : quæstionis itaque distinctionem, non contradictionem notare in his verbis debemus; est namque observatio religiosa, et est observatio superstitiosa. Planetarum et stellarum curiosi investigatores quando currant, quando stent, quando retrocedant, quando oriantur, quando occumbant, etc., hujusmodi summa circumspectione attendunt, et secundum hoc vitæ prospera seu infortunia auspicantur. Hæc vana et pessima observatio est, quam Apostolus prohibet.

Illa vero religiosa observatio est, qua Nativitas Christi secundum carnem observatur, ut tam solemni quam digna celebritate opus illud tantæ pietatis, suo tempore recolatur. Illa quoque observatio religiosa est qua tota intentione passioni Dominicæ et resurrectioni mentem nostram dedicamus, ut si possit fieri nihil aliud corde, nihil aliud ore nisi Christum crucifixum versemus, quousque resurgentem cum Maria Magdalene oculis fidei videamus. Plane religiosa observatio est qua sanctos honoramus, et singulis anniversariis, singulos die congruo commemoramus. Dicenda ergo sunt aliqua de observatione, ut sicut verbi gratia, qui potionem sumere vult, aliam habet observantiam antequam accipiat, aliam cum accepit : sic qui animæ suæ potionis remedia intendit adhibere, quærat a medico præcepta observantiæ, et observet, sive ante, sive post medicinam. Non abs re vero exemplum corporalis potionis spirituali adaptare proposui, quia per visibile apprehenditur invisibile, et per ea quæ exterius fiunt, didicimus quæ fieri interius debeant.

Maximus ergo ille medicorum medicus Christus Jesus venit ad domum ægrotantium, et plurima antidotorum genera deferens, præ aliis unum efficacissimum detulit, quo gustato non solum languidi curarentur, sed etiam mortui suscitarentur. Sed quia odore gravi, gustu amaro, tactu mordacissimo ausus illorum reprimebat, quorum virtus sine ipso deficiebat; et quorum formido languida illud tangere non poterat : prægustavit sine sua necessitate

antidotum passionis, crucis et mortis, et exemplo gustabile fecit; gustavit enim gratia Dei pro omnibus, ut ait Apostolus, mortem : *Nobis vero relinquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (*I Petr.* II, 21). Proposuit tam amarum poculum, ut quo validius languor validus obstabat ad sanandum, eo fortius amaritudo potionis premeret et repelleret venenum. Longus siquidem morbus et inveteratus, non nisi fortissima potione cito curabitur. Vetustissima vero computrucrat antiquitate genus humanum a peccato Adæ usque ad mortem Christi.

Certe usuræ tot et tantæ ipsi principali morbo accreverant, augmentatione actualium ad originale peccatum, ut jam quasi nullius momenti reputaretur ipsum capitale, comparatione adjectivorum. Ex usuris ergo non nummorum, sed peccatorum et morborum volens animas redimere et liberare, quæ non rapuit exsolvit; aceto et felle potatus, passus, crucifixus, mortuus et sepultus; sed in articulo illo solus bibit, quia solus torcular calcavit. Tam amarum quidem fuit poculum, quod cum gustaret, noluit bibere, quod dentes ejus obstupuerunt, quod oculi præ copia salsuginis et amaritudinis elanguerunt, omnes enim discipuli relicto eo fugerunt. Tandem melle resurrectionis adjuncto morti, tertia enim die surrexit, paulatim numerus credentium bibere in aqua baptismatis cœpit satis dulciter, quod apostolorum chorus expavit in passione mirabiliter.

Tertiam denique potionem non omittamus quæ media est inter baptismum et eucharistiam, quæ est pœnitentia. Nunquam equidem resumitur potio Baptismatis quia non reiteratur, potio vero Eucharistiæ toties sumi potest sine periculo et cum remedio, quoties exigit fidelis animæ devotio. Utraque autem istarum potionum quantum ad exterius ministerium nec ipsum gravat ministrum, nec cui præbetur hoc mysterium. Tertia vero potio corporaliter se ipsam bibentem acriter pungit, sicut scriptum est : *Quia amara est potio bibentibus illam* (*Isa.* XXIV, 9). Tota enim consistit in amaritudine, ut per amarum poculum obtineamus morbi remedium; ista viam facit et præparat aliis potionibus, sicut Joannes Baptista ait : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Matth.* III, 2); et nos communicaturi, pœnitentiam et confessionem quasi cinerem prælibamus sicut scriptum est : *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI, 10).

Breviter dicendum de illa observantia quæ sequitur potionem baptismatis, ut ab omni criminali nos observemus, ut sciat unusquisque suum vas possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii sicut et gentes quæ ignorant Deum. Crimen enim commissum post baptisma, evacuat potionem sua efficacia, qua filii Dei effecti fueramus : redigimur namque rursum in potestate Satanæ quandiu perseveramus in criminali sine pœnitentia et confessione. Sed redeamus ad observantiam quam observare debemus accepta jam potione baptismatis, et ad illam observantiam quam nihilominus observare debemus sumpturi corpus et sanguinem Christi; hæc enim triplex observantia tam necessario observatur, quem necessario periculum mortis vitatur.

Videndum est igitur de potione Eucharistiæ. Corpus et sanguis Christi, ut dictum est, potio est penetrans usque ad medullas, et vivificans quidquid morticinum, quidquid superfluum, quidquid reumatis, quidquid pectus animæ occupaverat invaletudinis. Si nauseantem stomachum invenit, curat et appetitum reparat; si durum et constipatum ventrem invenit, solvit et emollit, ut superflua et inutilia facile egerat; si fluidum, compescit et consolidat ne projiciat necessaria et vitalia. Si oculos graves et caligine obductos, clarificat et alleviat; si aures obtusas, aperit viam, et clausam reserat januam; si nares ab officio vacantes, facit sentire bonum odorem, et discernere fetorem ab odore suavi; si tristem, lætum facit; si exanimem, animam reddit; si impotentem, facit potentem. Ut uno verbo inexplicabiles ejus efficacias explanem, nihil erit ei in te sanandum impossibile si te cautum invenerit, diætam scilicet competentem tenere

Vide ergo diætam potionis hujus : silentium, abstinentia, castitas, humilitas, charitas, obedientia, quies mentis, remotio immoderatæ joculationis, tranquillitas, pertinent ad observantiam hujus potionis, nec sine his salubriter sumitur, quia non ea purgatur, qui alia lege accipit illam, sed interficitur. Silentio excluduntur mendacia, stultiloquia, scurrilitates et omne verbum otiosum. Abstinentia excluduntur comessationes, ebrietates, et tota ventris ingluvies. Castitate excluduntur luxuria, immunditia, fornicatio, adulterium, incestus, omnis libido commaculans animam et corpus. Humilitate excluduntur jactantia, superbia, extollentia, præsumptio cordis et vana gloria.

Charitate excluduntur æmulatio, ambitio, turpe lucrum, avaritia, odium, inimicitiæ, contentiones, invidia et omnia monstra innumerabilium vitiorum. Obedientia excluduntur inobedientia, prævaricatio mandatorum, reprobatio meliorum. Quiete mentis, inquietudo, evagatio, instabilitas, inconstantia, clamor cordis et cogitationum, strepitus inordinatus. Remotione joculationis inordinatæ, excluduntur vana gaudia, risus, effusio animi, irreligio et effrenatio sensualitatis. Tranquillitate excluduntur curæ sæcularium negotiorum, intemperatus amor et sollicitudo charorum suorum, turba desideriorum.

Isti sunt dies quos observare debetis, istæ sunt virtutes quas habere debetis, ista sunt præcepta medici, sine quibus potius nocet quam juvet potio Dominici corporis et sanguinis : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* II, 29). Indigne autem accipit, qui non observat qua veneratione accedendum sit ad tam venerabile mysterium; qui non purificat conscientiam, in qua sicut in monumento novo debet poni;

qui non lavat manus, id est opera sua, inter innocentes priusquam accedat; qui non justificat animam suam ad quam vult introducere animam Christi. Digne vero accipit qui observat observantias supradictas, se mortificans et contemperans sacro corpori Christi, tam pure vivendo, tam sincere conversando, tam caste accipiendo, ut non recuset Christus angustias pectoris aliqua congellatione peccati coarctati, non abhorreat lectum conscientiæ malarum affectionum coinquinatione, tanquam murium stercoratione putrefactæ.

Sufficiant hæc de observatione corporis et sanguinis Christi de qua dicitur : *Isti sunt dies quos observare debetis*, purificatione continua, oratione pura, devotione assidua, mortificatione discreta, confessione vera, patientia plena, lectione intenta, meditatione studiosa, compunctione uberrima, fide sana, spe firma, charitate integra, castitate incorrupta, intelligentia sobria, ut *quarta decima die ad vesperam comedatis azyma, usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.*

Qui enim dies virtutum sic ordine certo continuaverit, ut dies sit ex die, id est virtus ex virtute, sicut mensis ex mense, id est remuneratio ex bona operatione, ille *quartadecima die mensis ad vesperam*, id est in consummatione virtutum, comedet azyma, id est purus affectus delectabitur de puritate concessa; et hoc *usque ad diem vicesimam primam ejusdem mensis ad vesperam*, id est usque ad remunerationem futuri sæculi, quando stola duplicabitur glorificationis animæ et corporis, quod ad primam gloriam creationis Adæ proficiet et ultra; quia major gloria erit secundæ domus quam primæ, id est potior erit beatitudo post resurrectionem corporum quam fuerit in paradiso ante peccatum; quod nobis præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXI.

DE PASSIONE DOMINI III.

Isti sunt dies quos observare debetis, etc. (*Exod.* XII, 18).

Prima die succidenda sunt ligna de saltu animæ, id est commissa crimina exstirpanda ab affectu. Secunda die incidenda sunt et dividenda minutatim, ut per singulas noctes, id est culpas, lectum, id est conscientiam lacrymis laves. Tertia die strue lignorum facta, subinducendus est ignis, et conflanda silva malorum usque ad novissimos cineres, id est usque ad consumptionem reliquiarum peccati. Quarta die ipsi cineres colligendi et seponendi sunt per tumulos sive acervos recordationis transactæ vitæ.

Quinta die scopanda est domus, sicut Psalmista scopebat spiritum suum, a superfluis emundans conscientiam suam. Sexta die telæ aranearum ab angulis domus dirumpendæ et auferendæ sunt, ne venenum araneæ ibi lateat, id est malignæ concinnationes spirituum malignorum. Septima die nidi hirundinum destruendi sunt propter garrulitatem earum, id est lingua continenda a multiloquio, et vitanda occasio multiloquiorum. Octava die salsugo amaritudinis a tecto evellenda, ut tollatur a nobis clamor, ira et indignatio.

Nona die resarciendum tectum ne in pigritiis humilietur contignatio, et defluats tillicidium super accumbentes vel dormientes, id est disciplina firmiter et continue tenenda, ne paulatim defluendo a religione, tota domus regularis ruat, quia : *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX, 1). Decima die lacunaria, sive laquearia ornanda, tum propter duplex munimentum tecti exterioris scilicet et interioris, tum propter decorem domus et ornamentum. Significant autem refectionem et curvaturam humilitatis qua uniuntur mores illorum, de quibus dicitur : *Qui habitare facit unius moris in domo* (*Psal.* LXVII, 7); et : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1).

Undecima die pictura superaddatur, in qua virtutes sub pedibus suis vitia conculcant, et memoria mirabilium, seu operum Dei recitatione veridica Scripturarum, modo historice tanquam uno colore, modo allegorice, tanquam alio, modo moraliter tanquam tertio, mentibus nostris insculpitur. Duodecima die cortinæ superponuntur, ut latitudo charitatis teneatur. Tertia decima die purpura superextenditur, ut passio corporalis quanta sit dignoscatur. Quarta decima die irradians gemma virginitatis cum ipsa purpura sicut rationale et superhumerale annectitur, ut in vespera consummatæ virtutis comedatur, id est nova creatura in Christo efficiatur.

De his virtutibus quid mirum si dicatur : *Isti sunt dies quos observare debetis*, intima siquidem vobis lex divina, cui omnem obedientiam debetis quandiu sub eadem lege estis, quatenus dies istos observetis. Sed quid est dies observare, nisi se in diebus observare? Dies ergo, vos qui non estis noctis, neque tenebrarum, sed filii Dei et lucis, observate. Quid est autem observare? observare est cavere, custodire, ut insidias tendere, ut notare aut venerari. Totum hoc admonuit nos Scriptura diversis modis, diversis allocutionibus.

Ut primo caveamus a fermento Pharisæorum, id est seductione et fallacia dæmonum, ut malorum hominum. Secundo ut custodiamus bona nostra, sicuti de primo homine posito in paradiso dictum est, quia : *Posuit enim in paradiso ut operaretur et custodiret illum* (*Gen.* II, 15). Et in libro Apocalypsi : *Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet* (*Apoc.* XVI, 15). Parum est enim operari, nisi custodias quod operatus fueris. Tertio ut insidias tendamus principibus tenebrarum harum, quia decipi possunt, sicut scriptum est : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 27); *Nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum cum ancillis tuis* (*Job* XL, 24). Quarto notare debemus illas notas de quibus dicitur : *Notas mihi fecisti vias vitæ* (*Psal.* XV, 11). Quinto venerari debemus dies istos

in quibus opus nostræ redemptionis completum est.

Isti ergo sunt dies quos observare debemus. Sed quare observandi sunt dies isti? Ait : *Quarta decima die ad vesperam comedetis azyma*. Azymitas nos vocant Græci, quia corpus Christi in pane azymo conficimus, cum ipsi conficiant in fermentato. Utinam simus quod dicimur, id est puri, id est sine fermento malitiæ et nequitiæ. Azymitas : in me sit ista maledictio sicut illa : *Tu discipulus ejus sis, nos autem Moysi discipuli sumus* (*Joan.* IX, 28). Plane dignitas sacramenti non admittit fermentum corruptionis, imo respuit, sicut in illo qui venerat ad nuptias non vestem babens nuptialem : *Amice*, inquiens, *quomodo intrasti huc non habens vestem nuptialem? Ligatis manibus ejus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13).

Quare, frater, cum fermento oculorum accedis ad mensam Christi? Quinimo ore fermentato, impudico scilicet et dentibus fetentibus audes attrectare sacramentum Dominici corporis et sanguinis? Nonne Sanctus sanctorum, et Sanctum sanctorum est quod contingis? Nonne caro quæ non vidit corruptionem? Quæ ergo utilitas cum descendis in corruptionem, tuam mentem et animam inveniens corruptam? Christo quidem nulla in te utilitas, quia te non lucratur; tibi vero acerba jactura comparatur quia reus es corporis et sanguinis Domini.

Observa, id est observatione accede. Nota quis tu scis, quis ille ad quem accedis. Attende fremitus pravi desiderii animam tuam assidue confricantis, qui quasi formicarum populus lacerant in silentio miseram animam : exigui quidem corporis videntur formicæ, sed aculeato morsu distringunt usque ad gravem molestiam, cui dentes injecerint. Sic quædam occultæ tentationes aliquando etiam ipsum latent in quo sunt, sed in silentio morsi, post morsum dolorem sentiunt, quem prævidere noluerunt : istæ sunt quæ inquietant animam. Aliæ rursus tentationes quasi jumenta in stabulo ducuntur, sed freno aut chamo dirupto per stabulum divagantes, ibique relinquunt signa luxuriæ suæ, stercoribus suis fetere faciunt vitam stabularii sui in conspectu Dei et angelorum ejus.

Ne longum sermonem faciam, sed occasionem sapientibus tribuam, quæcunque incompositio morum vitæ fuerit in te, similitudinem ferarum vel bestiarum in anima tua depingit, ut asinus propter sensus hebetudinem, camelus propter injustitiæ enormitatem, lupus propter rapacitatem, leo propter rabiem; ursus propter impatientiæ effrenationem, vulpes propter fraudem; talpa propter cæcitatem, et cætera hujusmodi. Observa ergo utrum sit admittere vel ursum, vel asinum, vel aliud quodlibet istorum animalium ad devorandum Christum.

Credo si videres muscam manibus tuis hora qua conficis corpus Christi, insidere, expelleres, et ejiceres tota festinatione; si murem aut catum, occideres si posses, antequam accederet. Quid ergo faciunt angeli? Nunquid negligentiores te sunt, aut minus honorantes honorabile sacramentum quam tu? Imo vigilantius ministrant, imo studiosius assistunt, et dignius quam tu. Quid ergo faciunt videntes in sinu tuo murem, catum, canem, ursum, asinum, quando tibi porrecturus est sacerdos illud verum et venerabile sacramentum corporis et sanguinis Christi.

Timet angelus ne præripiat tibi bestiola illa, quæ in sinu animæ tuæ dormit, eucharistiam; aut ne saltem communices ei quod tibi traditum est, corpus Christi : unde enim victura sunt illa tua animalia, nisi de cibo et potu animæ tuæ? Certe ex quo sedem in anima habent, et cibum ab anima quærunt. Observa ergo et animalia ista pusilla cum magnis; demerge in profundum maris, ut ad vesperam comedas azyma verus azymita effectus ipso præstante Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXII.

IN PASSIONE DOMINI IV.

Elegit suspendium anima mea (*Job* VII, 15).

Sæculum alii fugiunt, alii relinquunt, alii contemnunt, alii crucifigunt et suspendunt; fugiens dicit : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine* (*Psal.* LIV, 8). Relinquentes aiunt : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27). Contemnens loquitur : *Reputavi omnia ut stercora, ut Christum lucrifaciam* (*Phil.* III, 8). Crucifigens : *Absit*, inquit, *mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo* (*Gal.* VI, 13). Suspendens autem, mundo vel Deo sic loquitur : *Elegit suspendium anima mea;* utique aut se ipsum sursum pendens cum pendente in cruce mortificatione carnis; aut mundum sursum, id est longe a se faciens, contemplatione Divinitatis.

Attendendum itaque quatuor esse genera suspendii. Aliud namque suspendium latronis, qui pro peccati maleficio, judicio suspenditur. Aliud pueri qui pro impossibilitate naturæ, et necessaria refectione pendet ad ubera et collum nutricis. Aliud poma cupientis et suspirantis, cum remota pendent in sublimioribus ramis, et sustollens se brachiis inhæret arbori; aliud amantis cum impatienti desiderio, et amicæ suæ incumbit collo palmis innexis. Qui de magnis sceleribus compunctus pœnitet, confessionis judicio crucifigere debet carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, nec ludibriis insipientium et malignorum fatigatus, quoadusque inclinaverit caput, et spiritum emiserit ad eum qui dedit illum, de pœnitentiæ ligno debet descendere.

Hic ergo elegit volens et libens suspendium, et ait, elegit suspendium anima mea : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7), ut non coactus

et renitens, sed ultraneus offerat turturem et columbam, id est corpus et animam in holocaustum pro peccato. Alius autem forte qui non novit peccatum mortale, qui non inquinavit vestimenta sua spurcissima fœce luxuriæ, et in ore ejus non est inventum mendacium, præsumptione et confidentia propriæ justitiæ clamat : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13). Hic quasi modo genitus infans gallinæ umbraculo a formidine milvi et vulturis sese protegens expandit manus ad sinum gratiæ, dicens : *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 9). A fomite peccati, et a tyranno, qui leges suas describit in membris meis, repugnantes legi mentis meæ ; ut per traditiones suas quæ sunt de omnimoda corruptione mentis et corporis, aboleat testamenta et legem Dei, quæ est de sanctificatione et renovatione imaginis Dei. Sic in Psalmo loquitur : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (*Psal.* CXXX, 1) ; hoc suspendium est humilitatis, quia *qui se humiliat exaltabitur* (*Matth.* XXIII, 12).

Alius proficiens ætate cum Jesu et gratia apud Deum et homines, hortum deliciarum deambulans, et in arbore crucis mala punica cum omni fructu exquisito et suavissimo, gustu visuque pulcherrimo cernens, jaculo punctus penetrativi desiderii tangere, gustare et dependere peroptans. Nunc candidatæ virginitatis fructus tenerrimos, nunc confessorum ubertate doctrinæ et gratiæ fecundos, nunc martyrum in sanguine proprio rubricatos, nunc apostolorum solis et lunæ radiis flagrantibus et humidis maturos, nunc prophetarum antiquitate temporis decoctos ; nunc patriarcharum fide conservante et agente bene soporatos contrectat et degustat : de radice siquidem et virtute sanctæ crucis, tam merita quam præmia omnium sanctorum consurgunt. Sursum autem est crux, ut qui in ea affixus dicatur crucifixus et suspensus hoc *suspendium*, ait Job, *elegit anima mea*, ut crucis non recusem pœnam, qui crucis video gloriam. Est autem hoc suspendium mortificationis.

Alius vir factus qui evacuavit omnia pericula, et transit in affectum cordis, in amorem sapientiæ deficit et liquescit, ut dicat : *Deficit in salutare tuum anima mea* (*Psal.* CXVIII, 81). Sensus corporis cum suis phantasmatibus exinaniens in visionibus Dei brachia.

SERMO XXXIII.

PRO DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu (*Phil.* II, 5).

Ecce, fratres charissimi, ante oculos vestros ducitur Jesus ad immolandum ; quid dicetis ? quid facietis ? Ecce non est qui consoletur eum ex omnibus charis suis, relicto eo omnes fugerunt. O Jesu solus pro nobis, sine nobis portas onus diei et æstus, portas spineam coronam, portas crucem, portas sanguinem tuum intra velum sanctuarii, portas peccata nostra in corpore tuo super lignum crucis ; portas ignem et ligna, ut absumat ignis passionis tuæ ligna mortalitatis nostræ. Leo de silva, lupus ad vesperam, ursus, canis, unicornis, framea inimici in te aperto ore irruunt et devorare inardescunt.

Filiæ Jerusalem vident et flent, sol abscondit vultum suum ne videat tantum nefas in Israel ; terra tremit ferre non sustinens ; mortui sentiunt mortem vitæ, et resurgunt a morte, sicut ille mortuus qui tetigit ossa Elisæi, et revixit ; et nos, miseri, quid ? Commota sunt superliminaria cardinum, id est angeli, sive velum templi, a voce clamantis et exspirantis, et nos obstinati, non commovemur ad fletum et planctum et calvitium, conducentes lamentantes quæ noverint plangere, non Adonidem, sed Jesum pendentem et morientem.

Ubi Phinees, ubi Petrus, ubi Mathathias ? putas moriens Filius hominis inveniet fidem super terram ? Domine, oculi tui respiciunt fidem, sed apud quos, et in quibus est fides ? Fundamenta fidei conturbata et concussa sunt, ita ut si fieri posset etiam apostoli inducerentur in errorem, et ubi fides ? pene periit, pene sublata est de terra. *Ecce*, inquit Dominus ad principem apostolorum, *Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua* (*Luc.* XXII, 31). Acerrimum hoc bellum, in quo solus Jesus cum Satana conflixit, et toto corpore laniato ac sanguine fuso, tandem superatus superavit ; sic Jesus supplantavit illum qui nos supplantaverat in Adam altera vice.

Hoc itaque, fratres, sentite in vobis quod et in Christo Jesu ; si nunquam digni fuerimus accedere ad Jesum, et tangere et sentire illum, quæramus saltem ab illo qui in sinu ejus dormit, et inter ubera sua eum locavit, et dicit : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6). Quæramus, inquam, quem sensum habeat de Jesu, et quid senserit in Jesu. Dic nobis, Joannes evangelista, qualem videris eum, quia de te dictum est : *Et qui vidit testimonium perhibuit, et scimus quia verum est testimonium ejus* (*Joan.* XIX, 35).

Dic ergo nobis de Jesu quomodo comprehensus sit, quando, ubi, a quibus, quare, qualiter vexatus sit ante crucem ; quis prodiderit eum, quis defendere voluerit, quid responderit cum unus suorum vellet eum defendere ? Quanto postea timore idem ipse tertio eum negaverit, quomodo Pilatus eum flagellaverit ; quomodo milites plectentes spineam coronam capiti ejus imposuerint, et irrisorie veste purpurea circumdederint, et genuflexo salutaverint, et alapas in faciem dederint ? Quomodo ipse Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum, tum non clarus imperio sed opprobrio, ad Judæos exierit, quanto rugitu : *Crucifige* (*Luc.* XXIII, 11) ingeminaverint, et tandem in Golgotha cum duobus latronibus eum crucifixerint, et vestimenta ejus sibi partiti sint, et acetum porrexerint, et inclinato capite spiritum tradiderit ?

Hæc signa sunt Jesu, nemo nisi Jesus omnia signa ista habuit : Jesus est ergo qui tibi occurrit, si quem sic insignitum inveneris, talis est, inquit, Sponsa sive Maria Domini Mater, sive Maria Magdalene, sive ipse Joseph : talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Quod si paucioribus intersignis vis illum cognoscere, quia sapiens innotescit paucis, audi : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* v, 10) ; candidus propter innocentiam, rubicundus propter pœnam quam sustinuit. Ecce satisfecisti nobis bona domina de Dilecti tui, de Sponsi tui certa demonstratione. Sed dic nobis de tactu, de sensu tuo in eum, qualis sit tibi in sensu, qualem senseris lævam ejus, et qualem dexteram. Procul enim est a nobis ; et si videre eum aliquando non potuerimus, multo minus tangere, multo minus sentire : jam quidem de visu quomodolibet certificati sumus, adde et de tactu certificare. Scriptura namque aliquantulum terret nos, et a tactu reprimit quæ dicit, quia ignis est, et qui approximant, inquit, mihi approximant igni, durum enim et horrendum est magnum in ignem mittere.

Dic ergo si forte in aliquo latere dextro vel sinistro mitiorem aliquatenus invenire valeamus : dextrum si quidem latus nosti, quia dextera ejus amplexatur te. Sinistrum nihilominus, quia læva ejus sub capite tuo ; prius ergo dic de sinistro, quia ut nobis videtur in sinistro dormit in cruce. Ita est fasciculus myrrhæ. Dilectus namque meus mihi inter ubera mea commorabitur, dum læva ejus sub capite meo est : hic acervus lapidum in quo meridiatus, in die in qua coronavit eum mater sua, scilicet Synagoga, corona utique spinea. Inde est quod Nicodemus ferens misturam myrrhæ et aloes quasi libras centum, venit ungere corpus Jesu. Libras centum ; multum est, satis est. Totum corpus Jesu potest condiri quantitate illa myrrhæ et aloes, usque adeo quod labia ejus ex hac profusione distillabunt myrrham primam.

Revera non solum membra muta in Jesu tua compassio inebriat si centenaria, id est perfecta et consummata fuerit, sed usque ad labia ejus pertingit, quatenus respondeat et dicat : *Sitivi, et dedisti mihi potum, et esurivi, et dedisti mihi manducare* (*Matth.* xxv, 35), et : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* (*Luc.* xxii, 28). Ecce cor contritum et humiliatum habet fasciculum myrrhæ, ecce amaritudo maxima, ecce velut mare contritio in passionibus Jesu : per compassionem fasciculus myrrhæ est, et hæc est sinistra. Dextera vero quæ ? illa utique de qua in Psalmo dicitur : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis* (*Psal.* cix, 1). Dextra Dei est beatitudo sine interruptione, gloria sine fine, voluptas sine corruptione, sanitas sine ægritudine, concordia sine amaritudine, pax sine rancore, tranquillitas sine commotione, æternitas sine variatione.

Hæc est dextera Dei, quia in dextera Dei tam A plena delectatio, quam hic abundat miseriarum afflictio ; et hæc est dextera quam sicut nondum habemus, sic nondum eam novimus, nec est nobis tam nota dexteræ admirabilis delectatio, quam sinistræ miserabilis afflictio. Inter sinistram autem et dexteram illud forte quod timemus erit, nimirum ignis ; cum Deus noster ignis consumens veniet cum tempestate valida ; tunc procul dubio non erit tanquam dormiens, tanquam mortuus in cruce et sepulcro, neque tanquam post mortem gloriosus in cœlo, sed tanquam potens et crapulatus a vino, et excitatus a somno, sed tanquam leo rugiens, de quo dicitur : *Leo rugiet, quis non timebit ?* (*Amos* iii, 8.) Item : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam* (*Amos* i, 2).

B Quoniam ergo vocabit judicium ad ignem ut devoret abyssum multam, et comedat simul partem, id est profunde malos absorbeat æterna damnatione ; imperfectos comedat, et pro parte imperfectionis, nec tamen devoret per sententiam æternæ damnationis. Tunc nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabit, ut vel talis appareat per mansuetudinem qualis fuit sub Pontio Pilato, nec talis qualis erit, cum scilicet peracto judicio apparebit, siquidem in vultu ejus tunc sævitia, pro vindicanda injuria passionis : non impotentia quam simulavit pro implendo judicio incarnationis.

Hoc ergo, fratres, sentite in vobis quod et in Christo Jesu, sentite pœnam sine culpa, sentite innocentiam sine injuria, sentite pium qui ignoscat, sentite justum qui requirat, sentite misericordem qui extollat vos in dextera sedis magnitudinis suæ. Illuc, fratres, manus pauperum animas vestras portabunt, illuc confessiones, orationes, jejunia et alia bona opera vos transferent ; quod vobis præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIV.

IN CŒNA DOMINI I.

Filii Dedan negotiatores tui. Dentes eburneos et hebeninos commutaverunt in pretio tuo. Balsamum et mel, et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis (*Ezech.* xxvii, 15).

D Cœlum et terra ad præsentes nundinas accurrunt, devolvendo et explicando suas merces, et sarcinulas, ut quicunque quodcunque sibi necessarium subsidium ad convivandum cum Domino emere voluerit, inveniat, et justo, imo vilioripretio emat. Cœlestia enim hodie vilius venduntur, terrena charius æstimantur, quia quæ venduntur et non videntur, sine pretio apud animales habentur ; quæ autem venduntur et videntur, supra se æstimantur.

Singula autem replicare quæ exponuntur ad pretium, non est hujus temporis nec nostræ facultatis. Tanta enim varietas et numerositas vendentium est et ementium, necnon comparandorum et distrahendorum, ut nec oculus satietur visu nec au-

ris auditu. Illa tantummodo quæ ad diem festum pertinent comparemus et cum fraternitate vestra communicemus, ut sit unum marsupium nostrum, unum mercimonium, unum macellum, unum lucrum et unum damnum.

Fili hominis, qui ad nundinas istas opibus plurimis suffarcinatus advenisti de terra longinqua, de captivitate Babylonia, expone nobis macellum, et explica sacellum, si quid forte in mercibus tuis sit, quod nostræ cœnæ solemnitatem deceat, quod præsenti diei sacrosancta gaudia expleat. Admiror autem primo in sarcinulis tuis, unde tam pulchros et pretiosos dentes eburneos et hebeninos attuleris, quæ gens, qui populus utatur hujusmodi dentibus. Æmulor denique tales habere, sed diffido me posse meos pro his commutare. Timeo evulsionem meorum, exemplo careo de insertione aliorum; sed certe forte qui plantavit aurem, forte noverit inserere dentem. Nihilominus qui tulit costam de latere Adæ sine acerbo dolore, ipse dentem jam putridum tollere potest sine dura afflictione.

Ego itaque emere dentes eburneos et hebeninos, quia hortulanum habeo qui sicut olerum, ita et dentium est evulsor et plantator. Certe prandendum est hodie, et bibendum inter amicos, et inter senatores cœlestis aulæ, inter illustres et nobiles viros magnæ curiæ. O vos negotiatores dentium qui estis? unde estis? pro quanto dabitis dentes eburneos et hebeninos? Filii, inquiunt, Dedan sumus, de Æthiopia sumus, dentes pro dentibus dabimus, bonos pro malis, novos pro veteribus, sanos pro infirmis, candidos pro nigris, mundos pro scabiosis, fortes pro putridis et debilibus, acutos pro hebetatis. Commutare enim solemus non vendere, et arte novandi utimur taliter, ut postquam more nostro vetera fricuerimus, nova faciamus.

O boni artifices, estisne tam benigni in foro quam boni in officio? Ita, inquiunt, nihil addimus nummo, nihil pretio in commutatione dentium, nisi quod dentes hominum accipimus, et animalium sive arborum damus. Eburneos namque ab animalibus, hebeninos habemus ab arboribus. Et quale rogo animal unde tales dentes, aut qualis arbor? Animal elephas nominatur, arbor hebenus. Ecce si placet commutemus, fratres, non differamus, non hæsitemus commutare, quia ad cœnam agni vocamur, et dignum est, ut novis dentibus novas carnes comedamus. Totum namque novum in cœna ista. Novus panis, nova caro, novum vinum, nova mensa, novus scyphus, nova scutella, novum mantile, novum mandatum, novum verbum, nova ablutio pedum, novum chrisma, novum oleum, novus pransor, novi dentes, nova labia, denique et manus nova.

Sed quia per se satis nota sunt cætera, ad dentes redeamus, et ex nomine vendentium mysterium rei jam jam pandamus. *Filii Dedan negotiatores tui.* Quid est Dedan? hoc judicium, vel tale judicium? A Quid est hoc judicium vel tale judicium? Certe hoc est quod Apostolus ait: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* II, 31). Quid est si nosmetipsos dijudicaremus? Si nos accusaremus. Sed hæc accusatio appellatur confessio: filii ergo Dedan, filii sunt confessionis, filii judicii, non simpliciter judicii, sed hujus judicii, sed talis. Quid est hujus? quid est talis? Certe hujus quod fuit sub Pontio Pilato, certe talis qualis erit in futuro et magno judicio.

Hoc ergo judicium, id est hanc confessionem tam puram, tam veram, tam asperam, fac etiam talem confessionem, qualem in die judicii omnes facturi sumus; ut sicut nihil tunc abscondetur de peccato, sic nunc judicium tanquam meridiem facito in B confessione, ut nullas latebras, nullas tenebrarum reliquias reserves in corde tuo. Infernus coram te, ore aperto, flammas et fetores sulphureos evomet, dæmones Æthiopica nigredine et dracontea feritate, uncinos et fuscinulas igneas ad deportandas animas tenentes assistant; tribunal judicis in nube sistatur, judex totus quasi furibundus, et absque misericordia contempletur, oculi ejus velut flamma ignis, et sonus sublimis, tanquam tonitruum magnum de ore ejus, et gladius ex utraque parte acutus, angeli trementes, homines velut folium a facie venti vehementis vacillantes, et tota illa circumstantia magni judicii, veniat ante oculos tuos, dum ad judicium confessionis accedis.

Certe tunc filii Dedan dentes commutabuntur, C mendacium relinquentes, et veritatem tenentes, odio renuntiantes, et pacem sectantes. Impudicitiam abjicientes, et castimoniam servantes, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem evacuantes, et sacra eloquia meditantes. Isti sunt dentes eburnei propter castitatem eloquiorum, et hebenini propter ædificationem, et fructum labiorum veracium. Ecce habes dentes, comede quidquid invenit manus tua, comede volumen passionis Christi, comede evangelium, comede panem angelorum, comede vitulum saginatum, comede agnum anniculum, comede hædum, comede carnes tuas, comede vitulum, comede vitulum conflatilem, comede fenum sicut bos, comede mel quod sufficit, comede D lac caprarum, comede butyrum, comede adipem agnorum et arietum filiorum Basan, comede hircos cum medulla tritici.

Ut autem manifestius appareat quod dicimus, quid sunt dentes, nisi animæ virtutes? Sed quales virtutes sunt dentes? Quæ utique tales sunt, quales sunt dentes. Dentes namque mundi debent esse, et candidi, acuti, firma radice in gingivis fundati, ordinati, integri, conjuncti. Mundi propter munditiam corporis et sanguinis Christi, candidi propter ejus patientiam, acuti propter justitiam, fundati propter obedientiam, ordinati propter modestiam, integri propter perseverantiam, conjuncti, propter concordiam. Mundi in cogitatione, candidi in operatione, acuti in confessione, fundati in tentatione,

ordinati in prosperitate, integri in adversitate, conjuncti in conversatione. Mundet dentes abstinentia, conservet mundatos continentia, acuat timor, fundet spes, ordinet justitia, consolidet memoria Dei, amor conjungat.

Quia dentes eburneos et hebeninos domi jam habemus, si sensus nostros perfecte castificaverimus, si ad exhortationem aliorum idonei fuerimus, ampullam balsami circumspiciamus, et si hoc balsamum verum est et non mistum, comparemus illud ut genus regium et sacerdotale illo inuncti efficiamur. Hodie, fratres, consecratur chrisma quo sacerdotes et reges, tam in Veteri quam in Novo liniuntur Testamento, et ideo christi appellantur. Cave autem ne mistum sit balsamum tuum per Simoniam, ne velis regnare, et non ex Deo, sed per pecuniam. Mistum enim balsamum non ad Christum pertinet, sed Antichristum.

Miscet balsamum qui sacros ordines tribuit non ad meritum sed ad præmium. Qui curam animarum tribuit non pro Deo sed pro auro, qui non pro redemptione generis humani tradit Christum, sed pro implenda avaritia nummi. Miscet ille balsamum, qui labiis Deum honorat, cor autem ejus longe est ab eo. Miscet balsamum qui Christum non sincere annuntiat. Miscet balsamum qui religionis puritatem simulatione fallaciæ fermentat. Miscent balsamum qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Non ergo adulteres verbum Dei, non misceas balsamum, quia *balsamum non mistum, odor meus* (*Eccli.* XXIV, 21), dicit Dominus, unde Apostolus : *Ex sinceritate et veritate sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* II, 17), ut non sit ruga aut macula in Sponsa Dei.

Ungamus caput chrismate, ungamus manus, ungamus frontem, ungamus scapulas. Caput propter coronam quam exspectamus ; manus propter mysterium corporis et sanguinis Christi quod contrectamus ; frontem propter crucem quam ibi gestamus ; scapulas propter laborem operum, quo divinæ servituti insudamus ; caput, ut tota mente Deum diligamus ; manus, ut eleemosyna desudet in manu tua ; frontem, ut non sit tibi frons meretricis, quæ noluit erubescere, sed tenera ad verecundiam, signata ad tutelam, præparata ad pugnam ; scapula, ut tota virtute pondus diei et æstus in vinea Domini usque ad vesperam sustineas. Duos aureos, id est corpus et animam da in commutatione balsami, vel intentionem et operationem bonam, quia spiritum adoptionis filiorum recepistis, non spiritum servitutis iterum in timore, et hoc sufficiat de balsamo.

Mel sequitur : sicut in liquoribus balsamo nil pretiosius ad unguendum ; sic melle nihil dulcius ad manducandum. Sed quia in nativitate Domini vel in resurrectione suum locum habet mel, non in passione ; emamus quidem illud, sed reponamus : tempore enim suo illud manducabimus. Quid enim nobis modo cum melle, ubi fel, ubi acetum, ubi spina, ubi lancea, ubi clavus, ubi malleus, ubi Judas, ubi Barabbas, ubi passio, ubi crux, ubi mors est ! Aliam ergo speciem, id est, oleum apprehendamus, et quia infirmi sumus, oleum infirmorum emamus.

Ecce, fratres charissimi, oliva quæ dicit : *Ego sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI, 10), in torculari premitur, et oleum fundens bono mercatu et pretio ad vascula nostra derivatur. Gratias tibi, Jesu, quia conditori nostro de oleo tuo satisfecimus, et ad unguenda vulnera nostra non parum nobis retinuimus ; sed plenum dolium quoniam in sæculum et super omnia opera tua, misericordia tua. Ecce tenebras nostras oleo tuo illustramus, ecce dolorem mitigamus ; ecce cibos condimus ; ecce creditori debitum solvimus ; hoc totum de oleo tuo, hoc totum de misericordia tua, hoc totum de gratia tua, hoc totum de visceribus tuæ pietatis, qui es Deus totius consolationis et pater misericordiarum.

Ad ultimam illam speciem quam proposuerunt negotiatores nostri, id est, resinam, nummum ponamus et sermonem finiamus ; hæc necessaria est Jesu in carne passo, quia mitigativa et linitiva. Hanc itaque nummo compassionis comparemus, et tam in Jesu passionibus per compassionem, quam in nostris per correctionem expendamus. Si enim te corrigis, resinam tuis plagis apponis. Si Christo compateris, resinam passionibus ejus infundis. Si proximum redarguis, resinam putredini ejus circumducis. Sanctificet itaque nos et consecret Dominus in balsamo, satiet in melle, ungat oleo, medeatur resina, quam in nundinis suæ cœnæ et passionis proposuerunt sancti negotiatores, quod nobis præstare dignetur qui vivit, etc.

SERMO XXXV.

IN CŒNA DOMINI II.

Tota hæc dies Deo et nostræ saluti dedicatur : quot horæ, tot gratiæ. Principales horæ septem, quæ septem specialiter adornantur sacramentis ; purgamur a peccatis et virtutibus replemur. Prima est absolutio peccatorum, secunda consecratio chrismatis, tertia consecratio olei infirmorum, quarta consecratio Dominici corporis et sanguinis, quinta destitutio Veteris Testamenti, sexta institutio Novi, septima ablutio pedum.

Hæc omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum, quia his quasi clavibus intratur in regnum cœlorum ; claves istas nolite negligere, nolite perdere, quia nisi per clavem non patet introitus domus. Principalior tamen et dignior inter cæteras est illa clavis David, quæ claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit, videlicet Eucharistia, quæ digne sumentibus vitam, indigne accedentibus mortem confert æternam : *Qui manducat*, inquit Dominus, *carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo* (*Joan.* VI, 53) ; hoc ad dignos. De indignis vero Psalmista : *Fiat mensa eorum in laqueum* (*Psal.* LXVIII, 23).

Hujus ergo mensæ quis auctor ? quis artifex ? quis dispensator ? quis apparator ? quis in ea cibus

et potus? quis conviva? cujus formæ vel materiei ipsa mensa? Auctor Jesus, artifex Spiritus sanctus, dispensator prælatus, præparator seu ministrator, Angelus et ordo apostolicus, cibus caro Christi, et potus sanguis, conviva omnis Christianus. Mensa, altare seu lapis unctus et consecratus; forma quadrangula, materia lapidea.

Ecce Jesus, ecce Spiritus sanctus, ecce sacerdos magnus, ecce apostolorum chorus, ecce ministratorii spiritus, ecce cibus, ecce potus, ecce mensa in forma et materia sua. Utquid hæc? et ad quid hæc? ut manducetur Pascha. Ut adsit et satietur conviva. Ubi es Adam, ubi es conviva? Non te subtrahas, non te excuses a cœna, non te illudas et foliis ficus pudenda tua operias. Tibi parata est cœna, tibi immolavit Pater tuus vitulum saginatum, tibi immolavit Sapientia victimas suas, tibi Joseph meridianum præparavit convivium, te exspectat sacrificium matutinum et vespertinum: his excitatus et invitatus omnis Christianus indifferenter currit, et paratam cœnam appetit.

Sed videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non ut insipientes sed ut sapientes. Sursum aspicite et legite titulum huic mensæ appositum: *Quicunque manducaverit panem Domini et calicem biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (*I Cor.* XI, 27). Item: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum* (*Psal.* LXVIII, 23). Noli itaque gustare quod male gustatum affert mortem, noli tangere ore polluto et manibus immundis christum Domini. Tabescit enim sapientia, et Spiritus sanctus gemit gemitibus inenarrabilibus in corpore subdito peccatis.

Ad aures Patris, ad cor ascendat gemitus iste, unde et descendit videre utrum clamor iste culpis continuatis perpetuetur clamans: *Spiritum nolite exstinguere* (*I Thess.* V, 19), et Filium meum Jesum nolite pedibus vestris conculcare. Habet enim in ore suo gladium ancipitem, utique ex utraque parte acutum, dicens de illo conviva, qui se immiscuit cœnæ non vestitus veste nuptiali, id est charitate et castitate: *Ligatis manibus ejus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores*, etc. (*Matth.* XXII, 13). Quæritur itaque conviva non qui mensam impleat vomitu et sorde, sed qui comedat agnum, innocens manibus et mundo corde.

Ecce Satan, non inter filios Dei, sed contra Filium Dei, non transfigurans se in angelum lucis, ut simulatione decipiat, sed extollens se adversus Jesum qui vere colitur et adoratur Deus, erigens contra cœlum, imo Deum malitiæ suæ machinas, convolvens in turrem David, quæ ædificata est cum propugnaculis, lapides et jacula, intorquens lanceas et sagittas, in obscura luna et ante Luciferum, et post solis ortum, ut in hoc tandem appareat rupta vesica, in qua ab initio creationis suæ dirissimum virus coagulaverat, quodammodo effudisse, et quasi mortifera nebula totam terram infecisse. Adeo enim effatio sive effusio illa pessima fuit, ut nec sol illam tolerare potuerit. Obscuratus est enim et tenebræ A factæ sunt super terram. Inde Judas crepuit medius, inde de ore Judæorum eruptio illa fetida: *Reus est mortis* (*Matth.* XXVI, 66), *crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 14), et: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15).

Subministrabat namque laguncula cordis plena et superfusa, quod multiplici reciprocatione evomit cum labiis dolosis, lingua maligna. An aliquid de abysso nequitiæ hodie retentum et reservatum est quod non expanderetur, quod non exponeretur? A sæculo vasa iræ eatenus, sicut nunc, non sunt exhausta; et ut verum fatear, a Dei patientia absorpta. Nam absorpta est mors in victoria, et quidquid rivulus infernalis conglomerare potuit, ut nos cum Jesu deleret, totum sine damno, imo cum lucro no- B stræ restaurationis Jesus absorbuit; sed de peccato enim damnavit peccatum. Nam Jesus plus potuit absorbere quam diabolus vomere. Sapientia siquidem vincit malitiam.

Concertat ergo diabolus, et usque ad extremam exhalationem desudat, undecunque et quocunque, et a quibuscunque in medium proferre injuriosam injuriam, quatenus pondus malorum Jesum opprimat, modus vincat, numerus exturbet et ad impatientiam omnium desolatio provocet. Sed sicut Jesus heri et hodie, ipse in sæcula sæculorum, sic patientia ejus potuit ferre quod diabolus potuit inferre, et quod non potuit. Melior est profecto patiens, id est Jesus, viro forti, id est diabolo, qui fortis custo- C diebat atrium suum antequam veniret iste qui destrueret eum, qui habebat mortis imperium, antequam ad singulare certamen provocaretur, qui mitis et mansuetus venerat, non injuriam facere, sed quantum ad se perferre, quantum ad alios propulsare.

Sed quia pium est de tam pio et tam impio cogitare, et utriusque causam fideliter pensare, sciendum quod diabolus propriam et valde calumniosam agebat causam: Jesus nostram et dolo adversarii vitiatam quantum ad nos, sed quantum ad se justam. Hinc igitur propositis armis lucis, quæ sunt humilitas, patientia, et justitia et mansuetudo, illinc vasis belli et iræ, quæ sunt avaritia, perditio, calumnia, convicia, flagella, alapæ, irrisiones, sputa, D corona spinea, lancea, fel, acetum, crux, clavi, et cætera quæ loquitur Evangelium; passionem ex ordine recitemus, et de hortulo isto fasciculum myrrhæ inter ubera nostra, id est in corde conferamus, ut in lectulo Salomonis, myrrha et aloe perfusum Jesum collocemus; et propter timores nocturnos accincti gladiis eumdem lectulum ambiamus.

Dum enim quasi in ægritudine suæ passionis Jesus amicus et Pater et Dominus noster accumbit, nullo modo rationi consentaneum est, ut per vias et plateas cum illusoribus evagemur, sed quasi tristes cum illo qui dicit: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Marc.* XIV, 34); patienti compatiamur, morienti commoriamur, sicut ait Thomas: *Eamus et moriamur cum illo* (*Joan.* XI, 14), ut surgenti con-

resurgamus, regnanti conregnemus : æqua enim sorte his qui cum eo iverunt ad bellum, spolia meritorum distribuet, ut præ participibus quidem, quia plus laboravit, principatum obtineat, et potiori donetur munere qui singulari usus est certaminis passione.

Tres digiti Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tres juncturæ sunt in Patre, illa tria quæ Genesis in creatione rerum assignat, dicens : *Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux ; et vidit Deus lucem quod esset bona* (*Gen.* I, 2) ; et in aliis similiter. In Filio tres æque sunt juncturæ, nativitas Christi, mors et resurrectio. In Spiritu sancto, species columbæ, ignis et linguæ ; vel charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

Simul autem tota Trinitas loquitur : *Faciamus hominem ad imaginem*, etc., id est sacerdotem, ordinatione, potestate, exsecutione, *ad imaginem et similitudinem nostram* (*ibid.* 26), ut imitetur Creatorem, regenerando novum hominem ex aqua et Spiritu sancto, sicut in creatione mundi Spiritus ferebatur super aquas : imitetur Redemptorem nostrum, qui redemit nos sanguine suo, celebrando missam, conficiendo Eucharistiam : imitetur Spiritum, scilicet diligendo Deum supra se, et se post Deum, atque proximum tanquam se ipsum. Quia vero homo semel nascitur, et semel regeneratur, quotidie vero recordando passionem Christi commortificatur, diligenti distinctione inspiciamus quomodo accedant sacerdotes ad hoc sacrificium, quali corde, ore, manu et cæteris sensibus.

Manus enim quibus gestamus Christum in altari, quasi quoddam vehiculum inunctum est, et solidum et tornatile, quo ad Patrem defertur et ad nos refertur sacrosancta illa Eucharistia. Os autem quasi porta sive ostium est quo ad cor ingreditur tanquam ad Sancta sanctorum. Cor vero est tanquam arca ubi urna aurea habens manna, tabulas testamenti, et virgam Aaron. Et sunt ista tria quasi tres digiti, quibus Deus appendit molem terræ, id est sacramenta Ecclesiæ. Visibilia enim elementa, sub specie quorum latet virtus invisibilis, moles terræ non immerito dicitur, hoc enim pondere, nisi virtus fidei mentem elevaret ad diffidentiæ casum, opprimeretur, et tanquam gigas sub aquis gemeret. Lava itaque, o sacerdos, manus inter innocentes, tange labia forcipe de altari sive carbunculo ; omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit, et sic digne appendes molem terræ, id est sacramentum et rem sacramenti.

(89) Novus rex, nova lex, unus idemque mediator Dei et hominum, Homo Christus Jesus, unam eamdemque regulam justitiæ sobrie et temperanter ubique servans, nihil indebitum in forma Dei usurpavit, nihil nisi indebitum in forma servi a Judæis sustinuit. Cum ergo loco debiti honoris et gloriæ, in via de torrente quidquid contumeliæ est et injuriæ, audacia dæmonum simul et malitia Judæorum illi propinasset, gustavit quidem, sed noluit bibere, id est ad tempus excepit per dispensationem assumptæ mortalitatis, sed statim evomuit per gloriam resurrectionis. Mutavit siquidem David vultum coram Abimelec, ita ut salivæ ejus defluerent per barbam, et judicaretur arreptitius. Et Jesus celata virtute divinitatis, saliva barbam abscondit, quia infirmitatem ostentans, per defectus humanæ fragilitatis quod Deus esset in homine, non nisi parvulis suis, id est apostolis ; et quidem opera fecit in eis quæ nemo alius fecit, sed excæcatum erat cor populi illius, sicut ait Isaias : *Excæca cor populi hujus et aures ejus aggrava* (*Isa.* VI, 10).

Offenderunt itaque in lapidem offensionis et petram scandali, cum malleis suis impingentes in illam, et undique cum clamore percutientes atque perfodientes. Sed lapis iste pretiosus, jaspis in passione, smaragdus in morte, topazius in resurrectione, carbunculus in ascensione, de sub pedibus Judæorum translatus est super choros angelorum ; et dominatur non tantum in universa terra, sed in universa creatura cœli et mundi.

Dicit itaque regulare proverbium : Novus rex, nova lex. Rex quidem ab æterno est cum Patre creans et regens universam creaturam. Veniendo autem in regionem longinquam accipere sibi regnum aliud, ut regnet super duo regna angelorum et hominum et faciat unum regnum cœlorum : dum secundum quæreret, primum in latibulis suis reposuit, et quasi sine regno erat, quoniam illud latebat, et hoc nondum ei obtemperabat. Fuit itaque pene in omni malo, in medio Ecclesiæ et Synagogæ, quia Ecclesiam cum dolore passionis parturiebat, et Synagogam dolens amittebat, sicut Jonas cucurbitam sive hederam.

Unde in passione orabat : *Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39), id est non me crucifigat Judæus, sed quilibet alius ; est enim iniquitas apposita super iniquitatem, cum me virum pubertatis suæ occidit et filium gentis suæ. Nam os meum et caro mea est Synagoga, cujus alumna est virgo Maria. Unde Ecclesia non admittitur, nisi Synagoga expellatur, dicitur in Psalmo : *Potum meum*, de incorporatione Ecclesiæ, *cum fletu miscebam* (*Psal.* CI, 10), propulsione Synagogæ. Potum namque bibendo incorporamus, flendo vero lacrymas effundimus.

Cum itaque mali coloni de vinea patris sui filium ejecissent et occidissent, transivit de gente in gentem, et de regno ad populum sive regnum alterum, et ramis bonæ olivæ fractis, insertus est oleaster in bonam olivam, ut ait Apostolus. An Judæorum Deus tantum ? Nonne et gentium ? imo et gentium. *Dominus* itaque *regnavit, exsultet terra*, etc. (*Psal.* XCVI, 1.) Velint nolint Judæi qui dixerunt : *Nos regem non habemus nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). *Dominus*

(89) Novus sermo videtur in mss.

regnavit, *irascantur populi* (*Psal.* XVIII, 1). Rex æternus, ecce factus est rex novus acquirendo regnum novum, non admittendo æternum. *Clarifica me*, inquit rex novus ad Patrem, *claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te* (*Joan.* XVII, 5). Dictum est ei, *et clarificavi, et iterum clarificabo* (*Joan.* XII, 28).

Gratis quidem æternum accepit a Patre regnum, sed novum multo labore et pretio acquisivit. Jacob et multo tempore, et multo labore apud Laban ditatus et dotatus est gregum et familiarum atque uxorum honore et substantia; ita ut cum revertitur dicat: *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior* (*Gen.* XXXII, 10). Quasi diceret: Revertor ad terram meam cœlestem patriam, et ad locum nativitatis meæ, sinum paternum, de cujus substantia ante luciferum genitus sum, cum duabus turmis, utique latrone de supplicio, et Patrum antiquorum grege de inferno. Qui in baculo factus ex muliere, factus sub lege ad convallem lacrymarum descendi vel in baculum crucis transivi humilitatem mortalitatis, et ad Laban qui sese transfigurat in angelum lucis descendi, tulique substantiam ejus, universa scilicet arma, in quibus confidebat, et spolia distribui, vasa contumeliæ illi relinquens, et vasa in honorem ad Patrem mecum referens..... (90).

Corpus Christi speculum est, balneum est, viaticum est, tentorium est, scutum est, propitiatorium est, oraculum est: speculum dicit, attendite et videte: *Exemplum dedi vobis* (*Joan.* XIII, 15). Balneum dicit: *Nisi lavero te non habebis partem mecum* (*ibid.*, 8); et: *Nisi quis regeneratus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III, 5). Viaticum dicit: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41), et: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis* (*ibid.*, 54). Tentorium dicit: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam faciatis* (*Can. miss.*), et: *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* (*Matth.* XXIII, 37.) Scutum dicit: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* (*Joan.* X, 11), et: *Ego vado immolari pro vobis.*

Item Apostolus de speculo: *Ante quorum oculos Christus præscriptus est* (*Gal.* III, 1). Et Moyses: *Et erit vita tua pendens ante oculos tuos* (*Deut.* XXVIII, 66). Et Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XIV, 15). Item Job de balneo. *Petra fundebat in rivos olei* (*Job* XXXIX, 6). Et Sponsa: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* (*Cant.* V, 3.) Et: *Dentes tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV, 2). Jacob de viatico dicit: *Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo et dederit mihi panes*, etc. (*Gen.* XXVIII 20.) Item Psalmista de tentorio: *Extendens cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII, 2). Et: *Extendit manum suam in retribuendo* (*Psal.* LIV, 21). Et: *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam* (*Psal.* CXXXVII, 7), et: *In Idumæam extendisti calceamentum meum* (*Psal.* LIX). Item de scuto Jeremias: *Dedisti eis scutum laborem tuum* (*Thren.* III, 65), et: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis coronasti nos* (*Psal.* V, 13)

SERMO XXXVI.

IN CŒNA DOMINI III.

Melius est vocari ad olera cum charitate quam ad vitulum saginatum cum odio (*Prov.* XV, 17).

Sponsa agni hodie in mandato pedes suos abluit, in mensa carnes agni comedit, in altari chrisma et oleum conficit. In mandato pedes abluuntur; in mensa fercula Salomonis apponuntur; in altari tam regium quam sacerdotale unguentum divinis apparatibus præparatur. Peccata purgantur in mandato, merita comparantur in convivio, præmia redduntur in unguento.

Christus purgat sordes filiarum Sion et sanguinem Jerusalem lavat in mandato, quia tam venialia quam criminalia dimittit in baptismo. Vocat denique ad mensam a mandato, quia dignus est operarius cibo suo, colonus vineæ denario, mercenarius pretio, ut sit beatus qui labores manuum suarum manducaverit in regno Dei. Lætos vero et saginatos Christus a chrismate nuncupatus, tanquam membra sua in reges et sacerdotes consecrat, ut simus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, unde Petrus: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Petr.* II, 9). Separatim tamen de ablutione pedum, seorsim de comestione agni et panis qui de cœlo descendit, et sigillatim de confectione chrismatis et olei, remoto satietatis fastidio, aliqua dicere volumus.

Dicendum ergo prius de mandato et quare talis ablutio pedum, mandatum usualiter ab omnibus dicatur, breviter explicandum. Joannes evangelista, qui ordinem ipsius mandati nobis exposuit, quare etiam sic vocandum esset, explanavit ubi dicit: *Postquam ergo lavit pedes eorum accepit vestimenta sua: et cum recubuisset, iterum dicit eis, scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (*Joan.* XIII, 12). Ecce planum est quare dicatur mandatum, quia videlicet et dicto et exemplo est nobis mandatum. Inde etiam est quod antiphona illa quæ est *Mandatum novum do vobis*, ibi præcinitur ut, secundum illud quod voce et opere agitur, mundetur conscientia nostra ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.

Sed rem ipsam enucleantes, munditiam hujus balnei seu ablutionis, non nudo et vacuo sermone

(90) Hic aliquid videtur deesse.

attrectemus, sed opere et veritate leprosæ animæ nostræ et immundo corpori adhibeamus. Certe, fratres charissimi, aqua ista non est sicut Abœna et Farfar fluvii Damasci, quæ Naamam leprosum nunquam sanare potuerunt ; non est sicut aqua Ægypti, quæ in sanguinem versa est propter induratum cor Pharaonis ; non est sicut steriles aquæ Jericho, quæ ante adventum veri Elisæi, odibilem illum locum reddebant ; non est sicut aqua de Mara, quam filii Israel bibere non poterant.

Est autem aqua benedictionis, est aqua Siloe quæ cum silentio vadit ; est aqua de petra, quam interrupit Moyses in eremo, percutiens bis silicem, et adaquavit homines et jumenta. Est aqua super quam fertur Spiritus Domini. Est aqua Jordanis in qua Christus a Joanne baptizatur. Quid plura ? aqua baptismatis est, aqua de latere Christi est. Bone Jesu, non erat aqua de qua pedes nostros ablueres, nisi eam de sacris visceribus tuis lanceato latere emanares ? Bone Jesu, quid nobis et tibi, ut pedes nostros ablueres, ut vestimenta poneres, et linteo te præcingeres, ut te inclinans in terram, sanctum illum verticem quem angeli desiderant aspicere, pedibus discipulorum, imo proditoris tui substerneres ? Bone Jesu, super cherubim residens solo verbo purgationem peccatorum facere posses, sed parum in hoc duram cervicem nostram emollires, si quasi sine labore et impensa præstita, vicem obsequii reposceres.

Fratres charissimi, non sustineamus diu ad pedes nostros Jesum prostratum jacere, sed cito mundati acquiescentes elevemus ipsum reverentia qua debemus. Quid enim, an non videtis Jesum quærere pedes nostros, tenere, rigare, abluere, fricare, tergere et inungere ? Si non vides, saltem audi ad pedes tuos jacentem et dicentem : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates, et peccatorum tuorum non recordabor amplius* (*Isa.* XLIII, 25). Certe vox ista, vox Christi est. An loquelam ejus non cognoscitis ? Certe loquela sua manifestum eum facit. Mariæ Magdalenæ dicit : *Remittuntur tibi peccata tua* (*Luc.* VII, 48). Adulteræ in adulterio deprehensæ dicit : *Ubi sunt qui te accusabant ? Nemo te condemnavit ? At illa : Nemo, Domine. Nec ego te, inquit, condemnabo* (*Joan.* VIII, 10). Paralytico ait : *Fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX, 2). Fratres, hodie, si vocem istam audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ego sum, clamat, ego sum, ut si ad primam vocem non excitaris, vel ad secundam expergiscaris. Ego sum Creator, ego sum Redemptor. Si quia te creavi non me audis vel agnoscis, saltem quia redemi, non asperneris me Patrem recognoscere, quia cognovit bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit. *Ego sum, ego sum*, inquit, *ipse qui deleo iniquitates tuas* (*Isa.* XLIII, 25). *Dele, dele iniquitatem meam* (*Psal.* IV, 3), faciesne ita ? Plane, inquit, faciam *et excoquam ad purum scoriam tuam* (*Isa.* I, 25).

Tria certe genera emundationum sunt, quorum aliud fit per ablutionem, aliud per emissionem, tertium per excoctionem. Lavantur recentia et minora, delentur vetustiora et duriora, excoquuntur fortiora et aliter invincibilia. Lavantur aqua vitia quæ contraximus de corruptione reatus primi parentis, id est fomes peccati. Delentur ferro passiones peccatorum quæ per legem operantur in membris nostris. Excoquuntur igne consuetudines pessimæ abominationis quæ velut cicatrices putruerunt et possederunt nos in regno mortis. Omnia ista mundantur in mandato isto, si fides aquam exhibuerit, si spes pelvim supposuerit, si charitas aquam calefecerit, et multitudinem peccatorum per manutergium operuerit. Adhuc plura de mandato superessent dicenda, nisi vocaret nos cœna.

Sed quid dicam de cœna ista, cum me stupor apprehendat recogitantem quid in ea factum sit, et attendentem quid in ea faciendum sit ? Si regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordinem ministrantium vestesque eorum et pincernas, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, ultra non habebat spiritum : quid ego tantillus ad tanta, elinguis ad ineffabilia, rudis ad æterna, insensatus ad superexcedentia, terrenus ad cœlestia, immundus labiis et toto corpore ad Sancta sanctorum, ad ea quæ sole clariora, luna pulchriora, astris sunt mundiora ? Lingua ergo Pauli, in quo loquitur Christus, loquar ad vos de cœna Domini ; lingua Isaiæ, cujus labia mundavit Angelus Domini tangens ea forcipe altaris, non mea quæ est immunda, quæ est implicata, quia impeditioris et tardioris linguæ factus sum, ex quo aperui os meum tractare de his quæ apponuntur in mensa divitis.

Dic, Paule, dic de pane et calice hujus mensæ quid tibi videatur ? *Ego*, inquit, *accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in nocte qua tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, etc. (*I Cor.* II, 23.) Quid ergo, Paule, tibi videtur, bonus enim homo es ; quid, inquam, tibi videtur de comestione hujus panis et bibitione hujus calicis ? Estne utile omni Christiano semper et ubique et quocunque modo accedere ad mensam istam ?

Multiplici quæstioni multiplex debetur responsio. Omni quidem Christiano utilis et necessarius est cibus Dominicæ mensæ qui vocatur Eucharistia, sed sub conditione, sed in loco, sed in tempore, sed in modo. Locus est Ecclesia consecrata. Tempus ante omnem cibum vel potum. De modo multiplex fit subdivisio. Ad modum pertinet habitus animæ congruus, sicut in Evangelio ejicitur ille qui intraverat

non cum veste nuptiali, id est sine dilectione Dei et proximi. Ad modum pertinet qualitas mentis accedentis ad Eucharistiam.

De conditione est ut sit regeneratus in libertate spiritus. De loco Moyses, ut in domo una, id est in unitate Ecclesiæ. De tempore, ut prius probet se homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Utrum sit pœnitens an impœnitens, utrum pœnitentiam inchoaverit, an non; utrum cum reverentia accedat, an procaciter se ingerat, non dijudicans corpus Domini; utrum sacramentum, an rem sacramenti accipere se credat. Ad modum pertinet, ut castus, ut devotus, ut timoratus, ut compunctus accedas. Admodum pertinet, ut veraciter credas corpus verum et sanguinem Christi esse in altari sub specie visibili, nec esse illam speciem corporis vel sanguinis Christi qui ibi est invisibiliter, sed panis materialis et vini, quæ ibi non sunt substantialiter.

Discute ergo intra te conscientiam tuam, et si mortalia peccata vel non fuerunt in te, vel deleta sunt per confessionem et pœnitentiam, securus de misericordia, pavidus de conscientia, accede ad cœnam Agni, et agnus factus Agnum comede, non sicut lupus, sed sicut agnus. Judas enim sicut lupus Agnum devorat, sed crepuit medius, tenebris non comprehendentibus lucem, sed evanescentibus. Petrus agnum comedit, et sanguine ejus utrumque postem liniens, exterminatorem Angelum a se exterminavit. Et hæc de cœna non ad satietatem, sed prælibationem cibi salutaris dicta sunt.

Restat de unctione chrismatis et olei. Sed chrismate reges, pontifices, sacerdotes inunguntur. Regere ergo terram suam et populum suum debet qui inunctus est, ut imperet, non serviat desideriis carnis. Unde Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12). Pontificali etiam auctoritate anathematizare debemus quæcunque vitia in nobis legi Dei non sunt subjecta. Sacerdotali quoque administratione omnia debemus probare, et quod bonum est tenere, sicut sacerdotes in Veteri Testamento decernebant, qui mundi essent vel immundi, quæ lepra et quæ non lepra.

Sed, quia hæc discretio spirituum non omnibus datur, nec illa potestas pontificalis, calcandi super serpentes et scorpiones, nec illa regalis libertas justitiæ ut nemini serviamus unquam, videlicet semper existentes immunes ab omni crimine; consecratur oleum infirmorum, ut nullis obstupefacti peccatorum infirmitatibus, discrimine desperationis absorbeamur. Semper enim de misericordia Dei sperandum, semper ad oleum revertendum est. Fili olei Jesu, da nobis peccatoribus oleum indulgentiarum; da sanctis chrisma virtutum; da convivatoribus tuis Agnum redemptionis; da in mandato tuo residentibus absolutionem peccatorum; qui vivis et regnas.

SERMO XXXVII.

IN CŒNA DOMINI IV.

Non mirum si suaviter omnia disponit, qui in conceptione sicut pluvia in vellus descendit, in conversatione sine peccato, et prædicatione sine mendacio, oleo gratiæ vasa misericordiæ implevit. Cujus nomen oleum effusum, in passione sicut agnus non aperuit os suum, in resurrectione Petro negatori suo primas salutes mandavit, in ascensione omnibus communiter apostolis benedixit. Hæc sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, quia ut gigas ad currendam viam incarnationis suæ, exsultavit, ubi: *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII, 7).

O Domine, *omnia a te exspectant*, etc. (*Psal.* CIII, 27.) Exspectat Pater antiquus ille dierum, holocaustum et sacrificium assumpti a Verbo corporis, pro redemptione generis humani, tanquam duos hædos optimos Rebeccæ, id est gratiæ, manibus præparatos, sicut noverat velle patrem. Exspectat Angelus placatam Jesu videre faciem, in quam desiderat prospicere, prodigi filii nequaquam invidens reparationi, quinimo consilium Dei sustinens, mortem Regis et Domini sui, spe salutis humanæ considerat, nec vindicat.

Panem igitur illum de duabus decimis, id est divina et humana compactum natura, triduana decoctione, id est cruce, monumento et inferno aliatum triduo sustinent, videlicet a peccato Adæ, id est ante legem, sub lege et tempore gratiæ, usque ad ascensionem Domini. Sed ille famelicus qui non poterat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, eo quod vitia potius naturam destruant quam restituant, vitulum saginatum exspectabat, cujus cornibus inimicos ventilaret, et corio pedes calcearet, carne famem satiaret, adipe et pinguedine dolores temperaret, sanguine captivitatem redimeret, intestinis interiorem munditiam compararet, pedibus ad patriam repedaret, capite in interiora velaminis contemplationem attolleret. *Omnia ergo a te exspectant, ut des illis escam in tempore.*

Quid est omnia? nunquid draco? nunquid animalia pusilla cum magnis? nunquid reptilia? Equidem et ipsa. Nam, ut litteram breviter tangamus, omnem creaturam suam pascit Deus. Mystice vero, et diabolus habuit fiduciam quod influeret Jordanis in os ejus, quia morte perpetua putavit Christum detinendum, quem purum hominem autumabat et Deum prorsus ignorabat. A Judaica voracitate leo rugiens accucurrit, ut illum devoraret, cum Judam sibi sociavit, cum Scribas et Pharisæos in invidiam excitavit, cum in vaccis populorum, mugitum clamoris: *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 11) immisit.

O fera pessima! o crimen extentissimi ventris! o inferne! o diabole! o mors! quid vobis cum Agno nostro? Si saperetis, non attrectaretis. Si intelligeretis, ab eo abstineretis. Mollissima quidem et sapidissima caro ejus; si digne a dignis sumatur; ænea, ignea et lapidea, si labiis immundis et conscientia corrupta contingatur, ita ut molas leonum confringat, et anima dilacerata judicium mortis præsumptoribus inferat. Cæcitas quidem ex parte contigit

in Israel qui non cognovit Dominum suum, in te autem, diabole, posuit Deus tenebras ne cognosceres; et facta est nox ut occideres. O voracissime, venenum tuum non vincit antidotum nostrum, quin potius putrida malitia tua evanescit, si radios suos detexerit potentissima sapientia.

Devorat itaque bellua Jonam, ut plusquam Jonas secum extrahat divitias sanctorum, quas includebat illa cruentissima infernalis sanguisuga, et paradiso novas inferat escas de captura quam in arcu et pharetra venatu apprehenderat primogenitus mortuorum et Princeps regum terræ Jesus. *Omnia a te exspectant*, etc. Suscipit aer pendentem in cruce, excipit terra depositum in monumento; infernus contremiscit evertentem omnia et quærentem drachmam suam in lacu in quo non est aqua; cœlum ascendenti inclinat cacumen suum, et in sede præparata ab æterno cum jubilatione recipit. Sic omnia reficit. *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore.*

Nil in fide Christianorum majus vel melius quam hoc cum omni veneratione recolendum sacramentum Dominici corporis et sanguinis, quod ab universali Ecclesia studiosissima religione hodie celebratur et sumitur. Seorsum itaque et sursum coquinam ubi esca paretur, constitue; mensam quoque præclarissimam, ubi angelica ministeria non dedignentur adesse, appone: sit autem coquina omnium sensuum et actuum nostrorum in divinis intenta officiis administratio. Sit mensa omnium affectionum et desideriorum ad Deum levata contemplatio. Sudandum est profecto in coquina, et edendum de sudoribus in mensa. Sic enim scriptum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III, 18). Habet tamen alium laborem panis, et alias utique in agro, molendino, pistrino, clibano, alium et alias caro et cætera fercula, scilicet in coquina.

Animadverte quia si agnus ad coquinam deferatur, excoriatur, vel elixatur vel assatur. Si avis, explumatur; si piscis, exenteratur. Abel agnum obtulit. Abraham turturem et columbam. Puer Tobiæ piscem exenteravit. Sed quia pluribus intentus minor est ad singula sensus; escam non escas, ait Psalmista, *omnia a te exspectant, Domine.* Una est enim hostia, una esca, unus Dominus, una fides, unus panis, unum corpus. Christus est hostia, Christus esca, Christus agnus, Christus turtur et columba, Christus piscis. Columba de Spiritu sancto conceptus, turtur quia Ecclesiæ unicus sponsus; Agnus, quia innocens occisus; piscis, quia primus de mari resurgendo ascendit, et in ore suo didrachmum Evangelii quadripertiti habuit.

Ubi, fratres mei, ligna quæ sufficiant ad coquendum; ubi aqua ad abluendum, ubi veru ad sustinendum; ubi labia, dentes, palatum, guttur et stomachus ad percipiendum? Digna esca, digna et munda exigit receptacula, dignam mentem, dignam animam, dignam conscientiam. Non habitat in corpore subdito peccatis. Si rubigo assueti peccati detracta non fuerit per confessionem et correptionem, non intrabit coquinam; si molle lutum et palúdem coinquinatæ vitæ invenerit, pedem retrahit; si paliurum vel spinam iræ et odii offenderit, sicut cum gustasset acetum noluit bibere, sic relicta coquina illa faciem ab ea avertit et recedit; si folia pulchra sine fructu viderit, hypocrisim et simulationem maledicit.

Vadam ad montem myrrhæ et *ad collem thuris* (*Cant.* IV, 6). Sponso Ecclesiæ Christo quam grata sint myrrha et thus, et in nativitate ipsius et in morte ostenditur. Nam magi qui aurum detulerunt, simul myrrham et thus nato puero obtulerunt. Joseph autem et Nicodemus deposito de cruce corpore Dominico, myrrha et aloe unxerunt. Veniens itaque ad nos et ad patrem rediens, ad montem myrrhæ et ad collem thuris se ire loquitur sponsus. *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ et ad collem thuris.* Revera, montem myrrhæ se Domino exhibuit mundus, quia in mundo venit et sui eum non receperunt; sed dictis et factis omnia amara in eum congesserunt. Quid enim ei non myrrhatum propinaverunt, cui toto tempore dispensationis de loco ad locum, illum propellendo, nec ad manendum hospitium præbuerunt? Quid amaritudini myrrhæ addere potuerunt quando Jesum crucifixerunt, et in eadem cruce sitienti vinum myrrhatum porrexerunt?

Sed tu, Jesu, a monte myrrhæ quo vadis? Utique ad collem thuris. *Ego autem*, inquit, *orabam* (*Psal.* CVIII, 4); *Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Sic Jesus simul ascendit ad montem myrrhæ et ad collem thuris, quia et patitur et pro persecutoribus precatur. Plus quam satis equidem amarus fuisset divinitati complexus humanitatis, nisi præmissa gratia nativum corrigeret saporem et unionis unctio omnem de carne venientem leniret asperitatem. Culpam siquidem præfocavit, sed pœnam non exterminavit. Unde: *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx ejus non est exinanita*, etc. (*Psal.* LXXIV, 8.) Et: *Dolores nostros ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Cum ergo ad humanam naturam verbum accessit, ad montem myrrhæ venit.

Rursum cum Jerosolymam passurus ascenderet dicens: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum*, etc. (*Matth.* XX, 18), ad montem myrrhæ ascendit. Ibi humana et diabolica eatenus se exeussit sævitia, ut fines nullos faceret, sed secundum suam sententiam res procederet. Ex occulta enim abysso malitiæ immissiones diabolicæ toto flatu et impetu admotæ, corda et ora Judæorum usque ad diruptionem inflabant, et in Dei Filio tam turpia quam crudelia compluebant. Unde in Psalmo loquitur: *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me* (*Psal.* LXXXVII, 17). Ecce proditio, venditio, manus injectio, corvina osculatio, flagellatio, colaphizatio, irrisio, blasphematio, falsa accusatio, sputorum ex-

ceptio, crucis affixio, aceti oblatio, capitum commotio, et quorumlibet pessimorum excogitata adinventio. Jesum tenent, Jesum obsident, Jesum tanquam scabellum pedum suorum premunt et possident.

Tu vero qui ad hoc ad montem myrrhæ venisti, quid agis? quid facis? *Messui*, inquit, *myrrham meam cum aromatibus meis* (*Cant.* v, 1). Plurimam segetem in passione mea messui, quia exinde mundum redemi et ad palatia mea, passionis meæ cultores et imitatores innumerabiles reportavi. Sequuntur autem eum qui sunt ex parte ejus, videlicet sancti martyres et confessores. Quorum hodie solemnes visitans epulas, sibi ac Patri ac Spiritui sancto loquitur, dicens : *Vadam ad montem myrrhæ*, etc. Nil enim sine Jesu festivum, nil in omnibus conventiculis sanctorum memorabile, aut egregium. Sicut enim corpus sine capite, truncus jacet, sic Ecclesia nisi Christo cohæreat, nusquam et nunquam gaudet. Tanquam igitur hastilia stipite hærent in candelabro, sic diversorum graduum, officiorum et ordinum fideles ; hic fide, illic re concorporantur Christo capiti suo. Nihil autem myrrhatæ amaritudinis, quæ prima abiit, sancti ad cœlum secum detulerunt, sed tantum odorem suavitatis, sed fructum immortalitatis.

Quærat vero unusquisque scalam ascensoriam ad montem myrrhæ, quia fetor et putredo jam mundi fines impleverunt, et columba de arca Noe emissa, extra non quiescens obsidionem corruptionis, sæculum ambire renuntians, puritatem internam e vestigio repetit, et intrare in gaudium Domini sui quærit. Horum, fratres charissimi, solemnitas hodie a nobis recolitur, horum merita et præmia a fidelibus celebrantur. Non abhorreamus itinera eorum quanquam myrrhata, quia momentaneum et leve tribulationis nostræ operatur supra modum æternæ gloriæ pondus in nobis.

Veteres itaque et cruentatos panes martyrii eorum assumamus, et tunicam Joseph intinctam sanguine hædi nobis aptemus. *Oportebat*, inquit Evangelium, *Christum pati et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* XXIV, 26) ; et Apostolus : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 22). Petrosa quidem et spinosa est via, sed ab his absoluta patria. Grata etiam magis quies est post laborem, et quo amplius ad lectum fatigatus veneris, eo indulgentius quiescis. Non reputemus grave et grande dispendium præsentem laborem, quia cito relevabitur compendio perventionis. Audi exploratorem felicitatis futuræ et contemplatorem instantis pœnæ, quam nihili pendat præsentia dum attendit æterna. *Quoniam*, inquit, *mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit* (*Psal.* LXXXIX, 4).

Mentis bonæ radicem nil fortius a terra evellit, quam consideratio hujus laboriosæ instabilitatis, et

A nunquam commutanda sors quam assignabit sententia futuri examinis. Dubitabilis et incomparabiliter formidabilis continuatio duarum extremitatum, id est vitæ præsentis et futuræ. Mediator autem qui ambages et veteres interruptiones Dei et hominis solvere venit, et actiones nostras adversus malignum innovare et perpetuare, pœnitentia interveniente, in hodierno evangelio quibus privilegiis, et quibus in integrum restitutionibus antecessores nostri hæreditatem immarcescibilem conservatam in cœlis recuperaverunt, ostendit, dicens : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, etc. (*Matth.* v, 3.) Cavendes itaque fastidium prolixitatis, quam breviter possumus utilitatem morum exinde mutuamus.... (91).

B In primo cornu agni scribendo nomina nostra, in libro vitæ vocat gratia Dei oves suas nominatim. In secundo, mittit discipulos sicut agnos in medio luporum, ut patientia sua vincant hostilem malitiam. In tertio, jam non habent colluctationem contra carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, spiritualia nequitiæ in cœlestibus ventilant cornu. In quarto fit propitiatio animarum per sanguinem Christi. In quinto, aratra Evangelii per auditorum arva sulcando et seminando Verbum Dei trahuntur. In sexto, sacerdotale, in septimo, regale officium initiatur et sanctificatur. Non inconvenienter et septem cornua, septem illa remunerationis et beatitudinis itinera sunt ; videlicet paupertas spiritus, mansuetudo, luctus, esuries et sitis C justitiæ, misericordia, munditia cordis et pax. Oculi vero agni sunt his exercitationibus cooperatoria charismata seu præmia repromissa, id est regnum cœlorum, possessio terræ, consolatio, saturatio, misericordiæ recompensatio, visio Dei et filiatio. Hi sunt etiam dentes de quibus dicitur : *Dentes tui sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV, 2). Masticatis enim passione, vel mortificatione sanctis, ad sui stomachi secretiora trajicit, et occultorum suorum conscios efficit, quia abscondit eos a conturbatione hominum. O sancti, o beati, o electi Dei visceribus ejus connumerandi, exhalationes sacras et emissiones purissimas respergite famelicis vestris ; quia in id ipsum refluxiones D gratiarum vobis continuabuntur, nec copia deerit, ubi venas gratiæ nulla avaritia claudit. Lazarus noster ante fores vestras nudus, mendicus, ulcerosus, famelicus jacet exspectans micas, præstolans reliquias de plenitudine mensæ, de stillicidiis fecundissimæ cœnæ. Operite nudum justitia, et carnem vestram ne despexeritis. Pro miseria, mendico ferte opem, ulceroso apponite medicamen, famelico porrigite panem et exsuli de reditu solamen ; deliciæ vestræ, nec desunt advenientibus, nec superfluunt abeuntibus. Eo regulariter moderatione regio vestra dispensatur, ut sicut prædestinationi nihil minuitur, sic nihil superaddatur. Nondum

(91) Deest aliquid.

impletus est numerus fratrum vestrorum, de quorum germanitate, etsi pro incerto sortis nostræ non præsumimus, tamen ut compatriotas nos admittatis humiliter optamus. Ad Patrem igitur vestrum et Patrem nostrum oculos elevantes, totis medullis, clamamus : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam* (*Luc.* XVI, 24) de cisternis Bethlemiticis vel de fontibus] Salvatoris, et refrigeret flammam nostram qua cruciamur. Passionibus namque et tentationibus carnis accensi, diabolicis sufflatoriis urimur, et pene nemo est qui se abscondat ab incendio isto. Quasi ergo terris erutus de igne et quasi facies ollæ combustæ, nos Ethiopes manus Dei prævenientes coram illo procumbimus, spem de Psalmo habentes in quo veraciter dicitur : *Ecce* B *alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic* (*Psal.* LXXXVI, 4), si apud vos non est locus impatientiæ, neque verecundiæ. Maria Magdalena, Matthæus publicanus, Paulus blasphemus, latro in cruce, nonne de hoc genere aliquando fuerunt : hæc autem spes in sinu nostro est, quod os putei tantarum misericordiarum et potentiarum nondum clausum est; adhuc plures absorbet, et quos absorbuerit super nivem dealbat, et massæ candidatorum agglutinat.

SERMO XXXVIII.

IN CŒNA DOMINI V.

Fili hominis, etc. (*Ezech.* III, 3.)

Mensa Domini dives et magna omnes recipit, et C quantum ad se omnes reficit. Clamat enim Dominus mensæ, dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Qui laboratis non in saturitate pro terrenis honoribus et divitiis, et onerati estis, postquam acquisieritis; venite ad me Deum et ad doctrinam Dei, et ego vos reficiam, non pane illo desiderabili de quo Daniel : *Et panem desiderabilem non comedi* (*Dan.* X, 3); sed pane vivo qui de cœlo descendit. Reficiam sicut Eliam, ne in via deficiatis. Sacramenti cortice operto corpore sancto Christi, in via reficiam, manifestata visione et revelatione, perficiam in patria; hic enim reficiendi per fidem ambulamus, ibi perficiendi, facie ad faciem Deum videbimus.

Ad hanc refectionem quia intus quasi inclusa D latet virtus et veritas sanctæ Eucharistiæ passim accurrant et boni et mali. Aliquando festivius et sæpius mali quam boni, semper autem etsi tardius boni devotione pleniori quam mali. Contemplor et comploro, non solum spiritales, sed animales et carnales, sese ad mensam Domini ingerere. Sedet ad mensam Domini homo spiritualis cum apostolis, nec in fide nec in sorte dissimilis. Hic pascit, hic cubat in meridie habens statum quietis juxta mensam refectionis, dicens cum Petro : *Domine, bonum est hic* me *esse* (*Matth.* XV, 4), ut sit læva tua sub capite meo, lucra sæculi tanquam stercora contemnenti; et dextera tua, in qua est calix benedictionis, amplexetur me.

Quid animalis? Tanquam canis in circuitu mensæ A oblatrat, dicens : *Durus est hic sermo : quis potest eum audire?* (*Joan.* VI, 60) hic accipit corpus Domini de mensa, sed non percipit. Non enim animalis homo percipit quæ Dei sunt; perciperet, si ad salutem acciperet. Ad salutem acciperet, si cum fide et devotione accederet. Sed disputat quomodo hoc fiat. Quot namque scrupulos vel sibi objicit vel solvit, tot et plura sunt in sanctuario Dei quæ non intelligentur nisi in novissimis. Animalis est frater ille senior in agro, qui non intrat ad epulandum vitulum saginatum, quem pater revertenti prodigo immolaverat, disputat et murmurat non posse fieri, de pane corpus Christi, cum potuerit totus mundus de nihilo fieri; canis est.

Quid carnalis? musca est, musca canina. Quid facit musca in mensa? Inquietat, contaminat, perdit suavitatem unguenti. Leves, instabiles, murmuratores, curiosi, sunt muscæ. Si contigerit muscam calicem intrasse et corpus Domini in manibus tuis tetigisse, valde, ut dignum est, doles et irasceris. Cur ergo, ne sis ipse musca, te non corrigis? Vide actus tuos, si murmuras, in hoc es musca, quia ipsa murmurat. Si alios inquietas musca es, quia inquietat. Si instabilis es, musca es, quia nunquam aut vix in uno loco stat. Si astutia tua corrumpis alicujus simplicitatem, musca es, quia quod tangit, corrumpit. Abraham abigebat muscas ne contaminarent sacrificium suum quod Deo offerebat. Utinam non sicut sunt modo muscæ alatæ, sic non essent qui mensam Dei, infidelitate aut turpi conversatione infestarent. Apocalypsis (XXII, 15) ejicit canes dicens : *Foris canes, venefici, impudici, homicidæ, idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.*

His ejectis redeamus ad filium hominis, id est ad spiritalem hominem : *Fili hominis, venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur volumine isto quod ego do tibi, et comedi illud : et factum est in ore meo sicut mel dulce* (*Ezech.* III, 3). Ut ait Salomon : *Est cibus cibo melior* (*Eccli.* XXXVI, 20); est cibus gulæ, est cibus animæ; est cibus ventris, est cibus mentis; est cibus corruptibilis, est cibus incorruptibilis. Est cibus qui gustatus affert mortem, est cibus qui manducatus confert vitam. In paradiso suadet serpens comedere lignum scientiæ boni et mali. In cœnaculo grandi strato, post carnes veteris agni, tradit Jesus apostolis sacramenta corporis et sanguinis sui. Opponit itaque Dominus lignum ligno, cibum cibo. Hodie in cœna cibum, cras in cruce lignum. In cibo sumitur, in ligno crucifigitur. In cibo refectio accipitur, in ligno pretium redemptionis, solvitur. Eucharistia appellatur cibus; lignum, sancta crux.

Mira conversio in cibo. ubi de pane corpus Domini conficitur, de vino sanguis. Dura passio ubi clavis tenerrimum et castissimum corpus Dominicum configitur, et latus continens pretiosissimum thesaurum lancea militis aperitur. O Domine, qui

pascis me de tuo et de te, quid rependam nisi mea et me. O Domine, qui me redimis non auro et argento, sed sanguine et corpore tuo, quid retribuam nisi carnem et animam? Si me appendo totum in statera crucis juxta te totum, quæ vicissitudo recompensationis, quæ comparatio tantilli et tanti? Quid vilissimus vermiculus in mensa Domini?

Sed habet Dominus non unam tantum mensam, sed multas. Quot sunt diversitates animalium mobilium et sese moventium; tot varietates sub cœlo Dominicarum mensarum. Pascit namque Deus singula in genere suo et secundum genus suum; sua majestate gloriosa et glorificata in cœlo pascit angelos sanctos, pascit et beatas justorum animas. Pascit quoque in terra bonos et malos, qui facit suum solem oriri super bonos et malos, pane materiali secundum corporalem refectionem utrosque, secundum spiritalem alteros, id est bonos tantum. De hac igitur refectione qui dat escam pullis corvorum, loquitur Deus ad prophetam : *Fili hominis, venter tuus comedet, viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi.* De hoc volumine paulo superius ait : *Et vidi, et ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber, et expandit illum coram me qui erat scriptus intus et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen et væ, et dixit ad me : Fili hominis, quodcunque inveneris comede* (*Ezech.* II, 9).

Liber manumissus ad prophetam, sacra et evangelica Scriptura est, quæ quasi involuta ante passionem Domini, in cœna ejus expansa et expensa in cruce tanquam in mensa, et tam sacramentale a nobis, quam et ipsum corpus a Judæis passibile hodie et cras supponitur. Quatuor evangelistæ extendunt et expandunt pallam istam manifesta narratione, quibus verbis panem in corpus, et vinum in sanguinem suum sanctificaverit scribendo, quibusque crucifixoribus in cruce appensus sit. Manus Dei est ipsa operatio qua operatus est salutem in medio terræ, salutem vitæ in cibo, salutem libertatis in pretio. Si alterum deesset, opus divinum non esset. Si enim reficeret et captivum non liberaret, prorsus post cibum lacrymas non tergeret. Quid enim est ancilla satietas? Imo captiva magis stimulat satietas, plus siquidem dolet de captivitate, quam gaudeat de refectione. Rursum si redimeret, nec redemptum pasceret; utique esuriens sicut Israel in deserto eductus de Ægypto murmuraret. Neutrum itaque defuit, ubi et panis adfuit de cœlo, et de Jesu salvatio.

Scriptæ sunt tamen in libro isto lamentationes et carmen et væ. Lamentationes, in passione; carmen, id est alleluia in resurrectione; væ in proditoris condemnatione. Mulieres lamentabantur, Angelus carmen vultu et stola cantabat, dicens mulieribus : *Nolite timere, scio enim quod Jesum quæritis crucifixum, surrexit non est hic* (*Marc.* XVI, 6); hoc carmen, hoc canticum novum scriptum est in Evangelio. Sed ubi væ? Judas pœnitentia ductus pecuniam retulit, et abiens laqueo se suspendit. Væ ei : *Melius illi esset, si non esset natus homo ille* (*Matth.* XXVI, 24). Effusa sunt viscera ejus. O Juda, ubi est bucella quam de manu Domini acceperas? ut in Job legitur de impio : *Divitias quas devoraveras extraxit Deus de ventre tuo* (*Job* XX, 15). Indigna enim interiora tua ubi Satanas post buccellam introivit, retinere cœlestia Dominici corporis sacramenta nequiverunt. Prophetæ autem dicitur : *Viscera tua replebuntur volumine isto, quod ego do tibi.*

Corpus Christi in panis specie apostolis datum, et usque ad finem sæculi, in altari consecrandum, volumen, est sive liber involutus; nam non apparet quod est, et quod apparet non est. Scriptus est intus et foris : foris est sacramentum visibile, intus virtus et veritas invisibilis. Lege quod foris est, crede quod intus est. Scriptæ sunt lamentationes ut pœnitens doleat; carmen, ut justus gaudeat; væ ut qui in sordibus est sordescat adhuc, judicium enim sibi manducat et bibit, qui indigne accipit. Viscera vero ejus replebuntur, qui habet viscera pietatis, castitatis et charitatis. In tali lectulo, requiescit Salemon.

Fili hominis, comede Filium hominis. Iste Filius hominis non occiditur et comeditur. Sed prius in cœna comeditur et deinde in passione crucifigitur. Eucharistia communio est, non crucifixio. Nam vivus non communicat mortuo, nec mortuus vivo, sed vivus vivo, et mortuus mortuo, hoc est si compatimur et conregnabimus. Si commortui sumus cum Christo, credimus quia simul vivemus cum ipso. Si ergo vivimus vita Christi bene illi communicamus, qui surgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). Recte communicat filius hominis filio hominis, si conversatione, si passione, si resurrectione communicat. Conversatione per omnia sobria et sancta; passione humillima et patientissima; resurrectione formosissima et firmissima, unde Psalmista : *Dominus regnavit decorem induit, induit Dominus fortitudinem et præcinxit se virtute* (*Psal.* XCII, 1).

Fili hominis, venter tuus comedet, hoc contra usum loquendi, quia comedere librum involutum sive volumen, supra usum est comedendi; legere enim solemus volumina, non comedere, et os non venter comedit. Quid est igitur, *venter tuus comedet et viscera tua replebuntur volumine quod ego do tibi?* Mente non ventre, fide non dente, operibus non fauci bus ad salutem sumitur Christus, intus enim scriptus est liber. Sed. quia et foris, manus nostras et labia et dentes et fauces in lutere quod [*l.* qui] est ad ostium tabernaculi, plenum aqua tam corporaliter quam spiritualiter abluere debemus. Monumentum et sepulcrum Jesu mundum est, novum est. Omnem injuriam excipit Christus, sed nullam immunditiam. Si opponis quod expuerunt in faciem ejus et velaverunt; sc illo sputo contaminaverunt non Jesum; nam caro ejus non vidit corruptionem, neque in actu neque in obitu.

Sit ergo venter mundus, ciborum parcus, sit mensa pura, abstinentia vitiorum. Sit venter strictus non effusus, sit esuriens escam, non ministrans luxuriam, sit cibaria ministris suis dispensans, non ad illicita superfluus inflammans. Tales sunt ventres prophetarum, tales sanctorum omnium. Unde dicitur : *Venter tuus comedet, et viscera tua replebuntur*, quia non sunt veteres utres, qui rumpuntur cum novum in eis mittitur vinum. Inde Psalmista : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII, 6). Sequitur : *Et comedi illud, et factum est in ore meo tanquam mel dulce* (*Ezech.* III, 3). Eucharistia dulcis super mel et favum ori meo. Lætum, securum, magis acutum reddit me hostia sancta, hostia pura, hostia immaculata, quoties a me percepta fuerit. Dico Domino meo Jesu : *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII, 4), per corpus et sanguinem tuum. Utinam in hac perceptione prægustarem quam suavis Dominus in regno, qui tam dulcis in exsilio, Jesus Christus Dominus noster ; qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

SERMO XXXIX.

IN CŒNA DOMINI VI.

Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII, 25).

Quis sit panis angelorum, ubi sit, quomodo manducandus, quando, et ubi, et a quibus et quare, videndum : et dicendum est, quis sit panis angelorum quem manducat homo. Labia dolosi refugit, sensum erroneum atque immundum aspernatur, sed non spiritum humilem et quietum, et trementem sermones ejus. Corde itaque vero, corpore casto, manu sancta, lingua purgata, et tangere et comedere possumus illum panem, qui ex duabus decimis confectus est homo Deus, ex divina scilicet natura et humana, in virgine de Spiritu sancto conceptus et natus, mediator Dei et hominum factus.

Mulier namque illa de Evangelio, id est ipsa sapientia Dei, sive virgo Maria, fermentum satis tribus commiscuit, hoc est ligatura unionis, divinitatem, animam et carnem inseparabiliter copulavit, sapientia, operatione ; virgo conceptione. Pistor hujus panis est Spiritus sanctus qui purissimum panem Jesum Christum de integra et tota Trinitatis substantia tanquam simila prima, et de purissimis et sanctissimis virginis sanguinibus superpurgatis, non cribro humani ingenii, aut meriti ; sed superveniente obumbratione Spiritus sancti, miscuit, univit, in habitu et forma hominis formavit, coxit et de clibano salvis signaculis virginitatis, extraxit, mensæ angelicæ delicatissimas delicias apposuit, humanæ etiam infirmitati efficacissimam medicinam temperavit.

Gustato eo miratur palatum angelicum dicens : *Quis est iste Rex gloriæ?* (*Psal.* XXIII, 8) humanum autem valde famelicum, delectatur sapore et satiatur virtute, sanatur ab ægritudine, et incorporatur dilectione, et sic panem angelorum manducavit homo. Ubi vero est ? aut sursum aut deorsum, aut juxta vos ; si sursum, ascendendum ; si deorsum, descendendum ; si juxta sed latens, investigandus ; si juxta sed apparens, apprehendendus et comedendus.

Est autem simul sursum, deorsum, et juxta latens et apparens. Sursum est, quia Deus excelsus ; deorsum, quia homo crucifixus ; juxta, quia *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20) ; latens, non in forma visibili qua sedet ad dexteram Patris, sed in specie panis et vini apparet in altari. Apparens prius cum hominibus, quia et frequenter per miracula, quibusdam visibiliter apparuit in altari, et omnibus fidelibus certius fide creditur, quam quod oculis carneis visibiliter cernitur. Quia sursum et deorsum est, ipse enim est qui descendit et qui ascendit super omnes cœlos ut adimpleret omnia ; ideo in Evangelio dictum est : *Videbitis angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (*Joan.* I, 51). Quia juxta nos est, ideo ait Apostolus : *Prope est Verbum in ore tuo, et in corde tuo* (*Rom.* X, 8). Quia latet, item in Evangelio dicitur : *Ex hoc erit Filius hominis sedens ad dexteram Patris* (*Luc.* XXII, 69). Quia apparet ; ait Apostolus : *Nonne Jesum Christum vidi* (*I Cor.* IX, 1) oculis meis? Quod utique post ascensionem dictum est, quia prius cum hominibus conversatus est, et vidit omnis caro salutare Dei.

Est in cœlo, in altari, in corde Christiani : in cœlo corpore glorificato, sedet ad dexteram Patris. In altari velato mysterio, latet sacratissimis opertum involucris ; sicut Joseph accepto de cruce eodem corpore cum Nicodemo ligavit illud linteis cum aromatibus, significans mysterii ligaturam in linteis, id est notis bene nobis et gratissimis speciebus panis et vini, cum aromatibus fidei, spei et charitatis, et aliarum virtutum, vel cum ipsius pretiosissimi corporis odorandis et odoratissimis virtutibus, quæ sunt in odorem suavissimum sanctæ Trinitati, cui offertur illud sacrificium, et angelicis spiritibus, quorum sedulo obsequio intra velum, id est cœlum quotidie deportatur. In corde per fidem quæ per dilectionem operatur, per sanctam conversationem, cui Deus accepto fert justitiam.

Ecce de corpore Jesu, ubi habitat, ubi pascitur, ubi cubat, utique in cœlo habitat, sicut in Psalmo dicitur : *Qui habitas in cœlo miserere nobis* (*Psal.* II, 22). In altari autem pascitur, quia et nostris sanctis desideriis delectatur ; et de se nobis alimentum quod viaticum dicitur, parat nobis in via, qui erit satietas in patria ; juxta illud : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). In corde vero cubat, in meridie dilectionis, si molle, æquale et mundum reperit stratum, id est si te invenerit mansuetum, justum et castum. Hoc de pane quis sit, et ubi sit. Dicendum deinde quomodo manducandus sit ; habet enim sicut singularitatem essendi, sic modum specialem et remotum edendi. Unde Apostolus arguit Corinthios, qui nulla discretione usi, passim indifferenter accedebant ad perceptionem sacramentalem Dominici corporis, sicut ad quam-

libet escam corporalium refectionum : *Qui manducat*, inquit, *et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* II, 28).

O homo animalis desili paulisper ab asinitate tua, et conscendens in arcem rationis, quia necdum vales conscendere altitudinem contemplationis; compara cum corpore Domini quidquid corporeum vel spiritalis creaturæ accessibile est menti tuæ, et justa appensione in pondere sanctuarii, hoc est non philosophica et sæculari ratione, sed Catholica fide et divinissima subtilitate, perpende quid hoc, quid illud, quantum hoc, quantum illud, quale hoc, quale illud, cujus dignitatis hoc, cujus illud, cujus utilitatis hoc, cujus illud.

Quid ergo hoc nisi gemma pretiosissima quæ suo pretio totum redemit mundum, quæ attrita morte scintillavit et excæcavit infernales oculos, ut in tenebris lux esset et tenebræ eam non comprehenderent; imo de claritate cæcarentur, de lumine obscurarentur? Quid hoc nisi antidotum contra et supra omnia venena, quod etiam resuscitat mortuum? Quid hoc nisi illud corpus quod ante resurrectionem paulo minus minoratum est ab angelis, propter passibilitatem et mortalitatem, nunc elevatum super omnem cœlestem altitudinem loco, dignitate, majestate, gloria et honore coronatum? Quid illud omne quod vanitati subjectum est, quod semper tendit ad non esse, quod cito præterit et non est?

Quantum vero sit vel quale, sola novit civitas superna, quæ sua magnitudine impletur, quæ sua pulchritudine illustratur. Dignitate Deo adjungitur, utilitate numerus angelorum reparatur, et prædestinatorum salus impletur. Omnis vero creatura, si quantitatem respectu Dei attendas, velut momentum stateræ reputata est. Si speciem, deformis; si dignitatem, vilis quasi pannus menstruatæ; si utilitatem, nullius pretii, quia non ditatur Deus creatura sua, sed creatura Deo beatificatur. Discerne itaque hunc panem angelicum, o homo, non tantum a cibis corporalibus, sed a cunctis creaturis, præ omnibus hunc honorando, colendo, etiam diligendo, etiam adorando, credendo, manducando.

Hic modus manducandi, ut castus castum percipias, corpus Christi Christianus, sanctum sanctus, pium bonus, justum rectus, crucifixum devotus, cœlestem terrenus. Et hoc de modo manducandi.

Quando manducandus? In tribulatione, ut mitigetur, in necessitate ut excludatur, in infirmitate ut relevetur, in sanitate ut conservetur, in prosperitate ut moderetur, in adversitate ut confortetur, in morte, ut anima ad Deum dirigatur, mane ut tecum sit tota die, et tecum laboret, hora tertia ut clamorem Judæorum : *Tolle, tolle, crucifige* (*Joan.* XIX, 15), corde retineas, et in compunctione ista gratia Spiritus sancti animam tuam repleat. Hora sexta, ut te ipsum cum Christo cruci affigas : hora nona, ut emissum spiritum a capite excipias, et in tuo spiritu digne reponas : jejunus etiam ante omnem gravedinem cibi et potus, accipe corpus Christi, ut hospitium tuum ipse præoccupando, primos recubitus et primas cathedras, et primas salutationes habeat, et accubante eo, molestiam nulla de ancillis cogitationum faciat, nullus servilis motus inordinate movendo illecebras carnis prorumpat, sed medium silentium teneant omnia dum os silet, lingua hæret faucibus, omnia interiora ad pedes Jesu residunt, salutaria tantum meditantia et de salute sollicita.

Sunt etiam quædam tempora constituta, quibus censeo non abstinendum nisi exstet rationabilis causa, id est excommunicationis sententia, vel capitalis peccati conscientia, præmissa etiam confessione peccatorum et decantatione septem psalmorum pœnitentialium, si fieri potest sumendum est corpus Dominicum. Unde Psalmista : *Præcinite Domino nostro in confessione, psallite Deo nostro in cithara, qui dat jumentis escam ipsorum et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* CXLVI, 7, 9); evacuat enim superflua, et quæ abominatur sanctitas hujus sanctissimi corporis, quod nusquam vidit corruptionem, neque apud Patrem ante sæcula, neque in Matre nascendo in fine sæculorum; neque in sepulcro resurgendo post diem tertium, neque in hospite divertendo ad animam christianam per hoc sacrosanctum mysterium.

Corpus enim et anima, per sanctam confessionem purificata, per cœleste desiderium ad eum elevata, per charitatem dilatata, et per compassionem proximi affecta, cœnaculum illud grande stratum est, ubi apostoli jubentur parare Pascha, et Apostolus eumdem docet ordinem dicens : *Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi*, etc. (*I Cor.* V, 7.) In summa dicendum de tempore perceptionis quod ait Psalmista : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno* (*Psal.* CXLIV, 15). Tempus enim opportunum, facit ratio devotionis, fidei, institutionis et necessitatis. Ecce quando.

Ubi autem nisi in loco sancto, nisi in templo Dei, nisi in Ecclesia catholica, sicut et agni carnes, nemo efferebat extra domum illam quæ utrumque postem habebat tinctum de sanguine ejusdem agni? In utroque autem poste sanguinem ponit qui passionem Christi corde credit ad justitiam, ore autem confitetur ad salutem.

Jam a quibus panis angelorum manducandus sit, dicendum est. Apostolus ostendit, dicens : *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (*I Cor.* XI, 28). Hoc insigne sapientiæ in gestis suis proprium habent, quod divina celebrat pagina, ut semper omnimoda examinatione studuerint ante factum, eventus facti diligenter pensare. Abraham trecentos vernaculos expeditos prius numeravit, et sic quinque reges debellavit, et Lot nepotem suum liberavit. Gedeon quoque, Domino ju-

bente, trecentos separavit ad bellum contra Madian, qui manu projiciente ad os aquas lambuerant. Legislator quoque Moyses jubet ut cum ad bellum procedere debent filii Israel, ante congressum pugnæ sacerdotes et duces clamore publico experiantur qui sint idonei bello, et qui timidi ad bellum vel minus apti. In quo genere sunt, qui ædificavit domum novam et non dedicavit eam; qui plantavit vineam et necdum fecit eam esse communem, qui desponsavit uxorem, et non accepit eam, qui formidolosus est et corde pavido. His omnibus reversis, tunc cuneos suos unusquisque principum præparabit.

Longissimum esset et difficile enarrare id fuisse studii apud alios quinquaginta bellatores Dei, ut scilicet semper probarent quos, ad quælibet officia eligerent, sicut etiam septuaginta seniores jubet Dominus Moysi eligere, quos ipse noverit senes esse. Si enim tanto studio ad ista sæcularia probantur qui exerceant destinata officia, quorum nec victoria laudem æternam parit, nec meritum salutem veram, nisi forte aliqui intendant se obsequium præstare Deo, non in eo quod hostes vincunt et homines occidunt, sed quia injuriam Dei vindicant, et divinis jussis militant : quanto magis ibi omnia probanda, ubi perenne periculum de negligentia, æternum remedium de diligentia. Probet ergo se ipsum homo, tanquam subiturus bellum grande, non adversus carnem et sanguinem, id est hominem mortalem, sed de carne et sanguine Domini, ubi contra Deum bellum arripitur, si indigne sumatur.

Sit ergo vernaculus Abrahæ, id est educatus ingenio Ecclesiæ catholicæ, sit expeditus ab omni impedimento carnis et Spiritus; sit de trecentis post Christum crucem suam in fide sanctæ Trinitatis bajulantibus : quinque reges persequatur et apprehendat, ut quinque sensus suos in servitutem Christi a libertate justitiæ reducat et redigat. Lot nepotem Abrahæ eripiat, id est virtutem aliquam per negligentiam amissam recuperet per industriam. Tunc de pane illo edat et de calice bibat, quia Melchisedech revertenti Abrahæ ab hac cæde obtulit panem et vinum.

Contra Madian qui interpretatur *contradictio*, id est diabolum, vel motus carnis, assume illos trecentos, qui aquas lambuerunt, sicut canes solent lambere, manu ad os projiciente, id est illos qui non secundum carnem vivunt, nec desideria carnis faciunt, sed parcissimo et tenuissimo victus sustentaculo, quasi canes prædam sequentes, utcunque refocillati, gloriam promissam, quasi fugientem insequuntur, et isti de pane illo edant et de calice bibant, quia de calice Babylonis, id est delectatione carnis nolunt bibere.

In domo autem nova ædificata et non dedicata, qui bonum sibi propositum eligunt, sed necdum ad effectum perducunt, in vinea plantata et necdum commund effecta; devotionis inchoatus fetus per A sanctum desiderium, sed necdum formatus et editus per usum, in uxore desponsata et necdum accepta, votum de mutando sæculari habitu, et novæ vitæ accipiendæ promissio, quod quandiu differtur, uxor desponsata non accipitur. In formidoloso et corde pavido; qui timet ubi non est timor, et sic expavescit ad folium arboris, quasi ad morsum serpentis, nec accedit ad quodlibet votum sanctæ religionis.

Omnibus his improbatis reliqui probent se, cuneos adversus vitiorum castra præparantes, et sic bellantes viriliter contra omnes impugnationes quæ militant adversus animam, de pane illo edant et de calice bibant. Ecce a quibus manducandus sit panis angelorum.

B Restat, quare. Quare, nisi ut vitam habeamus, et abundantius habeamus; nisi ut nobiscum habeamus Dominum, nisi ut in nobis sit ad justificationem præsentem, et ad futuram glorificationem? quam nobis præstare ipse panis vivus et verus dignetur, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo, Jesus Christus Dominus noster qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

SERMO XL.

IN CŒNA DOMINI VII.

Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII, 25).

Cui mensa et fercula indulgentur angelorum, eidem ipsi officia et ministeria imperantur in obse-
C quiis cœlestibus militantium. Antequam ergo contingat sacerdos missam, vel mensam Deo ministrantium, mentem purificet et pacificet angelis in nullo contaminatis, ut sit unum officium, quorum non est diversum convivium.

Sed quia ad divina et invisibilia non consurgunt filii hominum gravi corde et terrestri ac cæco carcere nati et nutriti, nisi per humana et visibilia ut ascendant ad illum, qui habitat in caligine et qui ponit nubem ascensum suum; quæratur scabellum pedum, scala Jacob, ut sit læva sub capite et dextera amplectatur gradientem. Juvatur autem usu et consuetudine tam verborum quam rerum mundanarum, quicunque ab his subrepere tentat sursum ad invisibilia et quasi reptile super terram,
D id est stellio manibus nititur, ut moretur in ædibus regum. Cum vero angelica natura cibario isto pane non egeat, tamen more humano panem dicitur habere et manducare in regno cœlorum.

Nec putandum in cœlo habere locum quodlibet fragilis naturæ subsidium; sic in paradiso in quo positus est homo, factus in animam viventem ut corporaliter cibos corporales sumeret ad sustentationem et recreationem sui corporis, nondum absolute immortalis, quia sicut peccavit comedendo quod erat prohibitum, ita etiam peccaret, si non comederet quod erat jussum ibi. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. Unde Augustinus super Genesim:

Caro Adæ ante peccatum ita immortalis creata est, ut ver alimoniam adjuta, esset doloris et mortis expers.

Spiritalis et angelica creatura, sola visione beata Creatoris sui, æternaliter sic pascitur, ut nulla extrinseca subministratione refocilletur. Quod enim apud Abraham et Lot et multos alios apparentes angeli comedisse leguntur, non fuit passio, sed compassio, nec spiritum, sed corpus assumptum præferebant, quando ab eis talia fiebant. Cum ergo auditis, panem angelorum manducavit homo, quærite quem panem intelligere debeatis, utique spiritalem non corporalem, cœlestem non terrenum, vivum non mortuum, qui pascit mentem non ventrem, qui non deficit cum reficit.

Satis bono pistore fit panis qui de cœlesti mensa B sumitur, quo nullus candidior, nullus mundior, nullus calidior, nullus recentior, nullus salubrior, nullus sapidior, nullus sanctior, dignis labiis sponsæ ad ruminandum, idoneus ad satiandum et sanandum. Domine, semper da nobis hunc panem, panem quotidianum, panem supersubstantialem, panem qui de cœlo descendit et dat huic mundo vitam, panem de sartagine, panem de craticula, panem de clibano, panem de simila, panem conspersum, panem unctum oleo lætitiæ præ consortibus suis, panem signatum quem Pater signavit et misit in mundo.

Ecce, Domine Jesu, parvuli tui quos tibi dedit Pater, pueri tui quos sanguine tuo acquisisti, pe- C tunt panem, et non est qui eis frangat. Æqualis bonitatis erit et gratiæ si dederis et si fregeris. Nam dare et non frangere, quid est aliud nisi famem alicujus ostenso pane provocare, desideria infantilia oblatis et retractis uberibus frustra ardentius commovere? Si enim, ut ait Apostolus, esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera ; quod est dicere : Etsi in mensa, hoc est in mundo, panis, id est hostia pro peccatis deferretur, si non esset super terram qui frangeret, hoc est nisi Christus existens sacerdos, se ipsum Deo Patri offerret, nemo de toto genere Adæ reconciliationem nostram celebraret, neque parvulus panem ederet, cum tamen essent plures qui offerrent secundum legem munera quæ Moyses D instituerat, non ad redemptionem sed adumbrationem.

Panis itaque est corpus Christi, qui semel in cruce quasi a se ipso frangitur, cum potestatem habens ponendi animam suam et potestatem habens iterum sumendi eam, inclinato capite tradidit spiritum, et quotidie sic se ipsum mystice in altari frangit innovando fidem in cordibus nostris et efficaciam passionis suæ conferendo animabus nostris, sicut in cœna accipiens panem benedixit, fregit et dedit apostolis suis, dicens : Accipite et manducate: hoc est corpus meum.

Jam jam et vos sacerdotes participes Christi facti, panem qui est corpus Christi cum Christo A accipitis, benedicitis, frangitis et distribuitis populis. Sed vos ministerio concesso hoc agitis, ille auctoritate sibi congenita. Ipse est enim et qui baptizat, et qui Eucharistiam sanctificat. Ipse est qui benedicit benedictionibus vestris, et maledicit maledictionibus vestris. In ipso enim benedicentur omnes gentes terræ. O sacerdos, qui ponis manum tuam in paropside, cave manum traditoris Judæ leprosam per avaritiam, sciens quia omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.

Dicit angelis suis Deus de indigno ministro : Videte ne forte sumat de ligno vitæ, id est de corpore Christi quod est lignum vitæ, sumat vitam æternam, qui in conspectu meo stratum patris maculavit, et B luxuriando in stercore suo computruit. Sumit namque sibi potius mortem de vita, quam vitam, qui indigne manducat et bibit calicem Domini, reus enim est corporis et sanguinis Domini. Ne ergo pereas cum Dathan et Abiron, cum Nadab et Abiud, lava proinde manus inter innocentes. non cum Pilato ; nam cum Pilato manus abluit, qui peccatum, quo prægravatur, cognoscit, nec dimittit. Cum innocentibus, qui vel nullum grave.

Ut autem fide dentata caro masticetur ab homine panis angelorum, dentes habetote eburneos, id est sensus exercitatos, secundum catholicæ doctrinæ castitatem et angelicam veritatem : Prædicate autem super tecta, primo de institutione hujus sacramenti, quod a Domino in cœna post agnum typicum apo- C stolis tradita fuerit, ut idem corpus suum quod super astra glorificatum levaret, mirifica dilectione in altari velatum mysticis speciebus usque in finem sæculi, suis fidelibus collocaret.

Secundo de forma quæ est in pane triticeo, cum vino et aqua in calice misto a sacerdote catholico, intentione et ordine conficiendi hæc proferat Christi verba : *Hoc est corpus meum*, etc. His enim ex pane fit corpus Christi, et ex vino cum aqua, fit sanguis. Cætera omnia quæ ante vel post fiunt et dicuntur, laudes sunt Christi et orationes.

Tertio de sacramento et re, quorum alterum, id est sacramentum dicitur proprie illa visibilis species panis et vini, ut jam dictum est, res vero D contenta et significata, caro Christi ; aut res significata et non contenta, ut unitas Ecclesiæ in prædestinatis, vocatis et justificatis.

Quarto de modo manducandi qui duplex est, id est sacramentalis, quo boni et mali manducant corpus Christi veraciter, sed boni ad salutem, mali ad damnationem ; et spiritualis, quo non nisi boni manducant, quod est credere in Deum et manere in Deo per sanctitatem vitæ et unitatem fidei.

Quinto de conversione substantiæ panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, ubi licet panem et vinum post consecrationem videas, certo tamen certius credas nec panem ibi esse nec vinum, nisi forte panem angelorum de quo dicitur quia *panem angelorum manducavit homo*. Sexto, de fra-

ctione quæ mystica est in forma scilicet panis, et magis fide credenda, quam verbis discutienda. Septimo, de quotidiana immolatione utrum Christus immoletur substantialiter an in mysterio. Semel immolatus est Christus morte passionis, quotidie memoria et recordatione ejusdem immolationis.

Octavo, de causa institutionis quæ duplex est, quia præstat augmentum virtutis, et medicinam quotidianæ infirmitatis. Nono, qui et quando debeant Eucharistiam sumere; qui non est in peccatis gravioribus vel in affectu peccandi, ad minus ter in anno, et melius per singulas Dominicas aut quotidie. Decimo de peccatore sacerdote aut hæretico, utrum conficiant corpus Christi : quantumcunque peccator sit sacerdos, dum intus est, nomine sacramenta conficit, sed non vita, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, et nihil a bono majus, nihil a malo minus percipitur (92).

Hæreticus quia extra Ecclesiam est, non conficit. Sufficiant hæc fidei veræ de sacramento corporis et sanguinis Domini, quia non est bonum, mel multum comedere, ne satiatus evomas illud. Fide igitur sana, mente integra, carne sancta, conscientia pura, anima devota accedite ad panem angelorum et illuminamini et facies vestræ non confundentur. Quod vobis præstare dignetur, etc.

SERMO XLI.

IN CŒNA DOMINI VIII.

Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt (*Ezech.* XVIII, 2).

Mors de inobedientia veniens, acerba est in Adam et Eva, acerbior in prævaricatione Mosaicæ legis; ibi qui peccabat lapidibus obruebatur, nec misericordiam aliquatenus consequebatur. Mors vero Christi turpissima, eo amplius fuit acerbissima quo magis sine peccato originali et actuali vixit, de Spiritu sancto conceptus, et de incorrupta Virgine natus. sed quare et unde hoc? Quia patres Adam et Eva comederunt uvam acerbam.

Omnia ligna paradisi de quibus dicitur : *De omni ligno paradisi comede* (*Gen.* II, 16), ista concessione matura procul dubio et dulcia non acerba erant; solum vetitum acerbum erat non de natura creationis, sed de inobedientia prævaricationis; absolute siquidem omnis creatura Dei bona est, sed malum et acerbum ei qui per offendiculum manducat, sive caro sit, sive piscis, sive panis, sive uva, sive quælibet esca. Sapidioris acidi est inobedientia, unde et prævaricatores legis Christum crucifigentes, acetum illi in cruce porrexerunt, versi de vino sanctæ radicis, in amaritudinem aceti et vitis alienæ.

Christus in nullo a Patre degenerans et non de aqua mortalis naturæ vinum faciebat suavissimæ gratiæ et immortalitatis æternæ, obediens Patri usque ad mortem crucis, ubi tanquam mustum spirans oratione et patientia sua, etiam calcatores suos inebriabat, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Judæi autem malitia sua inebriati; moventes capita sua dicebant. Si Filius Dei es, salvum fac temetipsum. O Judæi, quare comeditis uvam acerbam ut dentes filiorum vestrorum obstupescant, dicentes sanguis ejus super nos et super filios nostros? Uva quodammodo acerba est, non ex se, non in se, sed in dentibus vestris, qui de se dicit, si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?

Salva fide æqualitatis Filii cum Patre, dico Jesum quasi uvam acerbam, id est immaturam fuisse, dum in mundo nostros defectus gestaret in corpore, dum vivus mori poterat, sicut ipse ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18); uvam vero maturam et dulcissimam dum morte absorpta gloriam immortalitatis indueret, et de mortalitatis passionibus nullas reliquias retineret. *Christus* enim, ut ait Apostolus, *resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Hanc uvam Petrus cum cæteris apostolis fugientibus negando quasi acerbam comedit. Unde et quidam discipulorum dixit ei : *Et nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 21). Obstupescunt dentes qui dicunt, sperabamus; sed qui sunt filii apostolorum quorum dentes obstupescunt? Utique sancti martyres qui corpora sua propter Christum tradiderunt ad supplicia. Alio et diverso genere incredulorum Judæorum : martyrum obstupescunt admirando et imitando patientiam et bonitatem Christi. Judæorum sub Vespasiano et Tito exsulando et portando imprecationem paterni delicti sicut Cain posuit signum de quo ipse ait : *Quicunque invenerit me, occidet me* (*Gen.* IV, 14).

Sed videamus quomodo dentes filiorum obstupescunt, quia primi parentes comederunt uvam acerbam, peccato et pœna peccati obstupescunt dentes nostri. Peccato tam originali quam actuali pœna, tam præsenti quam futura, tam temporali quam æterna. Ut itaque dentes sanarentur et ad cibum capiendum repararentur, cœnavit Jesus cum discipulis suis; et ne carnes agni legalis iterum acerbarent dentes, supposuit panem et vinum et transsubstantiavit in corpus et sanguinem suum. In hac cœna et infirmitati nostræ consuluit, visibile sacramentum ostendendo, et fidem instruxit super his speciebus panis et vini virtutem deificando. *Desunt multa.*

SERMO XLII.

DE RESURRECTIONE DOMINI.

Sion regnabit Deus tuus (*Psal.* CXLV, 10).

Novus rex, nova lex. Rex iste, fratres charissimi, tam novus est in regno hominum, quam sempiternus in regno angelorum. Ab æterno enim ex sapien-

(92) Vetus error quem ex S. August. refutat S. Thom. 3 p., q. 82. art. 7. et Estius in 4. Sent. dist. 13, paragr. 3.

tia creavit illud regnum angelorum; in quo ut Deus ab eis adoratur, ut Dominus timetur, ut Pater colitur, ut Creator recognoscitur, ut Rex veneratur. Desciverat autem ab initio a consortio commilitonum hujus regni lucifer, qui secum tertiam partem exturbaverat e cœlo, et in caliginoso isto aere, castra sua statuerat, donec ad ima tartara in novissimo dierum pereffluueret, et digna supplicia hæreditaret.

Resarcire autem damnum regni et numerum exercitus sui intendens rex ille sapiens et potens genus humanum pro grege angelorum substituit, invalidius quidem pro carnis gravedine, sed non inferius pro sua imagine, et similitudine in qua illud condiderat. Tam cita vero subsecuta est direptio et subversio novi illius coloni paradisi, qui quasi tironus tirocinii tempora in gymnasio illo interim compleret, quousque omnimoda armorum habitudine angelicam militiam, et tunc in eamdem tam puritate quam charitate regis sui similiter conjuraret militiam. Tam, inquam, repente tironus iste succubuit, ut ante florem aresceret, ante partum abortiret, ante tempus periret. Coagulo namque vitiatæ radicis, tota ramorum condensitas male fermentata, pleniore respergebat acetositate quidquid virgulti generatione filiorum germinaret tota illa silva generis humani ex arbore Adæ et Evæ. Nunquam malum saporem imminuebant qui originali insipiditati, de originali peccato venienti, per actualia peccata quotidie venena aspidum in spongia malarum concupiscentiarum cum usuris circumferebant.

Tandem divina sapientia coarctans terminos patientiæ suæ, quæ tale dispendium æquanimiter per tempora sæcularia sustinuerat, accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum, accendens lucernam ut quæreret drachmam quam perdiderat, et fines hostilium castrorum tam in nativitate quam in morte sua penetrans, prædam excussit de manu et ore prædonis, prædonem vinculis igneis astringens, et laqueo antiquæ fraudis illum strangulans, cum in hamo divinitatis appetibilem carnis suæ escam proponere, et sancta fraude artem malignitatis deciperet. Tyranno igitur subacto, ad nidum in quo pater Adam et mater Eva cum quibusdam pullis suis incubabat, convolavit, et de infernali nido tanquam gallum gallinaceum omnium fidelium animas asportavit.

Ne autem abigeret qui abduxerat, et de calore suo fœtido nimium illas suffocabat, non fovebat, ligavit illi brachium panno illo, quo Judæi oculos ejus velaverant, et feriens venam ejusdem brachii phlebetomo Divinitatis, attraxit totum sanguinem animarum sanctarum, et adducens ventum urentem de deserto virginali juxta prophetiam, venas ejus siccavit. O potestas Dei! o impotentia diaboli! Jam enim fractum est brachium diaboli et exaruit. In regno quasi suo, hoc est in mundo, congressus cum rege nostro. Prævaluit quidem illum ligare, tenere, crucifigere, non tamen potentia hostili sed patientia Dei, qui potestatem habebat ponere animam suam et iterum sumere eam.

Rex noster vires tunc occultabat et dispensabat, sapiens enim reservat in posterum. Tyrannus crudelis sæviebat et undecunque vires emendicabat, toto robore suo murum nostrum suffodere gestiens, et memoriam regis nostri de medio tollere insistens. Fecit ergo quæcunque potuit, et quædam quæ non potuit, sed voluit, attentavit. Defecit tandem et ad latibulum infernalem refugit. Et tu rex noster quid? Domine, qui justitiam judicabis, multo magis injustitiam condemnabis? Calido pede preme vestigia, et apprehende caudam serpentis antiqui solito transversantis et a facie tua fugientis. Adhuc penes se celat chirographum decreti, quod est contrarium nobis, et forte, si remanserit ei, calumniam aliquo tempore suscitabit, et de soluto debito quasi non solveris ei cum usuris, pro nobis opponendo cautionem chirographi.

Scripta itaque et scrinia ejus in lumine vultus tui et in brachio extento revolve, et exentera piscem illum, ut de corde ejus tanquam de repositorio remotissimo proferas veternosa illa consilia, quibus seducere non cessat inhabitantes terram. Sunt ergo tibi duo necessaria : unum ut reseras clausa, alterum ut penetres et subvertas munita. Est enim civitas infernalis clausa et munita ; clausa, quia vestigia nulla retrorsum ; munita, quia in circuitu ejus ignis inexstinguibilis et aqua intolerabilis. Clausa, quia non admittit consolatorem ; munita, quia deridet impugnatorem : clausa a bono, munita in malo. Clausa seris contumaciæ. Clausa propter illos qui peccata sua celaverunt ; munita propter illos qui nunquam pœnituerunt. Quid ergo ad clausam nisi clavem, quid ad munitam nisi clavam deferre debes? Clava percutit, clavis aperit ; fac de cruce clavam, fac de clava clavem. Clava seu crux quadrifaria quatuor angulos infernales evertit, clavis sive clavus pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus inextricabilem, labyrinthum expedit et absolvit.

Dei virtus et Dei sapientia, in clava et clave intelligitur, sicut docet Apostolus : *Verbum*, inquit, *crucis pereuntibus stultitia est, nobis autem Dei virtus et Dei sapientia* (*I Cor.* I, 18). Jesus ergo Dei virtute et Dei sapientia confortatus, clausam irrupit civitatem, et munitam evertit, quia vectes ferreos confregit, in profundo mari viam fecit, ut transirent liberati. Dixit his qui in tenebris erant, revelamini, quod ad clavem ; dixit exite, quod ad clavam : clava leonem interfecit, clave catenas compeditoris solvit. O Sion, regnabit Deus tuus! Ecce obstructum est os loquentium iniqua : *Noli*, inquiunt, *scribere regem Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum* (*Joan.* XIX, 21), et : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*ibid.*, 15).

Qui autem venerat in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti, regnum mortis de-

struxit, et de regno mortis ad regnum claritatis suæ nos transtulit, qui eramus natura filii iræ, filii alieni, filii tenebrarum. Consociavit regno cœlesti regnum mundi et compaginavit umbilico terræ in bivio cœli et terræ, id est cruce, ubi angeli tanquam cœlestes milites assistunt, certamen regis sui aspicientes ; et homines tanquam canes lambunt sanguinem decurrentem in terra, ut potu illo redimantur, et inebrientur. Diligunt milites canes suos, imo canes domini sui, regis sui, quia qui me amat, et canem meum amat. Confortatur a militibus rex, sed a canibus multum solatiatur. Cursu canum lætificatur, plausu exhilaratur ; cervorum et leporum venatu delectatur, et multifaria voluptate in his utitur.

O Sion, ecce rex tuus in silva grandi et spatiosa atque condensa gehennali, bestiolas capere venit cum canibus et militibus, ibique pingues cervos patriarcharum et capreolas prophetarum, et lepores Innocentum, et Bamulas eremitarum cepit, et Patri suo atque patriæ detulit ! Itaque epulemur, quia venatio copiosa est, et quo amplius laboriosa propter passionem, eo minus dispendiosa propter resurrectionem. Miratur enim multo amplius Pater de festinatione quam contristetur de filii labore. *Quomodo* enim, inquit, *tam cito invenire potuisti, fili mi ?* (*Gen.* XXVII, 20). Quasi diceret : Non mihi curæ est quanti emeris, aut quantum laboraveris, quia gratissimum et acceptabile est quod talem et tantam captionem tam cito inveneris. Una enim die et nocte reti tuo inclusisti, in animalibus quæcunque munda et gustui meo appetibilia, campi convallium in mundo conceperunt [*al. concepta sunt*], et silvæ infernales tanquam in cavernis et fossis suis a sæculo absconderunt.

Da mihi itaque de venatione tua, fili mi. Non doleas de labore, quia fructus super laborem est, et res acquisita inæstimabiliter excedit pretium. Unam animam dedisti, sed quot recepisti ? Guttas sanguinis fudisti, sed martyrum quantam effusionem et viscerum et sanguinis recepisti ? ut de aliis taceam : *Effuderunt sanguinem servorum tuorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem* (*Psal.* LXXVIII, 3). Certe pro singulis tuis guttis, mille millia redditæ sunt tibi a nostris.

Sed tamen neque sic possumus ad eas recompensandas, quia deest in pretio, quod superest in numero. Quod dico de sanguine, affirmo de tua tota passione, quia quæ jam pene numerum excedunt passiones martyrum, merito tamen et pretio singulari tuæ passioni succumbunt. In te ergo pretium pensandum supra omnem numerum, in nobis attendendum ut quanto deficimus in pretio, tanto crescamus in numero, et numerum tamen et pretium tibi assignamus qui nos tuo sanguine redemisti, et fidem tuam ut reciperemus donasti, Christe Jesu, Salvator mundi, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum.

SERMO XLIII.

DE RESURRECTIONE DOMINI II.

Sion regnabit Deus tuus (*Isa.* LII, 7).

A prophèta, imo a Spiritu sancto phialam istam auream plenam balsamo mutuavimus, ut in ista Paschali solemnitate, vobis potum salutarem, per illam subministremus. Satis enim bene et plene respondet exterior hujus vasculi habitudo, suavissimo sapori intrinsecus delitescenti ; nam manus illæ tornatiles filii fabri in circino Spiritus sancti, tam decenter quam sufficienter ampullam istam aptaverunt et nostro potui et suæ solemnitati. Potui, quia inebriationi sufficit audire et intelligere quia Dominus regnavit ; solemnitati, quia totum Paschale festum et gaudium exinde est, quia Dominus regnavit.

Sed jam prælibata commendatione philosophicorum verborum, sub figura ampullæ formosæ et pretiosæ, potius desideranter ori apponamus, et spiritum qui est in visceribus tam jucundæ solemnitatis fideliter epotemus. Ecce namque jam triduo sustinemus, et in calice, quem dedit Filio Pater, non nisi vinum myrrhatum, nonnisi fel et acetum, nonnisi amaram potionem bibimus. Deinde satis est, multum est, tam amara pocula, tam longa patientia portasse et potasse. Jam ad cellam vinariam accedentes vinum novum in novos utres cum resurgente Domino imploramus, ut non ulterius de vetustate nostra spinas et tribulos metamus, sed de novitate redemptionis nostræ, pignus spiritus accipiamus.

Ad Sion nempe pertinemus, cui dicitur : *Sion, regnabit Deus tuus.* O Sion paupercula, tempestate convulsa absque consolatione, quæ non habet qui consoletur eam ex omnibus charis ejus, ecce venit tibi auxilium de cœlo, ecce nox speculatorum tuorum, simul levaverunt vocem, quia oculo ad oculum videbunt. Quid videbunt, quid clamabunt ? *Sion, regnabit Deus tuus* : sed qui sunt speculatores isti ? Utique angeli. Isti resurrectionem Domini annuntiant, isti dicunt : *Sion, regnabit Deus tuus.* Ecce impletum est, quod dictum ante passionem fuerat, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras : Ecce alligavit fortem in domo sua fortior ille qui superveniens vicit illum ; ecce Leviathan quem hamo extraxit, alligavit ancillis suis. Unde Apostolus ad Colossenses : *Vos*, inquit, *cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso* (*Col.* II, 13). More suo Apostolus, quare et quomodo reguet Deus noster, ostendit. Quod notandum antequam exenteremus verba apostolica plena profundis mysteriis, quid sit regnare. Regnare est regnum regere, regere vero est recte agere : est etiam regnare subjectos et obedientes habere.

Considerandum quoque quis sit rex, quod regnum, qui de regno, quæ insignia regni, quando regnum initium habuit, quousque duraturum sit, et quousque extendantur fines regni. Initium habuit hoc regnum a tempore resurrectionis, duraturum est in æternum et ultra. Fines ejus ab oriente in occidentem, et a septentrione usque ad meridiem. Rex est, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Regnum, Ecclesia quæ partim jam incolit cœlestem patriam, quasi turres et municipia civitatis tenens, partim ruricolatur in agro hujus mundi, semina sua mane et vespere mittens, et colligens usque ad annum jubilæum, annum remissionis, annum in quo nec arari poterit nec meti. De regno sunt signati in frontibus signo crucis, renati ex aqua et spiritu, potati calice benedictionis, cibati pane Dominici corporis. Gens sancta, filii promissionis, populus acquisitionis. Insignia regni sunt triumphus dæmonum, resurrectio corporum, redemptio animarum. Inferni exspoliatio, paradisi patefactio, mortis destructio. Insignia regni sunt, fides populorum, sacramenta Christianorum, cultus religiosorum, miracula sanctorum.

Hoc regnum initium habuit ante sæculi constitutionem, cum sæculo inchoationem, in fines sæculorum renovationem, post sæculum consummandum glorificationem. Regnum angelicum cœpit quando dixit Deus : *Fiat lux, et facta est lux.* (*Gen.* I, 3). Regnum hominum cœpit sed occulte, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Manifeste autem cœpit, quando Christus resurrexit a morte; sed jam apostolica verba videamus, et præsentem solemnitatem in eis recognoscamus : *Et vos*, inquit, *cum mortui essetis in delictis vestris et in præputio carnis vestræ convivificavit cum illo* (*Col.* II, 13). Notate Apostolum quadam dictorum replicatione geminasse mortem, resurrectionem vero uno verbo expressisse. Mortui, inquit, in delictis vestris, ecce una mors, et in præputio carnis vestræ, ecce alia mors, et delictis ergo morimur et præputio carnis. Sed mortem delictorum manibus et pedibus accersimus, mortem præputii carnis nostræ, potius cum catena mortalitatis excipimus quam operamur. Istam patimur hæreditaria maledictione, illam acquirimus voluntaria prævaricatione; pro illa hic exsulamus, aut bona patientia utramque purgantes, aut contumacia utramque nectentes, uno vinculo præsentis et futuræ condemnationis.

Intelliguntur ergo per delicta, actualia peccata, per præputium carnis, originalia; sed tam ab actuali quam ab originali una mors seu resurrectio Christi nos liberavit, quod intelligitur per hoc verbum, *convivificavit cum illo*. Convificavit, quia corpus et animam vivificavit. Convificavit quia et actualia et originalia remisit. Convificavit quia resurrectione sua nos vivificavit. Convificavit, quia et nunc per justitiam et in futuro per gloriam vivificavit.

A Cum illo : quid est cum illo? Ad similitudinem ejus. Cum illo ergo, id est cum capite, vel ad similitudinem ejus nos convificavit, quia in resurrectione Christi prælibavimus spem resurrectionis nostræ : si enim delibatio sancta, et massa, id est si Filius Virginis Jesus, qui mortuus est in cruce, tertia die resurrexit a mortuis, sine dubio membra corporis sui suo tempore resurgent. Et hoc tam consequenter fiet, quam veraciter illud præcessit, et sic sine revolutione repetitæ mortalitatis, sic Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Convificavit itaque cum illo, donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis.

B Notate, donans; notate, delens. Quid donans, quid delens? Donans gratiam, delens culpam; donans vitam, delens mortem; donans coronam, delens supplicium; donans quod suum est, delens quod nostrum est; donans cœlum, delens infernum. Ad extremum donans delicta, delens chirographum. O chirographum quam mala scriptura tua, quam peremptoria lectio tua. Singulæ litteræ tuæ sagittæ sunt acutæ, quarum indignatio ebibit spiritus hominis. Singulæ syllabæ caudæ scorpionum aculeatæ sunt, posteriora nostra demolientes. Singulæ dictiones væ, væ sunt et æternæ lamentationes. Singulæ orationes, digna factis recipimus. Titulus, liber mortis. Materia hujus libri, peccata et supplicia hominis. Modus tractandi, ut secundum qualitatem culpæ, extendatur mensura pœnæ.

C Tota lectio, clamor et ira et indignatio. Tota lectio, dolorum sine respiratione continuatio. Tota lectio, afflictio, exactio. Nullum explicit, ubi nullus finis. Cum consummavit tunc incipit, ubi defectus reparat defectum, et de morte, virgulta repullulant mortis. Ungue adamantino scriptum est hoc chirographum, quia nisi cum sanguine hædi qui cum latronibus reputatus est, hæc scriptura deleatur, nunquam maledictio absolvetur. Hoc chirographum est volumen illud volans quod Zacharias in spiritu vidit, et levabunt illud forte illæ duæ mulieres quæ habebant alas quasi milvi, et levaverunt

D amphoram inter terram et cœlum, in cujus amphoræ medio, erat mulier sedens, quæ est impietas et habet massam plumbeam in os suum.

Volumen volans illud universale examen judicii, quo omnium hominum conscientiæ explicabuntur. Hoc inter terram et cœlum levatur, quia Christo in aera obviabimus venienti ad judicium. Duæ mulieres quæ hoc levant et deferunt, caro et anima, quia unusquisque portabit judicium, ut referat prout gessit in corpore suo sive bonum, sive malum. Habent alas quasi milvi, quia grandes virtutes post resurrectionem animarum et corporum. Impietas in medio amphoræ sedet, quando iniquitas quæ est in tabernaculo, seu in medio cordis non poterit se abscondere a calore et illustratione solis. Mas-

sam plumbeam in os habet reus, cui non est aperire præ confusione. Hoc chirographum delet Christus in passione et resurrectione sua; Christus, inquam, Dominus noster qui vivit et regnat, etc.

SERMO XLIV.

DE RESURRECTIONE DOMINI III.

Cum Christus animam suam posuit, corpus in cruce exposuit, et in sepulcro deposuit, nec clementiam suam nec potentiam postposuit. De potentia surrexit, de clementia familiam apostolicam collo ad pennulas retorto revisit. Mentes timore et dolore concussas gloriosa consolatione, tam per se quam per angelos relevavit. O angeli sancti, in passione ubi eratis, quid agebatis, cur non accurristis, cur tam contumeliose regem vestrum deturpari sustinuistis?

Plane, inquiunt, auxilio nostro non egebat, sibi cum Patre et Spiritu sancto causa patebat, plures ex nostris latebat, nec nostri ordinis est non jussa attentare. Noluit bonus Dominus nostra gaudia suis passionibus interrumpere. Non reputabat jacturam tantis lucris, sine dilatione compensandam : unum suum corpus dedit, mille millia comparavit, animam unam posuit, sed quot reposuit, et ad cœlos reportavit? Tribus diebus fuit in corde terræ, sed æternitatem et longitudinem dierum acquisivit familiæ suæ.

Quis æstimare valeat pretium, quis excogitare redemptum hoc pretio genus humanum? Usque ad angelicam pacem refluit et supereffluit appretiatio sanguinis et mortis Christi ac resurrectionis. Nihil inemptum Christus reliquit quod unquam aliquo pretio posset redimi. De nostro, Christe, assumpsisti pretium, in nostro solvisti, et pro nostro. Nostra sunt corpus et anima, tua est singulariter sola divinitas. De nostro itaque corpore et sanguine sive anima, pretium constituisti. Pro quo seu pro quibus? Pro genere humano et omnibus hominibus. In nostro quomodo? In cruce, in passione. Nostra est pœna, nobis debetur passio : præsumendum est itaque sine præsumptione nostram esse hanc solemnitatem sumptu et usu.

Nonne de nostro sumptu est, quod in hac recordatione vigilavimus, jejunavimus, vagationes et vanitates repressimus, et in multis Christo concrucifixi sumus? Non aspernatur sumptus nostros quamvis modicos, qui nec calicem aquæ frigidæ irremuneratum dimittit. Usus denique hujus solemnitatis præcipue nobis competit; nam angelos non est necesse annua devotione recolere, quod frequentant assidua celebratione; diabolus non habet pro festo, quod victus est, quod de mundo ejectus est, quod tantis animarum exuviis spoliatus est.

Non tamen excludimus angelos quorum officio primitias Dominicæ resurrectionis delibavimus, sed cum ipsis eam communicamus. Habent ipsi stolas suas, habent albas, habent vultus fulgureos. Quid ad hæc nos pannosi, nos pene nudi, nos quorum vestimenta vetustate sunt attrita, superfluitate corrupta, discordia dissuta? Quam citius igitur deponamus vetustam pellem cum veteri homine, compunctione abluamus inquinatam, consuamus unanimitate dissutam.

SERMO XLV.

DE RESURRECTIONE DOMINI IV.

Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea (*Gen.* II, 23).

Videns mater sancta primogenitum et unigenitum suum tunica immortalitatis indutum in resurrectione, viscerali exclamat affectione dicens : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Convinco Judæum, convinco hæreticum, qui non credit resurrexisse filium meum. Si mater ignorat filium suum quis novit illum? Quæ concepit, quæ peperit, quæ lactavit, quæ nutrivit, quo caliginis offendiculo mentiretur suum non esse, quem amplius diligit et novit quam se? Deus Pater credidit ei Filium suum, et ego dubitem, qui surrexit non esse illum Virginis filium passum et crucifixum? Maternum affectum non delet tridui oblivio.

Si annus effluxisset, quemlibet cavillatio locum haberet. Dicat ergo mater de filio, Maria de Jesu Christo : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Tunc cum crucifigeretur filius meus vidi et agnovi carnem de carne mea quæ clavis affixa, lancea perforata est ; et os ex ossibus meis, quod non fregerunt crucifixores, ut impleretur Scriptura : *Os non comminuetis ex eo* (*Joan.* XIX, 36). Hoc testimonium verum est, et matris de filio. Loquitur et Adam de crucifixo : *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea :* hæc caro, non est caro mea, quæ est caro peccati, sed de carne mea, de Virgine Maria, et quamvis hæc caro non mereatur mortem, pro me tamen solvit mortem, juxta illud : *Quæ nunc rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5).

Nullo reatu obligata caro, carnem ligatam et incurvatam solvat sub vinculo peccati. Catenam siquidem pene [pœnæ] collo suo imposuit et confregit dicens : *Solve vincla colli tui, captiva filia Sion* (*Isa.* LII, 2) ; nam de morte surrexit. *Hoc nunc os ex ossibus meis.* A primogenito meo Cain usque ad Jesum, qui ossa, id est fortes fuerunt, sicut mea ossa ante peccatum sine peccato non fuerunt, nec diabolum debellaverunt. Sed Jesus supra Samson fortis et potens in bello, mandibula asini passus, id est tanquam surdus et mutus, tanquam vir non habens in ore suo redargutiones, destruxit illum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, qui Evam meam seduxit, et per illam mortale pomum porrexit ; sed nunc utique in resurrectione Jesu, os inveni ex ossibus meis, non in quibus putredo ingressa est, sed in quibus est virtus et fortitudo Dei, *et caro de carne mea*, sed non corrupta sed incorrupta.

Rursum vox est animæ Christi ab inferis redeunti ad corpus suum ; salvam siquidem bene custodierat Pater, in cujus manibus illam resignaverat, salvam sine dubio duxit et reduxit. Veniens itaque ad adjutorium simile sibi, quod est sanctissimum et im-

maculatum corpus quod non vidit corruptionem, nec in conceptione, nec in conversatione, nec in ipsa morte intravit in viscera ejus, dicens : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Os germinavit sicut lilium, et caro refloruit, quia quæ mori prius potuit, jam mori non poterit.

Tunc misericordia in carne et veritas in anima obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. Justitia namque sancivit justum esse, ut caro, quæ sine sua culpa, tam horribilia sustinuisset, et ut illos pro quibus causam egerat, liberaret, et pace æterna regnaret juxta Apostolum : *Æterna redemptione inventa* (*Hebr.* IX, 12). Sola scivit divina anima cum carne divina, quid suavitatis, quid gaudii, quid jubilationis, in hora illa ad invicem habuerint, cum utraque substantia animæ et corporis in claritatem divinam, salva proprietate naturarum, transierint. Sic ergo loquitur anima : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Verbum autem caro factum, in utriusque conjunctione per resurrectionem dicit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.*

In sacramento quoque altaris loquitur Christus post illam Dominicam consecrationem, ubi dicitur : *Hoc est corpus meum ; et hic est sanguis meus; hoc,* inquiens, *nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Os est difficultas et profunditas sacramenti, caro est sub specie panis, et bene caro propter fragilitatem vestram, quæ ad divina nisi per humana consurgit. Ne apçonas dentes ad os, volens exossare os regis Idumeæ, id est definire et discutere quomodo hoc fiat. Ossa sua in abscondito habet Deus quæ dicuntur : *Occulta filii* (*Psal.* IX, 1), de quibus Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ!* etc. (*Rom.* XI, 33.) Ex istis ossibus quæ Psalmista appellat occulta et incerta sapientiæ Dei dicens : *Ecce enim incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* L, 8).

SERMO XLVI.

DE RESURRECTIONE DOMINI V.

Coxit Jacob pulmentum : ad quem cum venisset Esau lassus de agro ait : Da mihi de coctione tua hac rufa, quia oppido lassus sum. Cui Jacob : Vende mihi primogenita tua. Ille respondit : En morior, quid mihi proderunt primogenita mea? Jura ergo mihi. Juravit Esau et vendidit primogenita sua (*Gen.* XXV, 29 seq.).

Austeritas jejuniorum qua sanctorum caro emarcuit, et cutis ossibus adhæsit, paschali solvitur solemnitate, et apostolica auctoritate qua dicitur : *Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis : Pascha etenim nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* V, 8). Ecce ignis, ecce ligna, imo ecce ignis in spinis : murmur namque spinarum increpitat urgente igne invidiæ clamans : *Tolle, tolle, crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 15) ; et : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris* (*ibid.*, 12). Non sufficit Libanus ad succendendum, cum Judæi, Pilato dicenti : *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate* (*Joan.* XVIII, 31) ; responderent : *Nobis non licet* A *quemquam interficere* (*ibid.*). Opponebant quidem de lege, quod usque in hodiernum diem positum est super cor eorum, sed revera, magis ambiebant malis suis præsidem cum gente sua applicare.

Tanto itaque succenso igne in atrio principis sacerdotum, et in synagoga Judæorum ab eo qui tota nocte folliculis et ventis undecunque mutuatis sufflavit et exsufflavit Judam et simul Judæam, Jacob vir simplex et bonus, qui non consenserat actibus malignantium, vas fictile igni apposuit quo primogenita fratris redimeret sibi, ut de malo aliorum bonum acquireret, et de peccato damnaret peccatum. Cum enim per agrum pigri hominis transiret, quem totum repleverant urticæ, exemplo tali sapientiam didicit.

B Immisit autem lenticulam non grandis æstimationis in superficie, sed pretii incomparabilis in latenti majestate. Lenticula enim modica est et depressa et subrufa. Vide Jesum modicum : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, etc. (*Philip.* II, 6.) Vide Jesum depressum : *Christus factus est obediens usque ad mortem* (*ibid.*, 8). Vide rufum : *Mortem autem crucis* (*ibid.*). Vide coctum, quia, *inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Vide subtractum ab igne : *Exsurge, gloria mea, exsurge Psalterium et cithara* (*Psal.* LVI, 9). Item : *Resurrexi et adhuc tecum sum*, etc. (*Psal.* CXXXVIII, 18.)

C Ne quis autem offendatur ferculi hujus singularitate et vilitate, adhuc supersunt carnes agni, supersunt carnes vituli saginati, adhuc innumerabilis copia, quæ residenti ad cœnam non promittuntur, sed offeruntur. Gratiora enim insperata quam postulata. Prius defuerit gula quam mensa, appetitus quam cibus, stomachus quam cacabus, intestina quam fercula. Anima una totum non capit agnum. Omnium est non unius tantum.

D Ecce angelus etiam accurrit, soluto ab anima corpori et sepulto. Dic mihi, sancte angele, missus an spontaneus, voluntate an obedientia, an utroque simul provocante advolasti, cum mista [*f.* mistura] candoris et ignei splendoris, ad nostrum vas fictile sumptum de virgine et impletum anima et divinitate? An et tibi placet pulmentum nostrum jam coctum, imo bis coctum, discipuli proditione et crucis passione? Fetere non redolere hactenus solebat caro nostra viva, necdum mortua cadavera. Quis ista sic purgavit septuplum, quis tanta suavitate et odore suavissimo replevit, ut in odore suo angelicas tentare nares et appetitu desiderantissimo appellaret. Ecce de manu tua pulmentum nostrum.

SERMO XLVII.

DE RESURRECTIONE DOMINI VI.

Daniel, serve Dei, tolle prandium quod tibi mittit Deus (*Dan.* XIV, 36).

Æternam Dei clementiam nihil est quod interrumpat, nihil quod solvat, nihil quod sepeliat. Rejicit peccatorum nostrorum repagula, vincit cri-

mina, terga fugientium apprehendit, rebellantium corda emollit, redeuntium culpas cito ignoscit, et immeritis copiosum munus gratiæ conferens, querelas omnes veteris delicti deponit. Hunc gratiæ alveum nec luxuriæ humanæ arbor exsiccavit, nec ignaviæ nostræ torpor exstinxit : puteus etenim est aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano. Profundæ et continuæ voragines malorum non cohibent cursum, non sistunt impetum, non absorbent meatum.

Hic mundatur leprosus, hic meretrix abluitur, hic publicanus sanctificatur, hic homicida et adulter reparatur, nec pro infamia aut culpa, aut throno regni expellitur, aut cœlitus promissa Christi paternitate fraudatur. Hic latro subito sanctificatur, et secundo post Christum ingressu paradisi honoratur; hic denique stolas suas animæ sanctorum lavant, hic caput, pedes et intestina sacrificiorum sacerdotes expiant, hic semel baptismo, hic semper confessione et pœnitentia omnis tam originalis quam actualis rubigo exuitur. Nunquam ergo fetorem suum portet, qui semper non lotus aqua salutari propria fragilitate et iniquitate fetet.

Etsi omni tempore patens sit fons David in ablutione mulieris et menstruatæ, profusiori tamen redundantia sacratissimum passionis suæ tempus debriat, quando quasi messis et vindemia implent apothecas et torcularia Christianorum; dum animo fervente et religione maturante solito studiosius et corpora jejuniis afficiuntur, et pauperes eleemosynis reficiuntur, et monasteria frequentius expetuntur, et prioris vitæ deserta visitantur, atque proinde spinæ et urticæ aratro et ligone confessionis exstirpantur; atque igne satisfactionis comburuntur.

Daniel itaque vir desideriorum, cujus omne desiderium ante Deum, ingreditur lacum leonum, id est profundum conscientiæ ubi rugitus leonum, videlicet criminum multorum, sed non devoratur, sed non mordetur, sed non tangitur, ut enim injusta causa punit, sic justa defendit. Si adeas leones, id est motus carnis, ut cum eis Judas acquiescendo ejus lenociniis; tunc ungues time, time dentes, time denique leoninam rabiem. Nulla fides, ubi rabies. Simplicitatem decipit astutia, innocentiam malitia; humilitatem suffocat superbia, singula virtutum germina devastat, quæ de ventre inferi pullulant, viperea genimina. Jacob timet Esau; Isaac, Ismael. Non passim et inconsulte congrediantur pueri David cum servis Saul, quia cavendum quod in ancipiti est. Potuit autem Dalila vincere Samson persuasione non fortitudine, dolo non gladio, muliebri simulatione non virili oppugnatione.

Anceps proinde et periculosum ut uno dormiant lecto, ratio cum sensualitate. Dormiens quippe opprimit puerum, id est motum naturalem sensualitas, cum ad peccati delectationem inflectit. Deinde mentitur suum esse quem ratio genuit, et legi Dei consentit, quod est vere vivere. Consentire vero carni procul dubio est mori. Salomon tamen, id est prælatus cui quæstio ista defertur, gladio discretionis, cujus sit quisque motus spiritus an carnis, perfecte discernit, et adjudicare mortuum sensualitati, vivum rationi.

Repudiata itaque illecebrosa societate et indicta inimicitia inter serpentem et mulierem, id est rationem et semen utriusque, ad Goliath descendat David in funda et lapide, utique gratia Christi et confessione in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus inclusus, agat pœnitentiam de male cogitatis, dictis et factis, tam in adversitate quam in prosperitate; descendat cum anima Jesu ad inferna, ut vectes ferreos confringat, consuetudinem peccandi, et educat vinctos suos de tenebris, id est sensus animæ errore soluto, ad lucem revocet veritatis, et cum Daniele ad lacum leonum intromittatur, potius ad illudendum eis quam ludendum cum eis.

Sunt autem septem leones, scilicet spiritalia nequitiæ et capitalia crimina, quibus dantur quotidie duo corpora et duæ oves. Duo corpora sunt voluntas peccandi, et actio peccati; duæ oves, error fidei et ignorantia boni. Tali edulio saginatur diabolus et angeli ejus; jam enim fame exspirasset absorptus gehennalibus flammis, nisi peccatis quotidianis refocillatus, vitam malitiæ suæ continuasset. Sicut enim hominem esca, sic diabolum pascit malitia; et quanto nequius vitium, tanto avidius suscipit illud. Libamenta facinore condiens, et humana damnatione malorum suorum conjiciens. Duo igitur corpora tanquam quæ sunt voluntas peccandi et actio peccati, tanquam principales escas, sibi et familiæ suæ in mensa apponit, quia ex altero nihil sanum, ex altero nihil incorruptum sequitur. Voluntas siquidem radix est; actio, arbor. Tota ergo propago cordis vitiatur in radice voluntatis, nec evadit unus exsors perditionis de omni sobole corruptæ actionis.

Secunda deinde fercula suggeruntur duæ oves, quæ sunt error fidei et ignorantia boni, seu ignorantia legis et ignorantia Dei. Ministrantur hæc quotidie leonibus a Babyloniis, id est inordinatis et perversis malignis spiritibus; sed, cum Daniel ingreditur lacum, id est mundum sive infernum Jesus, non dantur, quia *venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (*I Tim.* XIX, 15). Descendit in infernum animas fidelium suorum liberare; dentes enim leonum contrivit, quia et hominum et dæmonum potestatem, malleo judicii a suis excussit, dicens mari : Huc usque venies, et hic confringentur fluctus tu. (*Job* XXXVIII, 11). Jesu namque præsentia lenit adversa, pœnas relevat, tenebras illustrat; disponit confusa, componit disjuncta, et tranquillat omnia.

O tu, Daniel, membrum Christi, imitator capitis tui, inter lacum tuum divino terrore compunctus et amore justitiæ accinctus, pensa quid feceris et

quid meueris ; appende, discute quid lacus contineat, et patienter tolera quidquid discriminis examen judicis decreverit. Consultius enim vitia de conscientia ejiciuntur, quam pro malis actibus gehenna sustinebitur. Sunt autem septem leones domestici, familiaritate damnosa, jactantia, gula, luxuria, simulatio, ira, crudelitas, rapina, qui devorant omnem substantiam nostram, redigentes nos ad illam inopiam, ut nec de siliquis, quas porci manducant, ventrem nostrum impleamus.

Sed Daniel, sicut et ille prodigus, et sicut Jonas de ventre ceti, suspirans panem de cœlo, panem quem Pater dat petentibus se, clamat ad illum qui dat escam pullis corvorum. Dominus autem desideriorum pauperum exauditor, dicit Habacuc : Fer prandium quod habes Danieli qui est in lacu leonum, hoc est, quod ait Apostolus : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI, 1) ; certanti enim cum diabolo debetur paterna consolatio.

Viso itaque lacu leonum, et invento Daniele in medio eorum et pariter obsesso, agglutinatur oppresso, porrigit panes famelico. *Daniel*, inquiens, *serve Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus.* Hoc grande prandium est, quod Jesus desideravit manducare pascha cum discipulis suis, de his Apostolus : *Epulemur non in fermento veteri*, etc., *sed in azymis sinceritatis et veritatis* (*I Cor.* V, 8). De hoc in Canticis : *Comedite, amici, et bibite*, etc. (*Cant.* V, 1), hoc mente sumimus, non dente frangimus, hoc anima saginatur non venter distenditur, hoc in angelicam gloriam transfundimur, hoc in filios Dei enutrimur, hoc in vasa misericordiæ confortamur, hoc de mundo ad cœlum sublevamur, hoc æternitatem comparamus, hoc sanctorum communionem, carnis resurrectionem, vitam æternam exspectamus, ipso præstante Jesu Christo, qui de carne sua et sanguine prandium hoc fidelibus suis præparavit, qui vivit et regnat.

SERMO XLVIII.

DE RESURRECTIONE DOMINI VII.

Completi sunt dies planctus lugentium Moysen (*Deut.* XXXIV, 8).

Lacrymosa loca et tempora habentes filii prævaricationis Adæ, qui commutaret loca, et mitigaret tempora per multa millia annorum, singularum generationum ætates, et singularum ætatum homines, discutiebant, si esset qui faceret bonum, si esset qui luctum verteret in gaudium. Si quando emergebat cujuslibet hominis scintillans vita, et relucens doctrina, applaudebat turba exsultantium, tanquam exploratæ spei advenisset facula, et imminerent liberationis sæcula. Denique, cum omnium patriarcharum et prophetarum morte exstinguerentur temporales lucernæ, quis enim homo qui vivet et non videbit mortem? singultibus renovatis frustratorias consolationes et momentaneas deflebant. Inde quod Jacob planctu magno et forti nimis mortuus defletur : inde quod Joseph, inde quod Aaron, inde quod Moyses diebus multis planguntur.

Justa satis et probabili causa antiquorum conquerebatur decessus, tum pro desolatione superstitum, tum propter tandiu continuatum mortis imperium, tum etiam propter ad inferos descensum. Ubi ergo et infernalia dirupta sunt claustra, et perempta mortis imperia, et consolationis æternaliter in Christo perpetua suffragia; merito non est luctus, neque dolor ultra, quia prima abierunt, merito abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, merito completi sunt dies planctus lugentium Moysen.

Sed et in ipso Jesu dum in carne viveret, quanquam faceret quæ nemo alius fecit, dubietas prænscripta in cordibus hominum vix interrumpi potuit contestatione miraculorum et mirabilium suorum. Nam et in apostolorum mentibus, quorum corda intus alens spiritus excitaverat, et ad fidem Christi fecundaverat, nive et grandine passionis et mortis ejus, fides sic elanguerat, et spes ultimum spiritum attrahebat, ut quidam ipsorum dicerent : *Et nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXII, 21). Ut itaque de medio tolleretur quidquid diabolicæ subreptionis, quidquid humanæ ignorantiæ dubietatis, quidquid hæreticæ persuasionis ulterius objici posset, surrexit, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis : hodieque gloriosa et manifesta ascensione corpus suum ad Patris dexteram collocavit.

Moyses itaque, qui de illa ista scripsit, non lugeat, nec lugeatur, quia completi sunt dies planctus lugentium. Moyses, id est lex Moysis prævaricationem ostendebat, et reatum non coercebat, sed amplius accumulabat, teste Apostolo qui ait : *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces* (*Rom.* VII, 7); et alibi : *Cum autem venit mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam, et inventum est mihi quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem* (*ibid.*, 8). Quis ergo inde non lugeat? Quis autem, tollere hunc planctum poterit? Spiritus vitæ qui liberavit me a lege peccati et mortis. Quis istum potest dare spiritum? Christus qui ait : *Ecce ego mittam promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV, 49), id est Spiritu sancto.

Etsi superest Jebusæus nobiscum in loco peregrinationis hujus, etsi ventus ab aquilone et ignis involvens, etsi cum serpentibus et scorpionibus habitamus, etsi lex membrorum repugnat legi mentis, etsi non quod volumus, sed quod nolumus facimus; tamen, quia caput nostrum Deus Pater exaltavit super omnes inimicos nostros, tamen, quia ascensor cœli auxiliatur nostri, sicut in benedictione Aser dicitur : *Ascensor cœli, auxiliator tuus* (*Deut.* XXXIII, 26), tamen, quia natura carnis nostræ tanquam virga Aaron refloruit, et collocata ubi testificatio nostræ redemptionis est Jesus interpellans pro no-

bis, depositis omnibus querelis, adeamus thronum gratiæ, ubi sedet Agnus ad dexteram Patris, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIX.

DE RESURRECTIONE DOMINI VIII.

Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus christum suum (*Psal.* XIX, 7).

Gigas geminæ substantiæ, et binnulus cervæ gratissimæ, Jesus filius virginis Mariæ, inter mortuos liber, quam veloces et grandes fecerit saltus, de cruce ad sepulcrum, de sepulcro ad infernum, de inferno ad paradisum, audivimus, credidimus, lætati sumus et adoravimus. Testes exinde légitimos et idoneos angelos et apostolos habemus : supersunt denique et sufficientia instrumenta Evangelica et miracula atque irrefragabilis veritas propheticæ Scripturæ, quam Petrus certiorem propheticum sermonem appellat. Inde est quod Dominus loquitur ad Job : *Nunquid*, ait, *ingressus es profundum maris, et in novissimis abyssi deambulasti? Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis? et ostia tenebrosa vidisti?* (*Job* XXXVIII, 16.) Specialia et singularia opera sua famulo suo Deus loquitur, prærogativam potestatis suæ assignans, quod a fine cœli usque ad finem inferni fortiter attingat, et omnia suaviter disponat. Unde Psalmista : *Quo ibo a spiritu tuo?* etc. (*Psal.* CXXXVIII, 7.) Non vana, non superflua, non curiosa, et quasi fastidium relevans, fuit ista deambulatio. Deambulaverat enim in paradiso ad auram post meridiem, ut vel confitentem de peccato corriperet hominem, vel diffitentem aut dissimulantem puniret. Deambulaverat gyrum cœli circuiens sola ; deambulaverat et mundum, quærens ovem quæ erraverat ; deambulavit tandem profundum maris et in novissimis abyssi, ut ne extremum digiti, auriculæ suarum ovium, leo rugiens in ventre suo retineret ; sed omnes filios excussorum de pertuso sacculo mortis et inferni excuteret in sinu eorum qui manipulos colligunt, et ad sinum Abrahæ deferunt, quibus dicitur : *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1), id est imitatores apostolorum. Tanquam expeditus et accinctus gladio super femur suum potentissime intendit, et prospere procedit et regnat, sicut in cœlo, sicut in mundo, sic et in abysso, ut faciat quæcunque voluerit in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis. Videt ostia tenebrosa per quæ ad nos egrediuntur emissiones per angelos malos, per quæ aquæ furtivæ manant, quæ dulciores sunt, id est carnales delectationes, per quæ susurrones introducuntur, per quæ, opera tenebrarum subministrantur.

SERMO L.

DE ASCENSIONE DOMINI I.

Ascende, calve, ascende, calve (*IV Reg.* II, 23).

Nota est quidem, fratres charissimi, historia de libris Regum, ubi legitur quod cum Elisæus de Jericho ascenderet in Bethel, pueri parvi egressi sunt de civitate et illudebant dicentes ei : *Ascende, calve, ascende, calve.* Latet tamen in ea sensus pulcherri- A mus et Dominicæ ascensioni non incongruus, quem, prout Dominus dederit, vobiscum exopto investigare, et in medio ad honorem tantæ solemnitatis proferre.

Convocemus autem ad hoc mirabile et grande spectaculum, omnia animæ nostræ interiora, quia non fuit in sæculis, nec erit simile spectaculum Deo, et angelis, et hominibus. Soli dæmones et reprobi homines, ab hoc spectaculo removentur, quia excæcavit eos malitia eorum, et invidia, ut non videant gloriam Dei, ut non videant ascensionem Filii, ut non videant mansiones cœli, ut non videant solemnitates Domini præclaras. Ecce Pater accurrit in occursum ascendentis Filii, dans ei osculum, tenens baculum, levans in cœlum, collocans in B throno gloriæ, annulum suum ponens in digito, stolam imponens collo, calceamentis vestiens pedes, sceptrum assignans in manu, in capite coronam de lapide pretioso, undique circumamiciens illum gloria et honore, tanquam unicum Filium, tanquam hæredem suum, tanquam consubstantialem, tanquam coæternum, duntaxat secundum quod Verbum est, secundum quod Deus est.

Nam secundum quod homo, nec consubstantialis, nec coæternus est illi, sed accipit dona inter homines ; præ hominibus tamen, imo et præ angelis. Cui enim dixit aliquando angelorum : *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* (*Psal.* II, 7.) Cui angelorum dedit potestatem omnis carnis, cui dedit omne judicium, cui denique ad dexteram suam dedit consessum? C Nulli utique sed soli homini Jesu Christo data est omnis potestas in cœlo et in terra ; soli homini Jesu Christo data est, non adoptiva, sed naturalis filiatio propter unitatem Verbi et carnis in unam personam Dei et hominis. Unde Augustinus : *Quod unigenitus est æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ. Quod autem in unitate personæ unigeniti est homo assumptus, gratiæ est non naturæ.* Item de fide ad Petrum : *Ille scilicet Deus factus est naturaliter Filius hominis, qui est naturaliter Filius unigenitus Dei Patris.*

Huic ergo homini Jesu Christo repatrianti, et quasi jure postliminii revertenti, cum Patre tota civitas cœlestis Jerusalem obviam venit, tota multitudo angelorum in qua millia millium ministrabant D ei, et decies centena millia assistebant ei, totus chorus cœlestium virtutum ferventi obsequio concertabant prævenire faciem ejus in salutatione et ministratione, adorabant vestigia pedum ejus, sicut scriptum est : *Et adorent eum omnes angeli Dei* (*Hebr.* I, 6) ; pedes et genua amplectebantur, portantes eum usque ad sedem cœli in humeris suis, quem nubes usque ad stelliferas mansiones ab oculis apostolorum exceperat et detulerat ; sic enim in Psalmo dicitur : *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium Dominus in eis in Sinai sancto* (*Psal.* LXVII, 18). O gaudium, o solemnitas, o triumphus, o jubilus, o exsultatio, o lætitia sempiterna! Alii clamant : *Exaltare, Domine, in virtute tua* (*Psal*

xx, 14); alii : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* (*Psal.* cxxxi, 8); alii : *Quis est iste rex gloriæ* (*Psal.* xxiii, 8)? alii : *Dominus virtutum, Dominus fortis et potens in prælio* (*ibia.*); alii : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra* (*Isa.* lxiii, 1)? alii : *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ* (*ibid.*); alii : *Domine, exaltetur manus tua, ut non videant* (*Isa.* xxvi, 11); alii : *Ut videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret* (*ibid.*).

Denique, alii, memoriam passionis recolentes, et tantæ contumeliæ tantam gloriam conferentes, dicunt : *Ascende, calve, ascende, calve;* quasi dicant : Tu calve, tu Jesu, tu crucifixe, tu passe, tu mortue, tu cum latronibus appense, tu calve, cui novacula malignantium Judæorum pilos de fronte rasit, quando omnes discipulos in fugam vertit. Tu calve in quo princeps mundi nihil invenit ; tu calve, qui ubi caput reclinares non habuisti, qui in nativitate tua in diversorio locum non invenisti ; tu calve, qui de superfluo nunquam aliquid usurpasti, sed continentissime vivens, etiam corporis necessaria frequentissime recusasti, ascende ad Patrem tuum et Patrem nostrum, ad Deum tuum et Deum nostrum. Ascende in Bethel, id est in domum Dei, ascende super occasum, ascende super montes aromatum, ascende super cherubim, ascende super omnem terram, ascende super solium excelsum et elevatum, ascende super pennas ventorum, ascende non in lateribus aquilonis, sed in sede magnitudinis, et sedens ad dexteram Patris, similis esto Altissimo, accipiens totum in humanitate, quod antequam mundus fieret, habuisti apud Patrem in divinitate, ut totum refundat divinitas humanitati in ascensione quod promisit in descensione.

Cum enim sibi carnem Verbum univit, in unitate personæ, quasi æqualitatem Patris promisit, non naturam humanam divinæ æquiparando sed personam Filii personæ Patris prorsus comparando : hodie in ascensione Domini consummatum est opus incarnationis, et meritum passionis, et præmium glorificationis. Jam non meminit caro Christi pressuræ tribulationum quæ circumdederunt eam in passione, propter gaudium quod reperit in ascensione, secundum enim multitudinem dolorum ejus, consolationes Dei lætificaverunt eam.

Congratulare itaque, o caro, o homo, sorori tuæ, naturæ tuæ, quæ in Christo glorificata est. Præsume jam de marito sororis tuæ, de sponso naturæ humanæ, quia coronata est, quia regina facta est, quia domina angelorum constituta est, cum sponso sponsa sua, soror nostra. O bona soror, reminiscere miserationum tuarum, imo miseriarum tuarum quæ abierunt, et nostrarum quæ nondum abierunt, sed magis ac magis de die in diem accrescunt; memor esto fratrum, imo servorum tuorum, quibus non est substantia bene vivendi, quibus non est sanitas peccato resistendi, quibus non est lumen oculorum sufficienter inter bonum et malum discernendi quibus non est penna amoris ad Deum evolandi, quibus non est virtus post te eundi et te consequendi.

Trahe nos post te, dic sponso tuo, dic tibi ipsi, dic Deo nostro, dic Patri tuo : Pater, volo ut ubi ego sum, illic sit et frater meus, et minister meus, et servus meus, et captivus meus. Scimus, scimus quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Quid tibi negabit cui se non negavit? Quid tibi negabit, qui dicit omnia mea tua sunt, et tua mea sunt? Quid tibi negabit, cum quo unum marsupium, unum corpus, una anima, una divinitas, una voluntas, una obedientia, unum meritum, unum præmium, unum velle et unum nolle, unum mori et unum vivere, unum petere et unum præstare?

Ecce tam certi sumus de impetratione, si petere pro nobis volueris, quam voluntarii sumus de liberatione a captivitate ista et miseria, cum ad te confugimus, o caro Salvatoris nostri, o natura humana capitis nostri Jesu Christi. Ne abomineris Ægyptium, et carnem tuam ne despexeris, pios ad nos converte oculos, et quam tuis apostolis reliquisti benedictionem, cum elevatis manibus ferebaris in cœlum, eam nobis refundere digneris, Jesu Christe, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LI.

DE ASCENSIONE DOMINI II.

Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas ad austrum, aut ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in ardua ponet nidum suum? (*Job* xxxix, 26.)

In utroque istarum avium genere Jesus Christus Dominus noster, fratres charissimi designatur diversis quidem de causis, sed non contrariis sacramentis. In natura siquidem et actione creaturarum multiplici et diversa, Creatoris et Redemptoris nostri simplex intentio circa salutem nostram, multipliciter plerumque signatur, et quod unum est effectu, vario eloquitur affatu. Quare igitur per accipitrem, et quare per aquilam Dominica ascensio mystice in Scripturis obumbretur, dignum est inquisitione, et utile insinuare.

Considerata itaque proprietate naturarum accipitris et aquilæ, evidenter intelligere possumus comparationem istam Christo congruere, juxta illud Apostoli : *Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* iv, 10). In accipitre siquidem intelligimus, qui descendit; in aquila, qui ascendit ; in accipitre simul et aquila, ut adimpleret omnia. In descensionem plumescit accipiter per assumptionem hominis, in ascensione elevatur aquila, et in arduis ponit nidum suum per glorificationem Filii hominis. In descensione et ascensione implet omnia per redemptionem humani generis, et per restaurationem angelicæ defectionis. Sine plumis descendit, cum plumis ascendit.

Plumæ autem sunt in Christo Jesu anima et caro.

Plumæ sunt collegium apostolorum. Plumæ sunt collectiones gentium. Plumæ sunt illa virtutum charismata, quæ requiescunt in flore illo qui egreditur de virga Jesse, Virgine Maria. His plumis accipiter in utero virginali per sapientiam Dei plumescit, quando Spiritus sancti obumbratione, sic originaliter plenitudo virtutum humanæ naturæ in Jesu intexta est, quomodo originale peccatum filiis Adæ de traduce peccati in conceptione et nativitate perpetualiter insertum. Una et prima pluma Jesu est sapientia; secunda, intellectus; tertia, consilium; quarta, fortitudo; quinta, scientia; sexta, pietas; septima, timor Domini. His natura hominis plumata, ascendit ad consortium Dei, ad divinitatem personæ Filii, ad summum cœli, et ultra omnem principatum et potestatem, sive dignitatem angelici ordinis.

Nulla namque gravedo corruptionis deprimit carnem vel animam Jesu, quo minus currat ad meritum, quo minus evolet ad præmium, tam singulare numero, quam speciale et inimitabile exemplo. Jesu siquidem neque conceptio imitabilis, neque nativitas comparabilis, neque vita comprehensibilis, neque mors similis, neque resurrectio communis, neque ascensio usualis : ubi enim usus [*al.* visus] visibiliter ascendere hominem in cœlo? Ubi auditum est tertia die hominem a mortuis resurgere? Ubi auditum est sine peccato hominem, et quando vellet mori? Ubi vita hominis in terra triginta et tribus annis immaculata a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum, a superbia vitæ, ab omni labe peccatorum? Ubi nativitas hominis, clauso utero matris? Ubi conceptio hominis sine semine viri? Ubi in conceptione obumbratio Spiritus sancti?

Et numero itaque plurali carent ista, Domine Jesu, tua opera, propter singularitatem auctoris, et exemplo propter difficultatem operationis. Exemplo tamen nobis est tua conceptio, ut de Spiritu tuo timorem tuum concipiamus; nativitas, ut amorem tuum pariamus; vita, ut paupertatem, innocentiam, humilitatem, mansuetudinem, charitatem et castitatem, misericordiam et pietatem teneamus; mors, ut obedientiam et patientiam servemus; resurrectio, ut resurrectionem carnis credamus; ascensio, ut glorificationem corporum et animarum speremus. Sic enim et nos pulli tui, sub pennis tuis, sub plumis tuis, pubescimus, plumescimus, cum studentes virtutibus nuditati nostræ fulcimenta comparamus. Unde in Canticis dicitur : *Fulcite me floribus, stipate me malis* (*Cant.* II, 5). Quod enim pluma sponso, hoc sponsæ flos est, et quod penna revolanti ad æthera, hoc malum est punicum recumbenti in mensa.

Sponsa flores quærit in thalamo, mala punica in convivio. Sponsus plumas amat, quæ sunt ei ad decorem, et mollitiem, et calorem; et pennas quæ ad levamen, quia sacramenta fidei decora sunt propter honestatem, mollia propter facilitatem, calida propter charitatem, levantia sursum, propter spem. Abhorret namque fides inhonestatem, temperat legalium mandatorum difficultatem, calefacit negligentium teporem, extollit carnalium hominum gravamen, et tanquam linteo mundo superaccumbat honestati, tanquam pulvinari lenissimo inclinet caput, tanquam coopertorium superextendat charitatem, tanquam pennis innitatur spei soliditati.

Sed jam in fine sermonis retorqueamus caput ad pennulas, imo pennulas ad caput elevemus, et in nido claustralis consuetudinis, plumis sanctarum observantiarum stipati post accipitrem magnum volitemus. Ille quidem, ut gigas, miris volatibus celsa prævolat; nos, quia parvos parva decent, juxta profectum fragilitatis humanæ, si volare non possumus, saltem humiliter post illum reptemus et unicuique sicut diviserit mensuram fidei, minora vel ampliora spatia virtutum proficiendo transmittamus. Ecce enim quidam volitare volentium post Jesum dicit : *Domine, sequar te quocunque ieris* (*Luc.* IX, 57); sed sine pennis promittebat iste se volaturum; ideo ait illi Dominus : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet* (*ibid.*, 58). Alius autem videns infirmitatem suam, et volens volare, nec valens, ait : *Trahe me post te* (*Cant.* I, 4); quasi dicat : *Velle adjacet mihi, sed perficere non invenio* (*Rom.* VII, 18); *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (*Matth.* XXVI, 41). *Corpus quod corrumpitur aggravat animam et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15), ut non quod volo hoc faciam, sed quod nolo hoc agam, et quia scriptum est : *Pluviam voluntariam*, id est bonam voluntatem, *segregabit Deus hæreditati suæ et infirmata est*, ut se cognoscat, *tu vero perfecisti eam* (*Psal.* LXVII, 10), ut de humilitate melius convalescat.

Sequitur quidam alius et dicit : *Curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 24). Ecce qui sine gratia, quasi ligatis pennis et inviscatis infectione primæ prævaricationis, volare non poterat, accepta gratia, currit viam mandatorum Dei, ut non sit volentis neque currentis, sed miserentis Dei, et totum sit de odore unguentorum, quod currimus, quod bonum volumus, quod bonum facimus, ne quis in se glorietur. Quartus quidam de ordine volitantium post aquilam et accipitrem dicit : *Apprehendam te* (*Cant.* VIII, 8), jam non es de terris, jam oblitus es corporeæ gravedinis, qui hoc dicis. Forte ille est qui dicit : *Suppleo ea quæ desunt passionum Christi in corpore meo* (*Col.* I, 24).

Adhuc nescio quis vel quæ sequitur, et intenso volatu etiam istum transit, et dicit : Teneo illum. O virtus quæ virtutem virtutum tenet! O velox vehementer spiritus, qui spiritum deorum apprehendit. Sequitur cautior quædam quæ viderat germanam suam accipitrem apprehendisse, tenuisse, sed non retinuisse, et dicit : *Tenui eum, nec dimittam* (*Cant.* III, 4). Ecce perseverantia quæ caudam in sacrificio offert. Sequitur alia quæ dicit : *Ducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, ibi me docebit* (*Cant.* VIII, 2) præcepta Do-

mini. Adhuc alia sequitur quæ videns in se animam suam dicit : *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua* (*Psal.* LXII, 19). Ista cum Deo est et in Deo est, et sine Deo non est, una columba, una matri suæ, electa genitrici suæ, sequitur et attendit alias, dicens : *Dilectus meus mihi et ego illi, inter ubera mea commorabitur* (*Cant.* I, 13). Cum ista Deus est, et in ista Deus est, et ad istam gratia Dei bona et beneplacens et perfecta est.

Istæ, fratres charissimi, divisiones gratiarum, quæ habent in cœlo divisiones mansionum, et in peregrinatione divisiones perfectionum, ut sicut est cœlum, et cœlum cœli, et cœli cœlorum, sic paulatim castrametari noverint in fidelibus Dei, studia virtutum, donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Festinemus, fratres, ingredi in illam requiem, antequam ostium sic pertinaciter claudatur, ut ulterius nunc clamantibus : *Domine, Domine, aperi nobis* (*Matth.* XXV, 11), reseretur. Ecce divisit Jesus spolia, ecce naves plenas, quasi remigando, per hoc mare magnum et spatiosum ad portum cœli deduxit, exonerat, et singulis amicorum suorum singula munera numerat.

In toto grege illo innumerabilium millium angelorum, non erit vel unus qui non novis muneribus ab illo honoretur ; tantum festum in cœlis ab æterno non fuit solemnizantium, tantum gaudium non fuit excogitatum, tantus jubilus non fuit auditus in omni genere musicorum, cantorum et psallentium ; tantum convivium quis fecit, tantum conventum quis vidit, tantum thesaurum quis intravit ? O Jesu, tua solemnitas est, tua assumptio est, tua glorificatio est, tua dedicatio est, fac cum servis tuis, cum pauperibus tuis, cum vinctis tuis, cum exsulibus tuis, cum damnatis tuis, fac gratiam, fac misericordiam, fac solutionem, fac liberationem, fac refectionem, fac salvationem, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis, etc.

SERMO LII.

DE ASCENSIONE DOMINI III.

Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas ad austrum, aut ad præceptum tuum elevabitur aquila ; et ponet in arduis nidum suum ? (*Job* XXXIX, 62.)

Hodie, fratres charissimi, summus pontifex Jesus qui est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Sancta sanctorum in sanguine suo penetravit, et Patri spirituum fragrantissima odoramenta meritorum suorum de thuribulo glorificati corporis incensavit. Recurrit etiam hodie vitta aurea, quia Jesus unde venerat rediit, et sol ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem. Nam de throno gratiæ meridianos illustrat per gratiam suam, animos aquilonares ad pœnitentiam sustinet, et conversos suscipit.

Hodie decem gradibus conversa est per ascensionem retrorsum umbra illa Christi Jesu, in qua vi- A vemus inter gentes, quod factum est in signo sanitatis Ezechiæ. Decem namque gradibus retrorsum in ascensione sua Dominus Jesus rediit, quia super angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim et seraphim, uno gradu præcellens eos, assumpta in Deo humana natura superascendit, et omnia sub pedibus suis dominatione subjecit, ut et ipse subjectus sit ei qui sibi subjecit omnia, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis. Brevi et uno sermone cuncta, quæ ad præsentem pertinent solemnitatem, tam esset onerosum perstringere quam difficile proferre. Sufficiat autem in præsenti aspicere, quomodo accipiter ille, qui plumescit per sapientiam Dei, expandat alas suas ad austrum, et quomodo aquila in arduis B ponat nidum suum.

Nobiles et divites homines valde delectantur in accipitre, et propter ludum et propter fructum. Ludunt enim in ave ista contra tædium, capiunt aves, sed propter cibum ; circumferunt denique illum per amœna illa loca, in quibus aliæ aves quasi libertate et solitudine utebantur ; et ibi capiunt in ave aves, sed nihil horum fieret, nisi prius plumesceret accipiter vario et delectabili plumarum ordine, et flante austro cœli temperies arrideret. Tunc enim expandit alas ad austrum, tunc captivam ducit captivitatem, tunc dat dona dominis suis, prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.

Jesus accipiter est, cujus plumæ virtutes sunt, pul- C chræ propter veritatem, leves propter sanctitatem, lenes propter mansuetudinem, variæ propter gratiarum multitudinem. His per sapientiam Dei plumescit accipiter, quia natura humana nullatenus merebatur ut Verbo Dei uniretur, et ut plenitudine Divinitatis corporaliter infunderetur, per sapientiam in mysteriis a sæculis absconditam, quando et quomodo hoc fieret in fine sæculorum et in plenitudine temporum, de utero virginali, cum plumis cœlestium virtutum fecerit ut Jesus nasceretur Deus homo et homo Deus. In antro enim illo plumescit accipiter noster, quia, antequam de virgine conciperetur, caro de qua conciperetur obumbrante Spiritu sancto sanctificata est ; antequam exiret de D vulva, Deus homo factus est.

Cum plenitudine igitur plumarum, id est gratiarum accipiter noster ad volandum ubique terrarum ad capiendum omne genus avium de ventre virginali prodivit : et missa stella, statim magos in alis fidei et cepit, et ad se adorandum adduxit. Expandit quoque alas ad austrum, dicens : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24), quæ propter patres et legem, australi fervore unum Deum colebant. Hic accipiter præter illas suæ originis et nativitatis virtutum plumas, quæ naturaliter in eo radicatæ, evelli non poterant, plumas alias in collectione discipulorum assumpsit, et in his in universum orbem circuivit, quia in omnem terram exivit sonus eorum, qui ut sonus multitu-

dinis atque castrorum erat. Explumaverunt autem eum Judaicæ spinæ apostolicis plumis in passione, quasi in hieme, quando, relicto eo, omnes fugerunt. Ad odorem vero resurrectionis et ad flammam æstivi temporis redierunt plumæ, et melius atque fortius inhærentes, potuerunt prius commori cum eo quam ab eo avelli.

In die ergo Ascensionis sive evolationis accipiter sic alloquitur plumas suas : *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, etc. (*Marc.* xv, 24). Ecce ad austrum expandit alas suas accipiter noster qui per sapientiam plumescit, non solum in conceptione compingens corpus virtutum, et animam gratiarum, sed etiam in resurrectione revocans collegium apostolorum, quia in ascensione provocat ad volandum præcepto et exemplo, cum illos mittit in universum mundum, et ipse, elevatis manibus, ferebatur in cœlum. Tunc accipiter versus est in aquilam, quæ in arduis ponit nidum suum, quousque illum videre potuerunt, volantem accipitrem aspexerunt. Cum vero nubes suscepit eum ab oculis eorum tanquam aquila elevatus est, et in arduis, id est ad dexteram Patris posuit nidum suum, id est thronum suum. Bene autem thronus iste dicitur nidus, quia fetus suos ibi fovet, parit et nutrit, dum peccatores fovet per patientiam, parit per misericordiam, nutrit per indulgentiam.

Sed jam, fratres charissimi, attendamus accipiter noster sive aquila unde, et quo, et qua volavit ; etsi ad perfectum apprehendere illum non possimus, tamen utcunque conatis vestigiis, ut de longe post eum claudicemus. Una vere clausula compendiosissime in Evangelio volatus iste definitur, ubi dicitur : *A Deo exiit, et ad Deum vadit* (*Joan.* xiii, 3) ; item ipse ait : *Exivi a Patre et veni in mundum* (*Joan.* xvi, 28) ; item : *Relinquo mundum et vado ad Patrem* (*ibid.*). Ecce habes unde et quo volavit. Vis videre qua : *Ego sum veritas, via et vita* (*Joan.* xiv, 6). Ecce habes qua, et unde, et quo. A Patre venit, quia Pater eum misit ; ad Patrem rediit, quia Pater illum glorificavit claritate quam habuit, priusquam mundus esset ; per seipsum venit et vadit, quia tam voluntarius ad mortem Patri obedivit per uniformem et eamdem voluntatem cum Patre, quam voluntarius recurrit ad immortalitatem et glorificationem.

Dicat itaque ad Patrem et unusquisque nostrum : *Exivi a Patre et veni in mundum ;* item : *Relinquo mundum et vado ad Patrem.* Pater a quo exivi Adam est, Pater ad quem redeo Deus est : veni ergo a Patre Adam cum peccato originali, vado ad Patrem Deum, cum gratia spirituali ; male exivi, male introivi. Exivi a malo, et veni ad malum : malum ergo malum est, dicit omnis qui exivit a patre carnis et venit in mundum malignitatis. Malum originale, malum actuale. A mala radice veni ad malum ramum, sed malum radicis pullulavit virus, unde toxicatus est surculus rami.

A planta ergo pedis usque ad verticem non est in me sanitas, quia in peccatis concepit me mater mea, et in mala consuetudine concepit me conscientia mea. In carne mea non invenio bonum, quia corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ ; et in anima mea invenio malum, quia ibi regnat concupiscentia mala. De peccato enim procedit peccatum, cum ab anima tanquam ab interioribus ad carnem egreditur evaporatio mali desiderii, et in carne tanquam reciproca confricatione validius consurgit fomentum peccati, stupam nostræ fragilitatis incendens, et usque ad consumptionem exurens. Quid ergo faciam, infelix homo ? quis me liberabit de corpore mortis hujus ? gratia Dei per Jesum Christum, qui item reliquit mundum et vadit ad Patrem.

O homo ! relinque mundum conversatione, odio, despectione, egressione, mortificatione, ut sis mundo mortuus affectione, et mundus tibi ejectione. Relinque tanquam excommunicatum, tanquam leprosum, tanquam hæreticum, tanquam perditorem, tanquam latronem, tanquam homicidam, tanquam sterquilinium, tanquam lacum, tanquam infernum, tanquam cloacam spurcissimam. Vade autem ad Patrem tanquam ad epulas, tanquam ad nuptias, tanquam ad patriam, tanquam ad coronam, tanquam ad stolam, tanquam ad refugium, tanquam ad portum, tanquam ad cœlum, tanquam ad Deum.

Sed, quia venisti a patre in mundum, vel quia rursum de mundo vadis ad Patrem ; a patre utique per concupiscentiam carnis, per ardorem libidinis, per inobedientiam mandati existi, et in mundum venisti, ubi cum fenore peccati quæ detuleras multiplicasti, dum fenum, stipulam et ligna sæcularium verborum, operum et cogitationum fomento peccati tanquam adjecisti : eatenus quoque in mundo conversatus præceps ferebaris de fovea ad foveam, de malo ad pejus, de iniquitate ad iniquitatem ut sanguis sanguinem tangeret, et residuum bruci locusta comederet, et pilosus alter ad alterum clamaret, et peccatum tanquam restem traheres, cum de lupanari ad latrocinium, de latrocinio ad perjurium, de perjurio ad maleficium, de taberna ad theatrum curreres.

Ecce qua via existi a Patre et venisti ad mundum, vel etiam qua via perambulasti mundum. Item ergo exeundum a mundo et veniendum ad patrem : sed alia via, quia et ad aliam patriam. Fratres mei, ecce itinera quibus de dormitorio venitis ad monasterium, de monasterio ad claustrum, de claustro iterum ad monasterium vel ad capitulum, de capitulo ad agrum, de agro ad refectorium ; sine dubio bona sunt, sine dubio ad Patrem vadunt. Si semper ante conspectum vestrum Deum aspicitis, si semper sursum corda habetis, si semper quæ sursum sunt quæritis, si semper desiderium vestrum coram Deo funditis, et donec veniatis ad locum, ubi Israel contemplatur Deum deorum in Sion, non cessatis post tergum ejus currere, qui vivit, etc.

SERMO LIII.

DE PENTECOSTE I.

Advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans; nec consumens, sed lucens; et invenit corda discipulorum receptacula munda, tribuit eis charismatum dona; invenit eos concordes charitate, et illustravit eos inundans divinitas claritatis. Priusquam admoveam linguam ad loquendum, et manum ad scribendum de Spiritu Dei, imploro gratiam ejus, de quo loqui volo, ut lotus in fonte gratiæ verum de Spiritu veritatis sermonem faciam, purum a spiritu veritatis alveum conscientiæ attraham, ut navicula linguæ nec in paludibus mendacii succumbat, nec in sicco vanitatis hæreat.

Veni ergo, *sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende;* reple nos de plenitudine tua, accende de igne et calore tuo, qui omnia contines, qui omnia foves; imple quos contines, fecunda quos foves, ut de repletione satiemur, accendamur, vivamus de fecunditate, nobilitemur, multiplicemur, perpetuemur, satiemur dulcedine, accendamur charitate, vivamus claritate, nobilitemur adoptione, multiplicemur numero, perpetuemur ævo.

Plane nobilis ille Spiritus processione non nativitate, quia nulla ei de Patre nativitas sed processio, nulla de matre quæ non est vel nativitas vel processio; sed sicut a Patre procedit, sic procedit et a Filio. Nil autem Patre nobilius et Filio, sicut Deo nil est sublimius; et, ut ab inferioribus ad sublimiora exemplum trahamus, quid nobilius in homine spiritu hominis, sic in Deo nihil nobilius Spiritu suo. Quid vero nobilitatem Spiritus appello, nisi identitatem cum Patre et Filio; aut quam nobilitatem petimus a Spiritu sancto, nisi ut unum simus cum Patre et Filio? præstet nobis unitatem cum Patre, et Filio, et Spiritu sancto.

Sed quomodo fiet istud, Spiritus sancte? ut abjectissimus vermiculus assumatur ad tam sublimem Trinitatis unitatem, et nullam ex hoc recipiat injuriam summa Trinitas, nullam multiplicationem summa unitas, nullam degenerationem summa majestas, nullam commutationem summa identitas, nullam mutabilitatem summa stabilitas et immutabilitas. Nec tamen hoc et sigillatim, ut non sit illo toto aliquod aliud totum majus, nec suum totum simul adeo mirandum, ut credere diffidas, quia tota Trinitas tale totum est simul in trinitate majus est suo toto sigillatim in personarum discretione; quidquid autem ad illud totum accedit, ut incarnatio Verbi, non facit illud totum aliquod majus totum, quia nec facit aliud totum quam idem totum erat, antequam ad ipsum accederet id quod non erat cum toto illo, et ideo nec totum esse poterat, cum sine toto illo esse non posset. Cum ergo unum efficimur in toto illo quod Trinitatem et unitatem nominamus, nobis quidem fit melius, ipsi vero non fit majus vel melius.

A Quæramus itaque quid nobis fiat cum accesserimus per Spiritum sanctum tanquam per vinculum et coagulum ad Patrem, et Filium, et eumdem Spiritum sanctum; coagulum namque licet consubstantiale Patri et Filio, nos ad invicem compaginat et ad sanctam Trinitatem copulat. Usitato nomine hoc coagulum charitas appellatur; nec aliunde autem conficitur hoc coagulum, nisi de tenerrimis et tenacissimis medullis Patris et Filii, quibus ad esse diligendos æternali meatu confluunt

Cum ergo infusum fuerit hoc coagulum charitatis in cordibus fidelium teneritudine sua, teneritudine emollit receptacula sua, tenacitate solidat, ut emollita et quasi liquefacta ad se invicem ipsa corda recurrant et commisceantur; similitudine certe B liquoris similiter in diversis operante, et in se, a se prius separata, conglutinante et confortante, ut solidata teneant, nec dimittant, quod in teneritudine apprehendant. Ex diversis igitur cordibus facta in unum collectione morum, ille, qui habitare facit unius moris in domo, ad unitatem revocat dispersiones, ad pacem dissentiones, ad fidem hæreses, ad charitatem discordes; fit ergo nobis unitas de multitudine, fit concordia de diversitate, pax de rancore, castitas de corruptione, securitas de pavore, tranquillitas de perturbatione, charitas de æmulatione, gratia de subsannatione.

Ecce quid faciat nobis coagulum spiritus, simul quidem nos invicem colligens, Deo vero coiciens [*f.* conjungens]. Cogita, si potes, quomodo Spiritus C Dei spiritum hominis assumens introducat in palatio Trinitatis, et suspiret gemitibus inenarrabilibus post se illum trahere ad nota cubilia medullarum Patris et Filii, ut ibi audiat quæ non licet homini loqui, ut ibi videat, quæ oculus non vidit, audiat quod auris non audivit, intelligat quod in cor hominis non ascendit. Cogita quid tunc cogitet spiritus humanus, cum viderit cogitationes pacis et non afflictionis; cum viderit sine navigio phantasmatum et imaginationum corporalium, enavigare se flumina illa cœlestium charismatum; cum viderit refluxiones dulcedinis a Patre in Filium, et a Filio in Patrem, remigio Spiritus sancti refundi; cogita quid jucunditatis hauriat spiritus humanus cum in exstasi sua viderit fila prædestinationis ligata in D corde Dei; tam subtilia, ut nemo apprehendat; tam fortia, ut nemo interrumpat; tam longa, ut fines sæculorum intra se includant; tam retentiva, ut nemo evadat; tam complexa, ut nemo solvat.

Cogita quantum admiretur Spiritus tuus, cum secundum nomen suum, cognatione finitima spirituale viderit se factum, et in Spiritus sancti societatem receptum, a quo bono recipiat bonitatem, a quo sancto innocentiam; a quo justo justitiam; a quo vivo vitam; a quo casto castitatem; a quo sapiente sapientiam; a quo mansueto mansuetudinem; a quo pleno et plene pleno, plenitudinem plenitudinum, et plenitudinem recipiat gratiarum. Cogita quam valida concussione exhorrescat mala

sua spiritus tuus, cum viderit profundum sanctificationis in Spiritu Dei disputans et reputans, se si caruisset iniquitate, non caruisse tanta et tali societate. Cogita quam appetibili deferatur progressu, ut prælibata glutinosius hauriat gaudia, donec de ventre ejus fluant aquæ vivæ, et fiat in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

Cogita et semper cogita, ne luctus occupet extrema gaudii; ne cum spiritu cœperis, carne consummeris; ne cum lucifero, de cœlo ad Tartara labaris; ne a sancto proposito ad sæcularia traharis; ne desertus a Spiritu sancto, maligno spiritui tradaris; ne, paradiso amisso, in inferno cum diabolo crucieris, sic cogitanti spiritui advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans; nec consumens, sed lucens; advenit spontaneus, quia nullis meritis prævenitur aut cogitur venire, advenit et attractus, quia per præventam mentem a gratia operante, non recusat per cooperantem cumulare ampliori charismatum munere.

Advenit ut dominus, ut hospes; advenit ut colonus; advenit denique ut ignis divinus: dominus ad servum, hospes ad hospitium, colonus ad agrum, ignis ad silvam lignorum advenit. Non opprimit dominus servum, in spiritu servitutis omnia imponens; non molestat hospes hospitem suum aut hospitium, exigendo impossibilia, aut præsumendo sine mercede possibilia. Colonus non negligit agrum suum, spinas et tribulos exstirpando, sed colit diligenter bona semina serendo; ignis silvam illam argenti et auri et lapidum pretiosorum non comburit, sed illuminat; non consumit, sed examinat, ut argentum sit septies purgatum, aurum sit obryzum, lapides sint igniti ad detegendum opprobrium Ægypti a labiis propheticis.

Cum ergo præveniens gratia sic quasi præcurrerit se ipsam, tunc invenit corda discipulorum receptacula munda, et tribuit eis charismatum dona; talia enim invenit gratia subsequens, qualia præparat gratia præveniens; receptacula, inquit, munda, quantocunque aliarum apparatu virtutum venustentur templa illa, sive corda, ad quæ sanctus Spiritus advenit; parum tamen digna est habitatio, nisi totum pavimentum et parietes superornaverit charitatis dealbatio. Appellant Spiritum sanctum jejunia, instigant orationes, vocant vigiliæ, movent silentia, eleemosynæ infrenant; adducit contemplatio seu meditatio, introducit compunctio, excipit continentia, ministrat charitas, saporat pax.

Si talem familiam in corde invenerit gratia, quid faciat, nisi reddat gratiam pro gratia? Nam quid est aliud, invenit corda discipulorum receptacula munda, retribuit eis charismatum dona, nisi dedit gratiam pro gratia? O sancte Spiritus, cor mundum crea in nobis, ut munda receptacula præparemus tibi, ut evacuemus fel rancoris et venenum malitiæ a facie tua, quatenus beneplaceat tibi in animabus nostris, et, ut idonei simus et si non ad genera linguarum, ad plenitudinem tamen gratiarum; quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia, etc.

SERMO LIV.

DE PENTECOSTE II.

Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei (*Act.* II).

Tympana sive cymbala nullum sonum reddunt, nisi in medio pendens quoddam percussorium, quod vulgo appellatur batallum: hinc indo resonans aerem longe et prope musico sonitu repercusserit, sic certe apostoli sine voce ante adventum Spiritus sancti, fidem quidem Christi habebant, sed prædicare non audebant. Ex purissimo metallo adhuc cum eis in carne positus rotunda perfectione fundator [*vel* furor] ille cœlestium signorum corda illorum liquefecerat, et in aptissima signa jam præparaverat, quia omnia quæ audivit a Patre suo nota eis fecerat, et omnia ecclesiastica sacramenta eis tradiderat.

Jacebant tamen illa signa sive tympana absque batallo, quod vocem eorum in omnem terram diffudit postea, et in fines orbis terræ verba eorum: *Donec complerentur dies Pentecostes; et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit domum totam ubi erant sedentes apostoli, et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*ibid.*, 1). Misit ergo apostolis Verbum quod ascenderat ad Patrem batallum prædicationis in igneis linguis, quo fidei cymbalum tangerent, et ad aures mentium sonum sublimis Dei per doctrinam et exhortationem intonarent. Accepto autem hujusmodi plectro, loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei.

Quia Spiritus sanctus in igneis linguis, fratres charissimi, apparuit, linguas nostras castigemus ab otiosis, a superfluis, a nocivis, a mendaciis, a detractionibus, a murmurationibus, ab impuris et sordidis locutionibus; lingua enim, quæ hujusmodi fœcibus et paludibus immersa fuerit, non loquetur magnalia Dei, non loquetur potentias Domini, non cantabit misericordias Domini, non laudem Domini, non legem, non sapientiam meditabitur. O lingua, si Spiritu sancto impleta fueris, organum Dei eris; si serpentino infecta veneno discordias inter fratres seminaveris, flabellum imo et flagellum diaboli eris. Lingua bona nuntius bonus est, qui nec assentit adulationi, nec offensioni accedit, nec a veritate recedit; lingua nequam, *lingua* dolosa *modicum quidem membrum est*, ut ait Jacobus apostolus (*cap.* III, 5), *sed magna exaltat. Ecce*, inquit idem apostolus (v. 5 et seqq.), *quantus ignis quam magnam silvam incendit. et lingua ignis est, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata a gehenna, inquietum malum, plena veneno mortifero.*

Talis fuit lingua serpentis antiqui, quæ in paradiso incendit totam silvam generis humani, radicem succendens suggestione, et ramorum multitudinem

consumens vetiti pomi degustatione; unde originale peccatum meavit in omni filiorum Adæ posteritate. Procul dubio maculavit totum corpus Adæ et Evæ, pudendis eorum membris prima inobedientiæ rudimenta propinans statim ut pomum homo comedit; et sicut Deo inobediens fuerat homo, sic animo vel ipsi homini motus ille pudendorum nequaquam obtemperare ulterius acquiesceret. Inflammavit etiam rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna, quia cum originali peccato, unde fomes peccati et concupiscentia, sive lex membrorum est, nascimur; et sic rota semper circumvolvitur, sic a jugo peccati nunquam a die nativitatis excutimur, inquietum malum propter avaritiam, plena veneno mortifero propter nequitiam.

O homo, o Adam, o genus humanum, o anima, quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ procul dubio potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, imo linguæ igneæ, linguæ variæ, linguæ canum, linguæ angelorum. Sagittæ equidem acutæ contra dolum, carbones desolatorii, contra venenum, linguæ igneæ, contra peccatum, linguæ variæ, contra tædium, linguæ canum contra vulnus inflictum, linguæ angelorum contra linguam serpentis. Viam ad cor aperit sagitta, rubiginem consumit carbo desolatorius, congelatum et stultum instruit et accendit lingua ignea, tepidum et tædiosum, relevat lingua varia, saucium sanat lingua canum, terrenum, Cantica de canticis Sion edocet lingua angelorum.

Illi ergo, qui Spiritus primitias acceperunt, *loquebantur variis linguis magnalia Dei*: plane egrediebatur foras, ut de plenitudine, qua fuerant Spiritu sancto repleti, eructarent verbum bonum, et loquerentur in idipsum, spiritalibus spiritalia comparantes; lingua enim quasi ostiarius ad januam residet cordis interpres cogitationum et affectionum, intrinsecus quasi in claustro latentium, et nunquam ad publicum nisi reserante portam ostiario, progredientium. In ea autem est ut tam timeat ei cor persuadere ad loquendum frigidam malitiam, quam non potest diu residere infra clausuram linguæ igneæ tepida mentis affectio; quod namque intra est calefacit, quod extra exurit.

Nescit lingua ignea cor frigidum; flammeus gladius atque versatilis est; ex eo quod flammeus charitatem nutriens, ex eo quod versatilis mobilitati cordis obsistens, flammeus propter charitatem, versatilis propter varietatem. Charitas autem est motus animi ad diligendum Deum propter se ipsum, et amicum propter Deum, ut enim natura ignis alta petit, et juxta posita calefacit; sic charitas, quæ in nobis est, et Deum a quo est diligendo repetit, et proximum qui juxta se est, amplectendo colligit; nec diversa est charitas, sed diversus effectus charitatis, qua Deum vel proximum diligimus, sicut non est diversus spiritus, qui in lingua et igne apparuit, sed aliud in lingua, aliud in igne intelligimus; in lingua sobrietatem habemus ad proximum, A in igne excessum mentis ad Deum, ut sive sobrii simus nobis, sive mente excedamus Deo.

In lingua Christum crucifixum, in igne sapientiam inter sapientes prædicemus; in lingua activi, in igne contemplativi simus; in lingua primas tabulas legis cum Moyse, in igne secundas Evangelii accipiamus; in lingua mores nostros componamus, in igne profunda fidei nostræ mysteria rimemur; in lingua confessionem, in igne potentiam accipiamus. *Variis* autem *linguis loquebantur apostoli magnalia Dei*, se accusantes et Deum glorificantes; sapientiam in creatione rerum narrantes, bonitatem in reparatione generis humani commendantes; gaudentes cum gaudentibus flentes cum flentibus, quocunque ibat Spiritus, euntes et in similitudinem fulguris revertentes; faciem hominis prædicando, incarnationem præferentes; faciem vituli prædicando passionem et mortem; faciem leonis prædicando resurrectionem, faciem aquilæ extentæ desuper, prædicando ascensionem. B

Ecce quomodo variis linguis loquuntur apostoli magnalia Dei; quare variis linguis, cum unus atque idem Spiritus sit, qui loquitur in eis? Profecto quia divisiones gratiarum sunt, certe quia spiritus intelligentiæ est sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat bene facere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia perspiciens, et qui capiat omnes spiritus intelligibiles, mundus, subtilis. Quid ergo mirum, si varias facit linguas, qui tam varias habet gratias? In cithara, sive psalterio unius ejusdem digiti pulsatio alium in hac chorda reddit sonum, alium in alia, atque tot modis variatur modulatio, quot modis in instrumento digitus intensius, vel remissius tetigerit plectrum in quo pendet omnium chordarum congregatio. C

Principaliter tamen duo consideranda sunt in variis linguis, ut varietas ista vel ad pulsantem spiritum pertineat, qui superius tam varie describitur, vel ad diversam auditorum qualitatem, quæ non nisi per spiritum a doctore percipitur; qualiter namque sint admonendi viri, qualiter feminæ, qualiter sæculares, qualiter regulares, qualiter incipientes, qualiter proficientes, qualiter perfecti, qualiter verecundi, qualiter contumaces, qualiter singuli juxta ætatem, complexionem, ordinem, et omnimodam distinctionem omnium circumstantiarum, doctor nullus sciret nisi ille, qui habet omnem scientiam, doceret; varietatem ergo linguarum ministrat Spiritus, qui varia quidem descriptione appellatur, sed nulla definitur. D

Dicitur Spiritus intelligentiæ, Filii æqualitate; dicitur sanctus et nomine et re; dicitur unicus processionis singularitate: dicitur multiplex, gratiarum multiplici divisione; dicitur subtilis naturæ et rationis incomprehensibilitate; dicitur disertus promptissima disserendi facultate; dicitur mobilis immensitate; dicitur incoinquinatus puritate; dici-

tur certus incommutabili veritate; dicitur suavis patientiæ longanimitate; dicitur amans bonum, naturæ proprietate; dicitur acutus, ingenii vivacitate; dicitur qui nihil vetat bene facere mandati præceptione, aut prohibitione; dicitur humanus compassione; dicitur benignus munerum largitione; dicitur stabilis æternitate; dicitur certus promissione; dicitur securus defensione; dicitur omnem habens virtutem, potestate; dicitur omnia prospiciens illustratione; dicitur qui capiat omnes intelligibiles spiritus claritate; dicitur mundus honestate; dicitur subtilis præscientia, seu prædestinatione.

Non tamen variatur unus atque idem Spiritus, ut aliquando sit sanctus et non unicus, aliquando unicus et non multiplex, aliquando multiplex et non subtilis, aliquando subtilis et non disertus, aliquando disertus et non mobilis, aliquando mobilis et non incoinquinatus, aliquando incoinquinatus et non certus, aliquando certus et non suavis, et aliquando bonum amans, et acutus, etc. Sed simul et semel hæc omnia natura spiritus complectitur. Undecunque enim et quandocunque et de quacunque necessitate aut indigentia gratiam Spiritus sancti postulaveris, de plena arca accipies unde omnia propulsentur incommoda tua; nec tamen exinaniatur arcæ redundantia. In hac arca vestes varias et multicolores repositas conservet gratia, ut sicut variis linguis eruditur nostra insipientia, sic indumentorum varietate nostra vestiatur nuditas, decoretur deformitas, et circumornetur rusticitas. O fons olei, Spiritus sancte, de rivulis tuis funde et infunde cordibus nostris peccatorum remissionem, gratiarum plenitudinem, benedictionum cœlestium ubertatem.

Proportionali autem descriptione, ut possumus nostrum depingamus spiritum, ut singulis nostris indigentiis singulæ veniant intitulationes Spiritus Dei, et contrariis contraria rependat, non ad malum sed ad bonum; Spiritus ille bonus qui non reddit nobis in præsenti secundum merita nostra, sed secundum gratuitam bonitatem suam. Meus ergo spiritus, o Domine, spiritus est insipientiæ, cum tuus sit spiritus intelligentiæ; meus peccator cum tuus sit sanctus; meus utinam adoptivus, cum tuus sit unicus; meus utinam vel unam habeat benedictionem, cum tuus multiplex sit in benedictionibus; meus rudis, cum tuus sit subtilis; meus mutus, cum tuus sit disertus; meus tardus, cum tuus sit mobilis; meus contaminatus, cum tuus sit incoinquinatus; meus varius, cum tuus sit certus; meus impatiens, cum tuus sit suavis; meus diligens iniquitatem, cum tuus sit amans bonum; meus obtusus, cum tuus sit acutus; meus vetat benefacere per negligentiam, cum tuus nihil vetat benefacere; meus inhumanus, cum tuus sit humanus; meus crudelis, cum tuus sit benignus; meus instabilis, cum tuus sit stabilis; meus pavidus, cum tuus sit securus; meus nullam habens virtutem, cum tuus omnem habeat virtutem; meus nullam habens prudentiam, cum tuus omnia prospiciens; meus nec se ipsum capit, cum tuus omnes capiat intelligibiles spiritus; meus immundus, cum tuus sit mundus; meus hebes, cum tuus sit subtilis.

Versa ergo, benigne Spiritus, et effunde ex hoc tuo spiritu in hoc nostro spiritu, ut tua sapientia vincat insipientiam nostram; tua sanctificatio, impietatem nostram; tua unica processio, descensionem nostram; tua multiplex gratia, multiplicem offensionem nostram; tua subtilitas, crassitudinem nostram; tua disertudo, impeditam linguam nostram; tua mobilitas, pigritiam nostram; tua incoinquinatio, corruptionem nostram; tua certitudo, dubietatem nostram; tua suavitas, asperitatem nostram; tua dilectio boni, malignitatem nostram; tuum acumen, inertiam nostram; tua humanitas, duritiam nostram; tua benignitas, avaritiam nostram; tua stabilitas, inconstantiam nostram; tua securitas, trepidationem nostram; tua certitudo, ambiguitatem nostram; tua virtus, infirmitatem nostram; tua providentia, cæcitatem nostram; tua divinitas, fragilitatem nostram; tua munditia, immunditiam nostram; tua subtilitas, hebetudinem nostram. Ista magnalia tua loquemur variis linguis, imo variatis, Domine, si de spiritu tuo dederis nobis, sicut apostoli repleti Spiritu sancto loquebantur variis linguis magnalia Dei, quod nobis præstare digneris, qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula, etc.

SERMO LV.

DE PENTECOSTE III.

Cor mundum crea in me, Deus, etc. (*Psal.* L, 12).

In acervo divinorum beneficiorum meridiantur hodie apostoli, dum musto novæ gratiæ debriati, liquefacti sunt in amorem divinum, et hinc inde vallati liliis gratiarum, ab humano timore in securitatem æternam transierunt, dicentes : *Melius est obedire Deo quam hominibus* (*Act.* v, 29). Hactenus neque totum quod habebat Deus homini donaverat, neque totum quod poterat pro homine fecerat : misso autem Spiritu sancto de cœlo, omnia quæ audivit a Patre dixit, omnia quæ accepit dedit, omnia quæ potuit et oportuit, hominibus fecit.

O paupertas humana. habesne repositorium seu gazophylacium, ubi tales et tantas conservare possis divitias? singulari prærogativa gaudent quidem in munere, sed nec minorem exigunt solemnitatem in sui acceptione seu depositione. Væ namque homini illi qui sudario Dominicam gratiam ligavit, et in terra illam abscondit! Nec ille prodigus pœnam evasit, qui vivendo luxuriosé, portionem sibi a Patre datam divinæ gratiæ cum meretricibus, quæ sunt carnales concupiscentiæ, consumpsit. Universi itaque anguli domus lustrandi, domus etiam ipsa tota everrenda, ut inveniamus locum Domino, tabernaculum Deo Jacob; ne utilitate aut fœditate loci offensa, evolet a nobis gratia, quæ non habitat in corpore subdito peccatis.

Prius igitur quam nobis porrigas hoc grande donum, hoc datum optimum et donum perfectum, præpara, Deus, tibi et gratiæ tuæ in nobis locum congruum; quia, sicut a te solo divite exspectamus donum quod est supra omne donum, sic a te solo architecto sapiente petimus creari locum, id est cor mundum. Nihil enim in homine potius est corde, nihil Deo acceptabilius mundo corde: sustinete interim, fratres charissimi, et ingredimini singuli ad corda vestra; aperite fenestras, luminaria accendite, diligenter quæcunque ibi sunt vel fiunt exquirite; quidquid grande vel modicum ibi susurrat apprehendite, ac rationis arbitrio sistite; et tunc demum utrum deceat Spiritus sancti gratiam ad ea non lota, non mundata intrare recte judicate.

Ut autem salvo signaculo cordium vestrorum, de illis taceam, de meo si judicare voluero, et judicare quanta sit in eo viscositas præteritorum malorum, quanta putredo malarum affectionum, quanta spurcitia carnalium passionum et quanta occupatio scabiei pravorum desideriorum, credo angelicam puritatem sustinere non posse, quanto minus divinam? Quia ergo totum cor meum putidum est et putridum, o Deus cordis mei, crea novum secundum cor tuum. In hoc vase audeo Spiritum sanctum reponere, sicut Moyses man reposuit coram Domino, (quantum poterat capere gomor, qui est trium modiorum, in vase aureo, ad conservandum in generationes futuras.

Hic locus est mundissimus extra castra quinque sensuum, ubi sacerdos, id est Christus, prioribus vestimentis mutatis, id est assumpta mortalitate in cruce deposita, tunica immortalitatis ac lineis impassibilitatis indutus, cineres reponit, id est memoriam Dominicæ passionis et consummationem totius sanctitatis per cooperationem Spiritus sancti; sicut non decuit Christum corpus coinquinatum, sic nec Spiritum sanctum cor immundum: Virgo proinde immaculata, inviolata, soli Deo apta, carne incorrupta, fide integra, pulchra ut luna, electa ut sol, officina facta est divinæ incorporationis, et quale cor requirendum ut in eo requiescat cum Patre et Filio Spiritus sanctificationis?

Exeat ergo, imo ejiciatur a corde tanquam prædo et malæ fidei possessor spiritus immundus cum omni spurcissima vitiorum sobole; intret aut potius possideat cor emundatum ab omni inquinamento carnis et spiritus, gratia Spiritus sancti cum nobilissima munerum suorum collectione et collatione, duplici beneficio operans et cooperans gratia; lætificat et beatificat cor quod sua perfusione illustraverit; liberat enim a malo et adjuvat in bono; oppressum liberat, liberatum ingenuitate et libertate donat; vitia excludit, virtutes inserit, unde in Canticis canticorum: *Surge, aquilo, et veni, auster perfla hortum meum, et fluant aromata illius* (*Can.* IV, 16). Ab aquilone pandetur omne malum, quia ventus contrarius pullulantia bonæ voluntatis semina exstinguit, et ne per pœnitentiam renoventur, flatu venenoso præcidit.

Sed auster adveniens ejicit dæmonium ne possessa retineat, et ne falcem suam in alienam messem extendat; perflat hortum succensa charitate, ebullire faciens de crassitudine terræ suavissimi odoris species aromaticas, humilitatem, castitatem, mansuetudinem, innocentiam, pacem, concordiam, obedientiam, patientiam, paupertatem spiritus, sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, timorem Domini, justitiam, sobrietatem, prudentiam, et omne virgultum agri illius, quem Pater cœlestis plantavit, Filius colit, Spiritus germinare facit.

In corde bono, mundo et novo areolas istas a pigmentariis consitas, id est a prædicatoribus instanti prædicatione locatas, hodie visitat auster perficiens et corroborans grossos quos protulit ficus, id est initia boni operis quæ inspiraverit Spiritus sanctus, sive percoquens uvas apostolicæ devotionis nocturno rore Dominicæ passionis, et matutino calore resurrectionis decoctas, unde Psalmista: *Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam* (*Psal.* LXIV, 10). Visitasti utique terram, id est primitivam in apostolis Ecclesiam vocando, eligendo, assumendo, docendo et cohabitando usque ad passionem; inebriasti eam vino lætitiæ per resurrectionis manifestationem et ascensionis glorificationem; multiplicasti locupletare eam per Spiritus sancti affluentissimam missionem.

Sed, quia nunquam cor immundum possidere potest Spiritum sanctum, primo qui accipere desiderat, illum prius expostulat creari sibi cor mundum, dicens: *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 11). Neque in monte hoc, neque in Jerosolymis est locus ubi adorandus est Deus, sed in spiritu et veritate, id est mundo corde oportet eum adorare. Quid enim cœlo purius? cor mundum; quid sole clarius? cor mundum; quid firmamento pulchrius? cor mundum; quid terra solidius? cor mundum; quid abysso profundius? cor mundum; quid in humanis creaturis excellentius? cor mundum; quid angelo similius? cor mundum; quid Deo vicinius? cor mundum; quid in omni munere gratiarum appetibilius? cor mundum. Cor mundum ergo crea in me, Deus. Quis enim hoc potest nisi Deus? si sibi relinquatur cor mundum, nisi Deo fuerit plenum.

Tria igitur concurrunt ut sit cor mundum; voluntas bona, cogitatio sancta, et intentio recta. Si non polluerit stratum cordis immunda cogitatio, si non depravaverit directionem cordis distorta et tenebrosa intentio, si fundamentum fidei, spei et charitatis non concusserit malæ voluntatis aversio seu eversio, cor mundum habes, Spiritus sancti hospitium idoneum habes. Si autem cor habes mundum, nihil habes immundum: oculus mundus, munda manus, labia munda, interiora et exteriora sine dubio sunt munda; quia, sicut per unum hominem

peccatum introivit in mundum, sic per immundum cor distillat malitia velut ex stillicidio, ad singulos animæ affectus et ad omnes corporis sensus, ut nec sit in toto homine munditia, a planta pedis usque ad verticem. Qui autem venit totum hominem salvare Jesus Christus, misit Spiritum sanctum suum in corda nostra clamantem : *Abba, Pater* (*Gal*, IV, 6), ut, corde sanato, totus homo sanetur; ut, corde mundato, totus homo mundetur; ut, corde innovato, totus homo innovetur, per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, et per Spiritum sanctum ex Deo Patre, cui honor et gloria. Amen.

SERMO LVI.

DE PENTECOSTE IV.

Duodecim panes propositionis accenso cibano, calore proprio et paterno hodie Jesus Christus secundum promissum suum, decoxit; et bene crustatos extraxit, atque super mensam suam in introitu tabernaculi cum incenso collocavit. Nihil exustum, nihil crudum, nihil incoctum, aut semicoctum in eis remansit; virtus est aucta, non natura exstincta : humanus timor qui homines crudos facit, sublatus est. Patientia operatur probationem, et decoquit omnem infirmitatem visceribus apostolicis, medullitus infusa, perfecta charitas prorsus radicata.

Quid enim non faceret in hac sua fornace Spiritus sanctus super apostolos, quod fecit tribus pueris quartus ille, qui apparuit in fornace Babylonis similis Filio hominis? ut ait Scriptura : *Illos omnino non tetigit ignis neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit* (*Dan.* III, 50). Quid tu, sancte Spiritus, cur venisti? ad quid super apostolos in igneis linguis descendisti? nunquid torquere illos, nunquid comburere illos? quinimo coquere, et facere escas, quibus libenter vescitur Isaac senex et plenus dierum; quinimo consolidare ad cœlestem liquorem excipiendum et conservandum, ut sint deinceps sicut uter in pruina, non timentes quid faciat homo; verbum vitæ continentes, et non timentes ullam perturbationem.

Si enim illi tres pueri tantæ fuerunt constantiæ, ut dicerent regi persuadenti adorare statuam auream suam : *Non oportet*, inquiunt, *nos respondere de hac re. Ecce enim Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, rex, liberare nos. Quod si noluerit, notum tibi sit, rex, quod deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti, non adoramus* (*ibid.* 16-18). O fides, o gratia, o virtus, o spiritus fortitudinis! numero pauci, quia tres; ætate infirmi, quia pueri; conditione miseri, quia captivi; loco et tempore obsessi, quia rex convocaverat omnem provinciam ad idololatriam; tormentum imminens, quia fornax succensa erat septuplum quam consueverat; et hdes quid? fecit quod facere consuevit. Vicit mundum, vicit ætatem, vicit conditionem, vicit instantem temporis et loci necessitatem, vicit regem, vicit fornacem, vicit omnem timorem

Nabuchodonosor, quid supponis et superaddis ignibus tuis? Naphtam certe, et apicem, et stupam, et malleolos. Naphta, quæ est purgamentum lini vel ignis nutrimentum apud Persas, est vanitas hujus sæculi; stupa, concupiscentia carnis; pix, avaritiæ et luxuriæ inquinamenta; malleoli, immissiones per angelos malos. Fortiter ardet fornax, ubi folliculis tentationum suarum sufflant maligni spiritus, moventes incentiva carnis, gulæ voracitatem, avaritiæ rapacitatem, luxuriæ intemperiem, sæculi vanitatem; sed : *Si ambulavero in medio umbræ mortis*, ait Psalmista, *non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII, 4); qui dixisti apostolis tuis : *Nolite timere, quia ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33).

Aliam fornacem succendit filius fabri, qui sedet conflans et emundans argentum, et purgat filios Levi; de sede majestatis suæ hodie Jesus misit ignem ubi erant apostoli quasi in fornace dispositi, ad docendam omnem veritatem; ad tollendam carnis imbecillitatem; ad loquendam omnium linguarum varietatem; ad faciendam miraculorum virtutem. In hac fornace probat Dominus electos suos sicut Gedeon populum, qui secum ibat ad bellum, ad lambendas aquas; sicut Moyses populum suum ad aquas Contradictionis.

Format arma sibi, qui verbum est (non dissonas linguas) et officio injunctæ prædicationis congrua; non enim lanceis, sed linguis, convertitur mundus, ut qui serpentis lingua perierat, linguis a Spiritu sancto acceptis repararetur et redimeretur. Attende formam linguæ, lata est, plana, rotunda, longa et acuta. Lata, quia Deus charitas est; plana, quia misericors et mansuetus; rotunda, quia æternus; longa, quia longanimis; acuta, quia vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus.

In libro Sapientiæ, omnium artifex Sapientia, quæ promisit et misit apostolis Spiritum sanctum, ita describitur : *Est*, inquit (*Sap.* VII, 22), *in illa spiritus intelligentiæ, spiritus unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus.* Lingua cui confert beneficia Spiritus sanctus revera de cœlo est; procul dubio Verbi Dei ministra est; spiritui cognata, et germana : habet spiritum intelligentiæ, ut intelligat parabolas, et ænigmata, et profunda Scripturarum mysteria; sanctum, ut non proferat turpia, inhonesta et venenosa; unicum, ne scindat tunicam catholicæ et universalis Ecclesiæ; multiplicem, ut multos ramos proferat ex una radice charitatis; subtilem, ut capiat mysterium regni Dei; disertum, ne involvatur mala conscientia; mobilem, ut sequatur rotas volubiles utriusque Testamenti; incoinquinatum, ut loquatur de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; certum, ne circumferatur omni vento doctrinæ; suavem, ne

respuat, aut fugiat humanam fragilitatem; amantem bonum, ut dicat quam dulcia faucibus meis eloquia tua; acutum, ut cum aquila quærat super astra Dei Verbum in principio apud Deum, qui nihil vetat benefacere, semper ad meliora provocans; humanum, propter infirmitatem; benignum, propter affluentiam pietatis; stabilem, propter desiderium æternitatis; securum, propter testimonium conscientiæ et bonæ operationis.

Quidquid ad salutem propriam ignis Dei decoquit intrinsecus, totum lingua ignea retrahit tanquam pala ad proximi ædificationem extrinsecus. Est namque lingua mediatrix inter inhabitantem spiritum in mente et proximum excubantem ad fores sapientiæ : Spiritus ingreditur sine voce et jubet linguam audita proferre cum voce. Suaviter præcipiuntur quæ sine strepitu ingeruntur; amanter recipiuntur quæ humiliter per linguam suggeruntur. Quando pascit animam medullis suis Christus pastor est; quando fraternam mandat suscipere carnem pistor est, idem itaque et pastor et pistor est. Pastor in quieto et secreto contemplationis refectorio, pistor in laborioso et tumultuoso procurandæ fraternitatis et prædicandæ veritatis officio; pastor in mane, ministrando quæque virentia in campo amœnissimæ lectionis; in meridie aperiendo cellam vinariam summæ delectationis.

Ecce pistor, ecce pistrinum, ecce panis, ecce ignis, ecce cocus, ecce furnus. Pastor farinam moluit in cruce tanquam in molendino; rota Pilati quæ est sententia damnationis, volvente in aquis Judaicæ accusationis. Tunc discipuli, non ferentes tumultum et clamorem molendini, et vocem aquarum multarum, relicto eo, omnes fugerunt, et tanquam ventilabro excussi pene ad desperationis minutissimum pulverem devenerunt. Sed pistor bonus de farina sua panem in resurrectione, jam ita decoctum quod ultra non moritur, nec mors ei ultra dominabitur, representavit apostolis, per quadraginta dies eis apparens, et loquens de regno Dei, in fortitudine cibi illius usque ad diem ascensionis refocillavit.

Certe toto hoc tempore quasi fermentavit fermento fidei corda discipulorum, et die ascensionis, elevatis manibus, benedicens eis, et jubens sedere in civitate quoadusque induerentur virtute ex alto, pastam suam operuit, ut in adventu Spiritus sancti die Pentecostes, misso igne de cœlo ubi erant congregati decoquerentur. Et, sicut boni angeli post lapsum luciferi, gratia Dei stabiliti sunt et confirmati ne ulterius ruere possent, sic isti fornace ista coagulo charitatis Christo uniti sunt, ne deinceps a charitate ejus excciderent. Scriptum est, quia *charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII, 8), et ignis perpetuus est in altari.

Crustas superius et inferius et in circuitu, micas vero interius ex igne mutuaverunt. Crusta inferior, confidentia, ne mortem timerent. Crusta superior, dilectio Dei ut Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligerent. Crusta in circuitu, castigatio carnis ut carnis concupiscentiæ resisterent et fortes in bello existerent. Mica in medio charitas quam constravit Salomon in ferculo suo sicut dicitur : *Media charitate constravit propter filias Jerusalem* (*Cant.* III, 10). Item pistor iste panes laicos et sacerdotales facit, panem namque laicum ad altare defero, sed sacerdotalem refero.

Universorum conditor inter cætera panem in agro creavit, sed præter et super omnia in altari hunc eumdem panem in corpus suum virtute ineffabili convertit. Elegit autem sibi quasi granum tritici Deus corpus de Spiritu sancto in utero virginali conceptum, in quo omnia quæ superius dicta sunt complevit. Elegit et prælegit virginem, de qua sumeret carnem; ventilavit assumendo naturam nostram, ut de carne ex massa peccatrice illâm sine peccato acciperet, creando illam, sanctificans et sanctificando creans.

In cruce illa [*sup.* grana] moluit in resurrectione cribravit, unde, etsi noverámus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus; farinam cum aqua miscuit, cum in corpore sine peccato a Joanne baptismum suscepit; panes formavit cum apostolos elegit; furnum et ignem in furno habuit, quia plenitudo divinitatis habitavit in eo corporaliter; mundavit aream, id est Ecclesiam ut non haberet maculam aut rugam et exeuteret pulverem de pedibus suis; panes ordinavit, sive discipulos, sive actus proprios; tempus passionis exspectavit, sicut ait : *Tempus meum nondum advenit* (*Joan.* VII, 6); extraxit panem, cum emisit spiritum, vel cum surrexit de sepulcro; in arca reposuit, cum animam resumpsit, ad mensam detulit, cum naturam assumptam ad cœlos levavit. (*Desunt aliqua.*)

Officium pistoris est bona grana eligere, ventilare, molere, cribrare, farinam cum aqua miscere et manibus ac brachiis, aut etiam mola fortiter premere, fermentare, furnum habere, ignem apponere, aream mundare, panes ordinare, et donec cocti fuerint custodire, vel exspectare; demum extrahere, in arca reponere, ad mensam deferre. Grana optima elegit Dominus, sicut ait : *Ego elegi vos de mundo* (*Joan.* XV, 19); et : *Nonne ego vos duodecim elegi* (*Joan.* VI, 7). Ventilavit, ubi ait : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 33); et apostolus Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia* (*Matth.* XIX, 27). Moluit cum ait : *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Matth.* X, 16); et : *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (*Joan.* XX, 21), utique ad passionem.

Cribravit quando Judam proditorem tanquam furfurem ab apostolis reprobando separavit; farinam cum aqua miscuit, quando baptizavit et baptizare docuit; mola pressit, cum ait : *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33). Fermentavit, cum ait : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei* (*Luc.* VIII, 10), vel cum insufflavit, dicens : *Accipite Spiritum sanctum*

(*Joan.* xx, 22); panes formavit, cum ait : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14), *vos estis sal terræ* (*ibid.*, 13); furnum fecit cum Evangelium prædicavit, in quo revera decoquitur omnis Christiana religio.

Ignem apposuit, cum Spiritum sanctum in apostolis in linguis igneis misit; aream mundavit, cum ait : *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta et neminem per viam salutaveritis* (*Luc.* x, 4); et : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (*Joan.* xv, 3). Panes disposuit, cum alios apostolos, alios evangelistas, alios doctores, alios prælatos, alios constituit subjectos donec coquerentur. Custodivit, cum dixit : Pater sancte, servavi eos quos dedisti mihi, et exspectavit, cum ait : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* (*Joan.* xiv, 9.) Extraxit, cum ait : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* xvi, 15); in arca reposuit, cum ait : *Nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur, sed in hoc gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x, 20). Ad mensam detulit, cum ait Petro : *Pasce agnos meos* (*Joan.* xxi, 16); vel cum ait : *Volo, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* (*ibid.*, 12).

Prædestinatio notatur in electione, quos enim prædestinavit, hos et vocavit; censura judicii in ventilatione, persecutio, in molarum confractione; reprobatio mali et electio boni in cribratione, puritatis et devotionis adeptio in farinæ et aquæ commistione, virtus patientiæ in adversitatum oppressione, unitatis coagulum in fermentatione, officiorum, dignitatum et meritorum distinctio, in panum dispositione, claustralis sive eremitica religio in furno, in igne dilectio, in mundatione areæ vera confessio, in formatione panum, regularis professio; tempus decoctionis, augmentum religionis; extractio, corporis et animæ dissolutio; in arca repositio, diei judicii exspectatio; ad mensam relatio, corporum resurrectio et pro meritis æterna retributio.

SERMO LVII.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ I.

Summa beati Joannis Baptistæ præconia testantur tam operum mirabilium attestatio, quam divinorum eloquiorum probata relatio; ait enim Dominus in Evangelio : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* ii, 2). Hic ergo tam magnus unde sic magnus sit quærendum est, et in magnis quidem suis mirandus, in nostris vero tam magnis quam minimis pius advocandus patronus : etenim de magnis ad præmagnum in die magno acturi, magnum, si sapimus, causæ patrocinium sumus quæsituri. Rerum perinde, rationum, cogitationum atque operum quem subituri sumus judicem tam nos ignoramus, quam valde timere debemus; utique magnum in sapientia, ne decipiatur; magnum in potentia ne ei resistatur; magnum in justitia, ne munerum promissione infatuetur; magnum in imperio, ne in regno alterius fugiendo evitetur.

Causa nostra magna, quia de salute vel condemnatione agitur; dies magnus, quia parvus et magnus ibi sunt, quia terrigenæ et cœlicolæ simul in unum conveniunt. Ergo tam solemnis conducendus patronus, qui nec frequentiam erubescat, nec judicem infestum habeat, nec allegationibus succumbat, nec in salarii petitione sumptuosus nimium existat. Joannes Baptista nec avarus est in pretio, nec ignarus patrocinio, nec judici ignotus, nec pro multitudine verecundus; hunc ergo statuamus in consistorio pro nobis, totam resignantes ei causam et exponentes tam culpam quam innocentiam. Videamus itaque illum armatum labio aureo, honoratum corona aurea, supervestitum quoque corona aureola.

Ait Dominus Moysi de mensa : *Facies illi labium aureum per circuitum, ipsi labio coronam interrasilem altam digitis quatuor, et super illam alteram coronam aureolam* (*Exod.* xv, 24); non æneum, non stanneum labium, non ligneum, non lapideum, quia non durum, non ferreum, non denique argenteum, sed aureum sit in mensa Domini; non æneum, quia non clamosum; non stanneum, quia non fictum; non ligneum, quia non mutum; non lapideum, quia non durum; non ferreum, quia non sine fœdere et impacatum; non argenteum tantum, quia non solum bene sonorum; sed aureum, quia summe pretiosum et splendidum habemus labium in Joanne Baptista.

Per circuitum ambit hoc labium mensam Domini, quia nullam mendam, nullam inscissionem seu interruptionem facit in proposito religionis, sed semper sine querela, sine offensa in lege Domini conversatus, circuitum perfectionis non evertit; per circuitum hoc labium revolvitur, quia in prædicatione veritatis tempus vitæ ejus impletur. Dicitur quod ad se venientes docuerit agere pœnitentiam; dicitur quod acriter redarguerit reprobam eorum vitam, dicens : *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* (*Matth.* iii, 7.) Dicitur quod arguerit Herodem propter Herodiadem quam tulerat fratri suo Philippo uxorem; undique ergo, et ubique per circuitum vadit hoc labium, quod neque sublimitate terretur, neque adulatione mulcetur, neque necessitatis inopia tardatur loqui quod veritatis, quod religionis, quod pietatis, quod fidei est.

Labium est ergo aureum per circuitum, dicens : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* iii, 2). Labium aureum, dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* i, 29); sed quæ merces ipsi labio? corona interrasilis. Animadvertite coronam aliam rasilem, aliam non rasilem, aliam interrasilem. In Veteri Testamento corona est non rasilis, in Novo rasilis, in confinio Veteris et Novi interrasilis : non rasilis corona in Veteri Testamento primo dicitur, quia

neminem ad perfectum adduxit lex; non ergo radebat pilos, sed multiplicabat quæ dicebat : Bona terræ comedetis, dabo pluviam temporaneam et serotinam, si mandata mea feceritis; lex non radebat, quia acies ferri ejus obtusa erat timore, non acuta amore; timor namque servilis retundit non acuit, quia necessitate reprimit opera carnis, non abscidit gratia concupiscibiles motus affectionis; tondebat non radebat, quia timore urgebat non amore accendebat.

Antiqui ergo coronam sed non rasilem habebant, quia adventum Christi exspectabant, sed regni januas non penetrabant : ex quo autem sanguine Christi, contra velum templi septies asperso, propalata est via sanctorum, ut tam liberum sit animas sanctorum ad thronum gratiæ deposita corporis sarcina redire, quam facile est laborantem fructum mercedis colligere, extunc quasi raso capite remota difficultate omni, coronam recipiunt aueam. Rasorium itaque Evangelii, quod omnes pilos capitis excidit veritatis tempore, non sanctitatis imperfectione (*vende omnia quæ habes et da pauperibus*) (*Luc.* XVIII, 22), rasilem coronam imo imponit, tam sine impedimento restituens præmium, quam sine retinaculo expedierat cursum. Joannes denique accubans natus inter terminos vetustatis et novitatis, legis et Evangelii, figuræ et veritatis, umbræ et lucis, timoris et amoris, tenet dextera rasorium ut radat Christianum, tenet sinistra forcipes ut tondeat Judæum, de imperfectione legis; dimittit plebi pilos paucos ad usum, de perfectione Evangelii, sibi amputat victum et vertitum, etiam non superfluum. Coronam ergo habet interrasilem, ut pro prædicatione interrasilem, pro sanctitate conversationis rasilem, id est plenam et perfectam beatitudinem habeat. Vel corona interrasilis quæ ipsi labio apponitur, amputationem capitis designat pro testimonio veritatis.

Sequitur : Faciesque illi labium aureum per circuitum, et ipsi labio coronam interrasilem altam digitis quatuor, et super illam alteram coronam aureolam; non labia sed labium, et labium aureum fit in mensa Scripturæ divinæ, quia non recipit hæreses et schismata, quæ garriunt Patre minorem Filium, Patre et Filio minorem Spiritum sanctum, asserit autem unitatem Scriptura divina Trinitatis, Trinitatem unitatis dicens : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Item : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5); aureo itaque labio plenitudinem ferculorum et summam dapum concordi prædicatione mensa eructans, non inflatione buccæ et labiorum distensione utitur loquens grandia et magnificans labia sua; quanto enim sensu altiora sunt divina eloquia, tanto voce modestiora, et prolatione suppressa. Agni enim sunt voces, qui non clamavit, neque audita est vox ejus in plateis; quidquid ergo eloquium sonat divinum, et unum est, fidei unitate; et aureum est, sensus profunditate : unum, ne dilanietur errore schismatico; aureum, ne vilescat sermone nudo et rustico; per circuitum, ne agere credatur de transitorio bono; æternum intellige per circuitum, summum bonum per aureum, vitale et jucundum per labium.

Intellige per labium vitale quod promittitur; et jucundum per aureum; summum, immortale per circuitum; adde ipsi labio coronam interrasilem, ut corona exhibeat quod Scriptura promittebat, et mordeat professione labium, bravii coronam tam fideliter solvens debitum, quam veraciter continuans promissum; unde Psalmista : *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam* (*Psal.* CXVIII, 116), et multa ejusmodi. Animadvertite tamen coronam interrasilem, propter meritorum in præsenti et in futuro præmiorum discretionem; fomentum si quidem negligentiæ, et alimentum esset injustitiæ, si præmium coæquaret, quos meritum disparasset. Quis vigilias excoleret, si dormiens fructum vigiliarum decerperet? quis corpus suum ignibus, jejuniis, macerationibus et innumeris passionibus contorqueret et decoqueret, si tam bene sonaret nudum et molle corium in deliciis, quam clare resonat tympanum in distensionibus, et rasuris assiduis? Non enim stella a stella differret in claritate, si merita meritorum non præjudicarent in pondere. Corona ergo interrasilis est quæ labio aureo supponitur, quia in distinctione mandatorum sequitur distinctio exsecutorum, et in laboribus exsecutorum discretio remunerandorum.

Alta vero est digitis quatuor, quia dum justitiæ plenitudo et gloriæ consummatio in quatuor Evangeliorum libris describitur, quasi quatuor digitis corona mensuratur : passio vero Joannis Baptistæ sanctificatur et sublimatur in passione Christi, sine qua vane pateretur quicunque pateretur; inde est quod ait altam digitis quatuor. Apostolus notat quatuor digitos in cruce, ubi ait Ephesiis : *Ut possitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo, longitudo, sublimitas et profundum* (*Ephes.* III, 18); primus digitus est charitatis quo ejiciuntur dæmonia in Evangelio, quæ charitas operit multitudinem peccatorum; secundus, longanimitatis, quo scribit in terra : *Si quis vestrum sine peccato est, primus in illam lapidem mittat* (*Joan.* VIII, 7), quo patientia Salvatoris et pietas notatur; tertius est spei, quo in lapide legis mandata et promissiones Dei scribuntur; quo religiosa observatio divini mandati innuitur; quartus est judicii, quo miracula fiunt in Ægypto, in quibus deficiunt magi, dicentes : *Digitus Dei est iste* (*Exod.* VIII, 19), quo timor nobis incutitur, subjiciet enim sibi Deus omnia et erit Filius subjectus ei, qui sibi subjecit omnia

Ecce quousque corona Joannis Baptistæ extenditur, quæ quatuor digitis alta est, ut tunc glorificatus appareat in regno Patris, et sanctorum angelorum, quatuor enim digitis in passione dilatatus est, qui se ipsum crucifixit cum vitiis et concupiscentiis; et quatuor nihilominus coronabitur digitis,

cum quod seminatum est in corruptione, surget in incorruptione; quod seminatum est in ignobilitate, surget in gloria; quod seminatum est in infirmitate, surget in virtute; quod seminatum est corpus animale, surget corpus spirituale. Interim quasi aurora consurgens, paulatim segregemus nos a corruptione, et tendamus ad incorruptionem per studium castimoniæ; separemus nos ab ignobilitate illa, de qua dicitur: *Servus est peccati, qui facit peccatum* (*Joan.* VIII, 34), et properemus ad illam gloriam, quæ non auferetur a nobis in æternum. Convalescamus de infirmitate, quæ robur animæ dejicit, et ad virtutem perveniamus, quæ non deficit; propulsemus a nobis quod animale sicut Moyses solvit corrigiam calceamenti sui; et in spiritu principali apprehendamus quod spirituale est, quod ipse nobis parare dignetur, qui vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LVIII.

IN EJUSDEM SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ NATIVITATE II.

Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit enim solitarius et tacebit, quia levabit se super se (*Thren.* III, 27).

Si cœlestes sedes, quæ vacuatæ sunt sessoribus indignis, Lucifero apostatante et extollente se in monte testamenti, in lateribus aquilonis, atque tertiam partem stellarum post se trahente; si, inquam, beatæ illæ mansiones de filiis Adæ repleri habent; credibile est beatum Joannem Baptistam ascensurum, vel ad primam illarum sedium beatitudinem, vel saltem ad secundam; Domina enim nostra, Regina virginum ut digna est post Filium suum collocata est, et postea Joannes Baptista, ut sicut *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11), sic in ordine sanctorum, nemo appareat prior, nemo resideat superior.

Putasne minoratus est in cœlis Joannes Baptista, cum ibi honoris cumulus et gloriæ amicis Dei reservetur? amicum ergo suum, cognatum suum, præconem suum, præcursorem suum, baptistam suum, angelum suum, consiliarium suum Christus Jesus abjicit, qui nunquam in se sperantes deserit? absit! sed stat sine dubio amicus sponsi et gaudio gaudet propter vocem sponsi, accedit cognatus ad consanguineum suum, tam familiari vicinitate quam casta et chara affinitate. Præco expleto officio primi præconii adhuc præconatur in cubilibus suis, tam novis quam æternis jubilationibus; non futura sed jam facta mirabilia Dei et Agni, qui in medio throni sedet; præcursor tam alacer modo discurrit per stadia illa cœlestia, quam acriter non tacuit laudare nomen Domini, et prædicare adventum Salvatoris usque ad extrema inferni loca.

O quam deliciosis balneis modo Baptista Domini se rigat, et non in Jordanis, sed in angelicis gaudiis natat. Angelus ille faciei Domini cum angelis lætatur, et tam gloria quam honore ab omnibus angelis magnificatur; consiliarius denique ingressus sanctuarium Dei quidquid arcani repositi in cœlestibus scriniis nondum apprehenderat, modo explicat, modo legit et apprehendit; in splendoribus sanctorum tam vario meritorum et gratiarum, atque gloriarum resplendet fulgore, ut cœli plaga illa in qua Joannes Baptista habitat, præ aliis reluceat, et de abundantia gloriæ, vicinos suos uberius irradiet, amplius lætificet, profusius satiet.

Hic ergo Joannes inter filios Dei, inter astra cœli, inter omnes curiales summi Regis prior est, præclarior et propinquior; nativitate enim filium virginis præcedit; dignitate filios mulierum omnes præcellit; consanguinitate vicinius Filio Mariæ accedit, ante nativitatem prænominatur angelica promissione; in utero sanctificatur spiritali spiritus sancti unctione; ex utero matris suscipitur Matris Domini stupenda et humillima obstetricis sedulitate; in ortu nativitatis celebratur vicinorum et omnium qui audierant admiratione; in deserto illustratur tam mirabili conversatione quam sublimi prædicatione; in Baptismo Domini intitulatur nominis, et dignitatis unica singularitate; in morte dedicatur beatis sanctorum mansionibus capitalis sanguinis effusione. Ita meritorum varietas de tunica Joseph polimita nascitur, de rivulis septiformis Spiritus intinguitur, sed quibus meatibus areolam Joannis gurges iste tot et tantarum inundaverit, tam piam est investigare quam utile recolere.

Duo principales alvei quibus innatat omnis sermo divinæ Scripturæ, sunt lex et Evangelium; decurrit autem lex ad Evangelium, et influit in illo flumine magno, ut hac commistione, tam nominis severitatem quam auctoritatis imperfectionem exuat; condiens suam insipiditatem sale, dulcorans suam amaritudinem melle gratiæ. Joannes ergo Baptista accubans inter terminos legis et Evangelii, quasi canalis medius continuat legem gratiæ Evangelii; legem equidem aut finiens per gratiam, aut exterminans per justitiam; finiens, id est complens in moralibus, sicut scriptum est: *Quia non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* V, 17); exterminans in cæremonialibus, id est circumcisione præputiorum, immolatione pecudum, observatione ciborum et aliis hujusmodi. Joannes circumciditur carne et corde, valedicens illi, quæ in uno tantum membro fiebat circumcisioni, et inchoans illam interioris hominis, quæ exterioris superfluam amputat circumcisionem.

Joannes non sanguinem hircorum aut vitulorum Deo libat, sed se ipsum hostiam vivam, sanctam, Deo placentem immolat ad emundationem delictorum omnium; Joannes non discernit inter carnem et carnem, non dijudicat inter cibum et cibum; sed abstinentissimus carnem suam cohibet ab omni luxurioso potu et cibo. Joannes perfectus est in omni humilitate, obedientia, castitate, mansuetudine, fide, spe, charitate, et in omni genere virtutum; dicitur ergo de illius humilitate, obedientia, castitate et contemplatione: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius et*

tacebit, quia levavit se super se; sedere ad humilitatem respicit; portare jugum, ad obedientiam et mansuetudinem; portare ab adolescentia, ad castitatem; levare se super se, ad contemplationem.

Sed distinguendum est in operationibus aliorum hominum, quoniam, quomodo et quousque operentur cum Deo, quando et quomodo et quousque sine Deo; quando operatur homo sine Deo? quando peccat: quare? quia malum facit, peccatum enim malum est, et malum nihil est. Deus autem omnia fecit bona valde, et malum sive peccatum non fecit, cum peccatum sit facere, dicere, concupiscere aliquid quod sit contra voluntatem Dei, ecce quando operatur homo sine Deo: quomodo vero operatur sine Deo? infideliter, negligenter, contumaciter. Infideliter quia non credit, negligenter quia non timet, contumaciter quia non diligit: ecce quomodo operatur sine Deo; quousque vero? donec tollat jugum disciplinæ, et loro mandatorum Dei ligatus, trahat glebas vallium post Deum. Horum aliquid Joanni non convenit, quia nec aliquando a Deo recessit, nec infidelis, negligens aut contumax fuit, nec jugum Domini ferre detrectavit.

Quando autem cum Deo operatur homo, et quomodo et quousque? dum gratia aspiratur, et humiliter atque fideliter Deo substernitur, quousque unus cum Deo spiritus efficiatur: hoc est jugum, quod bonum est viro cum portaverit ab adolescentia sua: donec jugum tollas absque jugo es, filius es Belial, vitulus es indomitus, onager assuetus in solitudine, expers gratiæ et disciplinæ; sic enim liberum arbitrium præceps in barathrum fertur libertate peccandi, donec infrenetur jugo divinæ gratiæ, sicut pullus stultus et indomitus vagatur per quæque invia et periculosa itinera, antequam in chamo et freno constringantur maxillæ ejus.

Cum vero operans gratia prævenerit, cœperit illud domare et jugo assuefacere, ut velit currere et cooperari cum gratia, tunc suscipit jugum, tunc confringit glebas, tunc seminat super aquas, tunc operatur terram suam et saturatur panibus, tunc facit fructum nativitatis: *Bonum est* igitur *viro, cum tulerit jugum ab adolescentia sua*, quia hactenus excusat teneritudo ætatis collum debile ad portandum jugum gravissimæ disciplinæ. Sicut enim cera nimium mollis et tenera impressa, non retinet faciem sigilli, sic ætas infantilis minus idonea est ad regularem disciplinam concupiscendam et retinendam. Quid deinde? Sedebit solitarius et tacebit. Altius repetendum quid sit, *sedebit solitarius et tacebit*, et superioribus jungenda subsequentia: dictum autem est, quando homo operatur sine Deo, quomodo, et quousque.

Dicendum vero quod Deus, qui hominem operatus est sine ipso homine, in ipso homine quædam operatur sine ipso, quædam in ipso cum ipso, quædam in ipso pro ipso, quædam in ipso contra ipsum. Hominem operatur sine ipso homine; facto jam homine, quædam in ipso operatur sine ipso; homo quoque a Deo factus, quædam operatur sine Deo, quædam cum Deo, quædam pro Deo, quædam contra Deum. Exponenda vero sunt breviter quæ dicuntur. In homine operatur Deus sine homine gratiam prævenientem quæ est pluvia voluntaria, quæ est ille motus animi, qua concupiscit anima desiderare justificationes Dei, qua denique ex vocante non ex operante dictum est: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malac.* I, 2; *Rom.* IX, 13); hoc operatur Deus in homine sine hominis adjutorio, quia nondum est adjutorium simile sui; est autem adjutorium in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

Tunc vero in homine cum homine Deus operatur, quando jam gratia solvit compeditum, et erigit elisum, ut solutus currat cum gratia, ut erectus proficiat ex gratia ad gratiam cum: gratia ex gratia præveniente ad gratiam subsequentem cum gratia comitante. Solvitur autem homo, cum ejus liberum arbitrium a peccatis liberatur, ut ultra non serviat peccato mortali, ad obediendum desideriis ejus, sed resistat diabolo et fructificet Deo in vitam æternam. Cum ergo assurrexerit gratiæ liberum arbitrium, conserit manum cum gratia ad bene operandum, et cum simul operantur gratia et liberum arbitrium, acquirunt homini meritum bonum, et tunc ad imaginem et similitudinem suam reficit Deus cum homine ipsum hominem.

Ad tertium membrum jam veniamus, ubi in ipso homine pro ipso homine operatur Deus. Aliquando tentatur homo a Deo, et non intelligit homo a Deo pro bono suo tentari. Nollet certe tentari, quinimo rogat ut auferatur ab eo angelus Satanæ qui eum colaphizat; pensat autem Deus lucrum et coronam tentationis, et magis ac magis pulsari permittit ipse contra voluntatem ejusdem hominis. Verumtamen non inducit in tentationem per consensum peccati, sed animam ejus servat sicut Job: pro ipso ergo homine in ipso homine tentationem operatur Deus nolente ipso, ut cum probatus fuerit accipiat coronam vitæ.

Quarto membro dictum est, quod aliquid operatur in homine contra ipsum hominem, quod solummodo fit in reprobis. Cum ingratum beneficiis suis viderit Deus hominem pravum et contumacem, excæcat eum, ut videns non videat, et audiens non intelligat; hujusmodi vero sunt vel illi qui habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, ut Judæi qui crucifixerunt Dominum; vel illi qui noluerunt intelligere ut bene agerent, qui dixerunt Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI, 14); peccatum enim, ait Gregorius, quod non corrigitur, mox suo pondere ad aliud trahit; contra ipsum ergo est quidquid facit, etiam quæ pro se aliquando facere æstimat; sicut enim diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam casus, et ruina ad malum, ita reprobis omnia cooperantur in malum, etiam perpetratio virtutum, et simulatio profectuum. Hactenus de his generaliter

quæ facit aut sine homine aut cum homine, aut pro homine aut contra hominem.

Specialiter vero quomodo ista ad Joannem Baptistam, paucis dicendum et breviter est commemorandum; angeli missionem, et Joannis promissionem ad parentes provectos in diebus suis et steriles, fecit solus Deus, *qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* CXXXV, 4). Rursum adhuc in utero matris exsultationem ad vocem Matris Domini, quæ advenerat famulatura Elisabeth, fecit Dominus solus; item quod Spiritu sancto adhuc in utero matris repletus est; quod reatu originalis peccati et fomite peccati valde extenuato natus est, qui tamen cum peccato conceptus est, solius Dei est. In his quædam facit de Joanne sine Joanne Deus, ut in nativitate ejus congratularentur vicini; quædam ipsi Joanni.

Veniamus tandem ad illa quæ facit cum Joanne in Joanne Deus. Refert Lucas evangelista de eodem Joanne quod puer crescebat et confortabatur Spiritu, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ in Israel, ut Spiritu sancto repleatur, et Marcus sic ait : *Fuit in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (*Marc.* I, 4); et post pauca : *Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat* (*ibid.*, 6) : hæc Deus cum Joanne operatus est, et Joannes cum Deo, quia per gratiam ejus sine quo utique nihil boni potuit facere.

Jam quoque videndum est quomodo homo aliquando operatur sine Deo, aliquando cum Deo, aliquando pro Deo, aliquando contra Deum. Sine Deo vana facimus et inutilia, quia Spiritus sanctus aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu; cum Deo facimus quidquid boni operamur, quia a Deo cuncta procedunt bona; pro Deo facimus quidquid passionum pro eo toleramus; contra Deum facimus, quoties criminaliter peccamus. Joannes aut nihil, aut parum fecit sine Deo; multa cum Deo, et pro Deo; nulla contra Deum. Ambulavit enim cum Deo, et a mandatis labiorum ejus non recessit; dicitur ergo de illo : *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, etc. Sed jugum aliud legis, aliud Evangelii; item aliud inobedientiæ, aliud obedientiæ; item aliud infidelitatis, aliud fidei; horum tria bona, tria sunt mala.

SERMO LIX.

DE S. PETRO SEU CATHEDRA S. PETRI.

Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum (*Psal.* CVI, 32).

Omisso longo procœmio, sermonem ab ipsa cathedra exordiamur : quatuor principales sunt, qui cathedras suas habent : Deus in cœlo, diabolus in inferno, Moyses in deserto vel synagoga, Petrus in templo vel ecclesia. Sedet autem in cathedra quicunque studet; vel requiescit in tradenda doctrina : Deus bene docet; diabolus dedocet; Moyses agrestes mores populi duræ cervicis initiat ut veniant ad doctrinam; Petrus consummat discipulos suos in scientia, ita ut nihil eis desit in ulla gratia : *Exaltent eum*, etc.

Princeps apostolorum vocatus a Deo tanquam Aaron, sedes commutat et mores, non pro præsumptione corruens a superioribus ad inferiora, sed per obedientiam scandens et proficiens ab inferioribus ad celsiora et digniora : prima namque Petri sedes, in navicula quam sibi ex officio piscandi elegerat; secunda, in cathedra quam dedit ei Deus ex officio prædicandi; tertia, quam in cruce prædestinatio divina præparaverat; quarta, quam remuneratio cœlestis reposuerat in throno regni, ubi duodecim apostoli sedent super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Attendendum proinde quod sit officium sedentis in navicula; quæ dignitas præsidentis in cathedra; quod meritum in cruce morientis, quæ gloria in æternitate regnantis.

Piscator est in navicula, doctor et apostolus in cathedra, imitator Christi in cruce, confessor et cohæres Christi in regeneratione, rudis et novellus in navicula, prudens et doctus in cathedra, sanctus et perfectus in cruce, jucundus et gloriosus in regeneratione; novitios docet de navicula, senes de cathedra, exeuntes a corpore de cruce, pervenientes ad patriam de glorificatione. Initium sapientiæ, qui est timor Domini, instruit de navicula, ubi flumina tentationum elevant vocem suam quatientia latera noviter ad religionem conversi; et nisi regularibus remis, et gubernaculo æquitatis, navem suæ conversationis in directum per medias undas deducat, tempestas et procella de insidiis consurgentes cito eam submergunt, et damnum totius lucri cum ipso lucrante faciunt; melius enim esset non novisse viam virtutis, quam, post agnitionem, retrorsum redire, hoc est non intrasse naviculam religionis, quam naufragio tentationum perire sub habitu sanctitatis.

In se ipso tentationes novitiorum expertus est Petrus, quoniam pene moti sunt pedes ejus, et quoniam effusi sunt gressus ejus, cum tertio negaret jurando, et anathematizando quia non novisset hominem, utique impulsus et eversus ut caderet; sed non est collisus in damnationem, quia Dominus suscepit eum. Exemplum ergo dedit nobis, non cedendum tentationibus, non dandum esse locum diabolo, neque desperandum pro peccato : quis enim desperet de misericordia Domini, ubi tantum crimen tam citum invenit levamen, sine dubio nullum desperabilius, nullum immanius peccatum quam Christum negare : hoc fecit Petrus. Solent autem homines plerumque de levi et pro levi causa flere; flevit etiam Petrus, et demersit fluviolus compunctionis Ægyptum, id est negationem gigantinæ magnitudinis. Petri ergo commissum legimus solo fletu remissum, nec fuit pertinax Deus indulgere, cum Petrus cœpit amare flere. Veniant ergo mihi, Domine, miserationes tuæ, et vivam, qui non solum lacrymantem Petrum suscepisti, sed pro fetente

Lazaro flesti, et in virtute lacrymarum quatriduanum suscitasti.

Sic docet Petrus de navicula novitios, sic fluitantes pisces de ventre maris extrahit, et ne in tentationibus deficiant, suis exemplis et patrociniis defendit. Mutavit autem Petrus statum, quoniam ille qui vocavit eum de navicula, collocavit eum in cathedra seniorum, ut senes ad prudentiam doceret : cum enim esset junior cingebat se, et ambulabat ubi volebat; cum autem senuerit sedere debet in cathedra seniorum, verbo et exemplo docens eos cum ætate crescere in scientia et religione. Qui enim senes sunt in ordine claustri regularis sub professione Christianitatis, non debent esse elementarii, quia, ut ait Hieronymus, senex elementarius ridiculum est : non ergo debent iterum converti ad egena et infirma mundi elementa, ut more animalium hominum vivere velint, vel secundum imbecillitatem novitiorum, rursus lacte indigeant, non solido cibo religiosæ conversationis; scriptum denique est : *In antiquis reperitur sapientia* (*Job* XII, 12), etc.

Docet itaque Petrus senes de cathedra seniorum, ut sint prudentes mystici eloquii, ut penetrent illa arcana et secreta quæ vidit Paulus in altissima sede tertii cœli, *quæ*, ut ipse ait, *non licet homini loqui* (*II Cor* XII, 4). Tam profundissime namque medullam religionis anima religiosa debet inviscerare suis medullis, ut prius excutiat a visceribus medullas, quam fidem et religionem a medullis cordis; quasi vero non licet homini loqui illa arcana, quia solis conspectibus Divinitatis credenda sunt desideria nostra, ne aut favor adulantium ea imminuat, aut detractio susurrantium subripiat. Itaque de honestate, de scientia, de stabilitate, de mandatorum Dei observatione, et de perfectione justitiæ docet senes Petrus in cathedra seniorum; quæ vero sit cathedra ista, et quis sit artifex iste videamus.

Cathedra ista Ecclesia est, quæ quasi quatuor pedes habet, quatuor partes totius orbis, id est orientem, occidentem, septentrionem et meridiem, ut baptismum, eucharistiam, confessionem et pœnitentiam; baptismum videlicet consecrans in oriente, tanquam in ingressu tabernaculi; viaticum corporis et sanguinis Domini in occidente, tanquam in exitu Israel ex Ægypto, videlicet corporis hujus, sive mundanæ peregrinationis; denique confessionem habet in septentrione, ubi sunt latera aquilonis, accusans se de prævaricatione, non extollens de vanitate et gloria carnali, quæ tanquam flos agri cadet et arescet. Habet et pœnitentiam in meridie, quoniam pascit et cubat sponsus animæ cum fratribus suis et angelicis spiritibus, gaudium habens super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

Ecce cathedra utique seniorum, nam ab Abel cœpit cathedra ista compingi et dolari : dolari equidem in martyribus, compingi in confessoribus; A bene si quidem dolat tolerantia passionum, si quid tuberosum, si quid enorme, si quid nævi in nostro mortali corpore invenitur, quando delet ut nubem omnes iniquitates ejus, qui pro Christo sanguinem suum fuderit; compingitur autem cathedra ista in confessoribus, qui in charitate radicati et fundati tenent juncturam illam qua caput et corpus connectuntur incarnatione Verbi, et unione sponsi et sponsæ, ut possint comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem charitatem Christi. Illa ergo dilectio, quæ juxta Salomonem, fortis est ita in confessoribus sicut mors in martyribus, compingit dolata membra per mortificationem carnis, cum his quæ dolata sunt per mar- B tyrium passionis.

Princeps autem apostolorum sedet in cathedra non juniorum, sed seniorum, quia fides nostra non est de recenti Deo, sicut scriptum est : *Israel, si audieris me, noverit in te Deus recens* (*Psal.* LXXX, 9), sed de æterno, de incommutabili, de antiquo et pleno dierum; et licet sacramenta mutata sint in Veteri et Novo Testamento, una tamen fides, unus Dominus in utroque populo, sicut Apostolus memorans illud Psalmistæ : *Credidi propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 10); subdit inquiens : *Et nos credimus propter quod et loquimur* (*II Cor.* IV, 13), unam eamdemque fidem insinuans prophetarum et apostolorum. Cathedra ergo seniorum est Ecclesia propter bases æneas, quæ supponuntur columnis C argenteis, quia prophetæ et patriarchæ præcedunt apostolos, de quibus scriptum est : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (*Psal.* XLIV, 17), id est pro prophetis, apostoli; hoc enim quod præmittitur, *exaltent eum in ecclesia plebis*, exponitur cum dicitur *et in cathedra seniorum laudent eum*, ut cathedra seniorum pertineat ad fidem antiquorum patrum; ecclesia plebis, ad fidem Christianorum.

Sed quia de cathedra Petri, et solemnitas præsentis diei et sermo est, occasione ejus considerandum nobis est quot aliæ cathedræ sint de quibus agat Scriptura. Est itaque cathedra Dei, est cathedra diaboli, est denique cathedra Moysis. Dei invisibilis cathedra, est potentia illa qua mundum universum creavit et regit; et sunt quasi quatuor D pedes hujus cathedræ, vel quatuor primordialia elementa ex quibus omne corpus subsistit, vel ipsum cœlum, aer, terra, mare, et omnia : *Deus* enim *noster omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6). Suppositum vero sibi pulvillum habet misericordiam suam, in qua molliter quiescit, quia miserationes ejus super omnia opera ejus. De hac cathedra dicitur : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI, 1). Item : *Dominus paravit in cœlo sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur* (*Psal.* CII, 19); sedet ergo in cathedra qui ubique regnat, sicut scriptum est : *Do-*

minus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, et præcinxit se (*Psal.* XCII, 1). Ecce de cathedra Dei.

Cathedra vero diaboli est in inferno, ubi potestas est tenebrarum, sedet autem ibi diabolus tanquam in cathedra, immittens suggestiones per angelos malos; immittens legatos suos in mari ad gentem fallacem, ad populum convulsum et dilaceratum, cujus sternutatio ardere facit prunas; nam non solum medullas juveniles scintillat in incendiis suis in ardorem luxuriæ, sed etiam sensus quorumdam decrepitorum emortuos inflammat in libidines, et ardere facit prunas desideriorum, quando sternutaverit, carbones ignis congerens super caput stertentis animæ sopore negligentiæ. Quatuor pedes sunt hujus cathedræ, quatuor genera suggestionum seu tentationum: prima quarum est levis et occulta, secunda levis et aperta, tertia gravis et occulta, quarta gravis et manifesta: appellatur autem in psalmo (XC): prima timor nocturnus, secunda sagitta volans, tertia negotium perambulans in tenebris, quarta incursus et dæmonium meridianum; his insidet et premit terram, ille qui rugiens circuit quærens quem devoret. Sunt et alii pedes gehennalis cathedræ, calor et frigus, fetor et tenebræ; pulvillus autem est de quo dicitur: *Subter te sternetur tinea* (*Isa.* XIV, 11); et hoc de cathedra diaboli. Restat videre de cathedra Moysis, de qua in Evangelio dicitur: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* XXIII, 11).

Cathedra ista lapidea est, in lapide enim sedet cum Hur et Aaron sustentarent manus ejus, quia graves erant. In lapide etiam scripsit, quia tabulæ illæ in quibus decem verba legis scripsit, lapideæ erant; nec mirum, populus enim duræ cervicis erat cui loquebatur. Nihil molle, nihil suave in cathedra ista, quia in lege Moysis nulla remissio, nisi in igne, nisi in sanguine, nisi in cinere, nisi in victima et mactatione animalium; in ea etiam prohibetur ne quis mel offerat in sacrificiis. Pedes hujus cathedræ sunt circumcisio carnis, maledictum legis, cultus cæremoniarum, et asperitas mandati; planum est quid circumcisio; sed dicendum est aliquid de maledicto legis. Moyses cum mandata legis complesset adjunxit: *Maledictus qui non servaverit omnia quæ in lege scripta sunt* (*Deut.* XXVII, 26); probat autem apostolus Petrus omnes Judæos sub hoc maledicto legis fuisse, dicens in Actibus apostolorum: *Quid tentatis nobis imponere jugum, quod neque patres nostri portare potuerunt, neque nos* (*Act.* XV, 10); hoc itaque maledictum legis Moyses fecit, quia ad litteram nemo legem fecit, sicut in Evangelio dicitur: *Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis legem facit* (*Joan.* VII, 19); planum est quam lapideus sit cultus cæremoniarum, quam lapidea mandata in lege; transferamus nos itaque a cathedra Moysis ad cathedram Petri, quia non possunt adversus eam portæ inferi; fundata enim est super petram, id est Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

A

SERMO LX.

IN FESTIVITATE SANCTÆ MARIÆ MAGDALENÆ I.

De præparato habitaculo suo tanquam a regalibus sedibus, ad inferiores partes terræ nostræ miserator et misericors Dominus, nube carnis assumpta, sese secundum tempus suæ prædestinationis humiliavit, et rei nostræ publicæ jura, omnemque sollicitudinem ut legum conditor et interpres curavit. Dum itaque cum senatoribus suis merita, et causas singulorum, non more judicantis, sed pietate instruentis inquireret (erudire namque insipientes non innocentes judicare venerat), mulier quæ in leges offenderat, et jura naturæ violaverat, accessit rogans non censuram judicis, sed indulgentiam patris.

B

Pensatis proinde, tam causa ejus, quam causæ remediis, benignitate sua mitigavit asperitatem legis, et condito Evangelii novo senatusconsulto, legem generalem remissionis sancivit; eatenus siquidem lege duarum tabularum, digito quidem Dei conscriptarum, sed tamen lapidearum, sine miseratione transgressores ejus puniebantur, et sine sanguinis effusione peccata non delebantur. Mansuetudine itaque et prudentia sua noster jurisperitus accepta potestate a Patre de lege antiqua quædam importabilia, seu impossibilia dempsit; quædam crudelia mitigavit, quædam minus apta composuit, quædam pro tempore commutato commutavit, ut clarius, tranquillius, jucundius et honestius reduceret tempus Domini quam servi, et relevarentur in adventu Domini qui opprimebantur gravi jugo servi.

C

Forte oblatrare voluit quidam Simon leprosus super hac pia Domini dispensatione, veterem retinens legem, et novam ignorans, ore leproso taliter submurmurans: Hic, inquiens, si esset propheta, nosset prophetam Moysen, nosset et legem, nosset sine dubio et hanc mulierem; si vero sciret, legi potius quam meretrici assentiret; nec solum tam propitio vultu se ad suscipiendam non inclinaret, imo lege armatus lapidibus obruendam adjudicaret; ita enim justitiam legis servaret, et opus justitiæ statueret. Contrarium itaque agens, quæ in eo est justitia, quæ sanctitas, quæ prophetia? Nonne in civitate peccatrix nota et famosa est mulier ista quæ tangit pedes ejus? nonne qui tangitur, inquinatur ab ea? certe domum meam hæc non intrasset, nisi crederem ab eo eam respuendam et condemnandam.

D

Cum hæc in auribus Domini Sabaoth in silentio oris diutius sibilasset, proposito similitudinis problemate de lege sua articulum satis argumentosum proposuit, et servum nequam ex ore proprio conclusit. Exclusa vero gloriatione sua per legem factorum, imo per legem fidei, faciem desiderabilem cunctis gentibus ad peccatricem mœrentem et afflictam convertit, et de impunitate statim sententiam subintulit: *Fides*, inquit, *tua te salvam fecit, vade*

in pace (*Luc.* VII, 50). Revera sicut exaltantur cœli a terra, sic viæ Domini a cogitationibus leprosi separantur; respuit leprosam leprosus, sed suscipit Dominus, utilius abjicitur leprosa a leproso, ideo magis suscipitur a Domino. Leprosus de lepra leprose suam cumulat lepram, quia superbiæ suæ adjungit stimulantem invidiam; jam tamen non apparet in muliere vestigium lepræ, quia provoluta vestigiis Domini accipit remedium gratiæ.

Simon, tu judicas secundum veterem legem, imo secundum veterem hominem; Jesus non judicat quemquam, sed absolvit pœnitentem animam.

Tu attendis legem in lapidibus, ubi ministratio mortis; Jesus in spiritualibus donis, ubi superponitur virtus miserationis; *miserationes* enim *ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV, 9). Congratulare potius sanatori contritionum miserorum, quia et tu indiges medico, si vis sanari a superbiæ morbo; mulier ista, etsi non est sana a peccato, immunis tamen est a delicto maximo desperationis vel præsumptionis; quærit medelam, nec segniter implorat indulgentiam, nec transeunter; instat perseveranter, clamat fortiter, plorat abundanter, agit coram notis et superbis domesticis; omnia tam humiliter quam patienter.

Cur igitur vis tam meritum evacuare conversionis, quam fontem obstruere pietatis? Si debriatus malitia, latices nostros contemnis, cur onagrum in siti sua potantem reprehendis? Ambiguum tamen quem contumeliosius arguas, an potu indigentem? Quid est, Simon? in quo alium judicas, te ipsum condemnas. Si enim pœnitentibus indulgentia negatur, supervacue in lege tua cæremoniarum et sacrificiorum ritus observantur. Tu ipse quare es circumcisus? quare primitias et decimas tuas reddis Domino? quare offers pro peccato et delicto, si probibes misericordiam, si negas indulgentiam? Sed forte dicis : Lex mea fornicatores et adulteros condemnat, et minima ignoscens delicta, graviora sine respectu miserationis imputat, et amputat. O Pharisæe, si talis est lex tua, ut in majoribus non faciat, vel facere nequeat, quod in minoribus agit, ergo est aut insufficiens, aut injusta. Sed non est, quia lex est quidem sancta, et mandatum sanctum et justum, et bonum. Justus enim et bonus Deus, qui legem dedit; justus et mansuetus Moyses, qui legem attulit; non nisi justum et sanctum sine dubio utrque in lege constituit.

Restat ergo ut insufficiens sit, quod et verum est; nam non ad perfectum adduxit lex, nec Moyses, sed Jesus filios Israel ad terram lacte et melle manantem introduxit; habuit enim cursum suum ad tempus usque ad Joannem; lex enim usque ad Joannem; et bene usque ad Joannem, qui interpretatur *gratia;* lex namque, ut asseris, Simon, sine gratia; sequitur itaque Joannem, veniendo in carne Jesus, non qui interpretatur gratia, sed qui vere plenus est gratia, imo plena gratia. Medius vero intercurrit Joannes inter legem et Christum, ut quasi aurora et umbram noctis finiret, et lucem solis præconando aperiret.

Timens igitur Maria Magdalene legem sine gratia, accessit ad fontem gratiæ, et ne obrueretur lapidibus, adhæsit pedibus; Simon, tu lapides crudelitatis, Jesus porrigit Mariæ pedes pietatis; tu conaris secundum legem ferire, sed infra colliduntur jacti lapides, vel potius in caput tuum revolvuntur; nam retro Mariam quæ stat ad pedes gratiæ, residet lex, nec extendit brachium comminationis, ubi cernit adesse pedes Salvatoris; imponit sibi silentium cum audit verbum, posteriora Domini videt, et in faciem prorumpere non audet; sufficit enim Moysi, posteriora vidisse Dei. Siste itaque gradum, Simon, cum Moyse post tergum Domini, quia non est discipulus super magistrum, et sine ut Dominus faciat opus suum, suscipiendo Mariam peccatricem, quia alienum opus ab eo condemnare pœnitentem.

O Simon, proximo lumine excæcaris, de resurrectione occumbis, odore bono moreris, plenitudine evanescis; sed tandem depelle a corde malitiam, ab ore mendacium, ab oculis livorem, et mirare convivantem non ventrem implere cibo mensæ, sed humilitate et fide Mariæ. Quod fieri solet in sanctis vide impleri in oculis tuis; in penetralibus domus tuæ hostia viva, sancta et Deo placens, novo genere adolendi ad altare de terra incorrupta consecratum immolatur; sanguis ad basim funditur; oleum spargitur, incensum adoletur, capra pro peccato ignorantiæ jugulatur, et anima tua inde irascitur.

Procul dubio cum renuntiat Maria motibus libidinosis, capram interficit; cum orat veniam, incensum accendit; cum devotionem effluit, oleum fundit, cum verecundatur de perpetratis, sanguinem effundit; cum moritur peccato, hostiam facit. Ecce ara, ecce victima, ecce ignis, ecce ligna, ecce aqua, ecce baptista. In loco sancto talia fieri solent, et debent, sed ubi sanctior locus quam ubi stabant pedes Jesu? *Adorate*, inquit Psalmista, *scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est* (*Psal.* XCVIII, 5). In hoc scabello caput suum Maria reposuit, et fletu sacratissimo humectavit; stans enim retro secus pedes Jesu Maria cœpit rigare lacrymis, et capillis suis tergere; rigat plantas Maria, de horto Mariæ natas; Maria, sed Dei genitrix, plantas istas de carne sua et sanguine plantavit, quinimo plantatas germinavit quomodo [*f.* quas modo] Maria, sed multum peccatrix, de internorum viscerum fonte rigavit : rigavit plane et alius non aqua, sed oleo gratiæ; cum Maria in utero, imo in Maria Pater de cœlo plantaret, quem Maria Magdalene rigavit aqua, et unxit un uento cum in domo Simonis recumberet.

Bona Mariæ Magdalenæ rigatio seu unctio, quia maculas peccatorum delevit; melior unctio, sive rigatio Spiritus sancti, quia naturam sterilem et infecundam, virtutibus et donis cœlestibus in Christo

Jesu multipliciter ditavit; sublimior illa, humilior ista; nam ista in oleo gratiæ, ista [lit in aqua pœnitentiæ. Non rigaret Maria Magdalene convivantem Jesum aqua, nisi de virgine nascentem Spiritus sanctus irrigasset gratia : lege Scripturam Moysis, et intellige sacramentum hujus rigationis : *Spiritus*, inquit, *Domini ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2). Quid est Spiritum Domini ferri super aquas, nisi quia in Spiritu Dei superiori et meliori expiatione purgatur anima quam in aqua? quid iterum est quod Spiritus Domini ferebatur super aquas, nisi quia per Spiritum anima mundatur, corpus in aqua; vel quia Spiritus rigatione seu obumbratione, natura sine culpa concipi potuit; in Mariæ vero Magdalenæ rigatione, culpa sine natura deleri meruit, merito Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Concepit Maria naturam nostram in Jesu per Spiritum, ferebatur super aquas sine peccato, recepit Maria Magdalene animam suam abysso priorum delictorum contenebratam a Jesu, eodem cooperante Spiritu, purgatam a dæmonio : bene ergo Spiritus ferebatur super aquas, quia in matre copiosior descendit gratia, in peccatrice largior venia, et nunc quoque Spiritus fertur super aquas hujus peccatricis, cum aspersione gratiæ spiritalis anima illius emundatur in effusione lacrymarum et pœnitentiæ. Super aquas Spiritus Domini fertur, cum potius ex devotione cordium, quam ex sterili humectatione cerebri peccatoribus reconciliatur Deus : Spiritus sine aqua purificat, vel in aqua ; aqua sine spiritu, qui fertur super aquas, quia non est de aquis paradisi, sed de stagnis Ægypti, fictus humor ab oculis egrediens, ad deliniendos duntaxat homines, non ad delendas criminum sordes. Ecce capra per aquam et spiritum movetur mutata, accedit ad aram, cum abjectis prioris vitæ vitiis, Maria Magdalene conversione cordis immutata, amplectitur pedes pietatis.

SERMO LXI.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ II.

Stans, inquit evangelista, *Maria Magdalene retro secus pedes Domini Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat et osculabatur, et unguento ungebat* (*Luc.* VII, 38).

Vade ad formicam, o piger, et disce semitas ejus; congregat enim sibi æstate cibos hiemalis temporis : aptissima procul dubio operationis similitudine Mariam æquiparare possumus prudentissimæ formicæ; nam sicut formica grana triticea studiosissime comportat æstatis tempore ad mansionem suam, prospiciens sibi ne in hieme indigeat; sic Maria Magdalene ad granum tritici quod cadens in terram, nisi mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum affert, audiens ipsum in domo Simonis recumbere, cucurrit, et tanquam apprehenso grano tritici ad animam suam humillima conversione detulit. Nam quomodo formica grani medullam, sic Maria Christi gratiam accepit.

Plenius tamen vide ordinem conversionis, et adverte quomodo convertitur conversa; nam nec unum iota præteriit a lege reversionis, quæ longe aversabatur in regione dissimilitudinis : in aversione namque sua, domum mentis everterat, et totam naturæ suæ substantiam vivendo luxuriose consumpserat; ut enim ait Salomon : *Mulier sapiens ædificat domum, insipiens vero constructam destruit* (*Prov.* XIV, 1). Hæc igitur mulier prius insipiens a summo vertice usque ad fundamentum, habitaculum mentis quotidie in deteriora proruendo dejecerat; et sicut in ruina parietis lapis lapidem cadendo impellit, sic malitia malitiam in ejus actibus annexuit : *Abyssus namque abyssum*, juxta Psalmistam, *invocat* (*Psal.* XLI, 8), dum culpa culpam, vel etiam culpa pœnam in excæcatis mentibus appellat. Tota itaque domus incurvata, ligna, laquearia, columnas et tabulata in terram fuderat, et usque ad fundamentum solidum nihil prorsus erectum remanserat; a planta enim pedis usque ad verticem non erat in ea sanitas, quia in Ægypto fractæ fuerant mammæ pubertatis ejus, et erat tota nuda et discalceata.

Tandem ad cor rediens, et virum pubertatis suæ recolens, sensum cœpit recolligere, et sapienter inter se dicere : Revertar ad dominum meum priorem, quia melius mihi erat tunc magis quam nunc, tunc videlicet, cum de manu ejus buccellas sumebam panis oleati, cum inhærens lateri ejus non timebam domui meæ a frigoribus nivis. Cum enim fuerint duo foventur mutuo : *Væ autem soli, quia si ceciderit non habet sublevantem se* (*Eccle.* IV, 10); tunc inquam, melius mihi erat cum in sinu et pectore illius recumbens, perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ. Nunc autem abjecta procul, exposita sum timoribus nocturnis, feris et bestiis, necnon pruinæ ; et stillicidiis hiemalibus, quibus angor in corde, et horreo, et in corpore. Resumo igitur vires, et de nocte consurgam, quærens eum, qui mihi dabat lanam et linum, si forte tunicam, si forte pallium turpitudini meæ comparare possuro.

Audio certe Agnum in domo Simonis leprosi; qui moratur juxta me leprosam, forte qui leprosi domum ad convivandum non respuit, nec me leprosam ad sanandum contemnet; si leprosus obtulit ei cibum, cur non et ego deferam, quamvis leprosa, unguentum? Simon cibum, ego ministrabo unguentum : manibus potuit Simon infundere aquam, sed neglexit. Ego si quomodo potero ad pedes procumbens, non de communi civium puteo, sed de proprio fonte, vitali calore calefactam aquam gressibus Divinitatis superfundam. Simon leprosus est solum in capite, quia superbus in mente; ego in toto corpore, quia plena libidine vel dæmone ; qui enim fornicatur, in corpus suum peccat, quodcunque autem peccatum fecerit homo, extra corpus est. Non tamen hæc idcirco de Simone cogitans revolvo, quasi meam postponens valetudinem, et ejus aggravans ægritudinem, insultare meliori præsumam, sed ut quo rivus pietatis declinaverit, meæ pusillanimitati persuadeam, et in spe remissionis ad fontem veniam.

Duo audivi de hospite Agni; Simon nominatur, et leprosus cognominatur : in eo quod leprosus, quadam proportione accedo; in eo quod Simon, prorsus cedo; in eo quod leprosus, fragilitatem meam recognosco; in eo quod Simon, inobedientiam meam redarguo : in eo quod leprosus, Scripturam recolo, quia Concludit Deus omnia sub peccato; in eo quod Simon, Justitiam quæ ex lege est qui fecerit vivet in ea. In utroque tamen verum est, *quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (*I Tim.* I, 15); in eo quod leprosus, nequaquam melior me; sed in eo quod Simon, ultra me; differentia enim non modica est inter peccatorem obedientem et inobedientem.

Vadam ergo ad domum obedientiæ; et ibi ab Agno accipiam lanam indulgentiæ; erogat enim eam, et mittit petentibus pœnitentibus, qui dat nivem sicut lanam, qui de velleribus suis calefacit pauperes, qui forcipibus crucis sive passionis eam totondit, et universæ ad contexendam vestem immortalitatis cum colo et fuso prædicationis et fidei transmisit. Dum itaque Agnus cum vellere suo est, qui sicut pluvia in vellus descendit, quoniam Verbum carnem de Virgine assumpsit, vadam ad pedes ejus, ubi sine ungulis terræ contiguus est, et nostræ humilitati amplius compatitur, non ad caput quod excelsius est, et habet cornua septem, et oculos septem.

Timeo certe oculos ejus, quia lumen oculorum meorum non est mecum; timeo magisque formido cornua, quia mollis adhuc et tenera : apprehendam igitur agnum propter lanam, sed a parte pedum, sed a parte plantarum, quæ nec plantam habeo mundam, contingam plantam blandam et mundam. Si peccatrix non essem, ungularem locum non reformidarem; mitissimum non ignoro esse agnum, sed recolo me tam graviter offendisse, quod potuerim exacerbasse etiam agninum oculum. Quid planta in agno innocentius, quid tenerius? itaque plantam teneram ex natura, teneriorem reddam ex lacryma. Irritant animum agricolæ uberes provenientes fruges ex segete; propensius namque cumulatur donum supernum, cum se idoneum ad suscipiendum præparaverit hominis meritum; largior namque succrescit manus in præmio, cum non fuerit ingrata mens accipientis beneficium.

Sed quale, sed quantum hoc beneficium, ut contingam, Domine Jesu, scabellum pedum tuorum, imo qualem et quantam peccatrici impendis gratiam, cum præbere non recusas plantam : supra me hoc totum, confortata est misericordia tua, et non possum ad eam, sicut enim quod infirmum Dei, fortius est hominibus, sic quod infimum, sublimius; jam si planta rigata, calcaneo vicino me rejecerit, tamen tenebo plantam, et quasi complantata non desinam præ impatientia. Tenens autem plantam, quid dicam? *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11); misericordia ejus, id est planta ejus, prævenit me, dum teneo plantam colligo lanam, non me fugit agnus, quia aut dabit lanam, aut semper tenebo plantam.

O Agne, cum dederis lanam indulgentiæ, da quoque fusum pœnitentiæ; nam lana nisi nendo per fusum dispensata, vestem non facit; sic et misericordia, sive indulgentia pœnitentibus indulta sine fructu pœnitentiæ, confitentem nuditatem suam decenter non operit. Remittit Deus reatum culpæ, sed tu solvere debes pro modo culpæ modum pœnæ; nam, etsi dixit Agnus : Remissa sunt ei peccata multa, non tamen Maria ideo cessavit a pœnitentia; digiti enim ejus apprehenderunt fusum, et distillaverunt myrrham probatissimam præ cunctis Deum diligendo, sequendo et ministrando, fusum ejus solvimus, modo expendimus cum de pœnitentia ejus loquimur.

Contexamus nobis tunicam propter frigus hiemis, quoniam piger arare non poterit de lana agni in fuso Mariæ, ut sic ad Deum quomodo Maria convertamur; sic afficiamur, sic diligamus, sic sequamur; et cum ab agno accepimus lanam, a verbo eadem instantia impetremus linum; subtilius est linum et rarius, sed et carius; sic et verbum Dei pretiosius est corpore verbi, sic et vita æterna, quam præsens indulgentia : aliquando enim quidam consequuntur lanam indulgentiæ, sed non perveniunt ad linum; imo linum vitæ; non enim perseverant. Qui enim post acceptam notitiam veritatis redeunt ad vomitum, rursus crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes, excluduntur a regno. *Voluntarie* enim *peccantibus, jam non relinquitur hostia pro peccatis* (*Hebr.* X, 26.). Lanam ergo isti habuerunt per indulgentiam; sed eam dilacerantes, et in fusum intorquentes, perseverantiæ linum non meruerunt.

Maria autem quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum; habet itaque tunicam de lino agni ad plantam; habet et pallium de lino verbi ad caput. Sic mulier sapiens reædificavit domum suam, perficiens a planta pedum humanitatis Christi, usque ad caput divinitatis; hæc enim et pedes unxit, et caput; sed pedes adhuc peccatrix, et caput dilectrix. Pedes Domini pedes sancti, quibus perambulat usque in Idumæam nostram Verbi Divinitas; quibus regreditur super pennas cherubim nostra humanitas, quibus primum ad Matrem nascendo et deinde ad Patrem rediit ascendendo; Filius Dei ubique est totum implendo, et nusquam deest, totum regendo. Merito pedes Jesu apprehendit Maria, quia egressus est diabolus ante pedes ejus.

O Maria, cum teneres pedes Jesu quid sentiebas, quid cogitabas, quid desiderabas? Commutares illud tenere pro aliquo æstimabili, vel inæstimabili auro vel lapide? An satiari poterat os tuum osculis, manus contactu, oculus visu? Certe si cor extrahere posses, effundere in pedibus Jesu non recusares; fudisti aquam, sed et unguentum, sed quantum aquæ? nam unguenti satis recolo mensuram, librarn profecto unguenti pretiosi, larga multum in æstimatione unguenti, largior in aquarum effusione,

sine pretio pretiosam aquam de proprio hauriebas puteo ; et ideo caput præbebat aquam sine mensura; quia cor tuum non declinabat in avaritia.

Operuit hæc aqua pedes Domini, et abluit sordes animi et corporis tui, submersi sunt Ægyptii priorum malorum quasi plumbum in aquis vehementibus; hujus compunctionibus aqua truncum emortuum reviviscere fecit, cum animam peccatricis jam dudum a nuditate boni operis exstinctam ad dignos pœnitentiæ fructus fecundavit; effudit aquam et siccavit luxuriam. Mirabilius forte Eliæ miraculum, dicitur enim tres annos et menses sex de cœlo aquam precibus suis deposuisse, ut terra germinaret, etc. Sed utilius ecce factum, cum de propriis visceribus fluminis impetum eduxit, ut Christum sibi reconciliaret, et tanquam novella olivarum lucidissimos et dignissimos fructus pœnitentiæ in toto orbe proferret. Quid enim lucidius in terra hujus sanctissimæ peccatricis fide et devotione? quid in mundo fragrantius Mariæ Magdalenæ opinione? quid in Ecclesia efficacius hujus dilectæ Jesu pro peccatoribus oratione et subventione?

Potentissima sane est apud judicem, piissima ad miserorum exaudiendam precem, efficacissima ad erigendum de stercore pauperem; hanc in cœli collegio præeligat anima mea; huic non erubescat confiteri mala sua; hac mediatrice lacrymas cum suo affectu postulet, et de amore Jesu non hæsitet. Novit hæc affectuosius miserias miserorum recipere, meminit tenacius recogitans delicta juventutis suæ, quam fragile sit vas nostrum fictile et pronum ad casum; dulcius vulnera palpare, mollius contrectare, et patientius fetores vulnerum tolerare nondum desuevit.

O Maria, lava conscientias pœnitentium, emunda inquinamenta cordium, quem plorando in advocatum tibi commutasti, rogando eumdem impetra reis non reatuum ultorem iratum, sed indultorem placatum. Quæ adhuc rea pro te sufficienter perorasti, jam dilecta pro confitentium culpis esto pia mediatrix; non verbis, sed lacrymis; non voce, sed compunctione; non pomposa oratione, sed lacrymosa rigatione indulgentiam extorsisti; non se continuerunt viscera misericordiæ Dei, ubi cœperunt se effundere viscera afflictæ peccatricis. Rogamus, Domine Jesu, viscera tuæ pietatis, viscera tam matris quam peccatricis Mariæ, quatenus reseratis visceribus, rejiciamus malitiam et recipiamus indulgentiam, omnem duritiam projiciamus et affectum devotionis obtineamus.

O Maria Magdalena, cum nondum gustasses vinum meracissimum, fidentissimo ausu os tuum et manus patenti fonti David appulisti; et nunc cum jam in cellam vinariam intraveris, vino cœlestium copiarum æstues, accedere trepidas, pauperibus ostii saltem propter calamitatem indefesse clamantibus, de reliquiis mensæ tuæ modicum panis, et pauxillum aquæ deferre recusas? Affer, obsecro, buccellam panis et vas aquæ, quia missus sum ad te in tempore famis, sicut Elias ad viduam Sidoniorum, quia portas civitatis tanquam fugitivus nondum intrare præsumo; inveniam te, et veniam ad portam, ut, te duce, penetremus sanctuarii sanctuaria, et palatii secreta, præeunte Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXII.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ III.

Quomodo cervus ad fontes aquarum, sic Maria Magdalena ab æstu febrium recurrit ad fontem Jesu; quo enim acrius sitit, eo citius currit; metas non moderatur itineris, insidias non attendit venatoris, difficultates postponit peregrinationis; tantummodo ut æstus reprimat, exurentes venas renovet, jam deficientes vires reparet. Vide Mariam instantius agentem tanquam cervam gratissimam, ad domum Simonis festinantem, ut exponat sitim suam, ut proponat necessitatem suam; et tandem deponat miseriam suam.

Quid est, Maria? quod habes negotium in domo Pharisæi, visne caput ejus impinguare oleo tuo? Nequaquam, inquit, propter Simonem leprosum venio, sed propter Jesum curatorem animarum, languida tertianis et quartanis accedo; simul namque febrem contrariam patior, quia vitiis in se ipsis contrariis miserabiliter succumbo; medicum advenisse rumore publico audivi, cujus arte languor cunctus depellitur, et sine pretio impretiabiliter sanitas prioris ævi restituitur. Hic uno verbi medicamine ad omnium omnem sanandum morbum, novo medendi genere utitur; hic sicut Pater suus uno sermone creavit omnia, similiter uno jussu curat universa.

Præter hæc, multa et mira de eo dicuntur, quod scilicet ventis et mari imperet; quod vinum de aquis statim mutaret; quod tactu fimbriarum suarum menstrua constringat, quod manu tangens lepram extrahat, quod turbas miraculis pascat; fertur etiam plenus miseratione, plenus pietate, plenus mansuetudine, spernere nullum, abjicere neminem, suscipere omnem ad se venientem. Venio itaque ad Jesum, non ad Pharisæum; ad Salvatorem, non ad Simonem; ad medicum, non ad leprosum; venio, inquam, venio nunc ad fontem misericordiæ, non ad montem superbiæ; ad pium indultorem debiti, non ad impium exactorem indebiti.

Despicit me forte despiciendus leprosus; sed respicit me certe adorandus Dominus Jesus; imputat ille mihi peccata mea, quem prægravant sua: ignoscit delicta juventutis meæ, quem non infecit lethale et universale piaculum corruptionis nostræ. Creditor meus agit in me misericorditer; superstitiosus et improbus accusator immaniter; non igitur venio ad domum Simonis propter mansionarium, sed propter peregrinum. Etsi enim divertit humilis ad superbum, Jesus ad Pharisæum, medicus ad superbum; non tamen convertit vultum ad detrahentem proximum suum, sed ad

confitentem reatum suum : dedignatur namque sed dedignata superbia humilitatem, discordia unitatem, immunditia castitatem, vitium virtutem. Quandoque tamen fortior virtus subintrat peccati hospitium, ut destructo Satanæ dominio, animam compeditam consuetudine malorum, tanquam spolium deferat, et vitium desolatum mansione sua in deserto sedeat.

Accurrit itaque ad verbum quod misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel, si forte regnum cœlorum rapere de domo Pharisæi possim ; quod ille negligit præ adipe et pinguedine sua ; faciam quod fecit quædam, et in sexu et in fastu antiquorum malorum par mihi et consimilis, sed nihilominus in fide et devotione non dissimilis ; alii premebant aliquando Jesum, sed succum virtutis ex aliorum pressura, ipsa quæ fluxum sanguinis patiebatur suscepit ; nam guttur fidei supposuit et de botro cypri in torculare desudante et exundante, balsamum extorsit. Sic sic et ego, quia humilitatem Jesu in fastu suo præponderat superbia Pharisæi, ad pedes pressi non oppressi conscendam, et dependentem gemmam gratiæ, supposito cordis vase recondam.

Ubera mea quæ fracta sunt in Ægypto, perungam gutta ejus olei quod non deficiet de capite meo, sicut et lecythus olei non est imminutus ; ut sic demum per pœnitentiam emendata, meliora sint vino, fragrantia unguentis optimis. Vinum justitiæ extorquet Simon confidens, imo præsumens de justitia sua ; sed mihi propter sexum, et propter morbum competit oleum sive balsamum. Væ tibi, Simon, qui mane consurgis, ut vino æstues, mane enim utilius esset oleum, sero vinum, quia si scapham misericordiæ præoccupasses, procellas sententiæ minus formidares. *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*, ait Psalmista (*Psal.* ci, 1) ; mane misericordiam, sero judicium ; venit enim mane redemptionis et judicium ultionis ; namque vini austeritatem et noctis obscuritatem nemo ferret, nisi mane lumen, et olei suavitatem prius susciperet. Quis enim in nocte judicii nisi Simon, qui gloriatur in virtute sua, stabit ad videndum eum, cum apparebit quasi ignis conflans et emundans argentum?

Vinum vis bibere, Simon, incipies æstuare ; sævitas enim judicii, æstus est intolerabilis : quamobrem mane potius inungamur tantum oleo, quam æstuemus vino, humiliemur ad veniam, non levemur ad inanem jactantiam. Non, inquit Maria, curro ad vinum, quia non habeo vestimentum ; prius vestimentum, postea unguentum, deinde quæro vinum ; duplici enim perfundor confusione ; nuda namque sum gratiæ indumentis, et ideo erubesco ; vulnerata sum in concessis naturæ dotibus, et idcirco ingemisco, turpitudini proinde deposco tegumentum remissionis, vulneribus medicamentum reparationis ; vulneraverunt namque me, tulerunt pallium meum custodes murorum, imo latrones tenebrarum, si quod donum gratiæ, si qua munera Spiritus sancti collata acceperam, male utens, negligenter custodiens, pessime vivens instinctu dæmonum amisi ea. *Dereliquit* enim *me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* (*Psal.* xxxvii, 11).

Spiritus fornicationis tulit a me pallium integritatis ; spiritus iræ, tunicam charitatis ; spiritus gulæ vel ebrietatis, sindonem sobrietatis ; spiritus superbiæ, calceamenta humilitatis ; spiritus impatientiæ, camisiam lenitatis et mansuetudinis ; spiritus avaritiæ, ornamentum capitis ; spiritum inobedientiæ, inaures de auriculis. Ecce septem spiritus nequiores aliis quomodo diviserunt vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Ab his tertianam, ab his quartanam patior, super tribus enim et quatuor sceleribus a me perpetratis, conturbatur anima mea, et venter meus, id est corpus et spiritus.

Tamen sic spoliata, sic nuda, sic plena confusione procido ad pedes agni habentis oculos septem et cornua septem, quærens lanam et linum ad contexendum vestimentum, et ad contegendum opprobrium meum : ob hoc retro secus pedes accedo et animam meam in fletibus effundo, rigans lacrymis per singulas noctes lectum meum. Ex hoc enim jam lectum alium non habeo, nisi pedes Jesu : hic requies mea in sæculum sæculi ; hic somnus dulcis, hic mihi erit tabernaculum æternæ mansionis : *Si illi quibus non est vestimentum*, secundum Job (cap. xxiv, 8), *amplexantur lapides* ; cur non ego, quæ nuda sum, Domini Jesu pedes?

Jesus, qui factus est mihi sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio ; qui virgo de virgine ad restituendam integritatem, conceptus et natus est ; qui sicut agnus coram tondente ad redintegrandam charitatem, nisi ut funderet preces, non aperuit os suum, ita ut miraretur præses ; qui ad exstinguendam ebrietatem, sobrietatem opere et sermone docuit ; qui principium et caput humilitatis, ad dirigendos gressus nostros in viam pacis ; qui, cum malediceretur non maledixit, ad præbendum exemplum patientiæ ; qui, ubi caput reclinaret non habuit, ad confodiendum spiritum avaritiæ ; qui Patri obediens usque ad mortem fuit, ad consummandam victoriam dispensationis suæ, revestivit me vestimentis gloriæ suæ ; cum enim remittit peccata quasi resarcit vestimenta.

Liberata igitur a frigore et confusione, operando in vulnerum curatione ; vulneravit me oculi concupiscentia, vanitas aurium, ventris appetitus, sapor nimium exquisitus, tactus plus justo demulcens, odor undecunque redemptus, et voluptas corporis naturæ necessitatem excedens, et in belluinam imaginem, imaginem Dei convertens : aperio tandem vulnus, detego livorem, plagam tumentem medicinalibus remediis expono clamans : Corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ, et tu, Domine, quid? sana me, et sanabor, salvam me fac, et salva ero. Nuda agnum, vulnerata medicum, fontem vivum sitibunda, munimentum tremebunda, tenebrosa oleum, exulcerata unguentum, vitam mortua

peto. Sapientiam agnus, intellectum medicus, fons vivus consilium, turris fortitudinem, oleum scientiam, unguentum pietatem, vita præstet mihi timorem.

Luxuriam abdico, pœnitentiam mihi indico, lacrymas fundo, pedes abluo, manutergio capillorum detergo, ream me in medio ecclesiæ et synagogæ confiteor, mihi ulterius vivere contemno; recogitabo tempus adolescentiæ meæ, ut si dies revocare per innocentiam nequeo, saltem per pœnitentiam dimidiare valeam. Quamvis horis horas, momentis momenta, dies diebus, menses mensibus, annis annos rependere non sufficiam; tamen totum residuum pro toto constituam. Dextra vero Deum tenens libram culpæ et pœnæ, misericordiæ et justitiæ inclinet ex hoc in hoc, ut quod est justitiæ levigetur; et quod est misericordiæ amplificetur; quod est pœnæ indulgeatur, et quod est culpæ deleatur.

Si Simonis sententia suscipitur, momentum stateræ in sinistra deprimitur, in dextera evacuatur; secundum Simonem totum culpæ totum exigit pœnæ; seu non prævaleat, Domine Jesu, inimicus, retracta sententiam a labiis iniquis et a lingua dolosa, non secundum leges misericordiæ tuæ prolatam. Sicut denique Daniel vir desideriorum falsum testimonium reprobat adversus Susannam castam, sic tu totus desiderabilis, non approbes condemnationem adversus Mariam per te salvandam; tollatur culpa, ut mitigetur pœna; transfundatur plenitudo justitiæ in plenitudinem misericordiæ, plenitudo vindictæ in plenitudinem veniæ. Rarescant justitiæ pondera, ut clarescant misericordiæ sceptra; de regno namque justitiæ per Jesum transitus patet per pœnitentiam ad regnum misericordiæ.

Habet et innocentes suos justitia; misericordia habet pœnitentes suos, sed commeant ad regnum innocentiæ, quos deduxerit misericordia per viam pœnitentiæ. Cujus vero est regnum justitiæ, nisi ejus cujus regnum quoque est misericordiæ; non est qui arguat, si de regno justitiæ transtuleris in regnum misericordiæ. Olim Jacob manus commutavit in benedictione Ephraim et Manasse; dextrum sinistrum, primum novissimum; caput caudam, mysterio utique inspiratus prophetico: voluit proinde Joseph secundum faciem judicare, et quasi oblito seniori, ordinem nativitatis ad memoriam revocavit, dicens. *Non convenit, Pater, quia hic est primogenitus, pone dexteram super caput ejus; cui Pater: Scio, inquit, fili mi, scio* (*Gen.* XLVIII, 19).

O profundum mysterium! o inscrutabile sacramentum; antiquus dierum novit, quod Joseph nondum intelligit: inseritur oleaster in olivam, et efficitur socius radicis et pinguedinis olivæ; confractus denique ramus naturalis extraneus factus est fratribus suis, ut non sit in Israelita omnis qui ex Israel est. Jacob similiter eligitur, et Esau reprobatur. Quid amplius? *Auferetur*, inquit Dominus Judæis, *a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI, 43). Sed quando et quomodo factum hoc? in transpositione manuum cum dedicaretur crucis mysterium minoribus majora, et meliora repromittens, superbis et de carne gloriantibus, sinistram regni terreni in præsenti largiens; Simon reputat se dignum dextera, Mariam sinistra; sed scientiarum Dominus meritorum appensor æquissimus.

SERMO LXIII.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ IV.

Plena et plana saluberrimæ conversionis et pœnitentiæ imago universis peccatoribus Maria Magdalis proponitur; in hac enim quasi quadam tabula decentissime dolata divinissimis Domini operibus vivis et venustissimis misericordiarum suarum coloribus exculpsit pietas Jesu, membra, nervos et venas conversionis nostræ, et justificationis suæ; ut quam pessimæ prius fuerat habitudinis, tam perfecti postea inveniretur decoris. Revera si compares priora ejus et novissima, sine dubio tanquam æquis passibus contrario modo animadvertes deambulantia, ut enim aversa recesserat in profundum malitiæ, sic conversa rediit in profundum pœnitentiæ.

Sed quid traxit eam in profundum malitiæ, nisi profundum ignorantiæ, vel quid retraxit ad profundum pœnitentiæ, nisi profundum divinæ misericordiæ! O profundum inter profundum et profundum, quid facies de profundo iniquitatis, ut aperias profundum conversionis? Opple potenter cisternam veteris corruptionis, et fode misericorditer viam sanctæ immutationis: complanetur facies abyssi tenebrarum et caliginis. Explanetur fons domus David in ablutione sanctissimæ peccatricis; adæquetur aggeribus satisfactionum puteus antiquæ putredinis; perfodiatur instanter renovatum pectus totum resudans in lacrymis. Ecce quomodo profundum Dei commutat profundum hominis errantis in profundum aliud, videlicet confitentis et pœnitentis.

Diabolus et homo primum effodiunt profundum, Deus et homo secundum efficiunt, nam diabolus suggerendo quasi lacum peccati aperit, homo consentiendo et delectando, usque ad profundissimum tendit et lacum extendit; lacus iste, lacus est miseriæ, et fæcis, et luti. Addendo autem prævaricationes prævaricationibus, in apponendo iniquitatem super iniquitatem, in infinitum erroris proficit, imo deficit, ut qui prius erat lacus, jam non sit lacus sed abyssus. Ascendunt vero tenebræ super faciem abyssi, ut Scriptura testatur; ecce lacus, ecce abyssus, ecce tenebræ super faciem abyssi; sed unde, vel quare hoc? Unde nisi a confusione operum seu desideriorum? quare? nisi quia terra inanis est et vacua, inanis scilicet seminibus bonæ voluntatis; vacua, fructibus bonæ operationis?

Maria Magdalis antequam irrigaretur fluminibus paradisi, antequam imprægnaretur sermonibus veritatis, antequam fecundaretur dignatione piissimi

Salvatoris, antequam lavaretur propriis lacrymis A fide jam sanctificatis, antequam indueretur amictu confessionis et decoris, terra fuit inanis et vacua : quid enim ea inanius, quæ vanitati subjecta, vana loquebatur, vana sectabatur, universa vanitas, voluptatibus carnis demersa prorsus efficiebatur? Quid magis vacuum ea, quæ tota gratiarum plenitudine evacuabatur, et nullo boni operis fructu replebatur? sed quomodo vacua, de qua Dominus ejecit septem dæmonia? quomodo vacua, quæ tot dæmonibus plena?

Plane ideo vacua, quia dæmonibus plena : implendo namque dæmonia animam evacuant non implent; solitudinem operantur, non plenitudinem, famem faciunt non satietatem : vitiorum namque natura semper vana, semper cassa, se ipsam con- B sumit, et vas in quo intraverit rumpendo, ab omni integritate sua profluens reddit; devorat si quid invenerit, et ne bonum quodlibet accedat, valvas cordis pessulo nequitiæ occludit. Urit virorem, comburit florem, folia rapit, fructus corrumpit, naturalis boni radicem corrodit, ramorum venustatem confringendo consumit; quid plura? totam cordis regionem subvertit, quasi in vastitate hostili; satius itaque planum, imo vacuum est hospitium, quod tali hospite fuerit plenum.

Sed quid factum est? venit plenus ad vacuam, vel potius plenus ad plenam; sed gratia et veritate, ad plenam malitia et infirmitate; plenus bonitate ad plenam malignitate; plenus sanitate ad plenam C ægrotatione; plenus plenitudine ad plenam inanitate; evacuavit denique plenam, et implevit vacuam; unde autem evacuavit dæmonibus, replevit virtutibus; veteri homine evacuavit, novo replevit; evacuavit operibus mortuis, replevit charismatum donis; evacuavit libidinum exuviis, replevit veræ et perfectæ humilitatis trophæis; ad extremum evacuavit iniquitate, replevit dilectione.

O terra inanis et vacua, pluviam voluntariam, pluviam serotinam et temporaneam segregavit tibi Deus, ut tu inebrieris stillicidiis superni doni; Simon tanquam vellus arescat præ ariditate superbi cordis. Absit ut quiescam dormiens in domo mea, cum anima Domini mei laboret in castris Philisthinorum procul a domo sua; sequitur enim prædam D suam, et jam ligato forti everrit domum ejus accensa lucerna, ut ad solum, imo solium paternum referat drachmam perditam : quomodo itaque ascendam in lectum strati mei, dum sub pellibus et in tentoriis est arca, sine anima Domini mei? Plagas pedum et manuum ejus, sive lateris nondum extersi, et sedeo? non unxi et comedo, non sum osculata et quiesco? non tetigi et secura sum? non sum amplexata, et tenebras timeo? Fides mea ubi es? sanitas mea, quid es? quousque taces? quousque lates? quousque hominem times? quomodo videns impietatem, in clamorem in publico non erupisti? quomodo liberatorem tuum pro viribus non extorsisti?

Certe timebam non Pilatum flagellantem, non turbam rugientem, sed Dominum sic volentem; noveram enim vultum, et ideo considerabam nutum; nutum patientiam innuentem, non tumultum sævientem perpendebam, et ad me ipsam conturbata, dolores intolerabiles infundebam. Vix lacrymæ tutæ procedebant, vix rugitus aerem poterat sine insidiis quassare, vix singultus intra domesticos parietes audebat palpitare.

Jam vero, jam supra modum lassata patientia mea, currat ad patientiam Dei mei lassatam, sed laxatam et usque ad inferos dilatatam; non vivam nisi invenero vitam; vitam quæro non alterius, sed ejus qui jacet in monumento; excubabo ad sepulcrum ejus donec videam Jesum, et si mori cum moriente non potui, vivam cum mortuo, vel etiam moriar pro mortuo. Occiderunt qui odio habebant, sepelierunt qui diligebant : quid ego quæ neutrum feci? alterum quia nolui, alterum quia non potui; officii mei non immemor, saltem ungam pedes, ungam manus, ungam latus, ungam et totum corpus; non deficiet fidei meæ unguentum, quia nunquam effectus operis deseret tam pii propositi remunerabilem affectum. Sic meditabatur tanquam columba in gutture suo, sic loquebatur in spiritu suo, et ecce Angelus Domini audiens venas susurrii, et videns suffusiones oculorum; animadvertensque creberrimas repetitiones singultuum, signis non ignotis edoctus quid expostularet spiritus, quid desideraret animus; prior ipse enuntiat votorumque completionem Christum resurrexisse asserens subadministrat.

Appende et nunc stateram præsentis gaudii cum statera præteriti mœroris, et sicut compatiebaris doloribus gravissimis, sic admiraberis triumphos supervenientis jubilationis; jam enim dies facta diei eructat verbum, sicut aliquando nox nocti annuntiaverat scientiam; cum enim apostoli nocte ignorantiæ Dominicæ Resurrectionis adhuc tenerentur, quasi nox erant. Venerat autem ad monumentum cum adhuc tenebræ essent, et non invento corpore Domini credidit sublatum esse; venit itaque ad apostolos, dicens : *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* xx, 13); nox igitur erat propter ignorantiam.

SERMO LXIV.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ V.

Non indiget exemplo natura filiorum Adæ in prævaricatione committenda, non monitore in effrenatione luxuriæ, non ductore ut declinet a semita. Semel vero lapsa, vix undique et undecunque collectis remediis auxiliatur; vix etiam omnimoda curationis sollicitudine adhibita sanatur, vix denique ad veritatis viam ipsa revocante veritate reducitur. Ut de alto in præcipitium deferatur, nequaquam conandum est; ut autem superna repetantur, vires colligendæ, exercenda virtus, auxilium est exquirendum.

Sic, fratres charissimi, sic in promptu et in

foribus mali occasio; peccare volenti spontanea se ingerit, imo etiam quemque nolentem ad se trahit et in suos amplexus cogit. Meretrix est insolens, oculos exulcerans, cor exurens, catenis et compedibus illiciti amoris totum hominem concludens : hæc in civitate hujus mundi neminem intentatum, neminem inquietum a se vacuum abire permittit; in turribus ludit, muros circuit, lustrat domos, et terram perambulat. Usque ad pedes Jesu evagatur, sed ibi deficit, et quæ hactenus de omnibus triumphaverat, triumpho meliori ipsa succubuit; dilatato enim sinu misericordiæ, fons gratiarum Jesus secundum multitudinem misericordiarum suarum, olivam inserit oleastro; vas contumeliæ reparat in vas gloriæ; ferrum tollens de terra, facit argentum, de immunda mundam, de ægra sanam, de extranea domesticam.

O quam sanum caput, cujus pedes tam sancti, ut meretricem, castam efficiant; ut contactu suo, inordinatæ mulieris menstrua sistant; ut puteum iniquitatis et fontem totius malitiæ arefaciant. O anima peccatrix, in qua iniquitas sedet, in qua peccatum regnat; meretrix effecta male delectando, pejus consentiendo, pessime operando. Audi piissimum Jesum accumbere in domo Simonis leprosi, et ne diffidas, ne pavescas, ne refugias; qui enim apud leprosum non dedignatur manducare poterit flentem peccatricem respuere? prandium suscepit de manu leprosi, et lacrymas contemnet confitentis animi? juxta leprosum accumbit, et ad pedes prostratam non respiciet, vel potius recipiet? Cujusnam major iniquitas superbi leprosi, an humilis meretricis? Plane in anima leprosus est omnis superbus, annon et invidus? forte Simon ideo superbus quia justus, quia sanctus, quia mundus? sed quæ justitia, ubi superbia? initium enim omnis peccati superbia.

Cum ergo altitudo misericordiarum Dei nec domum superbi et invidi peccatoris refugit, sed intrat ut cœnet, animam etiam superbam humiliando, animam invidi ad mansuetudinem revocando; non desperet Maria Magdalis, sed involvat se circa pedes Jesu, humiliter turpitudinem et ignominiam vitæ pristinæ confitendo; ingrediatur claustrum obedientiæ, totum corpus suum quod est corpus vitiorum pedibus prosternat Jesu, id est omnium virtutum. Rebaptizetur flumine lacrymarum; veteris conversationis inquinamenta detergat vario ornatu innovatarum cogitationum et operum; superfundat boni et pretiosi odoris spiritalium contemplationum unguentum : his impinguabitur ejus caput; oleum peccatoris, id est Simonis, non impinguat. His delectabitur quem domus prævaricans exacerbat; his irrigabitur, quem torrens iniquitatis non circumdat.

Recordemur jamjam, fratres, viarum antiquarum, imo errorum præcedentium, et arefacti sterilitate malorum, rastris orationum fodiamus in pedibus Jesu fluvium paradisi; ut quod in horto animarum nostrarum aridum est, irrigetur, quod sordidum purgetur, quod marcidum vivificetur; quod sterile A imprægnetur, quod deforme venustetur, quod inutile amputetur, quod utile amplietur, quod maculosum dealbetur, quod rugosum extendatur. Ad odorem namque hujus Magdalis jam din emortua sicut virga Aaron penetrante gratia revixit, fronduit, refloruit et fructus dignos pœnitentiæ fecit.

Vere mortua, cum nihil habens de vita virtutum, in inferno jacebat sepulta vitiorum; vere mortua, cum spiritibus erroris plena, in castris criminum mortis gerens vexilla debacchabatur in mortem innocentium, vere mortua cujus guttur sepulcrum patens erat, cujus lingua dolose agebat. Ascendit autem fons qui irrigabat universam superficiem terræ prædicando atque miracula faciendo et veniendo domum Pharisæi, ut manducaret cum illo, B exhalavit verbum vivificæ prædicationis; reseravit absconditam et ignotam suavitatem de secretis cœlestium allati unguenti, et mira celeritate respersit vicinum aerem novitate et alacritate sui balsami; quod cum audisset, vel potius hausisset mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Domini cœpit rigare lacrymis suis, et capillis suis tergere.

Jam ergo vivit quæ Evangelium audit; dicitur namque in Evangelio Joannis quod : *Qui audierunt, vivent* (*Joan.* v, 25); intrat procul dubio vita in ossibus et nervis verbum vitæ suscipientis, hoc enim Ezechiel testatur (cap. xxxvii), cum dicit : Spiritum a quatuor ventis cœli venisse, et ingressum ossa emortua suscitasse. Ubi namque prudentia, fortitudo, justitia, temperantia cum Spiritu Dei accedunt, ibi vita succedit et mors discedit. Accessit, inquit, mulier quæ erat in civitate peccatrix; prius aversa peccando abscessit, in consilio impiorum delectando abiit, in via peccatorum consentiendo stetit, et in cathedra pestis pertinaci obduratione sedit. Deinde conversa declinando a malo, venit faciendo bonum; accessit erubescendo, retro stetit in humilitate, perseverando, pavimento adhæsit.

Quod ita intelligendum est, malum cogitare est a Deo recedere, perversæ enim cogitationes separant a Deo; adjungere delectationes pravis cogitationibus, est in consilio impiorum abire; ex consensu malum deliberare, est in via peccatorum stare, ad D extremum consuetudine mala in peccatis suis fetere, et exempla mortis aliis præbere, est in cathedra peccatorum sedere. Oportet autem retrograda conversione pedem animi reponere, ut bona cogitando, in bonis delectando, meliora sequendo et in sanctitate perseverando, annos quos comedit eruca sive bruchus, seu locusta, vel etiam rubigo reparemus; annos si quidem luxuriosi, bruchus; annos gulosi, eruca; annos superbi, locusta; annos invidi consumit rubigo. Itaque continendo, abstinendo, humiliter vivendo, et innocenter conversando resarcimus damna præcedentium malorum.

Accessit igitur quæ recesserat, et tot passibus pietatis ad lucem ut illuminaretur accessit, quot gressibus iniquitatis in regione umbræ mortis defi-

ciendo excessit. Unde Gregorius : Tot in se invenit holocausta, quot habuerat carnis oblectamenta. Hostiam offert, sacrificium defert, holocaustum in interiora velaminis infert, hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, sacrificium spiritus contribulati, sacrificium pingue et odoris suavissimi; detrahit quoque pellem veteris hominis hostiæ suæ, et artus in frusta concidit : *Lacrymis*, ait evangelista (*Luc.* VII, 38), *cœpit rigare pedes ejus, et capillis tergere.*

In domo Simonis leprosi, stupenda video, Simonem murmurantem, Jesum miserantem, Mariam amare flentem : fel amaritudinis et ventus inflationis rumpunt venas Simonis; mel dulcedinis et spiritus pietatis superfundunt Filium Virginis; contritio cordis et impetus compunctionis emanant de visceribus peccatricis. Jesus redundat misericordia, Simon malitia, Maria pœnitentia : de cœlo misericordia, de inferno malitia, de mundo pœnitentia. Solum cœlum novit misericordiam; solus infernus procreat malitiam, solus mundus agit pœnitentiam.

In cœlo non est sedes malitiæ, quia inde projectus est accusator fratrum nostrorum, et traxit post se tertiam partem stellarum, neque locus pœnitentiæ, quia patria est regnantium, non bellantium; probatorum, non probandorum; coronatorum, non in incerto currentium. In inferno quoque non est locus misericordiæ, quia lacus desperatorum, gehenna condemnatorum, malleus a pœna nunquam resiliens; neque locus pœnitentiæ, quia sicut sententia confirmatur pœnarum, sic in impœnitentia indurantur corda eorum. In mundo tantum agitur pœnitentia, quia nullus in eo habitator est [*f.* et non] prævaricator.

Suscipit autem hujus mundi habitator ex confinio cœli misericordiam, ex contaminatione inferni malitiam, atque ex sua mansione miseriam : neque enim justus in plenitudine summa misericordiarum evehitur, nisi ruptis peccati fomentis; neque reprobus miseriarum abyssis demergitur, nisi gurgitibus humanæ cupiditatis transcursis : namque et ille in gloria absorbebitur, et iste in pœna. Pendente vero destinatione sive prædestinatione, neque desperatione negligenter in alterum ruendum, neque præsumptione irreverenter in aliud irruendum; nescit enim homo utrum odio an amore dignus sit.

Fugiat itaque malitiam, refugiat ad misericordiam, et sic evadet miseriam; pedes apprehendat misericordiæ; lavet, tergat et ungat. Apprehendat per timorem, lavet per compunctionem, tergat per confessionem, ungat per devotionem. Caput nihilominus malitiæ apprehendat, amputet, comburat et in cinerem redigat; apprehendat per fortitudinem, amputet per confessionem, comburat per fervorem, in cinerem redigat per discretionem. Talis apprehensio virtutis et vitii deprehensio, vel potius depressio, de ægra sanam, de leprosa mundam, de peccatrice sanctam, de meretrice apostolam constituit.

SERMO LXV.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI I

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, etc. (*Deut.* XXXII, 11).

Facta mentione passionis suæ, ne fides apostolorum adhuc modica et tenera, tanquam granum sinapis mole et mola tam oneraria opprimeretur, prævenit Jesus consolatione mœrorem, prævenit remedio ægritudinem, prævenit dulcedine rem amaram, prævenit denique glorifica transfiguratione mortem crucis turpissimam. Digna siquidem compensatio emolumenti, et omnis de æquitate in statera justa appendit tam laborem quam mercedem operis, ut æquis passibus currant quod impenditur et quod exigitur, via diversa, uno tamen compito ambitur.

Diversa plane sunt honorari et despici, glorificari et deturpari; uno tamen humero Jesus et crucem portavit, et glorificationem transfigurationis; eadem namque facies quæ sicut sol resplenduit in transfiguratione, sputa et alapas sustinuit in passione, si facies imaginis gloriæ Dei solis assumpsit splendorem, non magnum fuit. Sed quod perfidia Judæorum spurcissima sui pectoris venena injecit vultui Dei, quis audiens non tabescit? non aures occludit, non cor fidele discindit? Adhuc vestimenta, quæ facta sunt alba sicut nix, tolluntur, et sorte inter milites distribuuntur.

O patientia Dei, quæ vix angelicis custodiis digne crederentur, quæ populo Christiano pro incomparabilibus thesauris misericordissime designarentur, crucifigentium indignis manibus contrectantur; sed hujus veritatis et varietatis ratio latet in mysteriis a sæculo absconditis. Interim donec plumescat fidei pueritia, antequam milvis exponatur, volandi doctrina apponitur et exponitur; cum enim passionem suam Dominus prædixisset, post sex dies assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et duxit illos in montem excelsum. et transfiguratus est ante eos.

Aquilina evolutio est Domini transfiguratio; sicut enim in ipsum solem rapidissimo effertur volatu aquila, sic assumpta a Verbo humana natura potentissime evolans, in illa hora, rejecit a se omnia mortalia impedimenta, non solari aut nivea claritate contempta, sed claritate quam habuit in Verbo priusquam mundus esset, induta; in quam etiam desiderant angeli prospicere. Nec enim sic exprimere potuit evangelista, quomodo valuit efficere virtus divina; dixit ut potuit homo in comparatione, sed plus potuit Deus in operatione quam lingua humana in relatione.

Pullos itaque suos gallina duxit ad montem excelsum; et non sicut gallina, sed sicut aquila provocavit ad volandum; gallinæ enim non volare sed nutrire pullos est; aquilæ autem est volare, et ad volandum provocare. In campestribus igitur fuit Jesus gallina, in montibus aquila; moralibus instruit in campestribus, cœlestia ostendit in monti-

bus, languores sanat in campestribus, beatitudines docet in montibus. Lapidem Jacob sternit in campestribus, scalam erigit in montibus, provocat admiratione, provocat delectatione, provocat paterna consolatione, provocat promissione, provocat compassione, quia si compatimur, et conregnabimus.

Quid enim quod transfiguratus est non coram sed ante eos; nisi quia configurabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, ut transferamur a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu? ante eos tanquam caput ipse, et nos post tanquam membra. Membra enim ubique caput suum sequuntur sive ad mortem, sive ad vitam, unde : *Qui mihi ministrat me sequatur, et ubi ego sum illic et minister meus erit* (*Joan.* XII, 26).

Deinde sequitur modus transfigurationis, quasi aquilæ volatus singularis, et ad imitandum difficilis : *Et resplenduit facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix* (*Matth.* XVII, 2) ; cum senuerit aquila renovatur, cum Jesus tanquam senio molestiarum sæculi fatigatus, et desiderio finiendi cursus instigatus, sicut Jacob patrem et patriam revisere proponeret, prius transfiguratur mutato vultu in claritate solis, et habitu in specie nivis ; cessat enim facies veteris hominis ubi accedit gloria novi : *Vetera*, inquit Moyses, *projicietis novis supervenientibus* (*Lev.* XXVI, 10) ; sed Jesus, ventilabro accepto, cœpit mundare aream suam, cum tabernaculum Cedar mutavit in pellem Salomonis, id est vetustatem mortalitatis in gloriam transfigurationis. Et quia nihil artificiale fuit in transfiguratione, ideo comparatio sumpta est de sole, non de subsolari qualibet specie ; quis enim attingit solem, ut in illo exerceat artem præstigialem? cœleste igitur fuit, quod sola potestate divina, facies Jesu sicut sol resplenduit.

Latet in hac comparatione et hoc solemne mysterium, quod sol resplendet semper cum nube non tegitur ; retrahat vero radios suos cum nube crassa et spissa obumbratur ; ignorantia autem Judæorum, et malitia fecit crassam nubem et obscuram excæcationem, unde dictum est, quod *excæcavit illos malitia sua* (*Sap.* II, 21). Impegerunt ergo excæcati in lapidem offensionis et petram scandali, nubem tegentem, non solem latentem attendentes, quia senuerat Isaac, et clare videre præsentem non poterat, qui futura verissime prophetabat. Obumbraverat se Jesus tenui et clara nube carnis, sed triplicaverunt hanc malo suo persecutores sui, cum diaboli veternosum odium, et depravatum proprium sensum inculcantes, triplicem suæ damnationis contorserunt funiculum ; non ergo viderunt solem, quia supercecidit ignis, quia furor illis secundum similitudinem serpentis, etc.

Prævaluit certe aquila evolare, quia frustra jacitur recte ante oculos pennatorum et laqueos eorum evadere, sed declinaverat ad escam, quæ est voluntas Patris sui ; unde : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV, 34) ; maluit ergo deprehendi in muscipula, quam jejunus remanere, et sine obedientiæ esca. Rostrum vetus comminuerat jejunando quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, novum resumptura aquila ista in regno Patris sui, ubi vinum novum cum discipulis suis bibitura erat, et novum panem commessura.

Sequitur : *Et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix* (*Matth.* XVII, 2) ; distingue inter solem et nivem, inter faciem et vestem ; non est enim discipulus super magistrum ; perfectus autem erit si sit sicut magister ejus, non æqualitate, sed similitudine, sicut nix non comparatur soli dignitate, sed claritatis quadam participatione. Per faciem namque ipse Christus, per vestimenta intelliguntur discipuli ejus ; et in hoc animadvertite quomodo aquila provocat ad volandum pullos suos, non enim Filio Dei fideles parificabuntur, sed conglorificabuntur ; et alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum ; stella enim a stella differt in claritate ; sic erit resurrectio mortuorum.

Ad volandum igitur provocat pullos suos, non ad evolandum vel convolandum, ut imitentur illum, qui sunt ex parte ejus, in simplicitate vitæ, in passione pro fide, in spe gloriæ filiorum Dei. Nix enim levis est propter simplicitatem, frigida propter passionem, clara propter resurrectionem. Confer Evangelium cantico : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans. Et resplenduit facies ejus sicut sol, et vestimenta ejus sicut nix*, quid est nisi provocat ad volandum pullos suos, et super eos volitat? *Attendite*, inquit, pendens in cruce, *et videte si est dolor sicut dolor meus* (*Thren.* I, 12). Ecce supervolitat in dolore. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, non adæquabitur ei aurum de Æthiopia* (*Job* XXVIII, 16).

Ecce quomodo supervolitat in splendore sapientiæ et virtutum celsitudine ; in cantico sequitur : *Expandit alas suas, et assumpsit eos*, etc. (*Deut.* XXXII, 11). In Evangelio : *Et apparuerunt Moyses et Elias cum eo loquentes* (*Matth.* XVII, 3) ; quis Moysem de morte, et Eliam de remotissima regione advexit, nisi aquila, quæ expandit alas suæ voluntatis et potestatis, et portavit eos in humeris suis, id est insuperabilis operationis? portat enim omnia verbo virtutis suæ ; illo verbo, illis humeris denique attulit Moysem et Eliam, ut suæ interessent transfigurationi. Sequitur : *Et ecce nubes lucida obumbravit eos* (*ibid.* 5) ; forte ista est nubes, quæ Jesum suscepit ab oculis apostolorum, videntibus illis, in qua et venturus est ad judicium juxta illud : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11).

Sequitur : *Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus* (*Deut.* XXXII, 12) ; in Evangelio : *Et facta est vox de nube dicens : Hic est Filius meus*, etc. (*Matth.* XVII, 5). Ecce quod ait Apostolus : *Unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis qui est Deus benedictus in sæcula* (*Ephes.* IV, 6). Non enim duo dii,

Pater et Filius, sed unus Deus, unus Dominus, una fides, unum baptisma : hujus Domini scilicet Patris facta est vox de nube dicens : *Hic est Filius meus*, hic est quem Pater signavit et misit in mundum; hic discretive Filius meus; alii enim omnes adoptione, iste natura secundum divinitatem, unione personæ secundum humanitatem : *Hic est Filius meus dilectus* generatione, dilectus operatione, dilectus morte, dilectus resurrectione, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXVI.

DE TRANSFIGURATIONE DOMINI II.

Digne aliquid scribere vel dicere de Jesu non possumus, nisi ab ipso a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, secundum mensuram donationis suæ acceperimus. Spiritus siquidem, qui loquitur mysteria, tam a Patre quam ab ipso procedit; is scrutator est inenarrabilium arcanorum Dei; nec opprimitur a majestate in qua æqualiter regnat sine substantiæ imparitate. Hic igitur adsit nobis, docens omnem veritatem præcipue cum de Jesu loquimur, cum de Jesu scribimus.

Domine Jesu, cum secundum divinitatis naturam non esset apud te mutatio, nec vicissitudinis obumbratio, humanam assumpsisti conditionem quæ temporalitati vel vanitati subjecta, sortem mutabilitatis nullatenus excipit, sed in tempore, et cum tempore juxta naturæ ordinem currit, unde est illud : *Puer Jesus crescebat ætate et sapientia apud Deum et homines* (*Luc.* II, 52). In hac ergo et secundum hanc naturam sponsus Ecclesiæ; cujus venter eburneus, distinctus sapphiris, distinxit non solum labiis prædicando, sed et actionibus operando juxta æternitatis lineas, quid et quando diceret, quid et quando faceret, ut non solum fastidiis humanis subveniret, sed et rationem paterni et perpetui edicti, atque æterni decreti servaret, unde in Evangelio ait : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (*Joan.* XIV, 31).

Ut itaque rem pene incredibilem devotio suorum fidelium non abhorreret, voluit pati passibilia hominis, unde homo agnosceretur; exercuit signa et mirabilia, *quæ*, sicut ait Nicodemus, *nemo posset facere, nisi esset Deus cum eo* (*Joan.* III, 2). Non tantum per gratiam propter hominem, sed etiam per naturam propter divinitatem, ut crederetur Deus. Evidentiora autem et pulchriora humanitatis signa, etiam in conspectu insipientium apparebant rariora; quæ Deum indubitabiliter assererent, vix discipulorum corda tangebant. Impediebat procul dubio tanta mysterii novitas Verbi incarnati, ne mundus crederet, quod a sæculis auditum non esset; quod humana ratio non comprehenderet; quod nec usus, nec consuetudo aliquatenus approbaret; utique ut Deus homo fieret.

Intercoruscans interdum radius Divinitatis torporem inertiæ Judæorum excitabat, sed non excutiebat; discipulorum vigilantiam animabat, sed rei altitudo obstupefaciendo, a robore fidei aliquando paA rumper reflectebat; eatenus ut frequenter audirent : Modicæ fidei quare dubitastis? Item. *Adhuc et vos sine intellectu estis?* (*Matth.* XV, 16.) Misto itaque cursu stabilitatis et instabilitatis apostolicæ, donec tempus appropinquaret passionis, ut omnem dubitationis detergeret caliginem, assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem excelsum, ubi transfiguratus est ante eos.

Fortissimum et inexpugnabile fidei Christianæ hoc argumentum, quod sub velamento carnis latebat virtus divinitatis, et idem, qui extrinsecus homo apparebat, Deus erat, quod intrinsecus latens non apparebat. Nam nec in ipso articulo transfigurationis substantiam divinitatis viderunt apostoli, sed carnem resurrectione perpetua paulo post glorificandam, prælibatione sancta prægustaverunt arte medicabili; quatenus in fortitudine hujus refectionis non deficerent usque ad montem Dei Oreb, id est, in resurrectione, in qua, juxta interpretationem hujus nominis, desiccata est in Christo, tam mortalitas quam omnis passibilitas; *Christus* enim *resurgens ex mortuis, jam non moritur*, etc. (*Rom.* VI, 9.)

Merito a Christianis colitur hæc sancta et præclara solemnitas, in qua quasi vestigium pressit fides : quæ, etsi periculose non vacillabat, tamen altas radices non dederat. Præcesserat quidem in baptismate Joannis, ubi Spiritus visus est in columbæ specie, Pater auditus æque in voce : *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* III, 17); quædam æmulatio hujus pulcherrimæ transfigurationis.

Equidem obumbratione sacramenti, illa fecundior propter mysterium nostræ regenerationis quæ tunc inchoata est; ista pulchritudine celsior et testium attestatione validior; unius namque testimonium longe infirmius est quam quinque vel trium, solus Joannes illa audivit et vidit. Petrus et Jacobus, et Joannes cum Moyse et Elia huic interfuerunt, et testes idonei sunt. Ibi nec caro, nec facies Jesu decorem suum immutavit; hic supra visum hominis facies sicut sol resplenduit; illud in deserto factum est, hoc in monte excelso, et illic, et hic gloria Jesu. Ibi quasi introitus fidei spectatur, hic quasi egressus, ubi res fidei manifeste cernitur. De illa Apostolus : *Videmus nunc per speculum et in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12); de ista Joannes : *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre* (*Joan.* I, 14)

Domine Jesu, sicut modo quasi exuisti ad horam mortalitatem nostram, nonne, si nostræ saluti expediret, absque pœnali et gemebunda exspoliatione, virtutem et pulchritudinem tuam superinduere posses, nec saccum tuum a Judæis scindi permitteres, sed de sacco soccum, quam de aqua vinum facilius faceres? Sed ut passio, quæ prope erat, voluntaria esset, luce clarius appareret non coacta, vel inevitabili necessitate suscipienda, quod in ore sacci Benjamin erat in ipsa via, aperto sacco revelatum est magnum pietatis mysterium, ut pecunia illa, qua

redempturus erat filius dexteræ Israel et gentes, in ore Jesu esset; unde cum dixisset : *Consummatum est* (*Joan.* XIX, 30), et emisisset spiritum, solutum est pretium, et deletum quod adversus nos erat chirographum.

Salvo tanto mysterio, ad transfigurationem pertinet quod in via, id est antequam ad mansionem veniret apertus fuit saccus Benjamin, non scissus. Scissio enim est passio, apertio transfiguratio, in apertione non est saccus exinanitus vel evacuatus, quia eamdem formam et habitum mortalitatis peracta transfiguratione recepit, seu repræsentavit quam de matre mundum ingrediens acceperat, et quasi quodam resurrectionis præludio deposuerat. In conscissione vero absorpta est in victoria, et non lusit Jacob cum Esau, id est diabolo, sed illusit et supplantavit; ut destructo corpore peccati, nec planta remaneret ex qua rediviva generis humani deceptio pullularet, et mortem Christi necessario reiteraret.

Fuit ergo transfiguratio, quasi quædam necessariæ mortalitatis de peccato venientis interruptio, qua se Jesus comprobaret non affectum legibus mortis, nisi quando, et quomodo, et quatenus vellet, quod enim ibi fuit horarium, si vellet esset continuum. Manifestavit ergo se ipsum non qualem putabant Judæi, sed qualem credebant apostoli; non omni populo, sed testibus prædestinatis a Deo, quia nec supprimenda erat veritas, ut nemo eam sciret, nec propalanda principibus mundi, quoad principium orationis suæ fine meliori concluderet. Hoc enim impedimento foret sui propositi, illud detrimentum generaret Christianæ fidei; quis enim cognosceret sensum Domini, nisi is qui est in sinu Patris enarraret, cum nemo noverit Filium nisi Pater, neque Patrem quis noverit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Idcirco in hac transfiguratione, et Filius Patrem, et Pater commendat Filium : *Hic est*, inquiens, *Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* III, 17.)

Dulce lumen, ut ait Salomon, *et delectabile oculis videre solem* (*Prov.* II, 17); probat hoc Petrus apostolus, qui, cum vidisset Jesum amictum lumine, sicut vestimento; *vestimenta enim ejus erant alba sicut nix* (*Matth.* XVII, 2); et cerneret faciem ejus resplenduisse sicut sol lucet in virtute sua, ait : *Domine, bonum est nos hic esse* (*ibid.* 4); inescatus siquidem tantæ dulcedinis hamo, quæ retro erant oblitus, lagenam cordis impleverat stillicidio irrigante de emissionibus Paradisi, quibus illectus clamabat : *Trahe me post te; curremus in odore unguentorum tuorum* (*Cant.* I, 3). Etsi enim Evangelium pro compendio sui officii (quo quasi gallus succinctus velociter currit tanta obstinatione, ut neminem per viam salutet) omiserit exprimere fragrantiam spiraculorum, quæ flante austro allata sunt, tamen credendum et subintelligendum est super omnia aromata respersisse odorem suavitatis omnibus astantibus vestimenta illa, quæ facta sunt alba sicut nix; sic enim de solatio suo visus minus gauderet, si pro parte sua odoratui indultam benedictionem non communicaret; nec integra germanitas servaretur, si odoratu famelico remanente, oculus satiaretur.

Fudit ergo Petro et sociis suis rivos olei sui non uniformiter, sed multipliciter, ut quicunque sensus sitientes advexerant, uno tam solemni ferculo debriati dicerent : *Domine, bonum est nos hic esse;* animadvertendum est, quia diverso modo afficit quod corporaliter, et diverso quod spiritaliter reficit. Præ inopia enim sua raro et rara reperies corpora, quæ una habitudine diversis serviant simul sensibus; diversi namque sensus seu appetitus, diversos habent fines suæ delectationis vel satietatis; ita ut semper requirant aut diversa tempora, aut diversa in eodem tempore delectamenta. E diverso spiritalia dona simul et semel omnes varietates desideriorum supplent; et in vero bono sicut non est mendacium quod decipiat, sic plenitudinis nulla imminutio, quæ egeat subsidiaria alternatione, vel vicaria sollicitudine.

Et ecce apparuit Moyses et Elias cum eo loquentes (*Matth.* XVII, 3). Aggreditur vaga quæ gyrum cœli frequenter circumvallat quæstio, quærere cur Moyses et Elias præ cæteris in corpore an in spiritu venerint, quid cum eo locuti fuerint. Sed quid urget quæstio, cui certa dari non potest responsio? et si contineat medullam desiderabilem, os durum atque solidum gingivis profecto catulorum rodi potest, penetrari non potest. Instat appetitus effringere, sed succumbit virtus undique munitam medullam extrahere; attamen, quia labor improbus omnia vincit, dulce est pulsare, et civitatem circumstantiæ circuire ut in labore sit saltem solatio ipsa honesta sollicitudo.

Occurrit igitur animo investiganti, quod Moyses et Elias montani fuerunt, et hominum fugientes consortia, in montibus angelicis subsidiis de Deo multa cognoverunt, atque vitam suam solitudini pro posse dedicaverunt. Proinde quasi de consuetudine, eo quod jam multis celebratis conciliis de Jesu in montibus adfuerant, hoc tam solemni de transfiguratione angelico ministerio nuntiato, interesse studuerunt. Merito tam præclaris luminaribus et assumptæ humanitatis prædicandæ glorificationi ille accurrit, cujus oculi nunquam caligaverunt nec dentes moti sunt, Moyses : merito et ille cujus caro mortis corruptionem non vidit; cujus mortalitas privilegio pene singulari, nec curru igneo consumpta, nec morte absorpta, immortalium jam fruitur regione; et pene vicit mortem insolita, et longa dilatione.

Forte et Jesus in montibus pernoctans in orationibus, usus fuerat eorum præsentia, et ad hoc dies præfixa, ut ab utroque de dissimili statu eorum, secundum hominem assumptum quæreret, quis potior esset status Moysis exuti a corpore, an Eliæ vi-

ventis adhuc in corpore. In potestate namque Jesu erat quod mallet eligere ; licet in proposito alterum sine dubio tenere. Alterum siquidem justum videretur pro persona assumentis, et assumpti ; alterum vero indubitanter necessarium erat pro officio patrocinantis, et negotio querelati, et in causa sudantis ; ab utroque tamen ex dispensatione sua mediator aliquid mutuaret, ut mortale corpus prius sine morte exueret, glorificatione non perpetua transitione, retento aliquid simul de veteri et aliquid mutuato de novo statu et futuro, ut ex mutuato Moysi, ex retento Eliæ congrueret.

Est et aliud quare Moyses et Elias cum Domino in transfiguratione visi sunt ; testes enim tam et apud homines quam et apud angelos assumpta humanitas habere non recusabat, quod de suo arbitrio penderet vel mori pro homine et sic ad gloriam suam intrare ; vel infecto negotio, nostræ redemptionis, nec interposita morte ad dexteram Patris redire. Omnia itaque cum consilio facturus, authenticos adesse suæ transfigurationi mandavit homines, ut Moyse tanquam suo auctore Judæi non credentes convincerentur, Elias venturus in fine sæculi tota fiducia Christum non Antichristum adorandum protestaretur, sunt et aliæ rationes quæ jam expositæ sunt a sanctis Patribus : vel exponendæ restant suis temporibus.

Cum eo, inquit, *loquentes*, servant disciplinam, nec fines mandati excedunt ; non loquuntur apostolis, sed cum Jesu, quia non huc ad hoc venerant, ut vel audirent sæculares rumores ; vel ut referrent nondum explanandos, licet jam scriptos passionis, resurrectionis et ascensionis Domini sanctos canones. Ad quod et ad quem venerant, loquuntur ; et ultra superponunt digitum ori suo, ne loquantur opera, non dico hominum, sed nec angelorum. Forte more suo Moyses rogat pro populo Judæorum, cujus prævidet imminere ruinam, ut saltem reliquiæ salvæ fiant : forte non deposito zelo Elias decernit vindictam, quæ futura erat sub Tito et Vespasiano : secretum tamen suum colloquium teneamus non discutiamus, quia gloria Dei est celare verbum.

Sequitur : *Et ecce nubes lucida obumbravit eos* (*Matth.* XVII. 5) ; instandum est evangelicæ lectioni, et ab ipsa contexendus cursus nostræ orationis ; non enim de nostro, sed de suo compingere debemus tabernaculum Deo Jacob ; neque enim in manufactis habitat Deus, id est in his quæ humano ingenio adinventa sunt sine gratia, per quam cognitio Dei sive amor acquiritur. Non enim in manufactis habitat Deus se innotescendo per inanem philosophiam, et per stultas fabulas sive genealogias, et interminabiles quæstiones ; inde est quod nemus prohibetur plantari, utique cavillosa et obscura sophismata, juxta altare Dei. Sola siquidem authentica de propheticis et apostolicis scriniis, et ecclesiastica auctoritate roboratis Scripturis, in ecclesia legenda sunt et cantanda ; hæc enim, scilicet nubes lucida, id est Scriptura divina, seu Ecclesia Catholica, nubes lucida est

Nubes est Scriptura triplici ratione, quia refrigerat in calore tentationis, congrua docendo remedia ; obumbrat in angustia persecutionis, promittendo præmia quibus non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis ; rigat in tempore siccitatis, hinc infernales evaporationes, et fumibundas incastrationes ante oculos ponens ; inde vernales et salubres aspirationes a superstellari regione, quæ tota mundissimis et beatissimis spiritibus referta, ineffabiliter odorifera nec una tussicula offenditur : *Nubes*, inquit, *lucida obumbravit eos*. Hanc obumbrationem Psalmista explorat et implorat, dicens : *Obumbra super caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX, 8) ; dies belli est tota vita ista, quia militia est vita hominis super terram, ubi est colluctatio adversus carnem et sanguinem, adversus principes et potestates, adversus rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.

Parum in his proderit galea ferrea, nisi obumbraverit nubes lucida, id est gratia quæ de visceribus suis enixa est divinam Scripturam ; neque patitur natales suos violari per illam ; per ubera siquidem Veteris et Novi Testamenti exprimit tam guttas quam stillicidia uteri sui, quibus imprægnata est virgo Maria ; quibus regenerata progenies adoptiva, per nubem lucidam, quæ est Ecclesia ; æqua etenim mensura usque ad summum implet utraque ubera, et Ecclesiam, et Scripturam divina gratia ; idcirco gemina est lactatio, sed una filiorum educatio. Est igitur Ecclesia nubes quæ peregrinatur a Domino ; est lucida, quæ semper fecundatur a Spiritu sancto ; obumbrat filios suos sicut gallina pullos suos, ne cedant in adversitate, ne deficiant in persecutione, ne periclitentur in præmii dilatione.

SERMO LXVII.

DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS I.

Et elevaverunt cherubim alas suas et rotæ cum eis, et gloria Dei erat super ea (*Ezech.* XI, 22).

In hodierno sermone efficax est materia et efficacior dicendi copia ; verum in eo minus laborandum est, ut ea laudetur, quæ sine commendatione laudabilis est ; sine exhortatione amabilis, non sine retributione, venerabilis ; omnibus enim amabilis est, videlicet Mater misericordiæ, virgo Maria, omnibus concupiscibilis, quia tota pulchra ; omnibus venerabilis, quia plena gratia ; singulos quidem odore unguentorum suorum ad amorem suum trahit Virgo singularis. Sola sufficit omnibus, ut species quædam salutaris, quæ sine aliarum admistione specierum efficacissima est ad conficiendum humanæ salutis unguentum ; huic speciei si admiscetur alia, aliquid ei videbitur subtrahere odoris, nihil vero conferre vigoris ; sola placuit Deo Patri, ut Filii sui mater fieri mereretur ; sola sine exemplo placuit Christo, ut ex ea nasceretur et Spiritui sancto, ut ejus templum fieret et eo repleretur ; sola non im-

merito nostræ saluti sufficiens, ex qua pro nobis Salvator nasci dignatus est.

Hæc est porta per quam Christus ingressus est mundum ad nostram redemptionem, et hæc est Virgo per quam reperimus Deum et hominem; hæc est manubrium per quod velut ferrum inseparabiliter ei junctum tenemus Christum; hæc est securis qua resecanda sunt ligna æterno tabernaculo necessaria. Sapientia tenuit istam cum ædificavit sibi domum, et excidit columnas septem; manubrio siquidem isto ferrum ad tenendum est melius, ad movendum habilius, ad operandum utilius; qui caret isto, parum operabitur illo, quia non dominabitur; nisi ex ea Christus nasceretur, humana cæcitas non illuminaretur, humana infirmitas non sanaretur, humanum genus non redimeretur.

Ecce quam jucunda, quam necessaria, quam veneranda nobis est virgo Maria, ex qua mundo apparuit lux vera, sanitas æterna, redemptio copiosa, et utique qui non habet hoc manubrium, non habebit hoc ferrum; semel enim ista conjuncta sunt, et semper connexa manebunt. Christus eam hodie assumpsit ad gloriam, ne ulterius nostram sustineret miseriam; legis memor qua dicitur; qui parentes deserit in calamitate, insepultus abjiciatur; non ergo eam in terris deseruit, sed in cœlum assumpsit matrem ejus, et posuit tabernaculum suum in circuitu ejus. Quod vero ignoratur, et si pie credatur, utrum scilicet corpore assumpta sit, causa venerationis festum esse credendum est more illorum qui munera deferunt, et ea non prius detegunt, quam ad eos perveniant, quibus munera repræsentare debent.

Verum non incongrua similitudine illud Ezechiel huic Assumptioni adaptari potest, quod cherubim, qui ante Deum semper assistunt, pro hac Virgine missi, alas suas levaverunt, et juxta Isaiam duabus velabant caput ejus, duabus vero pedes ejus, conceptionem videlicet et assumptionem, quorum utrumque nobis est absconditum; vel velabant caput ejus ala supposita et superposita, subjectione scilicet et veneratione, nolentes illud Dei templum revelare, antequam illud repræsentassent majestati divinæ. Item pedes velabant duabus alis, obsequio scilicet et præconio cantantes: *Surge, propera, amica mea* (*Cant.* xi, 10); *veni de Libano, veni coronaberis* (*Cant.* iv, 8).

Et rotæ erant cum eis, de quibus idem ait propheta: *Audiente me, vocaverunt eas volubiles* (*Ezech.* x, 14), corpus scilicet et animam Mariæ, quæ corpore et anima divinæ voluntati erat subjecta, nunquam sentiens legem carnis repugnantem spiritui. Sequitur? *Et audivi post me vocem commotionis magnæ* (*Ezech.* iii, 12); hæc vox peregrinantis Ecclesiæ et laborantis, quæ ad Deum clamat: *Non est tibi curæ, quod Maria reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet* (*Luc.* x, 40). Clamat etiam post Mariam orans: *Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, qui tibi deferunt munia laudum.*

SERMO LXVIII.

DE ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS II.

Virgo Israel, revertere ad civitates tuas (*Jer.* xxxi, 21); ad matrem luminum, quæ hodie a montibus æternis exsultatione a cunctis reverenter excipitur, vertamus, fratres charissimi, lumen oculorum nostrorum, sermonem labiorum, plausum manuum, affectiones cordium et intentionem cunctorum motuum. Ecce enim post Jesum primogenitum et unigenitum suum ulteriora velaminis, quod est ante oraculum penetrat; non solum cherubim atque seraphim supremis sedibus assumpta, sed etiam super alas eorum mirabiliter et magnificenter exaltata; de illa namque dicitur, quia exaltata est super choros angelorum ad cœlestia regna. Ut itaque collectione omnium virtutum jam maturatam terram nativitatis suæ repetat, et domum æternitatis adeat, sermo a regalibus sedibus illam hortatur sic: *Virgo Israel, revertere in civitates tuas*, quasi dicat: Regnum quidem tuum, o Regina cœli, tibi paratum est ab origine mundi, jam jamque regressum et adventum tuum deplorat, quatenus et suum acceptabile tibi obsequium præbeat, et tuum gratissimum in se dominium recipiat.

Revera enim nec tua imperia ministerialibus tuis molesta, nec illorum obedientia dispositionibus tuis est murmuriosa; familia cœlestis moram tuam fastidit; mansio cœli locum tuum hactenus vacuum præsentia tua insigniri deposcit. O quam religiosa curiositate illæ cœlorum virtutes, quæ de castris nunquam vel raro egrediuntur, frequenter inquirunt ab eis angelis, qui in ministerio mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, dicentes: Quando veniet domina nostra, regina nostra, soror nostra, mater regis et Domini nostri. O quanto affectu mandant, et remandant ei: *Virgo Israel, revertere in civitates tuas*, ascende ad montana nostra, veni ad palatia nostra, intra cellaria nostra, penetra cubilia nostra, quia hæc omnia tua sunt; possessio utique tua, hæreditas tua, domus tua. Quid est autem possessio sine possessore, hæreditas sine hærede, domus sine habitatore, civitas sine rectore? *Revertere* itaque, *revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te* (*Cant.* vi, 12).

Primo revertere a captivitate mundi, quia captivitati non debet subjici, per quam captivi a captivitate sunt absoluti sua; secundo revertere ab homine sine corruptibilitate carnis, quia, sicut immunis es a corruptione peccati, sic ad immortalitatem transire debes absorpta mortalitate per gratiam Dei. Tertio revertere ad libertatem gloriæ filiorum Dei, quia, sicut peccatum nunquam regnavit in tuo mortali corpore, sic digna es perfrui, etiam in carne virginali, eadem spiritus libertate, qua fruuntur in sua spirituali substantia angeli ab ipsa sua creatione, sive potius confirmatione. Quarto revertere

ut intueamur te in dignitate angelorum ad superexcellentiam jam beatificatorum spirituum, quia sicut in facie Filii tui desideramus prospicere, sic in specie et pulchritudine tua vultus defigere volumus, et luce vultus tui illustrari omnimodis satagimus. Denique istæ reversiones numerosiores ascensiones fiunt, de quibus in laude Sapientiæ dicitur : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho*, etc. (*Eccli.* XXIV, 18).

Domina nostra exaltatur quasi cedrus in Libano secundum merita sanctæ conversationis ; exaltatur quasi cypressus in monte Sion secundum altitudinem purissimæ contemplationis ; quasi palma in Cades exaltatur, secundum præmia æternæ remunerationis ; quasi plantatio rosæ in Jericho, secundum mortificationem carnis et compassionem Filii in cruce pendentis ; quasi oliva speciosa in campis, secundum affluentiam pietatis ; quasi platanus juxta aquam in plateis, secundum famæ et gloriæ dilatationem in universis linguis et populis, sicut cinnamomum, secundum odorem bonæ opinionis, quasi balsamum aromatizans secundum conceptum et partum Christi a quo tanquam a capite distillat unguentum nostræ christianitatis ; quasi myrrha electa secundum stolam immortalitatis, quam recepit a Filio suo in die assumptionis.

Ex his omnibus tanquam a domibus eburneis, id est castissimis cœli palatiis dedit suavitatem odoris, quo attracti simul ad illam clamemus totis desideriis, totis suspiriis : Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum, curremus ad montes aromatum, ubi sancti suavitate illius horti deliciarum affluti exsultant in gloria, lætantur in cubilibus suis ; exsultationes Dei, pro tantis odoribus, in gutture eorum, in conspectu Agni amicti stolis albis, ipso donante Christo Jesu ; qui vivit et regnat per omnia, etc.

SERMO LXIX.

DE ASSUMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS III.

Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam ex illis, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat illam, etc. (*Luc.* XV, 8).

De sacro palatio summi et æterni Regis profluente ad areolas nostras meatibus continuis copiosa Dei bonitate, singulæ stationes tam temporum quam hominum, secundum mensuram et rationem innatæ bonitatis generali et speciali beneficio ab initio sæculi non avare locupletantur : Cum ergo, ut ait Apostolus : *Unusquisque proprium habeat donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (*I Cor.* VII, 7) ; partem suam Deus, qui non solum donat, sed et accipit dona in hominibus, nequaquam deteriorem fecit. Ait enim in Psalmo : *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* XV, 6). Vere in præclaris funes ei ceciderunt, qui cum sit splendor gloriæ, de Patre luminum ante tempora sæcularia, æterna processit genitura, quique de Virgine virginum carne sumpta, in plenitudine temporis in humana, verus Deus et verus homo apparuit sine peccato, natura.

Hæreditas etiam ejus præclara est ei, quia Ecclesiam de Judæis et gentibus, eripuit de potestate tenebrarum per fidem, et per spem, et charitatem transtulit in regnum claritatis suæ, quatenus candor lucis æternæ sponsam haberet non habentem maculam neque rugam, sed formosam tanquam columbam quæ una est matri suæ, electa genitrici suæ, id est prædestinationi divinæ et justificationi. Cum itaque de æterno consilio tempus beneplaciti immineret, ut Deus Pater per unicum Filium dispersiones Israel, per adoptionem hæreditati immarcescibili aggregaret, puellam de terra Israel sibi desponsavit, et dote bona, de thesauris suis cumulavit, publicis instrumentis matrimonium confirmans, atque legitimo privilegio donationem propter nuptias contra dæmonum hæreticorumque versutias corroborans. Una enim hæc est inter mulieres, in qua princeps nihil suum invenit, de qua fraus hæretica, mendacia sua stabilire non potuit ; in hoc privilegio tam matris quam filii natales continentur. Continetur quoque et dos profecta a virgine, utique castitas, innocentia, et humilitas, simulque donatio propter nuptias, utique plena gratia redhibita a Deo Patre.

Septem de Apocalypsi sigillis impressum, et signatum hoc privilegium, castis et virgineis obtutibus tum patet, condemnans et obtenebrans oculum nequam, ne videat gloriam Dei. Denique secretiora quædam quæ nemini mortalium pandenda, donec in resurrectione, velo templi scisso, ingrediamur sanctuarium Dei, certis involucris, quod est in profundo et secreto Dei judicio Sancta sanctorum occultat. Tunc enim lege et jure civitatis quæ vitro similis dicitur, nihil cum Deo regnantibus clausum, nihil de occultis filii restabit incognitum. Corda omnium pervia indifferenter appetent scire et sciri, magis tunc properabit et urgebit conscientia venire ad publicum, quam modo requirat privatum et secretum silentium ; mala enim timet sub luce videri, bona dedignatur occultari ; in omni autem societate universæ illius curiæ nulla nisi bona intererit.

Revolvamus tamen interim prima hujus privilegii folia, et ex prælibato ænigmate excutiamus quæ de mensa dominorum catulis obvenerunt, paucas micas. *Quæ mulier*, inquit Dominus, *habens drachmas decem*, etc. Non consuete hac utitur locutione Scriptura de Domina nostra ; in Canticis enim, ubi quasi in cubiculis suis et lectulo florido prærogativa ejus mystice requiescit, sæpe numero Salomon sic de illa cecinit : *Quæ est ista, quæ progreditur, quæ est ista quæ ascendit de deserto, quæ est ista quæ ascendit per desertum ?* (*Cant.* III, 6.) Minuitur namque majestas dicendorum, quando quæ

dicuntur non congruunt qualitate et modo dicendi, rei de qua dicuntur; non minimum quoque peccat in dicendo, qui inexplicabilia explicare nititur, vel qui facilia dictu aggravare laborat; idoneus vero recitator, qui pro facultate, dicenda assumit, et suspensus admiratur, quod exprimere non sufficit.

Ait ergo Dominus : *Quæ mulier*, etc., non de inopia succumbens, sed pro misericordia minus capacibus condescendens, quasi diceret : Præ cunctis mulieribus hæc mulier excellit incomparabiliter genere, sanctificatione, nomine, integritate vitæ, contemplatione, angelica familiaritate, Dei et hominis conceptione, partus novitate, filii cohabitatione, in cœlis assumptione. Quæ ergo est mulier habens drachmas decem quas enumeravimus? illa sine dubio de qua præsens sermo habetur, et cujus dies assumptionis in cœlis et in terris hodie celebratur. Si deliciis cœlestibus assuetus, suppellectili meliori et molliori cubiculum suum futurum Rex gloriæ stravit, et valida munitione circumvallavit, ut esset hortus conclusus, fons signatus, quid mirum? cum videas insensatas aviculas, undecunque congerere mollia, et nido utilia deferre, ut quasi domum sibi faciant, ubi pullos reponant.

Digna itaque sibi sapientia Dei, in virginali domicilio congessit, quando decem drachmas matri contulit, utpote qui de magno genere est, secundum Patris generationem, de magno et digno genere faceret nasci Matrem, et qui omnium sanctificator est, ex utero sanctificaret in quam venturus esset, et claro nomine insigniret, de qua hominem Jesum assumeret, et in singulis quæ de illa facturus, vel ex ea accepturus erat, nova quædam præludia præmitteret; si enim Rebeccæ servus Abrahæ inaures aureas et armillas pondo cyclorum decem, quia uxor futura erat Isaac, obtulit, quid Mariæ matri suæ cœli et terræ Dominus dare non debuit? Decem ergo drachmas ei dedit, cui et novem ordines angelorum, et omnes homines non immerito subjecit. Suscipiunt enim angeli Dei spontaneam ejus obedientiam, quam a dextris Filii suscipiunt super se collocatam, quomodo autem ei non obediret omnis homo jam regnanti in cœlo, cui in terra obedivit factus pro nobis Deus homo?

Non pigeat aut pudeat vos, o angeli sancti, quia mulier dicitur, cujus dominationi tota curia vestra submittitur, quia nomen est non vitii sed naturæ, non infirmitatem præferens, sed concipiendi habilitatem perferens. Forte honorabiliori nomine illam vocasset, qui habet scientiam vocis, si hoc in suis æternis rationibus commodius dici reputasset; sed rem et nomen compensans impositor nominis et auctor operis, ne prorsus resiliret gratia a natura, usus antiquitatis a novitate conceptionis, in utroque temperavit utrumque, ut de consuetudine nomen retineret, et de novitate opus gratiæ excelleret. Mulier itaque est natura, mater gratia; nec naturæ præjudicium facit gratia, nec gratiæ potestatem adimit natura : quinimo melioratur natura per gratiam, nec minuitur gratia propter naturam : idem namque dator est gratiæ, qui auctor est naturæ; ut dum quasi senescit natura, succedat semper vigens et valens gratia. Phenenna quidem Annæ improperat, et Lia Racheli sterilitatem, sed pulchritudine et quandoque fecunditate, juniores tempore, antiquioribus præferuntur, ne prælatio temporis deroget efficaciæ sequentis virtutis; parit quidem natura, sed sine merito, parit gratia, sed cum merito, et præmio ubique pedibus gratiæ natura substernitur, nec ad bonum remuneratorium nisi eadem duce prævia et comite erigitur.

Hæc igitur mulier quasi lignum finium terræ vetustati communicat nomine sine reato culpæ; novitate concipit eum qui culpam delevit, et reatum exterminavit; dicatur ergo *quæ mulier*? Sequitur, *habens drachmas decem*, cum multis modis habere dicatur, ut est habere famem, habere albedinem, habere cappam, habere corpus et animam, habere denique virtutem, quia præter materiam est, nunc de his tractare; duos tamen modos quos novit Scriptura ponamus, quorum alter est temporalis, alter perpetuus. De uno apostolus : *Benedictionem*, inquit, *hæreditate possideatis* (*I Petr.* III, 9); et alibi : *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei* (*Rom.* XI, 29). Sponsa quoque in Canticis de sponso ait : *Tenui eum nec dimittam* (*Cant.* III, 4). Secundum quod *charitas nunquam excidit* (*I Cor.* XIII, 8); de altero Job : *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job* I, 21); et Psalmista : *Redde mihi lætitiam salutaris tui; et spiritum sanctum tuum ne auferas a me* (*Psal.* L, 14); et in Evangelio : *Vado et venio ad vos* (*Joan*, XIV, 28).

Utroque genere habendi mulier drachmas decem habuit, nam unam perdidit, cæteras nec perdidit, nec perdere potuit; decem vero sunt, sicut decem chordæ psalterii et decem mandata legis, quæ qui non servat, decem sustinet plagas Ægypti. Jam itaque accedamus ad contrectandas oculis ac manibus drachmas, ut sacco Benjamin, filii dexteræ, aperto devolvamus tanquam negotiatores empturi, aut saltem visuri unde oculus pascatur, et anima lætificetur; de his enim nec oculus satiatur visu, nec auris auditu, quia illarum tam semper novus rutilat aspectus, quam devotus assistit beatæ Virgini noster affectus.

Sicut autem in pontificali indumento duodecim pretiosi lapides intexuntur, sic Virgo nostra decem drachmis in vestitu deaurato circumtegitur; distinguntur quoque appellatione, pretio et specie. Prima igitur continetur in genere, secunda in sanctificatione, tertia in nomine, quarta in integritate vitæ, quinta in contemplatione, sexta in angelica familiaritate, septima in Dei et hominis conceptione, octava in novitate partus, nona in filii educatione et cohabitatione, decima in cœlis assumptione. O anima mea! o boni amici! o fratres charissimi! quis odor? quis color? quis sapor circa hæc respirare, talibus

aspicere [*f.* aspirare], de hujusmodi labia, linguam et palatum implere?

Non cito movearnini a vestro sensu, quia sensus consummatus est si possis virginalia membra sentire; quod si non membra, saltem drachmas; quod si non drachmas, saltem fimbrias aureas; quod si non fimbrias, saltem vestigia; quod si non vestigia, saltem umbram, quod si non umbram, saltem memoriam. Has murenulas aureas faciamus dominæ nostræ, vermiculatas argento, ut si anima pollutus et carne, nec membra, nec drachmas, nec fimbrias, nec vestigia, nec umbram imaginationis apprehendero, quia aurea sunt, saltem in eo portionem habebo quod vermiculatæ sint argento. Dum de te, domina nostra, loqui labia mea non prohibebo, juxta quod expressum est in Evangelio, et lege et prophetis.

Loquar itaque, cum sim pulvis et cinis, de dignitate tui generis; nam regali et sacerdotali progenie orta præfers genus electum, regale sacerdotium, ut sicut omnia omni virtute, sic etiam præcellas genere. Pia enim Dei sollicitudo, vulneribus generi humano a latronibus illatis providit oleum et vinum, quatenus oleum pontificale nos Deo reconciliaret, et vinum regale contra diabolum defensaret; ideoque regem et sacerdotem in terris constituit, quatenus rex hostem fortitudine repelleret et Domini iram pontifex sacrificiis mitigaret. Gemina hæc potestas in una compage coacta, cum tempus nostræ redemptionis appropinquaret, virginale corpus protulit de sui utriusque confectione, et tanquam duæ olivæ, duo candelabra ante Deum lucentia, duo in facie Moysis cornua ad conficiendam virginem, de qua conciperetur geminæ gigas substantiæ, convenerunt, qui sua passione Patri nos reconciliavit, et potestates aerias debellavit. Disparilitas itaque dignitatum sæcularium tempore accepto, quasi ad unum commeavit alveum, et in virgine simul auctorem suum non ingrate recognovit, sed ad supportandum Dominicum corpus, humeros debita collatione et congratulatione supposuit. Sic igitur rosa orta de spinis, sive oliva speciosa in campis, de medulla cedri, et adipe frumenti sanctissimum corpus accepit.

At forte, si quis non consentit inter dotes virgineas, censendam dignitatem generis, quia ignobilia mundi elegit Deus, animadvertat potestates et dignitates tam in cœlo quam in terra esse a Deo, et de stirpe unificæ et supremæ potestatis ramos tam cœlestium quam terrestrium altitudinum pullulari; non enim collateralis abusio potestatis, quæ ab homine est, corrumpit bonum quod a Deo est. Detrahe namque arrogantiam, et in collata homini potestate invenies Dei gratiam, sive justitiam. Nullatenus igitur granum bonum propter paleam abjicias, sed ut retineas granum, paleam amoveas. Virgo igitur radicem suam de Jesse et Aaron, quanquam in terra sit non despicit, quia de bonitate radicis quæ est ex repromissione Dei, rursum ramus pullulans de plenitudine gratiarum pinguescit. Unde Apostolus: *Non tu radicem portas, si radix te?* (*Rom.* XI, 16) nunquid enim non: *Juravit Dominus veritatem, et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam?* (*Psal.* CXXXI, 11.) Item: *Juravit Dominus et non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Hæc de dignitate generis, quæ est prima drachma.

Nunc videamus de secunda, quæ est sanctificatio ex utero matris: a fermento massæ corruptæ, ab immaturæ uvæ acerbitate, ab inflatione primæ apostasiæ, a rubigine originis depravatæ, et a malitia propaginis in trunco infectæ, vas virginale concretum; statim purgavit ille qui quasi ignis sedet conflans et emundans argentum, ne sancta caro prurientes vermes communis sterquilinii sentiret, quæ paritura erat Jesum, qui corruptionem non vidit, nec in ventre, nec in morte: ideo autem non distulit Dominus, sed prævenit eam in benedictionibus, quia bis dat, qui cito dat; et tempore plus solvit qui ante tempus solvit, et sapientia prior se offert quærentibus illam: ideo etiam ne quo semel imbuta esset testa servaret odorem diu.

Spiritus itaque Domini, qui in creatione mundi ferebatur super aquas, ut præsignaret quæ, ipso operante, de illis producenda essent mysteria, quasi in creatione novi et secundi mundi, qui per Christum futurus erat, de quo dicitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19), veternosas primi parentis quisquilias, quæ defixæ, et pene inseparabiliter admistæ erant humanæ naturæ, a virgine Maria in horreo materno ventilando expurgavit, et futurum sui, et Christi vasculum, de luto compositum, sic decoxit, ut omni fragilitate, et mollitie originalis peccati adempta nullo igne, vel nulla aqua sæcularis, vel carnalis concupiscentiæ recrudesceret, aut carnis stimulum recalcitrans ullatenus sentiret. Si Joannes Baptista ex utero sanctificatus est, quanto magis Maria? si tanta præconis præparatio, quanta debuit esse Matris justificatio? et hæc de secunda.

Tertia dicitur veneratio nominis quod est nomen: *Et nomen Virginis Maria* (*Luc.* I, 27). Dei innominabilis sunt quædam nomina, non in quibus exprimatur, sed quibus de ipso aliquid dicatur, etsi non quod est; saltem quod non est, ne, si ipsum in eo quod est apprehendere non valemus; alium pro ipso errando teneamus; multum est, etsi non possis scire quod est, quia scientia ejus confortata est, et non potes ad eam, saltem scire quod non est; ita enim nunquam vagando errabis, aut infra subsistendo hærebis, sed ratione, ingenio et fide explicata et expansa, curres post ipsum quantum poteris, et plus quam: *Non enim*, ait Dominus, *videbit me homo, multo vero minus cognoscet, et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Est itaque præ cæteris Dei nominibus, quoddam ineffabile, quod ut dicitur, dici non debet nisi in suprema necessitate. Concedo quod summa veneratione honoranda et excolenda sunt omnia Dei

nomina, et nullum nomen Dei assumendum in vanum; *Dedit* tamen *Filio suo unum nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phil.* II, 9).

Post illud autem nomen superexaltatum in omnibus sæculis, est hoc nomen Maria, quod in conventu angelico solemne semper habetur, et ad ejus invocationem præsto sunt suffragia cœlestis exercitus; audito hoc nomine pericula diffugiunt, commoda redeunt et inferna pertimescunt, perimuntur blasphemi, desperati reconciliantur, nullique difficultas recuperare gratiam, qui votorum suorum adjutricem habuerit Mariam. Cum artus meos resolvero in somnum, requiescat in ore et mente Maria, cum evigilavero, labia mea aperiat Maria, cum extremum emisero spiritum, adsit Maria; cum ad judicium venero, occurre cum patrocinio sancta Maria, non periclitabitur judicium, cui Maria præstaverit suffragium. Domina nostra potiora de te et meliora quam dicam exspecto: hæc de tertia drachma sufficiant.

Quarta est integritas conversationis, pupillares annos Virginis nostræ divina protectio et angelica sic tutavit, ut nulla penitus damna suæ pudicitiæ aut integritatis, sui facilitate vel adversarii calliditate incurrerit. Cum vero liberum ejus arbitrium compedes infirmæ ætatis evasisset, cooperans gratiæ sic se circulis regularis disciplinæ et sanctæ observantiæ constrinxit, ut tota divinorum amore mandatorum sic conflaretur, ut quasi deglutiens animæ suæ verba Dei mandaret, et reciproce se ipsam eorum medullis conferret; tria enim habuit collatoria, unum quo se eliquavit in legem Domini et prophetas; alterum quo eamdem ad se legem confluere faceret; tertium quo Verbi divinam substantiam tam in carnem suam quam in animam coleret, et coagulo Spiritus in Deum et hominem conformaret; æquis ergo passibus mandata divina et virgo Maria ambulavit, sicut Ezechiel (cap. I, 21) de sanctis animalibus et rotis dicit: *Cum ambulantibus ambulabant, et cum stantibus stabant*, et, ut breviter quod sentio dicam, pene angelica religio æmulabatur hujus solius terrigenæ conversationem; et mirabatur in terris comparari sanctitatem proprio labore et gratiæ cooperatione, quam maxima sui parte decedente, ipsa retinuit gratia sine aliquo labore. Quod ad Thessalonicenses ait Apostolus: *Ipse Deus pacis sanctificet nos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur* (*I Thess.* V, 23), plene impletur in Virgine nostra, et hæc de quarta.

Quinta est ex divina lectione et meditatione, cœlestium contemplatio: sicut cibus inutilis est sine digestione, sic parum prodest lectio sine meditatione; est autem plena corporis vegetatio, sumptorum bona digestio: similiter tunc valet lectio, cum assidua fuerit subsecuta meditatio: ut enim de beato viro dicitur, quia *meditabitur in lege Domini die ac nocte* (*Psal.* I, 2), lex enim est fluvius, qui de paradiso egreditur et dividitur in quatuor capita, id est litteram, allegoriam, moralitatem, et anagogen. Volitat autem Domina nostra, tanquam columba speciosa super rivos aquarum, ut se aspiciat et statum suum cognoscat, vel ut hostem insidiantem fetibus suis caveat, aut certe ut de proximo habeat balneum confessionis et fontem devotionis. Filiæ civitatis nostræ frequenter ad aquas descendunt, familiaria colloquia ibi cum his quos in ripa invenerunt, serunt, et de rumoribus tam futurorum quam absentium dulciter instruunt.

Quia ergo tentorium suum ibi domina nostra fixerat, de magno suo negotio frequens responsum a filiabus Jerusalem accipiebat; ponebat ibi cum Jacob virgas populeas virides et amygdalinas, et ex platanis ex parte decorticans eas; ut in intuitu earum conciperet; maculosa propter carnem similem carni peccati; varia propter duas naturas Dei et hominis; diverso colore responsa propter dilectum, qui est candidus et rubicundus; virgas vero in canalibus ubi effundebatur aqua posuit, quia in oculis suis, qui sunt sicut piscinæ in Esebon, propter assiduam compunctionem, viriditatem castitatis retinuit, quæ est virtus harum arborum. Posuit et amygdalinas propter carnis macerationem, animæ passionem, conscientiæ internam dulcedinem: posuit et virgas ex platanis, propter charitatis amplitudinem; in tali intuitu Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum Virgo permansit, et hæc de quinta.

Sexta est angelica salutatio; a convictu dicitur locus unde cujusque mores improbantur vel approbantur; socialis enim anima vix caret vitiis illorum aut virtutibus, cum quibus enutritur vel diutius conversatur. Prævenia itaque Dei Spiritu virgo Maria, et de religione angelorum instruebatur, et exemplo illorum Deo magis ac magis placere informabatur, sicut enim Moysi dictum est: *Vide, omnia facito juxta exemplar quod tibi in monte monstratum est* (*Exod.* XXV, 40); sic Mariæ non de cortinis, sagis, tabulis, basibus et columnis ligneis, argenteis aut aureis ut Domino tabernaculum faceret, mandatum est, sed ut in carne et anima sua locum præpararet, et dictum et datum est. Sicut etiam canes cum famem patiuntur, locum ubi sentiunt panem vel carnem, vel ubi accipere solent avide repetunt, spem de præcedentibus gerentes, sic angeli redeuntes a Virgine, memoria suavitatis ejus refricati quasi famelici rursus illam visitare festinabant, et si qua referenda essent, non defraudabant.

Quia vero naturalis affectus sese restringendo a pluralitate, ad specialem familiaritatem coarctat, ut eo amplius diligat, quo se in unum conglomerat, unde in Canticis dicitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui* (*Cant.* IV, 9), id est in sola mei contemplatione et dilectione, Gabrielis oculus cum Mariæ spiritu, favente Deo, impressus internuntius fieri acceleravit; suo itaque

voto et Domini mandato, notum sibi thalamum intravit, et familiaritate plenissima notam verbis catenus ignotis salutavit, et fidelis interpres divinæ jussioni nec addidit, nec subtraxit, causam docuit, cœlestibus blanditiis puellam delinivit, sexum invalidum roboravit, negotium jam inchoatum retulit et continuo consummandum prædixit, rediturus abiit. Virginis alvus de alveis gratiæ repletus ut credidit, concipit, sibi nihil attribuens, Deo soli cui subest quidquid decreverit facere, se ipsam exposuit; et hæc de sexta.

Septima Verbi Incarnatio; hujus drachmæ nec in cœlis, nec in terris, nec in omnibus abyssis invenitur pretium; tanti enim est, ut in ea constet totius humanæ creaturæ æstimatio et redemptio; iræque paternæ placatio. Hæc est illa Joseph talaris tunica, quæ mysterio Incarnationis Jesum vestit, et distincta sapphiris fila miraculorum in subtegmine passionum varia textura connectit. Hujus texturæ, id est Dominicæ Incarnationis nec unum potuit filium interrumpere improba et importuna hæreticæ pravitatis, vel tyrannicæ potestatis temeritas; de hac minus dicit, qui plus conatur dicere; credi nimirum potest, dici non potest; hæc de septima.

Octava similis est huic, quæ est novi partus exsultatio et admiratio; de hoc partu non est sermo in lingua mea, quia nec littera, nec syllaba, nec oratio imperfecta solvit corrigiam hujus calceamenti, sicut veraciter protestatur vox clamantis in deserto. Quanta enim virtus parientis sine corruptione? quis partus sine labore? in hoc partu natura succumbit, prævalet gratia, supra consuetudinem est, quod extra rationem humanitatis de divino tantum, non de humano pendet arbitrio. Duabus alis seraphim velant hoc mysterium, ne vana philosophia, aut improvida curiositas profanare præsumat Sanctum sanctorum; et hæc de octava.

Nona est in terris conversatio. Ille qui solebat ante incarnationem suam respicere de cœlo per fenestras, prospicere per cancellos, dum latenter sua beneficia, quibus vellet exhiberet, novissime per fenestram orientalem tanquam sol meridianus progrediens, communicavit in assumpto hominis habitu, tam in cibo quam in potu, et aliis hominum necessitatibus, fratribus, quibus per omnia debuit assimilari. Maternis itaque uberibus lactatus, gestatus ulnis, et aliis infantiæ subsidiis exhibitis, more suo qui beatius reputat dare quam accipere, dabat lac quod sugebat, sicut et carnem sanctificaverat quam acceperat, venasque quasdam prælibationis futuri gaudii jam submittebat, quæ Matri, præsentis essent laboris solatium et futuræ remunerationis certissimum pignus.

Quid igitur Mariæ deerat, cui Deus Filius cohabitabat? Sed timebat interruptionem, cum audiret Filii passionem, tandem timor quem timebat accidit ei; passus est Dominus, mortuus et sepultus, et turbata est ad se ipsam anima ejus usque ad mortem, resurrexit vero tertia die, et non meminit præssuræ propter gaudium; deinde ascendit in cœlum sedens ad dexteram Patris, unde non mœrore et desperatione lucernam exstinxit, imo amplius accendit et everrit domum, quia erexit animum supra corpus et mundum, et quæsivit diligenter, quem amabat ardenter, donec inveniret illum hodie assumpta ad æthereum thalamum, in quo sedet stellato solio.

Ecce jam residet juxta Regem, quæ aliquando stabat juxta crucem; ibi aspexit Filium crucifixum; hic attendit gloria et honore coronatum : ibi Judæos frendentes de invidia et crudelitate, hic angelos ferventes de obsequio et dilectione; ibi contumeliam, hic gloriam; ibi gladius, pro his quæ fiebant ipsius pertransibat animam; hic in recompensatione æterna jubilatio replet animam, ad quam ipsa interveniente perducat nos Filius ejus et Dominus Jesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO LXX.

DE ASSUMPTIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ IV

Reginæ cœli, cui totius vitæ meæ dedicari exopto obsequia, solito devotius me famulaturum in ejus assumptione exhibeo; nil autem sumpturus de nostris promptuariis, necessaria in opus tantæ solemnitatis de thesauris sapientiæ refundi supplico impendia. Adeundus itaque, et adorandus Agnus qui in medio throni sedet, erogaturus de throno gratiæ, unde refiguremus Salomonis grandem thronum de ebore : assumpta enim et translata est gloriosa domina hodie de throno gratiæ ad thronum gloriæ, et de eburneo castitatis, migravit ad sidereum claritatis, pia in primo, neminem judicans, piissima in secundo, reos liberans, propitiatrix in primo, reconciliatrix in secundo.

Accedamus ergo ad utrumque thronum tam eburneum quam sidereum, et demisso vultu ad terram imaginemur tam formam compositionis quam gloriam significationis. Salomon enim filius David, nec hominum sumptus in artificio throni sui præterivit, nec pondere virtutis evacuavit, nec sapientiæ fines excessit; species itaque bona, melior sapientia, significatio optima; species delectat, significatio instigat, sapientia satiat; occupatione species te detineat, subsidio significatio, remedio sit sapientia. Mentem elevat species, significatio suspendit, sapientia excipit. Littera in specie, allegoria in significatione, sensus moralis in virtute sapientiæ.

Fecit itaque rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, etc., fecit Sapientia Dei sanctam Ecclesiam, fecit et Dominam nostram, non ut alia opera, sed super omnia opera sua; nec enim sponsam mutaturus est, nec matrem aliam habuit vel habiturus est. Quid sponsa dulcius? quid matre venerabilius? de matre carnem sumens, quievit in ejus utero velut in throno eburneo, sponsæ adhærens omnia sua communicavit, et de toro ad thronum promovit; Matris quoque non immemor, delatio obsequii in terra peregrinationis

suæ, sicut hospitium tori et throni ejus sine molestia passa vel inflata aliquandiu occupavit, sic hodie Matri juxta thronum suum de lapide sapphiro propter gloriam deitatis, apposuit thronum de ebore, propter incomparabile meritum virginitatis. Nam grandem thronum de ebore fecit Salomon archetypum hujus, id est figurativum, ebur siquidem est os, detracta carne, elephantis; et Virgo nostra in carne, præter carnem vixit. Fortius vero caro separata est ab osse, cum omnis mortalitatis corruptio absorpta est in hac assumptione.

De ebore ergo grandem thronum fecit, vel de Virgine, carne purificata et corde dilatata, Verbum carnem assumpsit, vel cum ex regula suæ institutionis et abysso profundæ benignitatis, in ulnis angelicis Matrem suam Jesus cum omni veneratione elevatam collocavit hodie in suis et paternis præclaris mansionibus : thronum ibi sole et luna præcedentem, maternæ gloriæ competentem; superna sidera, ab æterno jam præparaverat. Omnis hodie exempta est quæstio et dubitatio cujusnam esset gloria, quam post Jesum angelica sublimitas verebatur attingere, et sanctorum nullus audebat vindicare; nil divinam præposterasse, vel vane constituisse prædestinationem hodie probatum est, quia soli Mariæ hoc solum solium debebatur, et nulli alii aptaretur (93).

A tempore autem Salomonis in throno æquitas, in ebore castitas, in scabello humilitas, in auro sapientia, in sex gradibus, promotio a minimis ad majora; in rotunditate consummatio; in parte posteriori, finis hujus vitæ, in duabus manibus misericordia et veritas; in duobus leonibus Deus et diabolus, vel timor mortis et inferni; in duodecim Leunculis, in omni actione et cogitatione ambigua sedulitas, unde Job : *Verebar omnia opera mea* (*Job* IX, 28).

Sex gradus, habitus vilitas, gestus maturitas, cibi et potus sobrietas, verborum utilitas, lectionis sagacitas, orationis assiduitas; his gradibus excellebat et excedebat thronus eburneus præ omnibus habitantibus in terra; quorum habitus superfluus, gestus inordinatus, victus immoderatus, sermo vanus et otiosus, meditationis et lectionis rarus aut nullus accessus, orationis vultus incognitus; dilectus ejus ab hoc ultimo gradu sanctitatis invitat matrem suam, dicens : Veni a Libano, veni ad summum gloriæ gradum in dextris Filii?

SERMO LXXI.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS V.

Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? (*Cant.* I, 7.)

Dies venerabilis, Virgo singularis, et processio hodierna specialis, et sonus tam in cœlo quam in terra plenissimæ jubilationis, felix visio, grandis exaltatio, admirabilis justitiæ et pacis Matris et Filii deosculatio, et inseparabilis confessio. Interim Pater sic honorans non suam conjugem, sed tamen Unigeniti sui charissimam Matrem, quasi congratulans alloquitur Filium dicens : *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum.*

Jam ante ex quo Filius ejusdem Virginis assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei, flagrantissimis exæstuabant desideriis angeli ministratorii Spiritus, secum habere qualemqualem illam feminam de cujus carne et sanguine videbant in Rege et Domino suo, humanam naturam in sede majestatis super se collocatam. Alii frequenter accurrebant ad ipsam, alii clamabant : *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* (*Cant.* VI, 12); non est indigna cœlo, quæ talem et tantum fructum protulit ex utero; fons valde purus ex quo derivavit tam eximius rivus; caro omnino incorrupta, de qua sumpta est caro Verbo unita; grata anima, de qua profluxit gratia, quæ pro omnibus gustavit mortem, quam absorbuit per resurrectionem : non negamus illi nostrum consortium, cui perpetuum paramus obsequium; neque in numero, neque in consortio nostro remanebit, qui non in ejus honorem juraverit, et omnem subjectionem exhibuerit.

Choris itaque ordinatis quisque ordo angelorum, archangelorum, virtutum, potestatum, principatuum, dominationum, thronorum, cherubim et seraphim occurrat venienti Reginæ nostræ ad Patrem Filii sui, et ad eumdem Filium, et Spiritum sanctum, cujus est honorabile templum; longa dilatetur processio, stet quisque in ordine suo; veniant nobiscum patriarchæ et prophetæ, ut illi stupeant stirpem suam in Virgine sic honoratam; illi gaudeant prophetiam suam sic adimpletam; adsint apostoli qui jam associati sunt vobis, deinde martyres, confessores, nec non et virgines : qui matrem non honorat, Filium non amat.

O Domine Jesu, et nos cum Patre de nostra parte dicimus : *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* credimus quod loquimur et propter quod loquimur : omnia quæ in cœlo sunt, a Deo sunt, ordinata sunt : ibi nulla inordinatio ubi nulla commotio; ibi omnis ordinatio, ubi Dei tenetur jussio, et habetur inconcussa visio. Nos vero terrigenæ et patimur malas commotiones, et sæpe committimus inordinationes : ob reverentiam Dominæ nostræ saltem hodie comprimamus omnes malas commotiones, et reprimamus inordinationes, ut in Sunamite nostra chori castrorum inveniantur, non chori tympanistriarum aut histrionum; seniores, priores, juniores adolescentes, infantes oculos teneant, manus contineant, ora aperiant, aures inclinent, pedes ad malum non moveant; hoc exterius, quid intrinsecus?

Congreget ad se cor omnes animæ sensus, omnia interiora sua ordinet, processionem, castra Dei statuat, ut in die Virginis, castitatis metas, nullus

(93) Desunt aliqua.

motus mentis vel corporis excedat; ornatus castitatis vestitus humilitatis Virgo recognoscit; in ejus processione non reputatur, qui impudicitia et immunditia deturpatur? *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Deus Pater ad Filium de assumptione Matris suæ loquitur : *Quid videbis in Sunamite*, etc. Gabriel quoque archangelus, custos et paranymphus Virginis, cuilibet de sociis suis sic loquitur : *Quid videbis in Sunamite*, etc. Alloquitur etiam Spiritus sanctus Ecclesiam quæ in terris peregrinatur, vel in cœlis gloriatur dicens : *Quid videbis in Sunamite*, etc.; in Patre est congratulatio, in archangelo admiratio, in Spiritu sancto commendatio sive assignatio, hujus celeberrimæ assumptionis.

Quærendum itaque quare sub nomine Sunamitis sapientissimus Salomon præsignavit assumptionem tantæ Virginis, et qui sint chori non aliorum, sed castrorum; chori enim sunt clericorum, chori adolescentularum, et chori militum. Chori clericorum sunt chori psallentium, chori adolescentularum sunt gaudentium et ludentium, chori militum sunt pugnantium et bellantium. In choro clericorum quæritur consonans modulatio, in choro adolescentularum delectatio, in choro militum fortitudo. Triplex iste chorus Dominæ nostræ hodie famulatur. Cantant angeli ut clerici, ducunt choros ut adolescentulæ, militant contra aerias potestates, ne audeant occursare; fremunt dentibus et clamore rugiunt, invidia tabescunt, audientes puellam, matrem misericordiæ ad thronum gratiæ, super choros angelorum ascendisse, unde princeps eorum sicut fulgur cecidit.

SERMO LXXII.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS VI.

Una est columba mea (*Cant.* VI, 8).

Domestica familiaritate, et omni creaturæ inexperta dulcedine verus Salomon jucundatur ad columbam suam, quæ est Regina angelorum, quæ est Virgo virginum, pia Maria, dum in ejus visceribus per suam sapientiam, humanam fatuitatem ad columbinam revocat simplicitatem; cum sale cœlestis sapientiæ redintegrat naturæ nostræ corruptionem. *Una est*, inquit, *columba mea*, sive natura, quam de matre suscipio, sive Virgo de qua et in qua divinæ et humanæ naturæ matrimonium conjungo. *Una est columba mea* Ecclesia sponsa; *una est columba mea* Mater virgo Maria. Unus et unicus nec viduam, nec repudiatam volo, nec alii viro conjunctam : unam quæro columbam.

Desidero unam ne discordet a voluntate mea; columbam ne sit nimium astuta, unam juxta Apostolum : *Despondi*, inquit, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* XI, 2); columbam ne plus sapiat quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem; unam propter amicitiam, columbam propter gratiam. Quis enim non diligit matrem aut sponsam? quis matri aut sponsæ non confert omnem gratiam? et matrem itaque, et sponsam volo habere totus totam, castus castam, pulcher pulchram, pius piam, impollutus impollutam, unus unam, simplex columbam : mater non habet alium filium, nec sponsa alium sponsum. Una fide, columba simplicitate; una unanimitate, columba mansuetudine. *Una est*, inquit, *columba mea.*

Causa non prætereunda cur tantæ sapientiæ, tantæ potentiæ et tantarum divitiarum rex Salomon, tam miris præconiis et medullatis prærogativis non solum verbum extulit nescio quam columbam suam; sed etiam in librorum suorum superexcellentissimo scripto commendaverit; attendendum itaque quia verba profunda ex ore viri, sacratissimum quid in profundo suo continent, juxta quod in Psalmo legitur : *Ipsi viderunt opera Domini et mirabilia ejus in profundo* (*Psal.* CVI, 24), prævio itaque gratiæ lumine, etsi non sufficiamus penetrare hoc sanctuarium, tamen prosternimur adorare, et tanquam sanctas reliquias tangere. Sacrosancta virgine mundum per nativitatem ingressa, officiales angelicæ virtutes sancta curiositate puellam, vestigiis divinæ prædestinationis insignitam lustrantes, ut est consuetudinis rem novam in sæculo repertam in supernis palatiis referentes, et quid hoc esse humiliter inquirentes a regalibus sedibus audiunt. *Una est columba mea, una est matri suæ, electa genitricis suæ*; tanquam si diceret : Quæ nata est extra et supra numerum feminarum, est extra et supra meritum omnium mulierum.

Una est in toto genere humano non habens similem columba; est in angelica puritate et dignitate, propter divinam generationem non habens æqualem; mea, si Filius loquitur, mater; si Pater, Filii mei mater futura. Una est matri suæ singulari dignitate electa genitrici suæ, divina prædestinatione; una est integritatis incorruptione; columba est obumbratione Spiritus sancti, qui super Dominum apparuit in columbæ specie, mea dilectione, mea electione, mea conceptione, mea generatione. Hujus pennæ deargentatæ nive dealbabuntur in Selmon; pennæ sunt actio et virginalis contemplatio, quæ dealbabuntur per castitatem nive, id est incomparabiliter in Selmon, quod interpretatur *umbra*, id est in Verbi conceptione Spiritus sancti obumbratione. Columba ista in nativitate fuit candida ut lac, in conversatione et professione castitatis, ut lana, in conceptione ut nix, deinde jam cœlestis facta, in partu ut luna, in assumptione ut sol, sive ut castrorum acies ordinata; hæc columba pascitur de mensa Dei, cubat in meridie in lectulo Salomonis, residet in ferculo, dormit in thalamo, deambulat in horto, portat in cella, honoratur in cœlo corona aurea cum Filio suo Jesu Christo Domino nostro, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXIII.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS VII.

Virginitate nulla virtus Deo vicinior, angelis nulla familiarior, sanctis in carne positis nulla appetibilior, quia pene omnibus aliis virtutibus rarior.

Ilæc regnum et principatum suum tempore prædestinato in gloriosa Domini Matre collocavit; nec fuit angelicus Spiritus purior in cœlis quam uterus Virginis in obumbratione Spiritus sancti et conceptione Filii sui. Adhæret quidem Deo angelus obsequendo, astando et ministrando; sed non se in una eademque persona cum illo uniendo : quid autem caro virginis? nonne fuit præjacens materia, de qua opifex Trinitas naturam humanam fabricavit, quam inseparabiliter univit Verbo Dei una simul operatione, non tamen eadem Trinitatis assumptione.

De hac sanctificata massa partem sibi Filius Dei assumpsit, quam statim assumendo deificavit, et tam illa quam de illa, in tota protoplasti massa, tam redemptione quam sanctificatione operatus est salutem totius ejusdem humani generis; ac deinde sprevit, dereliquit, oblitusque est lectuli sui, cubiculi sui, templi sui, ortus sui, paradisi sui, Matris suæ? Absit! *Etsi mater*, inquit, *oblita fuerit filii sui, ego non obliviscar tui?* (*Isa.* XLIX, 15.) Nemo carnem suam odio habet, nec Jesus distulit quidem in matre vincula carnis solvere, nec destitit mansionem juxta se etiam parare.

Equidem indignum esset alium interponere inter se et Matrem in cœlo, in cujus utero coagulatus est ineffabili sacramento; nam, quod in oratione Dominica dicitur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, scilicet mater Filio sic loquitur : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, quasi, quia, Fili, elegisti ut haberes matrem, suscipe ut excipias inter angelos assistricem. Nemo plus juris habet in carne, in facie tua, quam Mater tua. Cedo, inquit Filius, et concedo; veni, electa mea, et ponam te in thronum meum. Dixit et factum est, qui dixit : *Fiat lux. et facta est lux* (*Gen.* I, 3), qui semel loquitur, et secundo idipsum non repetit, quia verbum ejus manet in sæculum sæculi.

Sed thronus tuus, o Deus, o Domina, qualis est? Psalmista dicit : *Et thronus ejus sicut sol in conspectu tuo, et sicut luna perfecta* (*Psal.* LXXXVIII, 30); forte ideo admirantes cœlestes virtutes dicunt : *Quæ est ista quæ ascendit quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI, 9). Ut aurora confitentibus; ut sol sanctis suscipientibus, ut castrorum acies ordinata malignis spiritibus : invocant illam conversi, amant illam justi, exorant peccatores, timent dæmones, invalida sunt castra dæmonum adversus Dominæ nostræ castrorum acies, de quibus in Canticis dicitur : *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* (*Cant.* I, 7.) Hæc Sunamitis placet regi sua specie; senem regem conservat castitate et fovet calore sapientiæ. Quæ tam speciosa quam illa cui dicitur : *Tota pulchra es, amica mea* (*Cant.* IV, 7); et item : *Quam pulchra es, amica, quam pulchra in deliciis, charissima!* (*Cant.* VII, 6.)

Hanc Antiquus dierum præelegit, et dedit ei Filium suum : hæc Dei præcordia pene jam tepentia, A deficiente charitate in humano genere calefecit, et cum adhuc peccatores essemus, propter nimiam charitatem suam Filium de Virgine incarnari constituit; hæc sapientissima sicut decipere neminem voluit, sic a nemine decipi potuit. Si unquam in creatura sua Creator proportionem aliquam reperit, solam istam hoc privilegio prætitulavit : *Cum essem*, inquiens, *immaculatus veni ad corpus incoinquinatum* (*Sap.* VIII, 20). Quid itaque, potentissime, videbis in Sunamite : *In me*, inquit Sunamitis, *gratia omnis viæ et veritatis; in me omnis spes vitæ et virtutis* (*Eccli.* XXIV, 25); duo sunt via et patria; in via, gratia; in patria, veritas; in me gratia omnis, sive gratia omnis viæ et veritatis; nulla gratia in qualibet via veniendi ad patriam nisi per Dominam B nostram, cujus Filius est ille, sine quo nihil possumus facere : rursum in illa est gratia omnis veritatis, quia gratia et veritas per Jesum Christum facta est, nec habebit veritatem in patria, qui non amat Christum in via.

Ista visio, id est cognitio Filii, est in Matre, quia sicut de Patre dixit : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Luc.* X, 22), similiter de Matre potest dici : Nemo novit Matrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Non absurde vero sic potest legi : *Quid videbis in Sunamite*, ut ibi quæratur non de his quæ intus videri non possunt, sed de his quæ circa Sunamitem fiunt; unde subdit : *Nisi choros castrorum*. In authenticis itaque libris, non in adinventionibus phantasticis quærendum est de choris castrorum; legimus in Numeris : *Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens : Singuli per turmas, signa atque vexilla, per domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israel per gyrum tabernaculi fœderis* (*Num.* II, 1). Judas ad orientem figet tentoria; et ne supra modum sermonem protendamus, compendiose dicamus quod circa tabernaculum fœderis, quod intelligimus corpus et animam Virginis, omnes filii Israel castrametantur.

Omnes autem filii Israel sunt omnes fideles, tamen utique constituuntur per singulas plagas, Judas, Issachar et Zabulon ad orientem; Ruben, Simeon et Gad ad meridiem; Ephraim, Benjamin et D Manasse ad occidentem; Dan, Aser et Nephtalim ad aquilonem. Judas, *confessio;* Issachar, *merces*, Zabulon, *tabernaculum fortitudinis;* isti ad orientem cantant : *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV, 17). Ruben, *videns;* Simeon, *auditio;* Gad, *felicitas;* isti ad meridiem cantant : *Tota pulchra es, amica mea*, etc. (*Cant.* IV, 7.) Ephraim, *frugifer;* Benjamin, *filius dexteræ;* Manasse, *oblivio :* isti ad occidentem cantant : *Surge, propera, amica mea, veni, columba mea* (*Cant.* II, 10). Dan, *judicium;* Aser, *beatus;* Nephtalim, *conversio :* isti ad aquilonem cantant : *Surge, aquilo* (*Cant.* IV, 16), *hiems transiit, imber abiit, et recessit, flores apparuerunt in terra nostra* (*Cant.* II, 11). Ecce habet Sunamitis choros castrorum, qui circumdant eam tanquam flores rosarum

et lilia convallium, astitit Regina a dextris filii circumdata varietate : *Circumdate Sion*, ait Psalmista, *et complectimini eam* (*Psal.* XLVII, 13).

SERMO LXXIV.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS VIII.

Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram (*Luc.* XV, 9).

Hæc est diei præsentis solemnitas, in qua nihil vacat in cœlis a laudibus, nihil in Ecclesia Dei, quæ in terris peregrinatur a sanctis supplicationibus; astrorum enim est pro sua sorte felix laudatio, quibus nulla de beatitudine vera contingere potest diminutio. In hoc vero exsilio peregrinanti per fidem; tanto studiosius protendenda est supplicatio, quanto periculosius differuntur a regno; in sese tamen replicantur, et revolutione orbiculari revolvuntur et Christiana devotio, et angelica exsultatio; nos quidem in spe, illi vero sunt in re; sicut autem res exhibet præmium, sic spes comparat meritum.

Quare autem de cœlo desperaremus præmium, cui hodie de terra, et genere nostro tam eximium intulimus commercium? nunquid ingratitudo habet locum ubi gratia sempiternum obtinet domicilium? plenam gratia ad gratiæ remisimus palatia, refluant itaque stillicidia gratiæ sterilitati nostræ superintensæ. Plena et repleta Dei bono regio gratiæ et gloriæ, ne dominæ nostræ assumptio fiat doni cœlestis in nobis evacuatio. O domina nostra, quæ animarum fidelium tibi congratulatio, si absque recompensatione in cœlis transferas, et quod ab illis acceperas, et quod a nobis? Dignum est, ut tantus thesaurus tali muro circumcingatur, tali custode tutetur, tali repositorio includatur.

Ecclesia quoque piam tuam retineat memoriam, qua dæmones ejiciat, vitia expellat; tentationes compescat, motus inordinatos componat, meatus dulcissimæ compunctionis aperiat, salubres et suaves gustus cœlestis patriæ infundat, fructum ventris ejus in altari dentibus nostris et labiis ruminandum quotidie deferat. Tunc plane exsultabimus et lætabimur in te, o domina, memores uberum tuorum; ubera tua fluunt angelicis spiritibus illa suavissima, quæ confecerunt filii tui manus tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Vident enim super se Verbum carnem factum, gloria et honore in homine assumpto coronatum; et de illa ineffabili contemplatione tam jucunda perfunduntur delectatione, ut nec inopia dimidiet desiderium, nec satietas afferat fastidium.

Adhuc ubera tua effluunt justis et bonis famulis Dei mel piæ affectionis, cujus degustatione, amaritudines sæculi dulcescunt et carnis illecebræ vilescunt; eatenus ut mens plena virgineo melle, stupida et pene insensibilis blandimentis carnalibus efficiatur, ut cum Berzellai dicat : *Nunquid sensus mei vigent ad discernendum suave aut amarum, aut delectare potest cibus et potus, aut audire possum vocem cantorum atque cantatricum* (*II Reg.* XIX, 35).

A Quæ de effluentia verborum virginis Mariæ mens bene est læta, sic omnium est terrenorum appetituum oblita, non solum vero verba fluunt, sic vel effluunt; sed etiam pereffluunt usque ad peccatores terræ, quia Christus Jesus Filius ejus, venit in hunc mundum peccatores salvos facere.

Desinet Mater lactare quos Filius ejus venit salvare? Imo abstinere poterit Mater misericordiæ lactis pleno gurgite non alere, pro quibus Filius suus potuit et voluit spiritum exhalare? Nec os, nec manum, o domina nostra, ad angelicam porrigimus portionem, quia bestia quæ tetigerit montem lapidabitur. Habeant ipsi primogenita sua, ac proinde primam guttam de societate tua, quia servaverunt sua domicilia; nec abierunt post Satanam, qui ter-
B tiam partem stellarum traxit post se. Succedant secundo loco fideles et justi, quorum est sedere super sedes duodecim, et judicare duodecim tribus Israel, ut de torculari tuo, cujus animam pertransivit gladius, circumferendo stigmata Jesu in corpore suo, secundam exprimant guttam et sua saltem de mutatione tua desideria consolentur.

Nos vero quorum os amaritudine plenum est et dolo, quam participationem cum virginali castitate et puritate atque mansuetudine habere poterimus? sed certe nulla nutrix tam sedula circa alumnum suum, quomodo tu benignissima erga confitentem, et ad cor revertentem Christianum. Licet autem infantulus infantilibus contaminetur prurulentiis,
C non tamen ideo abjicit eum a se, quæ curam ejus suscepit, non ubera negat; sed lavat balneo et lacte suo reficit : o misericordissima, tu, quid? facies nostra impletur ignominia ab oculis nostris, velut pannus menstruatæ etiam justitiæ nostræ; quanto magis injustitiæ?

Piarum piissima, averte faciem tuam a peccatis, donec deleantur tua miseratione, donec tegantur tua intercessione et pœnitentiali satisfactione tergantur. Beata ubera tua, quæ angelos pascunt, justos reficiunt, peccatores alunt; exsultat spiritus tuus de societate angelorum, anima tua gaudet de imitatione justorum, congratulatur anima et spiritus de pœnitentia et conversione peccatorum. Vultum et manus, os et cor, mentem et animam, inte-
D riorem et exteriorem ad te convertimus hominem; post te pleno ore vociferantes, salus nostra in manu tua. Respiciat super nos misericordia tua, non se contineant super nos mollia illa viscera tua, quæ cœli rore irrigata solent stillicidia stillantia super terram pluere, et de profundissimis peccatorum voraginibus lapsos et pene desperatos relevare. Videsne, domina nostra, quia sævo et aperto ore draco ille rufus miseras animas nostras dilaceret, rapiat, devoret, et quasi pene in secessum suum protrahat?

Attendis quam indecenter natura nostra dehonestetur, de qua tu originem, et Jesus Filius tuus suscepit carnem; tantis jam afficitur ludibriis, ut nulla dæmoniacæ supersit spurcitiæ macula, quam

non sit experta humana luxuria. O caro tua, o caro nostra! quis chaos tantum interposuit inter nos, ut tua cœlos vincat et superet munditia nostra, quanquam consobrina sit et germana, corrumpatur tanta immunditia, quantam non tolerat ulla patientia. Quanquam autem de tam misera sorte peregrinandi conditio me abesse non sinat; tamen lacte tuo et sanguine Filii tui cubile mentis aspergens, tam tuo suffragio quam illius patrocinio confido eripi, et inter curiæ tuæ adolescentulas, saltem post dignas pœnas admitti. Nam vox illa tua tanquam turturis castissimæ audita est in terra nostra dicens : Congratulamini, mihi desperationem excussit, spem reddidit, animum erexit, ut qui malorum conscientia depressus jacebat in auditu jucundissimæ vocis respiraverit, et quasi de gravi somno evigilaverit. Vox enim, quæ de cœlo fit, non solum mentem pulsat sed et adjuvat, pulsat ut se mens advertat, adjuvat ut ad Deum convertat. Ad Deum vero conversa ire properat. In itinere posita etiam lassa clamat : *Trahe me post te* (*Cant.* I, 3), manum tenens porrectam, exsultat; *curremus*, inquiens, *in odore unguentorum tuorum* (*ibid.*). Perveniens, *exsultabimus et lætabimur in te* (*ibid.*). Denique proloquens pro his qui remanserunt dicit : *Memores uberum tuorum super vinum : recti diligunt te* (*ibid.*). Si omnes, a minimo qui vocem ejus audit usque ad illum qui ad palatium pervenit, congratulantur tibi, o domina nostra.

SERMO LXXV.

DE EADEM BEATISSIMA VIRGINE.

Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis (*Cant.* V, 1).

Tam de gremio universalis Ecclesiæ, quam de utero virginis Mariæ, alloquitur Christus utramque dicens : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Soror autem ejus est Ecclesia, quia et ipse conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine; et Ecclesia ex eodem Spiritu regenerata; sicut ipse est Filius Dei unione personæ, sic ipsa filia Dei adoptione; sponsa quoque propter duarum naturarum, id est divinæ et humanæ consensum communem, seu cohabitationem indivisibilem. Virgo autem, cum sit mater secundum carnem, neque soror, neque sponsa appellatur, nisi secundum Spiritum; unde : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater et soror et mater est* (*Matth.* XII, 49).

Domine, nihil difficilius quam te invenire : scio quidem te ubique esse, sed clausa ubique occurrit janua, quæ te negat, quæ te celat esse etiam ubi es : etsi hoc multum est quod dixi, celat esse, tamen verum est, non sinit vel præstat videre quod es, aut ubi es, sol enim es, imo candor sole clarior : impedit ergo ne videam aut mea cæcitas, aut tua claritas. Nil autem mirum si cæcitas impedit visum, quia privatio est; claritas vero cujus est illustrare, qua ratione non ostendit illum a quo habet, ut ostendere possit? forte quia rara, imo quia nimia; habitat enim Deus lucem inaccessibilem. Media itaque sive temperata ex luce deitatis et nube humanitatis, novit excipere infirmitatem nostræ lippitudinis, et coarctare seu coaptare immensitatem deifici luminis.

Duo igitur quasi vela interponit, parietem parientis virginis, et purissimam lampadem Dominici corporis, ut paulatim his assuetus humanus visus, æmulatione penetrativa ambiat videre Jesum, et visum cognoscere, et cognitum amare, et amatum colere, et cultum credere, et creditum adorare. Hic ergo quærentem se, vocantem se, pulsantem ad se commotis miserationis suæ medullis voce propria et ubi sit, et quid operis egerit indicat, dicens : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* De paradiso, inquit, descendi in hortum meum; de incomparabili gloria et obsequio angelorum, veni ut facerem opus meum : *Veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Plantaverat autem Deus a principio paradisum voluptatis, in quo posuit hominem quem formaverat : rident et arrident sibi novissima et antiqua : *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua, tu formasti me et posuisti super me manum tuam* (*Psal.* CXXXVIII, 5), ait ad Patrem in Psalmo Jesus.

Sed animadverte præposterata tempora ut non dixerit, antiqua et novissima; sed *novissima et antiqua*; major namque est gloria secundæ domus quam primæ; et primus homo factus est in animam viventem, et secundus in spiritum vivificantem. Vetus homo Adam, novus homo Christus per Adam peccatum, et per peccatum intravit mors in mundum. Per Christum justitia, et per eumdem redditur vita æterna : præambulant itaque spiritu prophetico novissima, quia meliora et potiora sunt quam antiqua. In antiquis formavit hominem de limo terræ; in novissimis creando sanctificavit, et sanctificando creavit Jesum Filium suum de carne et utero virginis Mariæ. *Tu*, inquit, *formasti et posuisti super me manum tuam;* communis quidem formatio in novissimis et antiquis quantum ad habitum corporis, sed manus positio, sive suppositio singulariter continetur in eo qui formatus est in novissimis, propter spiritum quo unctus est Jesus præ participibus suis. Unde ad Joannem Baptistam : *Super quem*, inquit vox Paterna, *videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat*, etc. (*Joan.* I, 33).

Hunc hominem Deus posuit in horto, id est paradiso quem plantaverat a principio; præscientia enim Dei sicut non aberrat in creandorum discretione, sic moram nullam facit in omnium futurorum prospectione; simul enim et semel statum omnem et casum, reparanda et non reparanda, modum quoque reparationis concipit. Non ipsa pendet de futuris eventibus, sed omnes rerum mutabilitate de immobilitate ejus tanquam de universorum matrice egrediuntur. Igitur, tanquam Jacob et Esau in eodem utero, Evæ procacitas et Mariæ

sanctitas congressum diversis studiis facientes, quodammodo præscientiæ viscera concutiebant, ut novissima, sicut dictum est, utilitate et dignitate antiquis prærirent, et favorabilior celebraretur Mariæ singularis conceptio, quam paradisi terreni plantatio, et Christus de Virgine natus, quam Adam in paradiso positus.

In paradiso illo serpens cum homine reperitur; in Virgine solius Spiritus sancti obumbratio cum Jesu suscipitur, nullos flatus aut sibillos immisit corruptor totius boni intra septa horti nostri diabolus, quia hortus conclusus, fons signatus sicut soli Regi sæculorum, quæ est imago Dei invisibilis gremium suum expandit, si omni subreptitiæ vanitati vectes ferreos exactissimæ custodiæ opposuit; gloria enim Dei quæ assumpta est de cherub ad limen domus, custodivit eam ab inimicis suis, et a seductoribus tutavit eam

Fideliter namque credo frequenter per oculos, per os virginis latentem deitatem subrutilasse, et quiddam indicibile; si quis adverteret evaporasse. Quid enim? nonne plena gratia, ex hoc in hoc eructabat verbum bonum, splendidissimumque radium candoris æternæ lucis; unde Elizabeth ad vocem salutationis ejus mota viscera, et Joannis contrectata, et quasi in exsultationem calefacta sunt puerilia membra; cujus tanta virtus, nisi gloriæ Dei, quæ de cherub, id est de arce cœli assumpta est ad limen domus, id est ad Virginem, quæ cœlestis patriæ janua sine dubio et limen est, quo egressus tanquam de thalamo sponsus, visitavit nos Oriens ex alto.

Juxta hoc limen nemo ponat limen suum, quia inde conqueritur Deus. *Qui fabricati sunt*, inquit, *limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos* (*Ezech.* XLIII, 8). Nulla affinitas castitatis et impuritatis; sacerdos immunde, non times accubare juxta Dei altare et beatæ Virginis Mariæ? quod deterius est verenda tua non velas juxta sanctuaria Dei, imo facis domum orationis, prostibulum meretricis. De hujusmodi dicitur: *Polluerunt templum sanctum tuum* (*Psal.* LXXVIII, 1). Gloria igitur Dei quæ ad limen domus est, conturbat Joseph sponsum Virginis; unde vult eam occulte dimittere, sed monetur ab angelo non timere majestatem quæ colligit humilem, confundit calumniatorem; quid, inquit Joseph ad seipsum, quid intus est, quis intus est? Verbum, inquam, Dei est, Deus in utero Mariæ est; quis posuit? quis intromisit? Deus, qui hominem quem formaverat, in paradiso posuit, qui nullis arcetur repagulis, qui intrat sine irruptione, qui exit sine corruptione, cujus velle clavis est reserans omnia, cujus nolle sera est concludens omnia, neque malleus, neque securis opus habent dolare aut secare, ubi una Dei virtus in ictu oculi et mundum facere potuit et reficere.

Tandem, Joseph, animadverte diem solemnem adesse, quando festivitati Paschali agnus paratur immolandus; solus ibi pontifex in sanguine sumpto de Virgine, victimam salutarem præparavit, et quasi myrrham suam messuit, cum carnem sanctam et incorruptam a visceribus maternis mutuavit cum aromatibus, id est odoriferis virtutibus, quarum confectione tam anima quam caro compacta, in ara crucis odorem suavissimum paternis affectibus, pro redemptione generis humani mandavit, et propitiationem diu desideratam, tempore accepto quasi maturo complevit; immaturam enim non meteret myrrham, qui omnia facit in pondere et mensura et numero. Unde Psalmista: *Tempus beneplaciti Deus, et tempus miserendi ejus* (*Psal.* LXVIII, 14), id est Sion; et: *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo* (*Psal.* CV, 4). Venit ergo quasi tempore messis, quod est in plenitudine et fine sæculorum, in hortum suum, dicens: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.*

Sed quis te, Jesu, introduxit? quis sine aditu admisit? quis intrinsecus nullis apparentibus vestigiis intrandi licentiam fecit? *Deus*, inquit Scriptura, *posuit hominem quem formaverat in paradiso* (*Gen.* II, 8). Vera nostræ fidei simplicitas, non te absorbeat vorago malignæ interpretationis, ut Jesum prius credas formatum, et postea a Virgine conceptum; cum caro de carne, et sanguine Virginis in utero ipso virginali simul creata, simulque copulata sint Verbum, caro et anima. Sed hæc talis verborum complexio, hominem quem formaverat posuit in paradiso, de antiquis est, non de novissimis. Posuit; quis posuit? Deus. Ubi? in paradiso, id est in horto voluptatis, videlicet in utero Virginis. Non Maria, non angelus, non Joseph posuit, sed Deus qui voluit, potuit et scivit. Deus posuit virtutem operando; Maria concepit, carnem et fidem subministrando; Joseph extra stetit quæ intus facta fuerant, mirando et stupendo.

Bene tunc Joseph iste Virginem defendit nomine conjugali ab opprobrio, sicut alius Joseph Christum de cruce deposuit et unctum in sepulcro posuit, a facie Judæorum abscondendo. Erat autem ibi hortus et novum monumentum in horto: videtur iste hinnulus cervorum amare olera, videtur virentia quærere, videtur arbores libenter plantare, videtur areolas aromatum exarare, videtur cubare in meridie et pasci in hortis, et lilia colligere. Olera herbarum quæ cito decident, sunt nostræ defectus humanitatis quos Christus suscepit, cum homo fieri voluit; virentia, sunt opera quæ de fidei et castitatis radice prodeunt; arbores, sunt quæ flores conversionis et fructus religionis referunt; areolæ aromatum, mentes sanctorum, lilium castitas. Hæc omnia et in horto virginali et in Ecclesia Christus manu sua sevit, rigavit, et ad incrementum produxit. Regina Saba tanta et talia regi Salomoni attulit aromata, quanta et qualia non sunt ultra visa in Jerusalem: similiter Regina nostra de cœlo et gratia præveniente, tales de mente protulit incarnando Dei Verbo affectiones, quales nulla sperare potuit aut proferre creatura suo Creatori.

Ecclesiæ etiam nulla in aromatibus se conferre potuit secta gentilium, Judæorum et hæreticorum; uterque hortus est irriguus, fertilis, amœnus, solitarius, tutus, consolatorius, deliciosus. Irriguus est superiori et inferiori irriguo, id est deitate Christi et humanitate, vel angelica et humana devotione. Fertilis, quia fertilitate sua etiam filios corvorum pascit, dum escam populis Æthiopum, id est carnem et sanguinem Christi, peccata sua confitentibus et vere pœnitentibus præparat. Amœnus, quia verna temperies, flante austro, varios profert colores, ut cœli picturam postponas, si templum virginale et ecclesiasticum oculo pudico et sagaci revolvas. Solitarius, quia unus solo singularis segregatus a peccatoribus, Jesus totum quod est Virginis et Ecclesiæ sic occupat, ut socium non admittat; unde : *Audi Israel, Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Tutus, quia turris fortitudinis a facie inimici, mille clypei pendent ex ea, et a sexaginta ex fortissimis Israel vallatur et servatur. Consolatorius, quia Deus totius consolationis et Angelus magni consilii nascitur ex ea, et usque ad consummationem sæculi manet cum ea. Deliciosus, quia Virgo speciosa facta est in deliciis tuis, quæ potestate et dignitate regia, nihil in apothecis cœlestibus est, quod non voluntati et usui ejus exponatur.

SERMO LXXVI.

DE SANCTO BERNARDO ABBATE CLARAVALLÆ I.

Ecce vere Israelita in quo dolus non est, etc. (*Joan.* I, 47.)

Jacob post longa servitia, post diuturna exsilia, post suscepta ex uxoribus chara pignora, post gregum, servorum et ancillarum acquisita emolumenta, ad domum patris et ad terram nativitatis suæ revertitur; sed in itinere occursu Esau fratris sui primogeniti terretur. Cum anima sæculari conversatione tædio affecta, annos æternos recogitando cœlestem habitationem concupiscit, et parturiens ingemiscit, clamans : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII, 24) et : *Heu me! quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX, 5); et : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI, 3) et : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*ibid.*, 4). Disponit itaque domui suæ, et mercedes laborum suorum non in sacculo pertuso collocat, humanam ex his gloriam aucupando, et non recte dividendo; sed ordinat familiam ut castrorum aciem, sed greges distinguit in numero, sed munera appendit in pondere, sed spatia inter gregem et gregem interponit in mensura, sed lampades operum suorum ornat cum oleo puræ conscientiæ; et junco purgatæ per confessionem animæ. Ecce vir prudens metitur fratris mores oblatis muneribus, dans pecuniam ut acquirat gratiam. Ordine regulari incedere facit non solum homines, sed et greges, ut appareat quantus ordo in ejus mente servetur, de cujus plenitudine et animalia ordinantur.

Transducit vadum Jaboc quod interpretatur *lucta* sive *pulvis*, omnia quæ ad se pertinent. Religiosa dispensatione, mens quæ angelos exspectat, quæ patriam suspirat, quæ domum patris desiderat, omnes animales a se motus elongat, et lugens se, cinerem et pulverem vadum Jaboc, id est fluctuationem sæculi et motionem carnis certamine laborioso transit, et in hac ærumna tanquam inter sentes interdum quiescit. Solutum denique a curis sæculi et liberum occupans animum, angelus Domini movet piscinæ aquam, indicit conflictum, provocat ad congressum rationis et sensualitatis. Ebulliunt statim bonæ cogitationes; hinc tanquam unguenta pretiosa inardescunt, inde tanquam spinæ sub olla pristinorum incentivorum remordentia susurria.

Concupiscit itaque caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; unde Jacob, id est bellator, iste cogitur dicere : *Ipse ego mente servio legi Dei; carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25). Item : *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina* (*Psal.* XXXI, 4). Spinosa namque caro de spineto suo profert spinas, sicut Ismael ludit cum Isaac, affligens animam justam et compungens ad eliciendum sanguinem qui est vita spiritus. Progrediens siquidem de schola Epicureorum condit leges iniquas, sed ut vivat secundum carnem, et non secundum spiritum. Ait enim Apostolus : *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini* (*Rom.* VIII, 12). Econtra angelus, mens, ratio, intellectus in mente altrinsecus stationem suam statuunt et rationi concesso duello ad pugnam accingunt.

Fide igitur loricata ratio spumam aquæ reputat omnem voluptatem carnis, et fortissimis atque evidentibus argumentis concludit non esse appetendum quod in se habet enorme damnum et nullum emolumentum. Voluptas carnis carnem consumit et vermes nutrit. Unde Job (XVII, 6) : *Putredini dixi, pater meus es, mater mea et soror mea vermibus.* Et Apostolus : *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem* (*Gal.* VI, 8). Cohortes angelicæ simul et omnes sacræ paginæ partem rationis roborant, et carnem non prorsus defodiendam, sed ægrotantem medicinalibus remediis relevandam indicant. Hoc duellum sive certamen forte acrius insurgit, cum relicto sæculo tanquam Laban perfido et astutiis pleno spiritus redit ad Deum qui dedit illum. Subito itaque gratia adveniente sicut pluvia in vellus, ex recordatione suæ fragilitatis aculeo divini timoris compunctus homo totam humanæ substantiæ farinam cribro districti examinis subtiliter concutiens, et separans pretiosum a vili, non cessat usque ad auroram suæ et Dei cognitionis luctam reciprocare, et modo ad Deum sursum spiritum levare, modo ad ima et infirma carnis curam moderatam deponere. Supra modum autem et rationem temporis detinente impetus spiritus carnis procacitate, nervum femoris motus imo spiritus commotus percutit, et emarecescens nervus claudum efficit.

Duo pedes Jacob, id est carnis, sunt appetitus edendi et appetitus generandi : pene etenim ad omnia opera carnis deferunt et immergunt hominem gula et luxuria ; et quando æquis passibus inceditur gula et luxuria, curvos non rectos habet gressus homo, nec angelus infundit benedictionem, nisi nervo contracto alteri pedi detraxerit effrenationem. Detrahit igitur luxuriæ actum licet non auferat motum ; esse namque absque omni motu luxuriæ non esset claudicare, sed angelizare. Pes itaque iste remanet, sed decurtatus infra delectationem, vel saltem infra consensum, omnino infra actum. Pes vero gulæ remanet appetitu et actu ; non jam Jacob prioris conversationis, sed Israel assumptæ religionis. *Nequaquam*, inquit, *Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel* (*Gen.* XXIII, 28), translatus ad Rachelis amplexus, ut videas voluptatem Domini et visites templum ejus. Unde et in choris angelorum de te dicetur : *Ecce vere Israelita* (*Joan.* I, 47) imitatione, assecutione, congressione, contemplatione, benedictione. Beatus Bernardus vere Israelita est sancta conversatione, assidua corporis mortificatione, pastorali instantissima sollicitudine gregis sibi commissi, multiplicatione filiorum ex utraque uxore, necnon et ancillis procreatione, virgarum decorticatione in Scripturarum expositione in angelorum contemplatione.

SERMO LXXVII.

DE EODEM II.

Ecce vere Israelita in quo dolus non est (*Joan.* I, 47).

Ait Apostolus : *Non omnes qui ex Israel hi sunt Israelitæ* (*Rom.* IX, 6). Claudicat enim Israel nervo femoris percusso, cum semen ejus dividitur in paleam et gramen ; nam qui fidem et devotionem pinguedinis hujus olivæ intactam et illibatam servaverunt, reputantur in semine, et dicuntur vere Israelitæ. Qui autem mentiti sunt sicut opus olivæ, et claudicaverunt a semitis suis sequendo Baalim, et Deum creatorem suum ignorando, de quibus dicitur : *Israel autem me non cognovit* (*Isa.* I, 3), non habent partem in benedictione Israelis, non enim manent in radice. Rami siquidem sunt fracti, non sunt palmites manentes in vite, in ignem ergo mittendi sunt. Horum ergo merita solius subest scire Dei, cujus est Jacob eligere et Esau reprobare ; cujus est misereri quorum vult, et reprobare quos ignorat. Spiritus itaque Dei signans vestigia per quæ transitum facit in mentibus fidelium, singula hospitia ab itineribus æternitatis, singulas stationes fructuosæ visitationis, certas mansiones saluberrimæ inhabitationis gratiæ suæ, honestis intitulat nominibus et æternis illustrat remunerationibus. Oves enim suas vocat nominatim et Moysi loquitur : *Novi te ex nomine* (*Exod.* XXXIII, 12) ; et apostolis : *Gaudete et exsultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 20) ; et Isaias (LXV, 15) : *Et servos suos vocabit nomine alio*. Virtutem igitur in medullis animæ invisibiliter ipso operante latentem favore benigniori superaccendens lucernam, non sub modio, sed super candelabrum ponit, et fetum gratiæ ad partum producens secundum propositum suum propriis seu figurativis nominibus distinguit. Inde est quod in Novo et Veteri Testamento nominum non solum impositiones, sed translationes fiunt, ut Isaac, ut Jacob, ut Israel, ut Simon, ut filii Boanerges, id est *filii tonitrui*, ut Nathanael, de quo dicitur : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

Gutta hæc propinabilis et nimio appetitu gustabili fontis et venæ originariæ dulcedinem commendans ad historiam nos remittit, et cujus profunditatis atque habilitatis sit inquirere compellit. Fons itaque, seu puteus Jacob de quo dicitur, quod Jesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem, est historia Genesis ubi sic legitur, quod cum Jacob ad terram nativitatis suæ reverteretur, et timeret Esau fratrem suum, quod præmiserit munera ante, ut ipsum placaret muneribus. *Ipse vero nocte illa mansit in castris. Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores et totidem famulas cum undecim filiis, et transivit vadum Jacob, transductisque omnibus quæ ad se pertinebant, remansit ipse solus ; et ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit, dixitque ad eum : Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te nisi benedixeris mihi ; ait ergo : Quod nomen tibi est ? Respondit : Jacob. At ille : Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, etc. (*Gen.* XXXII, 20 et seqq.)

O Jacob, o Israel, quam felix congressio in qua victor succumbit, in qua victus feriendo luctatorem suum claudum efficit, sed benedicendo semen ejus et nomen angelis parificavit, in qua denique virtus infirmitate perficitur. Felix congressio, in qua infirmiori fortior, inferiori superior cedit ; ex patientia, non ex impotentia superior cedit et quasi succumbit ; summa virtus vermiculo et pulveri, ut habeat humana desidia unde divina apprehendat, et quasi inescata nullatenus a divino amore resiliat, dicens : *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Non petit aurum aut argentum pro lucta sua Jacob, non certat pro regno terreno, non est ambitiosus vanæ gloriæ, immemor est humani timoris quo timebat Esau, non petit caput Joannis Baptistæ : benedictionem postulat quam hæreditate possideat. Prægustaverat paternam benedictionem, docente Rebecca in oblatione cibi et potus, caligantibus præ senectute oculis Isaac, de propagine illius benedictionis ditissimæ in omnibus locupletatus fuerat, in uxoribus, in filiis, in familia, in gregibus ovium, caprarum, camelorum, boum, aliaque substantia multa nimis. Attractus ergo et illectus prima benedictione, tota intentione petit secundam, ut qui dedit ei substantiam, addat et gratiam. Nihili pendit substantiam, nisi habeat et gratiam. Jam de pinguedine terræ obtinebat substantiam, ideoque

instat et de rore cœli habere supernam gratiam : *Dimitte me*, inquit vir qui luctabatur cum eo, *jam enim ascendit aurora*. O si vellet robustissimus et fortissimus, cujus fortitudo rhinocerotis est, quam facili vento tanquam favilla absumeretur, et in regione dissimili asportaretur ! Sed quasi exæquans vires, celat potentiam suam et luctatoris sui extollit instantiam, dicens : *Dimitte me*. O jaculum amoris ! ut ardentem vehementius succendat fornacem, jacit aquam quæ non exstinguat, sed augeat flammam. *Dimitte me* dicit, sed ne dimittat incendit et intendit. Sic et Moysi ait : *Dimitte me ut irascatur populo tuo furor meus* (*Exod.* XXXII, 10). Annon sine licentia irasci posset ? Quis certe quærit irascendi licentiam ? Sed nondum vult pœnas irrogare pietas, quas populi meretur impietas. Dei ergo dicere homini : *Dimitte me ;* est hominis viscera tranquillius penetrare et tenacius se illi obligare ; admonitio est retentionis, non evaporatio discessionis. *Jam*, inquit, *ascendit aurora*. Quid est aurora, et quomodo ascendit aurora ? Est egressus mentis in contemplatione Dei ; aurora ascendit, quando nidum suum aquila, id est anima, super sidera ponit, quæ retro sunt oblita et ad anteriora extenta.

Post noctem ascendit aurora, ut Apostolus ait : *Nox præcessit*, *dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII, 12). Item : *Sive sobrii sumus*, *vobis* (*II Cor.* V, 13). Ecce nox nocti indicans scientiam. *Sive mente excedimus Deo* (*ibid.*) ; ecce aurora, ecce dies diei eructat verbum. Aurora est medium silentium ; aurora est dimidius cubitus in calamo dimensionis templi Ezechiel ; aurora est initium substantiæ Dei, aurora est confinium terræ et cœli, aurora est mons Sinai ubi Moyses ascendit et Deus descendit. Quid ergo est *dimitte me*, *jam* enim *ascendit aurora*, nisi sufficit tibi gratia mea ? nam virtus in infirmitate perficitur. Ideo percutit nervum femoris ejus, ne sic præsumat de velocitate, quomodo de fortitudine. Melius est post Deum claudicare et uno pede de Deo sperare, alio de se non præsumere, quam, dura et erecta cervice, inani præsumptione evanescere. Fixo itaque saltem uno pede stringit illum quasi cedrum, dicens illi : *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*. Grata Deo instantia, arrhas gratiæ, pignus reversionis, vicarium præsentiæ tuæ, dotem matrimonii, speculum contemplationis deposco benedictionem, aliter ; non dimittam te, quia venisti ad me, quia amplexatus es me, et passus amplexari a me. Non tenerem te, nisi venires ad me, non venires ad me, nisi diligeres me ; non deligeres me, nisi velles salvare me ; non salvares me, nisi benedíceres ; non ergo dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo : *Quod tibi nomen est ? Respondit : Jacob. At ille : Nequaquam*, *inquit*, *Jacob appellabitur nomen tuum*, *sed Israel ;* quia expertus sum te fortem in luctamine, constantem in petitione, mansuetum in percussione, castum in femoris enervatione, humilem in claudicatione ; *ne-*

A *quaquam Jacob appellabitur nomen tuum*, *sed Israel*. Benedictio mea mutat et res et nomina rerum, Jacob te appellavit natura, Israel te facit gratia, utrumque tamen prærogavit prædestinatio mea. Ut fratris plantam in utero teneres, non fecit mathematica constellatio, sed universa creans et gubernans divina moderatio. Ut subriperes benedictionem, non fecit fraudulenta matris consultatio, sed gratiæ præparatio, ut mecum luctam inires veni non casu fatali, sed descensu propitiabili ; non ut te vincerem, sed ut benedicerem ; nec invitus præsto, quod ut rogares suggero : differo autem conferre quod te charius volo servare.

SERMO LXXVIII.

DE SANCTO NICOLAO I.

B *Negotiamini dum venio* (*Luc.* XIX, 13).

Misericors et justus Dominus, qui dives est omnibus invocantibus eum, dispensatione inscrutabili dona sua partim donat, partim vendit ; ubi donat facit gratiam, ubi vendit apponit justitiam ; nulla avaritia, ubi gratia : veros justitia, non reddat pigros gratia, non diffusos justitia. Quæ necessaria sunt si forte differt dare gratia, pro pretio in medio profert justitia, nemo unquam juste pœnituit emendo a justitia, nemo frivolis deceptus promissionibus a gratia.

Vult ergo Deus pecunia gratiæ lucrari nos in contractibus justitiæ dicens : *Negotiamini dum venio ;* nolite liberum arbitrium ab officio cessare [*al.* C laxare] quia si non laboraret, de merito nil sperare auderet ; excitat ergo illud prævéniens gratia, ut ad solemnes et frequentes justitiæ nundinas concurrat, quatenus solatio ipsius revolvat justitiæ mercedes, et suis necessitatibus comparet escas et vestes sufficientes.

Nihil deest certe in foro justitiæ, quod necessarium sit saluti humanæ : discutiens igitur et excutiens tanquam veteres sacellos, prophetarum et veteris legis libros, tactu et visu probet quid utile sit mendicitati, quid nuditati, quid paupertati, quid usui, quid saluti, quid tranquillitati, quid delectationi, quid æternitati. Expandat in his prius quod suum est, rationi utique omnem substantiam, D ingenii, memoriæ, voluntatis, delectationis, oris, oculorum, aurium, manuum, pedum et omnium corporis membrorum : et cum viderit suum peculium minus sufficere, recurrat ad marsupium gratiæ ; nunquam enim minus commodabit gratia, quam potest vendere justitia. Pater justitiæ et fons gratiæ in sorte collata non sese excedunt, quia totum est gratiæ quidquid est justitiæ, et totum justitiæ quidquid est gratiæ : totum ergo comite gratia potes acquirere, quod venale proponit justitia.

Habet autem mercatores suos justitia, qui pannis vilioribus pretiosam circumtegentes supellectilem, obscuritate et vilitate verborum, sanctissimos recondunt sensus, et quominus meretrico apparatu lenocinantur oculis attendentium, eo verius intrin-

secus vigent utilitate, et pulchrius lucent deifica subtilitate. Quæ enim species paradisi non continetur in forello Psalterii, creationis et restaurationis humanæ? ad plenum ibi mysteria sunt; morum ibi sufficiens instructio, fidei integra contexio, pene omnium operum Dei et sacramentorum recapitulatio. Isaias autem quid nisi suavissimos odores plane aromatizat? Ezechiel funes intricantes vix explicat, nec illum sapit qui non solvit. Jeremias sub obscuro colore, peccata populi lamentatur; quisque prophetarum juxta suam sarcinulam, emptorem exspectat.

Moyses plures humero suo affert trosellos valde graves et importabiles; annuales his omnibus vix sufficiunt revolutiones: revolve et lege meliora id est lege et memoriæ commenda, quia grande lucrum est mandata Dei scire et facere; de hoc enim dicitur: *Negotiamini dum venio*. Qui legem Dei, non ut melior fiat, sed ut gloriosior appareat, legit; non negotiator est gratiæ, sed explorator vanæ gloriæ; nisi de lectione sensum bonum in intellectu reposueris, a foro vacuus redibis. Si vero bonitatem et disciplinam, et scientiam per lectionem et meditationem divinæ Scripturæ memoriæ commendaveris, non sine lucro ad propriam familiam remeabis? A Moyse igitur viro omni disciplina erudito, et inter omnes mansuetissimo, eme de prima sarcinula, quæ est in Genesi, unde, et quo, et qua venenis; scilicet de paradiso per inobedientiam, in mundano exsilio. In eadem considera delectabile arborum nemus, et in quatuor capita divisum paradisi fluvium et venam pretiosarum gemmarum, atque auras vitales et salubres uno deperditas peccato. Longiori textu perge contrectare usque ad benedictiones Jacob, singulas pro interjecta copula species valde utiles, vel ad remedium mali, vel ad compendium boni. Succedit huic... (94).

SERMO LXXIX.

DE EODEM II.

Negotiamini dum venio (*Luc.* XIX, 13).

Nullus scholarium Jesu omisso sapientiæ studio mundi et carnis curis animum suum involvere salvo suo proposito potest; rejicit siquidem, et a se abjicit torpens otium lex Dei: quæ inculta marcessit, neglecta putrescit, transgressa occidit. Id-circo die ac nocte meditanda, colenda est et servanda, ut doceat ad postes suos excubantem, colonum suum ditescat, obedientem regia torque exornet.

Diligit Deus legis suæ lectores et dilectores, et eo largius et latius arcani sui penetralia expandit pulsatus, quo vehementius deprehenderit discipulum quælibet frena laxare studii, ut mores magistri ebibat in mandatis suis, et a contrariis abstineat. In solemni igitur et copiosa frequentia pendentium ab ore ipsius scholarium, unum reperit præ cæteris, medullis suis commendantem præcepta magistri solertius, et exsequentem diligentius; hic iste est Domini confessor et episcopus egregius Nicolaus; cujus sanctitatis tam hilaris fama per mundum pene universum prædicatur, ut si merita famæ comparentur, et solemnis recursus gloriæ coæquetur, partem optimam in sorte sanctorum adeptus, de omnium sanctorum præcipuis privilegiis particeps et cohæres existat.

Vicino itaque pede disciplinam sequens magistri, castra sua juxta figit, et omnes motus tam animi quam corporis exactissima æmulatione ad ejus nutum corrigit, et ad jussum dirigit. Antequam ergo aure corporis perciperet: *Negotiamini dum venio*, præoperante gratia semitas ingressus pœnitentiæ, gulæ vitium infrenavit: et priusquam intelligerent spinæ rhamnum, videlicet culpa pœnam, præfocavit per pœnam, culpam. Hanc a cunabulis exercuit negotiationem, qua minori pœna et culpam minoravit, et meritum auxit; subjugato namque vitio gulæ, tolluntur arma luxuriæ, et tebescit passio corporis dum calor ventris languescit. Puerilis quoque desuetudo ab illicitis, viam sternit bonæ consuetudini regnaturæ; in majori ætate, ut utatur licitis moderatius, et resistat illicitis mordacius.

Quam impotens Nicolaus jacens sub ubere! quam potens abstinens ab ubere! Si a studiis suis intelligitur puer, quid infans et lactens? quid facies, cum poteris, qui tanta et talia facis cum nondum aliquid possis? quam cupidus, quam avarus in cœlestibus negotiationibus consurges adultus, qui vix natus jam confers manum primis in paradiso serpentinis suggestionibus et parentum nostrorum deceptionibus. Qui captat lucrum, evitare debet damnum; damnum vero enorme sustinuit genus humanum, cum Adam et Eva sumpserunt pomum. Sed quis hoc docuerat Nicolaum, quod ex hoc mors intrasset in mundum? Moyses quidem serpentis, jubente Domino, apprehendit caudam, Nicolaus gulam: ferocius invadit hostem, qui tenet gulam quam ille qui caudam, multum lucratur a quo tantus hostis superatur; universa enim arma in quibus confidebat aufert et spolia distribuit. Quasi vero tot spolia diabolus rapuit, quot sanctorum virtutes corrupit, non autem bonis aliorum se vestit, quem summa malitia induit, sed sufficit tulisse quod ipse nequit habere. Lucrum ergo se fecisse deputet, qui evasit foveam perditionis et laqueos evasit fraudulentissimæ deceptionis.

SERMO LXXX.

IN FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM.

Priusquam peccaret anima humana angelicæ puritatis æmulatrix, et velocitate sua excursus contemplationis supernorum spirituum assequebatur, et vivacitate ingenii de Deo non inferiora contemplabatur. Reficiebatur non dissimiliter munerum divinorum plenitudine, et plenissima insistebat coæquari æmulatione; at postquam madefacta cor-

(94) Desunt reliqua.

ruptione peccati, cœpit sentire gravedinem carnis, tardiores invenit volandi conatus, et nimium dispares cursus. Paulatim itaque ex defectu virium pristinarum enervata, languere in lecto corporis, et in carcere mundanæ conversationis non cessavit, donec pravæ actionis opprimeretur pondere et nequioris consuetudinis sepeliretur mole.

Ne itaque non habens monitorem, culpis increscentibus obdormiat in morte, tuba Moyses in littera et spiritu clangit; psalterium superni desiderii et citharam mortificationis puer citharœdus digitis ferit; lagenas Gedeon in martyrio sanctorum confringit; a somno in procinctu passionis Jesus apostolos compescuit : *Vigilate*, inquit, *ne intretis in tentationem* (*Marc.* XIV, 38). Qui enim tentationis igneas catenas formidat, somno abstineat; qui rursum si forte a concupiscentia sua abstractus et illectus, humanitus excesserit, statim resiliat, statim pedem retrahat, statim tanquam fortissimus Samson in virtute septiformis spiritus, novos funes peccati abrumpat.

Quandoque siquidem etiam ille cujus cor quasi leonis in Israel est, vanitate sæculi demulcente, caput in gremio deponit, et multum periculose obdormit; sic dormienti imo morienti pia piæ sollicitudinis providentia accurrit et succurrit : *Usquequo*, inquit, *piger, dormis?* (*Prov.* XXIV, 30.) O quam periculose dormitur, quando mundi delectationibus sine respectu plenitudinis anima oblectatur! Is namque intrat in tentationem, qui malum non deserit usque in finem; is de tentatione non exit, qui cum peccato animam solvit; is accedit non intrat tentationem, qui cogitat, non facit iniquitatem. O piger, o peccator, quousque dormis suggestione, delectatione, consensu et perpetratione peccati? Consule rationem, consule naturalem legem, consule optimam tui creationem, et desines amare sæculi vilitatem et vanitatem.

Usquequo, peccator, dormis? attende quanta comminatione, quanta utatur Moyses asperitate, ut te ab inertia revocet, ut te a sommo excitet; ubi enim lex divina accipitur, voces et lampades videntur. Levem certe somnum, alterum depelleret, sed gravem vix conjunctum utrumque removet : oculos lampas, vox aures excitat; attamen nec sic populus duræ cervicis expergiscitur : oculos enim, claudit ne videat, et aures aggravat ne audiat. Usquequo, peccator, dormis? respice et vide saltem illum in Evangelio qui aperuit oculos cæci nati; qui aures surdi reseravit, et prædicatione sua tanquam rugitu leonis torporem animarum repulit; ultra modum somnolentia absorberis, si miraculorum Christi accensa luminaria non aspicis; ut quid et voces leonum rugientium, et fremitus populorum sævientium adversus Christum non excutiunt somnum?

Usquequo, piger, dormis? Vigiles qui nocturnas agunt excubias, tam publicæ quam privatæ utilitatis solliciti, nimio somno depressos nimiumque soporatos exsurgere admonent, et ad opera diurna suadent, retardantes vero et pigritantes non simpliciter excitant, sed voce increpabili ingeminant : *Usquequo, piger, dormis?* tanquam si dicant : O piger, ruinam domus minatur et tu dormis? fures subintrant, et tu quiescis? ignis jam laquearia incendit, et tu non sentis? Jam hostes in caput tuum pugiones vibrant, et tu non percipis? jamjam guttur tuum laqueo est constringendum, et tu non expergisceris? jam adulter ad uxorem ingreditur, et tu non æmularis? filii jam deportantur, et tu non subvenis? Hæc damna tibi dormienti obventura, hæc incommoda nisi resipueris, occursura : denique etsi timor mali non excuteret, saltem lucri cupiditas, si piger non esses, inflammaret.

Celebrantur namque in foro nundinæ solemnes, et non curris? pulcherrima præparantur spectacula, et oculos claudis? præclara dividuntur spolia, et nihil petis? grande et splendidum exponitur convivium, et tu esuris? rex post triumphos innumerabiles in conspectu populi sui coronatur, et tu non convenis? regii thesauri universis indigentibus apponuntur, et manum non porrigis? speciosus sponsus sponsæ, quæ tota pulchra est, copulatur, et non aspicis? Usquequo, peccator, dormis? O quantum bonum perdis! o quantum malum incurris! Cœlum amittis, visionem gloriæ Dei, beatitudinem sanctorum, societatem angelorum, corporis immortalitatem, animæ felicitatem, paradisi amœnitatem. Et quæ pro his commutatio? fetor inferni, horror dæmoniacæ societatis, timor infiniti mali, dolor cordis et corporis, desperatio fortunæ melioris, subjectio pessimi tyranni, sempiterna renovatio supplicii.

Usquequo, peccator, dormis? nonne qui dormit, perdit hæreditatem? Quis est hic somnus, vel quæ hæreditas, aut quis tam piger et somnolentus? In Scripturis per somnum aliquando peccatum, aliquando mors intelligitur; unde in Evangelio : *Lazarus dormit* (*Joan.* XI, 11), subauditur in morte, et Apostolus ad Thessalonicenses : *Nolumus vos ignorare de dormientibus* (*I Thess.* IV, 13), hoc est de mortuis. Alias vero idem Apostolus de somno peccati sic : *Qui dormiunt nocte dormiunt* (*I Thess.* V, 7), hoc est qui male agunt, tenebras quærunt. Habet autem nox quatuor vigilias, vel quatuor somnos : primus somnus noctis, suggestio est inimici; adjungit primo secundum, qui præbet suggestionibus assensum, usque ad tertium non evigilat, qui malum perpetrare non dubitat. Sepelitur in quarto, cui dominatur consuetudo, etc.

SERMO LXXXI.

DE APOSTOLIS.

Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, etc. (*Luc.* XXII, 28.)

Verba sunt testatoris illius, cui Pater suus dixit : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tibi, et possidebis terminos terræ* (*Psal.* II, 8), ultimæ enim voluntatis, ultimæ dispositionis, et supremæ distributionis paginam condens, bona sua tam fi-

liis quam amicis et servis in hoc testamento legavit; et hæredes substituit, qui cohæredes essent in mensa, in judicio et in regno futuro. Ne quis autem superciliosus libellum testamenti calumniaret, et non jure, sed sola voluntate ductum, absque ratione hæredes institutos reprehenderet, causam et meritum præfixit, quare tantis muneribus apostolos suos Jesus honoraverit. *Vos*, inquit, *estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.*

Ecce labor, ecce opus, ecce fidei meritum, sequi hominem pauperem et inopem; qui non habebat ubi caput reclinaret; contra quem filii matris suæ Judæi pugnabant; cui Scribæ et Pharisæi insidiando invidebant; cui omnes detrahebant; cujus animam quærebant; quem de civitatibus suis frequenter expellebant, magnæ fidei magnique laboris erat. Hæc omnia Jesus tentationes suas vocat, quem nostræ non tangebant tentationes, quia in carne ejus nullus unquam surrexit stimulus peccati, in qua fomes originalis mali non absorptus; non præcisus solum, sed procul et ab ultimis finibus conceptionis et nativitatis prorsus fuit relegatus; tam enim Jesu pleno Spiritu sancto potuit accedere, seu penetrare motus illicitus carnis, quam Deum depellere de sede æternitatis flatus Luciferi, quo aspiravit sedere in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Potuit tamen tunicam mortalitatis assumptam perforare, laniare, discerpere, et etiam exspoliando, cum permissione benignitatis, et cum patientia incomprehensibilis dispensationis detrahere.

Has malignorum Judæorum influxiones, et insultationes appellat tentationes suas. *Vos*, inquit, *estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Vos*, notat divinam electionem, quæ elegit eos ante mundi constitutionem. *Qui permansistis*, notat constantiam et perseverantiam illorum. *Mecum*, notat unanimem affectionem et specialem dilectionem. *In tentationibus meis*, notat nihil inesse adulationis, nihil fictæ et effeminatæ mollitiei, sed firmissimæ stabilitatis et probatæ fortitudinis, quales fuerunt Caleb, et Josue exploratores terræ, quales erunt ad pugnam cum Gedeone; quales David constituit consortes belli et principes populi.

Sequitur: *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Luc*, XXII, 29), grata quidem Deus acceptat obsequia, sed non vacua, nec irremunerabilia, unde et Laban ait Jacob: *Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipies. Habebat autem duas filias, nomen majoris Lia, minor appellabatur Rachel; sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie et venusto aspectu* (*Gen*, XXIX, 15). Si pio et puro intellectu discutiente penetralia hujus litteræ, gratia reseraverit; cantum consonum hæc cithara cum psalterio David modulabit, fratres suos apostolos Dominus appellat, dicens: *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10); horum servitium, A qui nullius eget, penes se remanere sublata spe remunerationis non patitur; unde et Petrus cum dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* adjunxit: *Quid ergo erit nobis?* et Dominus: *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis*, etc. (*Matth.* XIX, 27.)

Alibi quoque cum dixisset: *Vos autem quem me esse dicitis* (*Matth.* XVI, 15), et Petrus respondisset: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*ibid.*, 16), simili pene verborum ordine subjunxit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, etc. (*Ibid.*, 18.) Cum ergo dixisset: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis;* addit: *Et ego dispono vobis*, etc.; animadverto in hac recompensatione duas filias Laban; unam in B mensa, alteram promissam in regno; majorem, id est priorem, in mensa; minorem, id est sequentem in regno. Lippam oculis in mensa, decoram facie et venusto aspectu in regno: inde est quod ex adverso mensæ ponitur in tabernaculo candelabrum, ne desint usquequaque mensæ Dei subsidia lucis; quæ stat in latere aquilonis, unde venit ventus turbinis, a principe namque tenebrarum, qui sedet in lateribus aquilonis, cæcitas ex parte contigit in Israel, ne videatur gloria Dei in hoc mundo, nisi in nube sacramentorum.

An mensa igitur altaris Lia, licet major natu in promissione, cum dicitur: *Ut edatis et bibatis super mensam meam* (*Luc.* XXII, 30); laborat tamen vi- C dere quæ ibi apponuntur et consecrantur, sed non potest, non propter defectum existentis in illo sacramento veritatis, sed propter detrimentum luminis; nunc enim videmus per speculum ex candelabro fidei, et in ænigmate opertorii, quod est species panis et vini; verumtamen cum septem dies transierint, et venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est; tunc in regno claritatis, non stando et laborando edemus et bibemus, sed sedebimus judicantes duodecim tribus Israel; tunc Rachel copulabitur nobis decora facie et venusto amictu. Sed quia adhuc in via sumus et sine viatico deficimus, ad mensam divitis redeamus, et qui de mensa, vel sub mensa, vel in mensa, vel ad mensam vel super mensam communicent videamus.

Super mensam namque indubitanter est ille de D quo ait Apostolus: *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus* (*Hebr.* VII, 26). Christus utique Jesus, qui est hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata; hostia pura ab originali peccato; hostia sancta ab omni actuali; immaculata ab omni etiam veniali. Agnus enim est Dei qui non tangit, sed qui tollit peccatum mundi. De mensa edunt universæ familiæ Christianorum, qui per fidem sunt in corpore, et de corpore Christi; cibus namque hujus mensæ est gratia, quæ pro omnibus gustavit mortem, ut morte absorpta omnes gustarent vitam; unde: *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illis in toto orbe; aperis tu*

manum tuam, et implebuntur omnia animalia benedictione (*Psal.* CXLIV, 15).

Grave et grande damnum patitur omnis actio, quæ non fit tempore opportuno; unde Salomon: *Omnia tempus habent* (*Eccle.* III, 1); si fornicatione, si adulterio, si immunditia non nominanda pollutus, sacramento Dominici corporis et sanguinis te ingesseris; non dat tibi Deus escam, quia non dat nisi in tempore opportuno; si odio, si ira, si iracundia, si quo criminali depressus, accesseris sanguini Christi; scias quia vestimentum tuum sanguine tali mistum, in combustionem erit, et cibus ignis. In tempore igitur opportuno accedit ad Deum lotus vestimentis; aqua confessionis et compunctionis emundatus a delicto maximo, id est ab omni criminali, fidelis, devotus, esuriens et sitiens justitiam; unde ait Moyses ad populum: *Estote parati in diem tertium, ne appropinquetis uxoribus vestris* (*Exod.* XIX, 15). Si non licet appropinquare uxoribus, licet commisceri meretricibus? si abstinendum est a licito concubitu uxorum, estne admittendum stuprum nefandissimum masculorum et belluarum? Mira Dei patientia, crudelius transfigitur manibus et ore talium, quam flagellis Pilati, quam lancea militis, quam Judæorum spinis et militum clavis.

Tales non sunt de mensa Domini, quia non sperant in illum; sed qui sperant in te, Domine, tu das illis escam in tempore opportuno; unicuique secundum propriam virtutem; Petro et Andreæ panem in ligno; Stephano in lapidum congerie; Laurentio panem in craticula; singulis martyribus singula tormenta, tanquam passionis suæ et crucis minuta fragmenta; unde in Evangelio: *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant* (*Joan.* VI, 12); id est ne martyres a passionibus immunes transeant, cum ipse panes fregerim, et quidquid pœnæ temporalis est, in corpore meo pertulerim. Dat itaque escam in tempore opportuno, non uno simul, sed toto sparsim tempore martyres suos mittendo et disponendo in Ecclesia catholica; isti vero non solum sunt de mensa, sicut grex et familia indocta, sed sunt in mensa, et ad mensam, et super mensam.

Sub mensa vero publicani et peccatores, qui sicut canes famem patiuntur et convertuntur ad vesperam, dicentes cum illo evangelico Pharisæo: *Domine, non sum dignus levare oculos meos ad cœlum* (*Luc.* XVIII, 13); et: *Non sum dignus vocari apostolus* (*I Cor.* XV, 1); et: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Matth.* VIII, 8). Isti nec a mensa recedunt desperatione sicut ille qui dixit: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear; ecce ejicis me hodie a facie terræ et a facie tua abscondar* (*Gen.* IV, 14). Nec irruunt ad mensam fronte meretricis et rabie immoderata, sed tempus opportunum exspectant, ut cum filii saturati fuerint; excutiat pater bonus sinum suum, et micas quæ non negligentia, sed copiosa abundantia in gremium distillaverat, canibus quasi non ex industria projiciat. Sic itaque catelli et canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Levitæ ad mensam Domini accedunt, universa vasa sanctuarii, tam in manibus quam in humeris portantes; portiones bonas isti obtinent de mensa Domini; primitias enim spiritus jam habent in fide, et decimas in spe denarii, qui laborantibus in vinea promittitur et datur.

In mensa sunt qui Deo semper assistunt, et de adipe frumenti medullam sumunt, melque de petra, et oleum de firma petra sugunt: ii sunt sacerdotes et filii Aaron, qui jure Patri succedunt: labia habentes coccinea de sanguine uvæ et morum; dentes eburneos et hebeninos, de castitate divinorum eloquiorum; vestem nuptialem de charitate Dei et proximi, de qua profluunt myrrha mortificationis, gutta humilitatis, cassia spei, et devotionis, et orationis; unde: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* (*Cant.* IV, 11): ab his quoque procedunt, tanquam de throno, fulgura excommunicationis, voces exhortationis et tonitrua comminationis æternæ damnationis, etc.

SERMO LXXXII.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

In illa verba: *Videte, vigilate et orate* (*Marc.* XIII, 33).

Nec securi esse debemus spe vana, nec torpere fallaci desidia; in altero seducimur, in altero opprimimur, præmium sperando quod nunquam meruimus operando. Opprimimur cum nulla circumspectione solliciti, repentina morte ad causam æterni judicii evocamur. Contra vanam securitatem dicitur: *Beatus homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII, 14). Qui autem mentis est duræ corruet in malum. De corpore damnoso dicit Salomon: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate cum venerit super eum repentinus interitus* (*Prov.* XX, 5). Dominus itaque qui vult omnes homines salvos fieri tollens securitatem et torporem excutiens, ait: *Videte, vigilate et orate.* Videte contra ignorantiam, vigilate contra diaboli fallacem muscipulam, orate divinam clementiam. Parum namque est nosse quid sit faciendum, parum contra inimicum castra ponere, nisi Dei sapientia et Dei virtus ministraverit consilium et auxilium: solus Deus illuminat tenebras nostras; solus qui docet manus ad prælium et digitos ad bellum, qui est fortitudo nostra et firmamentum et refugium.

Ut itaque si cæcus es lumen recipias, quære lutum et sputum Domini? Si lippus, collyrio inunge oculos tuos; si oculus turbatur, aqua patientiæ fomentando, madefacias illum, et manutergio mollis responsionis terge illum; mollis enim responsio frangit iram. Sputum Domini est saliva descendens ad os a capite, sapientia utique quæ incarnata descendit ad nos a Patre luminum et lutum ex divina et humana conficiens per unionem, non per confusionem naturarum, cæcum natum per originale peccatum genus illuminavit humanum, quod in Evangelio quærenti quid vis ut faciam tibi? respondit:

Domine, ut videam : cujus oculus tam cæcus quem candor lucis æternæ, splendor gloriæ, sol justitiæ tantæ miserationis radio expulsa caligine non illustret? Infidelitas oculos clausit, fides aperuit; linivit oculos cæci Dominus, cum credere docuit : abiit qui obedivit, lavit qui baptismum suscepit, vidit qui suum Creatorem agnovit : *Vacate*, inquit, *et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV, 11).

Quare occupas, quare dividis, quare diminuis, quare dimidias intentionis oculum erga multa et circumscriptibilia? centuplicatus et mundificatus tam incircumscriptum comprehendere non posset. *Vulnerasti*, ait sponsus, *cor meum, soror mea, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui* (*Cant.* IV, 9). Noli altero oculo me, altero ad alterum respicere, quia melius est cum uno oculo ad vitam intrare quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Unum tantum habet oculum, qui nil amat præter Deum et propter Deum; hic vulnerat cor Dei, quia licet fragilis et peccator, penetrat viscera Dei; nec dolet ex hoc vulnere Deus, cum plaga ista non sit doloris sed amoris; non sit incurabilis morbo, sed sanabilis verbo. O anima, quid videbis ingressa per hoc foramen, per hoc vulnus, per hoc ostium apertum amicis, clausum inimicis! Utique quod non licet homini loqui non per venas susurril.

In vinea hujus contemplationis, licet uvas comedere, extra efferre non licet : *Sicut adipe et pinguedine*, ait Psalmista, *repleatur anima mea* (*Psal.* LXII 6). Quid deinde, afferesne et efferes partes exspectantibus nobis fortis cum asino sensualitatis, exponendo et exprimendo, quæ gustaveris? nequaquam sed labiis exsultationis laudabit, non enarrabit os meum, propterea velamen positum est super faciem Moysi, cum egrederetur a consortio et colloquio Dei. Unde Apostolus : *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12). Videre ergo non possumus quia lippos habemus oculos, et superfluis et viscosis humoribus tum de fragilitate nostra, tum de consuetudine mala. Collyrium proinde quærendum, pro causa et effectu morbi conficit medicus emplastrum collyrii. Accusat se peccator, audit sacerdos, deplorat ille suam ægritudinem, adhibet iste compassionem et apponit sollicitudinem juxta culpam; apponit pœnam non supra posse acredinem pœnitentiæ infundendo, sed infra medendo et modum medicinæ temperando.

Male sanat vulnus, qui in confessione apponit vulnus super vulnus, dum nimis pœnitentiam, vel aggravat, vel extenuat, in altero austerus, in altero dissolutus; utrumque vitium cavet Samaritanus cum imponit saucio oleum et vinum. In oleo mansuetudo consolationis, in vino intelligitur mordens increpatio satisfactionis. Sic tergenda est lippitudo peccati, ne suffundatur pupilla affectus pœnitentis. Melius est ut remaneat aliquid de lippitudine, quam ut tollatur præ nimio pondere correptio pœnitentiæ. Peccata itaque sua confitentibus dicendum est: *Videte, vigilate et orate;* videte injunctam pœnitentiam; vigilate contra culpam, ne canis revertatur ad vomitum; orate veniam, ne judex vos tortoribus tradat donec reddatis usque ad novissimum quadrantem malorum et pœnarum.

Videte mortem, videte infernum, videte diabolum, mors avara, amara, cruenta, horrida, fœda et fetida; avara quia unum est de quatuor insaturabilibus, universum genus hominum devorans, nec famem sedat, nec ventrem implet, gustu suo avidior redditur; et quot genera in mundo habet mortium, tot quasi in mensa sua præparat genera ferculorum. Amara est nullum fel morte amarius, non solum consumit carnales delectationes, quin etiam convertit in amarissimas amaritudines. Cruenta est ut fera pessima quæ sanguine vivit, et nil aliud quam sanguinem sitit a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Christi : certe et usque ad sanguinem Antichristi non est effusus sanguis quem mors non lambuerit et non absorbuerit. Horrida est, mortem horret non solum animal rationale, sed omne etiam irrationale; corpore mortui hominis quid horribilius? fœda est, equum pallidum in Apocalypsi sequebatur mors quæ quidquid pulchrum est denigrat, et in se quidquid abominationis et turpitudinis est conglomerat. Fœtida est, cadaver putridum, non solum humorem corrumpit, sed et aerem; facies ejus corruptio, manus ejus quæ operantur in luto animati corporis et in latere exanimati exsecratio. Posteriora ejus, intolerabilis abominatio.

Hæc mors dissolvit quod Deus conjunxit, quæ in inferno depascit animas quæ in sepulcro desuper ossibus nervos et carnes tollit, et usque ad immundissimum pulverem redigit. Ergone timenda est, aut fugienda, aut contemnenda? Timenda equidem, nam timor mortis conturbat me; fugienda quoque, sed cum discretione. Est siquidem aliquando appetenda sicut Elias ait : *Tolle animam meam* (*III Reg.* XIX, 4); et Apostolus : *Cupio dissolvi* (*Philipp.* XII, 3). Aliquando suscipienda sicut apostoli et martyres pro fide defendenda; aliquando fugienda, sicut puer Jesus fugit in Ægyptum, et Paulus in sporta demissus evasit manus Damasci præpositi; quando de morte nullus fructus susciperetur. Contemnenda est ergo velut transitus ad meliora etsi difficilis, tamen utilis; nam ad vitam non est transitus nisi per mortem. Cavendum vero mortis naufragium quod demergit naufragum usque ad profundissimum infernum.

Jam itaque videamus infernum quibus ferveat flammis, quibus congeletur stridoribus, quibus sordescat spurcitiis, quibus nares impleat fetoribus, quibus usum offendat deformitatibus, quibus torqueat habitatores suos doloribus, quibus pereffluat enormitatibus : denique quibus abundet calamitosis cruciatibus. In inferno nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; in inferno sunt tenebræ exteriores, ibi fletus et stridor dentium; in inferno

stramentum tinea, operimentum vermes qui non moriuntur; in inferno vox Domini intercidentis flammam ignis, et flamma illa ardebit et non lucebit. In inferno ab aquis nivium transibunt ad calorem nimium; in inferno damnati, sicut oves positi sunt, mors depascit eos; in inferno Deus quis confitebitur tibi?

Infernus locus est leonum, cubile draconum, mansio dæmonum, patibulum damnatorum; infernus incus est malleatorum, ubi conquassantur capita multorum, ubi supplicium suppliciorum, ubi malum excedens terminum, tam tempore quam mensura pœnarum, ubi cruciatus, qui semper afficit, nunquam deficit; sufficit de inferno. Videamus quem utinam nunquam videamus diabolum principem, non jam post judicium hujus mundi, sed tantum inferni! Licentia hactenus vaga, sed tunc reclusa quo breviori abutitur potestate, eo acriori insanit severitate. Appenditur in statera, et invenitur minus habens tam in gente quam in orbe. Refrenabitur potestas decipiendi, non voluntas nocendi; Job a planta pedis usque ad verticem percussus a Satana, tanquam sub aspectu viderit quem fortiter pertulit, sub specie Behemoth describit eum singula membra ei assignans, quibus multiplex illius malignitas typice demonstratur. Prolixa est ejus descriptio, sed nequitia gravior et prolixior fenum quasi bos comedet, etc.

SERMO LXXXIII.

SYNODALIS.

Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum et annuntiabis eis ex me: si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via sua mala et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram (*Ezech.* III, 17, 18).

Grande damnum est periculum animarum, nil est tanti in creaturis sub sole quod tantum damnum possit resarcire. Creator et Redemptor animarum optime novit earum pretium; primo quia, antequam crearet, constitit ei de pretio creandarum, ab ipso enim statutum est pretium, a quo causa eis et principium; deinde solvendo in redemptione pretium, et si non certius, tamen laboriosius didicit quanti essent quarum non solvetur obligatio nisi Domini cœli et terræ interveniret crucifixio. Res igitur arva et summa tractatur, ubi de anima agitur. *Quam*, inquit Christus, *commutationem dabit homo pro anima sua?* (*Matth.* XVI, 26.) Item: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, se ipsum autem perdat et detrimentum sui faciat?* (*Ibid.*) Legislator quoque Moyses æquitatis interpretatione multis casibus commutationes quasdam in lege admittit ut ibi: *Primogenitum asini mutabis ove* (*Exod.* XIII, 13). Ubi autem mentio fit de anima percussa et occisa, nullum nisi par occurrit ei remedium, scilicet ut sit anima pro anima.

Pensate igitur, o vos rectores animarum, quale suscepistis depositum: et sane sapiatis, quia tutius est resignare sanum, quam simulata et ementita custodia penes vos habere demolitum et male servatum. Non vos alliciant emolumenta præsentium subsidiorum, quia non sunt illa appetenda subsidia, quibus æterna mendicitas comparatur, quibus æternæ miseriæ, in quibus non subsistitur, commutantur. Audite proinde explanatam, nec explanandam quæ hoc dicit, Dominicam sententiam: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*, usque *sanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Usque ad nubes, usque ad sidera sacerdotalis dignitatis exaltatur solium, sed in fine si ruinam fecerit deprimitur usque ad gehennale sterquilinium, juxta illud: *Elevans allisisti me* (*Psal.* CI, 11). Est in appetitu elevatio, sit in aspectu mentis tam pœnalis et damnosa allisio. Ecce alter Deus in terris est sacerdos: solvit Deus peccata, solvit sacerdos; benedicit Deus, benedicit sacerdos; aperit Deus cœlum, aperit sacerdos; absolvit hominem Deus, absolvit sacerdos; damnat Deus, condemnat sacerdos, Deus Pater ineffabiliter Verbum de se genuit ab æterno, consubstantiale sibi; sacerdos et in hoc, sed a longe, imitatur eum (quod tamen simplicius dicendum et sobrie prædicandum est) quando divinissimis in missa verbis prolatis, corpus illi verbo, quod est Filius Dei personaliter unitum, conficit et propria manu fidelibus populis in salutem distribuit, sicut et Deus misit eum redemptionem populo suo.

Quæ ista dignitas vestigiis sic inhærere divinis, et justitia præeunte e vestigio sic in via ejus ponere gressus suos? Quid ultra et quo ultra? omnia insignia sua quæ tradi debuerunt et potuerunt Ecclesiæ suæ, et præcipue sacerdotibus, reliquit Dominus. Sic enim Jonathan et David inierunt fœdus pacis et amicitiæ perpetuæ; sic Christus cum Ecclesia sua, quam sicut ibi dicitur: *Diligebat ut animam suam* (*I Reg.* XXXVIII, 1); nam animam suam posuit pro ea. Dicitur etiam ibi quia exspoliavit se Jonathan tunica qua erat vestitus, et dedit eam David et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum et usque ad baltheum. Inclusive non exclusive legendum est, *usque*; nam filius regis Jonathan de palatio suo et gloria compassus puero David, id est Ecclesiæ, qui adhuc pauper et exsul huc atque illuc fugitabat dum peregrinatur in terris, tunicam suæ humanitatis, quam vestiverat in dispensatione incarnationis, tradidit pro ea moriens: et corporis sui sacramentum in cœna tradens; et reliqua vestimenta, id est omnia quæ gessit et dixit in hoc corpore; et gladium suum, id est potestatem ligandi et solvendi, sive prædicandi; et arcum, id est Scripturam et Evangelium; et baltheum, id est continentiam evangelicam de qua dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 3), sed nomen suum Jonathan David nequaquam imposuit.

Christus vero nec nomen suum de gremio sponsæ suæ tulit, sed pene omnia nomina sua absque invidia communicavit; unde hic dicit: *Fili homi-*

nis, speculatorem dedi te. Quo se alio nomine toties in Evangelio appellaverit? quoties Filium hominis non succurrit memoriæ? et hoc tam solemne nomen principaliter episcopis, secundario omnibus sacerdotibus indulsit. Unde et episcopus superintendens, id est *speculator* interpretatur; et minores sacerdotes, qui licet non habeant plenitudinem potestatis, tamen vocati sunt in partem sollicitudinis, eamdem accipiunt sollicitudinem speculandi cum cura regendi populi. Hic vero Filius hominis de specula cœli speculatur super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum; speculatur et conscientias omnium hic astantium bonæ an malæ sint, mundæ an immundæ, devotæ an indevotæ. Speculatur speculatorem utrum stet in specula sua totis diebus et totis noctibus, utrum clamet sicut leo fortiter. Hoc enim officium est speculatoris, vigilare, aspicere et clamare assidue, et in sublimiori stare vel sedere. In vigiliis notatur sollicitudo, in aspectu sive contuitu lectio et contemplatio, in clamore prædicatio in altiori statione religio. Excludit sollicitudo negligentiam, lectio ignorantiam, contemplatio sæcularium negotiorum curam, prædicatio excitat timorem et amorem divinum, religio informat mores sibi commissorum.

Attende antistitem tuum, fili hominis, sacerdos magne et parve, intende quomodo non solum in cœlis semper stat in specula sua, sed etiam in terris quasi in specula in montem frequentissime et ascendit, docet, orat et pernoctat. Denique in monte transfiguratur ante apostolos, de monte ascendit ad cœlos: ascendit quoque in specula, cum valefacturus mundo in cruce subiit et obiit, ut doceret vos usque ad mortem defendere dignitatem sacerdotalem, sursum cor ad cœlum levando, non ad turpes quæstus declinando. Fili hominis, fragilitatem tuam attende, et viscera miserationum in pauperes, peregrinos, viduas, orphanos, egenos, infirmos, afflictos quacunque calamitate, habe; fili hominis peccata sua confitentibus compatere, congemisce gementibus, condole dolentibus, collacrymare lacrymantibus, et collabora laborantibus, conjejuna jejunantibus, allevia pœnitentiam corde contritis, et in immensum de peccato verecundantibus.

Fili hominis, in alienis cognosce te ipsum. Fili hominis, sis humilis, non arrogans et superbus, ut qui tremens et timens sævitiam medici et medicinam animæ suæ antequam accederet expavescebat, a te exhilaratus super bona et affabili exhortatione meliori spe rediturus abscedat; et tamen speculatorem dedi te domui Israel, fili hominis, ut naturæ compassionem, vitiis rependas rectitudinem; sic solve illaqueatum, ne incurras laqueum; sic purga foveam, ne cadas in eam; sic oleum sauciato appone, ut vinum carnem mordeat putridam. Fili ergo hominis, speculatorem dedi te. Cui? domui Israel. Cui? vineæ meæ: vinea enim Domini domus Israel est.

A Ecce vinea Domini plebs Christiana, Ecclesia Catholica: in hac est botrus ille cypri grandis valde quem in vecte crucis duo homines, duo populi suspensum de terra promissionis attulerunt ad demonstrandam fertilitatem terræ, ut plantetur, ut colatur, ut putetur, ut fodiatur, ut cingatur, ut claudatur, ut custodiatur ab avibus, a furibus, a vulpibus; ut colligatur ut torculetur et vinum salvetur. *Speculatorem dedi te domui Israel.* Plantetur itaque per regenerationem baptismatis, colatur per instructionem sanctæ religionis, putetur per amputationem carnalis desiderii, fodiatur per confessionem cordis et oris, cingatur vel ligetur per districtionem sancti propositi, claudatur per remotionem sæcularis conversationis, custodiatur per auB xilium angeli et prælati sui, colligatur per resignationem bonorum operum et meritorum ab angelo in die judicii, torqueatur interim in torcularibus mundanæ tribulationis, reponatur in doliis æternæ felicitatis, quod vobis præstare dignetur Jesus Christus Domini qui vivit et regnat.

SERMO LXXXIV.

SYNODALIS.

Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos (*Matth.* VII, 6).

Stultum et impudicum est ad mensam Domini vel communicando ei, vel disponendo de illo, non vocatum accedere; temerarium et præsumptuosum, per excommunicationem repulsum se ingerere; infidum et damnosum, vocatum cum mala conscientia C irreverenter confidere. Præsumptio in primo, protervia in secundo, injuria in tertio damnatur; de primo dicitur: *Nemo sibi sumat honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* V, 4); de secundo dicitur Adæ: *Ne comedas de ligno scientiæ boni et mali* (*Gen.* II, 17); de tertio: *Cum intraret rex ut videret discumbentes*, etc. (*Matth.* XXII, 11.)

Primus cum venerit ad eum amicus suus de via, id est animus ad se ipsum conversus fuerit de ignorantia, non habet licentia sacerdotali quod ponat ante illum recreandum et redimendum; secundus ad vesperam conversus, famem patitur ut canes, quia de peccato confusus, cum venerit ad Babylonem, ibi liberabitur; tertius quia indigne mandu-D cat et bibit, judicium sibi manducat et bibit. Primus infidelis; secundus excommunicatur ab Ecclesia; tertius hypocrita et nequam, cujus contaminatur mens et conscientia; de primo quia jam judicatus est, tanquam non habens loqui et judicare; Dominus agit de secundo et tertio sic: *Nolite sanctum dare canibus*, etc.

Videndum est de hoc sancto et de his margaritis, et sciendum quia diversæ sunt significationes hujus nominis: *sancti;* sanctum enim non solum dicitur in animatis, sed etiam in inanimatis, ut terra sancta, locus sanctus, ignis sanctus, vasa sancta, et similia. Dicitur et Deus sanctus, et angelus sanctus, et homo sanctus, et corpus Christi sanctum et Evangelium sanctum. Locus dicitur sanctus,

primo quia ibi gesta sunt, vel geruntur, vel gerenda sunt quæ pertineant ad sanctificationem; sicuti ubi Dominus crucifixus est; ubi conficitur corpus ejus, ubi in rubo apparuit Moysi; ignis sanctus, vel quia de cœlo venit, vel quia in holocaustis et sacrificiis divinis tantummodo habebatur, et lucernis illustrandis; vasa sancta, quia ab humanis usibus separata, divinis tantummodo exhibebantur obsequiis.

Dicitur Deus sanctus, quia omnia sancta sanctificat; angelus sanctus in bono confirmatus, voluntati divinæ assidue famulatur; homo sanctus, quia initiatus sacræ regenerationis mysteriis, connumeratur civibus curiæ cœlestis, corpus Christi sanctum, quia operatione Spiritus sancti per ministerium sacerdotale, visibilis materia in visibilem et veram substantiam conversa corpus Christi, quod de Virgine sumptum dicitur, creditur, et certo certius tenetur; Evangelium sanctum, quia promissione cœlestium, et præsenti sanctificatione credentium mentes sanctificat. Specialiter igitur de verbo Evangelii, et corpore Christi dicitur : *Nolite sanctum*, etc.

Sed in canibus quid possumus intelligere, nisi rapaces, nisi avaros, nisi gulosos, nisi ad vomitum, id est ad peccatum reversos? Quid vero in porcis, nisi immundos, nisi brutos, et nunquam honestati deditos? O quam pretiosos et speciosas margaritas in foro suo rex virtutum et negotiator animarum hodie Christus Jesus exposuit! si dederit homo omnem substantiam domus suæ, et comparavit saltem unam margaritam, non pœnitebit in æternum, quia thesaurus desiderabilis est, imo inæstimabilis. Prima autem est absolutio peccatorum; secunda, reconciliatio pœnitentium; tertia, chrismatis confectio; quarta, corporis et sanguinis Domini consecratio; quinta, pedum ablutio; sexta, præclara illa Domini et saluberrima prædicatio; septima passionis inchoatio. Nullum has attingit pretium, quia omnes et singulæ superant omnem, non solum censum, sed et sensum.

Utquid tamen mercator noster illas attulit et protulit, nisi forte quia non vendere sed dare voluit? annon ita Paulus in humeris suis plenos deferens saccos hujusmodi margaritarum hoc insinuat, quod potius venerit ad forum nostrum dare quam vendere, dicens : *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei?* (*Rom.* xi, 29) et item : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* iv, 7.) Non est igitur gloriandum de acceptis quasi de propriis, imo, qui gloriatur, in Domino glorietur, et de gratuitis ejus beneficiis gratias referat; et quod gratis accepit, gratis fidelibus tribuat, non canibus vel porcis. Caveant et singuli ne tanquam canes accedant ad sancta, aut tanquam porci devorent ea; sed se probent et examinent confessione et pœnitentia, ut mereantur sanctificari et sancti percipere sancta.

SERMO LXXXV,

SYNODALIS.

Si ego Dominus, ubi est timor meus? et si ego Pater, ubi est honor meus? (*Malac.* i, 6.)

Valde superbus est, qui dedignatur talem Dominum, valde ingratus et insanus, qui respuit tanti Patris, tam benigni affectum : rationis perdidit donativum, qui mavult repugnare Deo quam servire, cum jugum servitutis illius ille nec tunc possit excutere, cum elegerit fugere; duriori servit refuga virtute quam sequipeda; sola namque pertinacia crudelius afficit reluctantem quam obsequentem. Est certe fructus optimus boni servi fecisse voluntatem domini sui, sic nempe nec ad oculum serviens fidelis servus et prudens, habens etiam oculos in manibus ejus, assidue orat et dicit : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* (*Psal.* cxlii, 10). Ac denuo ad imperium Domini proficiscens, et ad verbum ejus figens tabernaculum, tanquam hircus apopompeius, paratus quamlibet petere solitudinem, et subire difficultatem dicit : *Domine, quid vis me facere?* (*Act.* ix, 3.)

O vos Domini sacerdotes, servi non quilibet vel cujuslibet; sed peculiares servi Jesu Christi, quorum officii est non lateres Pharaonis componere, sed Ecclesiam in augmentum corporis Christi super petram solidi firmamenti cœdificare, nec carnes taurorum super struem lignorum pelle detracta, et per frusta concisas concremare, aut sanguinem hircorum libare, cornuaque altaris cruore vituli madefacere; sed carnes Agni incontaminati et immaculati Jesu Christi in sacramento panis et vini vivifica divinorum verborum virtute consecrare, et sanguinem in quo anima Christi significatur, repræsentare, angelicasque virtutes ad auxilium per hujus sacramenti virtutem inclinare; quæ nobilitas, quæ libertas, quæ ingenuitas huic nostræ servituti poterit comparari? Adeo enim gaudet ineffabili generositate, non sacramentali solum, sed etiam temporali conditio sacerdotalis, quod de servili genere quilibet procreatus nunquam ordinetur, nisi prius manumittatur; quatenus nesciat habere hominem Dominum, qui soli famulaturus est Domino Deo exercituum.

Unde Petrus apostolus : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (*I Petr.* ii, 9); genus, inquit, electum; revera tanquam tribum Levi de duodecim tribubus, tanquam grana meliora de universa segete filiorum hominum, tanquam David de cunctis fratribus, tanquam oves de hædis, tanquam lapides pretiosos de innumerabili arena maris, tanquam monetam probabilem et regiam de acervo multarum monetarum, tanquam lilium convallium de filiabus Chananæorum, quas odit anima Isaac; tanquan stellas præclaras in perpetuas æternitates elegit. Vos, o sacerdotes Domini, de plebe non electa et electa, non dilecta et dilecta, non sua et sua, genus electum non reprobatum, genus electum non abjectum genus

electum non sordidum, genus electum non maledictum, genus electum in opere, in sermone, in cogitatione; genus electum in radice, in flore, in fructu; genus electum in sanctificatione et honore; genus electum ad ministerium apostolorum, ad testimonium martyrum, ad consortium confessorum, ad æmulationem virginum, ad societatem angelorum.

Inde genus electum, regale sacerdotium, distinctione longa duæ istæ propagines Israeliticarum dignitatum, metas proprias multo tempore tenuerunt et licet cognatione excellentioris gradus mutuo sese aspicerent, non tamen conjunctione aliqua, nisi rarissime conveniebant, ne tribuum fieret confusio, et dignitatum decurtatio. Fine tamen sæculorum, et plenitudine temporum adveniente in occursu illius, qui facit utraque unum, præcurrens Virgo Maria, in sua origine complicuit utriusque propaginis cacumina, et pluralitatem christorum evacuans unum Christum concepit et edidit, cum esset de Juda sceptrum regium, et de Levi summum sacerdotium. Unde Psalmista de regia dignitate ait : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion* (*Psal.* CIX, 2); et de sacerdotali : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum; tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*ibid.*, 4). Regale itaque sacerdotium est Christi pontificium, pro conjunctione regii et sacerdotalis generis in ipso.

Manavit autem dignatione sua, mistura hæc sacramentalis ab ipso capite usque in oram vestimenti; ita quod a summo pontifice Petro, aut vicario Petri, in ultimum sacerdotem, pleno eodem liquore gratiæ, omnes ordinatos catholice et pure, ac digne Spiritus sanctus repleverit semper et repleat tam regio honore, quod designat corona in capite; quam sacerdotali dignitate, quod stola et alia insignia sacerdotalis ornatus demonstrant. Veraciter itaque dicitur quod estis genus electum, regale sacerdotium. Mores ad actus regios desiderat regale sacerdotium; mores ad actus sacerdotales exigit regale sacerdotium : nolite rusticanis peccatis implicari, qui de nomine Christi censemini. Ministerium vestrum honorificate; nomen operibus implete, ut fructus surculi redoleant dulcedinem et pinguedinem radicis : inserti enim olivæ, excisi de oleastro, quia Christiani sacerdotes facti de genere corrupto, de massa siquidem, in qua filii iræ nascimur omnes filii Adæ, tulit et separavit nos Deus secundum propositum gratiæ suæ, et de vasis contumeliæ, conflavit artificio misericordiæ vasa in honorem et gloriam suam aureâ et argentea, quibus sicut Joseph scypho suo inebriari et augurari solebat; sic Christus ministerio vestro, et voluntatem suam in vobis commissis impleat, et de futuro sæculo quæ mala præparentur reprobis, et quæ bona electis annuntiet; hoc namque studiose complendo eritis quod sequitur : *gens sancta.*

Sequestrationem vitæ et causæ quæ a sæcularibus, o sacerdos, intellige morticinum, quo notatur propria concupiscentia; captum a bestia, quo intelligitur suggestio diabolica; et omne immundum, quo generaliter manifestatur omne peccatum, non tangas gens sancta. Dic potius cum accedis ad Sancta sanctorum psalmum : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1); sicut enim divisit Deus lucem a tenebris, et vocavit lucem diem, et tenebras noctem; sic gens sancta lucere debet in medio nationis pravæ et perversæ. Ut tamen honesta et religio sacerdotis differat a filiis Belial, qui opera tenebrarum faciunt, quantum distat ortus ab occidente, dies a nocte; gens sancta de Spiritu sancto, quo regenerata est et uncta; gens sancta de loco sancto (locus enim in quo stas terra sancta est) gens sancta de habitu sancto; vestes enim sanctæ sunt, in quibus ministras quas dedit Rebecca Jacob, cum patri porrigeret cibum et potum, et benedictionem exposceret; quas Moyses præparavit Aaron, cum ad sancta ministraturus procederet. Gens sancta de mensa sancta, cui non communicabit alienus; gens sancta de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; gens sancta oculo columbino, manu tornatili, aurea, plena hyacintho, pede vitulino, naso discreto, sicut turris Damasci; ore veridico, de quo emissiones paradisi prodeunt; auribus signatis, ne audiant sanguinem, sicut hortus conclusus, fons signatus; gens sancta ut sancta sit corpore et spiritu; sequitur : *Populus acquisitionis.*

Est populus acquisitionis, est populus distractionis; est populus subtractionis, est et perditionis, unde Apostolus : *Nos non sumus substractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ* (*Hebr.* X, 39); populus acquisitionis quo pretio? sanguine quanto? pretio magno, a quo? a Christo, qui dedit animam suam pro anima nostra; qui dedit carnem suam pro carne nostra. Ubi? in loco horroris et vastæ solitudinis, in loco crucis. Quomodo? triumphando aerias potestates in corpore suo super lignum crucis. Unde? de captivitate, de morte, de potestate illius, qui habebat mortis impedium. Ad quid? ad regnum : beati enim pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; sed quia duobus modis dicitur populus acquisitionis, sive acquisitus sive acquirens, dictumque est de acquisito; videndum est quid acquirens populus iste acquisitionis acquirat.

Quid? *Hæreditate*, inquit, *acquisivi testimonia tua* (*Psal.* CXVIII, 111). Eia, fratres, ecce lepusculus quem sequebamur ab initio hujus sermonis, videlicet præcepta et testimonia Dei : attendite servum acquisitivum, et acquisitivum, quem invenit Dominus secundum cor suum : quomodo recognoscit se servum devotissimum et Dominum benignissimum, qui dicit : *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* en, inquit, ego servus tuus, nec semel, aut in uno negotio, sed semper et in omni mandato, ego servus tuus; ideo enim repetit : Ego servus tuus, ego servus tuus. Nec ab heri, et nudius ter-

tius, vel de novo, ego servus tuus, sed ab utero ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. O serve, unde servis? *Psallam tibi in cithara sanctus Israel* (*Psal.* LXX, 22). Habesne aliud instrumentum, unde cantes? *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi* (*Psal.* CXLIII, 9).

Si forte non bene cantaveris quid? *Ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper* (*Psal.* XXXVII, 18); profugiesne ab illo flagellatus? *Quo ibo a spiritu tuo?* etc. (*Psal.* CXXXVIII, 7), *et tamen discedimus a te, vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus* (*Psal.* LXXIX, 19). Si dejecerit te de gradu tuo, quid? *Elegi abjectus esse in domo Dei mei* (*Psal.* LXXXIII, 11); si negaverit tibi panem, quid? *Cinerem sicut panem manducabo* (*Psal.* CI, 10); si jecerit tibi lapidem, quid? *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus* (*ibid.*, 15); si averterit faciem suam a te, quid? *Factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 8); si mandaverit ut sileas, quid? *Obmutui, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII, 3); si in carcerem te conjecerit, quid? *Educ de carcere animam meam* (*Psal.* CXLI, 8); si diem agendi constituerit, quid? *Non intres in judicium cum servo tuo, Deus?* (*Psal.* CXLII, 2.) Si nescieris consuetudinem palatii ejus, quid? *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum* (*Psal.* CXVIII, 2).

Suntne tibi gravia et importabilia mandata ejus? *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo!* (*ibid.*, 103) perseverabisne in mandatis ejus? *Hæreditate acquisivi testimonia tua* (*ibid.* 111) : parum est recipere, parum facere, parum retinere, parum est etiam acquirere, nisi hæreditate acquirat. Hæses, inquit, sum mandatorum, et mandata sunt hæreditas mea; non minori instantia servo testimonia Dei, quam bona mea hæreditaria; inde etiam Apostolus : *Benedictionem hæreditate possideatis* (*I Petr.* III, 9). Et vos, fratres charissimi, populus acquisitionis hæreditate possideatis sanctuarium Dei, testimonia Dei, benedictionem Dei, quam nobis præstare dignetur Deus, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXVI.

SYNODALIS.

Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris (*Hebr.* IV, 15), ne tanquam inexpertes, et rudes futura ultima dies supremi illius concilii, quod in Scripturis appellatur dies judicii, servos patrisfamilias fideles et prudentes comprehendat; idcirco Domini et fratres charissimi, congrua æmulatione, sacer iste conventus, tanquam Agno judicanti, qui habet oculos septem et cornua septem, sese repræsentat, Deo placita acturus, et Deo digna auditurus, atque animæ digna reportaturus.

Præferenda est itaque instructio Dei de fide sana, quæ est fundamentum et firmamentum nostræ Christianitatis; de spe quæ est protectio, et elevatio tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei; de charitate quæ est operimentum peccatorum, culmen virtutum, cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium quæ, si desit, frustra habentur cætera; si adsit habentur omnia; de legenda et intelligenda Scriptura, quæ est mensa esurientium; de præceptis Dei, quæ sunt ferramenta medicabilia animarum; de promissis Dei, quæ sunt unguenta curationum; de sacramentis Ecclesiæ, quæ sunt antidota et medicinæ reparabiles omnium ægritudinum; de baptismate, quod est mare Rubrum submergens Pharaonem cum omnibus Ægyptiis insequentibus, id est originale peccatum, cum omnibus actualibus peccatis; de corpore et sanguine Christi, unde vivificantur mortalia corpora nostra, et animæ refocillantur tanquam pane cœlesti, de sancta chrismatis unctione, ubi vires animæ crescunt; de confessione, quæ exsuperat omne venenum; de eleemosyna, quæ exstinguit ignem æternum; de unitate, pace et concordia omnium fidelium, quæ retundit audaciam aeriarum potestatum; de omni honestate morum, quæ acquirit amicitiam et societatem angelorum.

Unde autem quis ista vobis dispensare poterit, nisi Joseph aperiat horrea sua nova et vetera, nisi sponsus introduxerit in cellam vinariam, in cellam aromatum, in hortum nucum, et unicuique Deus partitus fuerit mensuram fidei; dispensatori vero duplicem mensuram, quatenus et sibi retineat, et eis qui non præparaverunt sibi partem mittat? Fides igitur tanquam lucerna in nocte accensa, circumlustret nubem omnium sacramentorum, quæ præ manibus habemus, et nimio splendore suo etiam quæ supra firmamentum sunt, tam in ordinibus angelorum quam in triclinio summæ atque veræ Trinitatis et unitatis puris intellectibus demonstret. adoret Patrem ingenitum, Filium de Patre unigenitum, Spiritum sanctum ab utroque procedentem.

Hic plus studeat devotioni quam disputationi, non plantet nemus quæstionum et multarum argumentationum juxta hoc altare, quia tutius est adorato Deo cum reverentia quietem animo suo præstare quam irreverenter secreta et arcana Dei inquietare [*f.* inquirere]. Confabuletur si prævalet cum angelicis spiritibus, parum reponens quæ a Jesu Christo sunt nobis relicta vivendi vestigia; partim quæ in mundo fideles Christi absorbeat undecunque succrescens miseria; partim implorans eorum suffragia; partim explorans super Ecclesia, quæ in terris peregrinatur divina consilia; exhibeat proinde singulis eorum ordinibus stationes odoriferas, præbens gratiarum actiones, pro eorum indefessa sollicitudine, et cura erga ægritudines et molestias nostras; ac deposcens ne peccatorum nostrorum fetore aversi, despiciant necessitates nostras, vertat post hæc vultum super cardinem cœli, adoratoque scabello pedum dominæ nostræ, choros confessorum, martyrum, apostolorum atque virginum humiliter expediat, et ad se ipsum plenus lacrymis redeat.

Ecce quomodo fides justum deducit per vias rectas; sed de radice tantæ fidei repente pullulat

surculus spei, et facit sperare in Domino; quæ promisit Deus diligentibus se, tanquam aquila grandis magnarum alarum, pennarum et plumarum. Evolat spes usque ad medullam cedri, id est gratiam Dei, ac de bonitate illius sperans, inter astra et filios Altissimi, nidum partui suo constituit; parturit enim justitiam, sed ne spes nuda et sola confundat, primo velut in balneo molli et delicatissimo charitatis sese immergat, ut intrinsecus possessor tantæ fidei et spei, charitate debriatus et extrinsecus pretioso unguento delibutus, ipse per hæc in Deo et Deus in ipso maneat.

Cavete, sancti sacerdotes, ne albam induentes, fidem postponatis; ne stolam assumentes, spem non habeatis; ne casulam superinduentes, quæ super omnia charismata est, charitatem deseratis. In his meditatio nostra concalescat die ac nocte, ne vectes unquam extrahantur ab arca, nec pisces de aqua, nisi forte habentes pennulas et squammas, saltum fecerint per contemplationem super aquas hujus mortalitatis, sicut et spiritus Dei ferebatur super aquas primæ creationis. Sanus namque et mundus est piscis religiosi animi, qui in excessu mentis rapitur, ut sit conversatio ejus in cœlis, et de susurrio auræ tenuis, prælibat arcana illa, quæ non licet homini loqui.

Legite ergo Scripturam divinam, sacerdotes, quorum labia custodiunt scientiam, quia utilis est ad docendum nescientes; ad arguendum hæreses; ad corripiendum in malo persistentes; ad erudiendum pœnitentes. Hanc mensam paravit Deus in conspectu vestro cum panibus propositionis, id est sententiis de gratia Dei pinguissime refertis; ut appetitus discendi, legendi, sciendi non sine gratia famem sentiat; et gustus scientiæ, satietatis gratiam non consumat, sed lectio aviditatem, aviditas lectionem desideret. Tenet siquidem in hoc imaginem visionis gloriæ, quæ continua satietate sua reparatur, ut videatur ordine converso abundantia suggerere inopiam, et inopia abundantiam; cum tamen nulla sit ibi inopia, sed plena copia, præstans desideriis non fastidium, sed æternum desiderium.

Ut autem mensæ apparatus intelligatur, et quod legitur sciatur, candelabrum ductile de auro purissimo Beseleel fabricavit, et Moyses in latere aquilonari, juxta eamdem mensam collocavit. Adhibendum igitur studium sanctis libris, quod sit immobile et fixum trino pedi, historico, allegorico et morali juxta Salomonem qui ait de lege : *Describe eam tripliciter* (*Prov.* xxii, 20), et *liga eam in corde tuo jugiter* (*Prov.* vi, 21). Sit etiam ductile institutione seniorum, in cathedra fidei ecclesiasticæ residentium, juxta Apostolum dicentem Timotheo discipulo suo : *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam*, etc. (*II Tim.* iii, 10.) Sit quoque de auro purissimo, sinceræ et sanæ intelligentiæ juxta eumdem Apostolum · *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verum veritatis. Profana autem, et vaniloquia devita* (*II Tim.* ii, 15, 16); et alias : *Erit autem tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros*, etc. (*II Tim.* iv, 3.)

Sint denique illi sex hastilia, ut intellectus bonus in operibus sex dierum occupetur, de luce facta, sumens ingenii perspicuitatem; de firmamento discretionem; de arida terra soliditatem et stabilitatem; de herbis virentibus et lignis pomiferis, sensum virtutis animi, et sententias probabiles proferentem; de duobus luminaribus, Veteris et Novi Testamenti, seu divinæ et humanæ litteraturæ illustrationem; de cœlis, orthodoxorum Patrum expositiones, de reptilibus et volatilibus, et piscibus, cogitationes vel circa terrena active repentes, vel ad cœlestia contemplative convolantes, vel sese in occultis Dei profunde involventes. De jumentis et bestiis terræ, brutorum et carnalium, atque animalium ab illuminata ratione regendam hebetudinem; de homine ad imaginem et similitudinem Dei facto, conditionis nostræ prærogativam et excellentem dignitatem.

Sunt adhuc in candelabro isto calami suavis et claræ eloquentiæ, sunt scyphi ebrietatis sobriæ et jucundæ; sunt sphærulæ ratiocinationis rotundæ et perfectæ; sunt lilia bonæ famæ et optimæ conscientiæ. Sacerdotes Dei si ad mensam divitis cum hujusmodi candelabro sederitis, dicetur vobis : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14); et iterum : *Sedebitis super meam mensam in regno Patris mei* (*Joan.* xxii, 30); et illud : *Transiens ministrabit illis* (*Luc.* xii, 37). Audite quid dicatur in Apocalypsi angelo, id est episcopo Ephesi Ecclesiæ : *Hæc*, inquit, *dicit, qui tenet in dextera sua septem stellas, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum : Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potuisti sustinere malos* (*Apoc.* ii, 1). Et post pauca : *Sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac; sin autem, venio tibi et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris* (*ibid.*, 4).

Moveat et commoveat præcordia nostra, quamlibet dura et saxea, tam pia et tam grata exhortatio ad pœnitentiam. Vicarium, inquit, Deus substitui te sponsæ meæ, sicut Joannem dilectum meum, dilectissimæ Matri meæ; accepit eam Joannes in sua et suam; nec me fefellit fides Joannis; depositum namque meum tam fideliter servavit, quam veraciter me dilexit. Quid tu, bone procurator negotiorum meorum, optime dispensator bonorum meorum, ovium mearum vigilantissime pastor? quid tu ambitiose quidem et satis avide agnos meos pascendos suscepisti, sollicitudinem atque custodiam spopondisti, et Benjamin, id est *filius dexteræ*, factus est lupus rapax, pascens agnos, id est comedens, non pascens, id est pascua præbens; unde Psalmista : *Devorant*, inquit, *plebem meam sicut escam*

panis (*Psal.* XIII, 4); et in Amos appellantur vaccæ pingues in monte Samariæ, qui calumniam faciunt egenis, et confringunt pauperes, et dicunt dominis suis : *Afferte et bibemus* (*Amos* IV, 1), sed levantur in contis, et reliquiæ illarum molles æterno igne ferventibus.

Esne, o homo, unanimis meus, dux meus et notus meus, de istis? et posuisti portionem tuam cum his qui subvertunt domos viduarum? parcens tibi dissuadeo, ne ambules cum istis; imo sustinens suadeo correctionem; moneo pœnitentiam, quia misericors sum Dominus Deus tuus. Vacillat quidem candelabrum honoris et officii tui sacerdotalis; sed ego linum fumigans non exstinguo, calamum quassatum non contero; age ergo pœnitentiam, et offer pro peccato vitulum saginatum, confitendo veraciter, et eleemosynas dando largiter. Prima opera fac, id est vel ad illam innocentiam, quam de fonte baptismatis suscepisti, redi, vel ad illam dilectionem Dei et proximi, et vitæ sanctimoniam, quam in ordinatione tua promisisti; si hoc feceris, mandabo exterminatori, ne ventilet cornua super Judam confitentem et Jerusalem pœnitentem; et non movebo candelabrum tuum; sicut nec Petro apostolorum principi, claves regni cœlorum, quas tradideram ei, etiam post negationem subtraxi, quia flevit amare.

Quis, fratres, contineat se in malitia sua adista viscera misericordiæ Dei nostri, ubi montes sicut cera liquescunt, ubi etiam lapis calore tanto in album calcem solvitur, unde parietes domus Dei limantur et dealbentur. Mirum namque est audita enormitate peccati tanti apostoli, et visa celeri ac facili clementia Jesus, si non currat omnis peccator ad pœnitentiam, et liquescat in fletum et lacrymas, quarum hæc est efficacia, et virtus, quod peccatum omnino tanquam abortivum, ut non sit aboleant, et primam gratiam, imo ampliorem restituant. Lavant enim lacrymæ delictum quod vera pœnitentia est confessum. Sic legenda, et relegenda, et intelligenda est Scriptura in mensa et candelabro Dei; sic legendum et retinendum quod propositum est : quia non habemus pontificem qui non possit condolere infirmitatibus nostris, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto, vivit et regnat in sæcula.

SERMO LXXXVII.

SYNODALIS.

Nolite sanctum dare canibus, etc. (*Matth.* VII, 6.)

Forma est edicti perpetui, quod prævaricatum gravissima judicii censura plectendum lege perpetua cavetur; de hac namque religione in Levitico legitur, ubi satis evidenter ostenditur, quæ personæ et pro quibus causis a sanctis abstineant. De facultate ergo dicendum, qui admittantur ut offerant et qui respuuntur : item qui de oblatis edere permittantur, qui non; item quæ causæ perpetuam prohibitionem contineant, quæ temporalem. Exsecutis quæ præstavimus, luce clarius constabit nobis evangelicum mandatum, quo dicitur : *Nolite sanctum dare canibus*, etc. Et notandum valde atque memoriæ commendandum, quod Moyses sacerdotum vitia in lege notat et damnat, pro quibus quidem deserviunt cœlestium (95). Paulus vero apostolus virtutum ornamenta depingit, quibus evangelicus sacerdos sacratiora sanctius administret sacramenta.

Sic ergo lex loquitur : *Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus* (*Levit.* XXI, 17); et statim multipliciter subdividit maculam : si cæcus, inquit, id est tenebrosus ignorantia sacramentorum fidei; si claudus, qui vix ipsum bonum quod intelligit agit; si vel parvo, vel grandi, vel torto naso, qui minus discretus, vitia a virtutibus non discernit, vel insufficientia sensus, vel pro extollentia nimiæ præsumptionis, vel pro avaritia iniquæ cupiditatis. Si fracto pede vel manu, qui nullo modo ad opus bonum assurgit; si gibbus, qui incurvatus ad terrena usquequaque, quæ sursum sunt, non quærit; si lippus, qui ingenium quidem habet bonum, sed sicut piger servus, talentum acceptum defodit; si albuginem habens in oculo, qui arrogantia elevatur, et mel multum comedit, ut non sapiat ad sobrietatem; si jugem scabiem, qui petulantia carnis opprimitur; si ebriosus, qui continua luxuriæ cogitatione accenditur. Iluc usque catalogus vitiorum, quæ nefariam reddunt administrationem, si divinorum possederint dispensatorem.

Videamus ergo quomodo his serpentinis spoliatus sacerdos exuviis, pelles acquirat Salomonis apud egregium illum pelliparium qui hujus dicitur fuisse artis, Paulum apostolum : superinduens itaque episcopum Novi Testamenti in Epistola ad Timotheum ait : *Oportet*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, nec vinolentum, nec percussorem, sed modestum, nec litigiosum, nec cupidum, sed pudicum : suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Nec neophytum. Oportet autem illum bonum testimonium habere ab his qui foris sunt* (*I Tim.* III, 2). Istæ sunt vestes valde bonæ, quas Rebecca domi habet, et quibus Jacob simplicem et dilectum suum paternæ benedictioni supponens induit.

Notat scriptura Genesis multum meruisse ad acquirendam gratiam benedictionis vestes illas : *Statim ut sensit*, inquit, *Pater vestimentorum fragrantiam ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus; esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te*

(95) Deest aliquid.

filii matris tuæ; qui maledixerit tibi sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur (*Gen.* XXVII, 27-29). Ecce quibus a Deo datur sacerdotalis benedictio. Equidem non nudis bona voluntate, aut male indutis vitiorum squamositate; sed bene compositis bonorum affectuum moralitate.

Videant itaque ordinatores episcopi, quales debeant consecrare sacerdotes; videant et ipsi ordinandi quales debeant accedere, timentes quod ait Jacob ad matrem : *Timeo*, inquit, *ne inducam super me maledictionem pro benedictionem* (*ibid.*, 12) : certe valde timendum est illis, qui non computant sumptus, qui necessarii sunt in via, si habeant ad perficiendum, quando ad sacros ordines acceduni, ne fiat oratio, sive consecratio sua in peccatum; ut melius esset eis non assumpsisse nomen Domini, quam in vanum accepisse; et ad sancta non intrasse, quam ignem alienum offerendo polluisse sanctuarium Dei. Nolite itaque episcopi sanctum dare canibus, id est raptoribus, avaris, schismaticis, obtrectatoribus, in peccatis criminalibus relapsis; neque margaritas sanctorum ponatis ante porcos, id est gulosos, luxuriosos, immundos, vilissimos omni genere vivendi.

Hæc satis de his, qui admittuntur ad offerendum, vel qui respuuntur; nunc dicendum de his, qui de oblatis edere permittuntur, qui non; cum enim secundum posse humanæ fragilitatis, honestæ et modestæ conversationis homines in sortem sanctorum fuerint ascripti, mandatur eis de modo ministrandi, ut, tanquam fideles et prudentes dispensatores, caute erogent pecuniam Domini, et caste dispensent mensam incontaminatissimorum sacramentorum; dicitur itaque eis : *Nolite sanctum dare canibus*, etc.

Iterum lumina nostra in vultum Moysi reflectamus, et rejecto velamine, medullam sacrorum ex littera legis discutiamus, si forte et in hoc serviat lex Evangelio, sicut Moyses in monte Domino glorificato, inconsequens enim est ut rex procedat sine armigero; in Levitico igitur ait Moyses ad Aaron et filios ejus, et posteros eorum : *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino, ego sum Dominus* (*Levit.* XXII, 3), quasi cujus decreta prævaricari non licet. *Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus*, criminali peccato, *aut patiens fluxum seminis*, videlicet non continens se a peccato, *non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur* (*ibid.*, 4). Utique per confessionem et pœnitentiam.

Huc occurrit mihi grave quoddam commissum, quod in lege illa frequenter, non sine divina animadversione committitur; altero enim die in eadem voluntate, vel langore facinoris quis positus, dum verbotenus deliberaverit confessionem, recurrit ad ad sancta Domini, oblitus quod dicitur, quod qui accesserit ad ea, in quo est immunditia, peribit coram Domino, id est in anima. Sed objicit mihi, sanatus sum per confessionem, quare non accipiam communionem? Respondeo, si verum dicis, benefacis; asseris revera te sanatum esse per confessionem, quæ nondum in mente tua exstinxit pravam affectionem, nec in carne immundam titillationem; quandiu ergo lex peccati regnat in corde, et lex membrorum in corpore, dicis te esse sanatum, cum simul anima ægrotes, et carne : crede mihi falsum est quod loqueris, quia nuda confessio non sanat vulnera peccati, quæ adhuc hiantia pessime fetent; dum scaturit putredo, dum vermes desideriorum ebulliunt, dum cancer serpit, dum currit rivulus bituminati putei.

In legibus dicitur, quia nudum pactum non parit actionem, et est nudum pactum, quando simpliciter promitto me aliquid daturum vel facturum, si tale pollicitum non solvero tibi, convenire me non poteris aliqua actione; nulla igitur obligatio est legitima, nec pro me fecisti, unde jure obligatus sum tibi. Similiter de nuda confessione mihi videtur, quod Deus ad remissionem dandam peccatorum non tenetur, cum potius confusio dicenda sit, quam confessio, ubi non sequitur delicti satisfactio. Adhuc itaque est in immunditia sua, quam non expiavit congrua pœnitentia; nec ante debet præsumere de sanitate, quam expertus sit post aliquanta temporis spatia fervorem illum deferbuisse; si tertiana vel quartana laboraveris febre, esne unquam securus de sanitate, nisi evolaverit solitus adventus ejus una et alia vice? Sic et de peccato non sis securus, nisi te in omnis ejus emortuus fuerit motus. Nisi eadem quæ tibi aperte dixi, lex sub integumento asserat, non mihi credas; post pauca enim subinfert dicens de illo : *Qui immundum tetigerit super mortuo* (*Levit.* XXII, 5)... *Desunt aliqua.*

SERMO LXXXVIII.

SYNODALIS.

Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? (*Cant.* VII, 1).

Verba sunt amatoria de Canticis canticorum sumpta, quibus incitamur ad videndam mulierem quamdam, fortem, castam, pulchram, religiosam, bene compositam, amico dilectam, aut etiam viro desponsatam. *Hanc*, inquit Salomon, *amavi a juventute mea, et quæsivi eam mihi assumere sponsam, et amator factus sum formæ illius; generositatem enim glorificat, contubernium habens Dei* (*Sap.* VIII, 2). Hæc aliquando tanquam turtur solivaga, super montes aromatum rapta obviam Christo in nubibus, desideratissimæ contemplationis moras faciebat; sed qui de terra est, et de terra loquitur, nondum alas cherubim habens, quibus a terra elevaretur, homo per fidem ambulans nundum per spem. clamat ad illam dicens : *Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* (*Cant.* VI, 12). Revertere ab itineribus æternitatis, revertere

a summis cœlorum, revertere a contemplatione angelorum, revertere ab excessu mentis, ut intueamur te sobriam, nobis Christum crucifixum prædicantem, lac nobis porrigentem, nondum escam, quam neque nos, neque similes nobis portare potuerunt.

Audiens sponsus desiderium desiderantium quasi unum sic alloquitur : *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Sermo inusitatus ad inusitata auditores suos provocat, si Sunamitis mulier est, ut in historia Regum legimus; quomodo in ea choros castrorum videbimus? Si aliud est quam mulier, quare sic illam Salomon alloquitur, an forte est illa Abisag Sunamitis, de qua in tertio Regum dicitur, quia *rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies, et cum operiretur vestibus, non calefiebat, dixerunt ergo servi sui, quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et stet coram rege, et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum nostrum regem; quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, et invenerunt Abisag Sunamitem, et adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, et ministrabat ei* (*III Reg.* I, 1-4).

Ecce parumper movens appulit nos ad littus aliud, non ventus turbinis, sed aura tenuis, ut sicut Laban, Jacob, Liam pro Rachel sorore supposuit, sic per Sunamitem, quæ in quarto Regum legitur, illa quæ in tertio legitur, producta sit; errorem tamen istum, sive transitum non ingratum reddit grata pro pulchritudine sua facies Sunamitis; utraque siquidem amplectenda hæc pro castitate et pulchritudine, illa pro fecunditate et hospitali largitate. Hæc senem jam frigidum, regem David calefacit, illa Elisæum prophetam transeuntem per Sunam hospitio suscipit.

Res quidem unius sacramenti duplici signo figuratur, et divinæ Incarnationis mysterium tam calefactione multorum dierum regis, quam in susceptione prophetæ peregrinantis signatur. Abisag procul dubio Sunamitis, quæ interpretatur *rugitus*, sive pater meus superfluus, et Sunamitis coccinea, Ecclesiam designat sanguine Christi redemptam et martyrum cruore tinctam; et quæ in persona pœnitentium loquitur : *Rugiebam a gemitu cordis mei* (*Psal.* XXXVII, 9); et in Psalmo audit : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere domum patris tui* (*Psal.* XLIV, 11), utique superflui, veteris scilicet Adæ.

Hæc in virgine Maria quæsita est in omnibus finibus Israel virgo adolescentula, ut staret coram rege, castitate et humilitate, et foveret eum ineffabili de Spiritu sancto conceptione; dormiretque rex in sinu ejus, vel ipsa in sinu regis quieta ab omnium vitiorum infestatione : et Deum continens uteri integerrimi consecratione, et calefaceret eum singularis charitatis illustratione. O Abisag Sunamitis quam speciosa es! quam gratiosa, quam sapiens, quam sedula in obsequio regis David, speciosa es, sed cum castitate; adolescens salva castitate; calida sed ex charitate; cum rege accumbens et dormiens, sed cum omni sobrietate. Vestibus opertus nullo calore accenditur, qui famulatu virginali vitali calore refovetur.

Quæ autem sunt illæ vestes, quæ calorem non faciunt, nisi cortinæ, saga cilicina, pelles arietum rubricatæ, pelles hyacinthinæ cum hostiis et muneribus suis, quæ perfectum facere non possunt juxta conscientiam, servientem solummodo in cibis et potibus, et variis baptismatibus? Neminem enim ad perfectum adduxit lex, quæ timore cultores suos infrigidabat, non spiritu adoptionis accendebat. At ubi venit plenitudo temporis, quæsita est puella Sunamitis in omnibus finibus Israel, et inventa est coccinea obumbratione Spiritus sancti, calefecit Antiquum dierum, ut mitteret Filium suum et dormiret cum Virgine, donec Agnus cum vellere nostro exiret, et mundum redimendo salvaret et regeret.

Jam enavigandum est flante austro, qui ubi vult spirat, ad Sunamitem, cujus filium Elisæus contractus et incurvatus resuscitavit : hæc interpretatur captiva et despecta, huic namque loquitur Isaias : *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (*Isa.* LII, 2); et in Psalmo dicitur : *Facti sumus opprobrium et despectio superbis* (*Psal.* CXXII, 4). Sed et ista liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, cum Filius tradiderit regnum Deo et Patri; quo merito? quia Elisæum prophetam hospitio excepit, et qui recipit propbetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Dixit itaque Sunamitis viro suo : *Animadverto quod vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter. Faciamus ergo cœnaculum parvum, et ponamus ei in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum, ut cum venerit ad nos maneat ibi* (*IV Reg.* IV, 9). Ante apostolicum præceptum hospitalitatem sectantes; mulier ista legem implens hospitalitatis tam larga et benefica est, ut et mansionem specialem religioso et sancto præparet viro, ne qua infestetur molestia.

Sed quid est per nos transit frequenter nisi quod Apostolus ait : *Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis loquitur nobis in Filio suo* (*Hebr.* I, 1); transivit in Abel, transivit in Noe, transivit in Abraham et Isaac et Jacob, transivit in Moyse, et in aliis antiquis patribus; transivit revera, quia cœnaculum nullus ibi fecit nisi Sunamitis, quæ de Virgine carnem assumpsit. Cœnaculum plane fuit uterus Virginis, ubi de sinu Patris Filius Dei descendit, cum nec invisibilis in sola divinitate, Verbum caro factum remansit, nec usque ad contagionem peccati semetipsum exinanivit. In cœnaculo itaque fuit, quia non carnem peccati, sed similem carnis peccati assumpsit : parvum vero est, quia minoratus est paulominus ab angelis, factus passibilis et mortalis.

Lectulum posuit ipsum uterum, sive sepulcrum, sive baptisterium; in baptisterio namque tanquam in toro accedit Verbum, ut ait Augustinus, ad elementum, et fit sacramentum : *Nisi*, inquit Dominus, *fuerit quis regeneratus ex aqua et Spiritu, non potest videre regnum Dei* (*Joan.* IV, 5); cooperante igitur Spiritu sancto in hoc sacramento fit Christiana regeneratio, non ex semine corruptibili, sed ex virtute Dei. In hoc itaque lectulo fides hominis de virtute Spiritus sancti concipit et parit filium quem nominat Christianum; demum mensam ponit sanctum altare, ubi Christus convivas suos cibat, et potat de carne sua et sanguine proprio.

O vos sacerdotes Dei, hujus mensæ commensales et ministeriales estis; attendite in quibus vestibus, quibus labiis, quibus manibus, quibus intestinis et pedibus acceditis ad carnes Agni, quem totum cum lactucis agrestibus comedere debetis : *Caput*, inquit lex, *cum pedibus et intestinis vorabitis* (*Exod.* XII, 9). Caput divinitatem significat; pedes humanitatem, intestina magnum pietatis mysterium, quod a sæculis absconditum fuit in Deo, in novissimis temporibus manifestatum; sit ergo in vobis fides firma, conscientia pura, et omnia tam interiora quam exteriora vestra sint munda.

Posuit et sellam, in qua sedet qui judicat orbem terræ in æquitate; cui Pater dedit et judicium facere, quia Filius hominis est, et vos assessores estis judicis, qui habetis judicare inter mundum et immundum, lepram et non lepram, mortuum et vivum, sicut Salomon judicavit, cujus esset filius vivus. Non ergo declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram, mendaces in stateris; sed recte judicate filios hominum. Posuit candelabrum et in lectulo, et in mensa, et in sella : necessarium est candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. Candelabrum est Evangelium : nullum in Ecclesia pateret sacramentum, nisi hoc demonstraret Evangelium. Hoc candelabrum portat Paulus cum ait : *Ego vinctus in Domino, sed verbum Dei non est alligatum* (*Ephes.* IV, 1); et Dominus de Paulo : *Ego ostendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus filiis Israel* (*Act.* IX, 16).

Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? chori castrorum sunt ordines angelorum; unde rex illorum dicitur Dominus Sabaoth, quod est exercituum; inde quoque in Apocalypsi Joannis legitur, quia factum est prælium in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone et projectus est draco ille magnus, et locus ejus non est amplius inventus in cœlo. Quot itaque sunt ordines in angelis, tot sunt chori, novem utique : bella vero illa cum gente tenebrarum nobis sunt incognita, sed non inutilia; nam nobiscum, et pro nobis pugnant. Nova autem bella veniens rex Judæorum Jesus Dominus noster elegit, primos Satanæ conflictus, et acerrimos excipiens in diebus carnis suæ; quatenus aerias potestates, et illum qui habebat mortis imperium, in corpore suo super lignum crucis triumpharet et ligaret illum ancillis suis.

Dicit quoque fortis ille in bello Gedeon sequacibus suis : *Quod me videritis facere facite* (*Judic.* VII, 17); unde in Evangelio : *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 27). Post illum sequuntur chori castrorum, tenentes arma militiæ, quam robustissimus princeps in choro martyrum Paulus describit, inquiens : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare in die malo*, etc. (*Ephes.* VI, 2.) Sequuntur igitur illum in equis rufis, variis et albis, ut legitur in Zacharia. Martyres, qui non dilexerunt animas suas usque ad mortem, in equis rufis sequuntur Agnum per mille studia effuso sanguine usque ad frena equorum. Confessores in albis equis, mortificantes carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Virgines, quarum quædam in virginitate leo militaverunt, quædam et fortiter martyrium sustinuerunt, in variis equis regem suum secutæ sunt.

Ecce chori castrorum in Sunamite coccinea, cui dicitur : *Genæ tuæ sicut turturis* (*Cant.* I, 9); vel in Sunamite captiva dum tempus belli est in peregrinatione ista, et non tempus pacis, quod erit in futura gloria, ubi erunt chori non castrorum sed cantantium; sicut enim lætantium omnium, o gloriosa civitas, habitatio in te. O vos sacerdotes, principes vos constituit Deus in castris istis, canite tuba in Sion, suscitate Leviathan, currite a porta usque ad portam, ne fur, ne latro, ne adversarius ingrediatur, et incendat castra vobis commissa; ne rapiat ut leo diabolus animas vobis commissas : tibi, pastor ovium, tibi, episcope, dicitur : *Quid videbis in Sunamite* ista, id est Ecclesia tibi commissa, *nisi choros castrorum?*

SERMO LXXXIX.

SYNODALIS.

Cum in manibus teneo ante oculos corpus Christi, quasi speculum oppono faciei meæ, quatenus cooperatione puritatis et pulchritudinis ejus, detecta conversationis meæ fœditate et impuritate erubescam; et verecundia erubescentiæ purgare male acta studens, novum hominem qui secundum Deum creatus est, induam. Ad hoc autem balneum sanguine Agni calidum, et contra omnem morbum efficacissimum juxta habeo, calicem utique salutarem, in quo ingressus, lepram veterem depono, et reflorescente anima, carne quoque antiqua rubigine exuta, prima imagine decenter resculpitur natura nostra; unde Apostolus ait : *Nos conformes fieri imaginis Filii Dei, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII, 29).

Hæc conformitas virtutem operum suorum annuntiat populo suo, præcipue electo, regali, sacerdotali, peculiari, quod estis vos sacerdotes Dei, ministri Dei, vicarii Dei, concorporales et compar ticipes Dei; de hac conformitate est quod Christus

de utero Virginis, obumbrante Spiritu sancto conceptus et natus est, oleo lætitiæ præ participibus suis inunctus, adeo ut oleum effusum sit nomen ejus, a Deo Patre secundum ordinem Melchisedech pontifex factus est; in proprio sanguine penetratis cœlis Sancta sanctorum ingressus, ibi apud Patrem advocatus noster orat et perorat pro peccatis populi Christiani, venturus ad synodum magnam, et de omnibus judicaturus secundum opera et merita singulorum, omni acceptione personarum remota, et sententia definitiva oves absoluturus, hædos condemnaturus.

Quomodo itaque caput nostrum processit, sic sequamur nos qui membra ejus sumus, et tam in nomine quam in officiis ei assimilemur, unde in Canticis : *Similitudines auri faciemus tibi* (*Cant.* passim), quod est dicere, præsentem te specie corporali et visibili habere, vel retinere non possumus; sed saltem exempla integerrimæ conversationis et beatissimæ passionis imitabimur. In vulva itaque sanctæ Mariæ Ecclesiæ concepti ex aqua et Spiritu regeneramur, sancto chrismate tam in fonte quam in fronte et in ordinatione perfundimur; a Deo tanquam Aaron non Simoniace ad sacros ordines vocamur; in sanguine Christi secreta angelorum oracula frequentamus; corde compuncti et mundati tenentes vestigia reatus nostros, et omnium fidelium exponimus, et copiosam propitiationem, Deo cooperante, reportamus, futuram discussionem, nos ipsos accusando, tentamus et temperamus.

Facimus enim de speculo scutum, opponendo dupliciter corpus Christi Patri suo, ne irascatur, et obstante proprio Filio, mittat gladium, si forte malitia nostra evaginaverat illum, in vaginam suam. Hostibus quoque scutum istud opponimus, ut exterriti tanta majestate fugiant, et vocem non opponant : semel quidem in acie passionis clavis et lancea perforatum est, dum sævissimos et pertinacissimos excepit tam Judæorum quam dæmonum ictus sub eo latens virtus invincibilis. Sed bene resarcitum fuit in resurrectione, quod passum fuerat in carne; nam Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, etc. Non adjiciet itaque appetere secundo rabies diabolica hujus scuti fortitudinem, quæ reflexo in se cuspide viscera materna egessit; et de morte triduana, æternam sibi vitam comparuit. Tene igitur sacerdos clypeum istum utraque manu contra hostem, et nullam timere poteris pestem.

Est autem pictura, sive cælatura ejus vermiculata argento, ubi ait : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34), deaurata gloria resurrectionis, ubi ait : *Ego dormivi et somnum cœpi, et exsurrexi* (*Psal.* III, 6). Est quoque corpus Christi Evangelium regni, in quo velut in campo deliciarum post speculum, post balneum, post scutum ingredimur odorem suavitatis attrahentes; flores miraculorum contemplantes, poma sacramentorum decerpentes, rivulos sapientiæ epotantes, herbarum amœnitatem contrectantes, et plus quam Salomon in omni gloria et ubertate abundantes.

Ecce sponsa habet speculum et balneum, miles scutum, sacerdos librum : componat se sponsa in speculo, lavet se in balneo, miles armet se de scuto, sacerdos legat in Evangelio. Formam Christi depingat sibi sponsa ex speculo, munditiam ex balneo; virtutem miles contra hostes sumat ex scuto, scientiam atque doctrinam discat sacerdos ex libro. Judicio sacerdotis diffinitur forma et munditia sponsæ; militis quoque militia, sicut docuerit eum liber judiciorum justorum : huc ad hoc venistis, imo convenistis, fratres charissimi, ut a vobis judicetur, quod contra Evangelium in Provincia agitur, quod extra, seu contra formam decretorum præsumitur, etc.

SERMO XC.

SYNODALIS.

Te decet hymnus, Deus, in Sion, etc. (*Psal.* LXIV, 1.)

Fidet anima delibatione futuri gaudii imprægnata; parturit fetus, qui neque in iniquitatibus concipiuntur, neque in peccatis paternæ prævaricationis eduntur. Adhuc tamen manente lege divinæ animadversionis, in dolore parit filios, quique justitiæ oblivionem non acceperunt, quia hæreditas sancta nepotes eorum. De corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta oritur hæc generatio quærentium Dominum, memoria dierum antiquorum, desiderium collium æternorum, meditatio hymnorum de canticis Sion; impetus lætantium jamjam cogitationum sanctarum insiliens in perpetuas æternitates, quid nisi filii sunt sanctorum?

Hi tamen interdum gementes sub aquis mundanarum occupationum, sed reditum odorantes patriæ, currunt in odore tacti et tracti, non solum in odore unguenti, verum etiam in clamore vini; accedunt provide ad cellam aromaticam, excedunt sine mora ad cellam vinariam; ibi vino tanquam cornua altaris implentur, ibi miro odore thuris et universi pulveris pigmentarii, in vestimentis suis a domibus eburneis perfunduntur; quid deinde? Psalmus, hymnus, canticum more istorum tota die. Canticum quidem in cithara, psalmum vero in decachordo psalterio, hymnum quoque in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis jubilationis resonant ante sedentem in throno dicentes : *Te decet hymnus, Deus, in Sion*, etc.

Tales sacerdotes in templo veri Salomonis coram arca et propitiatorio decantant, tales officiales in Domini ministerio ministrant, nam in Sion et Jerusalem templum hoc sacratissimum et incomparabile a Salomone legitur fuisse constructum ad honorem Dei, et ad commendationem humani obsequii. Undecunque autem gentes et populi conveniebant ad templum illud, velut ad locum sanctificationis, ut ibi solverent vota, et laudes redderent Deo, tam pro indulgentia peccatorum quam pro perceptione temporalium bonorum. Inde itaque dicitur : *Te decet hymnus*, etc. Cum in omni loco

dominationis Dei, honorandum sit et colendum sanctum nomen ejus, præcipue in Sion decet eum hymnus, quia hic est locus de quo alias dicitur: *In pace factus est locus ejus, et habitatio ejus in Sion* (*Psal.* LXXV, 3).

Satis in psalmo expresse dicitur et locus laudationis, et modus laudis, et persona laudati, sed tacetur persona laudatoris; equidem Deus est qui laudatur, Sion ubi laudatur, hymnus quo laudatur, a quo autem laudatur? forte a sapientia, nam sapientia laudabit animam suam; forte et aquæ quæ super cœlos sunt laudant nomen Domini, annon et vos astra matutina? Nonne in libro Sapientiæ dictum est: *Cum me laudarent astra mea* (*Job* XXXVIII, 7) [matutina]. Quid sibi vult hoc adjectum? ut videatur quod non alia nisi matutina astra laudent Deum. Procul dubio astra fixa in firmamento, stationem suam non mutant; sed quia eorum quædam videntur in occasu, quædam in ortu diei, proprie dicuntur illa matutina, quæ ante diluculum apparent.

Ecce sancta sacerdotum Domini prudentia ex officio suo animadvertere potest se astra matutina non incongrue appellari; quis enim dicit: *Anticipaverunt vigilias oculi mei* (*Psal.* LXXVI, 5), nisi stella matutina? quis dicit: *Oratio mea præveniet te* (*Psal.* LXXXVII, 14); et: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua?* (*Psal.* CXVIII, 148.) Nonne est stella matutina? Surgendum est, fratres charissimi, media nocte et ante lucem veniendum in Sion, id est Ecclesiam, quia *te decet hymnus, Deus, in Sion.* Surge de lectulo cum sponsa, et quære quem diligit anima tua, per vicos et plateas civitatis, cantando psalmos, legendo prophetas et apostolos: *Paululum*, inquit, *cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea* (*Cant.* III, 3); offenderat hæc custodes murorum qui vulneraverant eam, quia tulerant pallium ab ea, ut charitate vulneraretur, et paupertatis amore, superbia temporali nudaretur.

Juxta hanc similitudinem accedens sacerdos ad conficiendum sacrum mysterium corporis et sanguinis Christi, deponat pallium quo utebatur in sæculari ministerio, et assumat sacrosancta vestimenta in quibus angelorum ministeria exerceat, et ipsum Dominum angelorum ore proprio conficiat, manibus sustineat, oculis videat, corpori et animæ suæ per susceptionem fideliter uniat, uniendo ipse in Deo et Deus in eo maneat. Tunc efficitur Sion, vel etiam filia Sion anima illa, et cantat hymnum Deo suo, convertens omnia interiora sua ad laudem, ad contemplationem faciei illius, quæ facta est splendida sicut sol et vestimenta ejus alba sicut nix; rapitur extra, imo supra se reputans ut stercora carnis desideria, et omnem substantiam domus suæ, quasi nihil despicit, certaminum carnis et spiritus, jam sancta confœderatione obliviscitur; conditionem mortalitatis non meminit; legem statutam quam præterire mortalium nemo potuit, nondum vectigali reddito, solvere quærit cum dicit: *Bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum* (*Matth.* XVII, 4).

Parum aliquid dicamus de his tribus tabernaculis: et Christi quidem tabernaculum peramplius vel perfectius, non manufactum, id est non hujus creationis. Hoc tabernaculum corpus Christi est, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; de quo etiam dicitur: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* (*Eccli.* XXIV, 12); ad hoc tabernaculum Filii Pater non frequenter per recessum et accessum, sed semel per incarnationis cooperationem venit, et mansionem fecit, et requievit; quia in eo complacuit sibi; cum per ipsum peccatum omne destrueret, et omnem justitiam statueret; damnum non solum resarciret, sed de damno lucrum augeret; nam ubi peccatum abundavit, superabundavit gratia.

Attende quoddam mirabile repertum per Verbum carnem factum; sic ab initio cursus non se habuerat, ut quod vita vivificabat, mors exstingueret; quod plenitudo implebat, inanitas exinaniret, et sic de aliis cæteris hoc modo. Sed jam per mortem vita redditur, per defectum refectio innovatur, de contumelia gloria nascitur; copia proficiscitur ab inopia: hæc a tabernaculo Christi super aurum et argentum pretiosa recipiuntur, ut qui servus peccati ad ipsum venerit, in ipso justificatus liber efficiatur; qui pravus convertatur, qui crudelis ad pietatem reducatur; cui clausum fuerat cœlum propter duritiam cordis, reseratur iterum per pœnitentiam et humilitatem confessionis.

Si fames per infidelitatem, si pestilentia per errorem, si aer corruptus per detractionem, si ærugo per avaritiam, si locusta per jactantiam, si rubigo per invidiam, vel quælibet alia plaga terram nostram oppresserit, in tabernaculo isto admirabili manus levantes, de auxilio confidamus: hymnum et votum in hoc tabernaculo Deo solvimus, si conversationis ejus inter homines fideliter vestigia in semitis nostris resignaverimus. Tabernaculum hoc sicut non est manufactum, sic sermone humano nunquam est explicandum; supra sensum est, supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Semper quidem cogitatio nostra in illud et ad illud extendatur, sed irreverenter nunquam ingrediamur.

Migremus jam ad Moysis tabernaculum, quia juxta exemplar, quod ei in monte ostensum est, suum Moyses construit tabernaculum: lustra tabernaculi cunctam supellectilem, dinumera latitudinem, longitudinem et altitudinem; explica vestimentorum sacerdotalium pulchritudinem; compositiones unguentorum et thymiamatis in statera appone, sacrificiorum seu holocaustorum merita expone. Oblationes volucrum, pecudum, metallorum, frugum, liquaminum, florum, vel certe ramorum diligenter attende; et quid videbis nisi refigurationes quasdam rerum invisibilium, explana-

tiones arcanorum cœlestium, introductiones non configuratorum, sed verorum bonorum. Hæc summatim si potes assumere, habes ubi dilatare phylacteria ingenioli tui non uno, sed multis possis diebus, et telam usque ad centum cubitos sermonum extendere. Tamen ne totum tibi laborem imponamus, aliquid pro compendio de his explicemus.

Post illud incircumscriptibile lumen summæ Trinitatis, cui consociatam non diffudimus carnem nostri Salvatoris, semper in conspectu Domini vicinis stationibus angelica residet natura, conterminans puteis veritatis immutabilis, rivos refluentis ad id ipsum suæ intentionis; de quibus in figura animalium dicitur: *Facies et pennæ extentæ desuper* (*Ezech.* I, 11); facies siquidem et penna desuper angeli extenditur, cum studio indefesso, et virtutum suarum merita, et contemplationis vota, raptatis cursibus creatori suo infigunt. Quam pura, quam Deo grata impendant obsequia, nondum est nobis scire, quia necdum purgatis sensibus contingit audire vel videre.

Hoc tamen sicut Deo placuit, humilibus de angelorum sedula charitate potuit innotescere, quia suffragiis suis infirmitati nostræ remedia sanitatis efflagitant, ignorantiæ comparant lucernam veritatis, destitutioni restitutionem, mœstis consolationem, desperatis subministrant reparationem; fletus nostros suscipiunt, lacrymas reponunt, confessiones scribunt, orationes exaudiunt, de pace nostra ad Deum satagunt, mediatori de supplicibus suis suggerunt; hostes repellunt, tentationes exstinguunt, meditationes sanctas subinferunt, animas exeuntes de corporis molestia, per medias hostium acies circumdant, ad præparatas mansiones deducunt, et ordinem sive consuetudines suas novitios docendo benigne instruunt. Excusant si possunt, rogant si excusare nequeunt; bellum pro nobis cum dæmonibus gerunt, ingressum et gressum nostrum tanquam pædagogi infantiæ nostræ aut tutores pupillaris ætatis sollicitudine pervigili regunt.

Hos repræsentant cherubim quæ Moyses in tabernaculo suo sculpsit in tabula, et in medio habebat propitiatorium, cui vultu intenso ex utraque parte assistebant cherubim seu seraphim, sex alæ uni, et sex alæ alteri. Moyses ille qui præsumptione familiari faciem Dei absque velamine uniuscunque æternæ imaginationis sibi contendi rogaverat; ut gratiam quam meruerat in abdito mentis cumularet in contemplatione faciei, audit a Domino: *Verbum quod locutus es faciam, invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine, ostendam quoque omne bonum tibi, sed non poteris videre faciem, non enim videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Super his ad meipsum anima mea conturbatur, omne bonum audiens Prophetæ repromitti, et Dei tamen faciem negari.

Plane quod bonum erit, ubi facies Dei non erit? An ita hoc intelligendum fortassis non absurde videatur, ut posteriora ejus quæ videre possit Moyses stans supra petram, sit omne bonum, quod in præsenti Ecclesia per fidem consequitur; scilicet sacramenta corporis et sanguinis Christi cum cæteris aliis ejusdem sacramentis? facies ejus sit super omne bonum, cum id quod nunc spe geritur, rerum veritate capietur. Hac etiam non indiscrete differentia Sion et Jerusalem, hymnum et votum distinguere possis, quia in Sion, id est præsenti speculatione, timentes Deum non deficient omni bono; in futuro autem fruentes Deo, et videntes eum de facie ad faciem, oculo ad oculum sicuti est in natura divinitatis, superabundabunt omni nihilominus bono; ut hic sit puteus aquarum viventium, ibi fons aquæ salientis in vitam æternam.

Ibi enim angeli dispensatores præmiorum futuræ exspectationis, dabunt in sinum nostrum mensuram bonam et coagitatam, et supereffluentem, dum in societate sua naturam humanam in electis excipient, in æqualitate admittent, in gloria vultus ineffabilis claritatis constituent. Ibi defectus nec nominabitur, quia luna auferetur, secundum quam nunc augmentum et decrementum circulo ipsius subjecti suscipimus. Sol ipse, cujus ortum propter operationem nostram operimur, cujus occasum propter quietem præstolamur, ut quasi licentia ejus egrediamur et ingrediamur, sui officii stipendiis receptis, nobis ultra laborare cessabit; novis enim supervenientibus vetera projiciemus; oculi Agni, qui in medio throni sedet, sufficiens præstabunt toti civitati lumen, ut Deo ut usque ad interiora, non solum velaminis, sed et ventris cujusque, arcam invisibilis gloriæ Dei penetret acies mundi cordis.

O Domine, in lumine vultus tui tunc ambulabunt pueri tui, qui tecum accubabunt in meridie, qui sicut novellæ olivarum erunt in circuitu mensæ tuæ: signatum est denique super eos lumen vultus tui, Domine, ut reformato corpore infirmitatis suæ, et conformato corpore claritatis suæ, conformes efficiantur imaginis Filii tui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; fulgebunt namque sicut sol in regno cœlorum; vel sicut stellæ in perpetuas æternitates.

Tunc denique reddetur votum in Jerusalem, tunc vota mea reddam in medio tui, Jerusalem. Totum ibi medium ubi non est angelus [*f.* angulus] duplicitatis, totum medium, quia media charitate constravit propter filias Jerusalem; revera de medio ejus aperiet quasi species electri, in quo dilectio Dei aurea, et proximi argentea, in uno affectu quasi conflatur; quia ut ait Moyses: *Circumdabit Dominus cor tuum, et cor seminis tui ut toto corde, tota anima diligas Deum et proximum* (*Deut.* XXX, 6); *Deus in medio tui* (*Deut.* VI, 15), Deus in circuitu tuo, etc.

SERMO XCI.

SYNODALIS.

Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia,

perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, etc. (*Ezech.* XXVIII, 12.)

Rex ille magnus qui regia majestate implet omnia, bonitate replet universa, potestate cuncta dispensat, rempublicam suam cum solus ordinare et dispensare posset, voluit tamen habere adjutores, dispensatores constituit, officiales in curia sua plures diversis ministeriis mancipavit, non quorum obsequio aut labor suus minueretur, qui omnia quiescens, solo verbo operatur, aut facilius et commodius creata dispensarentur, singulis provisoribus, singulis curantibus quæ omnia uno solo Dei nutu curantur, conservantur et reguntur, sed ut multos haberet, quibus donativa sua erogaret, et bonis cœlestibus quasi merito sociaret. Elegit ergo de plebe in plebe sua cancellarium, cui signaculum, id est sigillum commisit; sed indecens erat ut tam sapiens juxta se malignum et stultum poneret, præcipue cui consilia et arcana communicaturus esset, plenum ergo sapientia elegit.

Item si splendor gloriæ et candor lucis æternæ, Æthiopem et barbarum incompositum juxta se collocaret, facies ordinatissimæ civitatis doleret, quæ cum regem in decore suo videre affectaret, eodem aspectu lucem simul et tenebras cerneret. Ideo decentissime cancellarium suum perfectum decore elegit; rursum si rusticanum et de sub sentibus nutritum, tantis divitiis subito præficeret, vel tanquam avarus, vel tanquam ignarus confuse thesauros deliciarum contrectaret; idcirco illum ordinavit cancellarium, qui in deliciis paradisi Dei fuerat delicate educatus, ne insolesceret doctus, ne dissiparet bona Domini sui. Noverit ergo custodire caute, noverit amicos regis honorare, inimicos aut reconciliare aut disperdere; multum est hoc.

Si vobis, fratres charissimi, stabulum Domini custodiendum assignaretur, si caulæ pecorum, si porta palatii, si cubiculum sponsi : nonne hoc supra omne meritum esset, et ad hæc quis idoneus? quam ergo compensationem ei retribuetis, qui etiam sigillum suæ similitudinis tradidit vobis. Parum hoc ei fuit, ut traderet sigillum, nisi etiam faceret ut essetis sigillum faciei ejus, qui curam animarum habetis? qui reformare imaginem ejus in commissis vobis debetis; hoc enim officium sacerdotale est imaginem Dei reformare, et similitudinem ejus animabus insculpere; neque enim in cœlo, neque in terra agitur quod debetur, cum Dei conformitas pro posse non quæritur; id enim solum bonum, id solum rationali creaturæ congruum et necessarium, ut reformetur a perversitate, et conformetur Deo in justitia et veritate. Quidquid non est operativum, vel saltem cooperativum hujus sancti studii nunquam deponendi, nunquam postponendi, sed semper ponendi et omnibus præponendi, pecuale est, animale est, non rationale, non sacerdotale.

A minimo usque ad maximum, tota collectio, tota cohors cœlestium spirituum contentione sancta, altercatione pacifica, desudat specialius irradiari, et insigniri regis sui splendore, creatoris sui imagine, Dei sui similitudine. In schola illa cœlesti nil aliud legitur, nil aliud ediscitur, nilque aliud edocetur; pro quantitate siquidem et portione similitudinis ac Dei conformitatis in angelis, est ordinum, graduum et dignitatum parilis disparilitas et dissimilitudo pro pace et dilectione integerrima pene non dissimilis. Resilire autem ab hoc proposito, est desistere a bono et velle resistere Deo : sic Lucifer principium viarum Dei, signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia, perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuit, quandiu hæc usus lege et consuetudine, telam unitatis angelicæ, distractus et inflatus superbia non rupit.

Ex quo autem Deo conformis, subjecta humilitate, esse noluit, sed Deo similis prævaricatione præsumptibili, perdidit similitudinem et signaculum similitudinis, non in non esse, sed in non bene esse; ut vero retinuit sibi Deus veritatem essendi, summeque beate et semper subsistendi, quod nemo rapit de manu sua, sic angelis persistentibus similitudinem et signaculum similitudinis pro beneplacito suo indulsit. Sed quia clausa et signata sunt ea terrigenis, quæ tot obstaculis sepositа geruntur in cœlis, exsulanti imagini suæ pro culpa commissa, de miseratione inexhaustibili, placuit per quasdam rimulas æterni consilii remandare angelico ministerio, quæ fiebant in choro angelico; cœpit denique homo repatriandi æstuare desiderio et illis exaltationibus odoriferis, quæ immittebantur per angelos bonos, confricatus os suum aperuit et attraxit spiritum, quo revelante, in ordine vivendi studia et stadia angelica imitari addidicit. Audivit Deus tuus, Deus unus est, millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt ei. Audivit seraphim, cherubim, thronos, dominationes, principatus, potestates, virtutes, archangelos, angelos; et exemplo didicit sapientiam absconditam.

Juxta ergo hoc exemplar fabricare sibi voluit novum cœlum in terra cum ordinibus suis et officiis, summum apicem velut Deum, pontificem illum summum, quem papam appellat sive apostolicum, constituens; deinde ordine suppositivo a capite isto deveniens descendit in patriarchas, metropolitanos, archiepiscopos, episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos, acolythos, lectores, ceroferarios, hostiaros, clericos; quorum officia, et nomina balsamo divini muneris large sunt infusa, et cœlestes ministratores sunt imitantia. Sed breviter colligendum quod Dominus papa vicarius Christi est, et episcopus cum cæteris supradictis.

Dicitur ergo ei : *Tu signaculum similitudinis Dei*, etc. Relucere debet in facie episcopi speciei gloriæ visionis Dei, ut sicut signaculo vel sigillo in cera molli sculpatur imago illius, cujus sigillum est; sic exemplum vivendi accipiat ab episcopo, quicunque normam bene conversandi postulaverit;

sit patientia Jesu, sit humilitas, sit paupertas, sit castitas, sit charitas cum cæteris virtutibus ejus, non scriptæ superficie tenus, sed sculptæ medullitus in sigillo isto, ut veraciter dicatur ei : Tu signaculum similitudinis Dei ; in quo? plenus sapientia, perfectus decore. Ecce doctrina, ecce vita episcopi, ad doctrinam pertinet sapientia, ad vitam decor, plenus sit sapientia, ne sit cæcus cæco ducatum præbens ; perfectus decore, ne in quo alium judicat, se ipsum condemnet : plenus sapientia, ut habeat rationale ; perfectus decore ut superhumerale.

Hic est spiritus duplex quem postulat Elisæus : *Oro*, inquit, *ut spiritus tuus duplex fiat in me* (*IV Reg.* II, 9) ; nolo ut totus fons meus derivetur in plateis, sed sic volo farinulam prædicationis dividere, ut faciam mihi inde panes et filio meo, mihi bene vivendo, commisso gregi bene prædicando. Ad sapientiam lectio, ad decorem pertinet oratio : istæ sunt pennæ columbæ, quibus per nubes post ascendentem Christum, ad dexteram Patris conscendit episcopus, qui *plenus est sapientia, perfectus decore :* hoc enim est quod sequitur ; *in deliciis paradisi fuisti;* cum episcopus surgit a lectione, cum ab oratione, quid ei aliud dicendum, nisi quia in deliciis paradisi fuistis? paradisus est divina Scriptura ; quid oratio? cœlum ; quid de deliciis suis detraxit Deus ? ut non æmulata manu sparserit totas delicias suas, tam in Veteri Testamento quam in Novo ; sed qui carnales delicias tantum amat, istas nec novit, nec habet, nec amat, sed ille qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, id est orare et legere, ut sit plenus sapientia, perfectus decore.

SERMO XCII.

SERMONIS EJUSDEM MATERIÆ FRAGMENTUM.

Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum ? (*Cant.* VII, 1.)

(96) Chori castrorum sunt ordines angelorum, unde rex illorum dicitur Dominus Sabaoth, quod est exercituum. Inde quoque in Apocalypsi Joannis legitur quia factum est prælium in cœlo ; Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et projectus est draco ille magnus, et locus ejus non est amplius inventus in cœlo. Quot itaque sunt ordines in angelis, tot sunt chori, novem utique : bella vero illa cum gente tenebrarum nobis sunt incognita, sed non inutilia ; nam nobiscum, et pro nobis pugnant. Nova autem bella veniens rex Judæorum Jesus Dominus noster elegit, primos Satanæ conflictus, et acerrimos excipiens in diebus carnis suæ ; quatenus aerias potestates, et illum qui habebat mortis imperium, in corpore suo super lignum crucis triumpharet, et ligaret illum.

Dicit quoque fortis ille in bello Gedeon sequacibus suis : *Quod me videritis facere facite* (*Judic.* VII, 17) ; unde in Evangelio : *Qui non bajulat crucem suam, et venit post me non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 27). Post illum sequuntur chori castrorum, tenentes arma militiæ, quam robustissimus princeps in choro martyrum Paulus describit, inquiens : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare in die malo*, etc. (*Ephes.* XI, 6.) Sequuntur igitur illum in equis rufis, variis et albis, ut legitur in Zacharia, martyres, qui non dilexerunt animas suas usque ad mortem, in equis rufis sequuntur agnum per mille studia effuso sanguine usque ad frena equorum. Confessores in albis equis, mortificantes carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Virgines, quarum quædam in virginitate Deo militaverunt ; quædam fortiter martyrium sustinuerunt, in variis equis Regem suum secutæ sunt. Ecce chori castrorum in Sunamite coccinea, cui dicitur : *Genæ tuæ sicut turturis* (*Cant.* I, 9) ; vel in Sunamite captiva dum tempus belli est in peregrinatione ista, et non tempus pacis, quod erit in futura gloria, ubi erunt chori non castrorum sed cantantium ; sicut enim lætantium omnium, o gloriosa civitas, habitatio in te. O vos sacerdotes, principes vos constituit Deus in castris istis, canite tuba in Sion, suscitate Leviathan, currite a porta usque ad portam, ne fur, ne latro, ne adversarius ingrediatur, et incendat castra vobis commissa ; ne rapiat ut leo diabolus animas vobis commissas. Tibi, pastor ovium, tibi, episcope, dicitur : *Quid videbis in Sunamite tua*, id est Ecclesia tibi commissa, *nisi choros castrorum*, etc.

SERMO XCIII.

Omni tempore sint vestimenta tua candida (*Eccle.* IX, 8).

In Apocalypsi apparet mulier amicta sole, angelus amictus lapide mundo, et in medio septem candelabrorum aureorum vestitus pondere ; et Dominus Jesus, in transfiguratione habuit vestimenta alba sicut nix ; et angelus in resurrectione apparuit stola coopertus candida ; et regina assistit a dextris regis in vestitu deaurato ; et sponsa in Canticis : *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* (*Cant.* I, 4) ; Jacob filio suo Joseph fecit talarem tunicam ; et mulier quæ habet lanam, et linum, et operata est consilio manuum suarum, fecit sindonem et cingulum tradidit Chananæo ; et byssus et purpura indumentum, et David in Psalmo : *Conscidisti saccum meum et circumdedisti me lætitia* (*Psal.* XXIX, 12) ; et Jeremias tulit lumbare de lumbis suis quod computruit in aqua ; Isaiæ dicitur : *Solve saccum de lumbis tuis* (*Isa.* XX, 2) ; et in Job : *Dominus balteum regum solvit, et præcingit fune renes eorum* (*Job* XII, 18) ; et filiis Israel vestimenta et calceamenta in deserto non sunt attrita quadraginta annis ; et de servo Hebræo jubetur, cum quali veste intraverit cum tali exeat, et pontifex accedens ad sancta, octo utitur pontificalibus indumentis pretiosissimis ; et ad nuptias qui intravit non habens vestem nuptialem, ligatis manibus et pedibus missus est in tenebras exteriores.

(96) Hæc jam leguntur supra, col. 907, serm. 88 sub finem.

Quicunque ergo accedis ad mensam Domini et quicunque ministras in sanctis; quicunque dicis Deo : *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* CXXXVII, 1); quicunque militas in castris Dei, attende arma, attende vestimenta tua, ne sint arma retusa, ne vestimenta scissa et inveterata, sed arma limata et bis acuta, vestimenta nova, vel saltem resarcita et renovata; resarciuntur namque confessione et pœnitentia renovantur. Arma limantur lectione et acuuntur disputatione. *Omni tempore sint vestimenta candida*, nec divinos, nec angelicos aspectus sustinet immunda vita, polluta conscientia; pruritus carnis inordinatus facit sibi perizomata dicens : *Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me eo quod nudus sum* (*Gen.* III, 10). Chaos magnum firmatum est inter nuditatem infantis, et inter nuditatem procacis meretricis, purissima altera, alia turpissima.

Quandiu stola innocentiæ amictus fuit Adam, non erubescebat nuditatem suam; corrupta vero innocentia, statim invasit stimulus peccati, et pravi ardoris membra pudenda; erubuit se amisisse dominatum in membris suis, qui fuerat inobediens mandatis Domini sui; male itaque custodivit vestimenta sua non corporalia, sed spiritualia; abscondere se voluit, sed latere minime potuit; est enim oculus divinus nimis perspicax et penetrabilior omni ancipiti gladio pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, etc. O speculator qui astas desuper, quid mihi melius est fugere, an tibi astare? sed fugere nequeo, astare autem nudus, putridus, fœtidus et pollutus quomodo audebo? arcu vibrato percutis nudum, ore aperto expuis putridum, extra castra tu ejicis fœtidum? pollutum projicis in lacu leonum. Nudus itaque vestiendus; unde Scriptura : *Cum videris nudum, operi eum et carnem tuam ne despexeris* (*Isa.* LVIII, 7). Carnem tuam ne despexeris tanquam in cinerem et pulverem reversuram nec in die judicii resurrecturam; ne despexeris commaculando illam immunda dæmonum conspersione et luxuriosa exsecratione. Ne despexeris in finem resurrecturam et clarificato corpori Jesu configurandam.

Operi nudum asperitate cilicina, cortinarum lenitate pellium rubricatarum mortificatione, pellium hyacinthinarum contemplatione, stola byssina, castitate. Omni ergo tempore sint vestimenta tua candida, omni tempore, æstate, hieme, autumno et vere; omni tempore die et nocte; quid est die et nocte? id est in luce et caligine, quid in luce et caligine? Per diem sol non uret te, neque luna per noctem, sol æstus libidinis, luna tepor infidelitatis; per diem consensus delectationis, per noctem cæca ignorantia quid sit agendum vel quid cavendum. Per diem itaque sol non uret te ut consentias concupiscentiis carnis, neque luna per noctem, ut pecces per ignorantiam vel negligentiam in criminalibus delictis : *Omni tempore*, id est æstate, *sint vestimenta tua candida*, ne sis calidus; hieme, ne sis frigidus; autumno, ne sis tepidus; vere, ne sis novitatis cupidus; sol decolorat, sicut in Canticis dicitur : *Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol* (*Cant.* I, 6). Præsumentem de justitia sua sol decolorat, quia qui putat se esse aliquid cum nihil sit, ipse se seducit. Justitia quæ adeo est, bene colorat; justitia hominis tanquam a se ab homine, faciem decolorat, quia non habet gratiam apud Deum, etc.

SERMO XCIV.

AD MONACHOS.

Castra Dei sunt hæc (*Gen.* XXXII, 2).

Nec inermes, nec inertes, nec imbecilles, nec stertentes, nec formidolosi in castris recipiendi sunt : armati ergo sunt contra hostes; contra astutos arte pugnandi ferventes, contra Sabæos et Gigantes fortes et feroces, contra nocturnos fures et prædones; vigiles contra præsumptores et superbos audaces. Ab his reædificantur muri Jerusalem; ab his restauratur ruina illa magna quam fecit in cœlis draco rufus, trahens post se tertiam partem stellarum; ab his denique mundatur gentibus immundissimis terra repromissionis.

Nihil ergo in his castris Dei sit inordinatum de imagine inferni, ubi nullus ordo, nihil confusum de reliquis Babyloniæ, ubi confusum est labium turrim ædificantium, nihil luxuriosum de semine Behemoth, cujus virtus in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbiculo ventris ejus, nihil dissolutum sicut in populo cui non erat princeps, neque rex, neque sacerdos, sed unusquisque faciebat quod bonum erat in oculis suis; neque superfluum unde curbetur temperantia mater virtutum. Sit itaque acies ordinata, sicut turmæ militum dispositæ; sit chorus clypeis aureis relucente sole, paratus diabolo et satellitibus ejus resistere, unde in Canticis. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* (*Cant.* VII, 1.)

Hoc castrum imo castellum (ad quod Jesus super asinam mansuetus venit, ut audiant eum mansueti et lætentur) habet turrim David, in qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium; exempla martyrum, et dicta confessorum, imo simul et viam et doctrinam omnium bonorum. Forti viro, et inter triginta robustorum principum David præcipuo, non sufficit se defendere, nisi et hostem valeat onerare; stipendia quidem habebit, si bene militando locum suum retinuerit, juxta illud : *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* (*Eccle.* X, 4). Bravium quoque si ceperit, et in captivitatem redegerit, nihilominus coronam aureolam accipiet, si debellaverit, sicut Christus in corpore suo super lignum crucis, eum qui habebat mortis imperium, cum ipsa morte triumphavit. Accingimini itaque, filii, et estote parati in prælio, quoniam melius est nobis mori corpore in hoc bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum, sicut fuerit voluntas in cœlo sic fiat. Armentur milites nostri armatura Dei, juxta Apo-

stolum : *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei ut possitis resistere in die malo*, etc. (*Ephes.* VI, 13.) Denique centuriones, tribuni et singuli principes catervas suas hortentur ad pugnam, doceant et adjuvent. Numeremus ergo, et nominemus principes, et quis eorum cui turmæ, in his castris debeat providere et præesse.

Prima turma, sive chorus, sive acies, est conversorum ; secunda, infirmorum ; tertia, novitiorum nondum professorum ; quarta, jam professorum ; quinta, præpositorum ; sexta, claustralium ; septima, abbatum ; his assignantur septem Spiritus Dei, quos Isaias enumerat : *Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ et pietatis, timoris Domini* (*Isa.* XI, 2). Horum spiritus timoris Domini, princeps est conversorum ; spiritus pietatis infirmorum ; spiritus scientiæ, novitiorum in probatione sua ; spiritus fortitudinis in professione ; spiritus consilii, præpositorum ; spiritus intellectus, claustralium ; spiritus sapientiæ, abbatum.

Tunc debent conversi, et cum Paulo apostolo converso dicere : *Domine, quid me vis facere?* (*Act.* IX, 6.) Stupens enim ac tremens hoc dixit ; isti ad molam sedent, alimenta Jacob et filiis ejus reportantes de Ægypto, cum de labore suo carnalia ministrant spiritalibus ; et sicut Issachar asinus fortis, supponunt humerum ad portandum necessitatem illorum, qui ad sarcinas David custodiendas resident, quæ sunt opera incarnationis Dei. Omnis namque vita Jesu in mundo, cum ipsa quoque mortali carne, quodammodo sarcina fuit Verbi, imo hominis assumpti, sarcina fuit quæcunque in mundo invenit, vidit, audivit et toleravit. Has optimas sarcinas, fratres mei, custodite, quia æqua pars est ad bella procedentium, id est martyrum et ad sarcinulas residentium, id est omnium electorum, passiones Christi in se portantium.

Girando choros, jam veniamus ad spiritum pietatis, quem proposuit Deus totius consolationis, infirmis vestris, quatenus ipso cooperante, fundat in firmariis ad opus infirmorum, petra rivos olei, butyri ac mellis, ne desit dulcis consolatio. Butyri, ne refectio congrua ; olei, ne de nocte luminaria ; in melle siquidem accipitur consolatio, in butyro refectio, lumen nocturnum in oleo. Etsi petra tibi fis, abba, austeram vitam tenendo, funde tamen rivos olei, butyri et mellis infirmo tuo, nisi enim hoc feceris, accusat te spiritus pietatis, nec senties pium cum veneris ad Deum. Ezechias justus aliquando ægrotat in infirmaria, et Lazarus peccator infirmatur. Quid propheta Isaias, quid Jesus plenus Spiritu sancto? Isaias visitavit ægrotantem, et Dominus vadit, et suscitat jam fetentem. Vermis et pulvis non abhorreat fratrem fetentem ; quia Dominus suscitat de pulvere et de stercore erigit pauperem.

Veniamus jam ad eos qui excubant ad fores scientiæ novitios : isti sub manu et protectione spiritus scientiæ, Dei ordinatione supponuntur tanquam siquidem de phantasiis hujus mundi et tenebris exeuntes, ad ortum surgentis auroræ, cum cæco nato, sed a Deo illuminato, oculos aperiunt et lumen scientiæ requirunt : dicunt itaque Deo, in persona Prophetæ : *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* (*Psal.* CXLII, 10). Item cum beato Augustino : Da mihi scire me, scire te ; me scilicet infirmum, te medicum ; me quis sim origine, conditione, corruptione, necnon et redemptione ; te unum et trinum, omnipotentem, sapientem, benignum. Item cum Propheta : *Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII, 6) ; bonitatem, ne abhorream novitatem ; disciplinam, ne effluam per dissolutionem ; scientiam, ne oberrem post greges sodalium per ignorantiam et errorem ; bonitatem, ne remaneat malitia ; disciplinam, ne vana scurrilitas ; scientiam, ne imperitia. Contra diaboli astutias hujusmodi scientiæ clypeo novitii in initio viarum suarum sic armantur.

His fortiter et feliciter dimicantibus jam quartum chorum, qui est professorum visitemus, juxta formam Josue qui solem jussit stare et diem duplicavit pugnando in acie, eosdem novitios a prima die belli continuemus ad secundam professionis diem ; ubi habitu mutato et armis, transeunt ad spiritum fortitudinis. Parum namque est bona scire, nisi addas et facere ; unde Dominus : *Si hæc scitis, beati si ea feceritis* (*Joan.* XIII, 17). Manum itaque mittunt ad fortia ligando se triplici vinculo, imo quadruplici verbo videlicet, consensu, scripto et juramento, quæ omnia in professione attenduntur, cum dicitur : Ego promitto stabilitatem meam et conversionem morum meorum et obedientiam, etc. ; nam stabilitas æmulatur æternitatem, morum conversio angelorum confirmationem ; obedientia, Domini Jesu consummationem. Hoc triplici funiculo quid fortius? frater bone, nisi ruperis professionem, secure exspecta æternitatem, angelorum societatem, Jesu hæreditatem.

Accedamus jam ad quintum principem militiæ belli, qui est spiritus consilii, minus namque valet in bello fortitudo, si non regatur consilio. Vicinum ergo habet domui suæ spiritus fortitudinis spiritum consilii ; hic principatum suum exercet super præpositos operum, non Pharaonis, sed Salomonis ; non operum in luto et latere, sed in lignis Libani et marmoreo lapide. Hi sunt obedientiarii nostri, qui omnia cum voluntate et consilio abbatis debent facere : *Omnia*, inquit Salomon, *fac cum consilio, et post factum non pœnitebit* (*Eccli.* XXXII, 24) ; officium istorum est vigilare vigilias noctis ad ea quæ facienda sunt ; custodire, quæ jam parata sunt, accincto super femur gladio operari in muris Jerusalem, et tanquam saga cilicina operire pretiosa sanctuarii Dei. De quotidianis quoque quæ emergunt quæstionibus oraculum divinum consulere, et a lege et testimoniis solutionem quærere : hi cum Esdra pro-

pheta, impedientes opus divinum consilio et ope atque opere suo debent repellere.

Jam ad sextum chorum in Sunamite stylum vertamus, qui cum Maria Magdalena ad pedes Jesu sedet, aut cum Matre ejusdem Jesu stat juxta crucem ejus, proscriptum respiciens in eruce Salvatorem suum; unde et gladius sive lancea de latere pendentis pertransit animam ejus usque ad divisionem animæ et spiritus. Isti sunt claustrales nostri, qui nocte et die divinis laudibus insistentes, parati sunt suscitare Leviathan; nunquam de castris vel claustris, id est de sanctis egrediuntur, castra namque nostra sunt claustra, ubi castitas, ubi clausura debet esse perpetua, ut sit hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Utrumque latus illius magni bellatoris, qui fortis et potens est in prælio, tanquam cherubim lucentes plenitudine scientiæ et seraphim ardentes plena dilectione, immediate ambiunt, veraciter dicentes cum Petro : *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* xxvi, 35); item cum Paulo : *Quis nos separabit a charitate Christi?* etc. (*Rom.* viii, 35); item cum Psalmista : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manu dominæ suæ*, etc. (*Psal.* cxxii, 3.) Servi siquidem sunt in agro, ancillæ in thalamo, ut juxta Apostolum, sive absentes, sive præsentes Deo contendant placere, quid de voluntate Domini, cui in simplicitate non ad oculum serviunt, cum Dominus fidelis sit omnibus invocantibus eum in veritate, non intelligitur.

Habent ergo principem suum spiritum intellectus, qui scrutatur profunda Dei, et ea revelat parvulis suis; postulat enim pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Isti ad mensam Domini de pane angelorum quotidie reficiuntur, isti fortes ex fortissimis Israel ambiunt lectulum Salomonis, omnes tenentes gladios ad bella doctissimi. In hoc sexto choro ut cornu aciei fecit Dominus hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut claustralium conversatio semper in cœlis sit, ut nunquam descendat de rigore religionis, nisi ratione compassionis; hæc enim Jesum de sinu Patris ad nos inclinavit.

Suprema et ultima acies abbates, id est vicarios Christi continet, et isti habent super se regem et principem, spiritum sapientiæ, quæ ex ore Altissimi prodivit, surgens itaque mane abbas, et ad thronum gratiæ, quod est altare accedens, debet sic ad Deum preces porrigere : *Da mihi, Domine, sapientiam sedium tuarum assistricem, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore* (*Sap.* ix, 4); deinde hanc salivam ab ore Dei exhaustam deglutire et per singula conversorum, infirmorum, novitiorum, probandorum et professorum, præpositorum atque claustralium vasa diffundere, quatenus ros qui descendit de Hermon, in montem Sion a capite defluat usque ad oram vestimenti ejus; est namque sal terræ, sal fœderis, quo condiuntur sacrificia quæ Deo offeruntur. Debet itaque simplicitatem conversorum, debilitatem infirmorum, novitatem novitiorum, et professorum promotionem, præpositorum sollicitudinem, claustralium solitudinem secundum propriam mensuram et capacitatem condire. Hic secundum Job, cum in orbem terræ transeunt dies convivii, convocare debet et sanctificare filios suos, ne forte benedixerint Deo in cordibus suis. Est enim vitium negligentiæ, cum quo dimicant conversi; malum impatientiæ, adversus quod contendunt infirmi; peccatum voluptatis pristinæ, et prioris immunditiæ, cui repugnant novitii; vitium diffidentiæ, contra quod eriguntur professi; malum avaritiæ, cui contradicunt præpositi; tædium religionis, adversus quod rebellant claustrales; turbo mundanæ sollicitudinis, adversus quem consistunt abbates. Ecce castra Dei sunt hæc, in quibus militia est vita hominis super terram, in quibus regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, in quibus, *qui vicerit*, ait Dominus, *faciam illum columnam in domo Patris mei* (*Apoc.* iii, 12); quod nobis præstare dignetur, qui cum Patre, etc.

SERMO XCV.

DE LEGE NATURALI, SCRIPTA ET EVANGELICA.

Legem præcepit nobis Moyses et hæreditatem multitudinis (*Deut.* xxxiii, 4).

Quot ab homine perpetratæ sunt prævaricationes, tot a Deo indultæ sunt reparationes : sicut enim cœlesti medico nihil præterit ægritudinis, sic subest scientiæ ipsius et potestati quidquid remedii est et sanitatis. Pressis siquidem vestigiis medicina morbum insequitur, nec quiescit donec incluserit; unde Apostolus : *Conclusit Deus omnia sub peccato* (*Gal.* iii, 22). Revocanda igitur humana natura ad suæ felicitatis primordia : monenda fuerat referre pedem unde moverat, et cavere ne præcipitia renovaret, quia novissimus error pejor priore esset. A cunabulis igitur suis materna sollicitudine erga eamdem naturam intendens divina miseratio, et ne caderet prænonuit, et si caderet remedium præparavit.

Affixit itaque ipsis naturæ visceribus legem quam naturalem appellamus quæ lacte eodem cum natura aleretur, et eisdem coaugmentaretur profectibus, eisdem tum laxaretur defectibus. Primo deinde peccato hac prævaricata tam ubi non est, nec prævaricator; ne forte penitus exstingueretur, in subsidium supposuit aliam legem quæ Moysi appellatur, quia per ipsum facta est lex, et legales observantias plures tanquam fetus multiplices de ventre naturali exclusit; ut quod jure naturali latebat, scriptis tabulis in lucem prodiret et privilegio ignorantiæ deinceps nemo excusaret, cum incultos lapides prospiciens præcepta morum et honestæ vitæ addiscere posset. De hac igitur dicitur : *Legem præcepit nobis Moyses*, etc.

Quia vero legitur : *Homo videt in facie, Deus autem in corde* (*I Reg.* xvi, 7), tota hujus observatio legis potius pressit manum, quam animum, ut lo-

cus Deo servaretur, qui postea incarnatus et animum pertinet et manum. Evangelica igitur lex a Christo in ultimo idcirco traditur, ut legem tam naturalem quam scriptam adimpleret sicut ipse ait : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17). Data est autem lex ista quando dictum est : *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (*Joan.* XIII, 34). De lege autem Moysi et Christi dicitur in Apocalypsi : *Vidi angelos stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni* (*Apoc.* XV, 2). Canticum Moysi est lex sive laus Dei de creatione mundi; canticum Agni, Evangelium sive laus Dei de redemptione mundi in Evangelio. Ubi est autem qui totam legem observaverit, sive naturalem, sive Moysi, sive Christi? teste Psalmista non invenitur in terra. Ait enim : *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ* (*Psal.* CXVIII, 19). Nemo enim qui non sit prævaricator, vel in se saltem, vel in primo parente. Ubi enim peccator ibi prævaricator, ubi vero non est lex, nec prævaricatio.

Lex naturalis est quasi dicta universalis; lex Moysi quasi helleborum; lex Evangelii quasi medicina nihil habens amaritudinis, nihil acredinis. Sufficit enim illi qui legem naturalem non reliquit, uti licitis, et abstinere ab illicitis. Qui autem graviter sive criminaliter peccaverit, et a licitis debet abstinere et gravissimæ pœnitentiæ purgativa in purgatione sua ex lege Moysi debet accipere, ut oculum reddat pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore; quia calumniantes poscit similitudo supplicii. Qui autem perfecta dilectione foras misit timorem, debet sicut ipse ambulavit et ipse ambulare, vitia omnia repellendo et virtutes omnes aggregando. Claves Petri sic ligant et sic solvunt; non enim accipiunt personam hominum, non in muneribus judicant, non vivificant animas quæ moriuntur, neque occidunt animas quæ non moriuntur; sed recte in statera justa appendunt et meritum causæ et finem sententiæ.

Audite quia privilegium Petri meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. In judicio neque ad dexteram, neque ad sinistram declinandum est propter cujusquam gratiam. Nulla indiget commendatione veritas, vestita tamen oculis hominum temperato splendore intolerabilis pulchritudinis aliquando se objicit, non ut sumptis extra subsidiis clarior appareat, sed ut intuentis acies a se admittat. Subjiciendæ ergo auctoritates in his quæ dicimus, exiguntur forte et exempla, quatenus credibilius sit quod dicitur. Nec absurde auctoritas quæritur, ubi nec persona quæ dicit, nec res quæ dicitur fidei satisfacit. Suffragantur nostris propositionibus divinæ auctoritates, quarum prima est : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 3). Aversio de paradiso nos expulit, conversio reducit. Aversio illa mater est culpæ et pœnæ, quæ de se rivos innumerabiles per universum mundum derivaverunt, et quarum torrentes universam naturam filiorum Adæ conturbaverunt.

Tollatur itaque prima vox flentium, ut non sit aversio; et supponatur quæ in consolatione prima syllaba est conversio, ut paradisus conversum excipiat, quem adversum expulerat. Sed qualiter sicut parvuli, inquit, tanquam cera mollis parvulus habilis est ad omnem obedientiam, nec est ei in aliquo resistere, aut rationem mandati exquirere. Serpens, callidior cunctis animantibus, in mandatis Dei quæstionem mulieri opposuit, quam quia sophistam audivit, exclusit et conclusit : fides Abrahæ quæ reputata est ei ad justitiam, rationem, consuetudinem, affectionem, impossibilitatem postposuit, et Deo acquiescens contra spem jam adeptæ promissionis, in spem certissimæ exspectationis credidit, quia Deus est verax in promissis, et potens in exhibendis, plenissime sciens quia quæcunque promisit potens est facere : hæc forma proponitur volentibus intrare in regnum cœlorum. Est et alia legis auctoritas : *Primogenitum asini mutabis ove* (*Exod.* XIII, 13); ut ait Gregorius, primogenitum asini ove mutare, est immundæ vitæ primordia innocentia vitæ convertere. Qui enim qualis ipsius fuit esse desinit, et apprehensa carnis munditia innocentiam custodit, in oblationem Dei primogenitum asini ove mutat.

Job quoque aptissima comparatione claustralem reclusionem notat esse saluberrimam, ut ibi luat quæ mundana vanitate peccata superbiendo, luxuriando et rapiendo, ventrique et gulæ serviendo contraxerat. *Propter superbiam*, inquit, *quasi leænam capies me* (*Job* X, 16). Leæna est caro nostra. Hæc nutrit catulos leonum, illecebras carnalium desideriorum, quorum si quis aliquem capiat negando illicita, in rabiem severissimam, totam corporis silvam concutit, et ungulis ac dentibus murmurationis in præsentes et absentes desinit : hæc, ut ait Gregorius, duplici fovea constringitur, prima propter gulam, secunda ad pœnam; prima sæculi, secunda claustri; prima desiderii, secunda flagelli. Non veniret ad secundam, nisi appeteret primam. Qui enim non peccat, non est quare pœniteat. *Sed peccatum*, ait Apostolus, *ut appareat peccatum, per mandatum*, id est transgressionem mandati *operatum est mihi mortem* (*Rom.* VII, 13). Hæc est mors in olla, utique in claustro, quod inexperti fugiunt tanquam mortem : expertorum alii patienter cum Jesu tolerant ut crucem; alii abhorrent ut gehennam; Paulus gloriatur dicens : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14). Alius acclamat : *Educ de carcere animam meam* (*Psal.* CXLI, 8). Duæ sunt molentes, una assumetur et altera relinquetur, unde dolens propheta dicit : *Consolatio abscondita est ab oculis meis quia ipse videt inter fratres* (*Ose.* XIII, 15), utique Esau et Jacob, etc.

PETRI CELLENSIS

OPUSCULA.

INCIPIT EPISTOLA PETRI CELLENSIS ABBATIS, AD MAGISTRUM JOANNEM SALISBERIENSEM, DE OPERE SEQUENTI.

Charissimo suo, PETRUS *abbas salutem.*

Quia multum altitudo, et ardua est in ascensu, et caliginosa in intuitu; temperatis passibus, ad campi planitiem conversus; de segete Domini, quos potui manipulos legi et novos panes, non tamen ex nova sensuum farina composui. Novitatem enim illam quæ a Patrum vestigiis exhorbitet, tam in fide quam in moribus, necnon et in vocum, seu nominum novitatibus, semper anathematizandam duxi. Si quid autem quasi novum, sancti Spiritus illustratione apprehendere potui : quod tamen cherubim et propitiatorium, vultu tam sedulo quam humili respiciat, non respui. Non itaque ut facerem mihi nomen grande, juxta nomen magnorum qui gloriantur in sæculari philosophia, librum istum de Panibus Scripturæ divinæ conscripsi; sed de mensa divitis; quæ divinis lectionibus mentes peregrinorum reficerent, fragmenta panum undecunque collecta conjunxi. Viatores namque nisi panem et vinum ad subsidium itineris peragendi, in transitu invenerint; aut exoræ aut famis dispendium sustinere coguntur. Quamobrem reipublicæ utilitas satis rationabiliter exigit hoc in familia patrisfamilias, ut opera in domo quiescentis, famuletur necessitatibus in publicis negotiis desudantis. Tunc namque bene regitur Respublica, cum alteri alterius suffragantur officia. Utinam itaque tanti essem cujus suscipi mererentur labores, et de velleribus ovium mearum, consolarentur pauperes ! Utinam, etsi non nova condere, saltem vetera sarcire valerem ! Utinam, etsi non de proprio, saltem de alieno fideliter idoneas Salomoni ad templum ædificandum præpararem expensas ! Quis proinde me præsumptuosum nisi præsumptuosus dixerit, quia panes de arca ad mensam detulerim ? Si Domini arca, et Domini est mensa, Domini quoque conviva; cur servus Domini pro debitis obsequiis redarguitur?

Comede igitur quicunque librum legis, panes appositos; et non corrodas sudores apponentis valde laboriosos. Potius, pro obsequio, gratia quam invidia debetur. Si præ inopia librorum vel lectionum indiges quotidiano pane, sume; et pro indultis sine pretio, gratias age. Si vero abundas, non habentibus pauperibus congratulare: alioquin vel superbis de tua paupertate, vel invides de nostra miseratione. In alio tibi, nequam, in alio, proximo; in alio miserabilis; in alio condemnabilis. Sed times tibi an mihi? Tibi forte times : ne scripta tua si qua sunt, sola non videantur; mihi, ne scabiosum appareat ingenium, ne exsangue publicetur eloquium. Sed neutrum (o fidelis et nimium amice !) formidandum est. Et primo quidem, scripturæ tuæ si bona est, non est timendum, nam quod bonum et pretiosum est numerositate et frequentia pannosarum mercium nunquam sordescit : quinimo semper ad id quod lucidius præfulget curritur, et quod contemptibile est, negligitur. Non ergo opus tuum, comparatione opusculi nostri, depretiandum credas, si bonum est. Quod si inutile est, non ei quæras gloriam de singularitate, quod magis amputandum est pro superfluitate. Nobis quoque non est quare timeas; nam fastidiosis, nolo nostra ad cumulum nauseæ suæ insolenter ingerere; petentibus vero et indigentibus, vereor abscondere et negare : ut enim improbitatis est, nolentibus et recusantibus se inculcare; sic impietatis est, volentibus et egentibus abnegare. Habeat itaque volens, in uno repositorio copiam omnium panum paratam, et potius benevelentia adjuvet insufficientiam nostram, quam ingratitudine exasperet infirmitatem.

In hoc opusculo, navigium nostrum, nec ad rapidissimos impetus profundarum disputationum extuli, nec in terra litteræ quæ occidit insidere negligenter permisi. Moderata vero navigatione præsentem stylum, a terra quidem pusillum subduxi, ne (si altiora præsumerem et contra forte flarent venti contrarii) aut cum eis, resistendo contenderem, aut eis, non respondendo succumberem. Iterum paululum a terra recessi, ne vicinitate riparum et aquæ inopia laborans, vilitate sermonis vel materiæ rusticitate offenderem et libere non enatarem. Libratis igitur tam veli quam navigii seu ventorum opportunitatibus, nec odiosa præsumptione in altum, nec desperata humilitate in planum excessi. Ad te itaque, mi charissime, unum hoc opusculum nostrum mitto, ut tua licentia prout dignum fuerit ingrediatur ad secretum et egrediatur ad publicum. Rogo ut apponas manum approbando utilia, resecando superflua, supplendo minus plena, illustrando minus plana, vestiendo indecora, spoliando superfessa. Testor Deum, te æque offensurum amicitiam nostram si indigna laudaveris, ac si digna vituperaveris; tolerabiliori enim patientia sustinebo erroris redargutorem quam improbum adulato-

rem. Non itaque graveris, propter eam quæ ad invicem est dilectionem; vel partem vel etiam totum sermonem si justum fuerit delere et ut aliter tractetur remandare; fructum enim in ficulnea, non folia tantummodo quæro; absit enim, ut umbram solum et non escam præberent [al. *parent*] *arbores culturæ nostræ. Utrumque mihi placet, et habere, et parare, et umbram foliorum et escam fructuum. Quod si altero carere cogor, patientius foliis quam fructibus renuntiabo. Vale.*

LIBER DE PANIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De multiplici mensa et ejus apparatu.

In tabernaculo testimonii, jubente Domino, mensa ponitur ante velum et contra mensam candelabrum A in latere tabernaculi meridiano; mensa enim stat in latere aquilonis (*Exod.* XXVI). Diligenter animadvertendum quod Moyses (imo per Moysem, Dominus) obumbratione mystica, in constructione seu collocatione figurativi tabernaculi comprehenderit, quibus depulsi a paradiso, reparari sive repatriare observationibus ad Sancta sanctorum valeant; et quibus extra devagantes interim consolari alimentis. Nulla enim intra velum esca necessaria, quia nulla unquam indigentia : una ibi satietas, ubi gloriæ perennis incommutabilitas. Semel intrasse, simulque gustasse, est semper satiatum manere. *Satiabor*, inquit Psalmista, *cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Extra velum autem, et defectio et refectio. Defectio pro peccatis et in peccatis naB turam miserabiliter corrumpentibus; refectio pro præceptis et divinis beneficiis misericorditer nobis subvenientibus.

Sicut vero firmamentum posuit Deus ut divideret aquas ab aquis, sic Moyses velum interposuit : extra quod vulgus immolaret animalium carnes, et intra quod accenderet incensum solus pontifex, id est sacerdos summus. Jesus autem penetravit cœlum, et ascendit super firmamentum. In sanguine vero intravit, quia (per passionem) potum, imo pretium nostræ redemptionis, paternis labiis, assistentibus angelicis spiritibus ministravit, opus quod dedit ei Pater, perficiendo et sanguinem de latere fusum, ad copiosam redemptionem, ei offeC rendo. Famelicis denique, extra velum esurientibus, mensam et panes in mensa (de qua convescens ascendit in cœlum, *misericors et miserator Dominus*, reliquit, *et dedit escam timentibus se* [*Psal.* CX, 5]). Sanguinis partem nihilominus, ad bibendum, in crateris sacramentalibus, amicis et imitatoribus suis reposuit usque ad consummationem sæculi : partem iterum non pretium nostræ liberationis tam Patri quam creditori hosti, pie et juste solvit. Corpori suo quod est Ecclesia, extra velum excubias agenti donec lucifer oriatur, paravit mensam ne deficiat in via, candelabrum, ne exorbitet a via.

Sed notandum aliam esse mensam qua singulariter sola Trinitas deliciatur; aliam qua cum angelis amicabiliter epulatur, aliam qua cum homine mortali visibiliter Jesus vescitur, aliam qua sacramentaliter et invisibiliter fideles reficiuntur. Est etiam mensa diaboli, in qua non nisi animarum sanguis bibitur, non nisi cruciatus hominum in cibo sumitur. Est et mensa angeli, pœnitentiam conversorum bibentis, salutem edentis. Est hominis mensa ad quam aliquando Deum, aliquando angelum bonum, aliquando malum angelum invitat. Itaque quam succincte potero compendiosum de profusa et profunda materia tractatum exprimam; quatenus et sapiens (sumpta occasione) dilatet phylacteria et magnificet fimbrias et sensu mediocri, famis suæ consoletur miserias. Mensa illa Trinitatis, cubiti unius in unitate substantiæ : panes habet absconditos; vinum semper novum fercula æterna et beata. Ministerium alius creaturæ non admittitur, neque cherubim vel seraphim, ad mensam illam de qua edere non habent potestatem etiam qui tabernaculo deserviunt. Sibi invicem ministrant, Pater Filio, Filius Patri, Spiritus sanctus Patri et Filio, Pater et Filius Spiritui sancto; Pater Filio, generationem; Filius Patri, nativitatem; Spiritus sanctus Patri et Filio, processionem; Pater et Filius Spiritui sancto, missionem seu donationem.

Procul absistat. Creatura omnis, ab hac administratione, quia *bestia quæ tetigerit montem lapidabitur* (*Hebr.* XII, 20). Manum subtrahat seraphim, quia munus hujusmodi manum aliam non admittit quam solius dexteræ Dei : *Nemo* enim *novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (*Matth.* XI, 27). Pulmenta, imo fercula hujus mensæ tot sunt quot sedent ad mensam : talia sunt, quales sunt quorum est mensa. Non fingas tamen, alium quasi architriclinum sedere superius in eminentiori loco; alium in inferiori, alium in ultimo, quia una sedes et unus sedens pro concordia voluntatis, pro identitate substantiæ, pro æqualitate potentiæ; tres vero, pro personarum discretione. Si quomodo sic sedeant tres, sine graduum distinctione et sine honoris variatione, sine loci distensione vel dimensione, nullo modo apprehendas, noli mirari, quia nec vertex Carmeli, id est scientia angeli, hoc comprehendit : *Deum* enim *nemo vidit unquam* (*Joan.* I, 45). Idcirco abstinet et superponit digitum ori suo, neque manum conferens mensæ neque os aperiens

negatæ divinitati, ut velit eam deglutire. Vidit namque consortem naturæ suæ luciferum aliquando gulam desiderii ad hanc mensam extendisse et non exinde, divinitatem sed mortem degustasse. Vidit manum in lateribus aquilonis porrexisse, et statim glacie aquilonari riguisse seu gehennalibus flammis exaruisse. Forte omnipotentiam Patris, forte sapientiam Filii, forte bonitatem Spiritus sancti, fera illa bestia voluit devorare. Hæc enim sunt fercula mensæ Dei, quæ soli Regi sæculorum immortali, invisibili debentur in sæcula sæculorum.

Hæc de mensa Dei cui communicat alienus natura, conditione, sorte, sed sola Trinitas singulariter, perenniter, invisibiliter gloriatur. Jam acumine scalæ Jacob visum (imo stylum) inflectamus, et ad angelorum mensam a nobis ascendamus, a Deo descendamus : duo enim inferiores, nobis sunt superiores. Mensa eorum est propitiatorium, cui versis vultibus semper intendunt et unde sua desideria implere cupiunt. De hoc enim propitiatorio (id est Jesu, sive mensa angelorum) dictum est : *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12). Ad hanc mensam, ex duobus naturis in unam personam Spiritus sancti artificio compactam, assistunt ministratorii Spiritus ministrantes Domino et edentes cum ipso, quæ ibi apponuntur : bonitatem videlicet Dei, reparationem generis humani, repletionem numeri sui imminuti per apostasiam degenerantis rami a bona oliva in naturam oleastri. A mensa illa eis dicitur : *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1) ; id est vos angeli, adducite animas Christianorum Domino creatori et redemptori ad cœleste consortium. Deus in hac mensa posuit sua beneficia ; angelus, sua obsequia ; Deus quod illum bonum creavit ; angelus quod in veritate et bonitate stetit et Deo adhæsit ; Deus quod gratiæ primæ gratiam secundam ei superaddidit ; angelus quod liberum arbitrium ad bonum obedientiæ et reverentiæ Creatoris sui convertit. Infert Deus radios suæ contemplationis ; refert angelus puros aspectus in occursu superorientis lucis ; angelus os aperit in laudem Dei ; Deus implet illud, tam adipe divinitatis quam carne et sanguine integerrimæ naturæ humanitatis.

Hæc de mensa Dei cum angelis : *Exeamus* autem jam *extra castra* (*Hebr.* XIII, 13) cœlorum, et juxta montis radicem (id est crucis passionem) Agni cœnam cum suis arietibus, contemplemur. Mensa hujus cœnæ in qua Deus cum hominibus visibiliter innovat (imo continuat) umbram luci : figuram veritati, Novum Testamentum Veteri : paratur in cœnaculo grandi, apostolorum ministerio, ut pastus Dominus pascua, figurali in cœnaculo ; patiatur Agnus sine macula, in patibulo, ut (ejus imitatione) qui cœnaculum ascenderit prælationis, non recuset, post Jesum, subire discrimen passionis, ut in cœnaculo confortatus cibis vitalibus, non concutiatur pro formidine et tribulationum ponderibus. In hoc Dominus convivio sanguinem, carnem, pellem, adi-

A pem, intestina, caput cum pedibus ponit, ut redemptio in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle, unctio in adipe, scientia occultorum mysteriorum in intestinis, stola prima in capite, consummatio beata in pedibus præbeatur. Clamat in abundantia saturitatis et suavitatis suæ pauper ille amicus divitis, qui in convivio discumbebat. *Quid*, inquit, *retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV, 13.) Sed scire debuerat quod Sapiens ait : *Cum sederis ad mensam divitis, diligenter attende quæ apponuntur tibi, sciens quia oportet te talia præparare* (*Prov.* XXIII, 1) ; carnem ergo pro carne repone ; pro sancta, sanctificatam ; pro casta, castigatam et castificatam ; pro integra, impollutam. San-
B guinem quoque pro sanguine, scilicet profuso in ara crucis, effusum in rubore confessionis ; pro puro, impurum ; pro bono, malum ; pro quieto, turbidum. *Pellem* etiam *pro pelle*, sicut Job ait (II, 4), id est patientiam et imitationem mansuetudinis Agni incontaminati Jesu Christi, rependere debemus. Ejus enim sacerdotis qui offert victimam, est hostiæ pellis (*Lev.* VII, 8), jure perpetuo. Etsi enim miraculorum, etsi secretorum scientia, etsi puritatem conscientiæ, etsi caput justitiæ, etsi pedes perfectionis et consummationis tuæ Jesu non apprehendo ; confortata enim sunt et non possum ad ista (*Psal.* CXXXVIII) ; saltem corium, saltem pellem concede. Corium siccatum et extensum, ut inde faciam mihi tympanum aut psalterium decem chordarum ;
C pellem calidam et candidam et præparem ex ea virtutum amictum, ut sint pelles meæ *sicut pelles Salomonis* (*Cant.* I, 4). In pelle ista veniens ad nuptias, non depellitur, sed intrare et superius ascendere compellitur. Retribue igitur, conviva Christi, pellem pro pelle, imo secundum legem, *oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore, animam pro anima* (*Exod.* XXI, 24 ; *Levit.* XXIV, 20 ; *Deut.* XIX, 21 ; *Matth.* V, 38). Quid enim pro te tibi facere potuit Deus, quam ut animam poneret ? Vade ergo, et tu fac similiter. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut et vos ita faciatis* (*Luc.* XIV).

Ecce carnes in cœna, quia jam detraximus pelles, sed ubi panes ? *Unde*, inquit Dominus ad Philippum, *ememus panes ut manducent hi ?* (*Joan.* VI, 5.) Do-
D mine Jesu, non quæras a Philippo ; quære a proditore tuo. Hic enim habet marsupium unum cum Scribis et Pharisæis, hic insidiatur sanguini ; et contra insontem tendit (frustra quidem pro sua implenda avaritia) tendiculas, non frustra autem pro salute nostra. Hic, inquam, habet denarios triginta, unde panes emuntur usque ad satietatem omnis carnis. Sed et apud Joseph frumenta venduntur de quibus panes conficiuntur. Liberalitatis opus cum sagacitate venditionis fratribus suis Joseph exhibet ; implet saccos pro pecunia, buccas et ventrem implet pro gratia (*Gen.* XLII), victum itineris gratis tribuit, unde in patria familia ipsi alantur, non sine pretio tradit (*Gen.* XLIII). Quid est hoc nisi, *centuplum accipiet et vitam æternam possi-*

cebit? (*Matth.* XIX, 29.) Ecce gratia, ecce meritum, ubi non sicut delictum, ita et donum præparat Joseph, ex gratia, convivium, quia Christus gratis mortuus est, ut impleat saccos accipit pretium, quia *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II. 17). Sed libet paulisper in mensa cœnæ et in convivio Joseph, lucem et umbram in ordine ferculorum seu accumbentium, præ oculis ponere : Domini et fratris, per interpretes loquelam recipere ; faciem, propter majestatis glorificationem, jam quidem incognitam germanitate sanguinis cum summa reverentia prospicere, stolas cum partibus præstitis, diligenter pensare, vinum usque ad ebrietatem sine vitio gulæ epotare. Denique larga manu Joseph, quorum ventres bonis suis impleverat, saccos nihilominus quantum possunt capere frumento replet ; et pecuniam propriam in ore saccorum ligat latenter, sed non fraudulenter, scyphum suum in sacco junioris cum pecunia ponit (*Gen.* XLIII). Ubique gratiosus Joseph, sed in convivio magis multoque amplius jucundus. In convivio, etiam venditoribus suis non negat negatam sibi germanitatem ; in convivio, non retinet injuriam, extendit munificentiam ; in convivio juxta Scripturam, cibando inimicum exstinguit invidiam et sanat malevolentiam.

Sed quia hoc convivium non minus est religiosum quam opulentum, verbis parcendum, et ventrem meminerimus pascendum : operandum namque potius est quam loquendum. Non redigimus autem sub regula monachorum, mensam apostolorum, quia supra mensam sancti Benedicti, est mensa ubi præsidet Filius Dei benedicti. Ad mensam monachi et duo pulmenta sufficiunt, et silentium tenendum est ; ad mensam vero Verbi caro facti, et carnes Agni sumuntur, et verba quæ sunt spiritus et vita in lingua Jesu resudantia uberrime post cœnam inveniuntur : Hactenus enim, ait Sapiens, spiritum suum reservaverat. *Stultus*, inquit Scriptura, *totum spiritum suum profert, sapiens autem reservat in postremum* (*Prov.* XXIX, 11). Bonum itaque verbum (imo bonum vinum) discipulis, in horam discessionis, in horam ultimæ refectionis et confabulationis retinuit. Videntur mihi tintinnabula quæ in extremis vestimenti sacerdotalis ponuntur (*Exod.* XXVIII), ut cum introierit pontifex non sine sanguine intra velum, quod dividit sanctuarium sanctuarii et sanctuaria, procul audiantur, illum præclarissimum et saluberrimum sermonem prænuntiare, quem cum apostolis suis habuit Jesus in ultimo sacrosanctæ cœnæ (*Joan.* XIV et dehinc). Erant quoque inter mala punica, ipsa tintinnabula, quia sermo iste, et de præsenti justificatione et de futura commonet glorificatione. Sunt mala punica, *deorsum, ad pedes tunicæ, per circuitum* (*Exod.* XXVIII), ut habeat anima tua cœnam æterni convivii. Sunt tintinnabula, inter mala punica, ut doctrinam suscipiat nunc illuminantem per gratiam, et postea illustrantem per gloriam. Hæc de mensa Domini cum homine mortali, ubi Jesus cum apostolis visibiliter visibilis communicatus est.

Est iterum mensa Domini in qua, non jam visibiliter apud mortales, sed sacramentaliter invisibiliter apud fideles, usque ad consummationem sæculi epulatur. Est autem mensa altaris, ubi veritate corporis et sanguinis Domini existente, sed sub specie visibilis panis et vini latente, memoria Dominicæ passionis cum effectu nostræ redemptionis, si adsit integritas fidei, quotidie tam utiliter quam fideliter recolitur. Totum enim fides digne sumentibus ibi operatur, quod (exhibitione certissima) credentibus exhibuit in cruce mors Christi, nisi quod illud ad omnium, hoc ad singulorum quamdam pertinet restaurationem : et nisi quod istud est subsecutive cooperativum ejus rei, cujus illud non solum præcessivum sed coeffectivum etiam nunc est. Ibi, mors Christi omnium salutem ; hic, memoria mortis illius similiter, nostram non desistit operari salvationem sacramentaliter. Sed et veraciter, quod de virgine sumptum est corpus immaculatum, quod in cruce sub Pontio Pilato a Judæis clamantibus : *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 28 ; *Joan.* XIX, 6), et a gentilium militibus appensum est et immolatum, manu sacerdotali contrectatur, et vi verborum Christi conficitur, et fidelibus populis traditur, mediantibus quidem pristinis, et consuetis speciebus panis et vini, carnem veram et verum sanguinem Christi percipimus : intervenientibus vero carne et sanguine Agni, deitati Verbi communicantes, Patri quoque Verbi, per ipsum Filium, cooperante et assistente Spiritu sancto, indubitanter accedimus. Et sic ex ipso et per ipsum Filium, cooperante et assistente Spiritu sancto, indubitanter accedimus, et sic ex ipso et per ipsum, et *in ipso vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28) ; non sicut quælibet creatura, sed tanquam nova et renovata ad imaginem Dei rationabilis creatura.

In mensa ista potentiam et gratiam ponit Deus ; homo, fidem et obedientiam. Mirabilis potentia Dei, qua panis in carnem, et vinum convertitur in sanguinem ! Mirabilis æque potentia, qua, sic tanta res agitur, ut sub signaculo fidei clausa, solis mundis fidei aspectibus intra velamen oppositum penetretur! Gratia naturæ usum et cursum transiliens, sicut carnem Virginis in carnem Christi sanctificando creavit, et creando sanctificavit, similitudinem quidem carnis peccati conformans Verbo Dei, sed ad purum excoquens naturam humanitatis, ne esset caro peccati ; sic de pane (mirabili conversione) efficit corpus Christi, contegens specie panis, id quod veritate, non similitudine, est verus panis qui de cœlo descendit ; similitudine autem non veritate, panis qui de clibano venit. Ecce gratia, ecce potentia, quæ ornant, sed et informant mensam istam.

CAPUT II.

Iterum de triplici mensa, sacramentali, naturali et mystica: et de fidelibus illarum dispensatoribus, Mose et Paulo.

In tabernaculo testimonii, jubente Domino, mensa ponitur extra velum, et candelabrum contra eam in latere tabernaculi meridiano. Escam animarum, pabulum spirituum, dapes cœlestium deliciarum præfert hæc mensa; hæc, inquam, mensa plena visceribus misericordiæ, charismatibus referta gratiæ; edentium penetralia mirabiliter implendo; non explet appetitus residentium satiando, acrius sed et sacratius urget. Est enim hujus convivii nihilominus et convivantis natura, ut succumbant semper desiderio, nunquam fastidio. Quid enim? cui visio gloriæ, cui beatitudo sempiternæ vitæ, cui exaltatio indeficiens, cui jubilatio semper sufficiens, in tædium poterit venire? Procul dubio hujus mensæ edacitas inculpabilis potius commendatur quam condemnatur. Abstinere quidem his culpa est et pœna; absorbere vero gloria et corona. Non forte, ibi formidas consumptionem ubi omne bonum exundat consummationem? non parce prandendum, ubi cibum invenis Deum. Hodie si totum præsumpseris, totum cras sine dubio nihilominus habebis. Totum diligendo, totum sumis sed non consumis. Ut enim diligendo non vastatur dilectio, sic quando a nobis sumitur amando, nequaquam finitur ille qui est vera dilectio. Ventremne times onerare? imo abundanter accipe; si ventrem et mentem vis relevare. Onera nostra namque tollit, non imponit. Non in ventre tumor, non in venis excrescit superfluus humor. Cor petit et sanat, cor implet et mundat, cor lustrat et illustrat. Cibus iste, vitam sine molestia parat, levamen sine gravamine, immortalitatem sine corruptione. Non desunt etiam a mensa Domini fructus pomorum, non botrus Cypri (*Cant.* I), non fistula e cinnamomum, non unguenta suavissimi odoris, non denique quidquid visu est delectabile.

Hæc de mensa ista, sive de his quæ in mensa ista sunt sufficiant. Quicunque igitur his Dominicæ mensæ benedictionibus confortatus, aperto fidei ostio, ultra velum sanctuarii, ad sedentem in throno totis desideriis accedere voluerit, manum devotionis ad eamdem mensam frequentius retorqueat, et de ipsa alimentum vitæ sumat. Stationem namque medii veli non præripit, qui vigorem spiritus infra ex Dominicis alimentis non percipit. Non habet quoque idoneum palatum ad percipienda invisibilia et sacratiora Trinitatis arcana, qui antea prælibaverit visibilia nostræ fidei sacramenta. Ob hanc denique causam, ætates, nomina, numerum, sexum, officia, dignitates, valetudines, capacitates, regiones, consuetudines, mores et habitudines ad se venientium, in statera justa compensans Dominus omnium, diversarum apponit gratiarum panes, ne de inopia, alicui pauperum vel infirmorum justæ suppetant excusationes. De agro igitur ventris Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, tanquam de acervo tritici vallato liliis, viginti quatuor panes (juxta numerum viginti quatuor seniorum, in conspectu Agni astantium [*Apoc.* IV]) ad compescendam omnem famem, ad sanandam omnem pestem, et ad removendum omnem languorem; quanta potui sedulitate, interrumpendo curarum exundantium acies, in hoc opusculo collegi. Hic enim numerus, tam filiorum Jacob quam apostolorum Christi, duodenarium numerum duplicatum significat. Sub hoc etiam numero libri continentur Veteris Testamenti. Plenaria igitur instructio animarum prælibatur ex hoc numero librorum, et nihilominus plena refectio apprehenditur ex hoc panum numero. Ab oriente itaque et occidente, a septentrione et meridie ad signum Abrahæ concurrentes; ne deficiant in via, de panibus miserationum Domini sese reficiunt, et defectibus suis perpetuam refectionem exhibent. Nam præter et supra naturam nostri panis quotidiani qui deficit cum reficit, panes Dominici sunt: qui e converso crescunt cum reficiunt, dum sumuntur non consumuntur; comminuuntur, sed non imminuuntur; immutant sumentes, sed a sumentibus non mutantur. Horum itaque singulorum nomina et virtutem breviter prius perstringens, prout Dominus dederit, aliquanto latius subsequenter edisseram.

Panis alius parvulorum et infantium, alius perfectorum et provectorum. Item, panis alius azymus, alius fermentatus; item alii panes primitiarum, alii propositionum; item alius similagineus, vel triticeus, alius hordeaceus; item alius lugentium, alius lætantium; item alius servorum, alius filiorum, alius mercenariorum; item panis alius subcinericius qui non reversatur; alius qui de multis speciebus confectus, pro fimo humano, bovino operitur; item alius communis et plebeius, alius sanctificatus et solis congruens sacerdotibus, alius coctus in clibano, alius in sartagine, alius in craticula; item alius unctus oleo, alius conspersus; item alius calidus, alius durus et frigidus. Ecce panes, ecce mensa et seniores domus Israel qui cum junioribus comedunt, laudantes nomen Domini. Sed quis ministrat? Certe omnia vasa utensilia, et luminaria in usus epulantium necessaria: *Moyses* tanquam *fidelis dispensator in domo Dei* (*Hebr.* III, 5), quæ est Ecclesia, administrat; præcipue tamen in aquis parandis, unde et nomen habet, officium suum exercet. Quid enim aliud, ordinem creationis totius creaturæ contexens, insinuat, nisi quando, et a quo, et unde, et quomodo, et ad quid, hæc mensa sive massa universitatis subsistat? Unde terram fundatam animadvertere potes quasi mensam positam, cœlum super et circumpositum, quasi mappam circum extensam, sicut et arca circumtexta erat ex omni parte, auro; firmamentum tanquam candelabrum, et in candelabro, duo magna luminaria, solem et lunam, sublucentibus stellis tanquam candelis (*Gen.* I). Aerem imbriferum, tanquam lavatorium

vel infuserium : rursus serenum, tanquam et exhibentem manutergium. Mare, velut omnium sordium emundatorium. Terram, panem et vinum, carnem et pigmentum, et aliud vitæ hujus sufficiens sustentamentum natura subinferentem, ex moderatione spiritus cuncta regente et disponente. Hic ordo est in mensa historiæ convivantium.

Deinde his ab historia satiatis surgentibus, et aliis satiandis in allegoria succedentibus, alius exigitur ornatus. Delicatior namque animus, sensu historico tanquam legumine viliori parumper degustato, subtiliora quærit, et elegantiora allegoriæ sacramenta appetit. Paulus igitur, ad paradisum sive tertium cœlum raptus, quid ministraret et qualiter didicit, et prius in officio strenuus, postea incomparabilis in omni administratione sua enituit. Paravit delicias, non deliciosus, sed avidus deliciarum ineffabilium reparator et contemplator. O quantos sudores coquus iste, in ciborum præparatione sustinuit; o quam studiosus palati alterius investigator et sui crudelissimus persecutor exstitit : gratiosus dispensator iste, sermones exhortationum suarum, pro voluntate et utilitate auditorum, sale gratiæ novit condire, et omni benedictione et gratia spirituali tanquam adipe superfundere. Hic, hic, Ecclesiam tanquam mensam habuit; mappam in mensa, fidem in Ecclesia, magna luminaria, quatuor Evangelia; aquam Salomonis, sacramentum baptismatis; panem et vinum, Eucharistiæ mysterium; cibos innumerabiles, sanctas virtutes; servitores, distinctos Ecclesiæ ordines; convivatores, universos fideles; vestes epulantium, mores credentium; fructus pomorum, exempla sanctorum. Miser et miserabilis, qui non intrat in locum convivii sive *tabernaculi admirabilis!* (*Psal.* XLI, 5) qui extra est tanquam frater senior in agro, qui audit nec exaudit symphoniam unitatis et chorum charitatis (*Luc.* XV), qui audit (sed extra) organum divinæ jubilationis, qui audit (sed exsors) psalterium modulationis. Qui enim intus est, lætatur; qui extra, cruciatur. Qui intus est, satiatur in bonis; qui extra est, deficit in malis. O quam bonum et quam jucundum sedere ad mensam Pauli! Et hæc refectio allegorica.

Surgendum est igitur ab hac, quia peregrinationis est mensa, et properandum est ad illam quæ in patria, ubi cœnat Sponsus cum Sponsa. Mensa illa vera et æterna, beatitudo sanctorum est. Hanc exornat sapientia, hanc præparat misericordia. Ad hanc non admittuntur nisi quorum nomina in libro vitæ inveniuntur : *Millia millium* huic *ministrant, decies centena millia assistunt* (*Dan.* VII, 10). Ibi non aqua, non vinum potantur, sed plenissima jucunditas filiorum Dei, ab ubertate impletur. Saporum diversitas non requiritur, quia omnis sapor in uno sapore percipitur. Quid plura? In contemplatione Jesu, est refectio delicatissima, debriatio ultima, quies abundantissima, deambulatio spatiosissima, sanitas inconcussa, fortitudo robusta, omnium bonorum possessio secura, vita beata. Respicis Jerusalem, et accipis desiderium; Jesus te respicit, et in se rapit animum. O mensa, quid es? Esne dicibilis? esne saltem cogitabilis? Lingua certe immunda non te apprehendit, polluta labia etsi de te, non tamen te loquuntur, quia *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII, 3); utinam, cor meum, vel tu intrares, vel ad te intraret illud! Sine dubio, si intrares, totum caperes; revera, in utroque felix, vel si caperetur, vel si raperetur. Nam si caperetur, caperet; si raperetur, raperet. Quid autem caperet vel quid raperet? Forte caperet cibum, raperet pomum? imo caperet Spiritum, raperet Deum. Non timeat qui ita capit vel capitur, quod criminaliter seu civiliter accusetur. Es plane, o mensa immensa, etiam in hoc admirabilis, nihilominus et amabilis, quia non exiit a te qui intrat ad te. Clauditur siquidem infra ambitum tuum, non tamen inclusus, verum plena beatitudine feliciter circumclusus, et jucunde circumscriptus.

O carnis odiosum pondus, quo negatur exsilire ad salutem! O fomes peccati, omni virtute confodiendus, quo detinemur in hanc necessitatem! o mensa Dei, utinam anima mea in se propter te liquesceret! utinam a se in se deficeret, ut se interficeret! o mira suavitas! Certe, stylus iste modo mihi jucundior est, ex quo enim de te cœpit scribere, promptior non destitit currere. Oro veniat ad te, non stylus scribens, sed anima diligens, non exaratio styli, sed devotio cordis. Da bucellam panis, da favum mellis, da poculum vini, ut refectione tua confortatus, de reliquiis tuis erogem pauperibus, et dignum aliquid dicam de Scripturarum panibus. Jam jam veniamus ad panes; sed breviter prius recolamus, quas in mensis conceperimus ascensiones. In prima mensa, a carne conscendimus ad animam; in secunda, ab anima ad spiritum; in tertia a spiritu ad Deum. In prima, vivimus, sed non semper; in secunda non morimur, et semper; in tertia mori non possumus, æternaliter. Prima, est cella vinaria; secunda, cella aromatum; tertia, cubiculum. In prima vocamur, in secunda justificamur, in tertia glorificamur. In prima cum sanctis, in secunda cum angelis, in tertia erimus in Deo et Deus in nobis.

CAPUT III.

De pane fermentato, et fermento veteri, per exomologesim expurgando.

Justus, in principio sermonis, accusator est sui (*Prov.* XVIII, 10). Quod autem sit emolumentum accusare se ipsum, alia demonstrat Scriptura : *Dic tu*, inquit, *prior iniquitates, ut justificeris* (*Isa.* XLIII, 26). Ecce copula, ecce mistura vini et aquæ, fermenti et farinæ, veritatis et justitiæ. *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospicit* (*Psal.* LXXXIV, 12). Terra peccator, veritas est confessio. Justitia quæ novit figmentum nostrum fragile quidem, quia lutum, superbum quoque, quia de propagine transgressionis Adæ progenitum, de cœlo est, quia castrorum cœlestium custos est. Et forte ipsa posuit suffraganeum, cherubim et gladium flammeum

atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ (*Gen.* III). Cherubim quidem, quod est *plenitudo scientiæ*, ne per mendacium et blandas adulationes seduceretur; gladium, ne sine incisione cordis confidens in obstinatione sua patriæ introitus, et a proscripto in exsilium reditus eluderetur; flammeum, ne tunicis indutus pelliceis et plumis obsessus, vanitatis mundanæ flammam contingeret inustus; versatilem quia, *cum iratus fuerit Deus, misericordiæ non obliviscitur* (*Habac.* III, 2); vel, ne cujuspiam fraudis velocitate, ingressus subriperetur. Justitiæ obediunt hæc omnia. Cum parcendum decernitur, recondunt se in vaginam, cum feriendum, emittunt sagittas et fulgura vibrant; incedunt erecta cervice, contra insensatos, submittunt alas ad vocem humilium; et ad confessionem conversorum; peccantes persequuntur, confitentibus inflectuntur. Sumat itaque accusationis gladium, qui lignum vitæ esurit, rejecto excusationis scuto; sumat plenitudinem scientiæ, sumat imaginem, sumat veritatem quæ rotunda et versatilis est. His etenim insignibus et vexillis delinitur justitia, vultum jam convertens non iratum sed mitigatum, ad confitentem : Sine, inquiens, o cherubim, confitentes *ad me venire, talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 14). Abjecerunt arma iniquitatis, et arma justitiæ assumpserunt : *sicut enim* exhibuerunt *membra* sua *servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem*, ita nunc exhibent *servire justitiæ ad sanctificationem* (*Rom.* VI, 19). Ecce in ore veritas, in corde charitas, in conscientia puritas, humilitas in habitu, abstinentia in victu, modestia in incessu, castitas in aspectu, in omni loco oratio, in omni tempore meditatio, in toto corpore afflictio, in tota anima devotio, desiderium ante Deum, lacrymæ die ac nocte ad Deum. Sic a sordibus pristinis lota flumine lacrymarum, detersa veritatis linteo, accensa charitate, purgata confessione, ornata humilitate, cincta abstinentia, circumamicta modestia, castitate glorificata, oratione elevata, meditatione suffulta, devotione inuncta, desiderio in cœlis recepta, a nobis est approbanda, et ab angelis honoranda. Anima sic justificatur, quæ bene et plene confitetur.

Dicendum est quare panem fermentatum confessioni de peccatis comparaverim, et quare eumdem panem, omnibus aliis de quibus tractaturus sum præposuerim. Fermentum, peccatum est; unde Apostolus : *Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio* (*I Cor.* VI, 7). Sicut enim fermentum vetustatis saporem et corruptionem massæ cui immistum fuerit, diffundit; sic peccatum castitatem omnium operum quibus se immiscuerit adimit. Sicut enim ait Apostolus : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*I Cor.* V, 6). Et Jacobus : *Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Ecce, quomodo peccati venenum sive fermentum, venarum meatus omnes inficit, ut omnes justitiæ quas fecerat homo, postquam aversus fuerit, non recordentur. Quid ergo? Vincitne malitia sapientiam? Quare dictum est ab Apostolo : *Non sicut delictum, ita et donum?* (*Rom.* V, 15.) Quæ est hæc justitia? Revera, sicut abyssus multa. Quis illustrare hanc profunditatem et mysteriorum abyssum poterit, nisi Deus *qui dixit de tenebris lucem splendescere?* (*II Cor.* IV, 6.) Scriptum est, quia *sapientia vincit malitiam* (*Sap.* VII, 30); scriptum est, quia, *non sicut delictum ita et donum* (*Rom.* V, 15), et : *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*ibid.*, 20). Econtrario scriptum est : *Modicum fermentum totam massam corrumpit; qui totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus* (*I Cor.* V, 6). Hic dentes obstupescunt; hic, Isaac oculi caligant, et clare videre non potest. Quis horum dissonantiam (ne dicam, discordiam) ad pacem, ad veritatis lucem deducere potest, nisi clavis David quæ clausa aperit, confusa distinguit? Apposita igitur clave, vectes hujus quæstionis facile sic resolvimus. *Modicum fermentum totam massam corrumpit;* sed cum calcaribus peccati liberum arbitrium collum submittit, sed cum modicum mali in quantitate operis crescit, exuberante affectu peccandi, et superat affectum reluctandi, assiduitas mali tam delectatione quam consensu. Tunc ergo : *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, cum (licenter et expedite) atrium animi, malitia invadit, et nullum justitiæ seu disciplinæ obicem invenit. *Vincit* vero *sapientia malitiam* (*Sap.* VII, 30) cum subintrat gratia et solvit liberum arbitrium compeditum, nondum assurgente, nondum cooperante eo qui tenebatur in vinculis. Nam gratia sola vincula solvit; solutis vero vinculis, liberum arbitrium sequitur gratiam, et inhæret gratiæ, ut deinceps gratia præeunte et cooperante, liberum arbitrium persequatur inimicum et comprehendat auferens ab eo tributa servitutis, et vindicans sese in ingenuitate libertatis. Ubi non erat gratia, modicum fermentum totam massam corrumpebat; et ubi venit plenitudo gratiæ, excutit collum de sub jugo et regno peccati liberum arbitrium, et ita : *Sapientia vincit malitiam.*

Exit ergo ad portam confessionis, compeditus (imo solutus ille) et proponit litem adversus peccatum; narrat injurias quas misera conscientia a peccato perpessa sit, tenorem causæ, tam integraliter exponit quam visceraliter dolet; verus enim dolor tangit eum. Ideo neque dicenda neque silenda omittit; in amaritudine enim est. Tempus quando exactori se vendidit usque ad minimum momentum exprimit. Locum, quia locus sanctus quidem appellatur, ad exaggerandam malitiam et suam miseriam, dicit. Modum facti, et quidquid a primo peccati motu usque ad introitum gratiæ debacchavit in se mors, cum lacrymis exponit. Per ordinem, inordinata disponit. Emittit cineres extra castra cordis (*Num.* XIX), ne saltem memoria Amalech in abortivis suis reperiatur (*Exod.* XVII). Nam et peccatum et peccati memoriam subvertere funditus cupit. Sic veritas de terra oritur. Refor-

mare quidem primæ naturæ et primi status ordinem primum vult, sed pendet quo natura ordine incederet si pedes tortos non haberet. Aliter enim pes rectus, aliter tortus, per vestigia sua deprehenditur. Ordo itaque naturæ jam per peccatum corruptæ, perverse graditur contra sanctæ et a Deo constitutæ naturæ ordinem. Suis itaque vestigiis persequenda, et ab errorum exorbitatione ad veritatem est revocanda. Quamobrem investigandum unde et quo ceciderat, nihilominus etiam, qua et quo reduci debeat inquirendum. Ut igitur status rationabilis naturæ quis fuerit, ab initio utcunque apprehendamus, causam creationis, scientiam, potentiam et bonitatem Creatoris in unum conferamus : et quale opus ex conflatorio tanti artificis, præjacente causa non ignobili, produci potuerit et debuerit, excogitemus. Et causa quidem conditionis humanæ (quantum Scripturarum insinuatione elucidatum est) aut reparatio angelicæ ruinæ fuit, aut summi et incircumscripti spiritus, familiaris et certa inconcussaque visio.

Præter istas quæ in arcanis divinæ mentis adhuc latent, multo his procul dubio excellentiores, nec non et subtiliores existunt. Deprehendi tamen non tenuiter, alterius vel utriusque causæ adminiculo potest, quod quærimus quam præcellens videlicet ex sua creatione, humana natura exstiterit. Nam in hoc (licet incurvatus gibbo inobedientiæ) Adam remetiri se potest, si stellas cœli dinumeraverit; et, non sicut stellas, sed supra stellas se semper mansurum fuisse si pedem non movisset, animadvertit. *Sic*, inquit Dominus ad Abraham, *erit semen tuum sicut stellæ cœli* (*Gen.* xv, 5). Erit ex semine Abrahæ, per fidei meritum, quod utique in Adam cum sobole sua esset nulla interveniente pœna vel morte corporis, si cooperante gratia obedientiam teneret. Erit in fine sæculi, per sanguinem Christi redempta hæreditatis possessione, quod esset, sine pretio sanguinis impleta utique sanctorum congregatione. Sine dispendio namque itineris et laboris pervenisset] quo reportari crucis navigio, Christi manibus et brachiis in remigando valde fatigatis, vix quandoque poterit. In portu si exspectasset, in aulæ penetralibus (absque angustiarum circuitu) de famulo in filium, Deus et Pater eum transtulisset. Pes ejus neque sanguine tingeretur, neque pulvere fœdaretur. Item, mortalitatem tam facile transiret, quam leviter vigilans in somnum deductus quiesceret. In æqualitatem angelicam, exutus carne mortali, tam cito consequeretur, quam cito sol oriens, lucis radios secum ad contuentium obtutus deferre solet. Nimirum labor non multus expenderetur, si causæ a Deo homini paratæ, suus effectus per hominis obedientiam manciparetur. Non inclinaret cœlos partus virgineus, si pomum prohibitum non contingeret Evæ tactus temerarius. Sed causæ impedimentum attulit, ne viveret immortaliter, et angelicæ gloriæ socius aretur æternaliter, mandati prævaricatio et pomi comestio.

Locus quidem causæ satis contiguus, ut homo de paradiso transferretur ad cœlum, persona nihilominus idonea causæ, ut homo obediens per obedientiam, sortem (propter inobedientiam) deperditam acciperet. Ut fidelis famulus, de lubrico mortalitatis enavigaret ad solidum portum immortalitatis, ut secundum rationalitatem et immortalitatem comparatus angelis, in instrumento corporis assequeretur per remunerationem quod nondum obtinuerat per creationem; fieret autem in spiritum vivificantem, qui factus fuerat in animam viventem, quatenus non solum necessitas moriendi, sed et habilitas tolleretur, dum corpus quod erat animale fieret spirituale. Unde Apostolus : *Si est animale, est spirituale* (*I Cor.* xv, 46). Et animale quidem; tale erat ante peccatum, ut tam peccare quam deficere per liberum arbitrium conditio mortalitatis posset si vellet, non posset si nollet; post peccatum autem, peccat et deficit etiam nolens, unde Apostolus : *Vanitati creatura subjecta est non volens; sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* viii, 20). Post liberationem vero plenam quæ futura est in resurrectione communi, non peccabunt neque peccare poterunt, *sed erunt sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* xxii, 30), quod est esse spiritale non animale.

Sed cum et ad spiritale necdum pertingas, ad animale vero, quale conditio constituit, redire nullatenus vales; animale corruptum interim attende qualiter renoves, et nondum reformatum sed putrefactum atque jumentis insipientibus comparatum, qualiter sustentes diligenter animadverte. Dabis ei fenum, quia animale est? Nequaquam! Est enim animal rationale mortale. Alio quidem pascitur pabulo rationale, alio irrationale. Feno alitur irrationale, pane reficitur rationale. Itaque panem nostrum animali (quia rationale est) ministremus, sed fermentatum quia corruptum est et abominabile factum in studiis suis. Nec apponamus prius azymum, sed fermentatum, deinde azymum, quia *non prius quod spiritale, sed quod animale, deinde quod spiritale* (*I Cor.* xv, 46). Nam ut indecens est *vinum novum* mittere *in utres veteres* (*Matth.* ix, 17); sic stomacho iniquitate corrupto, et dentibus putridis propter mendacia labiorum, panem azymum qui corruptionem non vidit, cum periculo anteponimus. *Probet* enim *se* prius *homo, et sic de pane illo*, id est azymo, *edat* (*I Cor.* xi, 28). Judas, buccellam panis quidem azymi accepit, sed medius crepuit. Vis enim magna, discernens mundum ab immundo in pane illo, cum stercoribus avaritiæ et infidelitatis proditoris non patitur immorari. Est *in ruinam et in resurrectionem multorum* (*Luc.* ii, 34). Est *odor mortis in mortem*, est *odor vitæ in vitam* (*II Cor.* ii, 10). Aut purgat, aut necat. Si sanabilis es, curat te, si insanabilis, ægritudinem augmentat. Medicina est. Morbus si curabilis est, apta medicinam, quia si qualia oportet purgari, purgentur, con-

fert et bene ferunt; contraria vero importune sumentur, ut qui sine reverentia et sine delectu panem sanctum accipit, plus ei sua irreverentia obsit quam cibi sanctitas prosit.

Qui ergo in iniquitatibus suis adhuc, velut sus in volutabro luti submergitur, panem fermentatum in sudore vultus sui comedat gemens et dicens : *Iram Domini, quia merui, portabo* (*Mich.* VII, 9). Indignum se ad panem azymum comedendum contestetur, et dicat : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII, 8). Sed quid est fermentum ? Vindictam de peccato, fermentum esse credo. In pane sive conspersa farina, commiscetur fermentum quando *ira Dei de cœlo revelatur super omnem animam hominis operantis malum* (*Rom.* I, 18). Sed patienter flagella Dei sunt toleranda, quia cibus sunt ut reficiant. *Et qui cæpit*, inquit Job, *ipse me conterat* (*Job* VI, 9). Potest enim figulus luti, vas perditum (et si confregerit) in melius reformare. Sic, *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, quia *contra spem in spem credidit* (*Gal.* III, 6). Quid est, contra spem in spem credere, nisi cum flagellaverit Deus, tunc amplius in eum sperare? *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, ait Job (XIII, 15). Et ille qui contra spem in spem credebat, non consideravit corpus suum emortuum, nec vulvam Saræ sterilem cui defecerant muliebria. Sic peccator, licet jam sit emortuum corpus ejus, senio vel languore, credat tamen adhuc venas misericordiæ in Deo palpitare, quibus justificat impios, quibus vivificat mortuos, et *vocat ea quæ non sunt*. Apud eum damnum in ore non imputatur, duntaxat si plena destitutio, plenis gemitibus, vel in extremo vitæ reformetur. Pulset ad januam, quia nondum clausa est dum vivit homo, dum confitetur, dum ingemiscit, dum spiritus est in naribus ejus. Comedat panem fermentatum, et sacrificet de fermentato laudem. *De fermentato* enim *laudem* immolat (*Amos* IV, 5), qui veram confessionem de peccatis celebrat. Ut enim peccando, Deum contemnebas : sic confitendo honoras. *Confitemini* igitur *Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CV, 1). Amen.

CAPUT IV.

De pane azymo.

Venit igitur Dei Filius natus ex Virgine, absque fermento culpæ, et tulit de massa humanæ naturæ, solummodo farinam incorruptæ carnis, non fermentum seu fomentum originalis peccati. Cribro namque Spiritus sancti eventilavit furfur iniquitatis, a sacrosancta carne concepta in utero et de utero Virginis. Animam quoque rationalem, in unitate personæ, sibi assumpsit. Et carnem quidem in sacrosancto cœnæ convivio, tanquam reparationis azyma nobis apposuit, et statim, in cruce pascha novum instituens, obtulit. Animam vero ad spolianda tartara transmisit. Hic conceptus exterminavit fermentum, hic natus destruxit peccatum. Nam *quod impossibile erat legi*, ut ait Apostolus (*Rom.* VIII, 3), *in qua infirmabatur per carnem*, scilicet destructo peccato, justificare hominem : *Deus Filium suum misit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum*, id est novo veterem, azymo fermentatum. Repurgati igitur animo et spiritu, *in azymis sinceritatis et veritatis* (*I Cor.* V, 8), diem redemptionis nostræ de Ægypto (*Exod.* I), id est peccato vel diabolo, solemniter recolamus. Reminiscimur certe quam immisericorditer exarserunt in nobis servi Pharaonis, ad opera luti et lateris, supra quam possibile erat nos cogentes. O misera anima, cui nec paleæ transitoriæ felicitatis olim in Ægypto dabantur, et tamen exactione diabolica, coinquinationis et maculæ opera exigebantur! Corpus quidem immergebatur in concupiscentiis carnis, anima absorbebatur a desideriis malignis; nec sic satisfiebat spiritibus erroris! Non enim ingluvies satiatur dæmonis, quandiu superest animæ spes correctionis. Extra guttur enim et ventrem sentit, quem non retinuisse per desperationem gemit. Nam de mediis ejus dentibus et faucibus multos ereptos uncino conversionis, fuscinula confessionis, et tridente supernæ miserationis, in æternum et ultra congaudet Abrahæ sinus. Quandiu tamen luce veritatis nondum superfusa ignorantiæ tenebris caligabat anima, quo ducebat spiritus malus, sequebatur nec conquerebatur. Vilissimis porcorum alebatur cibis, pro balneo, utebatur immundissimis Ægyptiorum spurcitiis. Ollas carnium, cepe et allia, ut conspectibus Creatoris abundantius feteret, vorabat : azyma ignorabat; manna non noverat.

O anima misera et miseranda, non est qui consoletur te ex omnibus charis tuis! sed tu, misericors et miserator Domine, exaudi, placare, attende et fac. Quicunque etiam habes animam, si cœlestem ejus generationem, si parentis exspectabilem dignitatem recitaveris; propensiori miseratione, super ejus contumelia afficietis. Nam, etsi nativitatis suæ instrumenta (forte, quia in scriniis angelorum reposita servantur, ne hostili interversione vel tineæ comestione corrodantur) non proferat; attestatione tamen idonea id asseveratur, quod a Deo facta et ex Deo regenerata, Regis filia nuncupatur. Puella generosa, tenera et delicata, formosa et candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inventrix, constans in amore, verax in promissione, larga in donatione : socialis ad cives, affabilis ad omnes. Denique rapitur puella, o crimen! generositas ancillatur, o pudor! delicata laceratur, o pietatis naufragium! formosa denigratur, o damnum pulchritudinis! obscuratur candida, o gloriæ convicium! ignara doli fraude seducitur, o justitiæ exitium! insueta laboris, labore atteritur, o miserationis exsilium! capax virtutum virtutibus evacuatur, o exclusio bonorum! Vitiatur damnatrix vitiorum, o commutatio dæmonum! inventrix artium, inventorum obliviscitur, o ignaviæ pabulum! in amore constans, instabilis invenitur, o naturæ lubricum! Verax in promissione, quotidie mentitur,

o peregrinationis invium! in donatione larga, in avaram vertitur : o exsiccatio venarum! socialis sine fœdere, o vitæ corruptionem! affabilis infrunita redditur, o coagulum dilectionis vastatum! O clementia Creatoris : eripe illam de ore leonis, restitue illi statum libertatis, repone in deliciis pristinis, reforma deformatam, renova obscuratam, libera deceptam, amove laborem, redde virtutes, cura vitiatam, doce oblitam, confirma lapsam, pone in veritatis viam, destrue avaritiam, fœdus societatis constitue, affabilem redde!

Ecce, anima quindecim gradibus quibus peccando corrueras, pœnitendo azyma sinceritatis recipias. Quot namque casibus a Deo recessimus tot gradibus virtutum, ad ipsam Dei virtutem, pennis desideriorum revolamus. His, de Ægypto ad terram promissionis ascendimus; his, ad altare thymiamatis, veste sacerdotali insigniti procedimus; his, promissiones Novi et Veteris Testamenti consequimur; his, denique ascensis, epulamur *in azymis sinceritatis et veritatis* (*1 Cor.* v, 8). Hæc Pauli verba de azymo pane, non dissonant ab eo quod scriptum est in Exodo de ejus observatione : *Septem diebus*, inquit Moyses, *comedetis azyma, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicunque comederit fermentatum a prima die usque ad septimum, peribit anima illa de cœtu Israel* (*Exod.* xii, 15). Explanandum itaque, quæ sit prima dies, quæ secunda, quæ tertia, et usque ad septimam, quid in se sacramenti contineant. Prima dies populi Domini est, per fidem illuminatio mentis; secunda, ipsa professio fidei; tertia, susceptio visibilis sacramenti; quarta, operatio fidei; quinta, discretio boni et mali; sexta, pro fide servanda, tolerantia passionis; septima, optata quies a vitiis. A prima igitur die usque ad septimam, quicunque fermentatum comederit peribit de cœtu Israel, quia sortem nullam habebit in regno Christi et Dei, qui spiritui gratiæ contumeliam faciens, redit post conversionem fidei ad vomitum infidelitatis. Unde Apostolus : *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes* (*Hebr.* vi, 4).

Prorsus insinuat vis sententiæ, quam grave sit, post conversionem delinquere, hoc est a primo die usque ad septimum, fermentum comedere. Cavendum (juxta Evangelium) *a fermento Pharisæorum* (*Matth* xvi, 6), quia *modicum fermentum* vitiorum, *totam massam corrumpit* (*Gal.* v, 9) virtutum. *Qui totam legem*, etc. (*Jac.* ii, 10.) Attende modicum fermentum totam massam corrupisse; in uno peccato Adæ, tota infecta est posteritas filiorum. Satis quidem modicum fermentum pravæ delectationis, sed plus quam satis grande et grave tormentum justæ condemnationis. Certe, duriori tormento et longiori momento pœnaliter afficitur, qui vel ad modicum fermento concupiscentiæ sæcularis delectatur. Unde Job : *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior*, in statera! *quasi arena maris hæc gravior appareret* (*Job* vi, 2); quasi diceret : Si hinc inde, justo et æquo moderationis libramine pensetur culpa et pœna, incomprehensibiliter gravius affligit pœna, quam delectaverit culpa. Nam ad punctum et in modico tanquam spuma aquæ defluxit, vel sicut fumus de fumario evanuit peccati delectatio; sed internaliter extenditur prolixitate et anxietate atrocium pœnarum excruciatio. Timendum igitur et abstinendum a ferménto, a primo die usque ad septimum, ut cum illuminatus fueris luce fidei (quæ præcedit omnia opera Dei et diei) non denuo redeas ad confusionem antiquarum et antiquandarum tenebrarum. Lucifer enim qui retrorsum præsumptione superba, suum amorem in se ipsum convertendo respexit, primam diem fermentavit, et ideo, de cœtu filiorum Israel, id est angelorum qui Deum amore et obedientia secuti et assecuti sunt, æterna periit, et loci et meriti sequestratione. Non itaque retro respicias, sed cum sanctis animabus semper *ante faciem* tuam, *ubi est impetus Spiritus* (*Ezech.* i, 12); sine retrogradatione tendas et contendas. *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* ix, 62).

Hoc de fermento primæ diei : videndum est de fermento secundæ. Redarguit Paulus quosdam, qui fidem Evangelii professi jam quasi firmamentum relucebant in medio nationis pravæ et perversæ : sicut firmamentum dividit aquas superiores ab inferioribus, quia fermentare firmamentum evangelicæ fidei volebant. Cum sacramento enim baptismatis, quod est sufficiens emundatio cunctarum leprarum, reconcisionem [circumcisionem] quasi necessariam superinducebant, et ita, veteri fermento, novitatem gratiæ confundebant. Ait itaque : *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit* (*Gal.* v, 2); et alibi : *Utinam abscindantur qui vos conturbant, qui enim cogunt vos in carne circumcidi*, etc. (*Ibid.*, 12.) Ecce quomodo condemnandus est, qui spiritu mentis suæ renovatus et professione religionis inter aquas cœlestium virtutum et aquas desideriorum carnalium constitutus; illas sitiens, istas siccans, illas attrahens, istas extrahens, illas sorbens, istas absorbens, si, quæ destruxerat, iterum reædificat; si, quod laverat, iterum condemnat; si dissolvit quod statuerat. In templo cordis tui non statuas statuam Dagon cum arca sanctificationis; non filium Veneris, cum Filio Virginis; non Beelzebub cum Jesu. *Quæ enim communicatio Christi ad Belial?* (*II Cor.* vi, 15.) In die itaque azymorum, ne gustes fermentum, quia exterminaberis de cœtu filiorum Israel.

Et hoc de fermento secundæ diei; nunc de fermento tertiæ diei. Parum est *corde* credere *ad justitiam*, nisi *ore* confitearis *ad salutem* (*Rom.* x, 10). Præcedens igitur illuminatio gratiæ, et sequens professio fidei, exigunt susceptionem visibilis sacramenti. Unde Dominus in Evangelio : *Nisi quis re-*

natus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5). Regeneratio spiritus, ad invisibilem pertinet cordis fidem; regeneratio vero ex aqua ad visibilem, id est sacramentalem. Hinc enim est quod in tertia die dictum est : *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida; et germinet terra herbam virentem et faciemem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram* (*Gen.* I, 9). Aliter, non apparet arida nisi aquæ congregentur in locum unum, quia non est vultibus Divinitatis anima digna, nisi in una fide catholica omnia Ecclesiæ consummaverit sacramenta. In locum autem unum bene dicuntur congregari omnes aquæ, quia in unitate fidei et charitatis conveniunt, tam sacramenta quam charismata omnia. Tunc apparet arida ab immunditiis idolorum et præcedentium delictorum. Tunc germinat *herbam virentem et facientem semen*, quia quod in visceribus fidei ejus adhuc latebat, erumpit in germen et facit fructum sursum in conspectu Dei et angelorum atque hominum. Hujus diei novitatem et puritatem fermentare voluerunt, qui rebaptizandos homines docuerunt. Semel namque susceptus baptismus non reiteratur, quia Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, semel resurrexit, *et jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9); rursum autem Christum crucifigit, qui rebaptizare instituit. Qui ergo fermentum in hoc die comederit, id est qui rebaptizatus fuerit ; peribit de cœtu filiorum Israel.

Et hoc de tertiæ diei fermento; jam de fermento quartæ videamus. Quia, ut ait Jacobus, *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20), necesse est, ut anima fidelis, *per filiorum*, id est bonorum operum *regenerationem* salvetur (*I Tim.* II, 15); *filii enim servorum habitabunt in sæculum sæculi* (*Psal.* CI, 29), quia illius fides remuneratur, quæ bonorum operum filiis accumulatur. Sunt autem fidei fructus in anima relucentes et universum orbem vitæ humanæ illuminantes, sicut magna luminaria in firmamento cœli, quæ quarta die facta sunt. Habet vero anima duo magna luminaria : *Luminare majus ut præsit diei, et luminare minus ut præsit nocti* (*Gen.* I, 16), cum implet duo præcepta charitatis : uno, diem contemplationis ; altero, noctem actionis suæ illustrans. Stellarum quoque varietate innumerabili vestit et venustat tunicam polymitam Joseph (*Gen.* XXXVII), id est Ecclesiam in sanguine Jesu redemptam ; cum prophetat secundum rationem fidei, cum *tribuit* in *simplicitate*, cum *præest in sollicitudine*, cum *miseretur in hilaritate*, cum diligit *sine simulatione*, cum adhæret *bono* (*Rom.* XII, 8); cum loquitur veritatem et pacem diligit, Hæ sunt stellæ quibus semen Abrahæ comparatur, hæ *pennæ columbæ deargentatæ* (*Psal.* LXVII, 14), quia super pennas volatur. Hæ varietates quibus reginæ vestimenta vermiculantur. Sunt denique et contra adversarias fortitudines, mille clypei in Sion, quæ est turris David, dependentes.

Fortis est anima sic armata ; pulchra, sic ornata ; calida, sic vestita. Præclara novitas diei quartæ! Sed ecce hypocritæ tanquam equus pallidus quem sequebatur mors ; sed ecce falsi Christiani pro quibus dicitur : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima!* (*Psal.* XXXVIII, 17) fermentum hypocrisis, fermentum inferunt schismatis. Qui enim dicit : *Faciamus mala ut veniant bona* (*Rom.* III, 8); qui dicit, vanus est qui servit Deo ; qui dicit, non est resurrectio mortuorum ; qui dicit, fato reguntur omnia ; qui dicit, aliter res evenire non possunt, ut fato tollant meritum et negligentiam extollant : et alii hujusmodi fermentum comedunt et comedendum suggerunt, et de cœtu filiorum Israel peribit anima eorum. Sed *telas araneæ* texuit, *et quod confotum est erumpet in regulum, quicunque comederit de ovis eorum, morietur* (*Isa.* LIX, 5).

Et hoc de fermento quartæ diei; nunc de fermento quintæ. Omne illud animal lex decrevit immundum, *quod non ruminat et ungulam non findit*, quia nullum opus bene placet divinæ majestati, quod non commendat virtus discretionis. Hinc etiam est quod non ministrat *tortum vel parvum nasum habens*, valde namque indecens est, frena regiminis ei committere, qui nunquam apprehendit frenum disciplinæ. Qui prorsus indiscretus est, nasum non habet ; qui discernit, sed insufficienter, nasum habet, sed parvum ; qui sufficit discernere, sed negligit, nasum habet, sed tortum (*Lev.* XXI, 18). Non contingat talis sacrosancta Domini vasa. Ecclesia vero quæ *omnia sua in numero et mensura et pondere* discernit (*Sap.* XI, 21), quæ in statera justa singula singulorum membrorum appendit, nasum dicitur habere *sicut turris David* (*Cant.* IV, 4). Opus nimirum quintæ diei huic discretioni convenit, in qua dicitur : *Producant aquæ reptile animæ viventis et volatile super terram, sub firmamento cœli* (*Gen.* I, 20). Hic discretio baptizatorum notatur, quia alii servata fide et devotione baptismatis, nunquam de sinu Ecclesiæ exeunt, alii per superbiam evolantes, imo evanescentes in aera præsumptionis et vanitatis, blasphemas hæreses confingunt. Hic, hic necessaria est Ecclesiæ discretio, ut noverit, pios sensus (sicut columba, electa grana) deligere ; vocem funestam hæreticorum cum profana novitate, devitare. *Necesse est*, inquit Apostolus, *et hæreses esse*. Quare? *ut, probati, manifesti fiant* (*I Cor.* XI, 19). Et alibi : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV, 1). Imploranda est ergo discretio spirituum, ut discernamus spiritum qui solvit Jesum, a spiritu qui manifestat Jesum in carne venisse. Non seducat simplicitatem nostram, qui seduxit Evam astutia sua, *transfigurat* enim *se in angelum lucis* (*II Cor.* XI, 14), et fermento fraudis suæ corrumpere nititur bonitatem fidei nostræ. Cavendum, non comedendum hoc fermentum. Et hoc de quintæ diei fermento. Jam transeamus ad sextæ diei fermentum.

Tolerantia passionis pro fide, sexta dies est. De

hac dicit Dominus in Evangelio : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* x, 32). Consummatio fidei, et totius infidelitatis consumptio est, pati pro Christo. Rara hæc virtus, sed chara, et eo charior quo rarior. Ad hanc virtutem non pervenit nisi qui habet imaginem Filii Dei. Nam, sicut in superioribus, singularum dierum opera, his animæ diebus singulis, exponendo comparavimus; sic, et in hac sexta; opus quod in ea factum est, considerandum est et coaptandum. *Faciamus*, ait Dominus, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i, 26). Christus, qui est Patris Filius, *obediens* fuit ei *usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* ii, 8). Poteris igitur imaginem et similitudinem Dei in te repingere, si pro fide Christi poteris occumbere; tunc enim, quasi ceræ sigillum imprimitur, cum morti Christi mors nostra assimilatur. Et cera quidem prius emollitur, cum anima divina desiderio in conflatorio gratiæ ad configurationem corporis Christi accenditur; et accedit tandem sigillo, vel etiam concedit in sigillum; cum de latere Christi pendet in contumeliarum perpessione, in flagellorum castigatione, in membrorum distensione, in ultima spiritus emissione. Bene resignavit suam Deus imaginem in martyre suo, ut qui jam illam primam et veram (præ clarificatione et præ exaltatione supercœlesti) non valemus videre imaginem juxta nos configuratam; per passionem respiciamus imaginis imaginem. Fermentum hujus diei, æstimo illorum pseudomartyrum passionem, qui potius pro vana quam pro vera gloria occumbere non respuerunt. Et hoc fermentum in tabernaculis justorum non invenietur, non enim pœna, sed causa martyrem facit; unde in Evangelio, cum diceretur : *Beati qui persecutionem patiuntur*, additum est : *propter justitiam*, vel etiam, *propter nomen meum* (*Matth.* v, 10). Solus igitur Christus, in conspectu tuo, crucem suam bajulans constituatur cum de pœna sustinenda animum interrogaveris, et corpus exposueris. Sic, in sexta die, a fermento abstinebis.

At, jamjam ad *requiem* septimæ diei cum Apostolo *festinemus ingredi* (*Hebr.* iv, 11), ubi absterguntur et ab animo illicita, et a corpore molesta. Nam tunc non erit grave abstinere a fermento peccati, cum jam absorpta fuerit *mors in victoria* (*I Cor.* xv, 54) resurrectionis. De hac dicit Job : *In sex tribulationibus liberabit te Dominus, et in septima non tanget te malum* (*Job* v, 19). Ita enim a tribulatione erroris primum liberat animam Deus, cum illuminat per fidem; secundo, a superstitione religionis, cum docet non solum recte offerre, bene volendo sed etiam recte dividere, sapienter opera sua discernendo; tertio, a boni propositi violatione cum omni studio et cura inordinata componere, errata corrigere, immunda emundare, fluxa restringere, et faciem cordis ab omni superficie liberare; quarto, a duplici ignorantia, scilicet, vincibili et invincibili, cum per solem supernæ illustrationis, A *occulta sapientiæ* (*Psal.* l, 8) suæ manifestat nobis secundum quod notum est Dei, id est noscibile de Deo; et per lunam sacramentorum suorum, in nocte condensa, donec dies illucescat, consolatur tenebras nostras; quinto, ab intemperantia moderatur, cum nec deprimitur in adversis, nec extollitur in prosperis, cum novit, et proximorum necessitatibus condescendere, et altæ contemplationis alas expandere; sexto, a commotione et tempestate persecutionum roboratur, cum fortior surgit de vulnere et de instabilitate aquæ transit in cristallinam soliditatem, et de molli testacea fragilitate proficit in gloriam impassibilitatis. Unde : *Aruit tanquam testa, virtus mea* (*Psal.* xxi, 16). Ecce in sex *tribulationibus liberabit te Dominus*; in septima quid? *Non* B *tanget te malum* (*Job* v, 19); quare? quia *Justorum animæ in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis, illi autem sunt in pace* (*Sap.* iii, 1). Bene erit in extremis terræ, animæ quæ sic a primo die usque ad septimum non comederit de fermentato.

Postquam autem fermentum malitiæ et nequitiæ, a domo conscientiæ depulsum fuerit; novitas spiritus, tanquam azyma, in ordine liberationis nostræ succedit. Ut enim parum est, exire de Ægypto, nisi terram promissionis intraveris; similiter non sufficit declinare a malo, nisi bonum feceris. Omne autem imperfectum est nisi sit consummatum, ut vero habeat consummationem, duret usque in finem : *Qui enim perseveraverit*, ait Dominus, *usque in fi-* C *nem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Septem itaque diebus, azyma comedenda, id est omni tempore, spiritus, anima et corpus servari debet sine querela.

Moraliter. Qui sæculari habitu et conversatione, tanquam Ægypto, relicta, ductu et auctoritate divinæ legis divinique amoris, quasi *in manu Moysi et Aaron* (*Psal.* lxxvi, 21), in solitudinem religionis ingreditur, fermentatam timeat habere conscientiam; quia periculose, de fermento sæculi, a professo religionem gustatur. Non est autem interdictus panis fermentatus, habitantibus in Ægypto, tam irrevocabili auctoritate vel austeritate, quia nimirum non constringebantur ore proprio, hujus D mandati religione. Est autem voti prævaricatio, mortis attrectatio. Qui citra votum delinquit, est quasi equi pullus, qui sine freno in præcipitium currit; qui autem contra votum facit, quasi qui corruens in frenum impingit. Planum est itaque, lapsum sine impedimento obligationis, demum facilius posse resurgere quam illum qui utroque indiget, et casus scilicet, et impedimenti sublevatione. Non tamen Ægyptus idcirco felicior vel securior quia impurior : hoc enim esset malefacere, ut evenirent bona, si ob hoc religio non susciperetur, ne postea gravius ex transgressione arrepti propositi condemnaretur; jam enim is pro malo infidelitatis punitur, cujus animus tali timiditate a bono reprimitur. Talis est, hujusmodi formidine detentus,

qualis, qui de Israëlitis, consideratione maris Rubri, vel acerbitatis deserti, Moysen non esset secutus.

Veniamus igitur ad desertum religionis, et comedamus azyma renovationis. In Ægypto, nec nominantur azyma; totum fermentatur, totum corrumpitur. Melior dicitur qui corruptior. *Coinquinatis et infidelibus* (*II Tim.* I, 15) nihil mundum, ut ait Apostolus, sed polluta sunt eorum mens et conscientia. Etiam quiescens Ægyptus ab operatione exteriori, juxta quod dicit Salomon : *Manu in manu, non erit innocens malus* (*Prov.* XI, 21). Dum non animadvertit, fermentatur. Sicut pasta, non solum cum ei admiscetur fermentum, fermentatur; sed multo magis cum a commistione cessat qui commiscuit, et ipsa pasta bene cooperta quasi quiescens obdormit. Sic animo concepta malitia, etsi videatur aliquanto tempore, forte, quia deest occasio, a malo opere cessare, eo tamen quasi acrius sævit in corde, quo non transit in opere. Unde Oseas : *Paululum ciritas cessit a commistione fermenti, donec fermentaretur totum* (*Ose.* I, 4); quasi diceret : Ut studiosius cogitatum perpetret malum, callidius pro tempore, retrahit manum. Confotum enim stuparum superjectione incendium, non dormit sed serpit, non exstinguitur, sed reficitur, sic voluntas mala, velut flamma latens vorat tandem suppositas necessitates, et rejicit, velut torrens, dilationum obices. Perfunctorium est quod timore simulatur, frivolum quod voluntarie non agitur. Ut ergo septem diebus azyma comedamus, voluntarie Deo sacrificemus : et ex animo *in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ nostræ, illi serviamus* (*Luc.* I, 75). Hæc sufficiant de pane azymo.

CAPUT V.

De pane parvulorum.

De pane parvulorum sic loquitur Jeremias : *Parvuli*, inquit, *petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV, 4). Panem frangit, qui legem exponit; fragmenta recolligit, qui in memoria sensus Scripturarum fideliter reponit. Est autem doctorum, panem frangere, est nihilominus parvulorum, fragmenta edere. Si non fregerit doctor, negligentiæ arguitur. Parvulus, si neglexerit suscipere, fame periclitatur. Cibum tamen solidiorem non usurpet, qui lactis est particeps, quia aut gengivæ dentibus nondum armatæ lædentur, aut angustum œsophagi sive gutturis foramen forte obturabitur : quorum alterum malum, alterum pessimum. In altero enim læsio, in altero præsumptio hominis, unde Apostolus : *Non*, inquit, *superbe sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Periculosior est superfluitas quam parcitas, nimietas quam raritas; et quandoque gravius ægrotatur ex superabundantia, quam ex inopia; faciliusque vacua corpora replentur quam exinaniuntur. Neutrum tamen bonum; neque nimia repletio, neque immoderata exinanitio. Quod autem temperatum est, id sanum, id sine dubio laudabile est. Ideo ait : *Non superbe sapere, sed sapere ad sobrietatem*. Ne in immensum forte præsumendo glorieris, attende quia homo; ne despetando, in profundum demergaris, attende quia es Dei imago. Supra se extolli, præsumptuosum; infra se dejici, meticulosum. In misericordiæ lucem nimium prorumpens, reverberatur, in umbrarum crassam spissitudinem proruens, æque excæcatur. Velat seraphim caput suum, non reveles, velatos quoque habet pedes; certe, velum hoc evellere, si rhomphæam videris, non audes.

Satis et multum ad te : imo et supra te, videre quæ in prospectu sunt et non velantur ut illa quæ in Canticis, de Sponso, amicis Sponsi, a Sponsa demonstrantur. *Oculi*, inquit, *ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ et residunt juxta fluenta plenissima; genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis; labia ejus distillantia myrrham primam; manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis; venter ejus eburneus, distinctus sapphiris; crura illius, columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas* (*Cant.* V, 12). Quid plura? *Species ejus ut Libani, electus ut cedri; guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis* (*ibid.*, 15). Si mater es et visceribus tuis lactando filium nutris, farinam hanc de Jesu commisce, et potentiam vel pultes exhibe : si pater, per membra divide, et convivatoribus tuis optimas partes propone. Sed quia parvulorum curam et dispensationem præ manibus habemus; juvante gratia, tanquam matre Rebecca epulas uteri nostri parvulis præparemus. In contemplatione oculorum Sponsi, apprehendimus simplicitatem et innocentiam; in genis quæ sunt *areolæ aromatum, compositæ a pigmentariis*, pietatem et modestiam, quas in narratione miraculorum et operum ejus, fideli exsecutione, vel ad instructionem, vel ad delectationem intuentium, apostoli quasi pigmentarii conseverunt. In labiis distillantibus myrrham primam, mortificationem et abstinentiam. In manibus quæ sunt *tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, operationem optimam perfectam, et remuneratione cœlesti plenissimam. In ventre eburneo distincto sapphiris naturam nostram fragilem quidem sed castam; et modo divina, modo humana operantem. In cruribus fundatis super bases argenteas, rectitudinem et firmitatem a divina prædestinatione præscitam, et a sanctis prophetis prædicatam. In specie quæ est ut Libani sive cedri, sublimitatem in resurrectione a Deo Patre adeptam. In gutture suavissimo, internum saporem et verborum dulcedinem. In eo quod totus est desiderabilis, divinitatem et humanitatem, ubique et semper desiderabilem.

Ecce de incomprehensibili majestate, tenuem et levem sorbilemque cibum parvulis nostris apposuimus; latiora vero et ampliora gestantes intellectus palata, ad uberiores remittimus mensas. Qui enim tanquam cervi super montes aromatum discurrunt, saltu diffusiori defectantur et gustu propensiori reficiuntur; qui autem tanquam bestiola de antro suo

nondum egreditur, necesse est ut de acquisitis paterni vel materni circuitus, in ipsis suis cubilibus pascatur. Qui, inquam, sicut hinnuli cap. eæ saliunt super montes, transiliunt colles : hi profecto medullam terræ comedunt, et adipe frumenti sese reficiunt; qui autem in convallibus sive in foraminibus petræ et cavernis maceriæ, nidum sibi constituit ubi ponat pullos suos, vel potius ubi plumescant pulli. grana elementorum sermonis Dei eis suffi.ant. Quid denique illi quorum conversatio in cœlis, quorum sensus penetrans abyssum Divinitatis? Sine dubio, juxta Psalmistæ vocem, volabunt; volabunt usque ad nubes et supra cœlos, *et non deficient.* Procul dubio tanquam aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, veniunt ad Libanum doctores sancti, et deferunt medullam cedri : *summitatem* quoque *frondium* evellunt, et transportant *in terram Chanaan, in urbe negotiatorum* (*Ezech.* XVII, 14) ponunt illam.

Contemplator legis divinæ, aquilæ non immerito comparatur, quæ acie irreverberata solem in nubibus intuetur. Sic namque perscrutator Scripturarum, intuitum suum radiis solaribus injicit, cum vivaciter, sensibus divinis, ingenii oculos defigit. Aquila ista, magnarum alarum est; qui sensuum valde exercitatorum subtilitate, invehuntur in profunda mysteriorum Dei, et virtutum consummatarum provectione, in delibatione remunerationum Christi. Longo etiam membrorum ductu sunt, quia proposita studia, nullis obstaculis adversitatum deserunt. Plenitudo plumarum et varietas diversarum artium intelligitur plena scientia, vel multiplicitate bonorum operum referta conscientia. Ad Libanum veniunt, quando alicujus sensus vel virtutis altitudinem contingunt. Cedri medullam sumunt; quando penetrati sensus dulcedinem, vel possessæ virtutis delectationem hauriunt. Summitatem frondium evellunt, quando aliquid de his quæ incerta et occulta fuerunt, exponendo innotescunt. In terram Chanaan transportant, quando terrenis operibus derelictis cœlestem beatitudinem prædicant. In urbe negotiatorum ponunt illam, quando his loquuntur qui non in vacuum gratiam Dei accipiunt; sed lucra multiplicata de talentis divinis referunt.

His tandem per excessum prælibatis, ad parvulos nostros, qui cum asino Abrahæ ad radices montis exspectant nos revertamur, et mamillam nutrimenti sui rursum eis offeramus. Lacta, Moyses, parvulum nostrum; bona enim et plena habes ubera. Loquere tu ei, non loquatur ei Dominus, ne forte majestatis ejus formidine moriatur. Quamobrem, ait Dominus ad Moysen : *Constitues terminos per circuitum populo, et dices : Cavete ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius; omnis qui tetigerit montem, morte morietur, manus non tanget eum, sed lapidibus obruetur, aut confodietur jaculis, sive homo fuerit, sive jumentum morietur* (*Exod.* XIX, 19). Non nobis invidit visionem mysteriorum suorum benignus Dominus, qui ad hoc venit ut videatur; ideo loquitur, ut audiatur; ideo mandat, ut in mandatis ejus vivatur. Monet autem ubi interim infirmis, sine periculo standum, ubi donum supernum exspectandum, donec absorbeatur mortale hoc a vita, vel dies illucescat et lucifer oriatur in cordibus nostris; per circuitum videlicet montis. Ibi figamus terminos, ut in castris humilitatis et charitatis stabiliamus sensus nostros. Montem quoque non ascendamus, id est de bonis nostris non superbiamus. Moritur enim qui montem tetigerit; ad exemplum illius qui in monte Testamenti, in lateribus aquilonis prævolare usurpavit. Manus non tangit eum, sed lapidibus opprimitur, vel jaculis confoditur, quia potius pondere iniquitatis suæ, vel acumine excogitatæ nequitiæ, quam percussione divinæ ultionis ruit; manu Dei, magis ad parcendum, si fieri posset, prompta quam ad puniendum. *Sive homo fuerit, sive jumentum*, id est sive suo arbitrio, sive alterius consilio prævaricatus fuerit, morietur. Homo namque suo regitur moderamine, jumentum indiget hominis refrenatione et gubernatione. Idcirco per hominem quilibet discretus et sapiens; per jumentum, stultus et rationem non capiens.

Cohibeat igitur se prudens, ne a lapide super se veniente conteratur; refrenetur fatuus, ne ad lapidem scandali offendens, allidatur. Volebat namque aliquando, sub hoc angelus filium Moysi occidere, quia in præputio superbiæ non circumcidebatur. Tulit illico Sephora lapidem, et circumcidit carnem præputii ejus, et tetigit sanguine pedes ejus, et dimisit eum angelus postquam dixit, Sponsus sanguineus tu mihi es. Omnis proinde superflua caro a filio Moysi est amputanda, et quicunque se regulæ vel legi alicujus professionis subjicit, a prævaricatione ejusdem legis nisi se observaverit, angelum contra se gladium evaginatum vibrantem prospicit. Quod si conscientia, mater videlicet pueri, illicitos motus coercuerit, et sanguinem doloris per pœnitentiam expresserit, iram angeli Domini mitigabit. Habet siquidem conscientia religiosi, sponsum sanguinis, quia agnum occisum recolit assidue in desponsatione suæ professionis. Hæc conscientia, puerum lacte (imo purum affectum cordis sui) in præsenti enutriat; nam in futuro erit tempus ablactationis, cum evacuabuntur elementa infantiæ vel educationis.

Assuescat igitur interim parvulus, matris collo pendere brachiolis; vultum pendulum et pavidum, ab omni occursu malo retorquere in faciem parentis, omnes præter alumnos tanquam inimicos fugere, adversus omne infortunium, ad ubera revolare et in gremio matris assidue cubitare. Talem suscipit, talem custodit Dominus : *talium* denique *est regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 14). Quicunque talis est, *major* est *in regno cœlorum* (*Matth.* XI, 11). Qui enim se gratiæ supernæ totum committit, in collo matris brachia suspendit; qui præ oculis nil

potuit nisi Christum, merito non timet laqueos ad mortem venantium; qui solum novit Christum, hic quasi jam absorptus in Deum nihil judicat se *scire nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II, 2). Qui infixus est sicut vectes in arca, continuis meditationibus sanctarum Scripturarum, solamen tutum habet adversus omnes infestationes dæmonum. Qui sinum frequentat charitatis, oscula jugiter meretur internæ consolationis.

CAPUT VI.

De pane perfectorum sive provectorum.

Sicut ætates, sic differunt ætatum refectiones. Pauciora siquidem, simpliciora et liquidiora, ætatem reficiunt parvulam, plura vero, eaque sacratiora et solidiora appetit stomachus perfectorum. Profundiori namque sensu legis, anima sancta et virtutum exercitatione robusta, delectatur : planiori vero, recens adhuc regeneratione fidei et exordiis sermonum Dei reficitur. Unde Dominus ad Aaron : *Omnem*, inquit, *medullam olei, vini et frumenti, et quidquid offerunt filii Israel primitiarum Domino, tibi dedi* (*Num.* XVIII, 12). Cibus delicatissimus et ditissima refectio, medulla olei, vini et frumenti. Qua, non quilibet de populari sorte et conversatione, sed *vocatus a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* V, 4), sed unctus inter fratres suos, sed qui incensum offert ad altare thymiamatis in odorem suavissimum Domino : is medullam olei, vini et frumenti suscipit. Quis etenim alius sicut Paulus imitator Christi, holocausta medullata offert? qui jus carnium super petram cum manu sic infundit? qui ex toto corde, ex tota anima et ex totis visceribus Deum sic diligit? Per ignem et aquam ad Deum, hujusmodi spiritus transit, in mortem quoque et in carcerem cum Deo currit. Apostoli cum Domino per sata transeuntes, aliquando in significationem sui cordis et hujus rei, spicas vellebant, fricabant et comedebant. Spicas namque vellere, est a terrenis studiis propositum suum vel alterius animum revocare. Fricare vero evulsam spicam ille non desistit, qui se in amorem Dei exercens, tunicam pristini erroris exuit. Deinde grana comedit, qui puritate corporis et munditia animæ castum se custodit.

Qui ergo non tanquam asinus in stercore suo piger, fenum luxuriæ comedit, non velut jumentum luxurians, herba vanitatis reficitur, sed cum pontifice Aaron, panem ex adipe frumenti, sed cum Jesu in cruce passo corio detracto et testa confracta, nucleum nucis, medullam olei, vini et frumenti, in sortem is accepit. O medulla, medullam creans, æterna, interna suffundens, infusa omnia impinguans impinguantem animam! Sed quid est medulla olei? virtus Spiritus sancti; quid vero medulla vini? gratia Filii Dei, quid denique medulla frumenti? bonitas Patris. O virtus! o gratia! o bonitas! ubi habitas? quod est habitaculum Spiritus? quæ sedes gratiæ? quæ bonitatis mansio? Primo sine dubio, principaliter et originaliter residet in remotissima regione Trinitatis; secundo, dignanter et immutabiliter et in spiritibus angelicis; tertio, temporaliter adhuc et mutabiliter in animabus sanctis. In prima statione regnas, sed sine propria elatione vel alterius oppressione; in secunda angelos adjuvas, sed sine omni labore; in tertia in homine pugnas, sed sola hominis miseratione. Adoraris in prima, glorificaris in secunda, coleris in tertia. Primæ visionem non habitationem exspectamus; secundæ et visionem et susceptionem imploramus; tertiæ possessionem nunc in spe, tunc in re effligitamus. Impinguamur in recordatione hujus olei, inebriamur in epotatione vini, satiamur in refectione frumenti. Inchoat nos oleum, provehit vinum, consummat frumentum,

Hi profectus sunt charitatis, hi gradus sunt perfectionis. Non enim quandocunque aliquid perfectum dicitur, statim, vel perfecte vel summe dicitur perfectum. Nam alio modo, homo; alio, angelus; alio, perfectus dicitur Deus. Perfectus enim aliquando dicitur homo, sed tamen adhuc perficiendus; perfectus quoque angelus, non quidem perficiendus, sed tamen factus perfectus; perfectus autem dicitur Deus neque perficiendus, neque perfectus factus, sed semper existendo perfectus. Deus igitur, de medulla suæ perfectionis, tam angelicæ quam humanæ replet viscera imperfectionis; et angelum quidem sic simul replet, ut ulterius alia repletione non indigeat; hominem vero sic jugiter replet, ut, nisi quotidie repleat, inanis fiat. Infusa namque a Deo in homine gratiæ medulla, ex decursu mortalitatis, fluit per rimas peccati. Angelica vero natura, in crystallina stabilitate solidata, jam inamissibiliter possidet quidquid gratiæ tenet. Ipse vero, sic toto æternaliter totus est plenus et perfectus Deus, nunquam factus vel futurus melior vel perfectior. Noli credere pauperiorem futurum Deum si abscesseris, neque ditiorem si accesseris. Tibi prodest accessus, tibi obest recessus; nihil paras præstantissimo, nihil donas Altissimo. Suum recipit si te vel a te aliquid accipit; suum nihilominus non amittit, sed aliter disponit, si te subtraxeris. Sine Deo, angelus dæmon efficitur, sine Deo, homo ad nihilum redigitur. Cum Deo, angelus jam æternaliter beatificatur; cum Deo, homo in præsenti justificatur et in futuro glorificatur. In Deum angelus rapitur, præsens per visionem, homo absens per contemplationem.

Adhæret Deo angelus, sine intermissione, homo suspirat sine intermissione. Stat ille, ille fluctuat; jubilat ille, ejulat iste; ille cantat, iste plorat; ille deliciis, iste miseriis affluit. Uterque tamen ad convivium vocatur, sed dissimiliter. Ille enim de prope, iste de longe : uterque stola induitur, sed illi jam de collo pendet, iste adhuc de futurorum exspectatione trepidat. Uterque absorbetur a gloria : ille quidem a claritate creationis, in claritatem confirmationis; iste vero, a remissione peccatorum in veram justificationem sanctorum. Uno pane vescitur

nterque; sed ille, integro in divinitate; iste, in frusta sacramentorum diviso, in humanitate. Nam ille incorporaliter percipit impassibilem divinitatem, iste sacramentaliter, impassibilem humanitatem, secundum regnorum diversitatem, regnantis et exsulantis satietatem sui desiderii suscipit. Cum enim incarnationem fideliter recolis, bonum panis frustum ori tuo apponis; cum passionem, similiter facis; cum vero resurrectionem vel ascensionem tibi proponis, quasi offas medullatas seu mellitas comedis; unde sponsa horum mysteriorum dapibus bene pasta, eructans et exsultans in laudibus dicit: *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo* (*Cant.* v, 1); in lacte, incarnatio; in vino, passio; in favo, resurrectio; in melle, ascensionis intelligitur dulcedo. Nostræ sunt partes istæ, in te et de te Jesu, qui enim totum te simul capere nequimus, de indivisibili, divisum, partes gratiæ accepimus; si tamen partes dicere quis audeat, ipsa tuæ dispensationis sacramenta. Aliter enim, etsi deceret nos Deum apprehendere; sed Deum aliter non decuit nostram infantiam docere. Maluit sibi non parcere, cum te, o homo, de se voluit pascere: magnus ille, excelsus super omnia Deus ille! tu vero quid? Vermiculus : vix te de terra erigens : *terra sine aqua* (*Psal.* xiv, 26), tantum pulverem faciens.

In recessu manebat ille suæ divinitatis, in secessum tu confugeras iniquitatis; descendit tamen excelsus, venit remotus ad secessum tuum, subintravit tuguriolum tuum, et supposuit tibi humerum suum. Gravatus est, non pondere iniquitatis, sed obstinatione curari recusantis. Tamen : *Sapientia vincit malitiam* (*Sap.* vii, 30), et patientia contumaciam. Defectio tua prpinde refecta, cœpit proficere in perfectionem. Quousque autem languorem naturæ lapsu quotidiano exspirantem, et sententia primæ maledictionis etiam gementes patimur; citra consummationis perfectionem usquequaque detinemur: proprie namque et specialiter ibi non dicitur perfectio, ubi aliqua resident adhuc imperfectio. Virtus quoque non perficitur, dum vitiorum reliquiæ superstites inveniuntur. Quis autem, manente humanæ vitæ corruptela, se castum habere cor gloriabitur? Propheta? Sed asserit, se *de immundo concepsum semine*, sed confitetur, *in iniquitatibus* (*Job* xiv, 4) a matre conceptum se esse : Apostolus? sed dixit se *in multis* offendere; patriarcha, vel quælibet de genere humano, anima? sed *conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur* (*Rom.* xi, 32); præterea, fistula illa Spiritus sancti, omni genere virtutum redimita, et jam pene supra hominem, juxta angelum merito et virtute collocata, ab imperfectione sua exclamat : *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse ; unum autem, quæ retro oblitus, ad ea quæ ante sunt me extendo* (*Philipp.* iii, 13), sequor autem ad palmam supernæ vocationis.

Ubi nunc es, o præsumptio spiritus, o inflatio vesicæ erronei cordis? *quid superbis terra et cinis?* (*Eccli.* x, 9.) Paulus, in cujus gremio congeneratur omnium redundantia virtutum, velut aqua in mare, dicit : Non est mecum perfectio bonorum; et tu, vitiorum puteus scaturiens, audes gannire, Sine peccato sum. *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde, arrogantia ejus plusquam fortitudo ejus* (*Isa.* xvi, 6). Solus enim et singulariter *inter mortuos liber* (*Psal.* lxxxvii, 6), qui naturam non culpam suscepit, conceptus de Spiritu sancto et Maria virgine Jesus Christus, omnem adimplevit justitiam. Denique, in pectore et in anima sua, rex ipse virtutum, omnium gratiarum convocavit curiam, et singulariter a singulis et communiter ab omnibus honoratus, unam omnium ad Patrem retulit palmam. Hic igitur qui non solum de plenitudine sua, verum etiam exinanitione replevit dolia nostra, perfectus semper Deus, perfectus etiam homo Deus a conceptione fuit. Ad pedes humanitatis ejus, viginti quatuor seniores indesinenter procidunt et *coronas suas* mittunt (*Apoc.* iv, 10), quia omne meritum vel præmium ab eo se habere humiliter omnes sancti recognoscunt. Vis habere justitiam? vis habere sapientiam? vis habere gratiam? Jesus est justitia, Jesus est sapientia, Jesus est gratia. De Christo namque agens Apostolus inquit : *Qui factus est nobis a Deo sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio* (*I Cor.* xiii, 30). Ecce panis iste, et unus est et quatuor habet (ut sic dicam) quarteria. Unus enim idemque Christus est sapientia; unus idemque est justitia; unus idemque est sanctificatio; unus idemque est redemptio. Unde quia sapientia est, illuminat tenebrosa stultorum corda luce veræ sapientiæ; quia justitia, justificat depressa ponderibus peccati et malitiæ; quia sanctificatio, sanctificat fluxa et evagantia per declivia vanæ gloriæ; quia redemptio, redemit sublata vel asportata, ad loca virtutis et contumeliæ. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex istis, non* enim *confundetur cum loquetur inimicis suis in porta* (*Psal.* cxxvi, 5).

CAPUT VII.

De panibus primitiarum.

De panibus primitiarum tractaturus, prius invoco primitias Spiritus, nam sine Dei Spiritu, ubique et in omnibus deficit spiritus meus. In Spiritu itaque principali, non pro merito, sed gratuito dono, quamlibet parum illuminatus, dicam et de hoc quod de sacrario Scripturarum fuero edoctus. Universitatis igitur creaturæ subsistentia, unum habet a quo sit, principium Deum, neque enim a se est, quidquid est; bonum denique est, quidquid est. Nam id tantum a se est, quod summe est, id est Creator. Id vero a se non est, quod non nisi ab eo qui summe est, esse potest. Nam malum non est, quia neque se ipsum creans, neque creatum a Deo est; nihil autem est, nisi quod Creator vel creatura est: ideo malum non est, quia neque Creator, neque creatura est. Quamobrem idcirco ad unum referendum est, sine principio principium, quidquid habet temporale principium, ut finem quoque habeat con-

gruum. Tunc enim bonus consequitur finis cujuslibet actionis, cum a creante principio non declinarit creaturæ principium. Equidem innumerabilia sunt opera hominum et tamen unum atque æternum habent si bona fuerint, bonum principium; nam nisi derivatum fuerit quodcunque principium singulare voluntatis alicujus, a divinæ voluntatis principio, malum semper erit et desinet in finem pessimum. Recurrendum itaque semper et de omnibus in principio ad principium : hoc autem principium *In principio erat apud Deum* (*Joan.* I), et erat principii Verbum, et omnis verbi principium.

Mutuemur igitur verbum a Verbo, sed transitorium ab æterno; principium a principio, sed creatum ab increato. Forte, legislator hoc monet cum dicit ut *postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua, vasa aurea et argentea* (*Exod.* III, 22). Quis enim amicus tam dives ut Deus in auro bonorum sensuum, tam locuples in argento examinatorum sermonum, tam affluens in vasis gratiarum cœlestium? Nimirum is nostræ paupertati amicum se exhibuit, cum *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, Filium unigenitum* (*Ephes.* II, 4) incarnari constituit. Et ne causareris, hunc amicum remotissimum utique in divinitate sua manentem Deum; habes juxta te divinam Sapientiam incarnatam vasis aureis et argenteis non modice locupletissimam. Nam et de cœlis attulit, et de terris nihilominus tulit vasa mundissima et pretiosissima, in quibus cibum pajernæ voluntatis cœnaret et potaret. Angeli procul dubio ministrantes, apostoli obsequentes Verbo incarnato, Sapientiæ in carne absconditæ, quid aliud sunt quam amici vicinæ nostræ vasa aurea et argentea? Et forte hanc Dominicæ dispensationis incarnationem, per Spiritum sanctum in utero Virginis adimpletam, obumbrabat legislator cum diceret : *Panes primitiarum duos, de duabus decimis similæ* coquendos *in primitias Domini* (*Lev.* XXIII, 17). Qui enim sunt panes primitiarum duo, de duabus decimis similæ fermentatæ, nisi duæ puræ et perfectæ naturæ, in una persona Christi Jesu inseparabiliter conjunctæ? Fermentum enim, hic, non coagulum corruptionis, sed operationem significat inseparabilis unitionis. Ili coquuntur *in primitias Domini*, quia Dei et hominis eadem persona in utraque naturarum suarum compactarum, primogenitus sive primitiæ dormientium, ab Ecclesia catholica appellatur et creditur.

In natura quidem divinitatis, ante omnia natus est de Patre; in natura vero humanitatis, in fine sæculorum editus ex virgine. In ejusdem certe virginis clibano cocti sunt panes isti, quia Verbum et caro sic fuerunt ad invicem conjuncta in utero virginali, in una eademque unitate personæ, ut ultra non diceretur separatim homo vel Deus, sed diceretur una persona inseparabiliter homo Deus. Et duo quidem sunt panes, secundum Moysen, propter inconvertibilitatem naturarum, nam sine confusione manserunt; et aliud habet principium de principio, A sine tamen principio, natura divinitatis utique, Patrem; et aliud, principium scilicet cum principio existendi, natura humanitatis, utique virginem. Nihilominus unus panis est, propter unam eamdemque personam, juxta Apostolum qui ait : *Unus panis, unum corpus multi sumus in Christo* (*I Cor.* X, 17). Sed quare Moyses duos, Paulus unum vocat panem Christum? Salva fide et auctoritate majorum, potest dici (ut mihi videtur) quia in tempore Moysi, re ipsa nondum facta fuerat incarnatio Christi; et idcirco, quasi duo panes erant illæ naturæ : quarum una, in majestate sua et Patris existens; altera nondum in propria essentia apparens prædestinatione quidem sola conjungebatur, nondum autem assumptione vel unione. Tempore vero Pauli, id B est gratiæ (nam post ascensionem Domini vocatus est) assumptione hominis a Verbo, jam celebrata : una eademque persona Christi, ex duabus et in duabus naturis (divina scilicet et humana) subsistens, prædicatione apostolica excellebat. Unde, non immerito Paulus ad personam attendens, unum dicit; Moyses duas naturas intuens, duos panes nominavit : ille personam non dividens, iste naturas non confundens.

Attendendum quoque et diligenter disserendum, quod præmittit legislator, dicens : *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis et messueritis segetem; feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem; qui levabit fasciculum coram Domino, ut acceptabilis sit pro vobis altero die Sabbati* (*Levit.* XXIII, 10). Planum est quod dicitur, ad litteram; allegorice vero, terram ingredimur quam daturus est nobis, cum (per fidem) Ecclesiam intramus, cui communicare, non nisi vocatione cœlesti meremur; vel cujus possessionem habebimus in alia vita longe dignius quam nunc; quia ipsam rem tunc facie ad faciem obtinebimus, cujus nunc *per speculum et in ænigmate* (*I Cor.* XIII, 12) velata facie post terga caligamus. Segetem metimus, cum remunerationem bonorum operum recipimus. Manipulos spicarum ad sacerdotem deferimus, cum virtutum collectionem in bona operatione, ei qui apud Patrem pro nobis interpellat resignamus; qui levat fasciculum coram Domino ut acceptabilis sit pro nobis, D altero die Sabbati, quia, ut Pater nobis propitietur, et in altero die Sabbati, id est in resurrectione communi, placabilis veniat, fasciculum meritorum nostrorum, cum sua interpellatione, in oculis paternis elevat.

Moraliter autem terram ingredimur, cum recessus conscientiæ perscrutamur. Segetem recolligimus, cum anteactæ vitæ opera, in examinationis judicio pensamus. Manipulos spicarum ad sacerdotem deferimus, cum plena et evidenti confessione grana simul cum aristis et stipula, prælatis nostris humiliter pandimus; in granis autem, etiam bona cogitationum vel operum designantur. Sacerdos autem hunc fasciculum coram Domino elevat, cum, peccatorum nostrorum gravedinem in confessione expo-

sitam efficaciter in memoria et deprecatione sua retinet, Deum super hoc rogans prælatus noster cui animam commisimus, cui omnia gravamina reseravimus : et propitiationem Dei obtinet. Quod si præsens non sufficit confessio vel pœnitentia, propter repentinum mortis articulum, ut statim penitus dêleantur perpetrata scelera; saltem *in altero die Sabbati*, fiat nobis Deus noster propitiabilis. *In altero*, inquit, *die Sabbati*. Duo ergo Sabbata sunt, unum et alterum. Revera jam quiescere a malo, mentis Sabbatum unum est et primum, quod procul dubio in præsenti necessario est habendum. Nam in futuro, ex tali merito erit requies in bono, quod est Sabbatum ex Sabbato. Invenies, inquam, tunc non solum Sabbatum, quia requiem sine inquietatione omnium molestiarum, sed Sabbatismum.

Breviter igitur percurrendum, et de primo, secundo, tertioque Sabbato aliquid, juvante Deo, est dicendum. In hoc corpore, cum cessatur a malo, jam quædam futuri Sabbati est prælibatio. Relicto corpore, anima cum exit de vita, jam gratulatur de requie secunda. Ad extremum in adventu Judicis, Sabbatismus celebratur, in renovatione animæ et corporis : præcedunt autem sex dies afflictionis, antequam veniat septimus dies pausationis. *Sex* enim *diebus*, ait Moyses, *facietis opus* (*Exod.* xx, 10), dies septimus, quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus : *Omne opus non facietis in eo : Sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris* (*Lev.* xxiii, 3). Prima dies est conversionis, secunda confessionis, tertia professionis, quarta mortificationis, quinta devotionis, sexta orationis, septima vocationis, sive contemplationis. Nam contemplationis messem nequaquam colligimus, nisi fruges justitiæ prius seminaverimus, nec in septima requiescit, qui in præcedenti senario non laboravit. Insistendum igitur virtutibus, et de confusione tenebrarum originalium, ad illuminationem seu ordinationem novarum creationum progrediendum, si Sabbato continuare volumus Sabbatum. Aversus ergo, in prima die convertatur; diffitens, in secundâ confiteatur; offendens, in tertia profiteatur vivens peccatum in corpore nostro; in quarta, mortificetur ingratus; in quinta, devotus efficiatur, cor durum peccans; in sexta, in orationem effundatur a cura sæculari conscientia nostra; in septima, consopiatur.

Imitare primo Paulum in conversione; secundo, latronem in confessione; tertio, Stephanum in professione; quarto, Joannem Baptistam in mortificatione; quinto, Mariam Magdalenam in lacrymarum effusione; sexto, apostolos sanctos in oratione; septimo, Christum in contemplatione. In conversione humilitatem, in confessione veritatem, constantiam in professione, patientiam in mortificatione, peccatorum recordationem et futuri judicii districtionem in devotione corporum, conscientiam bonam et fidem non fictam in oratione, omnium visibilium oblivionem habeas in contemplatione. Si justitia præeunte et gressus tuos regente, anima tua dies vitæ taliter ordinaverit, ulterius laborare non convenit. Nam : *Nunquid tota die arans arabit, proscindet et seret humum suam ? nonne cum adæquaverit faciem terræ, seret gith et cyminum sparget ?* (*Isa.* xxviii, 24.) Cum enim satis elaboratum fuerit in evulsione spinarum, in concisione terrarum, in concussione rupium, in adæquatione montium et vallium, tunc, gith, vacando, est serendum; tunc, cyminum subtiliter contemplando spargendum. Et forte in contemplatione quidam labor est, sed melior requie, sed otio suavior, sed somno dulcior, sed cunctis voluptatibus delectabilior. Labor, inquam, sed sine sudore; opus, sed sine vexatione; occupatio, sed sine distensione; studium, sed sine afflictione; profectio, sed sine motione; elevatio, sed sine ambitione; quies, sed sine rubigine.

Imitatrix operum Domini et Dei sui anima; æmulatrix quoque sapientiæ Altissimi, in tanta varietate virtutum effecta; cum operante, operatur, et cum quiescente quiescit; habens in se Deum operantem; habens quiescentem, et ipsa operans in operante, et quiescens in quiescente, et operans in quiescente, et quiescens in operante. Non enim non quiescit Deus cum operatur; operatur namque quiescens, ne otiosus dicatur : quiescit operando, ne labore fessus æstimetur. Tu, cum laboras, non quiescis; et cum quiescis, non laboras; quia in tempore mutaris, et in te mutantur tempora : non sic autem Omnipotens, non sic Æternus, quia omnia immutabilis mutat, et omnia simul (sola voluntatis potentia) creat. Cum enim laborare dicitur Deus, secundum me non secundum se, aliquid de eo dicitur. Similiter, cum septimo die dicatur requievisse, ipse vero quotidie omnes nos et omnia nostra nobis operetur, et qui aliquid facit quiescere nunquam proprie dicatur, secundum usum nostræ requiei requievisse proprie non dicitur. Est autem supra omnem sensum illa Creatoris vel creatrix operatio, sive illa requies; nam operatio illa, in tranquillitate omnem quietem excedit, et quies illa in effectu, operosior omni operatione lucescit. Effigiatur igitur, quamvis remotissimis lineamentis, actio sive quies nostræ contemplationis, hoc exemplari, et ad æmulationem, quamvis tardissimis gressibus inescatur, ut agendo quiescat et quiescendo agat. Non autem fiunt ista in umbra vel in nocte, sed in die, sed in luce, sed in sole justitiæ; nam in nocte vitiorum stertens, lucem contemplationis ignorat.

Quare etenim dies iste sanctus vocaretur, nisi in eo justitiæ opus celebraretur ? *Omne opus non facietis in eo !* Iterum iterumque monemur non facere opus Sabbato; sed opus videlicet servile, sed opus damnabile, sed opus bestiale. Ab his enim solummodo in Sabbato solemnizandum, a quibus fœdatur lætitia solemnitatum. Luxuria namque, ebrietas, loquacitas, et similia flagitiosa opera, stercora sunt solemnitatum. Sic Pharao, sic Herodes Sabbata

sua, crudelitatis sanguine contaminaverunt. Omne opus tale dicit non faciendum in Sabbato, *quia Sabbatum est in cunctis habitationibus vestris.* Recedat oculus a spectaculis impudicis; lingua, a maledicis verbis; auris, ab auditu sanguinis; olfactus, a nidoribus peregrinis; manus, ab opere crudelitatis; pes, a consortio furis; anima, a cogitationibus perversis: et sic celebrabitur Sabbatum Domini *in cunctis habitationibus vestris.* Transacto vero Sabbato præsentis justificationis, transitur ad Sabbatum futuræ consolationis, sicut et Maria Magdalena, a Sabbato passionis venit ad Sabbatum resurrectionis. Norunt autem beatorum animæ, Sabbatum suum, norunt procul dubio quid intersit inter accinctum spiritualium nequitiarum, et discinctum a molestiis carnis et infestationibus dæmonum, sicut in libro Regum scriptum est: *Non glorietur accinctus æque ut discinctus* (*III Reg.* x, 11). Secure namque gaudet de munere, cui ipsum nihil posse perdere datum est, in perenni remuneratione; periculose autem exsultat de dono, cui major accrescit sollicitudo cum dono. Collatio siquidem gratiarum, amplius te facit invidiosum; nam de inopia tua, cujus accenditur invidia? Cum nulla te excolit virtutis gloria, adversarii non est cur timeas jacula. Sed si locus honoris ambitiosius te extulerit, si ubique gentium, fama fulgens nomen tuum dilataverit, tunc livoris acies exacuitur, tunc blanda falsi amici facies in nigredinem ollæ combustæ convertitur (*Nahum.* II, 10).

Miserum itaque est, secundum opus mortalitatis et locum infelicitatis, vel ut careas invidia præ inopia virtutum, vel ut invidiosus sis præ abundantia gratiarum. Utroque pugione vel altero tantum justi reformidant perforari; quia, si sine virtutibus quidam fuerint, cruciantur a conscientia, si vero pleni virtutibus, excandescit in eis dæmonum ira. Unde persæpe suum infestari vel ab hostibus derideri sentiunt Sabbatum. Unde propheta: *Viderunt eam hostes, et deriserunt Sabbata ejus* (*Thren.* I, 7). Qui vero ex his compeditus evolaverint, et laqueis venantium contritis, pericula subitanea evaserint, jam sub altari positi triumphali voce intonant: *Gloria tibi, Domine, quoniam eripuisti animas nostras de morte, et pedes nostros de lapsu, ut* placeamus *coram Domino in regione vivorum* (*Psal.* CXIV, 8, 9). *Jam enim hiems abiit et recessit, flores apparuerunt, vox turturis audita est de terra nostra* (*Cant.* II, 12). Sic, inquam, isti de præteritis liberati; de præsentibus, beati; de futuris, amplius beatificandi, sine sollicitudine lætantur, sine fastidio epulantur, sine vitio jucundantur. Eo sapidius, quo avidius jam gustant, imo prægustant, gurgites beatitudinum; eo charius, quo clarius splendores percipiunt sanctorum; eo aptius, quo beatius in circumscriptis Trinitatis luminibus immaculati assistunt. Qui nisi tales sabbatizant? qui nisi tales, præclaras solemnitates solemnizant? O Sabbatum ex Sabbato! o virtutum remuneratio! intret ad te anima mea; penetret te conscientia mea. Sabbatum enim hoc, revera procedit ex Sabbato, cum, quia cessavit anima in malo, fit ei bona retributio. Unde Psalmista: *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem* (*Psal.* LX, 9); videlicet, de die meritorum, in diem remunerationum.

Deest pro copia dicendorum de habitudine secundi Sabbati, quia procul est a cognitionibus hujus nostri sæculi; suspirare igitur, non explanare illam valemus. Jam itaque tandem et hinc, ad Sabbatismum pedem moveamus, et animum promoveamus, sola enim hæc promotio ambienda, quia melior, ab omni creatura, nulla est invenienda; nam sæcularis promotio, potius a Deo est amotio vel abolitio. Non fit autem hæc provectio, nisi in loco ad id sequestrato, et ab homine Deo electo, Moyses in deserto visionem hanc videre desiderat. Sicut præter solitum est, quod videt, sic supra solitum est quod audit. Ardet rubus, sed non comburitur. Hoc videt et stupet, deinde audit: *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est; ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 5; *Matth.* XXII, 32). Hoc audit et faciem abscondit. O quanta dissimilitudo inter rubum et cœlum, inter flammam rubi et gloriam cœli, inter loquentem de rubo et regnantem in throno, inter solitudinem eremi et societatem paradisi, inter Moysen peregrinum et hominem novum in cœlis collocatum! Cujus ergo umbram Moyses expavit, lucem ipsam quis attentabit? Calceatus tamen Moyses rubum videre potuit, sed non discalceatus diu vocem Dominicam audire nequivit.

Cito itaque corrigia calceamenti dissolvenda, cum tendimus ad superna. Nulla obliget peccati oblectatio, nulla constringat peccandi consuetudo, nulla impediat sæculi sollicitudo. His nempe animus irretitus, nec videre, nec audire poterit, quid sit Deus. Quare enim dicitur: *Deus Abraham?* quare, *Deus Isaac?* quare, *Deus Jacob?* Procul dubio, quia patriarchæ isti fideles, quia obedientes, quia peregrinantes, obedientes in præcepto, credulii in promisso, alienati a sæculo nomine, opere, sermone et affectione Deum designaverunt. Non ergo te delectet habitatio hujus corporis, non te retardet difficultas mandati, non inertem efficiat dilatio promissi, si Deum vis habere, qui Deus Abraham est, Deus Isaac et Deus Jacob? *solve calceamentum*, abrumpe vinculum, *de pedibus tuis*, de affectione et desiderio mentis. Sic exoneratus, utcunque superficiem alterius sæculi prælibabis, sic absolutus, utcunque imaginationem æternitatis somniabis, sic liber, futuri status initia quasi præludio quodam contrectare tentabis. O Deus, quid ibi tu facis, quid angelus, quid anima? Qui sermones tui ad angelum? quæ confabulationes ad animam? Quid et de quibus opponunt tibi angelus et anima? Estne quod interrogent, cum palam de Patre annunties eis omnia? Estne quod ignorent de futuris, obliti sint

de præteritis, non capiant de præsentibus? Quid ibi clausum, quid non reseratum?

Sed quare ibi aliqua absconderentur, cum adsint omnes amici, omnes absint inimici? Invidia neminem tangit, elatio nullum extollit, ira non perturbat, luxuria non tentat, gula non urget, ambitio non torquet, omne vitium non apparet, omne malum deficiendo vel refugiendo contabescit et languet. Regnat ubique concordia, per singulas discurrit mansiones humilitas, sedet benevolentia in medio, eminet in turribus castitas; disponit sobrie omnia, sobrietas sufficientia singulis sufficienter ad nutum administrat; sanitas, portas observat, charitas seu bonitas, omnium stationes et tabernacula illustrat. Ducitur anima in refectorio, ubi sine fame reficiatur, sine siti inebrietur et dicat : *In loco pascuæ ibi me collocavit* (*Psal.* xxii, 2). In dormitorio, ut ibi sine torpore dormiat et dicat : *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* iv, 6). In oratorio, ut ibi sine tædio oret et dicat : *Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam* (*Psal.* v, 4). In claustro, ut ibi sine fastidio sedeat et dicat : *In umbra alarum tuarum protexisti me* (*Psal.* xvi, 8), vel : *In umbra quam desideraveram sedi* (*Cant.* ii, 3). In capitulo, ut ibi sine timore disciplinam teneat et dicat : *Disciplina tua ipsa me docebit* (*Psal.* xiii, 31). In auditorio, ut ibi sine prævaricatione vivat. Pectus Jesu, ibi est refectorium; sinus Jesu, ibi est dormitorium; vultus Jesu, ibi est oratorium; latitudo, longitudo, sublimitas et profundum Jesu, ibi est claustrum; consortium Jesu et omnium beatorum, ibi est capitulum; narrationes Jesu de Patris et Filii et Spiritus sancti unitate, et de apertione mysterii incarnationis suæ, ibi est auditorium.

O cor humanum, quid ultra tendis, quid ultra quæris, cum ultra tendere, non sit tendere sed contendere, vel potius rumpendo se distendere! O cor humanum, quid infra moraris, si vis ut non moriaris? Mors infra et supra, cum tamen nihil sit supra. Mors enim illum ferit, qui supra ascendere præsumit, non quod ipsa habitet supra, quæ in inferno est, sed quod illum interficiat ultione divina, qui metas sibi præfixas excedit. Nomen mortis, nomen languoris, nomen paupertatis, nomen anxietatis, nomen doloris nec nominatur apud vos, cives cœli, domestici Dei. Quid autem? Vita, jucunditas, jubilatio, exsultatio, glorificatio, beatitudo, æternitas, immortalitas et incorruptio, abundant et superexundant in paradiso. In ore habitantium, semper laus, alleluia, gloria, pax, benedictio, honor, virtus et fortitudo. Quid autem oculi eorum vident, nisi Patrem luminum, nisi lucem de luce, nisi candorem lucis æternæ? Quid aures, nisi laudes Dei audiunt? quid nares, nisi vitæ respirant odores? Manus, quid contrectant, nisi Verbum vitæ? qua pedes incedunt, nisi per viam pacis? quid gustus? gustat nempe *quam suavis est Dominus* (*Psal.* xxxiii, 9). Quid plura? una clausula, universa beatitudinis illius charismata concluduntur, qua dicitur quia *Deus* erit *omnia in omnibus* (*I Cor.* xv, 39). Surge, anima mea, curre et festina intrare ad tales nuptias! Versa et commuta desideria tua! Formosam delectabiliter aspicere solebas meretricem, aspice nunc Dei Genitricem. Aurum placebat, nunc verum placeat! Argentum quærebas, nunc Dei Unigenitum quæras! Favore humano delectabaris, nunc spiritu divino refovearis! Pone carnis, et sume mentis delectationes. Ecce quomodo sabbatizabis, nec simpliciter, sed sabbatismo sabbatizabis. Hæc de duplici Sabbato dicta sint.

CAPUT VIII.

Rursum, de panibus primitiarum.

Quia nimiam prolixitatem vitantes, uno non potuimus explicare sermone quæ de primitiis dicenda erant, præcipue, quia Sabbatum interveniens, nos in se ipso coegit sabbatizare, alio non tamen alieno sensu et exordio rursum tentabimus, annuente Domino, tam de primitiis quam de decimis, aliquid adhuc apponere et ponere. Legitur itaque in Exodo : *Decimas et primitias tuas non tardabis offerre; primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque et ovibus similiter facies; septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi* (*Exod.* xxii, 29). Digniores et potiores partes hominis sunt illæ duæ extremitates, quæ caput et pedes nuncupantur. Parte altera, id est capite, in figura cœlum respicit homo, altera tangit terram. Unde, sicut in hoc mundo, omnium creaturarum amplitudinem et innumerabilium rerum variam distinctionem (quasi ulnis suis et gremio) complectuntur terra et cœlum, sic in homine, caput et pedes omnium membrorum humanorum sunt columnæ et firmamentum. Apis vero significatione, a visibilibus ad invisibilia similitudine deducta, anima utramque partem in affectu possidet, dum in omni motu et voluntate sua semper aliquid principaliter intendit, et semper ad aliquid finaliter tendit. Caput autem voluntatis humanæ est, id ad quod specialiter intendit, pedes finis ad quem tenditur.

Ut itaque Dominus doceat hominem, scientiam, quid volendo, intendere, et ad quid, operando, tendere debeat, insinuat, dicens : *Non tardabis offerre decimas et primitias tuas;* quasi dicat : Principium et finem inchoationem et consummationem, tam cogitationum quam sermonum vel etiam operum tuorum, Domino Deo tuo decimabis. Cum ergo alicujus desiderium amplius fervescit in implendis concupiscentiis suis, quam in obtemperando divinis mandatis, hujus primitiæ vel decimæ Domino nequaquam redduntur, sed idolo libantur. Cum studiosius terrena quam cœlestia, temporalia quam æterna inquiruntur, quod juris est divini postponendo, et quod sui est præponendo, humana temeritas, ordine perverso, in primitiis et decimis abutitur. Si vero Deo primogenitum tuum vel primitias consecraveris, primum quærendo *regnum Dei et justitiam ejus* (*Matth.* vi, 33); in omni quod subsequetur benedictionis derivamine gaudebis. Ut enim

Apostolus : *Si delibatio sancta et massa* (*Rom.* xi, 16), et in Evangelio Dominus : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* vi, 22). Et Psalmista : *Si non præposuero Jerusalem*, etc. (*Psal.* cxxxvi, 6.)

Habeat itaque Deus Pater cum primogenito sapientiæ suæ, primogenitum devotionis tuæ, ut primogenito Creatoris, creaturæ sanctificetur primogenitum. Utquid enim primogenitus Patris, factus est primogenitus matris, nisi ut redimeret sibi omne primogenitum hominis? Felix, cujus Deus primogenitum acceptat! Nam Ægypti primogenita exstinguit, et asini primogenita respuit; primogenitum vero hominis, primogenitum ovis et bovis sibi assumit. Sive namque sapiens ut homo, sive fortis ut bos, sive simplex ut ovis fueris; primitias cordis tui, et primogenitum operis solvere debebis. Si vero impius, ut Ægyptius, immundus ut asinus inutilis ut hæreticus, aut mutatione aut interfectione, aut redemptione, commutanda sunt primogenita tua. Mutavit Paulus, vel potius interfecit Ægypti primogenitum; cum de persecutore fieret prædicator, agnus de lupo, Christianus de Judæo. Maria Magdalena, nonne primogenitum asini interfecit, cum sordes criminum ad fontem lavit, cum vitam mutavit, cum Christum amavit. Mutavit primogenita asini, et accepit primogenitum Dei. Judas vero, non solum non solvit Deo primogenitum suum, sed etiam ipsi Deo Patri subripuit primogenitum et unigenitum suum. Cessit itaque in primogenitum diaboli, quia excessit in primogenito Dei. Fraudulentissime Juda, parum est tibi fraudem fecisse de anima tua, nisi addas manus sacrilegas injicere ad misericordiæ Dei viscera? Parum est tibi, diabolo præbuisse jugulum tuum, nisi jugulares et Dominum nostrum? Parum, inquam, tibi est, perdidisse præmium tuum, nisi et tolleres pretii nostri pretium? Satis melius permaneres in discipulatu Christi, quam evaderes in magistratu Antichristi.

Non tardes, o anima religiosa, reddere primogenitum, ut ex toto corde, et ex tota anima diligas Deum. Septem tamen diebus cum matre sua sit, ut non nisi cum plenitudine gratiæ, ex hac vita migrandum memineris. Septem diebus cum matre sua est, qui nunquam errat in fide, nunquam deficit in spe, nunquam tepescit in charitate, nunquam declinat a justitia, nunquam exorbitat a prudentia, nunquam succumbit in fortitudine, nunquam in temperantia excedit. Septem diebus cum matre sua est, qui fide et moribus integer est; septem diebus cum matre sua est, qui usque ad effusionem sanguinis cum Domino est; septem diebus cum matre sua est, cujus conscientia criminalibus nunquam contaminata est; septem diebus cum matre sua est, qui obedientiæ fines nunquam egressus est. *Die autem octavo reddes illum mihi*, ut credas Christum resurrexisse a mortuis : *Die octavo reddes illum mihi*, ut omnium hominum futuram resurrectionem credas in die judicii; *die octavo reddes illum mihi* (*Exod.* xxii, 30), ut credas post judicium et præmia bonorum et tormenta malorum nunquam finiri, *die octavo reddes illum mihi*, ut credas merita singulorum remuneratione octo beatitudinum compensari. Sic credendo et vivendo, ad æternitatis primitias pervenies.

Habet Ecclesia in decollatione vel potius collectione sanctorum Innocentum, primitias Deo gratissimas. Ut enim lectum est in Apocalypsi Joannis : *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo, et Agno, et in ore eorum non est inventum mendacium* (*Apoc.* xiv, 4). Semen bonum jam ex terra uteri virginalis eruperat, sed nondum in arborem magnam creverat, quia *in omnem terram sonus* (*Rom.* x, 18) apostolorum non exierat, et tamen de Bethlehem juxta posita, florum primitias obtulit, spatulasque palmarum reddere non tardavit. Vere ager primitiarum, in quo tam cito inventæ sunt primitiæ martyrum! Nondum est passio Christi, et jam sanguis effunditur pro Christo innocentis parvuli. Quodammodo præcurrunt primitias tuas, Christe, primitiæ nostræ. Præcurrunt revera moriendo ante te, sed non præcurrunt veniendo ad regnum sine te. Ad portam te sustinebunt, quia custodes nisi te viderint, januas cœlestes non reserabunt. In passione igitur sanguinis non in possessione beatitudinis, Agniculi pastorem suum præcedunt. Si autem præcedunt, quomodo verum est, *sequuntur Agnum quocunque ierit?* (*Apoc.* xiv, 4.) Utrumque tamen verum est, quod et præcedunt et sequuntur. Præcedunt in morte, sequuntur in resurrectione. Prius currere cœperunt, sed in cursu substiterunt.

CAPUT IX.

De panibus propositionis.

Quia de simila jubentur fieri panes propositionis, mutuanda gratia et emundanda est conscientia mentis. A quo autem est mutuanda gratia vel accipienda, nisi ab eo qui plenus veritate et gratia, natus est de matre, gratia plena? O Jesu, in vena non in lagena; in puteo, non in urceo; in ventre, non in utre; in anima, non in cisterna; in fonte, non in vase possides gratiam! *Aquæ* quidem *fluunt cum impetu de Libano* (*Cant.* iv, 15); sed gratiæ excurrunt in mansuetudine et ubertate de Spiritu tuo. Si defuerit simila, ubi erunt panes propositionis? si defuerit gratia, ubi erit spes salvationis? In simila nihil est furfuris, quia a gratia, procul est spiritus simulationis. De purissimis granis excutitur simila, et gratia emanat de pinguissimis misericordiarum Dei medullis. A filiis Israel Moyses accipiat similam, a Domino Deo Israel imploremus gratiam. Parum est Moysen accipere similam, si non sit qui conficiat panes propositionis; parum est et nos accipere gratiam, si non sequamur effectus operationis. Fiant igitur multi panes de accepta simila, procedant multæ virtutes, ex indulta gratia. Fiat panis de duabus decimis, surgat virtus de radice geminæ dilectionis.

Sed videndum est et cum attentione nimia ru-

minandum, quid in Levitico præcipiat Dominus de panibus propositionis : *Accipies*, inquit, *similam, et coques ex ea duodecim panes qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam Domino statues, et pones super eos thus lucidissimum, ut sint panes in monumentum oblationis Domini. Per singula Sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno, eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia Sanctum sanctorum est, de sacrificiis Domini, jure perpetuo* (*Lev.* XXIV, 5-9). Mundas aures, labia purgata, puram conscientiam, et vocem honestam non funestam exigunt hæc Mosaica sacramenta, quanto magis Christiana ? Audio similam, audio purissimam mensam, audio thus lucidissimum, audio in loco sancto, audio Sanctum sanctorum, in superlativo puritatis omnia ista dicuntur. Nec mirum, nam et materiæ dignitas de qua fiunt panes, et nomen personæ cui fiunt, et modus quo fiunt, et numerus quo distinguuntur, et locus in quo ponuntur, et tempus in quo sumuntur, et habitus quo ordinantur, sacratissima intelligentia replentur. Quæ est materia ? profecto simila. Quorum sunt panes ? Aaron et filiorum ejus. Qui modus faciendi ? de duabus decimis similæ, duo separatim et fiunt et coquuntur. Qui numerus ? duodenarius. Quis eorum locus ? certe sanctus. Quando ponuntur vel tolluntur ? Sabbato. Quis positionis eorum ordo ? Seni altrinsecus super mensam purissimam Domino statuuntur, et ponitur super eos thus lucidissimum.

Jam quasi de se ipsis loquuntur intus latentia mysteria. Et quidem nimio fulgore etiam amictu exteriori refulgent, et quoddam internæ bonitatis et pulchritudinis specimen ipsa obumbratione extrinseca scintillant. Sed quo ausu nudare velata, revelare occulta, pauper ingenio, obsequio iners, verbo tædiosus potero ? Certe damnum grande patitur hæc materia, si tractetur vel contrectetur ab indocto cum negligentia. Est namque utilius ut conservetur intacta, idonea et fecunda materia, quam ut male confundatur et evacuetur artificis imperitia. Jamjam tamen loquatur stylus, quod sentit animus, aquila magnarum alarum Joannes evangelista, volatu sublimissimo, quæque mysteriorum Dei remotissima investigans, in repositorio divino duodecim panes propositionis super purissimam mensam reperit ; numerum enim et nomina duodecim filiorum Israel signatorum audivit. Forte hi panes sunt propositionis, quorum facta et dicta, posteris, tanquam forma et exempla proponuntur imitandæ actionis, et tam in hominibus quam in operibus suis, procul dubio valde notanda et retinenda virtutum lineamenta præsignaverunt, et nobis pauperibus (post eorum vestigia, in agro hujus vitæ merentibus) ex industria, spicas exemplorum dereliquerunt. Virtutis enim opera tam auctorem suum, quam et auctoris imitatores, sufficienter pabulo inconsumptibili pascunt. Nam quo plures superveniunt virtutis degustatores, eo semper super adhærescunt reliquiæ uberiores, et dum superveniunt hospites, fit charitatis manus profusior ad omnes.

Unde enim cujusque tribus patriarcharum tanta filiorum numerositas, ut duodecim habeat millia signata, nisi quia vera virtus, sterilitate remota, propagatur etiam in mille generationes ? Tanta namque Judæ succrescit proles virtutis, quanti fuerint æmulatores confessionis. Tot Ruben procreat, quot, ut intelligant opera sua, illuminat. Tot ex Gad oriuntur, quot contra tentationem accinguntur. Aser, tot generat filios, quot facit beatos ; Nepthalim propagat quos corde dilatat ; de Manasse nascuntur, qui mundi obliviscuntur. Hos Simeon habet hæredes et superstites, quos de malis præteritis relinquit testes. Levi generationem recognoscit, quæ nova virtutum exercitia quotidie addit. Issachar sinum profitetur, cui merces æternæ remunerationis proponitur. De Zabulon utero exivit, qui habitaculum fortitudinis elegit. A Joseph se meminit genitum, qui crescit in augmentum. De Benjamin stirpe originem sumit, qui dexteram Dei semper exquirit. Ecce quomodo saccos fratrum suorum, frumento bono et optimo, Joseph implevit, et etiam asinos eorum suffarcinavit.

Vere Joseph salus nostra in manu tua est ! da nobis alimenta, ut vivere possimus ; da nobis seminaria, quorum benedictionibus terram arentem et australem inebriemus et impinguemus. Germen siquidem benedictionis habet, qui a te semen habet. Semen enim tuum pinguescit in radice, turgescit in culmine, frondescit seu florescit in cacumine. In umbra ejus est vita, sanitas in gustu, in odore medicina, in aspectu voluptas. Omnia prædicatorum medicamina, hujus radicis pinguedine convalescunt, frondium viriditate nunquam veterascunt, florum amœnitate revirescunt : et exhausta sic in anima frondescit fides, spes florescit, impinguatur charitas. Frondescit, inquam, fides in anima, per discretionem intelligendorum, opinandorum et credendorum. Aliud est enim quod opinatur, aliud quod creditur, aliud quod intelligitur ; sic spes florescit per degustationem futurarum remunerationum ; sic charitas impinguatur in repletione innumerabilium gratiarum. Tria hæc grana si seminaverit homo in agro cordis sui, facient fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum. Quorum etiam farina si mola superiori et inferiori, id est gratia Dei et ingenio hominis, molita rore quoque cœli et pinguedine terræ, id est fide Verbi et humanitatis fuerit conspersa, poterit ex se præbere duas decimas dilectionis Dei et proximi, de quibus duodecim panes propositionis, separatim duo et duo coquantur.

Necesse est autem unumquemque eorum habere duas decimas : in omni enim hominis proposito, nisi dilectio Dei et proximi intervenerit, panis propositionis ex duabus decimis nequaquam existit. Si

ergo in charitate, velut Judas, peccata confessus fueris, primum panem propositionis, de duabus decimis similæ facis. Si tentationem fortiter accinctus fortitudine lumbos, per patientiam charitatis sustinueris, tertium panem tanquam Gad, ex duabus decimis similæ coxisti. Si toto nisu ad beatitudinem promissam, ducente gratia, curris, quartum panem cum Aser, ex duabus decimis similæ præparasti. Si eorum quæ retro sunt oblitus, ubi est impetus Spiritus in funiculis charitatis duceris, sextum panem cum Manasse, ex duabus decimis fecisti. Si tristitiam quæ secundum Deum est habens, de peccatis tuis, in amorem Creatoris conturbaris, septimum panem tanquam Simeon, ex duabus decimis facis. Si quotidie, cum Abraham vadens et proficiens, ad meridiem divinæ illuminationis, in odore charitatis proficeris, octavum panem cum Levi, ex duabus decimis facis. Si solam mercedem Dei cogitans, humeros ad omnia pericula sufferenda in tolerantia charitatis supposueris; novum panem cum Issachar, de duabus decimis similæ facis. Si plenus charitate, ut aquila in cœlo posueris nidum tuum tanquam habitaculum fortissimum, decimum panem cum Zabulon, ex duabus decimis similæ facis. Si Christum amplectens, quantum vales tantum diligas eum, plenus in augmento virtutum, undecimum panem cum Joseph, de duabus decimis similæ facis. Si *læva* Sponsi *sub capite* tuo, *et dextera illius* (*Cant.* II, 6), te amplexatur, in supremo charitatis constitutus, duodecimum panem, cum Benjamin ex duabus decimis similæ fecisti.

Ecce duodecim panes propositionis ex duabus decimis similæ parati, mensam præstolantur purissimam, super quam statuantur coram Domino! Est autem Scriptura divina, mensa Domini purissima. Velut mensa enim de imputribilibus lignis mandatorum divinorum composita, in omni copia deliciarum exuberat. Anima etiam Christiana, baptismi trina immersione ad plenum, tam ab originali quam actuali peccato purificata, mensa Domini est purissima. Ad hanc enim superbórum regum et omnium prædivitum mensis despectis, accedit Dominus ut reficiat et reficiatur, et ministret et ei ministretur. Libamenta corporis et sanguinis sui prior in hac mensa ponit, ac deinde imitationem suæ passionis, pro recompensatione, multum dignanter resumit. In honore quoque Dei, sancta altaria solemniter dedicata, mensa Domini sunt purissima. Habet Dominus et alias mensas nobis ignotas, sed procul remotas, sed tamen convivio et convivatoribus idoneas. In Scriptura itaque panes ordinantur propositionis, quia institutio et utilitas ibi continetur confessionis. Ibi etiam commonemur de confessione peccati et laudis Dei, de bonis operibus, de lumbis succingendis, de beatitudine quærenda, de dilatatione cordis, de oblivione sæculi, de tristitia pro peccatis, de profectu virtutis, de divina mercede, de habitaculo cœli fortissimo, de perfectione bonorum, de dextera Domini virtutum. Et hæc quidem in mensa Scripturarum.

Anima quoque cum peragraverit omnem hanc regionem divinarum plantationum, et corona aureola ex his omnibus compacta caput suum protulit redimitum, apparebit tanquam mensa Domini purissima. Ad sancta quoque altaria indefesse omnium sanctorum, quotidie fiunt commemorationes. Quid autem sanctorum commemoratio, nisi quædam panum propositionis appositio? Quis enim tibi utilior panis, satians ventrem, an sanctus sanans mentem? Quid appetibilius, panis satiatio, an sancti intercessio? Unusquisque sanctorum panis ex duabus decimis similæ est, vel propter fidei et morum perfectionem, vel propter Dei et proximi dilectionem, vel propter exempla perfecta ad aliorum eruditionem et continuam pro nobis intercessionem. Panes itaque propositionis super mensam purissimam coram Domino statuuntur, cum sanctorum solemnitates, ad Dei honorem, a fidelibus in Ecclesia celebrantur. Thus vero superponitur, tum orationes ad Deum pro populo levantur.

Aaron sunt, quia gratia salvi facti sumus *et hoc non ex nobis, Dei enim donum est* (*Ephes.* II, 8). Filiorum ejus, quia apostoli Dei adjutores sunt, participes gratiæ Dei sunt, cohæredes Christi sunt. Aaron sunt et filiorum ejus, quia a throno procedunt fulgura et voces et tonitrua : videlicet miraculorum, exhortationum et increpationum sanctorum. Vel ideo Aaron sunt et filiorum ejus, quia a Deo habent fideles quod sunt, et apostolorum imitatione ad regnum perveniunt. In loco sancto eduntur, quia in fide vel cœlesti regno, a Deo suspiciuntur. Per Sabbata mutantur, quia in consummatione virtutum tanquam in fine hebdomadarum dierum, alii tolluntur, alii substituuntur. Unde : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Fœdere sempiterno et jure perpetuo sunt hæc*, quia ab initio mundi usque ad finem sæculi, non deficiet sanctorum generatio. Unde : *Annuntiabitur hoc a generatione in generationem; a generatione* præcedentium patrum, *in generationem* succedentium filiorum, scilicet Christianorum, et hoc usque in sempiternum. Et in Evangelio Dominus : *Ecce ego vobiscum sum in omnibus diebus vitæ usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Amen.

CAPUT X.

De pane similagineo.

Postquam igitur de panibus propositionis, quam Deus donavit refectionem, fugientibus ab aquilone paravimus, ad panem similagineum, consequenter stylum et animum transferamus. Divinissimum namque quiddam et supra sensum humanum est, quod (ex mandato legis, ubi agitur de panibus propositionis) pars similæ, non consuetudinarie conspergitur aqua, sed oleo, nec coquitur in sartagine, vel craticula, vel clibano, sed cum oleo offertur super altari, in monumentum odoris suavissimi, Do-

mino. Sic enim in Levitico legitur : *Tollet sacerdos pugillum similæ quæ conspersa est oleo, et totum thus quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monumentum odoris suavissimi Domino ; reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, et comedet in loco sancto atrii tabernaculi Domini, ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domino incensum offertur, Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud, legitimum ac sempiternum est in generationibus vestris, de sacrificiis Domini, omnis qui tetigerit illa sanctificabitur* (*Lev.* VI, 15-18). Levemus velum, et faciem Moysi revelemus, ut ingredientes in sanctuarium Dei, intelligamus *sonum alarum* loquentem *tanquam sonum sublimis Dei* (*Ezech.* I, 24), et audiamus *spiritum vitæ qui est in rotis* (*ibid.*, 21).

Itaque farina illa quæ purissima, quæ candidissima est, simila vocatur. Quid autem divina natura sive sapientia purius ? quid candidius ? quid subtilius ? Nam quod in creaturis est purissimum, comparatione naturæ Dei, est sordidissimum. Quod candidissimum in humanis potest excogitari, teterrimum reputatur præsentatum æterno lumini. Quod denique subtilissimum in omni adinventione humanorum phantasmatum fuerit inventum, divinæ sapientiæ splendoribus comparatum, deprehenditur esse stultissimum. Ad hanc itaque pigra anima non consurgit, impura non accedit, incrassata non transilit, hanc lippa non videt, non audit surda, muta non loquitur, hujus in amplexus scabiosa non admittitur, fœda non copulatur, fetida non recipitur. Quare assumat pennas tarda, mundet se contaminata, extenuetur grossa, mundetur lippa, auditum recipiat surda, scabiosa purgetur, fœda decoretur, fetida odore bono perfundatur. Quantumcunque enim prius fueris oppressa, o anima, malorum consuetudine, tamen facile sursum revolas, subnixa charitate : quantumcunque turgida sive tumida, extenuaris continua afflictione ; quantumcunque cæca, illuminaris moderata castificatione. Auditum quoque reddit vera obedientia, scabiem repellit sancta continentia, feditatem exterminat bona conscientia, fetorem emundat optima fama.

Utcunque his et hujusmodi exstincta antiquæ nobilitatis et prosapiæ insignia reaccenduntur, et ad antiquum titulum gloriæ filiorum Dei recurritur. Cujus tamen gloriæ portio non plenitudo, pugillus non sextarius, prælibatio non saturatio, in præsenti datur. Nondum enim Deus per speciem, sed per fidem videtur. *Videmus*, inquit Apostolus, *nunc per speculum et in ænigmate, tunc facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12). Concitatiori tamen desiderio insiste, apprehende de Deo, non quod ignotum est, sed quod noscibile occurrit, tanquam plenum pugillum de simila. Denique Paulum vide sacerdotem nostrum, de incomprehensibili farinæ massa, plenum pugillum nobis mensurantem. *Invisibilia*, inquit, *Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). Quasi enim tota simila est, ipsa incomprehensibilis substantia divinitatis. Hanc itaque, quia impossibile est apprehendere, sufficiat sacerdoti pugillum plenum tollere, ut quantum sufficit intelligere, tantum audeat disserere ; pugillus enim sacerdotis, capacitas est devotæ mentis, implet autem simila pugillum, qui de Deo replet sensum suum. Non capiat autem similam, sive olei conspersione, ut semper Dei potentiæ recordetur cum sua miseratione.

Thus quoque super similam est, quia misericordiam *superexaltat* judicio (*Jac.* II, 13), quia interpellatio *Spiritus* qui *pro nobis* orat, *gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26), quasi insuperabilem superat, cum a rigore justissimæ districtionis, omnipotentem misericorditer ad nos exaudiendos inclinat. Nota Trinitatem, in simila Patrem, in oleo Filium, in thure Spiritum sanctum. Oleum, in simila indivisibiliter conspersum, Filium cum Patre substantialiter unum ; thus ad utrumque respiciens, Spiritum sanctum ab utroque procedentem. Semper in monumentum suavissimi odoris Domino, hoc totum in altari adolendum, ut in hac fide et devotione, toto desiderio, cor nostrum semper ardeat in Deum. Reliquam autem partem : *Aaron cum filiis suis comedet in loco sancto atrii tabernaculi* (*Lev.* VI, 26), ut Jesus dispensatione incarnationis suæ, cum suis discipulis in Jerusalem civitate sancta, PANEM ET VINUM IN SUBSTANTIAM CORPORIS ET SANGUINIS SUI COMMUTANDO, vivificis altaris mysteriis compleat, et fidelibus suis salutari mysterio usque in finem sæculi tradat. Vel, pugillus sacerdotis, est operatio creationis ; simila in pugillo, operatio creationis in Deo.

Oleum super similam, Spiritus bonus fovens omnem creaturam, unde illud : *Spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2). Adolendum hoc in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino ; delectati enim *in factura* Dei, glorificare Creatorem de creatura sua debemus, non evanescere in cogitationibus vanis, sicut illi *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21). Oleo namque superfunditur simila, cum de Deo percepta illuminatur scientia. Est autem recta illuminatio scientiæ, cum secundum scientiam procedit oratio cum devotione. Nam sine devotione operatio, simila est sine oleo. Rursum devotio sine operatione, oleum est sine similagine. Pugillum quoque implet sacerdos simila oleo conspersa, cujus tota operatio Salvatoris exemplo consecratur et gratia. In altari adoletur, cum cœlesti desiderio cor ardens ad sublimia cum odore boni operis rapitur.

Aaron reliquam partem similæ cum filiis suis, absque fermento comedit, cum illa quæ facere ex naturali difficultate non sufficimus, justitia Dei non imputat ad pœnam, sed misericordia Creatoris, per apostolorum intercessionem ignoscit. *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud* (*Lev.* VI, 18) ; **mollis et**

delicata, resolutione malarum concupiscentiarum, anima non contingit similam, id est non se arbitretur posse apprehendere divinam sapientiam, *non enim habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* XIV). Sed mares, subigentes scilicet adversarias potestates, subjicientes quidquid adversatur, *et extollitur adversus scientiam Dei* (*II Thes.* II, 4); calcantes super serpentes et scorpiones, comedent similam. Venter muliebris non recipit cibum similæ, quia corruptus sensus, divinæ nequaquam idoneus est naturæ sive scientiæ. Masculi vero stomachus solidus et sanus, ipse quærit et intelligit quid sit Deus.

Non tamen sexum in carne distinguo, sed sensum in animo, vel pravum repudio vel sanum approbo; nullo modo namque manus Creatoris in conditione muliebris sexus creavit vel diversam suæ bonitatis imaginem, aut deteriorem mulieri quam viro assignavit. Ait namque de homine Scriptura : *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos* (*Gen.* I, 27). Non ergo ab hac comestione excluditur femina ut mares admittantur, propter apparentem cibi vel sexus distinctionem, sed propter latentem mysterii sanctificationem vel significationem. Discernat itaque comedentes, sensus non sexus; gratia non natura; discretio mentis non membra corporis; habitus animi, non pilus faciei. Virtus quæritur, vitium respuitur, admittitur constantia, lascivia eliminatur, patientia recognoscitur, anathematizatur iracundia. Si ad convivium panis similaginei accesseris, cujus sis conditionis, cujus ætatis, cujus stirpis, cujus sexus, statim ab angelo percunctaris. Nam his principaliter et proprie angeli deserviunt officiis, ut ad Deum venientium inquirant mentem, propositum et meritum. Officii sui certe est, et dignos intromittere, et indignos extrudere, bene meritos cum reverentia suscipere, immeritos cum injuria ejicere. Si improbe contra regulam et legem constitutam te ingesseris, ne capite timeas detrunceris, non enim sine causa rhomphæam cherubim vibrat. Ferit subum, defendit humilem, impudicum excerebrat, honorat, lugentem consolatur, irridenti com- credenti communicat, incredulum damnat. medio Jerusalem vir qui habebat scri- enes, calamo sui examinis, omnes ejus notabat, et alios ad mortem, alios ut? (*Ezech.* IX, 2.) Firmiter autem ngelum non quos ipse volebat, ebat (ut divinum amplius tineas. Il udicium), morti aut vitæ sitionis, corrigendi, sensus ericonfessionis, ndam, et ad similam peccati et la erit illam, sanctifisuccingendis, erit sicut et illa tione cordis, d it me aliquis peccatis, de pro t est tactus de habitaculo cœli endo; tangit es, devotionem admovendo; tangit infidelitas, sed nequitiam suam evomendo; tangit Maria, osculando pedes et ungendo; tangit et Judas, osculando et vendendo; tangit fides, amando et imitando; tangit infidelitas, persequendo et exsecrando; fides tangendo sanctificabitur; infidelitas tangendo contaminabitur; sanctitas enim, sicut decenter suscepta, sanctificat, sic irreverenter contrectata damnat. Post buccellam, in corde proditoris sævire amplius potuit potestas diaboli, quia non vitio sumpti, sed sumentis augmentatur læsio doloris; nam quod sumitur sanaret, nisi æger de medicina acrius ægrotaret; exstinguit enim medicina morbum, et sanat morbosum, nam posthæc non erit anima sine morbo, quæ fuerit mortua cum morbo.

Morbum igitur a te, o anima, separa ex medicina, ne semper moriaris cum pœna; omne autem vitium intellige animæ morbum. Tange ergo sine vitio curationem vitiorum, accede cum fide ad emundatorem animarum nostrarum. Panis namque est similagineus, mundus, candidus, sapidus, calidus, neque in ore laboriosus, neque in ventre ponderosus. Præstruit hic ordo verborum, quodammodo sacratæ intelligentiæ aptitudinem. Nisi enim puro corde, et conscientia bona et fide non ficta cujus sit saporis divina gratia non degustatur; nisi vilitate terreni sensus dejecta, claritas divinorum sensuum non penetratur; mundus itaque cogitatione, candidus bonæ opinionis celebritate, calidus ferventi dilectione, sapidus in sancta elocutione, sumit panem similagineum, quia hujus manus non discordat a mensa, neque mens a simila. Si vales, considera Creatorem in gloria sua, quod est similam totam sumere; si non vales, saltem vel Redemptoris aspice potentissima et piissima opera, quod est pugillum de simila implere. Totam quidem pugillo non capies similam, quia incomprehensibilem non comprehendes naturam; imple tantum pugillum, ut de posse tuo glorifices Deum.

Non facias Deo de se ipso rapinam, ut quam pugillo tuorum meritorum non elaborasti, ab eo usurpes gratiam. Hoc ipsum quoque pugillo apprehenderis; Deo non tibi immolandum memineris: *Nihil enim habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Nunquam sine oleo est simila, quia Deus nunquam sua privatur clementia. Tu quoque nunquam accedas ad mensam, sine oleo ad similam, quia durus ad pium, ad misericordem crudelis, ingratus ad benignissimum comparabiliter non accedit. Transi a carne ad spiritum, a spiritu ad Deum; animarum enim panes sunt non corporum, quos præ manibus habemus. Quare communi utilitate servata, procul sit ambitiosa vendentis avaritia, et ementis absistat ignavia. Par enim scribentis et legentis, secundum officiorum distributionem, debet esse sedulitas; istius ut digne scribat, illius ut benigne legat; istius ut componat ad utilitatem, illius ut legat ad ædificationem; istius ut eroget, illius

ut roget; istius ut deserat, illius ut referat; istius ut largus sit, illius ut gratus sit in accipiendo. Neuter tamen decipiat aut decipiatur, fraudet aut fraudetur. Decernat scribens, utrum sic scribere debeat; discernat legens, utrum scripta recipere. Nullam patior injuriam, si meam volens statuere sententiam, ubi bene, assensum; ubi male, repulsam legentis sensero.

CAPUT XI.

De pane hordeaceo.

De pane hordeaceo jam tractaturus, salvo sensu fidei rusticiorem sermonem non sum respuiturus, humili namque stylo, propter conditionem servilem eo utentium, scribendum est de pane hordeaceo. Panis itaque hordeaceus non pro deliciis apponitur, sed tantum ut servilis fames relevetur, fauces enim deliciosorum excoriat, ventrem onerat, et arterias exasperat; duro namque contegitur cortice, et spiculata superficie occurrit comedentium dentibus. Tamen in domo magna, etsi non magnis hic necessarius est cibus, non quidem delicatior, sed tamen utilior, quia virium servilium magis esset confortativus. Sic quoque viliora, sed necessaria sunt, utentium pane hordeaceo officia. Vilissimum quidem officium stercorarii, in domo divitis, sed tamen mundat quod est fetore pessimum. Ancillarum quoque conditio, plurimum extrema, sed in ablutione pannorum utilissima, quomodo enim dominus ad publicum procederet, nisi vestem sordidam ancilla lavaret? Lignarius quoque aut agitator aselli, nullius sunt dignitatis, sed non æque nullius utilitatis, unde namque filius se calefaceret, nisi de silva ligna servus deferret? Focarius sive carbonarius, tota facie, propter carbonum et cinerum assiduam revolutionem denigratus, juxta cineres vix residere, superveniente turba, prævalet; sed nisi focum et carbones præparasset, quis locum ad focum haberet? Coquus etiam cacabi et ollarum contrectatione, et multum sudosa ferculorum præparatione interfœdatus, non prior neque melior recumbit, aut forte nec posterior in convivio; sed quis cœnaret, nisi cibos ipse coqueret?

Ecce apparet in officiis verum esse, quod quamvis sint vilia, tamen valde sunt necessaria. Forte sic est de pane hordeaceo, ut quo est vilior, eo sit ad pascendam familiam utilior. Utquid enim familiam suam in deserto panibus hordeaceis Dominus omnium pavit (*Joan.* VI, 9), nisi ut significationem daret timentibus se, utilem omnino et abundantem esse cibum, panem hordeaceum? Animadverte vero me numerasse superius quinque officialcs, et nunc reperisse in apotheca Domini quinque panes hordeaceos. Concurrit autem sibi non solum numerus, sed et genus officii atque panis. Attende itaque stercorarium panem comedentem hordeaceum; lignarium similiter, focarium, coquum et ancillam. Exponendum igitur tam in numero quam in ordine quid figurative ista significent, et ex Scripturæ auctoritate (si Dominus dederit) demonstrandum quid sit cloaca vel stercorarius in cloaca; quæ sint ancillæ vel lavandariæ, vel panni qui ab eis mundantur, et sic de cæteris.

Mundus igitur iste (quasi cloaca) plenus peccatorum fetoribus, receptilis est omnium malorum, tanquam universarum spurcitiarum. In hoc Adam prior purgavit ventrem, non ideo ut purgaret vel revelaret; sed ut omnes posteros opprimens contaminaret, cum enim peccatum excusavit, quasi ventrem purgavit. Sed heu miser! ubi aut in quem stercus primum projecit? Certe juxta Deum qui illum creavit, et in animam suam et posteritatem sobolis suæ. Se namque excusando, quasi Deum accusans, dicit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen.* III, 12). Quare, Adam, juxta legis præceptum *paxillum sub balteo* non habeas, ut egrediens *extra castra ad requisita naturæ rejecta humo* (*Deut.* XIII, 12), furfurem ventris absconderes? Certe si vocem Domini audiens pectus tunderes, et te accusando propriam conscientiam pungeres, humili procul dubio satisfactione et confessione, fetorem perpetratæ iniquitatis, ab oculis Dei, reprimendo sonitum superbiæ occultares. Sed te sic ignominiose nudantem, imo celantem præ confusione posteriora tua, et obscenos mendacii sonos emittentem, hujusmodi obscenitate, noluit Deus paradisum diutius contaminari, sed convallem istam, tanquam cloacam paravit, et ad proprios fetores sorbendos miserum inclusit in mundo, exclusit de paradiso.

Crevit malitia, impleta est cloaca. Venit diluvium, ut deleret culpam et emundaret cloacam. Fabricavit Noe, jubente Domino, prius arcam, in qua cum posteritate salvaret animam suam. Dum ergo in arca laborabat, dum intra arcam conclusus finem diluvii exspectabat; quid nisi panem hordeaceum, *in diluvio aquarum multarum* (*Psal.* XXXI, 6), tanquam in emundatione immundarum superfluitatum edebat? Ecce Noe quasi cloacarius mundi, præ nimio fetore, omnem fenestram arcæ bituminavit, et formam secundæ regenerationis, in qua veteres sordes expiantur prætitulavit. Sed vixit pane plane hordeaco, quia dura fuit temporis illius tribulatio. Moyses hunc panem in Genesi reconditum portavit; sed Jesus ad Joannem veniens sacramentumque baptismi suscipiendo aperiens, et expiationem salutarem exhibens, esurienti turbæ in deserto Ecclesiæ fregit. Ilic unus et primus panis est de quinque panibus hordeaceis.

In Exodo secundus panis conficitur, quando filii Israel de Ægypto per mare Rubrum in deserto traducti, quasi pannos animarum suarum, Ægyptiorum cohabitatione infectos, reparaverunt, et novum paschæ celebrantes, sanguine Agni renovaverunt. Sic enim scriptum est in Exodo: *Descendit Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum, cumque lavissent vestimenta sua, dixit ad eos: Estote parati in diem tertium, et non appropinquetis uxoribus vestris; jam advenerat dies tertius et mane inclaruerat,*

delicata, resolutione malarum concupiscentiarum, anima non contingit similam, id est non se arbitretur posse apprehendere divinam sapientiam, *non enim habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* XIV). Sed mares, subigentes scilicet adversarias potestates, subjicientes quidquid adversatur, *et extollitur adversus scientiam Dei* (*II Thes.* II, 4); calcantes super serpentes et scorpiones, comedent similam. Venter muliebris non recipit cibum similæ, quia corruptus sensus, divinæ nequaquam idoneus est naturæ sive scientiæ. Masculi vero stomachus solidus et sanus, ipse quærit et intelligit quid sit Deus.

Non tamen sexum in carne distinguo, sed sensum in animo, vel pravum repudio vel sanum approbo; nullo modo namque manus Creatoris in conditione muliebris sexus creavit vel diversam suæ bonitatis imaginem, aut deteriorem mulieri quam viro assignavit. Ait namque de homine Scriptura : *Ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos* (*Gen.* I, 27). Non ergo ab hac comestione excluditur femina ut mares admittantur, propter apparentem cibi vel sexus distinctionem, sed propter latentem mysterii sanctificationem vel significationem. Discernat itaque comedentes, sensus non sexus; gratia non natura; discretio mentis non membra corporis; habitus animi, non pilus faciei. Virtus quæritur, vitium respuitur, admittitur constantia, lascivia eliminatur, patientia recognoscitur, anathematizatur iracundia. Si ad convivium panis similaginei accesseris, cujus sis conditionis, cujus ætatis, cujus stirpis, cujus sexus, statim ab angelo percunctaris. Nam his principaliter et proprie angeli deserviunt officiis, ut ad Deum venientium inquirant mentem, propositum et meritum. Officii sui certe est, et dignos intromittere, et indignos extrudere, bene meritos cum reverentia suscipere, immeritos cum injuria ejicere. Si improbe contra regulam et legem constitutam te ingesseris, ne capite timeas detrunceris, non enim sine causa rhomphæam cherubim vibrat. Ferit superbum, defendit humilem, impudicum excerebrat, castum honorat, lugentem consolatur, irridenti comminatur, credenti communicat, incredulum damnat.

Annon in medio Jerusalem vir qui habebat scriptorium ad renes, calamo sui examinis, omnes ejus habitatores sic notabat, et alios ad mortem, alios ad vitam destinabat? (*Ezech.* IX, 2.) Firmiter autem retinendum hunc angelum non quos ipse volebat, sed quos Dominus jubebat (ut divinum amplius timeas, quam angelicum judicium), morti aut vitæ præsignasse. Mores igitur corrigendi, sensus erigendus ad gratiam impetrandam, et ad similam sumendam. *Omnis enim qui tetigerit illam, sanctificabitur* (*Exod.* XXIX, 37). Qui tetigerit sicut et illa tangebat, de qua dictum est: *Tetigit me aliquis* (*Marc.* V, 31). Est enim tactus fidei, et est tactus infidelitatis. Tangit fides, sed promerendo; tangit infidelitas, sed prodendo; tangit fides, devotionem admovendo; tangit infidelitas, sed nequitiam suam evomendo; tangit Maria, osculando pedes et ungendo; tangit et Judas, osculando et vendendo; tangit fides, amando et imitando; tangit infidelitas, persequendo et exsecrando; fides tangendo sanctificabitur; infidelitas tangendo contaminabitur; sanctitas enim, sicut decenter suscepta, sanctificat, sic irreverenter contrectata damnat. Post buccellam, in corde proditoris sævire amplius potuit potestas diaboli, quia non vitio sumpti, sed sumentis augmentatur læsio doloris; nam quod sumitur sanaret, nisi æger de medicina acrius ægrotaret; exstinguit enim medicina morbum, et sanat morbosum, nam posthæc non erit anima sine morbo, quæ fuerit mortua cum morbo.

Morbum igitur a te, o anima, separa ex medicina, ne semper moriaris cum pœna; omne autem vitium intellige animæ morbum. Tange ergo sine vitio curationem vitiorum, accede cum fide ad emundatorem animarum nostrarum. Panis namque est similagineus, mundus, candidus, sapidus, calidus, neque in ore laboriosus, neque in ventre ponderosus. Præstruit hic ordo verborum, quodammodo sacratæ intelligentiæ aptitudinem. Nisi enim puro corde, et conscientia bona et fide non ficta cujus sit saporis divina gratia non degustatur; nisi vilitate terreni sensus dejecta, claritas divinorum sensuum non penetratur; mundus itaque cogitatione, candidus bonæ opinionis celebritate, calidus ferventi dilectione, sapidus in sancta elocutione, sumit panem similagineum, quia hujus manus non discordat a mensa, neque mens a simila. Si vales, considera Creatorem in gloria sua, quod est similam totam sumere; si non vales, saltem vel Redemptoris aspice potentissima et piissima opera, quod est pugillum de simila implere. Totam quidem pugillo non capies similam, quia incomprehensibilem non comprehendes naturam; imple tantum pugillum, ut de posse tuo glorifices Deum.

Non facias Deo de se ipso rapinam, ut quam pugillo tuorum meritorum non elaborasti, ab eo usurpes gratiam. Hoc ipsum quoque pugillo apprehenderis; Deo non tibi immolandum memineris: *Nihil enim habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV, 7.) Nunquam sine oleo est simila, quia Deus nunquam sua privatur clementia. Tu quoque nunquam accedas ad mensam, sine oleo ad similam, quia durus ad pium, ad misericordem crudelis, ingratus ad benignissimum comparabiliter non accedit. Transi a carne ad spiritum, a spiritu ad Deum; animarum enim panes sunt non corporum, quos præ manibus habemus. Quare communi utilitate servata, procul sit ambitiosa vendentis avaritia, et ementis absistat ignavia. Par enim scribentis et legentis, secundum officiorum distributionem, debet esse sedulitas; istius ut digne scribat, illius ut benigne legat; istius ut componat ad utilitatem, illius ut legat ad ædificationem; istius ut eroget, illius

ut roget; istius ut deserat, illius ut referat; istius ut largus sit, illius ut gratus sit in accipiendo. Neuter tamen decipiat aut decipiatur, fraudet aut fraudetur. Decernat scribens, utrum sic scribere debeat; discernat legens, utrum scripta recipere. Nullam patior injuriam, si meam volens statuere sententiam, ubi bene, assensum; ubi male, repulsam legentis sensero.

CAPUT XI.

De pane hordeaceo.

De pane hordeaceo jam tractaturus, salvo sensu fidei rusticiorem sermonem non sum respuiturus, humili namque stylo, propter conditionem servilem eo utentium, scribendum est de pane hordeaceo. Panis itaque hordeaceus non pro deliciis apponitur, sed tantum ut servilis fames relevetur, fauces enim B deliciosorum excoriat, ventrem onerat, et arterias exasperat; duro namque contegitur cortice, et spiculata superficie occurrit comedentium dentibus. Tamen in domo magna, etsi non magnis hic necessarius est cibus, non quidem delicatior, sed tamen utilior, quia virium servilium magis esset confortativus. Sic quoque viliora, sed necessaria sunt, utentium pane hordeaceo officia. Vilissimum quidem officium stercorarii, in domo divitis, sed tamen mundat quod est fetore pessimum. Ancillarum quoque conditio, plurimum extrema, sed in ablutione pannorum utilissima, quomodo enim dominus ad publicum procederet, nisi vestem sordidam ancilla lavaret? Lignarius quoque aut agitator aselli, nullius sunt dignitatis, sed non æque nullius utilitatis, unde namque filius se calefaceret, nisi de silva ligna servus deferret? Focarius sive carbonarius, tota facie, propter carbonum et cinerum assiduam revolutionem denigratus, juxta cineres vix residere, superveniente turba, prævalet; sed nisi focum et carbones præparasset, quis locum ad focum haberet? Coquus etiam cacabi et ollarum contrectatione, et multum sudosa ferculorum præparatione interfœdatus, non prior neque melior recumbit, aut forte nec posterior in convivio; sed quis cœnaret, nisi cibos ipse coqueret?

Ecce apparet in officiis verum esse, quod quamvis sint vilia, tamen valde sunt necessaria. Forte sic est de pane hordeaceo, ut quo est vilior, eo sit D ad pascendam familiam utilior. Utquid enim familiam suam in deserto panibus hordeaceis Dominus omnium pavit (*Joan.* VI, 9), nisi ut significationem daret timentibus se, utilem omnino et abundantem esse cibum, panem hordeaceum? Animadverte vero me numerasse superius quinque officiales, et nunc reperisse in apotheca Domini quinque panes hordeaceos. Concurrit autem sibi non solum numerus, sed et genus officii atque panis. Attende itaque stercorarium panem comedentem hordeaceum; lignarium similiter, focarium, coquum et ancillam. Exponendum igitur tam in numero quam in ordine quid figurative ista significent, et ex Scripturæ auctoritate (si Dominus dederit) demonstrandum quid A sit cloaca vel stercorarius in cloaca; quæ sint ancillæ vel lavandariæ, vel panni qui ab eis mundantur, et sic de cæteris.

Mundus igitur iste (quasi cloaca) plenus peccatorum fetoribus, receptilis est omnium malorum, tanquam universarum spurcitiarum. In hoc Adam prior purgavit ventrem, non ideo ut purgaret vel revelaret; sed ut omnes posteros opprimens contaminaret, cum enim peccatum excusavit, quasi ventrem purgavit. Sed heu miser! ubi aut in quem stercus primum projecit? Certe juxta Deum qui illum creavit, et in animam suam et posteritatem sobolis suæ. Se namque excusando, quasi Deum accusans, dicit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen.* III, 12). Quare, Adam, juxta legis præceptum *paxillum sub balteo* non habeas, ut egrediens *extra castra ad requisita naturæ rejecta humo* (*Deut.* XIII, 12), furfurem ventris absconderes? Certe si vocem Domini audiens pectus tunderes, et te accusando propriam conscientiam pungeres, humili procul dubio satisfactione et confessione, fetorem perpetratæ iniquitatis, ab oculis Dei, reprimendo sonitum superbiæ occultares. Sed te sic ignominiose nudantem, imo celantem præ confusione posteriora tua, et obscenos mendacii sonos emittentem, hujusmodi obscenitate, noluit Deus paradisum diutius contaminari, sed convallem istam, tanquam cloacam paravit, et ad proprios fetores sorbendos miserum inclusit in mundo, exclusit de paradiso.

C Crevit malitia, impleta est cloaca. Venit diluvium, ut deleret culpam et emundaret cloacam. Fabricavit Noe, jubente Domino, prius arcam, in qua cum posteritate salvaret animam suam. Dum ergo in arca laborabat, dum intra arcam conclusus finem diluvii exspectabat; quid nisi panem hordeaceum, *in diluvio aquarum multarum* (*Psal.* XXXI, 6), tanquam in emundatione immundarum superfluitatum edebat? Ecce Noe quasi cloacarius mundi, præ nimio fetore, omnem fenestram arcæ bituminavit, et formam secundæ regenerationis, in qua veteres sordes expiantur prætitulavit. Sed vixit pane plane hordeaco, quia dura fuit temporis illius tribulatio. Moyses hunc panem in Genesi reconditum portavit; sed Jesus ad Joannem veniens sacramentumque baptismi suscipiendo aperiens, et expiationem salutarem exhibens, esurienti turbæ in deserto Ecclesiæ fregit. Hic unus et primus panis est de quinque panibus hordeaceis.

In Exodo secundus panis conficitur, quando filii Israel de Ægypto per mare Rubrum in deserto traducti, quasi pannos animarum suarum, Ægyptiorum cohabitatione infectos, reparaverunt, et novum pascha celebrantes, sanguine Agni renovaverunt. Sic enim scriptum est in Exodo: *Descendit Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum, cumque lavissent vestimenta sua, dixit ad eos: Estote parati in diem tertium, et non appropinquetis uxoribus vestris; jam advenerat dies tertius et manc inclaruerat,*

et ecce cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat (*Exod.* XIX, 14-16), et post pauca : *Descendit Dominus super montem Sinai, in ipso montis vertice, et vocavit Moysen in cacumen ejus* (*ibid.*, 20). Animadvertendum quod primo, secundo, tertio, abluuntur vestimenta filiorum Israel, videlicet in mari Rubro, in sanguine agni, in acceptione legis. Mundat enim nos baptismus Christi, mundat corpus Christi, mundat lex Dei. Ancillæ vero sunt sacramenta, quæ conscientiarum pannos sic dealbant, ut angelorum puritatem jam aliquatenus conscendere faciant. Non veniet autem ad nos Dominus, nisi ancillæ istæ nostra prius mundaverint vestimenta, quia in nobis non erit Christus, nisi perceperimus ecclesiastica sacramenta. *Vestimentum* enim *mistum sanguine erit in combustionem, et cibus ignis* (*Isa.* IX, 5). *Si* autem *fuerint peccata nostra*, juxta Isaiam, *ut coccinum*, immanitate perpetrati sceleris, fuscata, virtute baptismatis purgata, *quasi nix dealbabuntur* (*Isa.* I, 18), ut anima illa cantet et dicat tanquam tonsa et lota ascendens *de lavacro* (*Cant.* IV, 2), *asperges me hyssopo, et mundabor ; lavabis me et super nivem dealbabor* (*Psal.* L, 9). Iterum : *Si fuerint rubra quasi vermiculus*, quæ quasi viluerunt quotidiana assiduitate, *velut lana, alba erunt* in vera confessione. Omnia Ecclesiæ sacramenta quæ sunt *tanquam piscinæ in Hesebon* (*Cant.* VII, 4), quodcunque animam maculaverit peccatum, sive parvum, sive magnum, sive vetus, sive novum, delere sufficiunt. Beneficio ergo et officio illorum, anima desponsata venire de Libano voce Sponsi monetur : *Veni*, inquit, *de Libano, veni* (*Cant.* IV, 1).

Ecce quare tertio infans baptizandus in fonte mergitur, et tertio elevatur. Moyses descendit ut sanctificet populum, quando ex condescensione sua prælatus quilibet ad lamenta provocat subjectum; cumque vestimenta sua fletibus laverit, ut in diem tertium paratus sit præcipit. Prima dies, dies est nativitatis ; secunda, tempus adolescentiæ, cum vires suas exercere cœperit in intelligentia rationis; tertia, cum defecerit virtus corporalis in dissolutione animæ et corporis. Primam diem parat regeneratio baptismi; secundam, mortificatio carnis, quæ statim ut senserit motum extollentem se adversus castitatem mentis, eam subigit et exstinguit ratio animi; tertiam nihilominus parat meditatio mortis, quæ velut novacula acuta, radit renascentia quotidie superflua desideria carnis.

In Levitico (cap. VI), sacerdotes jubentur struem lignorum in altaria subjicere, ut perpetuus sit ignis Domino, et nunquam deficiat. Quid itaque Aaron princeps sacerdotum, ad hoc designatus officium, nisi in domo Dei servus præparans focum? Totus quoque Leviticus, nisi ignem parat, cineres replicat, carbones inflammat, ligna subministrat, vitulos immolat, arietes jugulat, agnos anniculos assat? Panis tamen hordeacus est, illa succinctio in detri-

A hendis pellibus, in aperiendis intestinis, in lavandis, in dividendis singulis artubus, in coquendis et ministrandis, in effusione quoque sanguinis, in comburendis vel extra castra efferendis. Grossiora multa sunt ista sacramentorum velamina quam nostra, laboriosa et viliora; nostra quidem pauciora, sed digniora; tardiora, sed utiliora. Fuerunt siquidem illa exemplaria cœlestium, nostra vero sunt ipsa cœlestia. Translatum deinde sacerdotium vetus, desiit ritus sacrificiorum, cessavit unctio. Novum denique secundum ordinem Melchisedech successit, et veritas corporis et sanguinis Christi figuras præcedentes consummavit.

Postquam igitur filii venerunt quibus parabatur focus, secessit qui paraverat, nec ultra habuit locum postquam clare cœpit ardere focus. Comedit itaque Aaron cum posteritate sua tertium panem hordeaceum, dum composuit focum. Nos proinde, accenso Evangelii igne post resurrectionem Domini, sine labore, sine sudore, sine dolore panem gloriæ comedamus, lucem intueamur, igni assistamus. Nam dolores et sudores atque labores nostros ipse portavit, et ne iisdem rursus afficeremur, cruci affixit, nec ulterius solvendos edixit. Quasi diceret : Hucusque Aaron panem suum hordeaceum, offerendo sacrificia et munera secundum legem Moysi comederit, jam nunc, quia consummatum est, trado vobis non litteram sed spiritum meum, ut non secundum carnem deinceps, sed secundum Spiritum vivatis, et hostiam vivam, sanctam Deo placentem offeratis. Ecce jam coquus dignus cibo suo panem suum præstolatur, et pro multa coquinæ vexatione, saltem panem hordeaceum precatur

Quis vero sit coquus iste vel quorum gulæ et ventri satisfacere debeat, quærendum est, si quo modo lex divina id ostendat. Forte si diligentius librum Numerorum revolverimus, inveniemus. In eo enim legitur, vulgus quod ascenderat de Ægypto cum filiis Israel, carnium Ægyptiarum flagrasse desiderio et dixisse : *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis cucumeres veniunt et pepones, porri et cæpæ et allia, anima nostra arida est, nihil respiciunt oculi nostri nisi Man* (*Num.* II, 4). Ecce habes qui petant, et quid, et a quo, filii nempe Israel, a Moyse petunt carnes. Unde et ipse Moyses, tanquam bonus coquus, quærit quomodo et unde satisfaciat importunitati eorum, et ait ad Dominum : *Unde mihi carnes ut dem turbæ multitudini? flent coram me dicentes : Da nobis carnes ut comedamus* (*ibid.*, 13). Pensandi sunt labores Moysi, quibus die et nocte utitur, ne populus suus famem patiatur : nihilominus æque exosa populi ingratitudo, cui nec Dei nec hominis sufficit sollicitudo. Plagis namque decem, in ultione illorum Ægyptios percutit (*Exod.* VII), in mari Rubro viam eis facit (*Exod.* XIV); Pharaonem cum populo insequentem illos demergit, de petra aquam producit, aquarum amaritudinem in dulcorem vertit (*Exod.* XVII); manna de

cœlis pluit (*Exod.* XVI), multa præterea beneficia impendit, et adhuc carnes cum murmure quærit! Hæc Deus populo, hæc populus Deo.

Moyses vero ut eos educat et de manu Pharaonis eripiat, omnibus periculis se exponit, ut legem accipiat per duas quadragenarias abstinuit, montem ascendit, ac subinde cum instanti sollicitudine, ne castra illorum ab indignatione Domini (propter vitulum conflatilem) pereant, descendit, et importabili oneri quotidianarum quæstionum, pene succumbit. Quid vero populus ad hæc? In Deum murmurat, Moysi manus injicere parat, manna fastidit, carnes cum desiderio petit, Ægyptios suspirat cibos, et conqueritur sibi melius fuisse in Ægypto, quam nunc sit in deserto. Cucumeres quoque et pepones insipidos, porros, cæpas et allia, cibos ad libidinem commotivos, rebellis et ingratus populus, non multum inconvenienter esurit. Amplius enim placet desidia quam labor, luxuria eos magis delectat quam continentia. Conceduntur tamen, potius ex indignatione quam ex miseratione carnes, quia post impetrationem desideriorum carnalium, castrorum perimuntur extremitates. *Adhuc*, inquit Psalmista, *escæ erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit supra eos* (*Psal.* LXXVII, 30). Ecce quomodo in coquina Hebræorum, Moyses desudat, nec tamen panes triticeos sed hordeaceos pro officio recipit : *Neminem* enim *ad perfectum adduxit lex* (*Hebr.* VII, 17). Hæc de quarto pane hordeaceo sufficiant. Superest ut quintum quoque a puero qui *habet quinque panes hordeaceos et duos pisces* (*Joan.* VI, 9), mutuemur, et turbæ nostræ cum manuum Christi benedictione apponamus.

Primo itaque, juxta rationem præcedentium, cui et pro quo opere rependendus sit panis iste, indagandum est. Recordandum tamen prius est, in superioribus lignarium vel architectum cum aliis officialibus numeratum esse. Quis autem sit architectus vel quibus ligna deferat, sive ad focum sive ad domum, diligenter est inquirendum. In significatione igitur hujus mysterii, in Deuteronomio, tanquam de infinita beneficiorum Domini silva, Moyses recolligens ligna, enumerat omnia opera Domini et sua et populi Israel. Quasi ergo bonus architectus, in memoriam illorum revocando quæ pro eis (imo, quæ ipsis) Dominus bona fecerat; ligna, secundo quasi redoleat, et quæ sibi quæque adaptanda in ædificio domus Dei sint, funibus et lineis remittendo præmonstrat. Ad minus enim CLV distinctionibus capitulorum, in Deuteronomio, velut tignis et laquearibus omnia acta præcedentia populi, ab exitu Ægypti recapitulat, et unum librum tanquam domum unam componit, vel etiam panem pro tali opera Moyses reposcit. Attende finem libri hujus, et stipendium quale sit intellige : *Ascendit*, inquit, *Moyses de campestribus Moab super verticem Nebo, in verticem Fasga contra Jericho, ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, et universam Nephtalim, terramque Ephraim et Manassæ et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et australem plagam, et latitudinem campi Jericho, civitatis palmarum, usque Segor, dixitque Dominus : Hæc est terra pro qua juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam ; mortuusque est Moyses, servus Domini in terra Moab, jubente Domino, et sepelierunt eum in valle Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulcrum ejus* (*Deut* XXXIV, 1-6). Quid est, Domine? Hæc est illa prædicabilis et prædicata ubique gentium amicitia tua, ad amicum tuum Moysen? Taliterne finiuntur promissiones tuæ? Itane remunerantur qui in castris tuis, usque ad mortem militantes merentur? Si Moyses fraudatus est a desiderio suo; cujus spes non pendeat in dubio? Sed esto, nolebas illum introducere ad terram illam desiderabilem, et quare ostendebas quod non dabas? quasi enim puero porrigis pomum, et retrahis manum. Forte non tam fortiter doleret, si non videret, crescit aviditas scintillata ex visione, ardentius flammescit anima in muneris oblatione. Sed quo uberius concepta spes gaudet, desperata acrius dolet. Cui es parciturus, si Moysi non parcis? Quis tuis sic obedivit mandatis, quis pro te sic se indifferenter opposuit inimicis, et exposuit periculis? Nunquid non scriptum est : *Quia non surrexit propheta ultra in Israel, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis quæ per eum misit ut faceret in terra Ægypti, Pharaoni et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israele?* (*Deut.* XXXIV, 10.)

Ut mihi videtur, amandus quidem es super omnia, sed nihilominus et timendus. Amantium enim vitia non palpas sed emendas, et aculeus tui timoris, impunita non transit, etiam errata diligentis. O Moyses, amicus est qui minatur, ideo non timendus. Omnipotens est qui loquitur, ideo non provocandus. Deus est qui decernit, ideo justus arbitrandus; amicus legem amicitiæ non prætergreditur, ut in finem ab amico recedat. Omnipotens ergo et misericors, forte idcirco terram morientium negat, quia ad cœlum Moysi animam sublevat. Deus hoc in præsenti ad purum excoquit, quod ad æternitatem veniendi impedimento esse animadvertit. Videat ergo Moyses terram pro qua juravit Dominus patribus suis, tanquam panem triticeum et non comedat, non intrando; sed comedat, moriendo in terra Moab (forte propter peccatum, ad aquam contradictionis commissum), panem hordeaceum. Ecce quinque panes hordeaceos tetigimus, et in mensa posuimus, sed uberiores reliquias adhuc intactas reliquimus, semper enim, quo frequentius tanguntur exponendo, tanquam frangendo, eo abundantius succrescunt, fideliter intelligendo.

CAPUT XII.

De pane lugentium.

Post panem hordeaceum, et loco et merito sequitur panis lugentium; nam Moyse mortuo, quis

non dolebit, quis non lugebit? Beati vero qui mortem Moysi (id est defectum legis) lugent, quoniam rectorem habent Jesum pro Moyse, gratiam accipiendo pro lege. Panis itaque lugentium, abundantia est lacrymarum; sicut enim panis esurientem, sic lacryma reficit animam dolentem : deficit esuriens sine pane, lacerata languet anima sine lacrymarum effusione. Panis mitigat famem, lacryma lenit dolorem. Non vero semper, non ubique et non ab omnibus manditur panis iste lacrymarum. Nam angelus qui nunquam peccavit, et Adam priusquam peccaverit, panem istum non manducavit. De fonte igitur, peccatorum vena exsilivit omnium lacrymarum. Mirum tamen in hoc artificis Dei ingenium, ut lacryma de venis erumpens peccatorum, profusa humiliter, absorberet omne peccatum. Plane sic de peccato damnatur peccatum, sic aqua compunctionis exstinguit ignem illicitæ delectationis.

Demergit lacryma populum criminum, rupiumque nostri pectoris solvit duritiam, judicis emollit iram, jam intentatæ iræ, humili ausu flectit minas, vibratas revaginat acies, erecta jam resupinat supplicia, exundantes irrorat flammas, profundit de silice aquas. Remollit aspera, rigida recurvat, humectat arida, sterilia fecundat, sordida lavat, decorat fœda, suscitat emortua, reserat clausa, prohibita accelerat, intemperata temperat : portas refringit inferni, carbones exstinguit ferreæ fornacis. Quid plura? Vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est vitiorum, portusque naufragatorum. Filium Dei ad nos inclinat et ad veram Trinitatem, interveniente Spiritu nos elevat. Hunc panem lacrymarum Adam comedit in exsilio; Noe in diluvio; populus in deserto; Ezechias in lecto; Job in sterquilinio; David in adulterio sive homicidio; Petrus in negatione; Maria Magdalena in corporis sui prostitutione; latro in crucis suspensione. Quare? Ut anima renovetur, ut insequens hostis demergatur. Satan enim tolerabilius sustinet flammam suam quam lacrymam nostram, acriusque contriti cordis lacryma, quam flamma infernalis incendii torquetur.

Dum fundit peccator lacrymam, recludit adversarium in flammam; urit certe adversarium refrigerium nostrum. Tormentis siquidem nostris delectatur, doloribus refrigeratur, effusio nostri sanguinis est ei poculum mellis. Flumina omnia absorbet, sed hanc tamen aquam non sorbet; rumpuntur namque ventris ejus interiora, si conspersa fuerint hac aqua. Dentes excutiuntur, fauces perforantur, venæ inflantur, et nervi ejus solvuntur; non tamen hæc operatur omnis liquor profluens ex oculis, sed humilitas procedens ad publicum, navigio lacrymarum. O lacryma humilis : *Tua est potentia, tuum est regnum*. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, quandoque sententiam rapis, etiam ab ore judicis! Audes ubi timet angelus. Non est qui te perturbet ab ingressu secretorum, ab interpellatione pro culpis reorum, non est qui accedere vetet. Sola si intraveris, nunquam tamen sola vel vacua redibis. Reatuum indulgentiam refers, innocentiam deperditam reparas, exsules revocas, innocentes coronas. Aqua hæc paradisum irrigat, Ecclesiam ut sit sine macula lavat. Aut facit, aut invenit paradisum. Cum enim profusione lacrymarum tota irrigatur conscientia, ligna producuntur, fructum vitæ facientia. Nunquam virtutes aut veniunt aut diu vivunt sine cordis irrigatione. Nam si in corde viridi quotidie irrepunt tentationes : *In arido quid fiet?* (*Luc.* XXIII, 31.) Si etiam post lacrymam, vermis corruptionis mentem corrodit, quæ consumptio ariditatis illius, ubi nunquam Dominus pluit? Si ros gratiæ præ tædio aliquando arescit, quid ubi nunquam ros venit?

Habeat igitur patriarcharum studiosus imitator puteum in paradiso, fontem in horto suo, rivos in prato suo. Equidem cum profundas profundis lacrymas in recordatione gravium peccatorum, aquam de puteo hauris : cum vero defles quotidianos excessus, de fonte sumitur potus. Diversos diffundis rivulos, cum in mensura et pondere appendis cogitatus universos. Omnis plantatio nostra sine aqua deficit; omnis sterilitas crescit. Alicubi tamen etiam in aquis ipsis, sterilitatem, imo steriles aquas legimus. Jericho steriles habebat aquas, cum Eliseus sua benedictione nondum illas sanaverat (*IV Reg.* II); qui veniens, et a filiis prophetarum querimoniam super aquarum malitia suscipiens, in novo vase aquam cum sale commiscuit, et aquarum sterilitatem propulsavit. Sic sic humana natura juxta defectum suum, fidei et bonorum operum viriditate carens, Filii Altissimi adventu ab ariditate sua liberata est, et multum delectabilis ex successu virtutum reddita. Vas enim fictile et novum, novum est corpus Christi de virgine sumptum. Sal infusum aquæ, divinitas unita corpori, anima mediante. Sic aqua sanavit aquas, sed aqua cum sale, aquas cum sterilitate, sed aqua benedictionis, aquas profusæ maledictionis, sed aqua dulcis, aquas totius amaritudinis. Non bibamus, sed effundamus aquas steriles, nam intestina torquentur ex potatione sterilium aquarum, quia venter animæ conturbatur pro inutili acquisitione rerum sæcularium. Plus autem ariditatis quam vivificationis conferunt, quæ per simulationem lacrymæ defluunt. Sterilis est omnis effusio lacrymarum quæ non effunditur propter regnum cœlorum. Inanes sunt lacrymæ, quas damnum vel incommodum extorquet temporale.

Non igitur aqua de Jericho hujus mundi, sed de paradiso, sit tibi panis et refectio. Nam flendum solummodo est, aut pro peccato commisso, aut pro amisso paradiso. Hoc est enim quod ait Scriptura : *Fluvius*, inquit, *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita* (*Gen.* II, 10). Attendendum, vel saltem suspirandum in loco doloris, ubi sit et quis sit locus

voluptatis. Locus voluptatis in Deo est, et Deus est. Cum igitur audis, in Deo, vel Deum esse voluptatem, non carnis sed cordis cogites delectationem. *Non* enim *conjunguntur Judæi Samaritanis* (*Joan.* IV, 9); quia neque unam originem, neque eumdem finem habent delectationes spiritus et carnis, nihilominus non patitur cohabitare summa illa voluptas cum nostra infima; nam illa mundat, ista inquinat; illa Deo copulat, ista a Deo separat; illa semper sine fastidio, ista plena tædio. Poterit autem ille dicere quid sit illa voluptas, qui diffinire poterit quid sit æternitas. *De loco voluptatis*, inquit, *fluvius egrediebatur ad irrigandum paradisum!* Bene talis locus tali flumine irrigatur! qui enim irrigatur, paradisus est; qui irrigat, Paracletus. Prorsus, nec alio irrigari paradisus, nec alium debet irrigare Paracletus. Illo fluvio apud superos nihil excellentius, isto loco apud terrenos, nihil cœlestius. Ille fluvius voluptatis, iste locus deliciarum: ibi una voluptas, quia unum et invariabile propter æternitatem desiderium, hic multæ deliciæ, quia multa et diversa desideria propter alternationem diversorum motuum. Illa una voluptas, non solum in se continet istas delicias, sed etiam majus est quod præter ipsas delicias habet, quam sit totum collegium ipsarum deliciarum; dum enim ad Deum tendis, multæ in itinere occurrunt, antequam pervenias ad unum Deum, gratiarum deliciæ.

Cum autem ad ipsum perveneris, non gratias sed gratiam; non delicias sed voluptatem unam habebis. Singuli beatorum spirituum navigant (imo nudis intellectibus natant) cum suavitate in fluvio isto, et quanto profundius immerguntur, tanto liberius et suavius æterna felicitate fruuntur. Cum ex eo impleverit quisque lagunculam desiderii sui, non tamen angustat aut retardat impetum fluminis Dei. Seraphim primo et præcipuo haustu sua incendia uberius accendit, quia dilectionem nutrit non extinguit. Cherubim, pleniori scientia debriati, ructus suavissimos in vicinia sua emittunt, quia aqua sapientiæ salutaris de Spiritu Dei procedit. Throni abundantiori æquitate impleti, mitius injustitias hominum judicant, quia spiritu pietatis molliti causas reorum semper benignius pensant. Dominationes modum imperandi, ab eodem spiritu accipiunt, nec aliter vel ultra quam jubentur dominationem suam extendunt. Principatus, curam et dignitatem officii delegati, inspiratione hujus Spiritus apprehendunt. Potestates, ut quæ utilitatem nostram valent, possint, in isto Spiritu mutuant. Virtutes ut ad imitationem Dei miracula faciant, a Dei Spiritu accipiunt. Archangeli, ut summa nuntient, in cella vinaria audiunt. Angeli, ut nostræ protectioni sufficiant, ab eo *qui omnia operatur unus atque idem Spiritus* (*I Cor.* XII, 11), habent. Ecce *fluvius qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum*, quid significet ut potuimus breviter explicavimus.

Restat explanandum quid sit quod additur, *qui inde dividitur in quatuor capita*. Invalida est mens, mole corporea oppressa, illos gratiæ impetus suscipere quibus angelica natura in superioribus Dei inebriata, intus et extra solet effluere. Dispertitur perinde ad mensuram nobis illa gratia quæ humanam exsuperat mensuram, non pro largientis aut largitionis parcitate, sed pro vasculi modicitate. Uter namque animæ forte rumperetur, si incapabiliter gratia superfunderetur. Solet si quidem anima debilis non solum rumpi superinfusione gratiæ, sed etiam liquefieri charitatis fornace. Bene autem fit animæ quæ sic infunditur, quia cum influente gratia, incipit fluere, imo ad bonitatis principium, recursu jam familiari fluere. Sic intrat et exit ad imperium regis, intrans domum æternitatis, exiens ad atrium immortalitatis. Antequam vero superveniat gratia, non est pax intranti vel egredienti. Ex quo enim paradisum exivit Adam in prævaricatione sua, pax ad eum non venit, nisi præeundo deduceretur gratia.

Quia igitur simul collecta gratiæ plenitudo nullatenus creaturæ humanæ capacitate potest apprehendi, in quatuor capita dicitur dividi, privilegio tamen Filii sui, supra totius creaturæ meritum Mater Dei aspersione Spiritus sancti, tota Deitatis gratia, est perfusa. Quatuor igitur sunt capita unius et indivisibilis gratiæ, cum tamen una sit semper in se, et unum caput habeat se. Cum enim *unicuique nostrum datur gratia secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV, 7), in nobis partitur gratia, quæ nunquam in se dividitur. A primo capite, habes animam ad imaginem et similitudinem Dei; a secundo capite habes Deum ad imaginem et similitudinem hominis; a tertio capite, habes visibiles species panis et vini transformandas in invisibilem substantiam corporis Jesu, jam in cœlis glorificati. A quarto capite, habes spem evadendi a nativitate ista mutabili et corruptibili, *in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 21). In primo, creatur homo, in secundo redimitur, in tertio sanctificatur, in quarto glorificatur. In primo bonitas, in secundo pietas, in tertio veritas, in quarto gloria. Civili seditione spiritus et carnis composita, et motuum internorum omni tumultuatione sopita, solemnibus epulis, mensa lætantium est componenda, et non amplius certe olera herbarum apponenda.

CAPUT XIII.

De pane lætantium.

Demerso Pharaone cum equitibus suis in mari, Moyses cecinit carmen Domino, et ait: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus projecit in mare*, etc. (*Exod.* XV, 1.) Hoc canticum lætitiæ panis est lætantium, sicut enim pane reficitur corpus, ita exsultatione spiritus. Unde Salomon: *Spiritus tristis exsiccat ossa, spiritus hilaris impinguat medullas* (*Prov.* XVII, 21). Nunquam autem vera exsultatione repletur anima, nisi liberata ab hac peregrinatione in qua affligitur tribulatione magna. Quæ enim potest esse exsulta-

to, ubi est continua tribulatio? Patitur siquidem anima a corpore, patitur a mundo, patitur a diabolo, patitur et a se ipsa. Ubi ergo tot et tales sustinet passiones: unde poterit edere lætitiæ panes? Prorsus inter serpentes et scorpiones non habet nisi hordeaceos panes. Transeundum igitur mare Rubrum, ut comedas panem mundum, transi ignem et aquam ut plenam habeas lætitiam. Hoc enim ostensum est in Apocalypsi, ab angelo, Joanni, qui cum ostenderet quosdam stantes ante thronum, et quæsisset qui essent, non ut disceret, sed ut doceret, subjunxit: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni, ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte* (*Apoc.* VII, 14). Venerunt, inquit, de tribulatione magna.

Si martyrum recolas passiones, revera invenies eos passos magnas tribulationes. Alios enim legimus in cruce appensos, alios capite truncatos gladio, alios vivos excoriatos, alios in equuleo tortos, alios nivali glacie submersos, alios sagittatos, alios lapidibus obrutos, alios publice verberatos et, ut breviter dicam, quidquid pene potuit excogitare hominum malitia, totum sustinuit sanctorum patientia. *De magna* ergo *tribulatione venerunt*, qui fidem veram et patientiam firmam in passione servaverunt. *Laverunt*, inquit, *stolas suas et dealbarunt eas in sanguine Agni*; revera enim sanguis Agni, est sanguis sanctorum innocenter occumbentium. Qui pro agno patiuntur, Agnum in passione imitantur, nam Agnus iste in innocentia sua passus est. Nota agnum non hædum passum; cum enim pro peccato suo aliquis patitur, hædus patitur, cum autem sine peccato, agnus. Quia ergo Christus sine peccato passus est solus, ut agnus passus est. Et quia passio Christi redemptio est totius mundi, non immerito dicuntur sancti, loti et dealbati in sanguine Agni. Isti igitur sunt qui panem lætitiæ comedunt quos de præteritis, non remordet conscientia, de præsentibus non torquet tristitia, de futuris nulla minatur potentia,

Nec soli isti comedunt panem lætitiæ, sed etiam illi qui civili seditione spiritus et carnis composita et motuum internorum omni tumultuatione sopita, solemnes epulas jam præsumunt de mensa lætantium, nec amplius certe olera herbarum sumenda sunt ab infirmis, sed olivæ gratiarum gustandæ a sanis et carnes agni, sed sine lactucis agrestibus accipiendæ. Calix vini non misti, sed meri epotandus, sine paleis grana; oleum sine amurca, rosa sine spina, nucleus sine testa, natura sine culpa. Venator interemptus, laqueus contritus, stimulus mortis elisus, lacus reclusus, novissimus cum morte occumbit destructus inimicus. Vincula colli solvuntur, compedes expediuntur, carcer reseratur, reus educitur, pater occurrit filio revertenti, in amplexus ruit, pudorem prostratæ, imo prærreptæ pudicitiæ, ignoscendo reparcit, cilicina tunica exuit, stola induit, annulum imponit, pedes vestit, mensam ponit, vitulum saginatum occidit, prandium parat et filium optime pascit, exsultat domus, lætatur dominus, non intrat æmulus, nullus intus esurit famelicus.

O convivium pinguium, paterna administratione! o convivium medullatorum et vindemiæ defæcatæ, mirabili congaudentium solemnitate! quid dabitur ut ad te intretur? Quid, inquam, dabo ut ad te veniam et me reficiam? *Argentum et aurum non habeo, quod autem habeo, hoc tibi* pro te *do* (*Act.* III, 6); quid? palatum apertum, stomachum vacuum, fauces esurientes, oculos præ inopia languentes, manus patentes, pedes veloces. Tantum pasce et sint tua ista pecora mea. Oro ut tibi semper assistant, nunquam absistant. Nam si absistant deficiunt, si assistant reficiuntur. Oculi mei semper ad te, manus in ministerio; pedes in obsequio, cætera in convivio. Salutiferum est quidquid est in hac mensa, beatitudinis alimenta sunt, quæ in hac ministrantur. Virtus charitatis, pro pane hic assumitur; virtus fidei, pro pisce; virtus patientiæ, pro carne; virtus pietatis, pro pinguedine; virtus humilitatis, pro olere; virtus veritatis, pro vino; virtus contemplationis, pro voluptatibus; virtus mortificationis, pro venationibus. Exhibet unaquæque virtutum tentaculum, hoc est prandium nuptiale quod rex filio paravit in desponsatione sua, hujus nobilior est quo invitantis apparatus, eo ferventior invitatorum occurrit appetitus. Appetitus non satiatur gustu, nec oculus visu, nec auris auditu.

De hujus convivii loco *dixit auditor sermonum Dei, qui visiones Omnipotentis intuitus est, qui cadit et sic aperiuntur oculi ejus, quam pulchra tabernacula tua, Jacob, tentoria tua, Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas, fluet aqua de situla ejus, semen illius in aquas multas* (*Num.* XXIV, 4-7). Sic loquitur, qui sic audit, qui sic videt; sic audit qui sic videt, sic videt qui sic audit. Cavendum ergo sic, ut sic videamus; videndum sic, ut sic audiamus; audiendum sic, ut sic loquamur. Quid autem est, *sic* et *sic*? Non sequitur *sic*, nisi præcedat aliud *sic*. Non contingit alicui sic loqui, nisi audire præcedat; nec subsequitur auditus, nisi præveniat visus. Visum non recipit qui non cadit. Humilitas in casu, in visu intelligentia, obedientia in auditu; in locutione firma doctrina accipitur. Sic charitas ordinatur, sic tempora disponuntur; nam non sequitur dies, nisi aurora præcedat; aurora non venit, nisi nox transeat. Sic vox verbum præcedit, sic lucifer solem, sic umbra veritatem, sic virtus virtutem, sic gratia bonam operationem. Solent proinde quædam virtutes præire, quædam sequi, quædam opus bonum comitari.

Fides semper in procinctu castrorum spiritualium, obstantem adversarium cornu impetit, advocat deinde juxta latus suum exercitum bonorum operum, quorum circumvallata fortitudine, rumpit et irrumpit acies adversantes. Præparat deinde et prudentia

cuneum suum, confortat quoque fortitudo brachium suum; justitia vallum jacit et muros subvertit; temperantia ad dedicationem turmas congredientium cogit. Ordinantur acies virtutum et præparantur in clypeis et lanceis adversus castra vitiorum. De castris virtutum ejicitur virtus quæ præter ordinem evagatur; perdit enim virtutis nomen, quæ egreditur ordinem. Virtus igitur non est, si ordinata non est. Quamobrem ad sonitum tubæ evangelicæ moventur castra et crucis sequuntur vexilla. Intorquent jacula confessionis, in equis feruntur mortificationis. Quid ad hæc, turba vitiorum? Ordine confuso, præceps rapitur ad bellum. Denique confundunt voces et permiscent ordines, incentiva vitiorum. Rursus lentis gressibus et incessu composito procedit ad bellum, exercitus virtutum, quo tamen tardius venit, eo instantius ferit : *Non convertar*, inquiens, *donec deficiant* (*Psal.* xvii, 38). Et bonum quidem est ut vitium a virtute perimatur, sed malum est ut vitiosus virtuti adversetur.

Quod si virtus lacessita in aliquo, ex adverso steterit, illico procumbendum cum Jesu Nave (*Jos.* v), et de reconciliatione prorsus erit agendum. Ejus nempe qui ita cadit, aperientur oculi, non quomodo primis hominibus, per prævaricationem, sed quomodo cæco nato, per Christi illuminationem. Serpens namque oculos aperit ad concupiscendum (*Gen.* iii); Christus ad cognoscendum et glorificandum Deum. Serpens aperit ut rapiat, Christus ut eripiat. Procidens itaque ad vestigia virtutum, lumen recipit oculorum (*Joan.* ix). Humiliatus audit sermones Dei; illuminatus videt visiones Dei, et dicit visionem : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob; tentoria, Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui.* Nescit Jacob tabernacula vitiorum; semper aut domi habitat, aut in tabernaculis Domini virtutum militat. Hic est vero animus simplex in innocentia, purus munditia, non hispidus versutia, non pilosus nequitia; gratus in obsequio, fidelis in commisso, providus in officio, constans in incœpto, patiens ad contumelias, sapiens ad placandas iras, cautus ad effugiendas insidias, discretus in regendis gregibus, devotus in muneribus offerendis, rectus in sermonibus ordinandis, pronus ad obedientiam, promptus ad reverentiam, largus ad munificentiam, fortis congrediens cum angelo, humilis succumbens Deo, inimicis formidabilis, amicis amabilis, plenus in benedictionibus, parcus in maledictionibus. Hic est Jacob, maternis machinationibus paternam prærripiens benedictionem, et fraternum evadens furorem (*Gen.* xxvii).

Fugiens quoque ad Laban avunculum suum; in ipso itinere, ad caput, lapide supposito, *vidit scalam* ad cœlum erectam; *vidit Dominum innixum scalæ, vidit angelos ascendentes et descendentes;* et surgens de somno, ait : *Vere Dominus est in loco isto*, etc. (*Gen.* xxviii, 12.) Quæ autem sunt tabernacula Jacob, nisi exercitia animi luctantis et pugnantis contra vitia carnis et suggestiones inimici? tandiu enim habitat Jacob in tabernaculis, quousque solvantur vincula carnis. Habitans denique anima in corpore, hostium circumvallatur multitudine. Aggreditur siquidem eam concupiscentia, scutum arripit ira, lanceam luxuria, gladium invidia, clypeum temeritas, equum jactantia, calcaria impatientia, galeam superbia. Hæc sunt tabernacula sive castra Philisthinorum, detestabilia sicut tabernacula Cedar. Habet e converso Jacob tabernacula sua, contecta pellibus arietum rubricatis, seu pellibus hyacinthinis, totum se mortificans, et ad cœlum toto corde convolans; habet saga cilicina, humilitatis spiritus; habet cortinas, decem mandatorum; habet in ansulis, concordiam; in circulis aureis, perpetuam claritatem. Habet tabulas stantes, per ampliatum cordis desiderium, animas tendentes semper ad Dominum. Habet bases prophetarum, vectes quoque prædicatorum. Habet super hæc omnia, velum de hyacintho, purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta, opere plumario et pulchra varietate contextum, quod est cœlum intra quod recipi desiderat omnis Ecclesia sanctorum.

O Jacob, ecce quam pulchra tabernacula tua, utinam et dilecta! Quare etenim non essent beata, si pulchra atque dilecta? Sed forte ideo nondum dilecta, quia plurimum adhuc laboriosa; cum enim fuerint quieta et pulchra, tunc erunt dilecta et beata. Dum vero non solum tabernacula, sed etiam tentoria sunt, pulchra quidem eatenus sunt, ut spectaculum sint mundo et angelis et hominibus, sed nondum dilecta, quia supra modum et supra virtutem gravantur, ita ut tædeat eos vivere. Tabernacula itaque sunt propter peregrinationem; pulchra, propter dilectionem; tentoria, propter mortificationis extensionem. *Ut valles nemorosæ*, propter sui abjectionem, et ab oculis hominum remotionem : *Ut horti juxta fluvios irrigui*, propter fidei et omnium bonorum operum jucundam amœnitatem : *Ut tabernacula quæ fixit Dominus*, propter propositi stabilitatem, quasi *cedri prope aquas*, propter contemplationis altitudinem. *Fluet aqua de situla ejus*, propter Filii de Virgine incarnationem : *Semen ejus in aquas multas*, propter gentium conversionem.

CAPUT XIV.

De pane filiorum.

Facta distributione ordinis inferioris familiarium, explicandus est jam apparatus mensæ filiorum : *quanto* enim *differentius præ* omnibus *aliis nomen* Filius *hæreditavit* (*Hebr.* i, 4), tanto cumulatius gloriosiori privilegio, lautior et largior apparatus in ejus mensa debet apponi. Prima et ampla est mensæ hujus gratia, qui non ancillaribus officiis disponitur, sed sapientiæ et gratiæ ordinatissimis actionibus procuratur. Certe nulla ibi intervenit negligentia, ubi procurationis ministra est sapientia. Nullæ ibi offensæ ubi ministerium delegatum est gratiæ. Harum altera coquinæ, altera præest mensæ. Quod in coquina disponit sapientia, hoc in mensa apponit gratia. Sapientia disponit coquenda

fortiter, gratia edenda apponit suaviter. Salem infundit sapientia, sagimen sive oleum gratia. Abunda[n]ter bullire facit sapientia, quæ temperanter novit refrigerare gratia. Laborantibus instat sapientia, quiescentibus astat gratia. Sapientia accingit fortitudine lumbos suos, gratia ab ubertate satietatis relaxat sinus suos. Meritorum appendit sapientia labores, præmiorum gratia rependit mercedes, cujus in fame cœlestis desiderii appetitum ampliorem considerat sapientia, huic in mensa convivii pleniorem discum in remuneratione infert gratia. In ollis suis decoquit laborum diversa pulmenta sapientia, in mensis suis septem panes gratiarum superponit gratia. De horto denique et irrigatione sua, sanissima et suavissima profert sapientia olera, de apothecis suis, panes delicatissimos reportat gratia.

Intremus igitur in coquinam, non in vestitu candido angelicæ vocationis; sed in sordidis (videlicet agendæ pœnitentiæ) vestitus Jesu sacerdotis magni, quæ per dealbationem gratiæ baptismalis seu pœnitentialis, in omni gente et populo, tollentur ab eo; et dabitur ei, per innovationem glorificatæ immortalis, cidaris munda; et sic videamus ollas et pulmenta in ollis sapientiæ. Duæ siquidem sunt ollæ in coquina sapientiæ, quæ sunt duæ tabulæ continentes mandata vitæ. Sunt autem mandata decem, descripta in tabulis, quasi pulmenta minutatim incisa in ollis, quia præparamentum seu reparamentum æternitatis, comparatur ex tabularum mandatis. Ab ollis extrahimus pulmenta, cum de tabulis summus mandata. In corde, velut in horto suo, excogitavit hæc humanæ salutis remedia divina sapientia, et quando digito suo scripsit in tabuiis, tanquam minutatim intercidit in ollis. Coquina est mons Sina; filii quibus parantur hæc fercula, filii Jacob sive Israel, non in carne, sed in spiritu : de his enim dictum est in Evangelio, *quia non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus* (*Matth.* xv, 26) gentium ad manducandum.

Mensa filiorum, mens est bonorum; domus, Synagoga vel Ecclesia; ministri, angelus et Moyses. Occidunt autem non reficiunt legalium præceptorum pulmenta, cum degustata fuerint sine gratia. Sic enim clamant filii prophetarum ad Eliseum, qui interpretatur *Domini mei salus : Mors in olla, vir Dei* (*III Reg.* iv, 41). At ille jubet infundi evangelicam farinam et compescit lædentem malitiam. Mortiferum namque est etiam in legis littera, præceptum legalium observantiarum, nisi gratiæ adfuerit salutare lenimentum. Ubicunque vero supervenerit gratia, omnis statim difficultas propulsatur, seu malitia. Certe quanquam docendo, quid facere debeas docuerit sapientia, aut parum aut malum est, nisi intervenerit gratia. Parum, quia scire quid faciendum sit et non posse facere, minus est ad vitam; malum, quia *scienti bonum et non facienti, peccatum est illi* (*Jac.* iv, 17). A sapientia igitur doceamur, a gratia juvemur. Doctrinam requiramus a sapientia, vehiculum a gratia. Coquat pulmentum sapientia, condiat gratia.

Hæ sunt duæ manus tuæ, hæc duo brachia tua Jesu; alio redimens nos a malo, alio replens bono, alio mortem destruens; alio vitam conferens, alio vincens hostem, alio liberans hominem. *Manus tuæ* istæ *fecerunt me*, creando, *et plasmaverunt me* (*Psal.* cxviii, 73), redimendo. Altera istarum *sub capite meo*, ne deficiam; alia amplexetur me, ut vivam; alia mecum laboret, alia secum collocet, alia de nocte surgat, et *det cibaria ancillis suis*; alia prædam domesticis suis; alia *stragulatam vestem*; alia *cingulum tradat Chananæo*. Utraque simul vestiat duplicibus, utraque reficiat multiplicibus. *Fortitudo* enim *mea* et gratia mea, *Dominus, et factus est mihi in salutem*. In manu forti et brachio extento, ollas jam recurvemus, et quid in eis contineatur aspiciamus et accipiamus. Quod itaque primum sit mandatum, quasi pulmentum videamus : *Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis subter terram*, etc., ecce primum mandatum; *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, ecce et secundum; *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, ecce tertium; *Honora patrem tuum et matrem tuam*, ecce quartum; *Non occides*, quintum; *Non mœchaberis*, sextum; *Non furtum facies*, septimum; *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, octavum; *Non concupisces domum proximi tui*, nonum; *Non desiderabis uxorem proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt*, decimum (*Exod.* xx, 3-17).

Singula horum, pulmenta sive fercula sunt animarum. Nam nihil necessarium prætermissum, nihil superfluo additum est in his Dominicis decem mandatis. In his anima vivit, sine his moritur. Vitale est quidquid ex his cum gratia sumptum fuerit; ædificium fidei nostræ his columnis fulcitur, his coloribus depingitur. Si historialiter ista intelligas columnæ sunt, domum erigentes, si moraliter colores sunt, palatium depingentes. In primo itaque mandato moraliter, caveas subreptionem; in secundo, errorem; in tertio, mundi amorem; in quarto, impietatem; in quinto, credulitatem; in sexto, fornicationem; in septimo, rapacitatem; in octavo, falsitatem; in nono, mundi cupiditatem; in decimo, adulterii cogitationem. Sapientia, his alimentis nutrit parvulos, his uberibus lactat filios, his pulmentis reficit juvenes suos. Habemus itaque pulmenta sapientiæ, de oleribus herbarum quæ nunquam decidunt, quæramus et panes gratiæ, sine quibus nulla alia sufficiunt. In umbra legis non semel figurantur panes isti, in prophetis quoque, non raro inveniuntur.

Quid loquitur Evangelium, nisi septiformem Spiritum? Lege in Evangelio septem beatitudines, tanquam septem gratiæ panes; lege in oratione Dominica septem petitiones. lege septem panes de

quibus pavit Dominus in deserto quatuor millia hominum; lege in Psalmo septem voces; lege in Isaia septem mulieres; lege in eodem septem spiritus in flore requiescentes; lege in Apocalypsi Joannis septem candelabra aurea, lege septem oculos, lege septem cornua Agni; lege in Exodo septem lucernas; lege in Propheta septem oculos in lapide uno; lege septimo die Dominum requievisse; lege septem esse psalmos Pœnitentiales. Septem quoque lege in hominis compositione convenire qualitates, quatuor in corpore elementa, et in anima tres virtutes; rationalitatem, irascibilitatem et concupiscibilitatem. Adhuc etiam præter hæc, pluriora si requieseris invenies.

O anima, si esuris gratiam, pulsa ad januam! si pulsaveris, aperietur; si petieris, dabitur; non se abscondit gratia, non latitando fugit, non in fossis se recondit: præsto est, ne quærens fatigeris; occurrit, ne tædio afficiaris; præoccupat, ne conscientiæ pudore verecunderis; excitat, ne pigriteris; portat, ne labaris; gressus regit, ne exorbites; pascit, ne in via deficiens præ inopia ægrotes. Docet stultum, quia sapiens; dat intellectum, quia intelligens; præbet consilium, quia novit mysteria omnium; confert fortitudinem, quia omnipotens; illuminat scientiam, quia mater est omnium scientiarum; exhibet pietatem, quia mel est omnium affectionum; adhibet timorem, quia conservatrix est omnium bonorum. Quasi enim quidam custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur ad conservandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas; sed facile ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur. Scientia, *super aurum et topazion* (*Psal.* CXVIII, 27), sed quo melior, eo ab invidis appetibilior. Fortitudo in multis nundinis non invenitur, sed quo rarior, nisi studiosius conservetur, eo ad rapiendum amabilior. Consilio quid melius? Sed nisi abscondatur et servetur, quid vanius? Intellectu, in cœlis nihil charius, sed si depravatus fuerit in homine, quid perniciosius? Sapientia in corde viri, nihil sublimius, sed si sensibus carnis obscuretur, quid vilius? *Homo*, inquit Psalmista, *comparatus est jumentis insipientibus et similis est factus illis* (*Psal.* XLVIII, 2). Melior est igitur bona custodia acquisitorum, quam impensa opera acquirendorum.

Habeamus bonas et pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pædagogi, scilicet timoris. Certe, ornata pulchritudo puellæ meæ appellat concursum impudicæ turbæ, adulter ostium sive cubiculum obsidet puellæ. Dicit, ut egrediatur: promittit, ut extrahat; lenocinatur, ut pulchritudinem ejus aspiciat. Noli, filia Jacob, noli sine fratribus exire ad mulieres regionis hujus, quia *leo est in via* (*III Reg.* XIII, 14); Sichem filius Hemor, juvenis ardens in concupiscentia tui. Saltem Simeon et Levi, id est timor præsentium et futurorum, pudicitiæ tuæ semper assistant protectores et ultores, ne rapiaris, ne capiaris, ne blanditiis delinita, in confusionem nobilitatis tuæ prostituaris. Virgo Israel, si ecideris, Simeon præsentem, Levi futuram interminant pœnam; alter habet gladium cominus penetrantem prostitutæ interiora, quia *jam securis ad radicem arboris posita est* (*Matth* III, 10); alter ense accingitur utrinque acuto, scilicet feriente posteriora. Unde: *Percussit eos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis* (*Psal.* LXXVII, 66). Timor itaque, tanquam auctoritate tutoris, pupillæ suæ diligentiam adhibeat, ne in aliquo lædatur, ne damno afficiatur, ne procacitate alicujus contaminetur.

CAPUT XV.

De pane servorum.

Qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34); ærumna hujus sæculi panis est servi; tandiu autem durat hic panis quandiu non *præterit figura hujus mundi; vanitati enim*, ait Apostolus, *creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 20). Ex sententia justi judicis, collum superbi peccatoris religatur in hoc sæculo, sub jugo periculosæ vanitatis. Primitiæ namque stipendiorum originalis et actualis peccati sunt retia inextricabilis vanitatis, gravis autem usquequaque est vanitas, quam non levigat sanctitas. Incurvat enim oculum rationis ad inferiora, et suspicere sursum negat oculum contemplationis ad superiora. Meminit servus iste antiquos libertatis discursus, cibaria suspirat angelica, gratissimi aeris commutata deplorat amplissima spatia. Spinas portat in spinam defixas, sagittas sentit natantes per viscerum medullas. Dorsum suum a pessimis super fabricationibus recurvatum gemit et præcordiis palpitantibus abyssum miseriarum se jam absorbere cernit.

Omni desolatione consolatio durior, cibus universis] jejuniis austerior, vestis nuditate asperior. Indignatur magis de tali servitute, quam de servitute; est enim servitus peccati, servitutum servitus. Servus namque peccati, servus est tot dominorum, quot vitiorum. Imperant ei vitia, non domini, sed tyranni; non benevoli sed inimici. Præsunt, sed sine utilitate imperant, sed sine miseratione; mandant, sed sine discretione; conregnant super uno, sed cum dissensione. Quisque si obtemperatum sibi non fuerit, latus miserum sanguinat, si obtemperatum necat; sub his dominis vita nequior, mors melior, si tamen non amarior. Si enim servus petat panem, accipit lapidem; si piscem, serpentem; si escam, viperam; si vinum, venenum. Rixantur frequenter, quis oculum, quis manum, quis pedem, quis aliud quodlibet membrum servi vindicans sibi abscindat. Se in oculis regnasse luxuria allegat; voracitas in gula, mendacium in lingua, crudelitas in manibus, levitas in pedibus, in auribus vanitas. Econtrario, curiositas oculum, gulam inobedientia, susurrium linguam, manus avaritia, pedes intemperantia, aures injustitia vindicant.

Mallem non habere membra quam tot supplicio-
rum pendere vectigalia! Inclementius nihil hac ex-
actione, ubi solutum semper repetitur, innovata cum
cruciatibus repetitione. Excitando ad malum, non
satiatur luxuria, expetendo ad supplicium, non fini-
tur miseria. Imples luxuriam, et adhuc esurit; sus-
tines pœnam, et adhuc crescit. Quia vitium non
exstinxisti, flammam inexstinguibilem tibi infelix
succendisti. Bellandum proinde, imo rebellandum,
adversus phalangas vitiorum, ne patiaris sine fine
tam exsecrabile super te imperium dæmonum. Quæ-
re ergo judicem, exere causam, postula judicium,
advocatum implora, expone injuriam, refer senten-
tiam, agnosce Dominum, abdica tyranni principa-
tum. Adest jam judex, positum est tribunal, circum-
stant senatores, profligant litigatores, more suo per-
currant allegationes. Serve, dic, age.

Servus : Æquitatis judex et rector justissime apud
te, causarum veritas, non lenocinii pensantur blan-
dimenta, falsitatem detestaris, calumniam aspernа-
ris, et temeritatem sive mendacia prævaricatorum
punis. Sola oratio veridica, non phalerata, aures
tuas penetrat. Jam enim adversarius mendax et
pater ejus non semel redargutus de mendacio, adhuc
tamen spirat et sperat præsumptuosus in eodem
fallaciæ artificio. Me autem tam reverentia tuæ au-
ctoritatis quam amor veritatis, a præsumptione fal-
lendi cohibet. Rogo, hæc oratio mea non reputetur
arrogantia, quam exprimit malorum perpessorum,
non morum perversorum intolerabilis patientia. O
Domine miserator et misericors, intende animæ
meæ, libera eam; propter inimicos meos eripe me.
Ecce enim narrabo mira, sed mirabilia; vera, sed
severa.

Cum nondum aliquid egissem boni vel mali, præ-
occuparunt me isti seductores; circumdederunt me
et *vulneraverunt me* (*Cant.* v, 7); tulerunt a me lu-
men oculorum meorum, pedes meos supplantave-
runt, foderunt manus meas, et ossa mea contrive-
runt : adhuc plagæ recentes, adhuc præ manibus
cruor, adhuc livor præ oculis, adhuc plaga tumens,
adhuc infixæ sagittæ. Vide, Domine, et considera,
si est dolor sicut dolor meus (*Thren.* i, 12). Quare
ergo non vindicas sanguinem meum, Salvator meus?
quare non vindicas me de adversario meo? quare
in regno potentiæ tuæ talia præsumuntur? quare in
regno justitiæ injustitia tam effrenate debacchatur?
audacia ista adversariorum, certe si prosperata fue-
rit, alium quam me post hæc tentabit. Certe nisi
censura judicii tui, potestas tam iniqua reclusa fuerit,
ipse tuum solium, Domine mi, infestare audebit.
Vide, Domine et considera, quomodo tanquam leo
paratus ad prædam sic rugit. Jam eximit de pha-
retra sagittas, jam intorquet mendaciorum jacula,
sed obstrue, obsecro, os loquentis iniqua. Judica
causam meam, Domine, defensor vitæ meæ. Nolo,
Domine, nolo multiplicare loqui, quia tuum scire
meum præcurrit narrare. Tandem de vultu tuo ju-
dicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.

A Ad hæc judex, dicat et adversarius si quid habet.

Adversarius : Miror, te servi mei pessimi adula-
toris ineptias tandiu sustinuisse; cur enim auditur
in judicio qui facile potest argui de perjurio? re-
probari denique potest duplici argumento, tam in-
gratitudinis quam perjurii. Nam adversus te Crea-
torem suum ingratus prævaricando existit, contra
me emptorem se subtrahendo, infidelis. Nam utrum-
que fecit et te contempsit, et mihi se ipsum vendi-
dit. Consumpsit quoque pecuniam meam, mores
meos induit, frequenter me per idololatriam invo-
cavit; per innumerabiles dies et menses et annos,
non nisi usibus meis, in mendacio, in perjurio, in
fornicatione, in furto, in ebrietate, in immunditia,
in elatione, in invidia, in gula, in avaritia vixit.
B Forte nunc, quia debitum exigo, calumniæ arguor.
Estne justum, ut amittam quem tali titulo et tanto
tempore possideo? Servus nequam ex ore proprio
juste condemnatur; nam meum se ab utero matris
testatur : stabo igitur et ipse sententiæ.

Servus : Principium verborum tuorum, Satan
pessime, falsitas. Non sum servus diaboli, sed Dei;
non sum pessimus adulator, sed veri relator; non
meas ineptias, sed tuas sævitias sum locutus. Læ-
sum me equidem tam facilitate minoris ætatis quam
calliditate tui doli non abnego, utroque vero casu
lapsus, et facilitate videlicet ætatis et odio fraudis,
a benignissimo et æquissimo judice peto in inte-
grum restitui. Quia vero dolo me seduxisti ut
C tuam mutuo acciperem pecuniam contra interdi-
ctum perpetuum, volo ut rescisso contractu non
tenear, quia dolus causam dedit contractui. Non
currit autem in hoc contractu præscriptio, lege di-
vina vetante et indulgentiam prorogante dum vivi-
tur in hoc sæculo. Sic namque cavetur in legibus
æternis : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur
a via sua et vivat* (*Ezech.* xxxiii, 11); et alias, *in
quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit* (*ibid.*),
hoc jure utitur omnis homo. Domine Jesu, legem
dedisti et in lege sic docuisti; decidat ergo senten-
tia tua, quæstionum ambiguitates, ut calumniam
patiens liberetur, et injuriam faciens condemnetur.
Ne autem de dolo dubitetur, contractus si placet
seriatim recitetur. *Cur*, inquit serpens iste ad Evam
D matrem omnium, *præcepit vobis Deus ut non come-
deretis de omni ligno paradisi?* cui respondit mu-
lier : *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso ve-
scimur, de fructu vero qui est in medio paradisi præ-
cepit nobis ne comederemus et ne tangeremus, ne forte
moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem : Ne-
quaquam moriemini. Scit enim quod in quocunque
die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis
sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* iii, 1).

Ecce contractus, ecce dolus; si placet, omni
probatione firmiora debent ista esse, nam Moyses
publicus tabellarius, in actis publicis scripsit, suffi-
cere itaque debet hoc ac dolum comprobandum.
Si tamen et testes proferre debeo, Joseph proba-
tissimum virum ad medium deduco : Job quoque

qui notus judici, multum commendatur ab ipso judice, ut sic dicat de eo : *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque aliquid stultum contra Deum locutus est* (*Job* I, 22). Isaiam insuper, nobilissimum et judici familiarissimum, causæ meæ testem adduco. Dic, Joseph, testimonium pro me, imo pro genere nostro tanquam de te ipso : *Furto*, inquit, *sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum* (*Gen.* XLI, 14) ; quid tu, Job ? *Non peccavi*, inquit, *et in amaritudinibus moratur oculus meus, si declinavit gressus meus de via, et si secutus est oculus cor meum, appendat me in statera justa*, etc. (*Job* XXI, 25.) Isaias quoque audet et dicit : *In Ægypto descendit populus meus, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum* (*Isa.* XXXII, 4). Præter hos testes qui satis sufficiunt, quia *in ore trium stabit omne verbum*, omnes etiam veraces homines sunt in hoc testimonio consentientes. Judica me itaque, Domine, secundum justitiam meam salva me.

JUDEX : In sententia oris mei, circumventum puerum qui non præsenserat propria experientia, vel exemplo alterius non exploraverat quanta sit pœna peccati, a seductoris potestate libero, præcipue propter atrocitatem pœnæ perpessæ et doli malignitatem ; tali tamen conditione ut luat interim servus, quod prævaricatus est pactum meum, agens pœnitentiam in favilla et cinere, et cilicio, et pane hordeaceo, donec veniat qui pro eo sortem totius debiti cum usura centesima solvat. Confirmata igitur sententia, cœpit æstuare homo, attendens paupertatem suam, et de pretio diffidere, clamans : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* (*Rom.* VII, 24.) Illis vero assistens spectaculis, Filius judicis, imo Filius olei, miseriis miseri hominis compatiens : Accipe me et universum debitum redde, penes me namque sunt thesauri omnes sapientiæ et scientiæ absconditi. Ecce ego vado immolari pro te, nequaquam vero exhorrescas mortem meam, si vis recuperare vitam tuam ; nam vita tua pendet ex morte mea.

SERVUS : Si sic necesse est, fiat voluntas non mea, sed tua.

CAPUT XVI.

De pane mercenariorum.

Pictor ille, cujus sedes cœlum, cujus scabellum terra, cujus albi et optimi colores bonum nativum, cujus nigri et tetriores voluntas rationalis deficiens a bono principio in finem teterrimum, cujus palatium cœli cœlorum, cujus secretarium est quod præ omni intellectu et cogitatione est excellentissimum, tam mirabiliter quam sapienter ordinationem suam disponens, prius in Ecclesia instituit patriarchas et prophetas, *deinde apostolos et evangelistas* (*Ephes.* IV, 31), postea doctores et pastores bonos, ad ultimum etiam servos et mercenarios, ad utilitatem familiæ suæ habere non recusavit. Ut autem nulla in pictura abusio videtur si post album etiam subniger color supponitur, similiter si cum bonis apostolis, pessimus proditor Judas invenitur, vel Satan cum filiis Dei adsit, considerata patientia Dei, sine stupore suscipitur. Mercenarius est qui Deo non pro Deo servit ; mercenarius est, qui occasione non veritate Christum annuntiat. Mercenarius est, qui *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* (*Phil.* II, 21), quærit. Hujus panis est sapientia carnis, seu commoditas temporalis. Hic non comedit panem similaginis filiorum, non hordeaceum servorum, sed panem porcorum furfuris, sive palearum. Filius enim granum gratiæ, servus stipulam litteræ, sed mercenarius, accipit paleam sæcularis philosophiæ vel gloriæ. Filius in sententiis, servus in sentibus, mercenarius sub sentibus degit. Moyses filium, populus Israel servum ; Heliab cognatus Moysi, mercenarium significant. In Numeris enim legitur quod rogavit Moyses hunc Heliab, ut eos duceret per desertum, dicens : *Veni nobiscum ut benefaciamus tibi, quia promisit Dominus bona Israeli* (*Num.* X, 29). Cumque illi respondisset : *Non vadam, sed revertar ad terram meam de qua natus sum ; noli*, inquit Moyses, *relinquere nos, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra apponere debeamus, et eris ductor noster, cumque nobiscum veneris, quidquid ex opibus quas Dominus daturus est nobis, dabimus tibi* (*ibid.*, 30).

Aspirant plerique ad prælationem non ut alios ducant, sed ut seducant, non ut jam ostendant, sed offendiculum ponant : hi malitia pleni sunt. Plerique quidem ostendunt semitam, sed sedentes præmonent facienda, nihil tamen facientes : hos possidet pigra negligentia. Alii lucrum temporale tantummodo neglecta commissorum salute, in sublimatione culminis sui cupiunt : hos trahit avaritia. Alii bona docent, aliquando honesta comparant, sed non bene, sed non caste, quia non pro Deo hoc faciunt, sed pro vana gloria ; hos nominat Dominus hypocritas et mercenarios. Intende hypocritam. Oculum attendit hypocrita non Deum, faciem non fidem, pecuniam non gratiam. Non fruitur Deo, sed utitur tanquam nummo, et nummo fruitur tanquam Deo. Deo emit mundum, fide nummum, religione sæculum, lacrymis vinum, jejuniis convivium, cilicio linum, silentio plausus hominum. Mirabile dictu ! latet iste ut appareat, tacet ut audiatur ; non sequitur ut consequatur, recedit ut præcedat, fugit ut apprehendat, plorat ut rideat, jejunat ut satietur. Sic *cancer serpit* (*II Tim.* II, 17), sic obliquando anfractus suos vulpis fraudulenta incedit. Excubat iste ad templum sanctæ vanæ gloriæ, et solemnes vigilias celebrat sanctissimæ avaritiæ. Sic enim orat : Deus, da mihi honorem illum, pecuniam illam, gloriam illam ! Commendantur vero orationes istæ multa falsarum lacrymarum effusione et corporis extenuatione.

Potitur forte aliquando effectu petitionum suarum ; sed tunc quid ? Commutantur vigiliæ in soporem continuum, abstinentia in comessationem assiduam, fletus in cachinnum, silentium in multiloquium, mœror in subsannationem. Revera *oculi*

hujus *ad Dominum* (*Psal.* XIV, 15) non semper, sed temporarie donec misereatur ejus. Nam, etsi in germine, quasi vitis hypocrita floreat; labruscam tamen facit non uvas. Vere simulacrum nefandum optimis coloribus fucatum, et pessima rubigine plenum! ¡Polita enim falsitas, pene superat in oculis insipientium, ficta similitudine, veritatem contentam nuda simplicitate. Elaboratum quoque mendacium, foliis ficulneis sive tunicis pelliceis retectum (*Gen.* III), pompa ambitiosiori gloriatur, quam simplex verum; virtus vero, in occultis suis pretiosior, emendicatis recusat offuscari nitoribus. Pudet eam alienis onerari magis quam honorari splendoribus. Nuda formosior est, aperta decentior intuita coruscis luminibus pulchrior, repetita iterum iterumque appetibilior. Plane ad hoc solum vestitur, ne intemperanter contemplata, oculorum lippitudo reverberetur. Tactum molliorem aspernatur, blandimentis lenocinantium exasperatur, repudiat simulatorem, hypocritam anathematizat, nescit mercenarium, non reclinat caput in sinu meretricio, sed in reclinatorio aureo. Luce lustrata, potius ipsam illustrat quam ab ipsa illustretur. Virtus bravium est agonizantium, triumphantium palma, sceptrum repugnantium, corona sanctorum, Deitatis instrumentum. Hæc nunquam senescit, sed augmento temporis proficiens adolescit.

CAPUT XVII.

De pane subcinericio.

De pane subcinericio jam tractandum est; ac primum qui sint cineres panem operientes, et quid sit, panem contectum cineribus (juxta prophetam (*Ose.* VII, 8) non reversari, explanandum est; quis etiam ignis et in qua materia cinerem conficiat investigandum est. Ut planius autem et compendiosius summam hujus rei prælibemus, ignem esse dicimus concupiscentiam, materiam animam; cinerem mortalitatem; panem hominem, panem versatum hominem in peccatis lapsum; panem non reversatum et subcinericium, hominem peccato mortali aggravatum, nec per pœnitentiam relevatum. Dicimus etiam legem Moysi panem subcinericium esse, quæ dum carnaliter intelligitur quasi cinere operitur, nec eatenus reversatur, quousque velamen ignorantiæ conversis ad Dominum auferatur. Dicimus et animam sæcularibus negotiis occupatam, panem esse subcinericium; ut enim cinis excæcat oculos corporis, sic curiositas obnubilat visum rationis seu contemplationis. Inspiciamus ergo, quo sufflante ignis in flammam erupit et quid voraverit et quatenus, videlicet usque ad cineres mortalitatis; quis denique panem cineri supposuerit, scilicet Deus in sententia æternæ maledictionis. Nam donec atteratur hoc mortalitatis opertorium, a tineis quotidie corrosum et a vermibus conscissum, cinis nostræ mortalitatis non relevabitur et panis non reversabitur.

Supponitur itaque quanquam nolens panis cineri, dum subjacet homo naturaliter vanitati et mortalitati. Naturaliter autem dixerim hominem subjacere mortalitati, non ex infirmitate creationis sed ex pœna transgressionis. Nam posse non mori habuit ex creatione; mori vero inevitabiliter, habet ex prævaricatione. Expandit autem ramos suos et propagines suas, ab Adam primo usque ad ultimum in carne futurum hominem, hæc prævaricatio: *Operuitque montes*, id est prioris ævi homines, *umbra ejus*, quæ est mortalitas, *et arbusta ejus* (*Psal.* LXXIX, 11) quæ est passio mortalitatis, cedros Dei, id est apostolos Christi. Adam enim cum omnibus patribus qui fuerunt ante diluvium, licet prolixioris vitæ fuerint, quasi in superiori vertice temporis, tamen mortui sunt. Apostoli quoque in plenitudine temporis, licet sanguine Agni redempti, licet cum Christo resuscitati, licet vitæ æternæ participes effecti, tamen mortui sunt. *Quis est* enim *homo qui vivet et non videbit mortem?* (*Psal.* LXXXVIII, 49.) Nam etiam *Domini* Jesu *exitus mortis* (*Isa.* LXVII, 21); nec mirum si morimur, qui cum peccato nascimur, nam *natura omnes* (ut ait Apostolus) *filii iræ sumus* (*Ephes.* II, 3). Cum enim Filius gratiæ nihil debens morti, tamen debitum moriendo pro debitorum suscepta conditione solvit, qua ratione mortis nexus effugere filius iræ poterit? Nonne pro semetipso solvere censum mortis debuit? Hoc autem est debitum, ut homo cinere operiatur mortalitatis, quousque a peccato et pœna peccati prorsus liberetur.

Simul autem in fine, et *cælum revolvetur et terra renovabitur*, et homo reversabitur. Cœlum quidem revolvetur, quia ab officio hujus administrationis absolutum, nubes, tenebras et tempestates ultra nullas patietur. Serenissima proinde tranquillitate et amœnitate perpetua vernabit hoc quoque aerium innovatum cœlum in tremendo adventu, quod interim multis injuriatur concussionibus et spiritualium nequitiarum fœdatur malignitatibus. *Terra* quoque salsuginis a sanguine et pollutione *inhabitantium in ea*, igneis vaporibus purificata, gloriæ et deliciis deinceps comparabitur et denuo, ut in antiquitate sæculorum fuerat, terra pacis et vitæ nominabitur. Tunc homo de sepulcro vocabitur, tunc de sinistro latere in dextrum convertetur; tunc *quod seminatum fuerat in corruptione, surget in incorruptionem; quod seminatum erat in ignobilitate, surget in gloriam; quod seminatum fuerat in infirmitate, surget in virtutem* (*I Cor.* XV, 42). Cum itaque venerit commutatio talis, tunc fiet reversatio; tunc, inquam, panis subcinericius reversabitur, quia omnis homo resuscitabitur. Sed unde cinis tam durus, tam vilis, tam odiosus? Durus, propter asperitatem passionum; vilis, propter abominationem vitiorum; odiosus, propter exaggerationem. Durus in morte, vilis in nativitate, odiosus in mysteriis [*forte* ministeriis] hujus vitæ. Vilis propter culpam, durus propter pœnitentiam, odiosus propter pœnam.

Unde, inquam, cinis nisi ab igne, unde ignis nisi a serpente? Et quid ignis cinerem faciens, nisi concupiscentia mortem gignens? *Concupiscentia* enim *cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jac.* xv, 15). Ut enim ignis vorans pene omnia usque ad cineres consumit, sic ignis concupiscentiæ animam quam tentando tetigerit urit, quam in consensum trahendo præcipitaverit comburit; quam in fornacem operis recluserit, in cineris combustionem convertit. Lingua viperea, in animam Evæ hunc ignem suggerendo, vetitum accendit, pomum ostendendo afflavit, immortalitatem promittendo conflagravit, ac demum in peccatum inducendo combussit, et promulgata sententia mortalitatis in cinerem redegit. Hoc cinere non solum tegitur, sed etiam sepelitur omnis prævaricatorum progenies; hoc, inquam, cinere, omnis peccans conspergitur, cibatur, sepelitur. Conspergitur originaliter reus; cibatur actualiter malus, sepelitur interminabiliter damnatus. Neque post mortem, miseratione Dei a pœnalibus flammis ereptus reversatur, qui ante mortem confessionis et pœnitentiæ conversione, aspiratione misericordissimi Creatoris non reversatur. Ecce, dives ille purpuratus, quia versatus in convivio, non fuit reversatus eleemosynæ beneficio, *sepultus* tandem *in inferno* (*Luc.* xvi, 22), reversari non meruit vel uno aquæ stillicidio; Lazarus vero, quia paupertate, ulcere et fame est reversatus, in sinum Abrahæ ab angelis est sublevatus.

Job equidem decies, in camino tentationis suæ, cinere percussionis opertus, reversatus est, ut ipse testatur ad amicos suos, loquens: *En*, inquit, *decies confunditis me* (*Job* xix, 31); et rursum: *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium* (*Job* xxx, 31). Econtrario, Pharao manu Domini, propter cordis sui gravedinem, quamvis decies motus, nequaquam tamen est reversatus. Primo enim convertit aquas ejus in sanguinem, et non est reversatus a duritia; secundo ranas in penetralibus eorum multiplicavit, nec sic reversavit; tertio ciniphes musculas sævissimas quæ morsu urente in æstate capillis hominum inferuntur produxit (*Exod.* viii); quarto muscas caninas, alumnas putredinis, vermium matres adduxit, nec emollivit cor Pharaonis; quinto jumenta eorum occidit, et cor lapideum insensibile stetit; sexto tollentes Aaron et Moyses manus plenas cineris de camino, sparsit Moyses in cœlo coram Pharaone, et ecce ulcera et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti, nec tamen ab oppressione pestilentiæ suæ reversari potuit; septimo in grandine cuncta quæ fuerunt in agro vastavit, nec de vastatione sua cor induratum revocavit; octavo locusta venit, et quidquid residui erat a grandine corrosit, nec a loco iniquitatis suæ emortuum cor commovit. Nono, horribiles tenebræ factæ sunt in universa terra Ægypti, ita ut tribus diebus nemo videret fratrem suum, nec se moveret de loco in quo erat, nec illuminari potuit cor a malitia excæcatum. Ad extremum, decimo percussit omne primogenitum Ægyptiorum, et tunc licet motus et commotus vehementer fuerit, non tamen ad pœnitentiam seu fidem reversus vel reversatus est.

O quam ponderosum, quam grave ad levandum seu revelandum cor hominis! Laborat manus omnipotens eripere, nec liberat, verbis præmonet et verberibus urget, nec tamen de fovea sua bestiam sævientem extrahere prævalet. O quam pia manus Dei, quæ ideo verberat misericorditer ne puniat crudeliter, ideo flagellat temporaliter ne conflet æternaliter! Pie nunc sævit ut impios ad pietatem convertat et impietatem malorum ad justitiam bonorum reflectat! *Quis* enim *scit*, ut ait propheta, *si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem?* (*Joel.* ii, 14.) Convertamur igitur et revertamur quasi reversati ad Dominum Deum nostrum, *quia benignus et misericors est, et præstabilis super malitia* (*ibid.* 13). O quanti sanctorum prius versati et etiam aversati, postea mirabiliter sunt reversi et reversati: ecce David *impulsus eversus* est *ut caderet* (*Psal.* cxvii, 1), et cum adulterio conjungens homicidium, pene devolutus est in infernum; hinc enim ait: *Nisi Dominus adjuvisset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* (*Psal.* xciii, 17). Sed manu fortis, quid fecit? quomodo se reversavit? Statim certe vulneri suo manus apposuit, et medico curandum humiliter et fideliter, tam celerrime quam celeberrime confitendo peccatum exposuit. *Peccavi*, inquit, *Domino* (*II Reg.* xii, 13); ecce quem versaverat concupiscentia, ad consensum trahendo, confessio et pœnitentia reversat, peccatum indulgendo.

Malum equidem est versari, sed pessimum est non reversari; vulneratur qui versatur, curatur qui eversatur; versatur fugiens; reversatur rediens. Probrum est versari, sed opprobrium non reversari. Diabolus me versat, sed Christus me reversat. Male versat diabolus quia in mortem, bene reversat Christus quia in vitam; in infernum versat diabolus, in paradisum reversat Christus; in desperationem versat diabolus, in spem vivam reversat Christus. Impatientia quoque versat, sed patientia reversat. Non bene decoquitur panis semel versatus, nisi frequenter fuerit reversatus; offuscatur superjecto cinere una facies panis, non reversati crudescit alia; removendus cinis, et reversandus est panis, ut cor tollatur a terra et illustretur a gratia. *Nunquid* enim *qui cadit, non adjicit ut resurgat?* Nam Christus, utquid *mortuus est* nisi *propter peccata nostra*, aut *resurrexit* nisi *propter justificationem nostram?* (*Rom.* iv, 25.) Elapsa quidem, o anima, de manubrio justitiæ, per peccatum prævaricationis *in limo profundi* (*Psal.* lxviii, 3) volvebaris; sed ecce Christus, de manubrio corporis animam suam post te, non persequendum, non demergendum, sed redimendum emi-

sit. Venit usque ad abyssum pœnarum, quo te perduxerat abyssus vitiorum. Protulit lignum ut enatares, porrexit manum ut evaderes; de pœnis in quibus versabaris, revocavit te ad pœnitentiam quam aversabaris.

Ecce, quare mortuus est Christus; videlicet ut mortuus mortuum resuscitaret. Sed quare resurrexit? Certe ut vivens mortuum resuscitaret; certe ut ferrum nostrum ad suum manubrium reduceret; certe ut secum corpora sanctorum resuscitaret; certe ut viam reversionis et formam reversationis edoceret. O peccator, si sub Pilato (qui interpretatur *os malleatoris*) passus es cum capite, animæ distractionem et condemnationem, confixionem, irrisionem, aceti degustationem, crucis suspensionem, spiritus emissionem vel potius amissionem, ad inferos descensionem; cur non et resurrectionem? cur non vitæ manifestationem? cur non clavorum et lanceæ offensionem? cur non novæ vitæ commutationem? cur non denique imitaris gloriosam ascensionem? Sed quis animam vendidit? imo, imo, Jesu, proditor quis fuit? *homo unanimis, dux* ejus, *et notus* ejus, *qui simul* cum eo *dulces capiebat cibos* (*Psal.* LIV, 14).

O anima mea! unanimis tuus qui dormit in sinu tuo, caro videlicet tua et os corpus tuum, triginta argenteis appendit pretium tuæ æstimationis, dum, ut impleat concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ, velut terdenos argenteos lucrum avaritiæ suæ reputat dispendium animæ. Sicut Judas, Jesum Judæis (*Matth.* XXVI); sicut Dalila (*Judic.* XVI), Samsonem Philisthiim (*II Reg.* XVII), sicut Absalon, David patrem suum affligendum tradunt: sic te malignis spiritibus prodit carnalis concupiscentia ut perdat vitam, ut fortissimum enervet, ut de solio regni regem et patrem suum depellat. Denique Pilato traderis ad crucifigendum cum Satanæ condemnaris ad puniendum. Hic te flagellis et scorpionibus cædit, cum præsentibus et futuris pœnis affligit: clavis suis manus tendit et pedes configit, cum affectus et operationes tuas aculeis concupiscentiarum illicitarum compungit. Costarum et viscerum interiora lancea sua transfigit, cum malorum tuorum verecundiam tollens gloriandum in malis persuaserit. Ad extremum in cruce suspendit, cum tam in malitia quam in pœna spiritualibus nequitiis consortem efficit. Qui enim desperat de pœnitentia, quasi pendens desperat de vita. Hujusmodi anima in inferno sepelitur, et cum iniquis dæmonibus reputatur.

Sic processeras, imo excesseras, anima, et nisi ad tenebras tuas Jesus misericorditer accessisset, tu semper miserabiliter discessisses et nunquam ad lucem veram rediisses! Igitur accessit et excepit plagas tuas in corpore suo, ut de plagis sui corporis plagas sanaret tuæ mentis. Præcessisti quidem ad mortem sive ad plagas Dominum tuum, sed sequere ad vitam redemptorem tuum! Si non est dedignatus usque ad sterquilinium tuum, cur declinas illum sequi ad cœlum suum? Sequere jam resurgentem quia secutus est te morientem. Versatum secutus est, sed subsequendus est a reversato. Primo itaque surge a mortuis, deserendo peccata; appare viventibus, confitendo prælatis mala tua. Ostende deinde loca clavorum, ostende quomodo latus sit perforatum, age pœnitentiam, renova vitam ut ultra non moriaris peccato, sicut *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Tandem cœlum conscende, ut sedeas ad dexteram Patris; raptus per contemplationem et infixus in cœlestibus per dilectionem. Ecce quam malum est versari, sed quam jucundum est reversari!

CAPUT XVIII.

De pane multarum specierum ex Ezechiele propheta.

Ad Ezechielem de confectione panis, qui de multis et diversis efficitur speciebus, loquitur Dominus sic: *Et tu*, inquit, *sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et millium, et viciam et mittes ea in vas unum, et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum, trecentis et nonaginta diebus comedes illud* (*Ezech.* IV, 9). Quanto panis iste inusitatior, tanto de illo expositio difficilior. De frumento quidem et hordeo panes fieri, non est mirum quia consuetum: ex faba vero et lente, et millio et vicia non panem sed pulmenta sibi homines faciunt; nec ea tunc quoque commiscere, sed separare consueverunt, ut fabam separatim et lentem separatim, et sic de cæteris singulis separatim refectionem habeant. Quid ergo ex tam dissimili specierum genere, jubente Domino, commistio facta innuit, nisi forte quod populus ille cujus prædicator hoc agebat, naturalem sensum humanæ mentis cum irrationalium pecudum animalitate prave vivendo confuderat? hic enim prævaricator erat, tam naturalis quam scriptæ legis; hic, inquam, ungulam secundum legem non findebat, quia non recte dividebat (*Lev.* XI, 3), quia *pretiosum a vili non* (*Jer.* XV, 19) separabat, quia scoriam ab argento non secernebat, quia aquam vino immiscebat, denique non in charitate manebat, in qua pendet omnis ordo, sed in captivitate carnis et animæ exsulabat, in qua solus est error et horror.

Plane horrenda et abolenda commissio fidei et infidelitatis, tenebrarum et lucis, vitæ et mortis, boni et mali. Cum Creatorem adorat quis *in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23), habet frumentum; cum pro temporalibus servit Deo, hordeum; cum de divitiis suis sive gloria, sive scientia sæculari inflatur, fabam; cum gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem hominis corruptibilis commutando hebetatur, lenticulam; cum supra quam decet subtilia de Deo investigando evanescit, millium; cum non intelligendo, se ad imaginem Dei factum jumentis insipientibus comparatur, viciam sive avenam. Anima vero sive populus tam inconstantis

propositi, tam varii consilii, tam lubrici ordinis, pro confusione quæ in ejus versatur mente ordinata pascitur refectione. Ut enim incompositum habitum sui cordis advertat, parat in oculis ejus prædicator inusitatam confectionem (ne dicam refectionem) nescio, panis an leguminis, aut simul panis et leguminis. *Mittes ea*, inquit Dominus, *in vas unum*. Vas unum in quo reponitur incomprehensibilis varietas tam cogitationum quam affectionum sive bonarum sive malarum, cor humanum est. Et bene mitti jubentur in vas unum, quia omnia hominis bona et mala recipit sive concipit cor unum. Est enim receptibile justitiæ et injustitiæ, veritatis et falsitatis, religionis et superstitionis, odii et amoris. *Et facies tibi panes, numero dierum quibus dormies super latus tuum*. Præceptum fuerat prophetæ, ut dormiret super latus sinistrum, et postea ut dormiret super latus dextrum : animadvertendum igitur utrumque latus quid significet, et quis dormiat super sinistrum, quisve super dextrum. Duo igitur sunt in quibus vel ad bonum, vel ad malum dilatatur cor, charitas scilicet et cupiditas. Charitas est latus dextrum, cupiditas est latus sinistrum. Dormit autem in dextro latere, cujus cor dilatatur in charitate. In sinistro vero dormit, qui frena suæ cupiditatis in avaritiam usquequaque porrigit. Sive autem in dextro, sive in sinistro dormias, panes tibi numero dierum quibus dormies, facies ut sive æternitatis gloriam, sive præsentem et momentaneam delectationem appetas; panes virtutum aut vitiorum promerendo in diem bonorum vel in diem malorum tibi in præsenti via constituas.

Ut vero æterna est gloria justorum, sic infinita supplicia malorum, et ut habent singulapiorum opera dignam pro meritis remunerationem : sic reprobi pro numero et modo malorum suorum, æternam sustinent damnationem. Intelligitur quoque sacramentum baptismatis, vas unum in quo Filius hominis indifferenter congregat bonos et malos, tanquam fruges diversorum ordinum. In uno enim vase regenerantis baptismi, divina consecratio insertum quodcunque hominum genus, quasi frugum et leguminum diversas species misericorditer reponit. Satis enim corporaliter tam morum quam studiorum dissimilitudine, hominum alii frumento, alii hordeo, alii fabæ, alii lenticulæ, alii millio, alii viciæ conferuntur; dum alii grano frumenti, id est Verbo incarnato quod misit Dominus in Jacob et cecidit in Israel, per charitatis imitationem conformantur. Alii hordeo legis Mosaicæ, per assiduam meditationem divinæ severitatis pascuntur; alii fabæ, qui per vanam gloriam mundanæ sapientiæ inflantur. Alii lenticula sophisticarum argumentationum, præsumendo de ingenii sui viribus, excæcantur; alii millio exquisitarum ratiocinationum usque ad exinanitionem veritatis evanescendo, extenuantur; alii belluinæ fœditatis tam vita quam sensu, ultima quasi viciarum vel avenæ vilitate oculos ad terram deprimendo, confunduntur.

Curatrix itaque omnium contritionum, et omnium morborum medicina, reparatrix Dei pietas, Ecclesiæ vas construit amplum, solidum latum et rotundum. Amplum ut capere non utilia solum sed inutilia usque ad emundationem areæ, non munda tantum sed et immunda sufficiat; solidum ut omnem impetum tam ab intrinsecis, quam ab extrinsecis casibus patiens eludat; latum in inferioribus ut etiam aquarum fluctuationibus non titubet; rotundum in superioribus, ut unitatis sectionem nullatenus formidet. In hoc vase, bene credendo intrant homines, bestiæ et pecora carnaliter conversando congregantur. Semina (id est mandata evangelica) prædicando inferuntur et victualia ad omnem animam quæ, per fidem, Ecclesiam ingreditur, promissiones scilicet vitæ quæ nunc est et futura secundum diversitatem meritorum, satis ordinate providentur. In hoc, *ursus et agnus*, *leo et vitulus* (*Isa.* XI, 7), columba et corvus, fidelis et reprobus, *donec transeat* diluvii *iniquitas* (*Psal.* LVI, 2; *Gen.* VII), continentur. In hujus quoque significatione, Petro apostolo oranti ostensum *est vas linteum, quatuor initiis submissum de cælo* (*Act.* X, 11), in quo erant omnia quadrupedia et reptilia, animalia et bestiæ terræ, dictumque est illi : *Macta et manduca* (*Act.* XI, 7). Eo autem nondum intelligente mysterium vasis et continentiæ ipsius, ac, cum Ezechiele dicente : *Quia commune non intravit in os meum*, audivit, *quod Deus mundum fecit, tu ne commune dixeris* (*Ezech.* IV, 14). Legitur ut cum digna reverentia pallium litteræ removeamus, sicut sapiens et fidelis Ruth in libro Judicum fecisse legitur quæ a parte pedum Booz (*Ruth*, III), stratum discooperuit, timens scilicet manum ad caput mittere, et contra legis sanctionem caput sacerdotis discooperire; quid significet hoc vas unum in quo Ezechiel propheta, frumentum, hordeum, fabam, lentem, millium et viciam commiscet (*Ezech.* IV), iterum instantius videamus.

Corpus Christi quod est Ecclesia (ut supra ostensum est) vas est pretiosissimum, amplissimum, solidissimum, latum et rotundum : et pretiosius quidem est auro, argento et lapide pretioso, quia ut lutum platearum sive ut stercora hæc omnia Ecclesia reputat ut Christum lucrifaciat. A cujus succinctorio, fimbriæ aureæ dependent et ipsa astat *in vestitu deaurato circumdata varietate* (*Psal.* XLIV, 10). Locus quoque in ea speciosus est ad manendum, quia cœnaculum in quo discipuli parant pascha, grande est et stratum, et secundum prophetam : *Magna domus Dei, et ingens locus possessionis ejus* (*Baruc.* III, 24). Revera *extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus* (*Psal.* LXXIX, 12); extendit denique pelles suas et dilatavit funiculos suos in præclaris, ut attingeret a fine usque ad finem fortiter

et disponeret omnia suaviter. Mittit etiam in mari legatos suos *in vasis papiri, ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum ultra quem non est alius* (*Isa.* XVIII, 2). Ecce quam ampla est Ecclesia quæ clamat a finibus terræ, *et dominatur a mari usque ad mare, et a finibus usque ad terminos orbis terræ!* (*Psal.* LXXII, 8.) Solidissimum quoque est vas Ecclesiæ, quia orbis est qui non commovebitur *Psal.* XCV) a sæculo et usque in sæculum, quia *tunica inconsutilis* (*Joan.* XIX, 23) est quæ scindi neque ab Ario, neque a Photino, neque a Nestorio sive Eutyche, sive aliis innumerabilibus hæreticis potuit, qui quasi pisces mali, rete Dei rumpere voluerunt, sed non prævaluerunt; subintroierunt enim quidam *in vestimentis ovium, intrinsecus autem* erant *lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15), ut perderent et demolirentur tanquam vulpes vineam Domini Sabaoth, sed *portæ inferi non* (*Marc.* XVI, 18) prævaluerunt, sed mallei universæ terræ contriti sunt, sed arbores autumnales bis mortuæ eradicatæ sunt.

Vas itaque tam pretiosum, tam amplum, tam solidum est, figurative etiam arca Noe in diluvio aquarum est in veritate (*Genes.* VI), Ecclesia in medio nationis pravæ et perversæ, seu pressurarum multarum. De cœlo autem submissum *est quatuor initiis* (*Act.* X, 11), tum propter quatuor Evangelia quibus initiatur fides Ecclesiæ, tum propter principales virtutes quibus perficitur, tum propter quatuor animalia quæ apparuerunt prophetæ juxta fluvium Chobar (*Ezech.* I), vel Joanni in Apocalypsi; tum propter quatuor plagas terræ a quibus congregantur electi a summis cœlorum usque ad terminos eorum. Continet autem omnia animalia quadrupedia, reptilia et bestias terræ, quia *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* (*I Tim.* I, 15), non tantum eos qui de Judæa sunt, sed de omni gente, lingua, tribu, populo et natione. Ipse enim est qui *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*II Tim.* I, 4). Salvat siquidem superbum, sed prius humiliatum; salvat avarum, sed prius ab avaritia liberatum; salvat luxuriosum, sed castificatum; salvat impium, sed pium prius factum; salvat injustum, sed justificatum. Sic namque dicitur: *Macta et manduca* (*Act.* XI, 7), id est converte impios ab impietate sua, et sic convertendo trajicies ad viscera tua.

Petri namque viscera sunt divinæ salvationis receptacula. Non equidem invisceratur Petro, qui masticatus non fuerit conversionis exemplo; dentibus vero Petri comminuitur, qui fide recepta, se ab errore convertit: torquet vero interiora Petri non fovet; qui conversus ad fidem et Ecclesiam ingressus non corrigit mores, sed iterat abdicatos errores. Tolerandus inde est, quia converti in melius potest, et nondum tempus est eradicandi, sed plantandi. Quicunque ita baptizatur, vas Petri ingreditur. Baptizatorum vero, neque uniforme est studium, neque eadem mansio, neque unus et indissimilis gradus meritorum; sed *alia gloria stellarum, et alia caro volucrum, alia piscium* (*I Cor.* XV, 39). Diversa itaque semina sunt, et plures panes in uno vase, quia *ex multis facierum personis* (*II Cor.* I, 11) unum corpus colligitur, una Ecclesia ædificatur, sicut ait Apostolus: *Unum corpus multi sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (*Rom.* XII, 5). Nec mirum, si una et multiplex Dei Ecclesia, ut Joannes in Apocalypsi (*cap.* I) septem scribit Ecclesiis, et in Canticis una columba nominatur (*Cant.* VI); cum ipse etiam Spiritus, quo replente, divinitati per matrimonium copulatur et uxor Agni appellatur, non solum unus, sed et multiplex a Salomone describatur.

Unus quidem est Spiritus, scilicet per essentiam, sed multiplex per dona. *Alii* enim *per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii scientiæ, alii fides in eodem Spiritu* (*I Cor.* XII, 8). Item alias: *Divisiones ministrationum sunt, idem autem spiritus, et divisiones operationum sunt, idem autem spiritus, et divisiones gratiarum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus* (*ibid.*, 5). Quid igitur? Non superbiat frumentum de nobilitate generis; non desperet hordeum de grossitudine ignobilitatis; non infletur faba vento elationis; non elevet oculos ut palpet in meridie lenticula terrenæ hebetationis; non elevetur super se millium ingeniosæ præsumptionis; non computrescat in corpore suo avena ultimæ extremitatis. Si de stirpe patriarcharum frumentum es, noli extolli. Quod si extolleris, *non tu radicem* unitatis et gratiæ *portas, sed radix, te* (*Rom.* XI, 18). Si *comparatus jumentis insipientibus* (*Psal.* XLVIII, 13) hordeum es, non dejiciaris, quia benignus est spiritus sapientiæ, et novit ferrum tollere de terra et in argentum commutare, et humilem de stercore erigere, et cum principibus collocare. Si fama et nobilitate carnis vel sensu carnis inflatus, detumesce et præsepium seu crucis Jesu recordare. Si lenticula es propter quam Esau perdidit primogenita sua (*Gen.* XXV), visum fidei propter inanem philosophiam amittens, clama ad Jesum, dicens: *Jesu præceptor, miserere mei*, quia *lumen oculorum meorum non est mecum* (*Luc.* XVII, 13). Si millium es, nimia ingenii tui præsumptione, plus quam justum sit, subtiliatus incurvare et adora *summitatem virgæ* Joseph (*Gen.* XLVII, 31); adorans non discutiens sacramentum incarnationis ejus, quia factus est pro te qui fecit te, ut reficeret te. Si vicia vel avena seu spelta es niger videlicet sicut facies ollæ combustæ, levis super faciem aquæ, asper sicut spina de sepe; apprehende bonitatem et disciplinam, et scientiam de lege Dei, et habebis locum in vase sive in Arca, sive in Ecclesia.

Ecce tempus et locus non separationis sed commistionis, non eventilationis, sed flagellationis; non repositionis in horreo, sed excussionis in area. Non est in præsenti latus dextrum in quo quiescentes, pane mundo et nudo, facie ad faciem, sed

gloriam Dei contemplando satiabimur, non in mensura et pondere sicut nunc accipientes brevem et modicam retributionem, sed sine mensura totum videntes et totum bibentes, quod est gloriæ, quod est gratiæ, quod est pacis et quod est jubilationis. Interim super sinistrum quiescentes, quibus nos possumus consolationibus foveamus, quibus possumus consolemur, donec a latere sinistro in dextrum convertamur. A præsenti namque tribulatione et dolore liberari, est a sinistro latere in dextrum converti; futuris gaudiis et beatitudine recipi, est in dextro latere dormire. Supponitur læva sponsa interim sub capite nostro, ne deficiamus in via, panes apponuntur, et si non quales erunt in patria exsultantium, saltem quales meretur inopia exsultantium esurientium : *Animæ* enim *esurienti, etiam amara dulcia sunt* (*Prov.* XXVII, 7); nam hoc appetit esuriens quod satur fastidit.

CAPUT XIX.

De pane plebeio et communi.

Plena est manus Dei, cui tam in promptu est universæ creaturæ suæ desideria reficere, quam etiam singulorum votis respondere. Ex profusione enim sua nunquam fit pauperior, qui donativorum suorum largitione exstat semper gloriosior. Recipit enim cum erogat, refluit cum effluit, quia idem donat et donando accipit, quia et suum est quod dat et suus est cui dat, suum est quod creat, suum est quod creaturæ suæ donat. Cum aliquid creat, suum est, cum aliqua creata creaturæ suæ donat, nec vires excutiuntur creantis in creatione omnium, nec opes exhauriuntur donantis in distributione suorum munerum. Is ergo universæ familiæ gentium panes frangit miserationum suarum, et cum incomprehensibili quidem æterni mysterii profunditate, tribubus, et populis, et linguis, et nationibus competentes dimensus esset portiones, unum tandem in quo communicaret omnis conventus fidelium, panem destinavit ad inferiores partes terræ. Hic et primata singulorum exsatiavit desideria, et uno misericordiæ suæ gustu, omnes implevit esurientes animas.

Panis iste non venit satiare justos superbos, sed sanare peccatores conversos. *Cum publicanis et peccatoribus manducat* (*Matth.* X, 11), sive cum eosdem figuraliter manducat, sive cum ab his manducatur. Et tunc quidem cum his manducat, quando dono gratiæ suæ laborantes, ab his ærumnis liberat. Tunc vero eosdem manducat, cum a peccatis prorsus justificat. Tunc denique ab eis manducatur, cum in corde ipsorum emundato ab operibus moruis in latitudine charitatis delectatur. O utinam, non sicut Jonas a cete, sed a Jesu, absorberetur anima mea! O dulcedo meritorum Jesu! O calor viscerum Jesu! O secretum pectoris Jesu! Sicut cithara, sonat mihi venter Jesu! harmonia chordarum illarum in modulis suis, concentum cœli dormire facit. Rapitur somno delectabili, cui citharizat Jesus sibilo auræ tenuis. Tympanizat quidem fortiter in cruce, sed cantat utiliter in evangelica prædicatione, A psallit sublimiter in resurrectione, jubilat dulciter in ascensione, perorat sapienter causam pauperum suorum in paterna confessione.

Anima Jesu, *phiala aurea* est *plena odoramentis, quæ sunt orationes sanctorum* (*Apoc.* V, 8). Præ suavitate hujus, si es in visceribus Jesu, non lanceam expavescis, qua non odio inimici, sed charitate Christi suaviter vulnerata lancearis. A quo vulnere, quæ inter ubera sua sponsum collocaverat, et lancea viscerum ejus perforata, vitaliter non lethaliter languebat, exclamat : *Vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* II, 14). Visceribus misericordiæ suæ, charitas Jesu ab effusione, imo a perfossione lateris sibi non pepercit, ut te semel in ipsis cavernis pedum, manuum et lateris, quasi columbam per hanc aperturam re- B ceptum, ad omne suum consilium admitteret, gaudiis admisceret, divinitati adjungeret, æternitati statueret, beatitudini angelicæ adæquaret. Penetrent itaque viscera nostra, hæc *misericordiæ Dei viscera, in quibus visitavit nos* (*Luc.* I, 78), qui pinguedine et adipe benedictionum suarum pavit seu reparavit nos. Hæc viscerum Dei et hominis, adinvicem per Dei dispensationem et hominis imitationem, replicatio seu reciprocatio, tam firmiter Deum et hominem complectitur, ut ipsum ad nostra flectat tuguria, et nos ad sua sustollat palatia, ut impassibilem Deum reddat nobis misericorditer compatientem, et adhuc mortalem hominem faciat ex Deo constanter invisibilem.

Noli, o anima Deum diligens et dilecta a Deo, C brevi et modico acu dilectionis aperiri, quia latus Jesu lancea tanquam ostium magnum in cœlo apertum est, ut ad Patrem per eumdem Filium populi innumerabiles confluentes nullas sustinerent in ingressu vitæ angustias : *Scindite*, inquit propheta, *corda vestra et non vestimenta vestra* (*Joel* II, 13). Si Jesus dilatavit sinum suum, ut per amplius et perfectius possidere sabernaculum non manufactum (id est non hujus creationis), quare et tu non extendis sicut pelles Salomonis cor tuum; ut in eo deambulet et insiliat sine molestia hinnulus cervorum? Extende totum te, ut tota anima, tota virtute dilatatus, cum diligas quem ut haberes totum, totum in cruce distentum consideras : tali vero protensione, D rupturam non timeas; incrementum namque, non detrimentum novit gignere extensio amoris.

Cingit etiam corda, non scindit; non enim qui schismate et hæresibus ab unitate Ecclesiæ scinduntur, hoc pane vescuntur; sed qui coagulo unitatis moribus et fide Catholica, id ipsum convertuntur. De hoc enim pane (ut jam dictum est) ait Apostolus : *Unus panis, unum corpus multi sumus* (*I Cor.* X, 17). Et alibi : *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (*II Cor.* X, 3). In canticis quoque : *Una est columba* (*Cant.* VI, 8); quia una Ecclesiæ charitatis, una soror, una tunica Christi. Separationem non recipit, scissionibus non assentit : divisioni, qua filius meretricis partiri a Salomone decernitur, *ut revelen-*

tur ex multis cordibus cogitationes (*III Reg.* III, 25), obsistit, renovata parturitione innovati doloris, ex compassione in cruce pendentis, quem una uni unum, unica unicum peperit, in partes secari conspexerit (*Luc.* II, 15). Mavult namque filii solatio carere quam unitatem scindere, juxta illud: *Si manus dextera scandalizat te, abscinde eam et projice abs te* (*Matth.* V, 24). Mavult retinere viscera pietatis, amore unitatis, postponendo filii solatium, quam consentire crudelitati, dividendo unum.

Hæc unitas fidei et religionis communis panis est, sed fidelibus communis est, sed cui non communicat alienus, sed de quo non gustat hæreticus; habet quidem prophetarum quisque, habet propheticum panem appositum sibi, sed non soli. Habet nihilominus apostolica mensa panes evangelicos, in omnem terram manifesta prædicatione diffusos. Habet quisque ordo sanctorum, secundum merita virtutum suarum, panem privilegiatum quidem pro spiritali devotione, sed non privatum singulari ambitione. Quomodo enim cives cœlestes, in republica sua, usurparent peculiariter peculium beatitudinis, cum tota hæreditas illa, unum sit cohabitantium omnium patrimonium pro meritis? Equidem hæreditas servorum Domini una est, sed mansiones sanctorum, pro varietate meritorum, multæ sunt, quia *unus panis, unum corpus multi sumus* (*I Cor.* X, 17). In cœlo unus panis, vita æterna, unus panis, fides vel summa Trinitas. Refice animam tuam unitate fidei, ne vel Deo infidelis, vel proximo importabilis sis.

Ubi Lucifer qui mane oriebatur, superbiendo humilitatem exuit; charitatem simul cum unitate bonorum spirituum amisit. Ubi Adam charitatem Creatoris, uxoris voluntati postposuit, paradisi humilitate exspoliatus, ad se ipsum in se ipso conturbatus: turbam magnam, multiplici cogitationum dissidentia in se uno fecit, quam mediator Dei et hominum ut tolleret et pacificaret naturas diversas (hoc est divinam et humanam) in se ipso univit et unitione illa, cœlestia simul et terrena confœderavit, quatenus omnis anima (tanquam per fidem Christum induta et renovata) communicaret angelicorum spirituum societati, et unum efficeretur cum spiritu Dei. Hic est ille panis qui in medio terræ salutem operatus est, pendens in medio duorum animalium, qui natus in medio terræ, salutem operatus est pendens in medio Ecclesiæ et Synagogæ. Hic est ille qui in medio Ecclesiæ aperuit os suum, quique princeps sacerdotum, semper est in medio eorum. Hic est ille fructus qui in medio paradisi positus, sanat omnes contritiones, relevat ægritudines, pascit vincentes, dispersos congregat, leprosos mundat, claudos curat, mortuos vivificat, cæcos illuminat, paralyticos consolidat.

Hic est hastile candelabri quod habet tres calamos, hinc, et tres inde: nam innocentes per innocentiam adhærent ei, et justi per justitiam, peccatores per pœnitentiam, virgines per castitatem, martyres per sanguinis effusionem, conjugati per eleemosynarum largitionem. Hic *lapis* est angularis *factus in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22); ut hinc angelus, inde homo a remotis partibus convenientes unum caput haberent et esset *unus pastor et unum ovile* (*Joan.* X, 16). Quare non confundatur meretrix lavari in fossa altaris quam aperuerunt milites, quando *foderunt manus et pedes* (*Psal.* XXI, 18) Salvatoris. Currat denique Naaman, a planta pedis usque ad verticem lepra perfusus (*IV Reg.* V); et aquis Jordanicis, septenaria purificatione mundatus, gratias referat mundatori suo. Occurrat cæcus a nativitate, et linitis oculis a luto incarnationis Dominicæ (*Joan.* IX), agnoscat a regalibus sedibus missum omnipotentis Patris Verbum. Ascendat paralyticus domum, et quia non potest per ostium, intret per tectum sua peccata detegendo (*Marc.* II), non de meritis præsumendo. Per ostium namque intraret, si vestimenta sua non contaminaret; sed per tectum ascendit, quando (regno cœlorum vim faciendo) corpus mortificationi substernit, spiritum humilitati.

Adultera ab accusatoribus proferatur, sed a digito scribentis in terra legem misericordiæ, misericorditer absolvatur. Nuntietur languens Lazarus (*Joan.* VIII), deinde pronuntietur dormiens, tandemque inveniatur fetens, sed animetur lacrymis, sed voce revocetur, sed jussu vitæ ad vitam resuscitetur. Pascatur turba esuriens, tranquilletur aura sæviens, tangatur fimbria et sanetur mulier menstruis fluens; a quacunque detineatur infirmitate, liberetur omnis accedens et credens. In ora vestimenti latro positus unguentum quod a capite in barbam barbam Aaron defluebat tangat, et de ipsis mortis faucibus salubriter respiret. O quam communis panis qui eis qui citra castra propter multitudinem et animarum immunditiam exsulabant se assimilaret et sibi associaret! Denique sic dicit: *Venite*, inquit, *ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). O Jesu, quem Pater misit pascere populum suum, da nobis panem nostrum, te ipsum da alimentum vitæ in innocentia cordis tui et intellectibus manuum tuarum! O Domine Jesu, non vivit anima nostra, nisi cibo tuo; non satiatur, nisi corpore tuo. Hic cibus solummodo implet omne animal benedictione. Hic agit, ne egeat qui comederit.

CAPUT XX.

De pane sanctificato et sacerdotali.

Utinam forcipe de altari unus de summo ordine seraphim (*Isa.* VI), labia mea emundaret tam ad loquendum quam ad edendum panem sacerdotalem! Ausu namque temerario tam periculum quam præsumptuosum est, immundis labiis sive illotis manibus contrectare sacrosancta mysteria, quæ digna tantum ministeriis contingi apostolicis, arguunt irreverentes, condemnant impudentes, deificant humiles. Novis denique et variis vestiendus est indumentis, sacerdos oleo ungendus, multiformi sanctificatione expiandus, et omni tempore in sanctis recipiendus ut panibus sanctificationis reficiatur. Quid

enim supplicii vel pœnæ, sacerdos non sacerdotaliter administrans, incurrat, vel lex ipsa demonstrat in ultione seu ustione filiorum Aaron, Nadab et Abiud, qui dum ignem alienum accendunt, incenduntur (*Lev.* x), vel exemplum evangelicum manifestat, cum in tenebras exteriores ejicitur qui ad convivium non vestitus veste nuptiali discubuisse legitur (*Matth.* xxii).

Prius itaque explicandus est habitus sacerdotalis, ac deinde cibus contemplandus; quia honestus cultus morum cibum meretur angelorum. Ait Dominus, agens de indumentis pontificalibus, in Levitico: *Pontifex, id est sacerdos magnus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, et ad omnem mortuum non ingredietur omnino, super patre suo non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Domini Dei super eum est* (*Lev.* xxi, 10). Allegorice, Christus pontifex est, id est *Sacerdos magnus inter fratres* apostolos *suos*, cujus auxilio, mortalitatis flumina, a ripa nativitatis usque ad littus mortis quaquaversum profusa, ponte crucis imposito, siccis vestigiis transmittimur et accessum habemus ad Deum in navigio sanguinis ipsius. *Fusum est* autem *oleum super caput* ejus; sive quia conceptus est de Spiritu sancto, sive quia non ad mensuram datus est ei spiritus. *Manus* quoque *ejus sacerdotio consecratæ sunt*, cum ad populum non credentem, tota die extensæ et in ligno crucifixæ proprio sanguine ad aspergendos populos consecratæ atque dedicatæ sunt. Vestitusque est sanctis vestibus, id est virtutibus charitate, justitia, patientia, fortitudine in passione, sive gloria et honore in resurrectione.

Caput suum non discooperuit, quia divinitatem suam in passione celavit, vel in divinitatis natura a Patre se nunquam separavit. Vestimenta non scidit, quia unitus semel homini Deus, Verbum nunquam a carne recessit. Ad omnem mortuum non ingreditur omnino, quia peccatum non fecit vel contraxit, neque in conceptione neque in morte. Super patre suo et matre non est contaminatus, quia Joseph pater ejus (officio scilicet administrationis, non commistione generationis) Virginem non cognovit in contaminatione libidinis, et Maria mater, non de viro, sed de Spiritu sancto, inviolata concepit et incorrupta peperit. Non egreditur de sanctis, quia etiam cum esset cum hominibus in terris, semper tamen fuit et est cum Patre in cœlis. Non polluit sanctuarium Domini, quia caro ejus non vidit corruptionem. Hæc breviter de habitu summi sacerdotis, scilicet Christi prælibaverim. Habet ergo moraliter templum sanctum Dei (quod est anima fidelis) pontificem suum, id est animum qui est *sacerdos magnus inter fratres suos*. Quot enim ab anima motus procreantur, quasi tot fratres, animo adnascuntur.

A Super caput autem ejus fusum est unctionis oleum, cum pinguedine devotionis mens divinitus refunditur, et suavitate chrismatis assidua meditatione refricatur. Manus in sacerdotio consecrantur, cum carnis opera mortificantur, et quæ beneplacita sunt Deo sine intermissione operantur. Vestitur sanctis vestibus, cum adornatur sanctis virtutibus. Caput suum non discooperit, cum pravam cogitationem ad mentem non admittit. Vestimenta non scindit, cum sacramenta suæ regenerationis, criminaliter peccando non excedit. Ad omnem mortuum non ingreditur, cum in consensum peccati non ducitur. Super Patre non contaminatur, cum Creatorem suum offendere male credendo vel perverse operando veretur. Super matre etiam non contami-
B natur, cum intentio bona, nulla corruptionis malignitate vitiatur. Sanctuarium Dei non pollut, cum se immunem a consensu illicitæ delectationis custodit. Hæc de habitu sacerdotali mystico et angelicæ contemplationis non indigno, summatim perstrinximus, ut cum quali veste manducare debeat panem suum sacerdos, exprimeremus.

Præterea, debet pectus ornare; superhumerali humeros tegere; tunica linea, id est camisia stricta, totum corpus operire; cidari caput redimire; balteo utrumque simul et tunicam et superhumerale, arctius ad corpus aptare; feminalibus, turpitudinem operire, laminamque auream, titulo summi nominis insignitam, super cidarim, ad complementum gloriæ et decoris pontificalis superponere. Linea quo-
C que stricta corpori debet adhærere, ita strictis manicis, ut nulla ruga in ea sit, descendens usque ad crura; quæ Græce ποδήρης, id est *talaris* dicitur (*Sap.* xviii). His octo generibus vestium pontifex cum sacrificare, id est panem suum comedere vult, induitur. Omnis autem sacerdos, quamvis non sit pontifex, quatuor ad minus; videlicet feminalibus castitatis, tunica linea charitatis, balteo continentiæ, cidari summæ reverentiæ vestitur; pontifex vero omnibus insignitur. Qui enim gradu honoris excellit, merito virtutum, æque transcendere aliòs debet. Cuncta vero hæc, de auro pretiosisque coloribus fiunt, quia nihil vile ac sordidum in sacerdotis ore, opere vel cogitatione decet ap-
D parere.

Videndum etiam est ubi coquant sacerdotes carnes suas, vel ubi comedant panes suos. Ezechieli ostensus est locus vergens ad occidentem, et dictum est ei: *Iste est locus ubi coquent sacrificium, et non efferent in atrium exterius* (*Ezech.* xlvi, 20). Et paulo post: *Et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum, et dixit ad me: Hæc est domus culinarum in qua coquent ministri domus Domini victimas Domini* (*ibid.* 24). Quid hæc significant? Locus vergens ad occidentem mortis designat cogitationem. Hic sacerdotes pro peccato et pro delicto coquunt, cum cruditatem malorum suorum devotæ Deo mentes divino fervore bulliunt et conflagranti vaporatione spiritus, tam quotidiana quam criminalia pec-

cata consumunt. Pro peccato coquit, qui pro admissis malis anxie gemit. Pro delicto similiter coquit, qui pro negligenter omissis redarguere se acriter novit. In atrium exterius non sunt efferenda sacrificia, quia agi non simulari debet pœnitentia; qui enim sine contritione peccatum confitetur, sacrificium suum effert exterius. Qui jejunat ut videatur religiosus, inde polluitur, unde populus sanctificatur.

Seorsum itaque victima Domini abluenda, seorsum coquenda; ne aura populi contingatur, ne concursu carnaliter viventium obruatur. Lavent sacerdotes corda sese immolantium altissimo Deo, per veram confessionem, coquantur per injunctam satisfactionem. Sed ubi? In interiori atrio, ubi sunt quatuor anguli atrii, et rursum atria singula in atriis singulis. Interius atrium est latens conscientia; in qua sunt quatuor anguli, timor videlicet et cupiditas, gaudium et dolor. Habet omnis anima istos quatuor angulos per circuitum, quia aliquando timore deprimitur, aliquando cupiditate evagatur, aliquando gaudio effertur, aliquando dolore afficitur. Infra hunc circuitum, tota vitæ humanæ rota semper circumagitur; nunquam ultra, nunquam extra hos angulos anima vivens in corpore et sentiens educitur. Unde Salomon: *Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulis suis revertitur* (*Eccle.* I, 6). Mobilitate namque naturæ suæ, humanus spiritus diversis motibus circulariter agitur, ut modo gaudeat, modo doleat, modo cupiat, modo timeat. Nimirum in uno atrio, quatuor sunt anguli, quia in uno spiritu sive anima quatuor passiones sunt animi. Atriola vero in singulis atriis disposita privatos motus in generalibus istis affectionibus inesse significant.

Forte ista animi affectione, rerum varietates notat Psalmista, ubi ait ad Dominum: *Tuus est dies et tua est nox, tu fabricatus es auroram et solem* (*Psal.* LXXVIII, 16). Per diem enim sancta cupiditas, per noctem dolor, per auroram timor qui est initium sapientiæ; per solem gaudium designatur. In anima quoque Jesu, non ficte, sed vere, eædem affectiones fuerunt, teste Evangelio ubi legitur, exsultasse et doluisse et timuisse, et voluisse; duntaxat ex potestate permittens ad se accedere humanos affectus, non ex infirmitate vel necessitate dominante nolens opprimere. Ecce locus ubi coquent sacerdotes pro peccato et pro delicto, quatenus ignis divinus jugiter quatuor angulos nostros possideat, ut Deum cupiamus, ut Deum timeamus, ut in Deo doleamus, ut cum Deo gaudeamus. Postquam autem, ubi carnes coquantur ostendimus, ubi etiam edantur cum panibus requiramus. Legitur in Exodo, quod obtulerit Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Domino, ac deinde subinfertur: *Venerunt Aaron et omnes filii Israel, ut comederent cum eo panem coram Domino* (*Exod.* XVIII, 12). Ecce locus ubi sacerdotes et seniores Israel panem comedent, *coram Domino*, inquit.

Puræ et sanæ conscientiæ est, posse claritatem A incircumscripti luminis vultus Domini excipere. Primus prævaricator Satan, ideo de cœlestibus *sicut fulgur cecidit* (*Luc.* X, 18), quia sicut in veritate stare noluit, sic æquitatis divinæ radios, merito tanquam lucis refuga præ confusione apostasiæ suæ exhorruit. Sic Adam latibulum in ficulnea requisivit, quia piaculum confusionis in comestione vetiti pomi in pudendis suis impudenter transmisit (*Gen.* III). Sic Cain a facie Dei cum omni peccatorum suorum progenie fugit (*Gen.* IV). Sic, *omnis qui male agit, odit lucem* (*Joan.* IX, 20). Hujusmodi panem pollutum stercore, absconditum, in abditis comedunt. Unde Psalmus: *De absconditis tuis adimpletus est venter meus, ego autem cum justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua* B (*Psal.* XVI, 15). Hic est panis sacerdotum, scilicet gloria Dei. Apte procul dubio, præmisso habitu edentium, ostensa officina coquendorum ciborum, loco etiam assignato ubi edant panem sacerdotes, consequenter apponitur panis paratus spiritaliter ad usus eorum. Gloria Dei, o anima sacerdotalis, panis tuus est. Si extra gloriam Dei aliquid quæris, oblita comedere panem tuum, siliquis porcorum vesceris quibus vesci illicitum est.

Quid ergo est quod dicitur de sacerdotibus: *Peccata comedunt populi?* (*Ose.* IV, 8.) An gloria Dei sunt peccata populi? Absit! Sed gloria Dei est, comedere peccata populi orando ut deleantur, redarguendo ut sanentur. Annon est gloria Dei consumptio peccati? Sumit quidem peccata populi sacerdos in confessione, sed consumit in oratione. Nam C sic destruitur injustitia peccati et statuitur justitia Dei, cum revertitur impius a cogitationibus suis, et derelinquit viam suam, corrigendo errorem et apprehendendo veritatem. Sic vitulum conflatilem quem conflaverat et coluerat populus Israeliticus, Moyses prius in ignem redegit, et tunc in escam et potum populo eidem tribuit, profecto insinuans ardore contribulati spiritus comburendas et comminuendas a se ipso malas adinventiones suas, deinde accusatione masticandas atque exsecratione absorbendas, ad ultimum digna ultione, membra peccati punienda et egerenda. Ecce quomodo comeditur a populo vitulus peccati! Vis denique videre sacerdotem, quomodo comedat peccata populi? *Aut dimitte,* D inquit, *eis hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 32).

Revera coram Domino stat iste, et panem suum manducat! Gloriam namque propriam sibi non minuit; et populo sic orans veniam impetravit: fregit panem, cum correxit errorem; comedit, cum orationem fudit. Fregit, inquam, panem cum tenuit peccatorem; comedit autem cum retinuit judicem. Buccella panis sacerdotalis est, Deum iratum mitigare, populum districtissime malis suis coercere. Non vero ante, ad parcendum rogandus est Deus, nisi cervicem doctorum disciplinæ et correptioni supposuerit populus. Primo peccatum destruatur, et sic vindictæ divinæ rhomphæa plicabitur, aut

placabitur. Si rubiginem peccati exterminaveris, vires ignis gehennalis extenuabis; flamma enim purgatrix vitæ, si mortem præcesserit, non sequitur post mortem ultrix. Mollius ipse et melius spinam a te extrahere poteris si peccatis renuntiaveris, quam in judicio manum sustinere zelantem et penetrantem usque ad medullam, si contumaciter in malo perstiteris. Quod si propria manu nequiveris, adhibe linguam et labia sacerdotis : *Labia* enim et lingua *sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus* (*Matth.* II, 7).

Habet itaque in labiis sacerdos scientiam obstetricandi sive abstrahendi dolores vulnerum, cruores plagarum et prurigines cicatricum, unde et vulnera Lazari lingunt canes divitis (*Luc.* XVI). *Corruptæ sunt*, inquit ille, qui celaverat vel reiteraverat peccata sua, *cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII. 6). Inclinet igitur se sacerdos condescendendo infirmitatibus lapsorum, sicut et Christus, *inclinans se digito scribebat in terra* (*Joan.* VIII, 6). Non circumliget *carnem sanctificatam in ora vestimenti sui* (*Agg.* II, 13.), id est non perfunctorie aut verbo tenus compatiatur delinquenti et confitenti, quia hujuscemodi tactu non sanctificatur quidquid tetigerit. Sic enim legitur in Aggæo : *Interroga sacerdotes legem, dicens : Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, et tetigerit de summitate ejus, panem aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum : nunquid sanctificabitur? et respondebunt : Non!* (*Ibid.* 12,13.) Itaque non in summitate pallii caro sanctificata assumenda est, sed in profunditate cordis, quia non species pietatis, sed virtus radicata in medullis animi sanctificat. Panis confitentis, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnis cibus non sanctificatur, si tantum de summitate pallii tangatur, quia neque humilitas, neque sapientia, neque devotio, aut quælibet virtus, illum sanctificat qui non *ex toto corde et ex tota anima, et ex tota virtute Deum* (*Deut.* VI, 5), sed in labiis tantum diligit. Idcirco, inclinet se tota condescensione ad terram confitentis peccata sua sacerdos, quia non poterit scribere, nisi studuerit se humiliare.

CAPUT XXI.

De pane qui coquitur in clibano.

Tria quædam proponenda et exponenda occurrunt, ubi tractare de pane qui coquitur in clibano volumus; ac prius inspiciendum quis sit clibanus et quis panis, et quo igne vel clibanus succendatur vel panis decoquatur. Compendiose igitur dicendum est, quia clibanus uterus est virginalis; ignis, gratia sancti Spiritus; panis, incarnatio Filii Dei. Virgo Verbo incarnando, uteri et cordis locum parat, Spiritus sanctus mansionem parat, ipse Filius nuptialia fœdera Verbi et carnis legitima copulatione conciliat, Gabriel archangelus jura connubii. hinc inde allegat; Joseph, vices portitoris agens, solatia ministrat et salaria et pretia et legatione sportularum implorat. Deinde videndum quid operetur A unumquodque horum, et unde sit origo singulorum. A nobis est Virgo, a summa Trinitate, Spiritus sancti obumbratio, ab utraque partium, tam Patris scilicet quam Virginis, Filii generatio. Nam Verbum de Patre, caro de Virgine. Quomodo autem in fine temporum hic figurativus panis fieret, ubi quando et a quo, *a diebus æternitatis* (*Mich.* V, 2) decretum est. Oportuit nempe, hunc prius clibanum, non vili stemmate neque more consuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine temporis, panis qui dat vitam mundo de cœlo descendens, pro dignitate sua, congruum inveniret locum ubi posset opportune carnem assumendo decoqui.

Virgo igitur virginum clibanus est ad panem B suscipiendum, non consumendum vel utendum. Ignem enim urentem nunquam admisit, quæ carnis concupiscentiam non sensit; ignem fumantem non suscepit, quæ non concepit iniquitatem; ignem consummantem non novit, quæ rorem de cœlis in corde et ventre plenissime accepit. Virgo, inquam, hæc non solum clibanus est, Spiritum suscipiendo, sed thalamus, Deum concipiendo, templum quoque caste vivendo. Clibanus est, prorsus digne conversando; thalamus ineffabiliter concipiendo; templum, hostiam vivam, sanctam, Deo placentem se offerendo. Clibanus ad panem præparandum; thalamus, ad Sponsum excipiendum; templum ad pontificem introducendum. Clibanus ad victum esurientium; C thalamus ad sobolem Christianorum, templum ad emundationem delictorum. Clibanus vitæ sustentationem, thalamus amplexus jucunditatem, templum ad novæ vitæ dedicationem. Clibanum inflammat Spiritus sanctus, thalamum fecundat, templum consecrat; ignis in clibano, Sponsus in thalamo, sacerdos in templo; in clibano panis decoquitur, in thalamo uterus imprægnatur, in templo Altissimus pacificatur. Panis novus a clibano, nova progenies a thalamo, plebs renovata procedit a templo.

Non ardet clibanus libidinis ardore; non corrumpitur vel violatur thalamus virili contaminatione, non profanatur templum infidelitatis conspersione. In clibano recalescimus, in thalamo pubescimus, in templo nativitate bona senescimus; D pistores circa clibanum, virgines circa thalamum, cantores excubant ad templum. Labor in clibano, quies in thalamo, cantus in templo. A clibano ad thalamum, a thalamo ad templum properamus. In publico exponitur clibanus, in abscondito reponitur thalamus, in excelso templum superponitur. Clibanus est Virgo in Joseph desponsatione, thalamus in Spiritus imprægnatione, templum in Filii nativitate. Quasi plebeia quidem desponsatur, sed tanquam cœlestis virgo, virtute divina, Joseph ignorante, imprægnatur. Tanquam templum, agni carne, in visceribus maternis et sanguine purificatur. Carbones virtutum in clibano, emissiones paradisi in thalamo, thymiamata orationum ministrantur in templo. Astat Joseph clibano, flammam gravidati

uteri videns, sed ignem imprægnantis, cujusmodi sit, non intelligens. Panem quis intromiserit obstupescit, cum signa virginitatis undique clausa et immutilata, sollicite satagens reperit. Januis clausis, persentit panem angelorum in clibano incœpisse jam decoqui; sed quomodo miratur, et quis sine via apertionis intulerit? Sic incredibiliter et extra sensum humanum reputat nescire posse, vel quomodo absque sigilli interruptione extrahere possit?

Sed desinat mirari, quia sic operatur, cujus discutere facta non debemus, sed credere et venerari. Qui præter sensum humanum, humanis visceribus Verbum suum condidit incarnandum, supra intellectum nostrum, proferre potuit incarnatum. Tam denique facile exibit panis, quam sine obstaculo advenit ignis. Non ignis panem et decoxit et extraxit. Coquens carnis Verbum inseparabiliter univit: extrahens ad instructionem generis humani, mundo, mundi Creatorem et redemptorem obtulit. Ignis iste clibanum illustravit et confirmavit; et panem coxit et confortavit; et panem quidem quodammodo præcessit, dum in Virgine prævenit et supervenit; sed nullo modo deseruit, dum ab eo et a Patre semper procedens, in eo ab ipsa conceptione totus interminabiliter requievit. A calore adhuc hujus ignis tam odorem quam saporem suum panis iste mutuavit, adeo ut si ignem gratiæ senseris, quasi pane fidei gustato reficiantur animæ viscera, et rursum si panem humilitatis sumpseris, recalescant (velut si ignem tetigeris) interiora tua. Suavissimus odor tam ignis quam panis, unus et indifferens, corruptiones quasque hujus aeris, et malitia principium tenebrarum harum infecti, non dissimiliter medicatur.

Jamjam subeundus est thalamus, et quo lectulo Sponsus cum Sponsa sua cubet et fruatur cupitis amplexibus contemplandum, et ut admittamur, quodammodo attendendum. Ibi certe mutua libantur oscula; ibi Sponso resumuntur verba Sponsæ fragrantia unguentis optimis; ibi texuntur subtilia desideriorum fila; ibi ordiuntur vestimenta tam linea purissimæ actionis quam serica angelicæ contemplationis; ibi denique fiunt Sponsus et Sponsa, una caro, una anima et unus spiritus. Sponsus refundit in Sponsam quidquid in se habet dulcedinis, quidquid honoris et potestatis. Denuo, mutua vicissitudine, in se ipso resumit ab ea quidquid paupertatis, quidquid amaritudinis, quidquid contumeliæ est et passionis. Hac commutatione, ipsa procul dubio ditatur, sed ipse non minoratur; ipsa melioratur, nec ipse sua majestate privatur. Nam amarum nostrum vertit in dulce suum, opprobrium in gloriam commutat, *de spinis* nostris *colligit ficus*, *de rubo vindemiat uvam* (*Luc.* VI, 44), de morte vitam, de passione mercatur gloriam.

Sponsus iterum, quia gigas est magnitudine, sol pulchritudine, leo fortitudine, abyssus scientiæ profunditate, Deus æternitate. Sponsa vero puella ætate, parvula quantitate, Æthiopissa coloris nigredine, femina debilitate, fatua in omni prudentia et arte. Idcirco in thalamo contraxit se, *paulo minus minoratus ab angelis* (*Hebr.* II, 5); exuit se vestimentis gloriæ accinctus cilicio, deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate, abscondit sapientiam, ut (jumentum factus) in derisum esset tota die omni populo, æternitatem dissimulavit, factus sub sole, ut quasi cum tempore temporaliter curreret nec deficeret. Os illud Altissimi collatum et coarctatum est modicitati oris Sponsæ: *manus tornatiles* (*Cant.* V, 14) quæ cœlos tetenderunt, affixæ sunt manibus vulneratis convulneratæ, pedes pedibus compeditis adhæserunt, venter ventri conglutinatus est. Res equidem pia, cum infinite immensus abbreviatur ad dejectum, sed nihilominus mira, cum reparatur ad unitatem personæ Filii Dei, natura filiorum Adæ.

Egrediamur jam cum Sponso de cubili, et cum Sponsa de thalamo. Accedamus ad templum inter vestibulum et altare, ut videamus et intelligamus sacerdotem nostrum sacrificiorum officia consummantem. Pontifex hic, secundum ordinem Melchisedech, super cujus caput fusum est unctionis oleum, et cujus manus in sacrificio consecratæ sunt, *super patre suo et matre non contaminatur* (*Lev.* XXI, 11). In templo uteri virginalis, in singulis pontificalibus ornamentis ad offerenda redemptionis nostræ sacrificia, ad altare crucis non sine sanguine proprio processit, et quæ in terris sive quæ in cœlis sunt pacificavit. Hic arca sanctificationis, hic tabulæ Testamenti, hic virga Aaron quæ fronduit, floruit, germinavit et nuces protulit. Hic propitiatio sive propitiatorium, hic sanctum et Sanctum sanctorum. Sunt phialæ, thuribulum, incensa multa, altare de terra et sacramentaliter, cuncta hic reperiuntur quæ figuraliter in tabernaculo Moysi seu in templo Salomonis, in umbra veritatis depinguntur. Quid enim est oleum chrismatis, sive de purissimis olivis quod funditur super caput Jesu, ut merito filius olei vocetur, aut unguentum exinanitum, nisi gratia Spiritus sancti qua unctus est præ participibus suis, ab ipsa die conceptionis? Quæ manuum consecratio, nisi in cruce extensio vel clavorum confixio? Quid est super patre non contaminabitur, nisi quod a Patre, æqualis in omnibus genitus, nequaquam (ut supra dicitur) aliqua minoratione æqualitatis exterminatur? *Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philip.*, II, 6). Quid rursum est *super matre non contaminatur*, nisi quia non de viro, sed de Spiritu sancto concipitur?

Præterea de fœderis arca vel potius sanctificationis quid aliud dicam, nisi quod et mater arca est fœderis, continens in se quidquid est sanctificationis vel creaturæ vel creantis: et Filius in matre similiter arca sanctificationis est potius existens quam continens sanctificationum sanctificationem? Habet autem tabulas Testamenti, quia in corde ejus, universa describuntur mandata vitæ et pacis. Ha-

bet et virgam Aaron : *Virga æquitatis, virga regni ejus* (*Psal.* XLIV, 7). Fronduit quoque in nativitate, floruit in resurrectione, germinavit in ascensione, nuces protulit in Spiritus promissione vel missione. Nostra quoque virga seu Virgo fronduit credens angelo, floruit concipiens in utero, germinavit pariens ex utero, nuces protulit fugiens in Ægyptum cum Filio, vel videns eum pendentem in patibulo. Filius est nostra apud Patrem propitiatio, quia interpellat pro nobis ; Mater apud Filium, quia rogat pro culpis nostris ; Filius est Sanctus sanctorum, quia Deus deorum ; et Mater est Sancta sanctarum, quia Virgo virginum. Filius habet phialam purissimæ carnis, ut ab ea sumatur poculum vitæ ; Mater similiter, in omni conversatione sua, casta et munda, præbet nobis exemplum conversandi sine querela. De thuribulo Filii Pater odoratur incensum propitiationis ; de thuribulo Matris tota perfunditur domus angelicæ conversationis. Filius est altare de terra sancta, quia corpus habet de Matre sine macula, in quo cremantur holocaustomata dum condonantur peccata ; Domina nostra nihilominus altare est terrenum, quia refugium est miserorum.

Et quid amplius ei assignare possumus divini muneris et honoris, quam (ut quod verum est fateamur) genitricem eam Dei esse et hominis ? Infra hoc dicitur quidquid in ejus commendatione offertur. Si cœli reginam, si angelorum dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde quam ore excogitatum protuleris, non assurget ad hunc superindicibilem honorem quo creditur et prædicatur Dei genitrix. His tandem de clibano dictis, parum pro materia, conferamus tamen adhuc clibano materiali, uterum Virginis et claustrum nostræ religionis ; in clibano etenim multa lignorum congeries succenditur et panis decoquitur ; in claustro multarum observantiarum disciplina tenetur, ut a cruditate veteris vitæ anima sæcularis, in soliditate veri amoris confirmetur ; in virgine virtutum chorus adunatur, ut rex virtutum suscipiatur. Clibanus ardet igne materiali, claustrum fervet dilectione spiritali, Virgo æstuat amore speciali : totum operatur ignis in clibano, virtus charitatis in claustro ; Spiritus sancti obumbratio vel Trinitatis sanctificatio in Virginis utero. Carbonum et cinerum reliquiis emundatur a coquente pavimentum clibani, a superstitione inutili et cogitatione sæculari per rectorem simplicitas claustri, a desiderio carnis invariabile propositum Virginis.

Temporalis vitæ subsidium paratur in clibano, æternitatis remedium in claustro, universalis redemptionis commercium in utero. Vapor ignis accensus conservatur in clibano, fervor religionis in claustro, æternitatis amor in Virginis utero. Pasta mollis accedit ad clibanum, debilis anima ad claustrum ; caro passibilis non quidem aliunde accedit, sed de ipso et in ipso utero virginali concedit in Christum. Non sparsim seminatur, sed deponitur in clibano ; non divisim sed conjunctim debet servari ordo in claustro ; non minutatim vel guttatim, sed totaliter ipsam divinitatem Verbi concipit sive parit virginum Virgo : pasta non informis, sed tornata et formata coquitur in clibano ; ordo non sine regula, sed certa forma stabiliri debet in claustro ; naturam humanam, non sine septiformis gratiæ acceptione concipit et edit Virgo ; de panibus bene spirat clibanus, religio claustralis de virtutibus, pium exemplum præbet fidelibus sæcularibus, virtutes Virginis, odorem placabilem reddunt etiam angelicis stationibus ; de pane clibani nutritur caro, de instructione claustrali anima, de fructu Virginis tota simul Ecclesia. Currant pauperes pro pane ad clibanum, humiles pro pietate ad claustrum, omnes homines pro communi salute ad Virginis templum. Huc usque detinuimus stylum, in assignanda comparatione clibani, claustri et virginalis uteri

CAPUT XXII.

De pane frixo in sartagine.

Clibani sudoribus facie adhuc madefacta sartaginis continuamus frixaturam, utiles sed laboriosas vexationes, hac tamen una et præcipua consolatione artus, ad subeundam sartaginem lætiori studio opponimus, quia sine oleo similam in ea non frixabimus. Nam oleo conspersa simila et absque fermento in sartagine coquitur. Quid autem a facie olei non mollescit ? Virtus lacessita [*melius* lassa] jamjam exspirans olei beneficio reparatur, ulcera foventur, aspera leniuntur, amara dulcescunt, tenebræ rarescunt [*f.* clarescunt], arida liquescunt. Ignem torrentem, quomodo ferret sartago, si non perfunderetur oleo ? certe cibum non coqueret, si arderet, si absque oleo carbones videret. Prius itaque sartago impinguetur oleo, et sic oleo litam laganam non consumet pœnaliter, sed coquet utiliter. Sed videndum quid sit sartago, intelligitur autem tripliciter. Nam crux Jesu sartago ferrea est, zelus quoque animarum salvandarum, in rectoribus sartago est, nihilominus et confessio peccatorum sive pœnitentia, sartago ferrea est.

Sed utinam zeli sartago vel confessionis sic refunderetur et impleretur oleo pietatis et pacis, quomodo superfusum redundavit in ipsis etiam persecutorum carbonibus oleum sartaginis Christi ! Denique, attende supercrescens et effervens oleum Dominicæ crucis vel sartaginis. Pungebatur, impinguabatur, cruentabatur, crucifigebatur, flagellabatur, conspuebatur simila carnis Redemptoris in sartagine crucis, et quid ebulliebat nisi verbum patientiæ tanquam oleum olivæ ? Quo enim acrius fremebat Judæorum quasi carbonum, sæviens flamma, eo unctuosius respergebat astantes bullientis olei unda. Aspice denique undam resilientem de sartagine, non præ impatientis murmurio, sed præ amantis desiderio. *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Implorat hæc unda olei illuminationem, non infert excæcationem. Quasi autem elanguet ante passionem non

minus quidem amando, sed tamen minus propter obstaculum carnis aperiendo oleum in corde *Filii olei*. Tunc vero in sartagine bulliens cœpit non solum effluere benefaciendo, sed efferri ultra mundi (quasi sartaginis) capacitatem moriendo, imo redimendo.

Movebatur quidem in sartagine, passionibus inflammatum, sed non amovebatur a charitate, doloribus exacerbatum. Simila quoque corporis immaculati appendebatur in sartagine ferrea, videlicet cruce dura et contumeliosa ; sed superfuso oleo ungebatur ne uteretur, quia plenitudine gratiæ consolabatur ne in vindictam persecutorum irasceretur. Cum enim Christus moritur magis ungitur ; nam quo fortius premebatur, eo uberius oleum sine amurca emungebatur, nec exsiccabatur humor benedictionis, cum undique excandescebat furor maledictionis. Unde patriarcha Jacob, expavens tam furorem quam immanitatem sceleris Scribarum et Pharisæorum, abominabatur persecutores Christi, dicens : *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea et in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore occiderunt virum et in voluntate suffoderunt murum, maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum quia dura* (*Gen.* XLIX, 5). Per hos Scribæ et Pharisæi intelliguntur, de Simeone enim Scribæ, de Levi sacerdotes existunt. Hi sunt vasa iniquitatis bellantia qui *cogitaverunt iniquitates in corde* (*Psal.* CXXXIX, 3), dicentes : *Tollamus eum de terra viventium*. Hi denique in furore suo occiderunt virum tradentes et clamantes Pilato, ut crucifigeret eum, et in voluntate injusta Judæi suffoderunt murum, qui se opponebat *pro domo Israel*, et qui est *nobis turris fortitudinis a facie inimici. Furor eorum pertinax, et indignatio dura*, quia Pilato judicante illum dimitti, clamabant : *Si hunc dimittis, non est amicus Cæsaris ; tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX, 12). Ecce carbones, ecce stridentes fuscinulæ prunas admoventes et sartaginem, scopulis linguarum maledicarum allidentes.

Sed quid nihil proficiunt, imo deficiunt ; non effunditur in iræ commotione sartago, non turpem sonum emittit comminationis, non arescit os ejus, dilectionis exinanitione, non liquescit inimicorum condemnatione. Flamma quidem vel Christi diligentis vel populi persequentis, sed illius miserando, istius occidendo, diffunditur *super fornacem, cubitis quadraginta novem* (*Dan.* III, 47) ; sed intra sartaginem velut in fornace Babylonio, ros descendit, et extra solummodo debacchantes incendit, non conflatione puerorum se ulciscentium, sed justa et consueta ultione male agentium. Nam sicut vipera genitricis vitalia nascendo disrumpit, sic malitia conscientiam de qua oritur, nunquam punire desistit, et prius destruit locum nativitatis suæ, quam inficiat innocentiam simplicitatis alienæ. Videamus itaque jam quid lex loquatur de sartagine : *Si oblatio tua*, inquit, *fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo et absque fermento, dividesque eam minutatim et fundes super eam oleum* (*Lev.* II, 5, 6).

Sartaginem diximus esse crucem, in qua simila oleo conspersa decoquitur, cum Christus plenus veritate et gratia pro nobis immolatur. Absque fermento est simila, quia nulla macula originalis seu actualis delicti in Christo est aliquando reperta. Dinumeraverunt ossa ejus in sartagine frigentes eum, ut a planta pedis usque ad verticem, nulla pars corporis a pœna vacaret, quatenus totum leprosum nostrum in culpa et pœna, toto se leproso in pœna sine culpa, sanaret. Divide minutatim, modo clavos in pedibus, modo in manibus, modo spineam coronam in capite, modo velamen in oculis, modo lanceam in latere, modo flagella et denudationem totius corporis, modo in auribus verba improperii revolvens, et funde super eam oleum, ut passionibus ejus compatiaris, non ei aliquid conferendo sed tuæ animæ vel fratribus pro quibus mortuus est subveniendo. Nunquam ad sartaginem vel ad similam quæ coquitur in sartagine, accedendum sine oleo, quia nunquam sine devotionis compunctione recogitari debet Christi passio. Super eam funditur oleum, cum pauperibus Christi pro Christo impenditur beneficium.

De hac sartagine dicitur Ezechieli prophetæ (*cap.* IV, 31) : *Sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et civitatem ;* quæ enim sumenda est nobis sartago ferrea, quam disciplina Christi, quæ quamvis aliquantulum carnalitati nostræ dura appareat, tamen apprehendenda et ponenda est inter nos et civitatem, ut hoc signo communiti in frontibus, non pereamus cum civitate sanguinum quæ occidit prophetas ; sed cum Raab salvemur a generatione pessima, appenso coccino sanguinis agni in postibus sive in fenestra domus (*Jos.* II). Hoc signum namque exterminator angelus reveretur, et non interficit signatos Thau, qui portat vas interfectionis et scriptorium *ad renes* suos (*Ezech.* IX, 2). Hucusque de sartagine crucis ; jam videndum est de sartagine zeli. Dicit Gregorius nullum Deo tale esse sacrificium, quale est zelus animarum. Apte autem zelus vocatur sartago, quia sicut caro in sartagine ab humiditate sua desiccatur, sic zelo sancto anima a superfluitatibus suæ carnalitatis evacuatur. Sicut etiam cremium in frixorio in se quidem arescit, sed aliis viscera suæ pinguedinis tribuit ; sic rectoris pia anima sibi austeriora indicit, et subjectorum imbecillitatibus benigniora et molliora indulget. Non enim quærit *quæ sua sunt*, sed *quæ Jesu Christi* (*Philip.* II, 21). Ait autem Moyses in Levitico (*cap.* VI, 20), ut *Aaron in die unctionis suæ, decimam partem Ephi offerat similæ conspersæ oleo in sacrificio sempiterno, medium ejus mane et medium vespere, quæ in sartagine, oleo conspersa confrigetur, offerat autem sacerdos in odorem suavissimum Domino, sacerdos qui patri successerit, et tota cremabitur in altari*. Hæc auctoritas refertur et ad sartaginem zeli. Ad crucem sic, dies

unctionis Aaron, dies est unctionis ejus qui conceptus est de Spiritu sancto et natus ex Maria Virgine, qui descendit de stirpe Aaron.

Revera enim tunc Aaron unctus, tunc sanctificatus, tunc in sacerdotium dedicatus est, cum in Christo Jesu, virtus sanctificationis, omnia tam Veteris quam Novi Testamenti consummavit mysteria. Decima vero pars Ephi non incongrue intelligitur caro Christi, quodammodo enim decima pars est, quæ ab angelis (quorum novem sunt ordines) in genere creaturarum quodammodo minor est. In conditione enim creaturæ, corpus generaliter spiritui subjicitur. Quid igitur mirum, si caro quæ mori potuit, minor fuit Spiritu angelico qui jam corrumpi non potest? Hoc secundum Gregorium qui ait novem esse ordines angelorum, hominem vero decimum esse creatum. Sæpissime jam dictum est, quare caro Christi dicatur simila, et quare conspersa oleo. Ideo autem in sacrificio sempiterno offertur, quia salvare in perpetuum potest *accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis* (*Hebr.* VII, 25). Quid denique sit quod ait, *medium ejus mane, et medium ejus vespere;* Evangelium docet ubi legitur quod mane adductus sit ad Caipham, in cujus atrio alapis cæsus est, atque multis delubriis [*f.* ludibriis] ab ea hora usquequo in ligno levaretur: affectus. Ecce *medium mane, vespere* quoque *medium*, quia Joseph ab Arimathia cum Nicodemo tulit corpus Jesu, et in monumento novo, cum sero esset, sepelivit (*Matth.* XXVII).

Hanc similam oleo conspersam, ut supra expositum est, in sartagine calidam offert in odorem suavissimum Domino, sacerdos qui patri successerit, quia Jesus qui et præcessit Aaron dignitate et successit ei tempore carnis, vel qui Deo Patri potius accessit quam successit carnis assumptione, igne charitatis calidissimam hostiam semetipsum obtulit in odorem suavissimum. Quid vero suavius odore humanæ redemptionis? Quod vero ait: *Tota crematur in altari;* hoc significat, quia non descendit de cruce antequam spiritum emiserit. Repetenda est sigillatim et exponenda sententia juxta intelligentiam zeli quem exercet rector quilibet circa gregem sibi commissum. Simila est mens munda; sartago, zelus; oleum misericordia; frixura, cordis angustia; calida hostia, fervens charitas; sacerdos qui patri succedit, imitator bonitatis Dei. Simila autem in sartagine frigitur, cum mens justi per zelum sancti ardoris crematur; oleum autem infunditur, cum amat etiam ipsum quem insequitur. Sartago autem necesse est ut sit ferrea, juxta quod ad Ezechiel Dominus dicit: *Ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam, et frontem tuam duriorem frontibus eorum* (*Ezech.* III, 9). Non fictilis, quia cito frangeretur, non plumbea quia cito liqueseeret, sed ferrea aut ænea debet esse mens rectoris, ut sit durus ad tolerantiam et sonorus ad doctrinam.

Cum transieris per ignem, o rector, non adurat te ignis tribulationum, cum per aquam, non penetret te vel absorbeat aqua voluptatum vel blandarum carnis illecebrarum. Æs tuum incalescat quidem pro infirmitate corporali, sed nullatenus liquescat ex dissolutione carnali. *Testa saniem rade* (*Job* II, 8), ut virtute patientiæ abstergas maculam corruptionis tuæ vel alienæ. Te mediante, vaporem suaviter decoquentem sentiat; te obstante, ignem crudeliter urentem non sentiat anima fidelis a te gustui divino aptanda. O admiranda patientia sartaginis, quæ fortis ut mors, dura ut infernus, neque vincitur potestate incursantis fortunæ, neque flectitur precibus aut pretio blandientis! Quis, inquit, superabit vel *separabit nos a charitate Christi? Tribulatio?* (*Rom.* VIII, 35.) sed hæc *patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem* (*Rom.* V, 4); *angustia?* sed hæc dilatat cor; *persecutio?* sed hæc compellit ad Deum; *nuditas?* sed hæc expedit cursum; *fames?* sed hæc parat panem vivum; *periculum?* sed nullum venienti restat periculum; *gladius?* sed est penetrabilior omni gladio acuto.

Hæc omnia contemnit sartago nostra, armatis in occursum pergit audacter, et ait: *Quia neque mors*, id est promissio vitæ; *neque angeli*, vel mali qui vellent, vel boni si quomodo vellent; *neque principatus* aliquis in cœlo vel in terra; *neque virtutes*, id est facientes miracula; *neque instantia*, id est neque futura bona vel mala: *neque fortitudo*, id est violentia aliqua; *neque altitudo*, id est promissio altitudinis; *neque profundum*, id est comminatio dejectionis; *neque alia creatura*, si qua esset quæ nondum creata est, *poterit nos separare a charitate Dei* (*Rom.* VIII, 38). Ecce quam fortis sartago. Vide iterum quam prompta ad excipiendam adustionem, ne aliquam sustineat læsionem esca decoquenda. *Optabam*, inquit, *anathema esse a Christo pro fratribus meis secundum carnem* (*Rom.* IX, 3). Cujus hæc vox, nisi sartaginis, cujuslibet suppliciorum carbonibus se objicientis, ut sine combustura pareatur cibus Dei. Vis audire, quomodo hæc sartago antequam alterius cruditatem excoquendam susceperit, se ipsam probaverit? *Castigo*, inquit, *corpus meum et in servitutem redigo, ne postquam aliis prædicavero ipse reprobus efficiar* (*1 Cor.* IX, 27). Sed de his hactenus.

Moraliter vero sartagini confessio comparatur. Ut enim multa lignorum congerie supposita sartago superponitur, in sartagine vero, aqua sive oleum aut sagimen infusum bullitur, ut caro vel panis decoquatur; sic memoria undique gehennalibus vallata incendiis, omnia sua præ timore et exspectatione futuri judicii fervescere facit. Impetu itaque confessionis, spumam peccatorum suorum projicit, et quidquid cruditatis inerat, succrescente charitate, decoquit. Attrahit ignem ad interiora, excoquit quæcunque injecta fuerant cruda. Spuma vel scoria ejicitur, cum in vera confessione oris tota cordis immunditia expurgatur.

CAPUT XXIII.

De pane asso in craticula.

Res una multis plerumque vocabulis nuncupatur, multis figuris significatur. Infantiæ sensus humani a sapientia Patris in hoc consulitur, ut quia res in abscondito est, et ut est non comprehenditur; saltem multo verborum et sensuum circuitu, qualitercunque tandem attingatur. Tanquam enim multis involucris veritas quandoque circumtegitur, multis spoliis superinduitur. Spoliis igitur suis cum multa reverentia est exspolianda, ut species et pulchritudo ejus tanquam stella matutina, vel sicut sol in virtute appareat. Quid enim aliud agitur, cum figura alicujus rei exponitur, nisi quasi vestis sapientiæ explicatur vel tollitur? cum vero aliquid proverbiali similitudine obumbratur, quasi puella speciosa amictu suo tegitur. Hæc idcirco dixerim, ut cum audis clibanum, cum audis sartaginem vel craticulam, figuras diversas circa eamdem rem intelligas; Christus enim in clibano, figuraliter, Christus in sartagine, Christus in craticula; sed sicut ad aliud ponitur panis in clibano, ad aliud in sartagine, ad aliud in craticula; sic aliter exponitur Christus in clibano, aliter in sartagine atque aliter in craticula. Et panis quidem in clibano coquitur, in sartagine vero frigitur, in craticula demum assatur.

Clibanus itaque nativitati, sartago passioni, craticula morti Christi aptantur. Puritatem in nativitate, patientiam in passione, mansuetudinem in morte. Nulla enim corruptio in Christi nativitate, nulla impatientia in passione. Tacet agnus, soporatur leo, Christus in morte non conturbatur. Conformemur itaque capiti nostro nascenti, quia non potuimus per primam, saltem per secundam baptismi nativitatem. Imitemur fratrem nostrum patientem, et si non usque ad sanguinis effusionem, saltem usque ad vitiorum repressionem, ad lateris effossionem; saltem ad desideriorum defossionem. Aspiciamus Redemptorem morientem, et quanta tranquillitate emisit spiritum, tam pacifica jussione accedamus ad moderandum proprii imperii verbum. Non violetur morbo criminali regeneratio baptismatis, non scindatur patientiæ amictus furioso impetu irascentis, non inquietetur somnus contemplantis inordinato motu ambitiosæ commotionis! Informandi sunt mores in clibano, roborandi in sartagine, consummandi in craticula. Ait Dominus in Evangelio: *Ecce ego hodie et cras perficio sanitates, et tertia die consumor* (*Luc.* XIII, 32). *Hodie*, est nobis in illuminatione fidei; *cras*, in operatione justitiæ; *tertia dies*, in consummatione gloriæ. Hodie cæcum illuminat; cras paralyticum consolidat; tertia die Lazarum resuscitat.

In typo hujus mysterii, filii Israel cum egrediuntur de Ægypto, infra trium dierum spatium non immolant Deo suo sacrificium, oblationem et victimam rationabilem, sanctam, Deo placentem. Sub hac quoque figura celebriores solemnitates ab omni populo, tam in deserto, quam in terra promissionis, tres in anno Deo redduntur: Pascha videlicet et Pentecostes et Scenopegia, quarum una figuraliter pœnitentibus, alia justis, tertia congruit glorificatis. Sanguine enim Agni abluunt pœnitentium peccata: *Etiamsi fuerint ut coccinum, vel si rubra quasi vermiculus, quasi nix dealbabuntur* (*Isa.* II, 18). Transit quoque exterminator, postes pœnitentium, per confessionem et pœnitentiam linitos vel potius munitos, sanguine Agni immaculati Jesu Christi. Nequaquam autem in Ægypto, vel in confiniis ejus hoc offertur sacrificium, sed in secessu et mansione valde remotiori. Opere namque sermone et voluntate, prius domus servitutis, id est voluntas peccandi deserenda, ut acceptabilis fiat immolatio victimæ nostræ. Tunc enim gratum Deo est conversorum Pascha, cum omnibus submersis veternorum delictorum Ægyptiis, toto corde, tota anima, tota virtute conventicula malorum procul elongaverimus.

Hic novæ vitæ novus homo, abjectis antiqui serpentis venenosis suggestionibus Deo, vinciatur et a peccatis justificetur. Progreditur deinde tanquam aurora consurgens ad ortum solis et, a frigoribus nivis transit ad calorem nimium, ut post Pascha pœnitentiæ celebret Pentecosten justitiæ. Ut enim Pascha cum lactucis agrestibus comeditur; sic Pentecoste tubis jubilationis illustratur. Redit quoque tunc omnis possessio ad Dominum, servus et ancilla liberantur, nullus alicujus laboris inquietudine vexatur, vox exactoris tollitur, vox sponsi et vox sponsæ, vox exsultationis et jubilationis in tabernaculis omnium sanctorum auditur. Hæc præclara solemnitas mentibus aptatur justificatis. Nam sicut contorquere caput suum et saccum et cinerem sternere pœnitentis est, sic justorum animæ est exsultare, gaudere et lætari. Emancipatus a Domino [*f.* dominio] peccati exsultat, restitutam adiens hæreditatem gaudet, pactum pacis cum lapidibus regionum et cum bestiis saltus habens lætatur.

Adhuc diligentius differentiam Paschæ et Pentecostes intuere. In sanguine, azymo pane, carnibus assatis igne, lactuca, baculo, renibus accinctis et pedibus calceatis, agitur Pascha et sanguine profecto, postes tinguntur, Agnus assatur, quod superest de carnibus Agni comburitur; cum lactucis caro Agni editur; baculus in manibus tenetur; renes balteis regum accinguntur, et pedes calceamentis novis induuntur. Quid autem hæc significant? In sanguine cordis contritio, in igne oris confessio, in azymo pane absque vana gloria bona operatio, in baculo inflexibilis propositi sollicitudo, in lactuca lacrymarum compunctio, in renibus accinctis libidinosorum motuum mortificatio, in pedibus calceatis sanctorum imitatio, vel finis sui assidua recordatio intelligitur. Hæc arma sunt pœnitentis, hæc instrumenta in clibano coquentis, hæc necessaria in victu Pascha celebrantis. Fit autem Pascha vespere videlicet cum homo recesserit a fervore concupiscentiæ; unde: *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes* (*Psal.* LII, 7). Sola namque est vera et

perfecta peccatorum conversio, qua excluditur malæ concupiscentiæ ardor, et quam devorans præcedentia mala sequitur fidelis confessio.

Inde etiam est quod quicunque de castris ob aliquod animæ contagium egreditur, non nisi ad vesperum, lotis vestibus ad eadem mundus regreditur. Non immerito igitur Pascha incipit vespere, quia tunc inchoatur salus animæ. Pentecostes vero clarescens habet tonitrua, fulgura, nubes densissimas, clangorem buccinæ, montis verticem fumigantem, Moysen loquentem et Dominum respondentem. In mane cognitio sui, in tonitruo sonus prædicationis, in fulgure increpatio malorum, in vocibus exhortatio bonorum, in lampadibus claritas miraculorum, in clangore buccinæ fortis prædicatio sanctorum, in fumo despectio sanctorum, vel excæcatio malorum, in nube densissima protegens humilitas, in Moyse loquente conscientia petens, in Domino respondente gratia adjuvans. His circumornatur splendoribus anima justi; his prætitulatur honoribus templum Spiritus sancti ubi oleum charitatis tanquam in sartagine fervet, ut sicut pœnitens Agni sanguine a sordibus mundatur, sic justus oleo Spiritus sancti a doloribus ungatur. Ecce Pascha pœnitentis, ecce Pentecoste justificati.

Sequitur deinde Scenophegia, quæ est feriæ tabernaculorum, in quibus lætandum non militandum est, die primo et die octavo, cum Filius *tradiderit regnum Deo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* xv, 14). Hæ feriæ tabernaculorum sunt a Domino, a decimo quinto die mensis septimi septem diebus. Dies primus vocatur celeberrimus atque sanctissimus. Dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus. Hæ sunt, inquit Dominus, feriæ quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino. Felix confinium, sed longum, primi, septimi et octavi diei. Primus dies est initium substantiæ Dei quæ est fides, septimus perfectio justitiæ, octavus inchoatio gloriæ. Prima dies propitiationis, septima sanctificationis, octava glorificationis. *Omnis qui de genere est Israel, habitabit in umbraculis* (*Lev.* xxiii, 42); bona umbracula alarum seraphim, cherubim etiam alas suas extendit et protegit: *gallina* nihilominus *congregat pullos suos sub alis* (*Matth.* xxiii, 37); et Dominus: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et* accipit eos *atque* portat *in humeris suis* (*Deut.* xxxii, 11). Obumbratio autem alarum Jesu æmulatio est virtutum ejus. Virtutum enim pennis, sive alis utitur Rex virtutum ad revolandum super astra cœli ad dexteram sedis magnitudinis Dei ut dicatur ei: *Sede a dextris meis* (*Psal.* cix, 1).

Qui igitur de genere Israel est, in umbra ista vivat inter gentes, donec ascendat ad populum accinctum nostrum. Feriandum est interim in tabernaculis, sed ab operis mortuis; primo die per fidem, septimo per operationem, ut sit fides sine errore, ut sint opera sine simulatione. Sit fides collyrium illuminans oculos; sint velut antidotum opera fidelia, ad vitam revocantia mortuos. Habitet Christus per fidem in nobis, et per opera justitiæ, *regnum Dei* sit *intra* nos (*Luc.* xvii, 21). Si enim intra te fuerit regnum sive gaudium Domini, in octavo eris; *erit* namque *mensis ex mense, Sabbatum ex Sabbato* (*Isa.* lxvi, 23), cum transierimus ex fide in fidem; cum revelata facie transferemur *a claritate* boni operis *in claritatem* (*II Cor.* iii, 18) divinæ remunerationis. *Melior est dies* ista *in atriis Domini super millia* (*Psal.* lxxxiii, 11), in qua exsultabimus et lætabimur, non *memores* per revelationem *uberum* (*Cant.* i, 4) sponsæ; sed cernentes per præsentem contemplationem vultum sponsi et sponsæ, non adhuc *per speculum in ænigmate*, sed *facie ad faciem*, quia evacuabitur quod ex parte est, consummabitur quod perfectum est, ubi ardet clibanus, sed dilectionis; ubi sartago, sed laudationis; ubi craticula, sed consummationis; ubi Pascha, sed in vita Agni; ubi Pentecostes, sed in tranquillitate et manifestatione consiliorum Dei; ubi feriæ tabernaculorum, sed in æterna possessione altissimi cœli; ubi umbracula, sed Dei; ubi non prima dies, sed una, non septima, sed sempiterna; ubi non octava, sed æterna.

Adhuc tamen aliquid specialiter dicendum de craticula; in superioribus enim continuavimus, vel etiam copulavimus clibanum, sartaginem et craticulam. Assignanda est itaque craticulæ proprietas, et quid mysterii contineat, explicandum. Zacharias propheta vidit *inter myrteta*, virum ascendentem *super equum rufum, et post eum* sequebantur *equi rufi, varii et albi* (*Zach.* i, 8). Mystice igitur vir qui ascendit super equum, Christus est qui corpus assumpsit humanum. Supersedit enim in corpore suo tanquam in equo Dominus, quia vallem nostram visibiliter non visitaret vel perambularet, nisi corpore assumpto, Deus. Aptavit autem Pater Verbo corpus non cujuslibet coloris vel habitudinis, sed quale Deum decuit, sed quale ad peragendum cursum necessarium fuit, sed quale nostra redemptio expostulavit. Inde namque est illud in Psalmo: *Corpus aptasti mihi, vel aures perfecisti mihi* (*Psal.* xxxix, 7; *Hebr.* x, 5); aptavit, inquam, equum equiti, ut nobilissimo corpori nobilior associaretur anima et super utrumque sederet divinitas. Forte equus iste idcirco rufus est, quia dignitatem sessoris non sine verecundia contuetur, et ita propter suam reverentiam rubore perfunditur. Imo equus iste rufus est, quia *factus in agonia prolixius orabat et factæ sunt guttæ ejus, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* xxii, 44).

Sed hoc parum forte. Vide et ubi prorsus non sparsim, sed toto corpore, *a planta pedis usque ad verticem* (*Deut.* xxviii, 35) sit rufus; *chlamidem coccineam* in passione sua *circumdederunt ei milites* (*Matth.* xxvii, 28), et hic rufus est. Clavis tandem affixus est et *latus lancea* apertum, unde *exivit sanguis et aqua* (*Joan.* xix, 34); ecce quomodo vermi-

culatus est, ecce quomodo rufus est equus noster, sicut et David juvenis *erat rufus et aspectu decorus* (*I Reg.* XVI, 2). Joannes vero evangelista, alias hunc eumdem equum vidit album, utique sub alio sacramento, videlicet, quia Agnus sine macula peccati erat, et ut diceretur ei in Canticis : qui sedebat super equum, totum quidem album propter immunitatem culpæ, sed et rufum propter afflictionem pœnæ : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V, 10); et in Evangelio : *Exivit Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum*, et ait : *Ecce homo* (*Joan.* XIX, 5). Sequebantur autem hunc *equi rufi, varii et albi*. Rufi sunt martyres, *semper mortificationem in corpore* suo *pro nomine Jesu* (*II Cor.* IV, 10), usque ad finem sustinentes; albi, confessores, semper in pace Ecclesiæ virtutibus et doctrina florentes ; varii qui aliquando cruciabantur, aliquando relaxabantur, nec continue persecutionem patiebantur, nec assidua pace utebantur.

Horum vita sive passio, craticulæ non immerito comparatur. Est enim craticula instrumentum habens velut quasdam costas, et inter ipsas, quasdam aperturas per quas vapor ignis penetret in interiora ejus quod desuper extenditur. Assatur enim quodcunque superponitur, et forte non solum panes, sed et carnes assi agni, assantur hic. De carnibus namque agni, nec crudum quid, ut Judæi, nec coctum aqua, ut philosophi, sed ut veri Catholici faciunt, assum tantum igni, edere licitum est. Revera mansuetus Agnus ille in quo *beneplacitum est Deo habitare in eo* (*Psal.* LXVII, 17), *super quem* vidit Joannes, *Spiritum descendentem et manentem super eum* (*Joan.* I, 33), ab omni contagione peccati immunis, carnes suas in craticula assavit, quia cum voluit, tetigit eum ignis persecutionum, et cum voluit, prohibuit ne accederet ad eum *flagellum*, sive laqueus pœnalis venantium. Potestatem enim habebat ponere animam suam, et iterum sumere eam (*Joan.* XVI). Quare enim cum vellent eum tenere, *nemo in eum misit manus* (*Joan.* VII, 44); et cum auditur : *Ego sum : ceciderunt retrorsum* (*Joan.* XVIII, 6), nisi quia ibi non erat apertura potestatis humanæ, Deo permittente, qua penetraret vis penetrabilis ignis, usque ad carnes Agni? Alias vero, et *lapides tulerunt in eum* (*Joan.* VIII, 59), et comprehenderunt, et crucifixerunt : ubi scilicet apertura patuit in craticula, divina permissione. Hic, *panis qui de cœlo descendit* (*Joan.* VI, 33), decoquitur, et caro Agni sive piscis qui de mare ascendit, duræ passionis ignibus assatur. Mortificantes igitur carnem pro Christo, ne deficiant, reficiuntur hoc cibo. Lenit enim dolores patientis Christiani assidua recordatio in cruce pendentis. Telum a corde excutit impatientiæ, dulcis memoria incrassatæ orationis perfusæ de pinguedine gratiæ et de virtute patientiæ. *Pater*, inquiens, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Sanat omnes amaritudines mentis, favus distillans de labiis olei; sanguis defluens de venis misericordiæ venena exstinguit malitiæ et nequitiæ. Fauces delectatione, venter satietate, ossa medullis, nervi robore replentur, cum de craticula panis tota fide assumitur.

CAPUT XXIV.

De pane inuncto oleo.

Spiritus noster triplici vexatus hactenus labore, clibano videlicet internæ tentationis, sartagine acerrimæ persecutionis, et craticula quotidianæ mortificationis : totus lassus, aridus et extenuatus pane inuncto refici, inungi et impinguari, totis suspiriis non immerito inhelat. Contritis enim corde medetur, sanat omnes animi contritiones, et confovet quantumlibet anxietatum passiones. Igitur si de torrente hiemalium inundationum, clibano scilicet, sartagine vel craticula, laborando in via hujus nostræ peregrinationis, gustavimus : quid nisi unctum panem remunerationis in patria, ab eo qui vivificabit mortalia pectora nostra, exspectamus? Qui enim in exsilio legem dedit evangelicam pro fide patiendi, dabit in cœlo benedictionem angelicam cum Christo regnandi, ut *secundum multitudinem dolorum* (*Psal.* XCIII, 19), æquo modio justoque sextario appendatur in statera, justa retributio bonorum. Congrue proinde, sartaginis frixura, ubi viscerum arvina effluxerat in pœnis, recompensatur pane uncto redemptionis quo immortaliter nostra vivet anima : et craticula in qua usque ad mortem substitit, pane consperso æternæ glorificationis; passibilitas enim impassibilitate, mortalitas commutatur immortalitate. Separatim proinde apponendus est panis uterque, quia esurientium viscera unusquisque replere sufficit in die suo.

Et alius quidem est panis unctus, alius conspersus; non tamen usquequaque diversus. Nam unus quidem est Christus, propter conjunctionem duarum naturarum in unitate ejusdem personæ; sed duo in eo considerantur secundum mutuam distributionem in eadem persona singularum proprietatum. Similiter una caro sunt sponsus et sponsa; sed tamen alius sponsus et alia sponsa : sicut, aliud caput et aliud corpus, et tamen una est persona, caput et corpus. Unus itaque est Christus, *Verbum caro* de Virgine *factum* (*Joan.* I, 14), cum Sponsa sua universali Ecclesia cunctorum fidelium. Sed tamen aliquando sigillatim, de Christo capite : aliquando conjunctim, de Christo capite, et corpore tractantes agimus. Assignamus namque ipsi capiti aliquando quod soli attribuendum est corpori; et aliquando corpori ascribimus quod nisi capitis participatione veraciter ei attribuendum non intelligitur. Cum igitur de Christo dicatur, quia ipse est *panis qui de cœlo descendit*, *quem Pater signavit et misit in mundum* (*Joan.* VI, 33), de capite intelligendum est. Cum vero aliter, ubi appellatur Ecclesia quæ est Sponsa, vel panis conspersus, vel panis similagineus, specialius hoc propter Sponsi sui conjunctionem, non propter suam dignitatem dicitur ; habet enim Ecclesia potius refici a Deo, quam se

reficere propria virtute. Sed jam redeamus ad panes, sive unctum sive conspersum.

Panis itaque inunctus, est Jesus quem Spiritus Domini inunxit et sponsum Ecclesiæ constituit; panis vero conspersus, Sponsa quæ una est cum Sponso, et hoc ipsum habet a Sponso, in cujus desponsatione sacro conspersa est chrismate. Sequestrato itaque pane conspersо non fide credendi; sed ratione tractandi, et in alium diem reservato : juvante gratia videamus nunc de pane inuncto. Primo tamen considerandum est quod profunditatem mysterii, tam in conceptione quam in nativitate mirabilis facta est hæc unctio supra nos, confortata quoque est super angelos clarificatione resurrectionis, nec possumus ad eam, quandiu habitamus domos luteas et terrenum incolimus sensum, præ ascensione ad dexteram Patris in excelsis. Quis enim cognoscit unguentum bonitatis Domini, in consilio disponentis se incarnari; aut quis in conficiendo ipsam assumptionem nostram consiliarius ei fuit, aut quis in redemptione humani generis, pigmentarias species salvationis nostræ dedit illi? Ex odore quidem hujus unguenti repleta est, et Ecclesia quæ in terris peregrinatur, et sequitur Sponsum in odore hujus unguenti, et ipsa aula cœli, quia in initio viarum Dei, cum diceretur : *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen.* I, 3), genere sublimiori, bonitate excellentiori, usu et munere propensiori ditata est creatura cœlestis, id est angelico divinæ cognitionis dono, et in ipsa nostra reparatione restaurata pleno numero.

Aliter porro ungitur vel utitur deliciis paradisi Dei ipse filius olei, sed qualiter, non est nosse alicujus, præter te, Domine, cujus *nomen oleum effusum* (*Cant.* I, 3), et de cujus cornu, id est humanitate glorificata, supereffluunt impetu redundanti, ad homines, emissiones gratiarum. Totum siquidem cornu olei, id est gratiæ plenitudo, funditur in capite Filii hominis, quia benedictio Domini effusa est super caput justi justificantis omnes justificatos totaliter et originaliter non particulariter. Totum, inquam, ei infunditur unguentum, cui *non ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Rom.* XII, 3). Tingit præterea etiam pedem suum in oleo, quia usque ad oram vestimenti, scilicet ultimi fidelis, exundat infusio gratiæ distillantis de monte sancto. Sic enim benedicit pusillos cum magnis; a capite namque defluit, sed non deficit oleum, fons enim insiccabilis, quem nec ventus dæmonum, nec intemperantia hominum a sæculo et usque in sæculum absorbere potest : *Misericordia enim ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum* (*Psal.* CII, 17). Derivatur hoc oleum per semitas justitiæ, quia nulli digno negatur, nulli indigno salubriter datur. Hoc oleum *potabunt omnes bestiæ agri* cui benedixit Dominus, sed *exspectant onagri in siti sua* (*Psal.* CIII, 11). Mirabiliter hoc oleum, et potat et pascit, et ungit. Potat sitientes, esurientes pascit, ungit agonizantes. Potentes potenter pascit, debiles misericorditer potat, delicatos et in croceis nutritos ungit. Operantes pascit, desiderantes potat : præ amore languentes et in semetipsis deficientes ungit. Pascit decertantes in sartagine, potat desudantes in clibano, ungit defixos in craticula. Martyres denique ligno vitæ pascit; confessores potat fonte scientiæ, virgines ungit privilegio castitatis et gloriæ singularitate.

Ita non simplex gratia olei, sed multiplex. Una quidem causa, sed effectus multiplex, sicut unus Spiritus, sed multæ gratiæ. Jesu soli, tota simul gratia adfuit, et tota gratia, Jesus totus, infinite affluit. Totus unctus, quia totus sanctus; totus unctus, quia totus desiderabilis, totus unctus, quia Spiritu sancto totus plenus : *Vidimus* enim *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 14). Hunc Joannes Baptista tingit aqua, hunc Deus Pater unxit Spiritu sancto; a Deo enim non ab homine accepit oleum deitatis; ab homine vero, aquam humanitatis. Oleum miraculorum a Patre; aquam passionum recepit ab homine; oleum suavitatis, a summitate cœlorum; aquam doloris, a natura hominum. Ab inferioribus quoque tingitur aqua Jesus, si in eum homines vel tenuiter crediderint; a superioribus ungitur oleo, si fidem suam sublimi devotione, sancti consecraverint. Invenitur præterea penes Patrem unicum, unguentum mirabile et incomparabile, redolens super omnia aromata, collectum, non de montibus aromatum, sed de primis virtutibus supercœlestium mansionum. Sentit quidem supra se nec usurpare præsumit ad ungendum se hoc unguento, omnis ordo supernarum virtutum. Satis namque beatificos se reputant illi cœlestes spiritus, si vel odorem senserint, cujus unctionem non sibi, sed proprio Patris Filio paratam et debitam recognoscunt.

Fur et latro diabolus porrexit manum ad hoc unguentum, sed leprosam retraxit, sed aridam, sed contractam, unguentum enim hoc, *in ruinam et in resurrectionem multorum est* (*Luc.* II, 34). Præsumentium et superborum ruina est, humilium et contritorum resurrectio : *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI, 2.) Fervet et bullit, sicut acetum in nitro Spiritus, rumpendo et concremando utrem veterem, si ad malivolam descenderit animam; requiescit et ungit, si ad simplicem et castam. Si portionem quæ sibi competebat, Lucifer moderate exposceret, et non totam unguenti substantiam tanquam musca moriens, rapina usurparet, forte adhuc in odore ejus cum sodalibus Sponsi feliciter viveret. Usibus sapientiæ suæ, Pater, hoc unguentum æternaliter destinavit, et, ut singulariter præ omnibus consortibus suis confrueretur ordinavit. *Filius*, inquit, *meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Hoc æternæ et singularis generationis unguentum adorat, non tangat creatura : *qui* enim *tetigerit, lapidibus obruetur; manus non tanget eum* (*Exod.* XX, 13), quia tangere vo-

funt, quod tangere non licet manum discussionis humanæ. Sed, si quæritur quis unxerit panem istum inunctum, unde unxerit, et quomodo unxerit, docet Psalmista, loquitur Isaias, Petrus apostolus demonstrat. *Unxit te*, inquit Psalmista, *Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Isaias vero ait : *Requiescet super eum Spiritus Dei, Spiritus sapientiæ*, etc. (*Isa.* XI, 2). Petrus quoque in Actibus apostolorum : *Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto* (*Act* X, 38). Et hæc est unctio qua Pater unxit Filium.

Mirabilis hæc unctio Patris, quia Filium suum unigenitum unguento unico unxit! Pretiosum revera hoc unguentum, quod nulla fuit creatura idonea ex creatione suscipere; nulla ex meritis emere. Quidquid namque creatum est, sive in cœlo, sive in terra, sive corporale, non sic diligit Patrem quomodo Filius, nec sic a Patre diligitur. Unice enim et indifferenter ad se recurrit amor Patris et Filii, cum toto se Pater qui amor est, diligat Filium et Filius toto se, qui nihilominus amor est, diligat Patrem : nec minus Filius diligit Patrem quam Pater Filium, quia Filius in nullo minor est Patre. Quod si quæris quomodo ungat Filium Pater, et Filius non ungat Patrem, si dilectio est ipsa unctio, et Filius sic amat Patrem, quomodo Filium Pater? Respondeo, quia Filius a Patre est, non autem Pater a Filio, vel quia Pater genuit Filium, non autem Filius Patrem. Sic namque alius est qui ungit et alius qui ungitur, quia alius est Pater, alius Filius; sed eadem unctio est qua ungitur Pater et qua ungitur Filius, quia idem Spiritus sanctus sicut a Patre procedit, similiter et a Filio. Unxit et istum quæ *erat in civitate peccatrix* (*Luc.* VII, 37), unxit namque pedes, unxit caput. Grata certe Deo est unctio, a peccatis conversio, hæc pedes; multo autem acceptabilior ad virtutes progressio; ista caput. Frange esurienti panem tuum, et egenos et vagos induc in domum tuam, unguento unxisti pedes Jesu. Da eleemosynam, *non ex tristitia aut ex necessitate*, sed ex multa hilaritate, et effudisti unguentum super caput. Pane ergo inuncto reficitur, qui in hilaritate miseretur.

CAPUT XXV.

De pane consperso.

Sicut capiti corpus, et Sponsa Sponso conjungitur; sic panis conspersus, post panem inunctum non immerito sequitur. Ut enim Jesus in pane uncto, sic Ecclesia in sanguine Christi lota, in pane conspersa significatur. Quanquam igitur dulces cibos ab ipsa manu Verbi jam non capiamus, tamen Ecclesiæ charismata tanquam frusta panis aspersi, cum omni aviditate sumamus. Et quia non semper nobiscum præsentia visibili adest panis ille inunctus, qui exivit a Patre et venit in mundum : iterum enim relinquens mundum rediit ad Patrem; saltem panem conspersum, tanquam quotidianum, non cum fastidio propter assiduitatem, sed cum desiderio, propter nutritivam animarum nostrarum virtutem edamus. Hic enim panis de adipe et pinguedine panis uncti conspergitur, quia, ut ait ille qui de pectore ejus buccellam panis oleati gustavit : *Omnes de plenitudine ejus accepimus et gratiam pro gratia* (*Joan.* I, 16). Pro gratia, videlicet unctionis in capite, *gratiam* conspersionis in corpore; *pro gratia*, non ad mensuram data, *gratiam* ad mensuram acceptam. Sicut enim in populo priori, eodem oleo ungebatur summus pontifex, sed largiori infusione, et inferiores sacerdotes, sed rariori aspersione; sic in Novo Testamento, Christiani, eodem Spiritu regenerantur quo caput suum de intemerata Virgine concipitur et nascitur; quanquam dissimili proportione et operatione. In Jesu Christo namque mensura bona, et conferta, et superagitata, velut fons plenus plenis gurgitibus oleum gratiæ Spiritus sanctus superinfudit, ut ipse membris, imo compauperibus suis refluerat eamdem gratiam quam sine præcedenti merito acceperat homo; vel potius pro voluntate erogaret, tanquam Deus. Nequaquam autem minuitur ei gratia sua ex largitione, sed semper crescit in effusione.

Aliter vero hi qui ab eo nomine derivato Christiani cognominati sunt. Nam pro capacitate et virtute sua, de fonte benedictionis gratiarum rivulos sumunt, largientis pietate, non præsumunt ex arbitrii sui potestate, ut ab uncto conspergantur, vel potius ab Unigenito intingantur. Unde Isaias : *Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum* (*Isa.* LII, 15). Ubi tanquam edocet propheta Christum, Ecclesiam de gentibus aspersisse. Sed, cum multiplex sit aspersio, non expressit, qua aspersione. Est enim alia aspersio aquæ, alia sanguinis, alia cineris, alia hyssopi, alia denique aspersio olei. Aspersio aquæ in baptismate celebratur, aspersio sanguinis in passione, aspersio olei in chrismatis confirmatione. Unam quidem salutem operantur diversæ aspersiones, sed ex diversis affectuum meritis, diversas præparant fidelibus mansiones in perpetuas æternitates. Ecce enim Ninivitæ asperguntur, sed cinere, ut quasi opposito scuto, iræ Dei vindicta ejus aut compescatur placata, aut mitigetur indulgentius exercenda. Ecce velum quoque templi aspergitur sanguine, ut paterna commotio moveatur magis ad parcendum quam ad puniendum, dum videt vestimentum carnis Filii sui rubricatum aspersione proprii sanguinis, vel crudelitate Judaici populi, cujus vox est : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25). Ecce tam sacerdotes in consecratione sua quam altare in dedicatione; panes quoque quidam in oblatione oleo asperguntur, quatenus sacerdotes quidem, et imitatione Christi sanctificentur, et participatione potestatis sublimentur; altare vero quanquam insensibile, divinissimis sacramentis ratione consecrationis visibilis aptetur; panes denique, ad configurandos illos panes qui in verum corpus et sanguinem Christi convertuntur, divinitus apponantur.

Ecce populus Christianus suscepit aspersionem aquæ sanctificatæ per invocationem sacerdotalem et

summi nominis adjurationem, ut sumpta virtute illius aquæ quæ de templo ejus egrediebatur *a latere dextro* (*Ezech.* XLVII, 2), demergat tam originale peccatum, tanquam Pharaonem, quam omne delictum velut Ægyptium insequentem. Præterea templum vel etiam altare, ad hoc figuraliter in dedicatione hyssopo aspergitur, ut qui membra corporis sui, caste vivendo templum Dei sanctum dedicare voluerit, hoc in se sentiendo quod in Christo Jesu, humilitate resarciat damnum superbiæ, et defluat tumor culpæ per correptionem justitiæ. Sed ad quid hæc omnia? Ut Sponsa his aspersionibus totam se abluat, ut sit munda per aquam, ut sit sancta per sanguinem, ut sit placens per cinerem, ut sit sana per hyssopum, ut sit devota per oleum. Cum enim peccatorum suorum formidine commota fuerit anima, adhuc peccatrix et denigrata a sole tentationum et spiritualium nequitiarum, aspergit caput cinere mortificationis, *cinerem tanquam panem* (*Psal.* CI, 10), manducans, ut sic in fine pœnitens delectetur in afflictione, quomodo effluxerat aliquando male vivendo in concupiscentia carnis et superbia vitæ. Accepit itaque contra concupiscentiam carnis, cinerem in ore; contra concupiscentiam oculorum, cinerem in ventre; contra superbiam vitæ, cinerem in capite : in ore ut confiteatur peccatum manifeste, in ventre ut convertatur vehementer in corde, in capite ut humilietur usquequaque. Hoc erit efficax remedium cum aliquis peccator excussus sicut locusta, vel sicut ligna silvarum quæ moventur a facie venti, *A timore Domini conceperit, et pepererit Spiritum salutis.* (*Isa.* XXVI, 18). Hic namque dicitur : *Noli timere a duabus caudis titionum fumigantium istorum* (*Isa.* VII, 4), quia taliter pœnitens et peccata sua consumens neque præsentialiter anathemate, neque æternaliter gehenna condemnabitur. Et hoc, de aspersione cineris.

Quod si lepra luxuriæ, animam tentatione, vel carnem delectatione commaculaverit, Elisæus propheta, de fontibus Salvatoris locum lepræ jubet perfundi aqua, ut misericordia et miserationibus Domini, lepra depellatur; et non solum caro renovata sicut caro pueri parvuli, cujus nomen est Emmanuel, restituatur; sed etiam anima Christi rediens ab inferis illustretur. Et hoc de aspersione aquæ. Quod si animam pertransierit gladius tentationis, et pede moto, jam in inferno malæ consuetudinis sepulta fuerit, non liberabitur, nisi aspersione sanguinis, de costa in cruce dormientis. Petiit purpuratus evangelicus ardens, in pœnis gehennalibus, guttam aquæ quærens cum dixit : *Pater Abraham, mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam* (*Luc.* XVI, 24); sed parum petiit, et ideo forte non impetravit; parum, inquam, petiit, quia non in aqua, sed in sanguine, flamma infernalis exstinguitur. Non enim levi et momentanea compunctione gravis culpa detergitur, sed eo usque penetrare debet vis doloris, quousque accessit iniquitatis. Plenam itaque manum sanguine Redemptoris, non extremum digitum in aqua tinctum exposcat conscientia de gravibus confitentis. Nec alterius tamen, sed proprio digito velit movere et amovere pœnam, quam male animum movendo, sibi admovit. Lavet *manus* suas non in *sanguine peccatoris*, sed in morte Redemptoris. Tingat digitum in locum clavorum, et mittat manum suam in latus Salvatoris, ut sicut animam suam pro nobis posuit moriendo et redimendo nos a morte ipse Dominus, sic iste conscientiam suam pro se exponat confitendo et pœnitendo.

Quod si causaris sanguinis copiam deesse, et ideo digitum non posse tingere, attende oculis fidei quia ecce Agnus anniculus, ecce vitulus saginatus jugulatur, et occiditur. Effusa est copiosa redemptio, decurrit sanguis per crepidinem crucis et per omnia cornua altaris. Tinge igitur, tinge digitum, et asperge *septies contra velum* (*Lev.* IV, 17), sanctuarii, ut sit tibi clavis reserationis cœli, sanguis passionis Domini. Non obfirmabunt valvas suas cœli, cum viderint sanguinem ad se levari de visceribus Christi. Aperiuntur denique portæ paradisi, ut ad ipsum sanctificetur meliori et puriori sanctificatione, quam in creatione mundi, ne deinceps admittat prævaricatorem cum sustinuit Satanæ transgressionem. *Tollite portas, principes, vestras* (*Psal.* XXIII, 7), quia nobiscum deferimus claves non manu factas. Revolvatur velum, appareat propitiatorium, deponat alas seraphim, stent et submittant alas suas omnia quæ moventur in astris, quia vox sanguinis Christi melius loquitur quam Abel (*Gen.* VIII) et est, *vox tonitrui in rota* (*Psal.* LXXVI, 19). Ecce agnoscit milvus in cœlo tempus suum, ciconia et hirundo, ut præparent nidum, et angeli non recognoscunt Dominum suum, pretium nostrum, ut faciant locum? O quanta reverentia reveretur, imo cedit velum angelicarum virtutum, digito Agni sanguine madefacto! imo procumbens tremit in occursum cruoris viscerum Dei et Creatoris sui. Festinant reserare clausa, petita præstare; nondum intellecta accumulare. Allambunt digitum, osculantur et designant omni benedictione plenum et Patris contuitu dignum.

Intinge itaque non tantum digitum, sed cum Petro, et pedem et caput, o anima, ut pes affectionis et digitus operationis, et caput intentionis intinctum hoc sanguine passionis Christi : digitus operetur justitiam, pes currat ad gloriam, et caput videat majestatem glorificam. Pes enim tuus et digitus tuus si intingantur imo immergantur in sanguine, amando et operando justitiam usque ad sanguinis effusionem; non videbis æternam corruptionem. Deo enim consecratur quidquid sanguine Agni vel vituli aspergitur. Vitam et sanctificationem confert sanguis, quia omnis *anima*, id est vita, *in sanguine Christi est*. Tolle sanguinem et recedit anima. Si negas mortem Christi, necatur vita Christiani.

Hunc sanguinem condemnaverunt, qui *pretium* nostrum *repellere cogitaverunt* (*Psal.* LXI, 5); hæc de aspersione sanguinis. Quod si multum est ad te et supra facultates animæ tuæ, sanguis Agni : quære saltem hyssopum herbam, humilem, nec ad inveniendum difficilem : *Descende, sede in pulvere, filia Babylonis, quia non est solium filiæ Chaldæorum* (*Isa.* XLVII, 1). Tulerat te Deus de stercore corruptionis humanæ, laverat te, vestierat te, et in regnum proferas, sed discooperuisti lectum tuum, sed adulterum super maritum induxisti, sed virum pubertatis tuæ contempsisti, sed lanam et linum alienis vendidisti, et tamen post omnes abominationes istas, post tergum manet pietas et indulgentia maritalis, ut ad virum priorem revertaris. Vult autem ut hyssopo propter fornicationes innumeras idolorum, seu phantasmatum cordis tui, aspergaris, et ita super nivem dealbata, ad thronum [*f.* torum] maritalem recipiaris : *Cor* enim *contritum et humiliatum Deus non* spernit (*Psal.* I, 19). Exterius quidem hyssopo aspergaris, interius autem vino inebrieris. Hæc de aspersione hyssopi.

Sequitur aspersio olei, quo magis rara, eo magis cara est. Præ omnibus enim aliis; oleum suavius, penetrabilius et mollius est. Et sciendum quia iste panis aspersus de quo nunc agimus, non sanguine, non cinere, non hyssopo, non aqua, sed tantum oleo conspergitur, quia in eo, non incipientium, sed perfectorum vita describitur. Igitur anima bene progrediens a minoribus ad majora, ab inferioribus ad superiora, a cinere incipit, et in oleo justificationem suam perficit. A cinere namque incipit, cum se in cinerem et pulverem ab æternitatis immarcescibilitate per peccati prævaricationem redactum genuit [*f.* gemit]. Inde procedit ad lacrymas, si forte de pulvere mortalitatis reformari posset, vel saltem ad limum alicujus tenacitatis. In eo, melior limus quam pulvis, quia vaga levitate et dissolutione vana non circumfertur *omni vento* (*Ephes.* IV, 14), sicut pulvis, sed conglutinatur et coacervatur ad unitatem in pondere humoris. Habet itaque pondus, quo erat sine pondere; habet unanimitatem, quod carebat unitate, est etiam molle, quod erat siccum et absque humore. Potest exinde jam aliquid formari : cum prius ex pulvere nihil aliud nisi oculus posset cæcari. Jam igitur disciplinam apprehendit, jam præcepta suscipit, jam ad omnem obedientiam, per profectum conjunctionis, jugum submittere novit, deinde usu et consuetudine, aqua ista vertitur in sanguinem; non tamen Ægypti, sed Christi, ut jam promptus sit homo non lacrymam, sed animam, non undam sed vitam, si sit necesse pro Christo vel fratribus ponere. Sed ne non ex humilitate, sed ex præsumptione ad passionem prosiliat, fortissimæ et supra petram fundatæ humilitatis hyssopus sequitur; ut non solum usque ad mortem, sed usque ad mortem crucis, jure hæc pertingat. Jam ad ultimum sequitur oleum exsultationis, ut videlicet non jam humiliter, non fortiter tantum; sed libenter et exsultanter in adipe et pinguedine, hostia Christi in carbonibus passionum non aduratur, sed decoquatur, non lugeat, sed rideat; non patiatur tormentum, sed regno potiatur. Hoc aspersi oleo apostoli et martyres, quasi ad epulas currunt. Et hæc de aspersione olei.

CAPUT XXVI.

De pane frigido.

Non uniformiter unius diei unicam gratiæ dulcedinem omnes degustant, sed secundum meritorum suorum capacitatem et affectuum aptitudinem, unusquisque de invisibili verbo Dei, portionem sibi congruam accipit. Sic enim manna quod de cœlo descendit, variatur in ore edentium, pro varietate desideriorum. Aliter enim in ore incipientium, aliter in ore perfectorum, aliter in ore esurientium, atque aliter in ore jam saturatorum, aliter in ore lugentium, atque aliter in ore lætantium, aliter in ore servorum, aliter in ore filiorum, aliter in ore mercenariorum, aliter denique sapit panis fermentatus, aliter azymus, aliter panes primitiarum, aliter panes propositionum, aliter similagineus, aliter hordeaceus, aliter communis, aliter sanctificatus, aliter coctus in clibano, aliter in sartagine, aliter in craticula, aliter unctus oleo, aliter conspersus, aliter durus, aliter calidus. Utcunque autem balbutiendo potuimus, explicavimus cujusmodi sint saporis omnes isti panes, præter frigidum et calidum, de quibus nondum tractavimus. Non autem irrationabiliter in finem convivii, hos reservamus, et post panem conspersum in oleo collocavimus, quia dura restant nobis semper certamina, licet mentem nostram perfuderit gratia. Unde Moyses cum benediceret Aser dicens : *Tingat pedem suum in oleo*, subjunxit : *Ferrum et æs calceamentum ejus* (*Deut.* XXXIII, 25). Animadverte pedem tinctione madefactum, molliorem et teneriorem effici.

Commodius itaque calceamentis uteretur mollioribus quam ferreis, nisi per sacramentum, subintelligeretur spiritale mysterium. Quid igitur per pedem intinctum in oleo, nisi mens inspirata Spiritu sancto? Et quid per calceamentum ferreum et æreum, nisi laboriosum iter per præsens sæculum ad cœlum? Plane tanquam calceamento, quotidie conteritur pes viam hujus sæculi perambulantis, et nisi relevaretur perfusione olei, prorsus conquassaretur asperitate calceamenti. Ut itaque, cursu celeriori, et præsentia contemnantur, et futura ambitiosius appetantur, gratiarum dulcedini admiscetur interim amaritudo hujus exsilii; quatenus, tam superna irrigatio incitet, quam infirma exacerbatio compellat animum nostrum, ad Deum. Duplex enim incendium repatriandi, est desiderium paterni solii, et tædium hujus exsilii. Admonet hoc redire, cogit illud exire. Emollit animum desiderium, ut confluat ad Deum liber factus : exasperat tædium, ut fugiat hinc amaricatus. Sic educuntur et reducuntur animalia Dei, ut egrediantur et pascua inveniant, non solum in sibilo attrectata, sed etiam

in flagello verberata. Interdum itaque prævalet suspirium æternæ jucunditatis, interdum ardentius movet ærumna præsentis calamitatis. Hac consideratione, modo duro et frigido pane vescuntur; modo uncto vel consperso; ne, si semper unctus apponeretur, securi redderemur, vel, si semper frigidus, desperati et tepidi.

Hæc autem commutatio; fit nobis aliquando ad correptionem, semper vero ad utilitatem. Cum enim illustratur anima spiritali benedictione ad diligendum Deum, pane uncto vel asperso utitur, cum vero propriis compungitur aculeis ad fugiendum mundum, pane frigido et duro. Utrumque vero contingit, alterum ex dono cœlesti, alterum ex merito hominis. Nam, sicut nonnunquam gratia ex operibus, alicujus mentem præveniendo ungit in exsultatione futuri præmii, sic, ex sua bonitate, Deus quandocunque hominem immeritum, tam ad meritum quam ad præmium, clementer excitat. Sed quale vel ad quid est meritum nostrum? Sine dubio, meritum nostrum per se tam malum est, ut a Deo merito deseramur, tam pessimum, ut non immerito condemnemur. Ex dono autem Dei, fit bonum per prævenientem gratiam; fit melius per cooperantem, ut ex Deo sit panis unctus ex homine, panis durus in mensa deferatur, ut Deo attribuas unctionem illuminationis, tibi peccatori duritiam excæcationis. De cœlo suo profundit Deus tibi lucem, et tu de abysso tua propinas tibi immensam confusionem. A Deo tibi bonum, a te tibi malum est; a Deo tibi unguentum sanitatis a te tibi venefícium mortis.

Illud igitur omnimodo a te suscipiendum, hoc non usquequaque respuendum. Nam donum Dei indifferenter ubique semper, et ab omnibus suscipiendum, malum vero nostrum, quod est pœna non quod malitia, a Dei justitia illatum patienter est sufferendum. Nimirum in Jesu capite nostro, hanc vicissitudinem miraculorum et passionum, tota Evangelii series narrationibus verissimis intermiscet, ut citharœdi evangelici, modo sonum grossiorem et obscuriorem in cithara corporis Jesu asserendo tribulationum contumelias inferant, modo fulgurationes divinorum operum et sermonum repræsentando subtiliorem et acutiorem insonent. Inde quoque est quod quidam Psalmi intitulantur sic : *Psalmus Cantici*, alii, *Canticum Psalmi*. Inde rursum est quod aliquando præcurrunt passiones Jesu, ipsam ejus glorificationem, aliquando sequuntur. Præcurrunt, ut ipse Dominus post resurrectionem ait apostolis : *Oportebat Christum pati, et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* XXIV, 20); Et Apostolus : *Christus*, inquit, *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum*, etc. (*Philipp.* II, 8.) Hinc etiam Petrus apostolus *posteriores* appellat *glorias* resurrectionem et ascensionem, quæ sequuntur passionem et crucem. Sequuntur autem glorificationes, ejus passiones, ut cum angelus apparet sive stella, in gloriam pueri, ac deinde fugit in Ægyptum sævitiam Herodis, et plura his similia inveniuntur, quando præcedunt opera divinitatis, et sequuntur passiones humanitatis. Unde est illud : *Post gloriam misit me ad gentes*, quasi dicat, prius facio miracula, ut sciant gentes me esse *Verbum* quod *erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1), et post, passione consumor, ut nihilominus firma sit et vera fides Christianorum, quæ credit Verbum carnem factum.

In miraculis enim unde venerim; in passionibus adverti potest ad quid venerim. Unus tamen idemque Christus, et qui patitur, quia homo passibilis; et qui non patitur, quia Deus impassibilis. Quando autem Deus dicitur passibilis, non hoc dicitur secundum naturam Verbi assumentis, sed secundum passibilitatem assumptæ carnis. Potes autem sine injuria Dei, tollere quod tuum est, pœnam videlicet peccati; non vero quod Dei est, sine Deo præsumendum est, gloria scilicet regni. In laboribus itaque Dei intraveris, non glorieris quasi de labore tuo factum sit, sed sufficientiam præsentis necessitatis accipe humiliter, salutem tuam ei resignando; extra nihil efferas, de libero arbitrio præsumendo. Nam pes liberi arbitrii, sine pede gratiæ Dei, nec stare, nec ambulare aliquando potuit vel poterit. Extra enim, cum pes superbiæ, vel liberi arbitrii sese efferre tentavit, collisus vix multis remediis sanari potuit ulterius. Attende sponsi ventrem ubique distinctum saphiris (*Cant.* V, 14), ut modo cœlestia operetur, modo humana patiatur. Ne mireris pro eo sumere contumeliæ absynthium, si prælibasti gloriæ oleum, nam de tuæ naturæ hortulis, colligitur in fasciculis, tam myrrha quam absynthium; in areolis divinis, non nisi oleum et balsamum. Amara et dura sunt quæ tu seminas, dulcia et mollia quæ Deus. Quid autem mirum si quæ seminavit homo comedendo vetitum, *hæc et metat* (*Gal.* VI, 8) eundo in interitum? Sic certe interfectores Christi, a gratia deserti, sanguinem ejus seminaverunt, imo sparserunt super capita sua dicentes : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*. Ecce quomodo isti seminatores pessimi, non faciunt fructum nativitatis (*Psal.* CVI, 37) obediendo, sed perditionis et captivitatis occidendo, quare cibati sunt isti et strangulati a Vespasiano et Tito, ex hac messe et in farina collecto pane simul frigido interemptionis, et duro perpetuæ devastationis.

Est et alius modus quo membra Christi cibantur frigido et duro pane, nam sive a Satana colaphizentur stimulis carnis, sive in torculari pressurarum sæcularium affligantur tribulationibus variis, pane duro et frigido reficiuntur. Hinc Jacob diutina lassatus peregrinatione, lapidem quieturus capiti supposuit, et mane surgens visionisque mysteria intelligens eumdem lapidem inunxit. Lapis namque cum quiescere volumus in via hac qua ambulamus ad domum æternitatis, frequenter occurrit, cum in

ipsa quiete nostra, plena molestiarum et sollicitudinum conscientia, sua duritia qualemcunque lassitudinem animæ excipit. Sed mane eumdem lapidem inungimus, cum spem ad mercedes sanctorum, quæ pro laboribus hujus noctis recompensabuntur attollimus; spes enim perventionis levigat dispendia itineris. Amor quoque semper quiescendi, levi volatu perfert quodcunque infortunium, cito finiendæ peregrinationis. Hoc unguento vulnera sua ungit Paulus lapidatus, hoc flagellorum lacerationes, hoc multimodas passiones tanquam lapidem supposuerat, totum enim se morti exposuerat. In hac vero duritia passionum suarum amplius reficiebatur quam afficiebatur, ut eo magis spiritus ejus roboraretur, quo durius premeretur. *Virtus* enim, ut ipse testatur, *in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII, 9). Non respuit igitur panem quantumlibet durum, qui nullum formidat laborem quantumlibet asperum. Dentes habet exercitatos ad frangendum, non solum panem durum, sed et lapideum et ferreum; non enim tantum carnis et sanguinis novit subigere infestationes, verum etiam hujus aeris principatus et potestates. Mortem contemnit, diabolum non expavescit. Tam ea quæ ferre, quam ea quæ nullo modo ferre valet humana fragilitas, libenter, si sit qui inferat, excipit, dicens: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18).

Et nos itaque imitatores ejus effecti, sicut filii charissimi; non succumbamus tentationibus carnis, non dejiciamur adversitatibus mundi. Refricetur in mansuetudinem animi asperitas; unctione suavissimi olei, miserationum videlicet Domini, remolliamus cor lapideum, conspersione visceralium pietatum filii olei ad elationes maris tranquillius evitandas. Mirabiliter enim unctio ista solidat non enervat, ad laborem erigit non in mollitiem resolvit, habiles non debiles ad omne opus bonum efficit. Percepta denique spiritus unctione, apostoli ad agones prorumpunt et nominis Jesu insignia ubique gentium referunt. Inde pane duro et frigido a persecutoribus Ecclesiæ cibati, corporis duras et asperas mortificationes sustinuerunt. Inde in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. Inde pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, pericula in civitate, pericula in solitudine, pericula in mari, pericula in falsis fratribus, etc., tolerarunt.

Merito igitur prius panem conspersum oleo, deinde panem frigidum et durum supponimus, quia post acceptionem gratiæ non carnis delectationes, sed mundi amaritudines sperare debemus. Unde venter sponsi *distinctus sapphiris* (*Cant.* V, 14) memoratur, quia nunc consolatione a Deo erigimur, nunc tentatione erudimur; sodalesque sponsi sub eodem mystico sensu sponsæ promittunt, *murenulas aureas vermiculatas argento* (*Cant.* I, 11); per murenulas videlicet et ornatum aureum, ipsa divina præcepta intelliguntur, quæ ideo vermiculata sunt argento, quia distinguendum est ubi sit præceptio exercens, ubi promissio refovens; demulcet namque promissio, sed terret præceptio. Unde Joannes in vultu sedentis in throno, hoc utrumque simul notavit: *Et qui sedebat*, inquit, *similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis* (*Apoc.* IV, 3). Jaspis viridi coloris est et aquosi, et significat promissam immortalitatem. Sardis, rubei et significat præcepti laborem; unde Psalmista: *Qui fingis laborem in præcepto* (*Psal.* XCIII, 21).

Non diffidamus ergo de labore si tendimus ad requiem, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Judith* VIII, 23). Unde post pascha, post manna, post multiplicem consolationum suarum visitationem, non statim introduxit Dominus populum suum in terram lacte et melle manantem, sed quadraginta annis per deserti dispendia circumduxit, et cum difficultate itineris paucos introduxit. Unde sic loquitur Scriptura: *Quia filios Israel cum emisisset pharao de terra Ægypti, non eduxit Deus per viam terræ Philisthiim, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere et reverteretur in Ægyptum, sed circumduxit per viam deserti quæ est juxta mare Rubrum* (*Exod.* XIII, 17). Satis plane in hoc exemplo edocemur, quod prius panis conspersus vel unctus et postea ad Domini obedientiam conversis apponitur. In suavitate namque spiritus quæ noviter ad veram doctrinam venientibus prælibatur, vires paulatim enutriuntur, ut cum grave ingruerit bellum, congesta manu vitiorum, non deficiat fides modica et nondum confortata alimentis spiritualium charismatum. Non igitur statim per viam terræ Philisthiim educit egredientes de Ægypto Dominus, quia non permittit insurgere intolerabile certamen tentationum, nisi docuerit manus nostras bellum. Si enim Philisthiim doctus ad pugnam, populum Domini adhuc elementa spiritalis militiæ non attingentem præoccupaverit, superabit eum et reducet ad Ægyptum. Si autem didicerit et consueverit in armis, nec capi, nec decipi facile ab inimicis poterit.

CAPUT XXVII.

De pane calido.

Ad ultimum et supremum panem, qui neque frigidus, neque tepidus est sed calidus; manum Deo cooperante, jamjam applicuimus, ut ex eo et operis fatigatio et desiderabilis refectio feliciter compleatur. Panis iste cordis non ventris, non in secessum emittitur, sed in ingressu tabernaculi, non manufacti, sed de medio rotarum, fervente spiritu Cherubim præsumitur. Rhomphæa vel gladius versatilis non tangit quemcunque hunc panem, vel in ore, vel in ventre habentem invenerit. Quando enim se ipsam oppugnabit charitas, quæ parcit et inimicis, quando adversabitur amicis? Sed jam an charitas panis? Imo quid melius quam panis? Nam si initium vitæ humanæ panis, multo magis initium et consummatio animæ, panis dilectionis. Reficit panis

esurientem et charitas perficit deficientem. Panis corpus hominis confirmat, sed charitas cor vivificat. Cum pane cætera utiliter eduntur, cum charitate omnia salubriter sumuntur. Specialis cibus hominum panis, singularis virtus animarum charitas. Sine pane vilis est mensa, sine charitate contemptibilis est anima. Cum labore panis de terra educitur, cum multa instantia charitas possidetur. Panis inveteratur et neglectus induratur et refrigeratur: charitas si ab operatione cessaverit, succrescente iniquitate, aut aboletur, aut minoratur.

Itaque jam recalescamus, et calidum panem si non habemus, a matre nostra Jerusalem quæ sursum est, cum omni instantia reposcamus. Si enim Rebecca, quæ est Ecclesia, panem calidum, id est charitatem, quem coxerat in meridiano suæ fidei fervore, Isaac apponit, non Isaac utique Abrahæ secundum carnem jam vetustissimo temporum annosa revolutione, sed unigenito Patris altissimo Filio æterno et immortali Jesu Christo, ut Jacob minori filio, paternam tam benedictionem, quam hæreditatem acquireret. Nisi enim a nobis acceperit escam, non dat ampliorem gratiam. Dignum siquidem est ut paternam desiderantes benedictionem, desiderio præcurramus clementiam Domini, ut scilicet de jam acceptis Deum glorificantes, meliora et viciniora saluti accipiamus. Petentes igitur majora, minora non recusemus præstare, ut qui gratiam remuneratricem quærimus, cooperatricem non abjiciamus. Ut habeamus hæreditatem offeramus panem. Hædos quoque confessionis et pœnitentiæ offeramus, ut terræ pinguedinem, id est remissionem peccatorum, accipiamus. Vinum nihilominus devotionis propinemus, ut rorem gratiæ supernæ vindemiemus. Aliter enim potius ad maledictionem quam ad benedictionem Jacob supponeretur, nisi calidissimis panibus et vino atque hædorum carnibus senior pater abundanter reficeretur, hisque satiatus memoriam abundantiæ suavitatis suæ largiretur et redderetur pronior ad benedictionum infusionem. Hanc proinde cœnam a matre edoctus filius parat, et primogenita quæ natura negaverat, paterna benedictione comparat.

Ministrat igitur Jacob patri suo panem calidum, cum humilis et simplex anima carbonibus desolatoriis accensa, præbet Creatori suo fidele et fervens obsequium. Quo enim devotior est spiritus eo calidior, et quo calidior eo divinis operibus aptior. Forte Deo, seraphim obsequia, ideo gratiora quia fervidiora. Qui enim approximant ei, approximant igni *qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos* A *flammam ignis* (*Hebr.* I, 7). Juxta ignem vero, nil frigidum residet, nil tepidum. Si enim aliquod solidum corpus ante faciem ignis statueris, aut uritur, aut inflammatur. Si liquidum, aut subintrante ignea vi cito calefit, aut desiccante evanescit. Horum alterum ad lucrum, alterum ad detrimentum est. Quid enim ustio, nisi consumptionem operatur? quid inflammatio, nisi illuminationes? Durum itaque est, sic accedere ut comburaris; optimum vero et jucundum, sic inhærere ut illumineris. *Accedite*, inquit Psalmista, *ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Sic accedit emundata et simplex conscientia, non ut maledictionem sentiat æternæ combustionis, sed ut hæreditatem obtineat perennis felicitatis. Hæc sunt primogenita omnis creaturæ, novissimis B in vinea cultoribus, sicut et primis indulta, ut sint *primi novissimi, et novissimi primi* (*Matth.* XX, 16).

Primogenita igitur dabuntur, si panes calidi et fervidi spiritus Isaac offerantur, carnes hædorum cum panibus apponantur, ut cordis et carnis motus inordinati, mactatione spiritali exstincti, saporibus exquisitis, ori divino aptentur. Vinum postremo his omnibus addendum, ut non per spiritum servitutis, sed per spiritum adoptionis filiorum, serviamus Creatori omnium. Quo spiritu si concaluerit animo et in meditatione sua exarserit ignis qui perpetuus in altari, sollicitudine sacerdotali continuatur, amore non necessitato obtemperans divinis mandatis, panem calidum et suavissimum Deo Patri offeret, et benedictionem accipiet. O anima ad C vocem sponsi liquefacta, hic tuus est cibus! o cor ardens in Jesu, hæc tua est refectio! Cujus vestimenta secundum Job, cujus aromata secundum Salomonem austro perflantur, ei talia fercula præparantur. Frigidum non novit, abhorret tepidum, quærit calidum, acutum et superfervidum. Fide namque calescit, sive coalescit; spe ad veram sublimitatem acuitur sive excrescit; charitate in virtutum plenitudinem supercrescit. Hæc manum fidei quæ per dilectionem operatur, de prunis ignis quæ sunt in medio cherubim implere præsumit. Hæc thuribulum conscientiæ angelicis naribus apponere non erubescit. Hæc labiis impatiens ore avido, de furno gloriæ panem suavitatis rapit. Hæc præ impatientia D impatientis desiderii prosilit in medios carbones, et vapores quidem sentit non urentes, sed lucentes; non afficientes, sed reficientes, non comburentes, sed illuminantes. Hæc vultus suos, alacritate faciei Dei effigiatos, rediens a contemplatione reportat, et de amplexibus sponsi tota redolens, ubera super omnia aromata fragrantia ...

PETRI CELLENSIS ABBATIS

MOSAICI TABERNACULI

MYSTICA ET MORALIS EXPOSITIO.

—

LIBER PRIMUS.

Invocato Spiritus sancti auxilio, de tabernaculo Moysi aliquid ad ædificationem morum scribere te exhortante aggredior, totius ingenii nostri vela austro divinæ illustrationis committens atque ad ejus nutum, castra eloquii (utinam semper) movens nihilominus et deponens. Tuto itaque profectionis mansiones itinerarias dimetitur, qui columna superni luminis illustratus, virtutum singularum ortus et occasus in anima sua animadvertens, exspectat gratiæ reditum, et surgit ad ejus adventum. Sedere namque absente gratia, cum timore et exspectatione, utile est, adveniente et juvante surgere, et cooperari fluctuosum [*f.* fructuosum]. Sed ubi agendum de tabernaculo, nisi in tabernaculo? Tabernaculum vero de quo tractare proposuimus est non manufactum, id est non hujus creationis, sed admirabile, sed cœleste, sed spiritale, sed angelicum, sed perpetuum. Præ oculis tamen illud terrenum Moysi, opere terreno fabrefactum ponamus, et a visibilibus ad invisibilia intentionem transferentes, non inter terram et cœlum tepore vel diffidentia infidelitatis hæsitantes subsistamus, quia Judas ibi *crepuit medius* (*Act.* I, 18), sed super cœlos cœlorum corde integro, ad orientem ascendamus cantantes : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculi laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5).

Plano autem et pedestri stylo utendum dispono in fabrica tabernaculi, quod dicitur sanctum sæculare, ne si alto elatus sermone, potius domum Dædali intricarem quam templum Dei contexerem, inexplicabilis præstaretur circuitus, non devotus compararetur affectus. Habeat equidem qui vult in Timæo Platonis, de mundi creatione, palatium visibilis hujus creaturæ, gunfis invisibilibus appensum, ubi amplius laboret lector subtilitate relatoris, quam impinguatur admiratione sive delectatione Creatoris. O delicata et deliciosa nimis anima, si domum Pharaonis, si Nabuchodonosor, si principum hujus mundi habitacula depicta et curiositate inexplebili subornata desideras aspicere, collige ligna de silvis poetarum, ut de lectione eorum luxuriosa gentilium lupanaria construas, non religiosa Christianorum templa! Libri enim auctorum theatra quærunt, publicum amant, A frequentiam frequenti plausu appellant; non enim conscientiam, sed popularem gloriam suspirant. Moyses vero in deserto solitudinis deserti animi mores, æmulatione tabernaculi admirabilis (angelicæ utique conversationis) repingit, grossiore nimirum littera sive figura, subtilitatem glossæ, id est gloriæ angelicæ, populo duræ cervicis relegens. Et *prius, quod animale, deinde quod spiritale* (*I Cor.* XV, 46) est in constructione tabernaculi sui sapientibus et spiritalibus exponit, sub oculis quidem corporis materiale; sub intellectu mentis, spiritale componens.

Hujus materia, figura, longitudo, latitudo, altitudo, cortinæ, saga, sacerdotalia indumenta, arca, tabulæ testamenti, virga Aaron, urna aurea habens B manna, cherubim, propitiatorium, velum de hyacintho, cocco, purpura et bysso retorta; pelles hyacinthinæ, mensa, candelabrum, panes propositionis, septem lucernæ, emunctoria, tabulæ, bases, vectes, quinque columnæ deauratæ. Altare de lignis Sethim, lebetes ad suscipiendos cineres, forcipes, fuscinulæ, ignitum receptaculum, vasa ex ære, craticula in modum retis ænea, etc., si intellexeris quid moraliter, quidve mystice significent : solium conscientiæ construere poteris, tale quale in universis regnis nullus regum ædificavit. Æthereis siquidem tabernaculis, seu receptionibus confertur hujus tabernaculi habitatio tam divinis meditationibus excogitata; cui ad gloriam addere superfluum C est, ad gratiam difficile, ad sacramentum impossibile. Singulæ enim singularum compositionum junctiuræ, mysteriorum sunt fecundæ, ut nusquam in tota ejus compagine sit sterilis sensus in lege, spiritalibus spiritalia comparando, ut de sacro partu boni intellectus, congaudeat mens gravidata assiduitate sanctarum Scripturarum.

Jam igitur, quasi tentata dolabra ad condolanda singula futuræ fabricæ membra, ponamus præ oculis ipsa legis verba, et pro modulo nostro, domum mysticam seu moralem construamus. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel ut tollant mihi primitias ab omni homine qui offert ultroneus accipiens eas : hæc sunt autem quæ accipere debetis, aurum et argentum, æs et hyacinthum, bys-*

sum, pilos caprarum et pelles arietum rubricatas, pellesque hyacinthinas, ligna Sethim, oleum ad luminaria concinnanda, aromata, unguentum et thymiama boni odoris, lapides onychinos et gemmas ad ornandum, ephod ac rationale (*Exod.* XXV, 2). Non facimus extraordinarie, si accedentes ad tractandum de tabernaculo sive de sanctuario, prius numerando assignamus quæ et quot (præcipiente Domino) in oblationibus populi levitis seu sacerdotibus tabernaculi offerantur. Expedit namque et aperit intentionem tractantis, seorsum extrinsecus posita summa futuri operis, præterea melius intelliguntur quæ separatim tractantur. Animadvertendum denique quia bonus et dives Dominus, etsi non eget bonorum nostrorum necessitate indigentiæ, tamen non recusat munera nostra, bonitate clementiæ suæ. Magnum siquidem de profundo divitiarum suarum mihi confert donativum, si acceptaverit tantillum peccatoris obsequium; cui æterno et incommutabili, vix idoneum reputatur cœleste et angelicum. Præstabilius quoque inclinatur summa majestas ad creaturam suam, si obsequia ejus non recusaverit, quam si sua supererogans beneficia, humanis votis postulata præbuerit. Usu nempe jam et consuetudine Deus gratis nobis servire didicit, raro autem nec sine privilegio gratiæ, ab aliquo reciproce servitium exegit.

Ait ergo, *ab omni homine qui offert ultroneus accipietis eas.* Qui nolens et invitus alicui beneficium tribuit, quasi nuda manu urticas et spinas exstirpans, faciem confricat accipientis; recusat autem sufficiens sibi gratia, ingratum famulantis animum: *Hilarem* autem *datorem diligit Deus*, ut *non ex tristitia aut ex necessitate* (*II Cor.* IX, 7) denigretur facies præstiti obsequii, sed pinguis resudet caput holocausti de adipe superfluentis liberalitatis. Ultroneus itaque offert, cui subest plus velle quam posse, et parum se pensat facere, si non excesserit ampliori voluntate suum posse. Ultroneus offert, qui non spiritu servitutis in timore, sed spiritu adoptionis prævolat divina mandata adimplere. Quid vero offert ultroneus? *Primitias*, inquit, *accipietis ab omni homine qui offert eas ultroneus.* Divinæ gratiæ dedicandum est tam omnis motus bonæ voluntatis, quam initium cujuslibet rectæ actionis: *Quid enim habes quod non accepisti? Noli* ergo *gloriari quasi non acceperis* (*I Cor.* IV, 7), sed de primitiis tuis honora Deum tuum, a quo est *omne datum optimum et omne donum perfectum descendens a Patre luminum* (*Jacob.* I, 17). Pelagianista, qui absque Deo se aliquid boni æstimat habere, non offert primitias ultroneus; sed tu servus (imo filius gratiæ, gratis enim originaliter venundatus es, et absque argento misericorditer redemptus, utique sanguine Agni incontaminati Jesu Christi) da gloriam Deo, et redde Altissimo primitias tuas, dicens: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1). Sequitur: *Hæc sunt quæ accipere debetis, aurum, argentum*, etc.

Prælibato igitur significationis mysticæ sensu, quasi tabernaculo osculato, compendiose ad sequentia evolemus, ut horum pace ubi labor nos exspectat operosior, nondum fatigato spiritu commigrare maturemus, ut cum opportunum fuerit quodlibet horum quæ hic sigillatim distribuuntur, sine fastidio excipiatur; ut quod minus solemnitatis in prima salutatione eis oblatum fuit, plena recapitulatione suppleatur; frequenter enim sequens tractatus, auri, argenti, æris, hyacinthi, purpuræ et aliorum, tam nomina quam opera replicabit. Compendiosa igitur expositione aurum designat claritatem veræ sapientiæ; argentum, nitorem sacræ eloquentiæ; æs oris confessionem ad salutem; hyacinthus cœlestem conversationem, purpura corporis passionem, coccus bis tinctus Dei et proximi dilectionem, byssus carnis castitatem; pili caprarum, pœnitentiæ habitum, pelles arietum rubricatæ doctores dominici gregis proprio sanguine baptizatos; pelles hyacinthinæ, corpora spiritualia in resurrectione; ligna Sethim sanctorum firmitatem, qui nullo vitio corrumpuntur; oleum ad luminaria, fulgentes fructus charitatis et misericordiæ aromata; unguentum et thymiama boni odoris, opinionem boni operis ad exemplum bene vivendi; lapides onychini et gemmæ ad ornandum ephod ac rationale, miracula sanctorum et opera virtutum, quibus ornantur cogitationes et operationes. Ecce summatim trancurrimus singulas oblationum species, quarum virtus toties repetitur quoties earum usus in confessione sacerdotalium indumentorum, vel quibusdam aliis enumeratur. Jam ad sanctuarium transeamus. *Faciantque mihi sanctuarium, et habitabo in medio eorum, juxta omnem similitudinem quam ostendam tibi et omnium vasorum in cultum ejus* (*Exod.* XXV, 8).

In humanis contractibus, quorum plures et diversæ sunt species, sicut diversæ contrahentium intentiones, aliquid proponitur, quo utræque partes consentientes contractui acquiescunt. Verbi gratia, in emptione equi, constitutum pretium utrique parti propter equum tradendum placet: vel, in domo mihi a te construenda, expressum pretium me tibi dare convenit. In utroque istorum contractuum, quorum alius dicitur nominatus, alius innominatus, aliud datur, aliud accipitur. Rari equidem sunt contractus, in quibus sola unius tantum partis utilitas attendatur, commodatum commodatarii et depositum deponentis. Hæc de humanis nostris actionibus non superfluo interposuerim, cum de divinis ad homines contractibus ineundis, aliquid in præsenti loco dicendum sit. Nam Deus per Moysen mandat filiis Israel, ut sibi faciant sanctuarium, sed utrum sine pretio, an quo pretio? Utique non sine pretio: quo ergo? expresso an non expresso? Plane vereor dicere, non expresso, quia dicit: *Habitabo in medio eorum.* Nihilominus prohibeor asserere expresso, quia exprimi non potest habitatio Dei inter homines. Dico autem, expresso, pollicitatione, inexpresso fruitione. Placuit enim Deo promissum suum, verbo

virtutis suæ exprimere, sed homo donum Dei super omnia benedictum et glorificatum, tota exsultatione potuit glorificare, non autem sermonibus explanare. Filii Israel, intelligite Deum non adduci aliqua indigentia ut petat a vobis sanctuarium, quasi non habens ubi reponat sancta sua. An minus amplum est cœlum, an non *cœlum cœli Domino?* (*Psal.* CXIII, 16.) An sunt sancta quæ non capiat amplitudo cœlorum?

Revera cœli pleni sunt Dei gloria, quæ est *sanctuarium quod firmaverunt* manus Dei, *terra* vero maledicta in peccato Adæ, *inanis* est et *vacua* (*Gen.* I, 2). Sed placuit profundo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, inclinare ex hoc in hoc ad rigandum de superioribus ad inferiora, ut saltem similitudine gloriæ Dei in speculo et ænigmate visibilis structuræ Mosaici tabernaculi, præriperet majestatem verorum bonorum interiorum oculus illuminatæ rationis, et æstimaret utcunque de similitudine veritatem et inescaretur visibili specie, ad invisibilem gloriosæ substantiæ explanationem. Præmonstrantur insolitæ figuræ visibus humanis, ut reducta cogitatio a solitis, meditetur subtili revolutione, præter hæc esse quædam magis insolita, quorum claritate æterna, invisibili contubernio imprægnata, pro modulo suo temporaliter reluceant ista sancta sæcularia, quæ tantum ad similitudinem illectricem, non ad veritatem satiatricem commodata sunt. Non igitur gulosa præcipitatione calamum historiæ, Judæe, absorbeas, qui tibi datus est in ore, non ut illum deglutias, sed ut per illum, vinum in claustris cœlestis sapientiæ tanquam in doliis repositum, suaviter et cum temperantia bibas. Plane nimium mordaciter calamum legis stringis, cum solam sine spiritu litteram in libris Moysi attendis. Ubi autem inconsiderate et immoderate in ore calamum concludis, sublato meatu spiritalis intelligentiæ, corticem mandis non vinum bibis. Diligenter ergo attende quod dicitur : *Faciant mihi sanctuarium juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi.* Angeli habent veritatem, tu habes similitudinem. Si credis te habere similitudinem nondum veritatem, a similitudine pervenies ad veritatem.

Introducit itaque similitudo ad veritatem. Si autem in lege sine gratia, veritatem præsumis te habere non similitudinem ; et veritate carebis et similitudine privaberis. Quære ergo finem legis qui est Christus plenus gratia et veritate, quia finis in veritate est non in similitudine. *Juxta omnem similitudinem*, ait, *tabernaculi quod ostendam tibi.* In tanta ciborum abstinentia, et in tam longa remotione a curis sæcularibus, Moyses oculos mentis et animum pavisse creditur divinis revelationibus ; nimirum et oculo carnis credo quod aliquas mirabiles et insuetas visiones viderit. Quomodocunque autem viderit sive in carne, sive in spiritu, cœlestem illam angelicamque conversationem, qualicunque adnotatione, jubetur illa manifestare populo suo, ut qui præ lippitudine carnalis conversationis radios ipsius veritatis percipere non valebat, obumbratione mystica lustrando visibiles formas, per invisibiles visibilium formarum rationes tabernaculi, utcunque assueseret mentem a visibilibus ad invisibilia transferre. Pertinet vero omnis hæc mystica similitudo, ad plenitudinem charismatum universalis Ecclesiæ, quam Jesu propinante de fonte gratiæ, etiam in via peregrinationis propter abundantiam charitas bibit. Plenitudo denique sacramentorum imitatur similitudinem angelorum.

Disquire profunda fidei nostræ mysteria, et nullum superenatabit futuræ spei præmium, quod non prægustaverit visibili sacramentorum administratione, invisibilis *fides* quæ *est argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1). Dico autem de fide Ecclesiæ non de fide unius fidelis personæ, quanquam et totum credat quicunque est in Ecclesia, quod credit tota ipsa Ecclesia. *In vestitu* tamen *deaurato, regina astitit circumamicta varietate* (*Psal.* XLIV, 10) personarum et meritorum, tot habens fidei diversoria quod fidelium corda, et quot similitudines angelorum, tot distinctiones gratiarum Ubi autem in consummatione sæculi, et merito et numero omnis adimpleta fuerit in Ecclesia similitudo angelorum, ut de similitudine transeat ad veritatem, et sit mensura hominis quæ est angeli ; tunc *fiet unum ovile, et unus pastor* (*Joan.* X, 16) hominum et angelorum *ut sit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV, 39). Jam non similitudines auri, ut dicitur in Canticis, doctores faciant Ecclesiæ, sed æqualitates, quia non imitabuntur homines conversationem cœlestium, sed mutabuntur in consortium beatorum spirituum, ut sint *sicut angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII, 30), non in labore meritorum, sed in perceptione præmiorum. Tunc qui plus meruit in similitudine, amplius coronabitur in veritate, et quo fuit similior in virtute, eo conformior erit in majestate. Officio namque, gradu et ordine distinguitur in angelis curia cœli, nihilominus et in ministris suis Ecclesia Dei. Destinata sibi singuli ordines in cœlo explent officia utique et in Ecclesia ; nec usurpat præsumptione temeraria quisquam attrectare, quod non accepit in officii sui assignatione.

Sunt ergo isti, *vasa in honorem* (*II Tim.* II, 21) magnæ domus et utilitatem, de quibus sequitur, *et omnium vasorum in cultum ejus ;* quasi (mystice) alio vase bibat Deus incircumscriptus spiritus, alio comedat, alio sedeat, alio manus abluat, alio pedes, alio incensum accipiat, alio lucernam accendat, alio manna reponat, alio thesauros includat, alio quælibet, alia congrua divinitati officia exhibeat. Repressa carnali intelligentia, et mente supra omnium phantasmatum imaginatione constituta, intellige actiones consuetudinarias non consuetudinarie. Cherubim et seraphim charitate inflammati, quasi ori divino, cibum et potum deferunt, cum omnimodo aliis spiritibus vicinius ordine et amicitiæ dignitate assistunt. Throni, in veritate stantes, sessionem placidam et placitam præbent. Principatus et potestates, quasi

aquam et manutergium suggerunt; cum nos defendendo ab hostibus, gratiam securitatis et audaciam repugnandi conferunt. Dominationes pedes abluunt; cum nostra peccata suis postulationibus imminuunt, et dominationem super peccatis acquirunt. Virtutes incensum boni odoris accendunt; cum de sanctorum virtutibus gratias incomprehensibili majestati referunt. Archangeli lucernam accendunt, cum mysteria profunda secretorum cœlestium, revelando exponunt. Angeli manna reponunt, cum a nobis divina consilia abscondunt, et thesauros includunt; cum a malignis spiritibus nostra bona opera defendunt, et in conspectu Agni deferunt.

Eodem ordine Ecclesia quæ etiam *ordinata*, ut *castrorum acies* (*Cant.* VI, 3) incedit, et in singulis ministrorum suorum ordinibus singulas angelorum virtutes accipit. Vide vasa aurea et argentea in domo magna quæ est Ecclesia, ad cultum ejus. Calix cum patena ibi est, ampulla olei et chrismatis, ampulla vinaria et ampulla in usum aquæ, pelves, thuribulum, candelabra, piscina, lampades et quædam alia. Sancta illa anima quæ charitate seraphim inflammatur, calici et patenæ destinatur, illa quæ cherubim scientiæ plenitudine impletur; ampullæ vinariæ assignatur: illa quæ throni tranquillitate serenatur, ampullæ chrismatis delegatur. Ampullam quoque olei defert illa anima, quæ in gratia mederi potest contritis corde et animi languores sanare. Ampullam aquæ defert, quæ humanis afflictionibus, passionibus Jesu compatiens, concrucifigitur ei et commoritur, tam in memoria mortis quam in sacramento vivificæ communionis corporis et sanguinis Domini. Thuribulum ministrat, qui bonus odor Christi in omni loco famam bonam aspergit et sanctum nomen quod super se invocatum est, sancta conversatione, his qui foris sunt et intus innotescit. Pelves sive buccinas defert, qui Pilati sævitiam, et Christi attendens innocentiam, manus suas lavat non solum in sanguine Agni, sed etiam hædi: *irriguum superius* ab Agno, *et irriguum inferius* (*Judic.* I, 15) ab hædo accipiens. Siquidem cum Agnum nascentem suscipio, de benignitate et innocentia admoneor; cum in similitudine carnis peccati pro peccatoribus, et cum latronibus morientem video, spem remissionis, in tanta patientia Jesu concipio. Candelabra defert, qui Domino cooperante, et sermonem confirmante, Evangelium sine sumptu ponit, pro cœlo non pro nummo annuntians regnum Dei. Lampades accendit, qui simplicium conscientias illustrans, in junco memoriæ eorum, amorem Dei infigit. Piscinæ præest, qui assiduis lamentis compunctus, oculos habet sicut piscinæ in Esebon.

Sequitur : *Sicque facies illud : Arcam de lignis Sethim compingite, cujus longitudo habebit duos et semis cubitos; latitudo, cubitum et dimidium : altitudo cubitum similiter et semissem; et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris, faciesque supra coronam auream per circuitum* (*Exod.* XXV, 10). Ordine non incongruo cœleste mandatum consequenter ordinans, quomodo fieri debeat tabernaculum juxta sensum mysticum, arcam quæ Christum significat, prius disponit, et limitibus propriæ compositionis definivit, assignans ipsius longitudinis, latitudinis et altitudinis dimensionem. Totum namque Incarnationis Christi mysterium ab æterno, in mente divina dispensatum, totum mutuans ab occultis sapientiæ Dei, opportunis figurationibus in patriarchis et prophetis allegatum; totum in ipso, novissimis temporibus humiliter adimpletum, tam firmiter credimus quam fideliter vivimus. Non immerito autem Christus arca nuncupatur, quia, sicut arca in domo valde necessaria est, ut non solum panis ibi ponatur, sed vestis et pecunia, et quælibet alia sub clave signanda et conservanda, sic in Christo reponitur opus nostræ salvationis, quasi panis refectionis, reponitur vestimentum dealbationis, ut ibi legitur *quotquot baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III, 27), reponitur nihilominus et pecunia redemptionis; ut ibi *redemptionem misit Dominus populo suo* (*Psal.* CX, 9), reponitur et thesauros totius divinitatis, quia in Christo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9).

Arca igitur est, nec semper aperta, ne studium quærendi tollatur, nec inclementer clausa, ne instantia requirentium frustretur. In manus patris clavis resignatur propter mysterium a sæculis absconditum, ne fures effodiant consilium Dei et furentur intentionem Incarnationis Christi. Pater *claudit et nemo aperit*, quia nativitatem divinam in secreto suo abscondit; ipse *aperit et nemo claudit* (*Apoc.* III, 7), quia generationem humanam mundo innotuit. *Nemo*, inquit, *novit Filium nisi Pater*, etc. (*Matth.* XI, 2). Principi apostolorum aperta est area, cum diceret : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16). Unde dictum est ei : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlo* (*ibid.*, 17). Duobus illis quoque ambulantibus in via *tenebantur oculi ne eum agnoscerent* (*Luc.* XXIV, 16), non aperiebantur donec panis frangeretur. Ad hanc arcam parvuli, *qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V, 6), accedunt et panem petunt, dicentes : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* XI, 3). Ad hanc, *canes* et catelli *convertuntur ad vesperam* (*Psal.* LVIII, 7), cum famem patiuntur, quia tandem peccatores et noviter ad Deum conversi, acriter remordentur in conscientia de malis suis, fracturas sive buccellas miserationum Dei anxie quærunt et pœnitentiam non deliciose appetunt, sed indifferenter quidquid ingestum vel injunctum fuerit, ore avido rapiunt et deglutiunt. Ut enim charitas omnia credit, *omnia sustinet* (*I Cor.* XIII, 7), sic fames omnia comedit, omnia absorbet. Non explorat quid delectet, sed quid satiet; non consulit gustum, sed stomachum. Nullas partitur moras palato, sed accepta, cito mandat stomacho. Æque, sine dubio, famelicus justitiæ, famelicus patientiæ, postposita deliberatione consilii, quid agen-

dum sit, ante agit, quam deliberet; tam cito adimplet bonum, quam cito suscipit mandatum : non est difficultas in faciendo, ubi voluntas semper superest in bono.

Hæc de nomine arcæ : jam videamus de compositione, *arcam de lignis Sethim*, ait, *compingite;* corpus illud Dominicum de sacris visceribus virginalis uteri conceptum et natum obumbrante Spiritu sancto, liquis Sethim congrue comparatur, quia ligna ista imputribilia sunt et levia, et igni apposita non afficiuntur damno combustionis, sed indurantur soliditate robustiori. Sunt quoque similia albæ spinæ; incorruptibile siquidem est corpus Christi; quod neque computruit aliquando in stercore humanæ conversationis corruptione peccati, nec in sepulcro, pulvere mortis. Unde, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Act.* II, 27). Leve quia nullatenus originalis peccati sive actualis oppressum gravedine *super pennas ventorum* (*II Reg.* XXII, 11), adhuc in carne, deambulavit undasque solido itinere calcavit : et post mortem ac resurrectionem, ad dexteram Patris, levatis manibus corpore ascendit. Igni denique passionis suppositum corpus Dominicum, tanquam lignum Sethim, non evanuit in cineres combustionis, sed convaluit in impassibilitatem resurrectionis : exarsit namque invidia Judæorum adversus Jesum, ut ait Psalmista, *tanquam ignis in spinis* (*Psal.* CXVII, 12); sed rubus Moysi, in flamma ardens, non est combustus, in pœna sua pœnam nostram evacuans, et a culpa naturam, per pœnam liberans; hoc autem totum, quia simile est hoc lignum albæ spinæ, non utique veritate naturæ, sed conditionis similitudine. Nam veritas carnis in eo non fermentatur corruptione vetustatis, sed configuratur similitudini carnis peccati, ut de specie adversarium illiceret, de veritate nobis patrocinium pararet. Speciem objecit draconi, ut illuderet; veritatem tenuit, ut veraciter non fallaciter naturam a miseria separaret. Verus homo, propter veram in eo naturam humanam, similis homini, propter pœnam non culpam.

Hæc arca, in longitudine duos habet cubitos et semissem, quia patiens et longanimis fuit, tam in doctrina quam in operatione sua, qui sunt duo cubiti, et tarditatem discipulorum æquanimiter sustinuit, qui est semis. In latitudine vero habet cubitum et semissem, ut per unum cubitum perfecta illa charitas designetur, quia nos adunare sibi voluit, dicens Patri : *Ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus* (*Joan.* XVII, 20). Per semissem nihilominus doceatur quia ex parte diligimus, sicut *ex parte cognoscimus* (*I Cor.* XIII, 9); et hanc nostræ capacitatis imperfectionem complectitur Dominus. In altitudine quoque habet cubitum ac semissem, quia plene noverat, etiam in hac carne corruptibili, quanta gloria, vel sibi præparata esset in cœlis, vel nobis, quod est unus cubitus : pertulit denique libenter in se devotionem nostræ carnis, qui pia intentione futuram patriam diligimus, sed nondum quæ sit ejus felicitas capimus : quod est dimidius. Grande est cum omnibus sanctis apprehendere, quæ sit hæc latitudo quam Apostolus dividit in sublimitatem et profundum. Expresso tandem funiculo mensorum quo dimetiuntur longitudo, latitudo, sublimitas et profundum cordis, superintendamus quæ sit mensura corporis Christi, et in eam conferamus mensuram cordis et corporis nostri.

Ecce funiculo evangelico, a conceptione Christi, dinumera patientiam ejus nulla interruptione impatientiæ quassatam, usque ad emissionem spiritus in cruce, et succumbens super omnem calculum, invenies eam. Confortata enim est patientia humanitatis, solatio divinitatis : et non possum ad eam, cujus impatientia acuitur languore naturæ, et inflammatur perversa tacendi consuetudine. Excelsior cœlo est patientia Christi, quia nec in commotione cœli adversus insensatos, excutitur a tranquillitate sua qui habitat in cœlis. Profundior inferno est, qui nec in inferno condemnatis irascitur, quantum merentur. Latior terra, quia licet maledicta in opere Adæ terra, tamen *misericordia Domini plena est terra* (*Psal.* CXVIII, 54); vel salvante conversos, vel mitius puniente impios. Quid plura? Et patientiæ ejus non est numerus, imo nec sapientiæ, nec charitatis, nec omnium virtutum quæ in Christo sunt, non enim ad mensuram datus est ei spiritus : utique nec dona ejusdem Spiritus.

Sequitur : *Et deaurabis eam auro mundissimo, intus et foris.* Jesu tanta animi puritas, tanta operum magnificentia exstitit, ut nec angelica natura assequatur puritatem, nec Scriptura apprehendat miraculorum majestatem. Intus est puritas conscientiæ, foris claritas famæ. *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 2), quæ occultabatur in anima, *et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*ibid.*) evangelicum; quæ sunt omnia miracula divinitatis. Auro mundissimo deaurata est arca Jesu, intus, quia nec passio, nec propassio vitii januas animæ ejus pulsavit, auro mundissimo deaurata est : quæ unita divinitati, nec sapientia Dei privata est, nec gloria; auro mundissimo deaurata est, quando cogitabat cogitationes pacis et non afflictionis; auro mundissimo foris deaurata est cui tam facile fuit bonum posse quam velle; auro mundissimo foris deaurata est, quæ foris redemit quod intus creavit. Intus namque invisibili majestate hominem creavit, foris in humili forma et habitu redemit. Auro mundissimo foris deaurata est, quæ dicit : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII, 46.) Auro mundissimo foris deaurata in transfiguratione, imo in resurrectione et ascensione, ex quo, etsi noveramus *Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* V, 16).

Sequitur : *Faciesque supra coronam auream per circuitum. Eum qui in modico minoratus est ab angelis Jesum*, ait Apostolus, *vidimus gloria et honore coronatum* (*Hebr.* II, 9); corona aurea, gloria resurrectionis et ascensionis Jesu, *per circuitum*, quia

ex hoc nunc et usque in sæculum, Christus Jesus sedet ad dexteram majestatis in excelsis, *tanto melior angelis* (*Hebr.* I, 4) effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit; *per circuitum*, quia *Dominus regnabit in æternum et ultra* (*Psal.* IX, 36). *Supra*, quia in humanitate meruit, quod in divinitate nunquam amisit; supra quia genitus a Patre luminum secundum divinitatem, deificatus est secundum humanitatem; unde : *Clarifica me, Pater, claritate quam habui apud temetipsum, priusquam mundus esset* (*Joan.* XVII, 5). Corona, propter æternitatem; aurea dicitur, propter claritatem; corona, quia meritis redditur; aurea, quia per gratiam merita coronantur : sua enim in nobis Deus dona remunerat. Corona, quia non auferetur in æternum : aurea quia non vilescet per fastidium. *Facies* itaque *supra coronam auream per circuitum.*

Sequitur : *Et quatuor circulos aureos quos pones per quatuor arcæ angulos* (*Exod.* XXV, 12). In arca Jesu, quatuor fuerunt circuli aurei, quia quatuor principales virtutes, prudentia, fortitudo, justitia, temperantia principaliter in eo tanquam in Rege virtutum fuerunt. Sive quatuor circuli aurei in eo fuerunt, quia ex sapientia quæ ex ore ejus prodivit, et a fine usque ad finem totius orbis evolavit, evangeliorum libri intitulati sunt. Tam virtutes vero quam libri evangelici, circuli aurei bene dicuntur, quia nulla in eis obliquatio falsitatis, nulla interruptio vanitatis, nullus excessus superfluitatis, nulla coarctatio imperfectionis. Totum rotundum de veritate, totum æquale de æquitate, totum integrum de naturæ reparatione, totum perfectum de gloriæ consummatione. In id ipsum recurvantur singuli prædicatorum conatus, ut undecunque et quandocunque et quantumcunque sermo exorsus feratur, vita animæ quæratur, salus cogitetur, Deus ametur, memoria patriæ celebretur. Unus in invicem reflexus singularum et omnium virtutum; dum innexis brachiis alternatim impeditur mutuus aspectus et amplexus; prudentia gremium justitiæ, fortitudinis et temperantiæ, germano amore subeunte; item justitia, prudentiæ, fortitudinis et temperantiæ, repente et vicissim qualibet earum similiter agente. Sed aurei circuli sunt, ubi necessitate nil agitur, sed naturali bonitate, sed gratuita exsecutione, virtus colitur, bonum agitur, et amore boni bonitas tenetur. Nam in Christo virtutes fuerunt sine avaritia : prædicatio Evangelii, sine fallacia. Itaque sunt circuli aurei.

Sequitur : *Quos pones per quatuor arcæ angulos*, vel quatuor partes mundi, vel quatuor passiones animi intelliguntur, quatuor arcæ anguli. Ponuntur autem per quatuor arcæ angulos, quatuor circuli aurei, quando aut in toto mundo Evangelium prædicatur, aut totus animus quadrifida virtute renovatur. Sequitur : *Duo circuli sunt in latere uno, et duo in altero* (*ibid.*); duo evangelistæ, Joannes et Matthæus in uno latere ponuntur, quia cum Christo in carne conversantur; et duo (Lucas videlicet et Marcus) in altero, quia post resurrectionem in ministerium Evangelii assumpti sunt. Aperte quoque qui incarnationem et passionem prædicaverunt, in uno latere sunt, qui vero resurrectionem et ascensionem in altero. Prudentia quoque et justitia, quasi unum latus Christi muniunt, cum opus incarnationis, tam prudenter inchoatum est, ut diabolo celaretur, tam juste, ut omnis justitia per eam impleretur; aliud vero latus fortitudo et temperantia susceperunt, quia fortitudo operata est resurrectionem; temperantia ascensionem. Summa enim temperantia fuit, cum unitam sibi naturam nostram Deus Verbo coæquans summe glorificavit, et quam per primum Adam ad extremum suppliciorum humiliaverat, ad supremum præmiorum, per secundum Adam extolleret. Fortitudo vero resurrectionem, quia, ut ait Psalmista : *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui* (*Psal.* LXV, 3), qui dixerant, *Non est salus ipsi in Deo ejus* (*Psal.* III, 3). In resurrectione namque *mentita est iniquitas sibi* (*Psal.* XVI, 12). Quatuor etiam circulos aureos in arcæ lateribus ponit Apostolus, cum dicit de Christo : *Qui factus est nobis a Deo, sapientia, justitia, sanctificatio et redemptio* (*I Cor.* I, 30). His circumfertur circulis arca nostra, quia in his virtutibus, causa et effectus nostræ salvationis consistit. In uno latere, sapientia quæ docet et justitia quæ implet ponuntur; in altero sanctificatio, quæ curat et redemptio quæ liberat. Sapientia removet stultitiam, justitia injustitiam, sanctificatio immunditiam, redemptio pœnam. Possunt etiam duo circuli in latere uno designare instantiam Salvatoris, qui culpam amovit, duo in altero, illam æque instantiam qua pœnam depulit.

Sequitur : *Facies quoque vectes de lignis sethim, et operies eos auro, inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis* (*Exod.* XXV, 13). Doctorum qualis debeat esse doctrina et vita insinuat, cum dicit unde fieri debeant vectes, et ad quid fiant. Quare namque de lignis sethim fiunt vectes; nisi ut doctorum vita sit imputribilis, per castitatem; fama suavis, per sanctam conversationem; habitus humilis, per propriam sui abjectionem; lingua modesta per gravitatem; mens docta, per assiduam Scripturarum meditationem? Qui enim vectes, id est prædicatores, de lignis sethim, id est casti et humiles arcam fœderis portare debent? Qualis namque paterfamilias, tales et domestici ejus. Ut enim sermones cognati sunt his rebus de quibus loquimur, sic mores concordare debent sermonibus quibus loquimur. Sit tua electa conversatio, ut sit recta prædicatio, imo studiosius satage bene vivere, quam facunde loqui. Auro quippe operiendi sunt vectes, ut sapientiam loquantur inter perfectos, ut bono exemplo reluceant inter improbos, ut *conversationem suam inter gentes habeant bonam*, etc. (*I Petr.* II, 12.) Auro operiendi sunt, quia arca circumtecta est ex omni parte auro. Inconsonum quidem est, si auro Dei lignum tuum in-

feras nudum, sensu humano profunda mysteriorum discutiens, et clave lignea venerabilium thesaurorum ostium aureum resolvens. Certe, res Dei, sermonibus divinis explicandæ sunt, et non est nemus Aristotelicum plantandum juxta altare, ut fidei sacramenta obumbremus infinitis et superfluis inquisitionibus, quæ *non sunt utiles, nisi ad subversionem audientium* (*II Tim.* II, 14). Inducendi sunt per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ne sicut dictum est, calamus linguæ propheticis intingatur atramentis, sed tantum evangelicis. Non dogmatizet in Ecclesia prædicator, secundum errores hæreticorum, vel secundum seductiones philosophorum quorum *aquæ furtivæ dulces sunt, et panis absconditus suavior* (*Prov.* IX, 17). In Evangelio, sensu utatur evangelico, non circulos extorquens et extrahens de lateribus arcæ, sed vectes inducens per circulos qui sint in lateribus arcæ, ut non ad sensum suum inclinet Dei verbum, sed ad Evangelium inflectat, et sermonem et sensum. *Ut portetur in eis : glorificate*, ait Apostolus, *et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI, 20); porta arcam ut obedias Evangelio; porta arcam ut annunties regnum Dei.

Sequitur : *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis* (*Exod.* XXV, 15); unde : *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* (*Psal.* XLVIII, 4). Valde contraria sunt, semper esse et nunquam esse in circulis. Raro aut nunquam sunt in circulis doctores illi qui forum pro monasterio, clamores pro Evangelio, accipitres pro manipulo, chlamidem purpuream pro stola, canes leporum pro lectione librorum habent. Hi *commutaverunt veritatem Dei in mendacium* (*Rom.* I, 25), ut cum dixerit Dominus, *Semper erunt in circulis, et nunquam extrahentur ab eis*, ipsi nunquam inducantur; sed bonus doctor semper sit in circulis, quia *beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 2). Item : *Os justi meditabitur justitiam* (*Psal.* XXXVI, 28). Semper est in circulis, qui neque vivendo præcepta violat Evangelii, neque docendo regulas veritatis offendit; semper est in circulis, qui, quasi evangelicis vinculis compeditus, propriæ voluntatis libitu nunquam utitur; oculos, manus, pedes, aurem, linguam et cætera membra evangelico compede sic coarctans, ut nunquam extrahat impulsu cujuslibet commotionis, sed contineat æterna lege sanctificationis.

Ponesque in arca sanctificationem quam dabo tibi (*Exod.* XXV, 16). Eodem ordine nec non et ratione, prius arca construitur, ac deinde testificatio poni in ea decernitur, quo prius facta et ornata habitatione mundana, homo tanquam habitator et dominus, ad ultimum creatus fuisse refertur. Nusquam profecto, testificatio divinitatis corporaliter reponenda, nisi in corpore Jesu, nisi in arca sanctificationis, nisi in anima singulariter Deo digna, quæ fornace Spiritus sancti, in creatione sua, coagulis originalibus eatenus excocta est, ut tam esset a peccato remota quam Deo unita. Nec peccato præoccupata est, quam prævenit Deus in benedictionibus suis, ut quasi spiritus laboraret in purgationibus ejus, quam præparabat in divinis desponsationibus; sed tam adfuit sanctus in creatione, quam pius in Verbi conjunctione. Nulla denique temporum distantia interveniente arca construitur, et demum testificatio in ea ponitur, sed simul arca animæ et corporis Jesu cum impositione divinitatis compingitur, ut assumendo crearetur et creando assumeretur et sanctificando assumeretur sive crearetur, et assumendo crearetur sive sanctificaretur. Nec objicias, quod prius arca construitur, et deinde testificatio in ea ponitur, quasi ex hoc concludens prius carnem Christi fuisse conceptam, et deinde a Verbo assumptam; sed crede, simul in conceptione animam et carnem assumptam, et in assumptione, acceptam et conceptam. Unde Augustinus : « Firmissime tene et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis priusquam in utero susciperetur a Verbo, sed ipsum Verbum Deum suæ carnis a conceptione conceptum. »

Pones igitur in arca testificationem quam dabo tibi, ut credas de Christo testificationibus Dei, quia testificatus est Pater de Filio suo, ut acquiescas oraculis et testificationibus prophetarum et apostolorum de Christo, quia testes sunt Dei, ut scriptum est : *Vos estis testes mei* (*Matth.* XLIV, 8), et in Actibus apostolorum : *Et eritis mei testes in Jerusalem*, etc. (*Act.* I, 8.) Est etiam testificatio quæ in arca ponitur, lex seu decem legis mandata, quæ in duabus tabulis scripta sunt; secundum Apostolum vero : *In arca erant duæ tabulæ testamenti*, erat *urna aurea habens manna*, erat *et virga Aaron quæ fronduerat* (*Hebr.* IX, 4). Tabulæ testamenti designant omnem scientiam paternorum secretorum in Christo, et omnem potentiam judiciorum; in illis enim et fides divinitatis inscripta erat, et mandata quibus servire Deo oportet, et judicii discretio qua se odientes damnat et diligentes remunerat. Urna aurea, anima Christi; *habens manna*, id est omnem plenitudinem divinitatis. *Virga Aaron*, potestas sacerdotii justa, *quæ fronduerat*, altera die resurrectionis, non exspectata communi resurrectione. Hæc omnia in arca, id est in Christo fuerunt, et hæc est testificatio quam dedit Dominus. In testimonium enim suæ bonitatis et nostræ rebellionis, hæc omnia fecit Deus, ut ait Job (X, 17): *Instauras testes tuos contra me.*

Sequitur : *Facies et propitiatorium de auro purissimo* (*Exod.* XXV, 17). Arca de lignis sethim prius circumtegitur auro, deinde reponitur in ea testificatio, tertio supertegitur propitiatorio, id est tabula quæ appellabatur propitiatorium. Quid nobis, Domine, quid nobis incarnatio, quid testificatio tua prodesset, si propitiatio deesset? Cumulo beneficiorum tuorum reatus noster augeretur, nisi cum beneficiis indultis, beneficium propitiationis supererogaretur. Nam sola ingratitudo damnaret, nisi et

ingratitudinem indulgentia propitiationis exciperet : quo namque numerosiora Creatoris beneficia, eo indefesse gratiosiora nostra debuerunt rependi obsequia. Sed unum præ aliis, suæ bonitatis strictius religavit beneficiorum vinculum ; quo spretus non aspernaretur, ejectus non abjiceret, offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra injuria, sed requireret, sed reduceret. Quis hoc cacumine pietatis elevatus est, nisi Jesus? quis hunc verticem gratiarum subiit, nisi Filius olei? quis tantos gurgites misericordiarum de ventre suo evomuit, nisi propitiatorium? Plane si in Jesu aliquid est melius ipso Jesu, id mihi est propitiatorium, id est reconciliatorium. Sed Jesus totus desiderabilis, sed totus amabilis. Amabilis ergo in arca, amabilior est in propitiatorio ; desiderabilis ex bonitate, sed desiderabilior ex propitiatione, quæ est pinguedo bonitatis, quia *superexaltat misericordiam judicio* (*Jac.* II, 13). Inde in missa saluberrimæ immolationis, sacerdos ante illam supplicationem qua rogat perferri hostiam illam ante sanctum altare in conspectu divinæ majestatis suæ, præmittit propitiatorium dicens : *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel*, etc. Nisi enim hoc quasi verecundiæ humanæ et pavoris præmisso velo, ad inconspicabilem illius faciei fulgorem accedere peccator non præsumeret. Sed hac propitiatorii tabella præmissa, quoscunque solis radios non veretur præ ardore, nec erubescit præ splendore. Propitio igitur ac sereno vultu non respiceret Deus, nisi propitiatorium homo haberet, quod irato objiceret, quod commoto ostenderet, quod percutienti opponeret.

Sed de qua materia hoc fiet propitiatorium? an de lignis sethim? absit! nam habent similitudinem spinæ albæ, et, si non pungunt per veritatem, timentur tamen propter speciem. Sic incarnata sapientia, cum redargueret homo homines, et ovina innocentia nullum condemnaret, tamen mala Judæorum conscientia gravem ad videndum propter lippitudinem suam repugnabat, timens illum judicem malorum suorum et non Salvatorem animarum. Mitius ergo adhuc propitiatorium quærit pusillanimis mortalium natura, id est Jesum benignum, quod totum et in naturæ veritate, et in similitudinis specie, et in nominis appellatione propitiationem resonet, indulgentiam propinet, gratiam resudet, quod excipiat lapsum, quod consolidet remissum, quod reparet perditum, quod vincat in bono malum. Propitiatorium non attendit judicium : merita non invenit, sed facit ; non numerat anteactos errores, sed amputat. Propitiatorium veritatem accusantem procul stare jubet ; innocentem servare accelerat. Propitiatorium natat in sanguine Jesu, tanquam navis in flumine ; propitiatorium de superstibulo meretricem suscipit, et omnes ejus abominationes citissime diluit, fugitivum excipit et patriæ reddit, languidum accipit et sanat, cæcum et illuminat, leprosum et curat, mortuum et suscitat.

Sed unde hoc propitiatorium? *de auro purissimo* ; de auro purissimo fuit propitiatorium, in quod latro ille de cruce vultus defixit ; cui pessime merito, non solum supplicium gratia remissionis indulsit, sed etiam paradisum eodem die vera et copiosa propitiatio Dei contulit. De auro purissimo fuit propitiatorium Redemptoris nostri, quia in eo non præcedentia humanæ naturæ merita, sed præveniens gratia ipsam naturam Verbo univit et reconciliationem seu propitiationem Dei et hominis complevit. De auro purissimo fuit, qui de Spiritu sancto conceptus, et de integerrima Virgine natus fuit ; de auro purissimo est qui gratiam suam, bonis et malis tribuit. De auro purissimo est qui facit, ut *ubi abundaverit delictum, ibi abundet gratia* (*Rom.* v, 20). De auro purissimo fuit, qui igne clarescit, malleo proficit, passione dulcescit, morte virescit, contumelia mansuescit, paupertate affluit et in pretio omni pretio pretiosius elucescit.

Sequitur : *Duos cubitos et dimidium, tenebit longitudo ejus* (*Exod.* XXV, 17). Eadem mensura est arcæ, quæ propitiatorii in longitudine et latitudine : est autem hæc longitudinis mensura, quinque palmorum, quia duo cubiti et dimidius faciunt quinque palmos, salva majorum auctoritate ; propitiatorii nostri quinque palmos in longitudine, quinque illas corporis sui plagas non absurde intelligendum puto. Eo usque etenim longanimitatem patientiæ suæ extendit, ut his prætitulatus quinque notissimis et nominatissimis plagis, a quinque nos liberaret capitalibus miseriis ; prima quarum nos urgebat crudeliter, servitus diaboli, secunda fortiter vinculum peccati, tertia flebiliter, exclusio paradisi ; quarta instanter, exsilium mundi et pœna temporalis ; quinta miserabiliter, pœna æterna inferni. In his quinque porticibus jacebat languens humana natura, et nisi haberet hominem, imo propitiatorem, qui per singulas porticus, pedagii pœnas pro se solveret, et in aquam de latere fusam, per sacramentum baptismatis inferret, non evaderet.

In primo palmo sive plaga propitiatorii, a potestate diaboli liberamur de qua dicit Apostolus : *Regnavit mors*, id est diabolus, *ab Adam usque ad Moysen*, etiam in eos qui non peccaverunt, *in similitudinem prævaricationis Adæ* (*Rom.* v, 14). Ait autem Apostolus : *Quia, sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV, 22) ; *destruxit* enim *eum qui habebat mortis imperium* (*Hebr.* II, 14), et sic a diabolo liberavit.

In secundo palmo et plaga a peccato, quæ est pessima, vehementer liberamur, quando in sanguine Christi justificamur, id est a peccato solvimur et per hoc a vinculis diaboli expedimur. In tertio palmo et plaga propitiatorii, a tertia plaga quæ est exclusio paradisi, sanamur cum illud primum Dei decretum judiciale, ex sententia veritatis prolatum,

de expulsione hominis a paradiso propter peccatum immutatum et melioratione pietatis nostri propitiatorii, impiente ipso propitiatorio decretum quod prius promulgaverat, solvendo quod non rapuit, ut sua consummatissima humilitate vinceret culpam quam contraxerat genus humanum in primi hominis elatione. Aperuit itaque paradisum et revocavit erroneum. In quarto palmo et plaga, a quarta curamur, quæ est afflictio temporalis et exsilium mundi; sed interim in spe, nondum in re. In quinto palmo et plaga propitiatorii, ab illa insanabili plaga, quæ est æterna pœna, liberamur, cum absoluta morte in victoria, de morte triumphamus, dicentes : *Ubi est, mors, victoria tua? ubi est*, mors, *stimulus tuus?* (*I Cor.* xv, 59.) Hæc de longitudine propitiatorii.

In latitudine autem, habet cubitum et semissem, id est tres palmos. Trinitati namque in propitiatorio reconciliati sumus, ut jam habeamus pacem per Christum ad Deum, labe præteritorum delictorum, scaturigine præsentium, et caligine futurorum in sanguine Agni exuti. Abscondit propitiatorium in latitudine charitatis qua dilexit nos, præcedentia nostra delicta, mitigat præsentia, præscindit futura. *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* iv, 8), qua *propitiatur Deus omnibus iniquitatibus nostris* (*Psal.* cii, 3), non eas approbando, sed delendo.

Sequitur : *Duos quoque cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi* (*Exod.* xxv, 18). Christus, qui est arca in incarnatione, propitiatorium in passione : *Paulo minus ab angelis minoratus est*, ut ait Apostolus, *secundum carnis passibilitatem* (*Hebr.* ii, 9). Duos itaque cherubin aureos, id est angelos, ex utraque parte oraculi, fieri jubet Dominus, ut plane intelligas ministerio et mysterio Dominicæ incarnationis nunquam defuisse ministratorios spiritus, qui, ut in Evangelio scriptum est : *Accesserunt et ministrabant ei* (*Matth.* iv, 11). Horum ad sese charitas et concordia perfecta designatur, cum duo fieri jubentur : *Væ* enim *soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem se, si autem fuerint duo fovebuntur mutuo* (*Eccli.* xiv, 10). Singularitas procul dubio præsumptionis in Lucifero cecidit, cum rupto fœdere societatis angelicæ, in altum se tendens, venas in se gratiæ rupit. *Non* enim *habuit sublevantem se*, quia indignus fuit reparatione, quia charitate gemina vacuus reparari non meruit. Hi vero angeli qui suum servaverunt domicilium, subjectione debita Creatori servata, et dilectione mutua custodita, nidulo suo mutuo foventur, et ad partum obedientiæ præparantur. *Aureos et productiles*, varia quidem et ambigua de statu creationis angelicæ fertur ab inquirentibus disputatio, nullam quibusdam assentientibus, fuisse moram inter creationem et lapsum malorum angelorum, juxta illud : *Ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit* (*Joan.* viii, 44). Unde Augustinus : « Non frustra putandum est, ab ipso initio temporis vel conditionis suæ, diabolum cecidisse et in veritate nunquam stetisse; » aliis econtrario probantibus omnes creatos esse bonos, id est sine vitio et justos, id est innocentes; sed non justos, id est exercitium virtutum habentes.

Aliqui etiam fuisse moram dicunt inter creationem et lapsum, et quod in illa brevitate temporis, omnes boni erant, non per usum liberi arbitrii, sed per creationis beneficium. Hæc verior est sententia; quia naturam angelorum bonam fecit Deus, nec naturam, sed voluntatem malam puniendam fuisse credendum est, nisi quia et propter voluntatem malam, bona aliquando punitur natura. Aureos ergo cherubim fecit Deus, quia liberi arbitrii quia simplicis essentiæ et immaterialis constituit; quia per rationem inseruit intelligentiam, memoriam et voluntatem; quia personaliter singulos et numero et merito discrevit. Productiles quoque facti sunt cherubin, non quia volentes averti vel converti, creati sunt, sed quia habiles ad volendum hoc vel illud; post creationem vero quia productiles facti sunt spontanea voluntate, alii elegerunt bonum, alii malum et de operante gratia, quam acceperant in creatione servata cooperantem meruerunt; qua non sicut ex operante justificatur impius, sed qua cooperante, juvatur ad bene volendum et perseverandum pius. Productiles itaque facti sunt, qui de bono ad melius, proficere potuerunt. *Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero* (*Exod.* xxv, 19); ex hoc innuitur, vel separatio quæ facta est per conversionem bonorum ad Deum, et aversionem malorum a Deo, tanquam inter lucem et tenebras, vel illa desistentium et ministrantium distributio, qua invisibili Deo, alii semper assistunt, alii ad exteriora ministeria obedientes exeunt. *Cherub unus in latere uno*, scilicet dextro fuit, qui obedivit; cherub alius in altero, sed in sinistro, qui superbivit. Vel cherub unus, in latere uno cœli; alius, in latere inferni.

Sequitur : *Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas et operientes oraculum* (*Exod.* xxv, 20). Ad judicium veniente Domino, utrumque latus ejus cherubim tegunt, quia circumstantibus angelis, mali *videbunt in quem pupugerunt* (*Apoc.* i, 7), et non videbunt gloriam salutaris Dei. Boni vero, revelata facie, videbunt et lætabuntur *quod oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit* (*I Cor.* i, 9). Utrumque latus tegunt, quia *separabunt malos de medio justorum* (*Matth.* xiii, 49), et quia colligent filios Dei a quatuor ventis cœli, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. Ubi eras, cherub, qui dextrum latus Salvatoris tegere debes; cum lancea inferretur, cum latus aperiretur? an aderas, sed a defensione prohibitus eras? sicut ille cui dictum est : *Mitte gladium in vaginam tuam?* (*Joan.* xviii, 11.) Non vidit te cæcitas Judæorum in passione, quem vidit asina Balaam vesani prophetæ in itinere. Asina declinavit, et te viso expavit; Judæus te, utrumque latus propitia-

torii tegente in tabernaculo non intellexit, et ideo irreverenter in sanguinem innocentem impegit! Sed plane nudavit utrumque latus propitiatorii, qui venerat pati, ut ad singulare certamen accederet, *et adjutorium gladii* (*Psal.* LXXXVIII, 44) sui averteret: *Torcular*, inquiens, *calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (*Isa.* LXIII, 3). Forte propitiatorio de propitiatione aliquid minueretur, si non expertis patientiæ viribus, totum quod potest malitia adversarii, in dextro latere propitiatorii absque temperatura exciperetur. Ideo etiam clamat in cruce humanitas non causa querimoniæ, sed causa doctrinæ dicens Divinitati: *Utquid dereliquisti me?* (*Matth.* XXVII, 46.) Quasi ad hoc me dereliquisti, non personali separatione, sed auxilii retentione, ut probares, si tanta in me perseveraret patientia quanta est adjuncta gratia, ne immerito humanitati illi sapientia unita diceretur, cujus tanta in passione patientia non probaretur. Non ergo cessaverunt utrumque latus propitiatorii tegere cherubin etiam in passione, sed compassione non defensione.

Utrumque etiam latus propitiatorii tegunt, quia martyres in persecutione protegunt, ne deficiant a fide; confessores in pace, ne tepescant a charitate. *Expandentes alas, et operientes oraculum!* Oraculum nihil aliud est quam propitiatorium, sed ideo dicitur oraculum, quia divina ibi dabantur responsa, ut in sequentibus demonstrabitur, ut dicitur: *Inde præcipiam et loquar ad te super propitiatorio* (*Exod.* XXV, 22). Expandunt itaque alas cherubin et operiunt oraculum, quia secretorum Dei mysteria malignis spiritibus et profanis hominibus abscondunt, quia *bonum est celare regis consilium, et gloria Dei investigare sermonem* (*Tob.* XII, 7; *Prov.* XXV, 2). Expandunt alas, ut nostra ad Deum perferant; operiunt oraculum, ut ad nos auxilium divinum referant: *Respiciantque se mutuo, versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca Domini* (*Exod.* XXV, 20); brevi clausula concludit quomodo angelicæ potestates se in Deo diligant, dicens: *Respiciantque se mutuo*, et quomodo Deum in se magnificent, subjungens: *Versis vultibus in propitiatorium.* Non enim vertunt vultus in propitiatorium qui sese mutuo non respiciunt, quia, *qui proximum quem videt non adiligit, Deum quem non videt quomodo diligere potest?* (*Rom.* XIII, 8.) In mutuo respectu, fraterna dilectio, in verso vultu in propitiatorium, humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur.

Inde præcipiam et loquar ad te: desuper propitiatorio scilicet, ac medio duorum cherubin, qui erunt super arcam testimonii: *cuncta quæ mandabo per te filiis Israel* (*Exod.* XXV, 22); ecce locus ubi loquitur Deus! non est locus ut iste locus qui est locus consilii, refugii et auxilii. Dubitas de quæstione aliqua? vade ad oraculum, ad propitiatorium, ad medium cherubin, quia ibi est *Deus scientiarum Dominus!* (*I Reg.* II, 3.) Oppressus es a tribulatione? curre ad propitiatorium, quia ibi est Deus auxilii; naufragaris a tentatione? apprehende oraculum et propitiatorium, quia ibi est *Deus nostrum refugium* (*Psal.* XLV, 2). Ecce de medio cherubin consolationes Dei lætificant animam tuam, quia *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (*Psal.* XC, 11). Ecce, desuper propitiatorio præscriptionis nostræ sententia tollitur, et nomina nostra in Libro vitæ inscribuntur. Ecce de oraculo: *Vox turturis in terra nostra* (*Cant.* II, 11) auditur: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* IV, 17). Animadverte, simul arcam propitiatorium, oraculum et cherubin convenire ad divinam super humanis sententiam ferendam. Arca movet incolatus nostri quæstionem, propitiatorium exsequitur causam, oraculum profert sententiam diffinitivam, cherubin executioni mandant quod egressum fuerit, sive bonum sive malum, de labiis oraculi. Bonum namque est de oraculo, oraculum quod absolvit, quia jucundum; quasi vero malum quod condemnat, quia ægre et acerbum!

Assiduemus cultum solemnem in obsequium sanctorum, quo refricetur arcæ memoria super calamitatibus nostris: exoneremus coram propitiatorio sarcinas nostras, quatenus non suis holocaustis, sed nostris miseriis complacatum propitietur. Oraculo, *voluntaria oris nostri eloquia* (*Psal.* CXVIII, 108), tam in nostra accusatione, quam in gratiarum actione offeramus. Cherubin tanquam fratres et amicos honoremus: quorum et patrocinio adjuti laqueum scandali caveamus, et vehiculo sublevati patriam repetamus. Superesse aliam de arca et de cherubin expositionem Bedæ, non ignoramus, ubi arca intelligitur Ecclesia quæ de imputribilibus lignis, id est sanctis animabus ædificatur; et in fide Evangelii, per quatuor mundi partes distenta, coronam vitæ a Deo exspectat, habens in se tabulas testamenti, in continua meditatione legis; urnam auream cum manna, in fide incarnationis Domini; virgam auream quæ fronduerat in participatione regni et sacerdotii Domini; propitiatorium desuper, ut cuncta bona a Deo se accepisse cognoscat; cherubin, angelica præsidia vel testamenta, quibus vivere instruimur.

Sunt autem super propitiatorium, utique ejus sustentata subsidio, ut eo veracius Ecclesiam juvent, sive angelica ministeria sive divina eloquia, quo ipsa fundata est in fundamento summæ veritatis. Item Gregorii expositio de arca, parum differt ab his quæ superius posita sunt. Arca, inquit, est Ecclesia; quatuor circuli aurei, quatuor Evangeliorum libri; quatuor anguli, quatuor partes mundi; vectes de lignis sethim, fortes et perseverantes doctores, portant arcam, cum aliis prædicant, semper inhærent circulis, per unitatem Ecclesiæ; auro operiuntur scientiæ, semper in circulis in lectione, ignominiosum enim tunc quærere, cum quæstionem debeat enodare. Hæc ideo summatim de dictis san-

ctorum recolligo, ut, si opusculum nostrum propter se displiceat, vel propter sanctorum sanctas reliquias non usquequaque abjiciatur. Etsi enim ligneam pixidem propter se non suscipio; tamen, quia continet sanctorum corpora et ossa, debita veneratione illam excipiens, summis digitis lotisque manibus tenens lignum, aliter quam lignum honoro.

Moraliter cor hominis est arca aut Dei aut diaboli. Ut autem sit arca Dei, et mensuram arcæ teneat et materiam : materia sit imputribilis, ut lignum vitæ, mensura æqualis, ut virtus temperantiæ. Virtutes itaque quæ solæ sub sole non marcescunt vel putrescunt, arcam nostri cordis compingant, ut et depositum Dei in ea non corrumpatur propter incorruptionem arcæ, et religionis propositum semel susceptum non deseratur per virtutem constantiæ. Alterum Deo, alterum sibi paret homo. Deo exhibeat custodiam sui depositi quod est gratia, dignitati suæ, stabilimentum fidei retineat, quia variari non debet imago Dei, levi hujus mundi jactura. Arca nec fracta sit, nec vacua; si plena esset, sed fracta arca, damnum timeres; si integra, sed vacua, inaniter ab ea subsidium sperares. Denique, cum fuerit sana et plena arca, clausa sit et signata : clausa ne mures intrent, signata ne fures aperiant. Clave serretur et reseretur, dæmonibus serretur, amicis et famelicis reseretur. Attende, o anima, ut sit arca tua sana fide, plena charitate, clausa humilitate, signata stabilitate, reserata confessione et gratiarum actione. Clavi denique obedientiæ obtemperet in conclusione et in apertione.

De lignis sethim compingatur, multarum virtutum conquadratione. Longitudine duorum cubitorum et semis extendatur, ab inchoatione scilicet boni operis, mediante patientia peregrinationis, usque ad perseverantiam finiendi laboris. Latitudine autem dilatetur arca, uno cubito et dimidio, ut Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, plusquam se diligat, qui est perfectus cubitus; proximum vero tanquam se, qui est dimidius, non pro imperfectione affectionis, sed pro imperfecta exhibitione operis. Pleno enim affectu debemus proximum diligere, sed vix semipleno affectu, necessitates ejus possumus excusare aut explere. Neque enim proximum suum amat, quicunque pallium in frigore (ut Martinus) non dimidiat. Profecto pene amplius dimidio cubito Martini dilectio se extendit, cum se spolians et deturpans pallio dimidio, frigori et illusioni exposuit. Potes habere dimidium in latitudine dilectionis per affectum etsi non per effectum, cum re coarctaris, sed pietate dilataris. Ad proximum habe semiplenum exhibitione, ubi non potes plenum pro necessitate, et habet arca tua cubitum et dimidium in latitudine, quod ad te quidem plenum, extra te semiplenum. Habe ergo ad Deum plenum cubitum dilectionis per affectum, quia non indiget semipleno nostro in supplendis necessitatibus suis. Ad proximum habe semiplenum, quia nemo ante finem suum securus est de perseverantia sui operis.

Recta intentio in inchoatione unus cubitus est, patientia in tribulatione, alter cubitus, dimidius in timore et dubietate perseverantiæ. In altitudine cubitum et semissem habet arca, cum de communi spe fidelium superexcrescit suggestione virtutum et confidentia gratiæ ad id quod merita tua excedit futurum præmium. Unum cubitum habes altitudinis in morte Christi, in qua communiter omnibus fidelibus data est spes salutis et redemptionis. Dimidium quoque cubitum habes ex perceptione sacri baptismatis, in quo jam quidem justificaris, sed nondum glorificaris. Dimidiatur ergo cubitus iste in justificatione, implebitur vero in glorificatione. Imples unum cubitum spei, quando per sacramenta fidei es in corpore Christi, alium nihilominus inchoas, cum arrhas secuturæ gloriæ, occulta et singulari prælibatione spiritus degustas. Si fides ignoratur, cubitus non perficitur; si mens adoptione spiritus subarrhatur, alius cubitus non dimidiatur. Hæc de altitudine arcæ.

Sequitur : *Et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris* (*Exod.* xxv, 24); auro mundissimo intus arca deauratur, si mens ab immunditia emundatur; intus deauratur, cum nova sobole virtutum fecundatur; intus deauratur, cum nullæ sordes in mente relinquuntur. Foris deauratur, cum sermo rarus et verus, cum oculus simplex et pudicus, cum manus pia et larga, cum auditus purus et castus, cum incessus rectus et bonus, cum in toto corpore oculi, magna cautela et circumspectione, ante et retro circumfunduntur. Vide arcam intus deauratam : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i, 12); et alibi : *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* iv, 4); item : *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*Job* xxvii, 6). Vide foris deauratam : *Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer aut ab humano die* (*I Cor.* iv, 3). Zacharias et Elisabeth deaurati erant intus, quia *justi* erant *ante Deum*; foris, quia incedebant *in omnibus justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* i, 6). Bene deaurata est arca intus et foris, cujus anima et conscientia bona Deo et angelis jungitur, cujus fama apud fideles et infideles magnificatur. Auro mundissimo arca deauratur, cum solius Dei causa, cogitationes in mente castigantur, et bona opera exercentur.

Sequitur : *Faciesque supra coronam auream per circuitum* (*Exod.* xxv, 24). Super arcam, coronam auream facimus per circuitum, cum proposita mercede cœlesti extra hanc nihil quærimus, nusquam evagamur ab ea, nunquam mente excidimus. Semper coronam auream super arcam gestamus, cum finem et intentionem omnium nostrorum tam operum quam desideriorum Deum proponimus, et hoc per circuitum, ut nulla pars animæ studiorum bonorum interruptionem admittat, nulla vitæ pars

excursum extra Deum faciat. Per circuitum est corona aurea cum in conspectu tuo semper proponitur vita æterna, et omnes anfractus temporalis vitæ cogis infra metas æternæ gloriæ. Reclude vitam in vita, sed meritoriam in remuneratoria, sed miseram in beata, sed transitoriam in æterna, sed umbraticam in vera.

Sequitur : *Et quatuor circulos aureos quos pones per quatuor arcæ angulos* (*ibid.*, 26). Angulus est ubi capita duorum parietum sese conjungunt ; quatuor vero parietes in domo, ubi singula eorum capita copulantur angulos quatuor faciunt et omnis quadrangula forma quatuor parit angulos. In animo denique nostro sunt quatuor passiones sive virtutes naturales, quæ angulos faciunt ; timor, spes, tristitia et gaudium. Ubi timor spei infigit tignum suum et spes timori, angulum faciunt. Ubi tristitia gaudio accedit sive gaudium tristitiæ, rursus alium angulum faciunt. Si desiderio tristitiæ timorem innectas, tertium angulum feceris, si spei addas gaudium, quartum. Ecce quando separatim times supplicium, aut speras præmium, aut tristaris de exsilio, aut gaudes de promisso, nondum angulum habes, sed commisce capita singulorum, ut cum spe timeas, cum timore speres, cum gaudio desideres, cum desiderio gaudeas, et cum gaudio timeas, et cum desiderio speres, vel cum spe desideres et angulos fecisti. Tene angulos et sede in angulo, quia *melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa in domo communi* (*Prov.* xxv, 24). Timor namque si te occupaverit, et nimium oppresserit ex recordatione præcedentium delictorum ; præbeat spes caput suum, ut erumpat ante faciem tuam abyssus misericordiam Dei, et leniat aristam miseriarum tuarum, quam timor accusans memoriæ deportaverat. *Accubans* igitur *inter terminos* (*Gen.* xlix, 14), plange hinc peccata tua, inde respice misericordias Dei, et pondus pavoris compesce securitate divinæ bonitatis.

Rursus, si nimio desiderio gloriæ et faciei Dei afficeris et affligeris plus quam tolerabile sit, amplectetur desiderium tuum, suadens cum patientia exspectandum, quia *veniens veniet, et non tardabit* (*Habac.* ii, 2). Sacramentorum suavissimum fructum futurum promittens, et interim florem in specie visibili non indecorum ostendens. *Inter* istos quoque *terminos accubans*, exspecta *donec aspiret dies et inclinentur umbræ futurorum* (*Cant.* ii, 17), quæ sunt in sacramentis fidei, *donec lucifer oriatur* (*II Petr.* i, 19), ut patescat rerum veritas in facie manifestationis quæ nunc latet in umbra fidei. Item si gaudium de præsentis Ecclesiæ decore, nimium detentum mentis pedem movere lentius ad futura cœperit, quasi suadens de malitiæ labore (si fuerit prolixior) pleniora mereri donativa, accurrat desiderium, et excitet male sopitum gaudium, insinuans stationem infidam esse juxta castra allophylorum seu Philisthinorum, et sæpe acquisitis caruisse, dum ambiuntur superflua, nec *glorietur accinctus* A *æque et discinctus* (*III Reg.* xx, 11), quia de regno sine regno gaudere ambiguum est, de regno autem in regno gloriari totum et certum. O gaudium quod præcoquas uvas præ immatura maturitate, mane jam comedis! quare dictum est apostolis : *Expedit vobis ut ego vadam?* (*Joan.* xvi, 7) cur nisi ut nunquam gradum sustinerent, donec ad illum pervenirent? Sed forte placet tibi lucrum aliorum, aliquando dum captatur lucrum, successit damnum. Et Apostolo *mori est lucrum* (*Philipp.* i, 21).

Stimulatur itaque sic gaudium a desiderio et cursu renovato, currit gaudium cum desiderio. Item, si spes inaniter abjecto timore, plusquam justum sit, caput in nubes extulerit, timor stateram justam deferat, et de quantis atque in quantum B sperare promeruerit appendat. Quid pro Deo fecerit, et quid contra Deum commiserit enumeret, et quantum sperare vel non sperare debeat, intelliget. *Cadent enim a latere tuo*, ait Psalmista, videlicet *mille* qui sine operibus tecum in judicio stare præsumebant, *et decem millia a dextris tuis* (*Psal.* xc, 7), qui sine merito merita jactabant. Levitati ergo spei, timor pondus opponat, ut non vento sed veritati se credat. Longum est, quid in singulis angulis dicendum vel cogitandum sit explanare, sed sedens in angulis angulos tuos revolve, et pluriora et meliora his appone. Denique, *pones quatuor circulos aureos per quatuor arcæ angulos*, secundum angulos pone circulos. Primus circulus est meditatio mortis C continua, secundus mortificatio corporis assidua, tertius confessio peccati spontanea, quartus subjectio prælati voluntaria. Meditatio mortis in angulo timoris et spei, mortificatio corporis in angulo spei et timoris, confessio peccati in angulo desiderii et timoris, subjectio prælati in angulo gaudii et spei. Profecto angulus timoris bene capit circulum meditationis mortis, quia qui mortem meditatur, timet committere unde damnetur. Unde : *Fili, memorare novissima tua, et non peccabis in æternum* (*Eccli.* vii, 40).

Item angulus spei, apte recipit mortificationem corporis, quia *qui arat, in desiderio debet arare, et qui triturat in spe* (*I Cor.* ix, 1) percipiendi fructus. Ideo enim mortificanda sunt corpora, quia *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo ; cum enim* D *Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum justitia in gloria* (*Col.* iii, 4). Item angulus desiderii, confessionem peccati non immerito excipit, quia non nolendo sed volendo, non cum tædio, sed cum desiderio facienda est confessio. A latrone enim et reo extorquetur tanquam ab invito et deprehenso professio furti ; a peccatore pœnitente suscipitur, tanquam grata hostia confessio : *Voluntarie*, inquit Psalmista, *sacrificabo et confitebor nomini tuo, quia bonum est* (*Psal.* liii, 8). Item angulus gaudii et spei, subjectionem voluntariam, quia *cum creatura liberabitur a servitute subjectionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom.* viii, 2), et illi simul liberabuntur qui *non ad oculum servientes*

(*Col.* III, 21) subjiciuntur prælatis, qui Domino spontanei obtulerunt animas, qui sicut Christus obediens fuit Patri usque ad mortem, dicens : *Mi Pater, non quod ego, sed quod tu* (*Marc.* XIV, 36). Sic isti animas suas ponunt in manibus suis, obedientes cum gaudio et spe præpositis suis. Aurei sunt circuli isti, ut in charitate, claritate, sapientia et castitate fabricentur. In charitate ut excludatur necessitas, in claritate ut removeatur obscura duplicitas, in sapientia ut tollatur temeritas, in castitate ut amputetur superfluitas. Charitas est in subjectione, claritas in confessione, sapientia in meditatione, castitas in mortificatione.

Sequitur : *Duo circuli sint in latere uno, et duo in altero* (*Exod.* XXV, 12). Meditatio mortis et mortificatio corporis, in uno latere sunt, animam ne peccet custodientes ; confessio et subjectio in altero, animam si peccaverit corripientes. Nisi enim peccaret homo, nec confessione indigeret, nec objectione. Rursum, nisi peccare posset vel timeret, superfluo se mortificaret aut mortem cogitaret. Sequitur : *Facies quoque vectes de lignis sethim, et operies auro inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis* (*ibid.*, 13). Judicium et justitia sunt vectes de lignis sethim, quos ut portaretur arca, fecerat Psalmista, dicens : *Feci judicium et justitiam* (*Psal.* CXVIII, 121), et : *Beati qui custodiunt judicium et faciunt justitiam in omni tempore* (*Psal.* CV, 3), propter ligna sethim quæ imputribilia sunt. Ita nec amore, nec odio, nec fraude, nec gratia, nec pecunia corrumpendus est animus, qui debet facere judicium et justitiam in omni tempore. *Operies eos auro*, ne facias *justitiam tuam coram hominibus ut videaris ab eis* (*Matth.* VI, 1), *sed in abscondito* (*Rom.* II, 29) ; sed coram Deo, ut glorificetur Pater tuus qui in cœlis est. Operies eos auro, ut bonum bona intentione facias. Vectes illi non fuerunt operti auro, qui *receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2), pietate quæstum æstimantes, ut omnis labor eorum esset in ore ipsorum, *quorum* denique *tecta sunt peccata* (*Rom.* XIV, 7) per pœnitentiam, illi sunt tecti auro. Unde cuidam dicitur : *Age pœnitentiam, alioquin movebo candelabrum tuum de loco suo* (*Apoc.* II, 5). *Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis.* Per circulos qui sunt in arcæ lateribus inducit vectes, qui per omnes angulos cordis et per circulos universæ suæ actionis, futuri examinis distr.-ctionem et justi judicis æquitatem semper ruminat, in ejus exspectatione gemens ut columba et sicut cervus ad fontes aquarum currens ad Deum vivum. Nunquam vectes extrahendi sunt, sed sunt semper in circulis, ut tota moles actionum et cogitationum nostrarum his subvehatur vehiculis. Invitor forte ad illicitum prandium, non vadam quia timeo judicium ; invitor ad concubitum, non facio quia leo est in itinere, et ignis est usque ad internecionem devorans. Unde quæcunque alia suggerentur officia corruptionis, sed contineo membra non exhibeo *arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 13). Non extraho vectes de circulis aureis, quia non utor ad malum, sed ad bonum virtutibus a Deo mihi collatis ut portetur in eis arca animæ, naturali sustentatione, non concupiscibili lenocinatione.

Sequitur : *Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi* (*Exod.* XXV, 16). Quid in anima quæ templum est Spiritus sancti reponendum, nisi testificatio Dei? Apostolus testificationem Dei in arca sua posuerat, qui dicebat : *Ipse Spiritus Dei testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei* (*Rom.* VIII, 16), id est arca Dei. Testificatio Dei est in cœlo, id est in arca, quoniam *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, Spiritus sanctus* (*I Joan.* V, 7) ; et non sunt testificationes, sed testificatio, quia *hi tres unum sunt* (*ibid.*). Si Pater in mente tua, Verbum in intelligentia tua, Spiritus sanctus est in dilectione vel voluntate tua, testificatio Dei est in arca tua, nihilominus Spiritus, aqua et sanguis, una testificatio Dei est, quando conservas impollute sacramentum regenerationis. Testificatio est in tabulis legis, ut in eis meditando et mores componas et linguam erudias. Testificatio est virga Aaron quæ fronduit ut in ea te esse de genere regali et sacerdotali recognoscas, regalibus [*f.* regaliter] in regimine motuum et membrorum agendo et sacerdotaliter, caste et devote vivendo. Testificatio est urna aurea habens manna, ut conscientia bona coram Deo gratia redoleat, et in monumentum justitiæ ad diem judicii conservetur.

Hæc omnis testificatio, non formidat tribunal Judicis, sed clamat confidenter, *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat, quis est qui condemnet?* (*Rom.* VIII, 33.) Adhuc tamen sequitur propitiatorium, quo si quid minus poterat testificatio, suppleret propitiatio. Sequitur : *Facies propitiatorium de auro purissimo*, etc. (*Exod.* XXV, 17), quantumcunque opulentissimo bonæ conscientiæ thesauro locupletetur anima, semper infra justitiæ regulam consistit, et si ad unguem, humana divinæ justitiæ comparetur teste Scriptura, *quasi pannus menstruatæ* (*Isa.* LXIV, 6) reputaretur. Elaboret ergo humana industria, cum gratia nec desidiæ arguatur, sed non præsumat de messe sua, ut stultitiæ condemnanda, cum fatuis virginibus excludatur. Supponat arcam propitiatorio, dicens cum Psalmista : *Quia melior est misericordia tua super vitas* (*Psal.* LXII, 4) ; nullum enim genus vitæ per se saluti sufficere, cum sine gratia nec nominari vita aut bonum opus valeret : *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Propitiatorium igitur faciendum est de auro purissimo, ut dicas : *Exaudi me, Domine*, non quia merui, sed *quoniam benigna est misericordia tua* (*Psal.* LXVIII, 17). Semper objiciendum Deo, non nostrum meritum quod malum est, sed naturæ et bonitatis suæ privilegium quo utuntur interdum pene audacius mali quam boni. Quia enim sine privilegii hujus auctoritate Pharisæus gratias

agebat, ut mendax prædicator repulsus est. Publicanus vero tenorem privilegii relegens, et de proprio nihil nisi reatum habens, summam precum suarum Judici allegans de communitate privilegii : *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* x, 31).

O propitiatorium! o propitiatorii privilegium! Nec immanitas, nec vetustas corruptæ mentis te abhorret; imo tu recipis omnia exsecrabilia hominum facinora. Indulges indulgenda; audeo dicere, secundum atrocitatem criminum pene etiam non indulgenda, nisi propitiatorium esses. Plane autem omnia potes et debes indulgere quæ indulges, ut *secundum nomen tuum, ita et laus tua* sit *in fines terræ* (*Psal.* XLVII, 11). Habes duos cubitos in longitudine, ut dimittas peccata cogitationum, operationum; habes dimidium, ut dimittas ambigua peccata, quæ ex collisione carnis et spiritus exsiliunt; quando excusans et accusans cogitatio sub caligine laborat, non deprehendens cujusnam [*vel* cujus naturæ scilicet] sit carnis vel spiritus, sit filius vivus vel mortuus, unde Psalmista : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII, 13). O propitiatorium, quia non solum habes duos cubitos, sed et dimidium, quia spe, nondum re salvas. Adjungit denique sibi propitiatorium duos cherubim aureos et productiles, non ad adjutorium vel ornatum, sed ad nostrum auxilium et ministerium. Voluit enim ministros habere qui discurrerent fideli legatione ad religatos, et viderent utrum prospera essent erga greges et pecora, et renuntiarent quid ageretur. Habet itaque propitiatorium angelos, *adjutorium simile sui* (*Eccli.* XVII, 5), non effectu potentiæ, sed ratione pietatis, quibus et tutius committeret secreta sua, et fidelius crederet ministeria nostra, et citius audiret petitiones nostras. Sunt autem ex utraque parte oraculi, ut cherubim unus sit in latere uno, alter in altero; duæ partes oraculi, sunt remotio malorum et adeptio bonorum. Unus namque propitiatorii cherubim est in latere uno, qui fugat mala a nobis, alter in altero, qui acquirit bona nobis. Totum enim (quantum ad nos) officium angelicum est, ut defendant nos a malo et conservent in bono.

Utrumque latus propitiatorii tegunt, quando differunt vel abscondunt interdum auxilium propitiatorii, ut exerceant nos tentationibus, et quando celant amorem propitiatorii, ut incitent ad quærendum ardentius. Cum Maria Dominum hortulanum crederet, nonne cherub unum latus ejus tegebat, ut quærendo, flamma amoris vehementius excresceret? Item, cum Petrus Dominum negaret, nonne alter cherub alterum propitiatorii latus tegebat, ut postmodum in recordatione negationis uberius fleret, et quid de humana adhuc fragilitate gestaret Princeps apostolorum agnosceret? Expandentes igitur alas, operiunt oraculum, quia divinis jussionibus obedientes, sub signaculo claudunt usque ad tempus et tempora, et dimidium temporis quæ sint super nos divina consilia, minus enim sollicitos efficerent, si prædestinatos esse innotescerent, efferatius quoque desperantes nos irritarent, si jam condemnatos manifestarent. Respiciunt etiam se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca Domini, quia in nostro consilio concordant semper a propitiatorio haurientes, quid sibi, quid nobis facere debeant. Inde præcipit et loquitur (super propitiatorio scilicet ac medio duorum cherubim) cuncta quæ mandat filiis Israel; a propitiatorio sive oraculo principaliter sententia decretorum firmatur, ut de omni quæstione filiorum Israel definiatur quid in occultis Dei celandum, et quousque quidque ad publicum deferendum sit et quando. Sed jam aquila reclinet volatus suos ad escam et ad mensam, ut de visione angelorum transeat ad refectionem ciborum.

LIBER SECUNDUS.

Facies et mensam de lignis sethim habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem (*Exod.* XXV, 23). Mensa de lignis sethim nunquam vacua refectione est, quia sancta Scriptura, nec sententiarum dapibus, nec ferculis exemplorum inanis est. De lignis vero sethim ideo est, quia *cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Marc.* XIII, 31). Ministratores hujus mensæ scriptores sunt et actores divinæ Scripturæ. Dominus mensæ Spiritus sanctus, qui et corda illustravit et linguas docuit illorum qui contrectaverunt de verbo vitæ, aperiens illis sensum ut intelligerent et scriberent miracula in lege Domini convivatores meditantes in lege Domini die ac nocte. Epulæ convivantium instructiones legentium, quibus sicut adipe et pinguedine repletur anima. Taurina caro, recitatio illorum qui jugum legis sub lege agentes sustinuerunt, servientes in cibis et potibus et variis baptismatibus usque ad præfinitum tempus a Patre, in cultura tantum legis frumentum gratiæ meditantes. Altilia juxta cœlum evolantia, aliud a tauris ferculum in mensa inferunt, quia contemplativorum vitæ et exempla, quomodo quæ sursum sunt quærere debeamus innotescunt. Omnia poma nova et vetera dilecta dilecto in mensa apponi, quia ab initio mundi fidelium nomina et opera et dicta et exempla sigillatim retinens in Scriptura totam mensam antiqua et

nova p trum memoria respergit. Hujus mensæ delicias tam impossibile est explicare, quam universum abyssi pelagus absorbere.

Habet quidem in longitudine duos cubitos, in latitudine vero cubitum, in altitudine cubitum et semissem. Longitudo mensæ actionem, latitudo dilectionem, altitudo designat spem seu contemplationem. Duos cubitos habet actio, munditiam et innocentiam. Unde : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27). Item : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Luc.* XII, 35). Unum cubitum habet latitudo, quia charitas una est et perfecta ; altitudo unum et semissem, propter unitatem spei cœlestis et initium contemplationis. Sequitur : *Et inaurabis eam auro purissimo* (*Exod.* XXV, 24). Scriptura quasi matrona quædam gravis et grandæva licet stibio, purpura et serisso recuset ornare genas suas rubentes satis naturali vigore et decore, tamen illis philosophorum studiis et doctrinis quæ tantummodo in facie verborum gloriantur, nequaquam inferior invenitur. Sensu namque majestas ejus venustior, numerosa sententiarum compactio validior, intellectus utilior, fructus uberior, lectio modestior. Hæc tam habitum quam vitium meretricum respuit, ut amplius placeat nucleus sub cortice quam mendax fucus in vertice. Inaurata itaque est, quia et facie pulchra et sensu est bona.

Sequitur : *Facies illi labrum aureum per circuitum et ipsi labio coronam interrasilem, altam quatuor digitis, et super illàm alteram coronam aureolam* (*ibid.*). Qui habet immunda labia nec habet labia sacerdotis, quæ custodiunt scientiam, non pertinet ad mensam, donec unus seraphim forcipe de altari tangat labia ejus. Non labia, sed labium et labrum aureum fit in mensa Scripturæ divinæ, quia non recipit hæreses et schismata quæ garriunt Patre Filium, et Filium minorem Spiritu sancto. Asserit autem Scriptura divina unitatem Trinitatis et Trinitatem unitatis dicens : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 3). Item : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV, 5). Aureo itaque labio plenitudinem ferculorum, et summam dapum concordi prædicatione mensa eructans, non inflatione buccæ et labiorum distentione utitur loquens grandia et magnificans labia sua. Quanto enim sensu altiora sunt divina eloquia, tanto voce modestiora et prolatione suppressa. Agni enim sunt voces qui clamavit, neque audita est vox ejus in plateis. Quidquid ergo eloquium sonat divinum et unum est fidei unitate, et aureum sensus profunditate. Unum ne dilanietur errore schismatico ; aureum ne vilescat sermone nudo et rustico. Per circuitum, ne agere credatur de transitorio bono. Æternum intellige et jucundum per labium. Intellige per labium vitale, per circuitum summum bonum, per aureum, vitale quod promittitur et jucundum per aureum, summum immortale per circuitum. Adde ipsi labio coronam interrasilem, ut corona exhibeat quod Scriptura promittebat et mordeat professionem, labium coronam bravii, tam fideliter solvens debitum, quam veraciter continuans promissum. Unde Psalmista : *Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam* (*Psal.* CXVIII, 116), et multa hujusmodi. Animadverte tamen coronam interrasilem propter meritorum in præsenti et in futuro præmiorum discretionem : fomentum siquidem negligentiæ et alimentum esset injustitiæ si præmium cœquaret, quos merito desperasset [*f.* meritum disparasset]. Quis vigilias excoleret, si dormiens fructum vigiliarum decerperet ? Quis corpus suum ignibus, jejuniis, macerationibus et innumeris passionibus contorqueret et decoqueret, si tam bene sonaret udum et molle corium in deliciis suis, quam clare resonat tympanum in distensionibus et rasuris assiduis ? Non stella a stella differret in claritate, si merita meritis præjudicarent in pondere. Corona ergo interrasilis est, quæ labio aureo superponitur, quia in distinctione mandatorum sequitur distinctio exsecutorum, discretio remuneratorum [*vel* remunerationum]. Alta est enim quatuor digitis, quia dum justitiæ plenitudo et gloriæ consummatio in quatuor Evangeliorum libris describitur, quasi quatuor digitis corona mensuratur.

Sequitur : *Facies altare*, etc. (*Exod.* XXVII, 1.) Rex ille magnus, cujus magnitudinis non est numerus, paulatim ad interiora foris evagantem retrahens animum, postquam tabernaculi ædificium consummavit, locum in eo specialiter sibi intitulavit, ubi placabiles hostiæ cremarentur et immolatione mystica ira cœlestis mitigaretur, et humani erratus ignoscerentur. Nominat autem illum locum altare, ipso nomine demonstrans altitudinem sacramenti, quia nulli nisi Deo aliquando altare consecrari debuit, et ad nullos nisi ad divinos usus. Sacratius itaque informans ad altare suum accedentes passibus virtutum, prius ad arcam testificationis, deinde ad propitiatorium. Ad mensam quoque refectionis eosdem collocavit, illuminans illam candelabro ductili, et septem lucernis suis. Deinde cortinas, saga, pelles arietum rubricatas, pelles hyacinthinas, super tabulas stantes, super bases expandit, columnas anteposuit et velum de hyacintho purpura, cocco bis tincto et bisso retorta appendit et interposuit inter Sanctum et Sanctum sanctorum. Hac deambulatione tanquam in paradiso justum deducit Dominus antequam accedat ad altare, ut cum Psalmista dicat : *Circuivi et immolari in tabernaculo ejus hostiam jubilationis* (*Psal.* XXVI, 6). *Altare* itaque *de lignis sethim facies* mihi, *quod habebit quinque cubitos in longitudine et totidem in latitudine, id est quadrum, et tres cubitos in altitudine* (*Exod.* XXVII, 1). Altare corda electorum, quæ ad offerenda opera operum a Domino consecrata sunt et debent esse munda et incorrupta, et quinque corporis sensus in longitudine patientiæ, et latitudine charitatis, in servitio fidei exercere, fide,

spe et charitate ad cœlestia tendere. Quæstio autem est ad litteram de altitudine altaris, quomodo ministrare aliquis valeret, cum vix tanta sit statura hominis, quanta altaris altitudo, et nullus gradus secundum legem fieri posset, ne pudenda revelarentur. Sed ita solvitur. In altari de lapidibus sive etiam de terra prohibentur gradus fieri, quia quasi cœdificati ipsi altari, ad altare pertinere videntur. In hoc vero altari de lignis potuit aliquod subsellium supponi hora ministerii, et expleto officio tali [*f.* tolli], nec fuit contra mandata legis.

Sequitur : *Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, et operies illud ære* (*ibid.* 2). Ecclesia in quatuor mundi partibus dilatatur in unitate fidei Catholicæ, vel quatuor virtutibus corda electorum muniuntur, sobrietate, prudentia, justitia, fortitudine, quibus utilius nil in vita hominum. Ex ipso procedunt cum non ad oculum finiuntur, sed ex cordis radice generantur. Operies illud ære, id est perseverantia. Sequitur : *Facies in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres* (*ibid.*, 3). Vasa ista diversa diversas fidelium personas in actionibus et officiis et cogitationibus designant. Cinis sacramentum Dominicæ passionis, vel perfectionem virtutis justorum designat. Causa cineris aliquid præter materiam dicendum. Moyses de holocausto ait : *Cremabitur in altari tota nocte*, etc. (*Lev.* VI, 9), id est toto tempore vitæ usque ad mane futuri sæculi, opus bonum in corde Deo devoti fervere debet igne charitatis. *Ex ipso altari erit ignis* (*ibid.*), quia ex illa charitate quam Dominus Ecclesiæ dedit ardere debemus. Alienum vero ignem offert qui opera cœlestia non pro mercede, sed pro lucro temporali facit et consumitur igne cœlesti, id est sententia iræ Dei. *Vestietur sacerdos tunica et feminalibus lineis* (*ibid.*), id est Christus suæ incarnationis puritatis et mortis (96) proponit. Tollit *cineres quos ignis exussit et* ponit *juxta altare* (*ibid.*), cum Dominus finem laboriosis operibus imponit et jubet coronam in vita æterna accipere. Spoliatur *prioribus vestimentis* (*Lev.* X, 11), cum ad memoriam reducens justis bona quæ fecerunt, non amplius laborandum ostendit, sed quieti cordium et divinæ contemplationi insistendum. *Indutus aliis vestimentis, efferet cineres extra castra* (*ibid.*), cum faciet videri in illa vita laborem sanctorum suorum remuneratione dignum.

In loco mundissimo qui est animus justorum ex hac vita sublatorum, holocausti cinis usque ad favillam consumitur, cum ibi bonorum operum merces ita redditur, ut omnis labor ad integrum consumatur. *Ignis autem in altari semper ardebit* (*ibid.*, 12), quia absumpto omni genere laborandi, charitas nunquam exstinguenda flagrabit. Ut lucidius intelligeres cujus utilitatis sint lebetes, quæ ad suscipiendos cineres fiunt ista latius exposuimus.

Et forcipes, inquit, *atque fuscinulas et ignium receptacula* (*Exod.* XXVII, 3). Forcipes sunt prædicatores, qui velut gemino dente utuntur, ut accendant in nobis ignem charitatis cum utriusque Testamenti paginis nos instruunt, vel cum geminæ charitatis virtutem infundunt, et hujus gratia ardere et lucere faciunt. Fuscinulæ quoque sunt, quibus victimarum coctæ ad esum reficiendorum afferuntur. Harum usus prædicatoribus congruit, quia doctorum est cuique personæ ministerium cum discretione committere, et alia quidem omnibus edenda efferant, alia ignibus altaris consumenda relinquant, quæ nostram capacitatem transcendunt. Ignium receptacula sunt batilla, quibus ignis et carbones ab altari holocaustorum ad altare thymiamatum transferebantur ad incensum ponendum mane et vespere. Quod fit, cum de virtute in virtutem auditores suos provehunt. Qui imitantur ferventia sanctorum corda, ipsi quoque receptacula ignium sunt. *Omnia vasa ex ære fabricabis* (*ibid.*), id est corda sanctorum perseverantia erunt et clara voce alios instruent.

Craticulamque in modum retis æneam, etc. (*Ibid.*, 4.) Ad litteram altare totum concavum est, et in medio habet craticulam in modum retis distinctam, in qua victimarum carnes comburendæ ponebantur et subter eam arula in qua compositis lignis ardet ignis ad devoranda holocausta paratus. Erat autem contra arulam, ostium in parte orientali altaris, quo ligna ad alendum ignem mitti, et carbones vel cineres possent egeri. In modum autem retis idcirco facta est craticula, ut per crebras aperturas ignis ad devorandam hostiam libere exeat. Mystice craticula locum intimo corde Domino paratum significat, ubi devotas cogitationes sancti collocant. *Per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli aurei, quos pones ante arulam altaris* (*Exod.* IV, 5). Ad litteram, mirum videtur quod altare de lignis tam vicino igne non urebatur. Sed dicit Jeremias, quia altaris ligna de lignis paradisi sunt, et ideo non cremantur igne, sed puriores redduntur. Et ne hoc incredibile sit, anthitau quoddam genus ligni, quanto plus arserit, tanto mundius invenitur. Mystice Evangeliorum libri qui promittunt coronam vitæ æternæ auditoribus suis, Ecclesiam per quatuor mundi plagas diffusam verbo fidei et veritatis confirmant, et animos humilium munimine suæ consolationis allevant.

Eritque craticula usque ad altaris medium (*ibid.*). Necesse est ut gratiæ Dei aperiamus corda nostra, quasi plurimis patefactis januis seduic deprecemur, ut per singula quæ inchoamus bona, quasi per singula victimarum ejus frusta, sua nos misericordia illustrare, et in amorem suum accendere dignetur. Pelagiani vero craticulam in modum retis; sed solidum parietem in altari cordis supponunt inter se et ignem Spiritus sancti, ne charitate calefiant. Altare non est solidum, sed cavum et inane

(96) Locus mendosus

ad ignem, ad holocausta, ad ligna consumenda, locum in se copiosum exhibens. Tu quoque si vis esse altare Dei, exinani te ipsum ab omni contagio terrenorum, ut intelligentia verborum cœlestium et hostiæ virtutum locum habeant spatiosum, capiasque flammam Spiritus sancti, quo Ecclesiæ hostiæ Domino consecrantur, et ad finem perfectionis perducuntur.

Facies et vectes altaris de lignis sethim duos quos operies laminis æneis, et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum (*Exod.* IV, 6). Quod de vectibus areæ, hoc de vectibus altaris mystice sentiendum est, nisi quod isti laminis æneis, illi auro operiuntur; laminæ autem significant instantiam prædicationis, et sonum in omnem terram auditum. Facies et mensam de lignis sethim habentem duos cubitos longitudinis et in latitudine cubitum ac semissem. Quod meditatio in arca reponit, memoria in mensa proponit. Metit namque et colligit meditatio tempore opportuno, quod exigit memoria pulsante et urgente necessitatis alicujus articulo. De arca mensa ditatur, cum de conscientia bona et fide non ficta oratio impinguatur, et prædicatio informatur. Velum quidem silentii interdum inter arcam et mensam appenditur, cum tantis labiis mens Deo et non sensu repletur, cum de adipe et pinguedine bonæ conscientiæ gratissimis eructationibus sancti prædicatores suos auditores reficiunt. Mensa ista nec viles, nec veteres panes habet, quia sicut duritiam vetustatis in panibus non novit, ne errore putrescant, sic utilitatem materiei respuit, ne vanitate sæculari sordescant. Neque enim ultra septenarium gratiæ panes in mensa morantur ne sine gratia loquaris, nec nisi de simila conficiuntur, ne veritatem falsorum commistione adultereris. Regulariter namque in Sabbato ponuntur, et in Sabbato sumuntur. Quando enim verbum Dei prædicandum est, nisi cum vacat et auditoribus audire, et prædicatoribus docere?

Non Sabbato ponit panes qui evangelizat non recipientibus verbum Dei, qui loquitur in aure non audientis. Non Sabbato ponit in mensa panes, qui sanctum dat canibus et margaritas ponit ante porcos (*Matth.* VI). Non Sabbato ponit panes, qui non attendit quid loquatur pro materia, cui pro persona, quando pro tempore et causa, quantum pro negotii sufficientia. Sicut autem ille peccat confessione, qui non discernit ista, utique sic ille præcipitatione qui ante Sabbatum sumit panes, qui loquitur ante meditationis decoctionem, ante appetitus requisitionem, ante famis deliberationem, ante stomachi evacuationem. In Sabbato tollit panes, qui dat escam pullis corvorum in tempore opportuno, qui librat sensum propositum et utilitatem audientium, sensui aptans loquendi materiam, proposito temperans modum, utilitati subministrans congruum finem et principium. In Sabbato pone panes in mensa, ut illustrante gratia sermones inchoes, in Sabbato tolle panes ut eadem cooperante fructum sermonis ipsi gratiæ resignes; tuus denique panibus superpone, ut devotionem non favorem quæras, ut sanæ doctrinæ bonum odorem tam in moralibus dictis quam in mysticis respergas. Cum sermo tuus gemitibus et suspiriis castis desideriorum evaporationes quasi quodam remigio alarum ad Deum evehit, incensum panibus propositionis superposueris. Bene itaque olet mensa in spe futurorum, bene pascit in re præsentium, cum merito fidei, justitiæ et charitatis, cum de crassitudine præsentis justificationis impingnat ossa humiliata, et de remuneratione futura odore bono attrahit sancta suspiria.

Hæc omnia in mensa memoriæ exponuntur, si fuerit de lignis sethim, ne corrumpatur oblivione, si duret continua vivacitate, nihil de sensu amittens, nunquam se extra fundens. Habeat duos cubitos in longitudine memoria ut sit tenax malorum suorum ad deflendum, et bonorum ut grates Deo rependat. Habeat cubitum et semissem in latitudine, ut in uno cubito latitudinis, Dei ad se perfectam dilectionem intelligat, in dimidio suam imperfectionem et prævaricationem recolligat. In uno cubito creationis beneficium, in dimidio casus sui præcipitium, in uno redemptionis pretium, in dimidio diffidentiæ quorumdam barathrum, qui nec redempti Redemptorem diligunt, nec liberati exire volunt. Habeat quoque in altitudine cubitum et semissem, ut in uno cubito memoria caput nostrum jam perfecte glorificatum agnoscat, et in dimidio membrorum Christi illam partitionem animadvertat, qua cum capite suo pars quædam regnat et alia pars adhuc in peregrinatione ista militat. In uno retineat, quia jam liberata est Ecclesia in sanctis carne exutis, a necessitate, a miseria et a peccato; in dimidio, quia in peregrinantibus a necessitate tantum et non a miseria neque a peccato. Hæc de longitudine, latitudine et altitudine mensæ quæ est memoria nostra dicta sunt.

Sequitur : *Et deaurabis eam auro purissimo* (*Exod.* XXV, 24). Cum a facie memoriæ fuerint errorum caligines, illecebrarum sordidissimæ paludes detersæ, tunc deaurabis eam si Scripturæ sacris et puris intellectibus illam innexueris, ut sanum sapiat, ut verum intelligat, ut clarum videat. Excludantur vanæ cogitationum lenocinationes, novæ phantasmatum illusiones, fictæ imaginationum recordationes, ne occupetur memoria in luto, sed honestetur in auro, ne vilescat in cœno, sed fulgeat in cœlo deaurato, purissimo auro veteris et novæ legis. Vide mensam memoriæ deauratam : *Memoria justi cum laudibus* (*Prov.* X, 7); item : *In memoria æterna* erunt justi (*Psal.* CXI, 6). Quæ ergo cum laudibus est, quæ æterna est, deaurata est. Illorum vero memoria deaurata non est, de quibus dicitur : *Periit memoria eorum cum sonitu* (*Psal.* XXXIII, 17).

Sequitur : *Facies illi labium aureum per circuitum* (*Exod.* XXV, 24). Unum debet esse verbum cordis et verbum oris, ut purum lac cogitationis

emulgeatur ubere locutionis, non degenerans colore optimo, non sapore bono, non liquore vero. Coloratum sit verbum tuum veritate, saporatum bonitate, liquefactum charitate. Totum hoc et in omnibus et in singulis verbis sit, ut sit omne verbum mendax [*l.* verax] de simplicitate, sit bonum de utilitate, sit charitativum de affectione. Hoc est labium aureum per circuitum mensæ, cum memoria cordis talia ori ministrat, quibus et occulta facies secretorum nostrorum cum luce ad publicum prodeat, et locutionis officium cujus utilitatis causa constitutum sit declarat. Perniciosum quidem esset, si innumerabilis et indomabilis revolutio cordis jam omnibus pateret, tum propter pudorem verecundiæ, tum propter seminarium discordiæ. Quis vero humanum visum ac tam incomprehensibiliter com- B maculatum gremium cordis patienter admitteret? Certe aut nimia suffusione ruboris succumberet homo, aut assiduitate mala contemneret, aut turpitudine illecebrosa videntes inficeret. Hac itaque ratione occultanda fuerunt cordis consilia et arcana. Rursum si perpetua obstinatione clauderetur et occultaretur voluntas hominis et coagulum humanæ societatis deperiret, et fomentum malignitatis æternum silentium esset. Quomodo autem amicum diligeres, quem amicum et fidelem nullatenus intelligeres? Utilitatis ergo nostræ fuit, ut verbum in corde lateret, et in ore patesceret. Sed ne duplex sis, labrum, ne dolosus, aureum, ne infidus et instabilis per circuitum debet fieri. Labium C simplicitatem confessionis, aureum puritatem intentionis, circuitus integritatem actionis designat.

Sequitur : *Et ipsi labio coronam interrasilem altam digitis quatuor* (*ibid.*, 25). In Evangelio coronam facit Dominus labio aureo cum dicit : *Qui me confessus fuerit coram Domino*, etc. (*Matth.* x, 32.) Labium aureum est confessio martyrum; quia sicut inter cætera præfulget metalla, sic fides et confessio igne percussionis examinata et pretiosior de patientia, et fortior de constantia, et clarior de pœna et sublimior de contumelia. Auget enim pœna aucta claritatem, constantia probat fortitudinem, patientia ponderat quantitatem pretii, contumelia multiplicat honorem. In pœna persecutoris atrocitas, in constantia martyris longanimitas, in patientia be- D nignitas, in contumelia humilitas. Forte ideo corona alta digitis quatuor dicitur, quia secundum altitudinem meritorum, surgit remuneratio præmiorum, ut quasi tot digitis crescat corona, quot cruciatibus contorta est caro in pœna. Sicut etiam labio aureo in confessione peccatorum coronam interrasilem altam quatuor digitis imponit, cum primo digito malam voluntatem emendat, secundo peccata sua accusat, tertio lavat, quarto virtutibus commutat. Primo digito Jesus ejecit dæmonia, secundo scribit in terra, tertio in lapide, quarto in corde. De primo : *Si in digito Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* xi, 20). De secundo : *Inclinavit se Jesus et scribebat in terra* (*Joan.* viii, 6). De tertio : *Scripsit in tabulis lapideis decem mandata legis* (*Deut.* v, 12). De quarto : *Scribam leges meas in cordibus eorum* (*Jer.* xxxi, 33). In primo gratia prævenientes et operans, in secundo gratia adjuvans et cooperans, in tertio mandatum jubens, in quarto liberum arbitrium gratiam sequens. In primo Deus sine adjutorio, in secundo liberum arbitrium cum Deo, in tertio Dei admonitio, in quarto mandati impletio. In primo liberat compeditos, in secundo adjuvat solutos, in tertio illuminat cæcos, in quarto consolidat paralyticos.

Hi sunt quatuor digiti ad quorum mensuram corona interrasilis extenditur, quæ labio aureo superponitur, quia quidquid Scriptura promittit et memoria de Scripturis retinere potest, nec minus habet nec amplius vel in spe, vel in re æterni bravii. Parum namque est habere gratiam operantem et cooperantem, sive mandatum jubens ubi liberum arbitrium seu voluntas nostra non sentit, et satis est ubi obediendo consentit, et nolendo efficaciter legem facit. Interrasilem vero coronam facit, quia nullum sine gratia meritum, et quia nunquam sine libero arbitrio potest [*f.* esse] meritum. Nam meritum principaliter a gratia, secundario est a libero arbitrio. Interrasilis est corona, quæ si attendis liberum arbitrium, rasa est et rara, sed plena sed tota. Gratia quidem sola coronam posset dare, sed maluit cum libero arbitrio meritum præparare et meritis coronam reddere. Quod corona est, Dei est ; quod interrasilis, nostrum. Si homo non peccasset, corona interrasilis non esset. Non enim corona angelica interrasilis est, quæ de capite illorum nulla offensione corruit, sed humana interrasilis est, quæ per peccatum cecidit et per gratiam rediit.

Sequitur : *Et super illam alteram coronam aureolam* (*Exod.* xxvii, 27). Evangelico stabulario cui semivivus traditus fuerat ad curandum dictum est : *Si quid supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi* (*Luc.* x, 35). Communem meritorum legem transiliens impetus spiritus, semper de inscrutabili promissionum profunditate rimulas in corde novas effodiens nunquam dicit : Sufficit Novum enim saporem in Deo qui novato desiderio in proposito religionis non senescit nec tepescit. Cum ergo gloriam virium suarum excedens, non in suis viribus, sed in Dei virtutibus, jam non pedem sed pennas urget, ad coronam aureolam festinat, ut qui præoccupavit non jussa facere audeat, non sperata capere; plus enim quam petimus aut intelligimus dat nobis Deus. De corona aureola dictum est : *Qui potest capere capiat* (*Matth.* xix, 12), ut quia mandatum de virginibus non habet Apostolus, de impleto consilio sine mandato subinnuat restare coronam aureolam supra generale promissum et vincat præmio qui vincit merito. Qui fide sæculum vicerunt quot passibus alios præcesserunt ætate, sexu, professione, castitate, charitate, et cursu cæterarum virtutum, altius ad coronam aureolam evolaverunt.

Sequitur : *Quatuor quoque circulos aureos præpa-*

rabis, et pones in quatuor angulis ejusdem mensæ per quatuor pedes (*Exod.* XXV, 26). Memoria quatuor habet circulos aureos, quatuor angulos, et quatuor pedes. Uno pede utitur memoria ad illa quæ quidem transierunt, sed adhuc in januis stant, et non longe excesserunt; alio, ad remota quæ longius a præsenti cognitione secesserunt; tertio ad remotiora, quæ non nisi cum magno studio recogitari possunt; quarto ad remotissima quæ non nisi librorum lectione et antiquorum relatione reperiri possunt. Vel uno pede terit terram, alio ambulat super aquas, alio volat in aere, quarto ascendit super pennas ventorum in cœlo. Humiliatur in primo, compungitur in secundo, accenditur in tertio, exaltatur in quarto. In primo cum peccato nascitur, [*f.* in secundo judicatur], in tertio resuscitatur et judicatur, in quarto glorificatur. In primo nativitatis Jesu recordatur, in secundo baptismatis, in tertio transfigurationis, in quarto ascen- sionis. In primo reatum originalis culpæ, in secundo absolutionem, in tertio justificationem, in quarto glorificationem recolit. Vel uno pede circuit corpus inanimatum, tertio spiritum creatum, quarto spiritum incircumscriptum. Uno pede incedit prudenter, alio fortiter, tertio juste, quarto temperanter et sobrie. Uno pede historiam, alio allegoriam, tertio moralitatem, quarto anagogen requirit. Hæc de quatuor pedibus mensæ.

Quatuor quoque circulos habeat aureos, ut humiliter audiat doctores, fideliter et firmiter retineat sensum, et ingenium vehementer exerceat, nova de veteribus cum lucro excutiat. De primo Salomon : *Audi, fili mi, præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ* (*Prov.* VI, 20). De secundo : *Liga eam in corde tuo jugiter* (*ibid.*). De tertio, Psalmista : *Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum* (*Psal.* LXXVI, 7). De quarto, Dominus in Evangelio reprehendit servum pigrum : *Quare*, inquit, *non dedisti pecuniam meam ad mensam, et ego veniens cum usuris utique exegissem illam?* (*Luc.* XIX, 23.) Circuli isti aurei sint, ne sæcularis doctrina te occupet, quæ tanquam lutum æstimabitur in comparatione veræ sapientiæ. Quæcunque enim doctrina aut mores non componit, aut fidem non instituit, aut charitatem non accendit, vana est nec ut aurum ditat, sed ut lutum sordidat. Morales denique circuli sunt obedientia usque ad mortem, charitas usque ad sanguinem, castitas usque ad carnalium desideriorum mortificationem, humilitas usque ad extremam dejectionem. In circulo obedientiæ revocamur, in circulo castitatis reformamur, in circulo humilitatis exaltamur. Non scindat circulum obedientiæ inobedientia, non dividat circulum charitatis invidia, non contaminet circulum castitatis immunditia, non rumpat circulum humilitatis superbia. Aurei ergo sint circuli isti, ut pro vera non pro vana gloria obedias, diligas, castiges et humilies animam tuam. Hoc de circulis. De angulis vero memoriæ satis arbitror fuisse dictum, ubi de angulis arcæ tractavimus.

PETRI CELLENSIS
DE CONSCIENTIA
AD ALCHERUM MONACHUM CLARÆVALLENSEM
LIBER.

Charissimo suo fratri Alchero monacho Claræallis frater Petrus Cellensis, salutem et conscientiam bonam.

Religiosa mens, religiosa curiositate quærit de religione conscientiæ ut sciat, imo ut habeat conscientiam bonam. Amplector quæstionem, magis quidem ut discam quam ut doceam. Revocatus siquidem tua quæstione ab evagatione mundani circuitus, quæstionem mihi de quæstione facio. Aggredior proinde fodere cæcus et mendicus in altum sicut talpa quærens venire ad lucem conscientiæ, quamvis caream lumine scientiæ. Miro enim modo bestiola illa manibus et pedibus, imo manibus et pedibus rejicit oppressionem ponderis, et caliginis appetens aeris libertatem, et forte lucem etiam sine luce oculorum. Eatenus equidem et ipse latibulo umbrosæ negligentiæ captus, parum pensabam quam jucundum sit erumpere in lucem et libertatem conscientiæ. Scalpello autem instantiæ quærentis quid sit conscientia, vena cordis incisa, undecunque vocavi vivum sanguinem venarum totius meditationis, ut de sanguine defæcatæ contemplationis, et stylo commendaret seu commodaret cor quod sufficeret scribenti et sibi retineret unde viveret. Tunc enim utiliter scribitur, cum de tractatu suo et vita propria emendatur, et aliena conscientia nihilominus

instruitur. Nec credendum quod semper vena cordis evacuetur perniciose, cum pie inciditur; quin potius de effusione charitatis commodius fluit et liberius.

Partito itaque labore operis, quod a te injunctum suscepi, hic meam magis erubescere cœpi putrefactam conscientiam in operibus mortuis, unde tuam aliorumque sanctorum qualis sit vel esse debeat ex libris sanctis studiosius investigavi. Rem vero difficilem et grandem pro tarditate ingenii, brevi unoque sermone non potui expedire, et idcirco in proaxitatem excessi. Aliud quoque me protraxit in longum sermonem, ut saltem tandiu ad se includeretur conscientia, quousque legeretur vel tractaretur de conscientia. Perutile namque est conscientiam lentis et diuturnis confricationum meditationibus ad se ipsam confovere ut læta quiescat, ut fecunde incalescat, ut sole lustrata et illustrata se ipsam in seipsa recognoscat. Putas si se agnosceret pulchra inter mulieres, quod deinceps post vestigia gregum a se abiens paludosa itinera incideret, et hœdos lascivæ carnes pasceret? Putas quam ægre relicta dulcedine et pinguedine sua, inter ligna silvarum veniret, si quanti boni sit conscientia, devota et Deo grata cognosceret? Putas vel ad punctum abstinere amplexu sponsi patienter ferret, si verba tenuisset? Sed misera, sed cæca, sed stulta quia amplexatur stercora, quia amat tenebras, et quod miserius est, quærit etiam miseriam cum miseria. Nam quod in mundo sublimius, hoc miserius est et miserabilius.

Sed ab ista miseria ambitionis, illa non illam quæ in itinere obsistit, miseria retrahit difficultas, quia non miseria æstimatur. Fallax gratia et vana pulchritudo magnæ meretricis calice aureo bibentis, sed felicitas. Revera autem infelicior est illa miseria, qua anima interficitur, quæ est prosperitas stultorum, quam miseria qua corpus exacerbatur, quæ est pœna malorum. Utriusque autem miseriæ stimulum bona conscientia non sentit. Itinerariam miseriam non sentit, quia non egreditur ad viam illam malam quæ ducit in infernum. Mansionariam nihilominus evadit, quia clausit januam qua ingreditur mors ad animas nostras. Sicut enim egredi recusat, quia leo in itinere est; sic januam pandere vitat, quia corvus in fenestra est. Abhorret autem æque et nigredinem corvi et ferocitatem leonis, nigredinem ne dedecoretur, ferocitatem ne devoretur. Forsitan, inquiens, absorbuisset nostram pulchritudinem macula corvi, vel teneritudinem gula leonis, nisi Dominus adjuvisset nos, ne diluvium expositum immergeret, et malam bestiam de itinere tollendo, ne Joseph ad fratres venientem devoraret. Docet in Evangelio Dominus quomodo claudere se debeat intra se conscientia dicens : *Intra*, inquit, *in cubiculum tuum* (*Matth.* VI, 6). Quod est cubiculum tuum, nisi conscientiæ secretum? Quod ostium nisi os tuum? Cum itaque oraveris, intra cubiculum tranquillæ et quietæ mentis, ubi est Dominus qui habitat in Sion, et in pace factus est locus ejus, atque ibi loquitur ad cor Jerusalem.

Intrat, inquam, in cubiculum ut voce sua cor clauderetur ad Dominum, clauso ostio exteriorum sensuum. Uxor enim illa quæ non per arterias gutturis aerem totum molestat, sed secreto itinere spiritus in spiritu et veritate Spiritum sanctum pulsat, efficacior est in petitionibus suis. et statim cum auditur, exauditur. Auditur autem sine pulsu soni, quam cito movetur affectio cordis. Affectio enim si Deo et sibi concordat, concentum cœli in harmonia sua delectat. Cantat et Deus, psallit, imo exsultat. Econtrario quidam qui quotidie orant et cantant in aliis linguis et labiis, et ideo non exaudiuntur, cum indignatione angelis dicunt : *Cantavimus vobis, non saltastis; lamentavimus, et non plorastis* (*Luc.* VII, 32). Quasi : Nec prosperitatibus nostris congratulando adfuistis, licet quotidie in oratorio decantaremus, nec molestiis nostris compassi estis, licet usque ad lacrymas compungeremur. De hujusmodi enim lacrymis, quæ simulatione funduntur vel cum impuritate in propheta legitur : *Lacrymis vestris polluistis altare meum*. Potius enim lacrymis suis pollnitur conscientia, quam abluitur, quæ in delectatione peccati simulatorias effundit lacrymas, nolens peccatum deserere, sed sic flendo redimere et iterum peccare. Ita etiam dictum est de oratione Judæ : *Fiat oratio ejus in peccatum* (*Psal.* CVIII, 7). Conscientia itaque pura et saltare, id est congaudere sibi facit angelum cum cantaverit, et plorare, id est compati cum lamentaverit. *Gaudium* est enim angelis *in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV, 7). Item alias scriptum est, quia *angeli pacis amare flebunt* (*Isa.* XXXIII, 7), videlicet super pœnitentes compatientur.

Ecce quanti est conscientia bona. Soror angelorum est, sed certe adhuc dum pendet ad ubera Ecclesiæ parva, quia ubera nondum habet angelicæ perfectionis, quæ cum habuerit, veniet etiam usque ad contubernium Dei. Conscientia bona titulus est religionis, conscientia bona hortus est deliciarum, conscientia bona est arca fœderis, conscientia bona est scyphus Joseph, in quo augurari, imo inebriari solet; conscientia bona thesaurus est regius, conscientia bona est aula Dei, conscientia bona est liber signatus et clausus, conscientia bona est quidquid delectabilius, quidquid pulchrius, quidquid honestius, quidquid utilius, quidquid jucundius, quidquid melius, quidquid salubrius potest dici vel cogitari. Unicum et singulare apud pias mentes futuræ beatitudinis pignoris vinculum conscientia bona. Nescit vaga de muteronis (*sic*) instabilitate circumferri. Infra se reputat quidquid sensualitati obscurum vel blandum se offert. Clara est etiam quæ nunquam marcesceat conscientia, atris nubibus non obumbratur : sole torrido non exuritur, pestilentia non inficitur, vago recursu stellarum non relabitur. Ploret mundus, rideat, omni volubilitate circumrotetur, ardeat, pereat, transeat, nunquam marcescet

conscientia. Subigatur ergo corpus in pœna, jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affligatur, quid ad conscientiam? In pelle morticina potius scribuntur ista ad meritum coronæ, quam infliguntur pro delicto culpæ. Et quæ proinde ad conscientiam molestia?

Quo, inquit conscientia, tortor maligne, acrius pungis, eo decentius pingis pellem carnis meæ quæ est una de pellibus Salomonis. Punctura tua est mihi pictura. Cedo ergo pellem, ut pingas cum pungis; pungendo enim et pungis et pingis. Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo dabit pro conscientia sua. Extendis in supplicio pellem, sed tunc magis apparet figura picta. Glorior de amictu vario. Quando denique vermiculatas aspicio plagas, quando candentia lilia, quando rosam de spina, quando studia singularum virtutum, singulas depingunt mansiones cœlestium cellarum; quid gloriæ, quid gratiæ tunc præ gaudio superebullit conscientia? Utinam tanquam pavimentum substerneret illa hora illi conscientiæ. Quas tunc, o Deus, refocillationes ore sacro caperet jejuna anima, quas eructationes reciprocaret impinguata et dilatata conscientia? Vellet, nollet, non se teneret a coruscatione mirabilium quæ facit Deus sibi, sicut non poterat se continere Joseph plenus musto pietatis et compassionis. Invidetne aliis hujus in omni conscientia gratiam suam? Sed cum invidia tabescente, iterum non habet. Estne difficilis, et quam pia sollicitudo adire nequeat? Sed facile videtur ab his qui quærunt illam. Tardatne aperire ut tædio affectus resilias? Sed præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat [*al.* ostendit]. Estne pigrum [*al.* esne piger] ire ad illam? sed ad te veniet. Qui de luce vigilaverit ad illam non laborabit. Assistentem enim illam foribus suis inveniet. Quid plura de conscientia dicam? Unum dico, quia cogitare de illa sensus consummatus est, etiam qui vigilaverit ad illam semper erit securus. Salva reverentia sapientiæ, utilius est currere ad conscientiam quam ad sapientiam, nisi sapiens sit quæ ædificet conscientiam.

Sed æquis passibus ad mentem veniunt sapientia et conscientia, ut nunquam veniat sapientia sine conscientia, nunquam conscientia sine sapientia. Ad quem finem nihilominus incessu proportionali utraque, et sapientia scilicet et conscientia, tanquam vehiculum proprium animam deducunt, ex libro Sapientiæ a quo jam multa accepimus, videamus. Sic autem utramque ad invicem copulamus, ut quod de una dicitur ad aliam transferatur. Dicitur autem in libro Sapientiæ, de initio et de fine Sapientiæ sic : Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Cura ergo disciplinæ, dilectio est, et dilectio custodia legum ejus est. Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est. Incorruptio autem facit proximum esse Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Ecce currus igneus et equi ignei, et auriga Deus quo deferunt non amphoram, sed animam, ad regnum utique perpetuum. Desideras regnum et præcipue perpetuum. Attende et ascende non cursu præcipiti et inordinato ut Satan, qui sicut fulgur de cœlo cecidit in gehennam, sed sicut aurora solis consurgens et crescens usque ad perfectam diem. Apprehende itaque disciplinam ubi cæduntur et dolantur ligna cedrina. *Si* enim *extra disciplinam estis*, ait Apostolus, *ergo adulteri et non filii estis* (*Hebr.* XII, 8). Cæsura vero disciplinæ conquadratus et coaptatus fabricæ civitatis quæ in quadro posita est, in latitudinem, longitudinem, profunditatem et altitudinem charitatis deductus, apprehende et tene ipsam dilectionem. *Qui autem diligit, legem implevit* (*Rom.* XV, 8).

Est ergo dilectio custoditio legum. Quæ denique stipendia meretur, quæ mandata servat? *Si quis*, inquit Dominus, *diligit me, sermones meos servabit et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Sed venienti Domino oppone et expande palliolum incorruptionis, ut involvas sindone tali non jam corpus Jesu, sed ipsam Trinitatis gratiam ad te venientem et in te manentem. Quid autem tunc Regi sæculorum immortali invisibili facies, imo quid ab eo accipies? Regnum profecto et diadema regni in capite tuo. Erit denique et torques in collo tuo. Regna ergo in regno conscientiæ, nec non et sapientiæ. De his hactenus. Epistolam istam præ foribus libri de conscientia volo appendi, ut delibatione ista prægustata vel respuat lector, si male sapit quod dicitur, vel avidius penetret interiora velaminis, infra quod continentur plura, non solum de conscientia, sed etiam de corde purificando, non usquequaque inutilia. De emissione namque cordis, de retentione, de effusione, de solutione, de amissione, de reparatione, de recuperatione, breviter quædam subter annotata sunt.

Supputare anni et familiæ alimenta tam est optimi viri et prudentis, quam vivere non accidentaliter, sed lege certa et justa. Vile enim opinioni bonæ et onerosum est, sive de manu, sive de mensa alterius pendere. Numerato itaque et apud se reposito sumptu temporis subsequentis, jamjam futuræ quietis solatia prælibare incipit homo prudens, non casu fortuito vitam acturus, sed securitate læta et probata. Tempora proinde et temporum confert ad invicem congrua subsidia, ne si vacuum viatico suo tempus anni successerit, inopia redarguat hominis pigri inertiam, et cum pausandi debeat invenire otium, incurrat famis tormentum. Properat denique exstinguere molestias exactoris quotidiano rugitu intestinorum substantiam deprædantis, dum universaliter rerum omnium abundantia redundans excludit angustiam mensæ et messis, ut sit mensis ex mense continuatione frugalitatis, et Sabbatum ex Sabbato conterminatione gaudii et otii. Rimatis igitur internorum penetralibus et mentis recessibus

exploratis, quæ in conscientiæ apothecis expensa sustentationibus animæ nostræ in generatione et generationem perpenditur, exemplo non dissimili nec minori sollicitudine instare debemus, ut sciamus quæ sunt sufficientia, et quæ destituant sufficientiæ plenam et perfectam mensuram.

Animadverto proinde his te, bone amice et sancte monache Alcheri, sollicitum studiis, circa animæ tuæ res familiares cum non solum de agris sanctorum doctorum fertilissimis cibum quotidie, imo cibaria colligere spiritualia non desistas, sed etiam ad tenuissimum nostræ paupertatis promptuarium manum porrigis, a paupere non pauperem postulans stipem, videlicet conscientiam. Et quomodo dabo quod non habeo. Certe non habeo conscientiam nisi pannosam et paludosam, quam si contingis, manus contaminabitur, quam si aspicias, oculus pudorabitur. Tutius igitur in latibulo suo contutabitur, ne de sepulcro evaporationes emittens tebulosas et fetidas pestilentiæ conflagret incentiva, et non solum non excitet ad vitam in morte malæ conscientiæ torpentes, sed adhuc palpitantes quantulacunque vitæ conscientiæ bonæ infectas exstinguat. Surgam tamen et ibo ad amicum, cujus jam clausum est ostium, et pueri cum eo sunt in cubili et dicam ei : *Amice, commoda mihi tres panes* (*Luc.* xi, 5), ut sciam quæ sit bona conscientia, quæ mala, quoniam amicus meus frater Alcherus venit de via inquisitionis ad me, quærens quid sit bona conscientia, et non habeo quod ponam ante illum.

Igitur de acceptis ab amico jam repono, et de conscientia tractare incipio. Omnium autem tractandorum doctrina ita evidentior fit ad capiendum et facilior ad retinendum, si sub oculis compendiosa copulatione simul tota materia unde tractandum est, vel sigillatim ejus partes tam manifesta distinctione quam certa diffinitione subjiciantur. Hanc namque a doctoribus formam agendi in tractatuum compositione traditam, alii nobilius pro facultate boni ingenii exercent ; alii obscurius pro tarditate sensus parum exercitati in stylo suo interpretantes, susceptam materiam posteriorum intelligentiæ mandaverunt. Proinde neutras istorum partes assecutus meam ipse admiror præsumptionem, imo temeritatem, quod litteras sine litteris ordinate aggredior, quod tractatoris officium jam insumo, qui nec lectoris ministerio sufficio. Unum vero illud est quo ipse et me apud memetipsum excuso et aliorum redargutioni satisfacio, quia non importunitate propria, sed charitate admonitus fraterna huic me operi destinavi, et nescio si utiliter, scio tamen quia humiliter a bono et sancto viro mihique dilectissimo onus injunctum suscepi.

Quid sit conscientia, et unde dicatur.

De conscientia igitur rogatus sum tractare, et non qualem habeo, sed qualem habere debeo dicere. Nec enim unius generis est omnis conscientia, ut scilicet quicunque habent conscientiam, eamdem se credant habere innocentiam. Assignandum ergo est quid sit conscientia, et unde dicatur, deinde quantum ex occultis datur reminisci, vel ex Scripturis intelligi, velut partes imo species quasdam conscientiarum subinferam, et ut gratia donaverit absolvam. Primum tamen lectorem nostrum admonitum esse in his litteris non scientiam quærere, sed conscientiam, habeat alias copiam lectionis, sive divinæ apud nostros, sive propheticæ apud naturæ inquisitores domesticos ad eruditionem scientiarum, habeat hanc membranulam ad investigationem et informationem conscientiarum. Quid itaque sit conscientia, non diffinitione, sed quadam descriptione videamus. Conscientia est sui ipsius scientia vel de bono sumens, vel de malo dissidens. Fit autem planius quod dicitur sui ipsius conscientia, si hoc requiratur de nominis etymologia.

Est autem etymologia hujus nominis talis, conscientia est cordis scientia. Videtur forte secundum hanc etymologiam non aliud esse conscientiam quam scientiam. Nam cordis scientia est, sive quod in corde est, ad concipiendam forinsecæ propheticæ disciplinam, sive quæ de corde intelligendo in corde melius moratur et utilius consecratur. Utroque autem genere dicitur cordis scientia, sed altero tantum conscientia. Dupliciter enim intelligitur cordis scientia, videlicet vel illa qua se novit in se et per se, vel illa quæ præter se etiam alia novit ex se. Cor enim et se novit sua scientia et multa alia. Quando novit se appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia. Denique de illa sapientia quæ in corde est, dicitur : *Dedit Deus sapientiam in corde Beseleel ad facienda omnia opera sive ex auro, sive ex argento*, etc. Item de quodam dicitur, quia *sapiens corde est et fortis robore* (*Job* ix, 4). Rursus de illa quæ ad se non ad alia habetur scriptum est : *Utinam det mihi Deus, dicere hæc de sententia* (*Sap.* vii, 15). Item : *Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium* (*Psal.* xxxvi, 28). Multi proinde quærunt scientiam, pauci conscientiam. Et si forte tanto labore et sollicitudine quæreretur conscientia, quanto sine dubio vana et sæcularis scientia, et verius apprehenderetur et fructuosius retineretur. Si enim non longe a se penetret et se intra se ipso doctore cum gratia investigans, quid mirum si inveniretur ? Imo mirum si invenire aliud in se quam se posset, nisi forte ad suam animam operante gratia inclinatam Dei imaginem occuparet. Et si hoc esset, quid esset ? Quid enim est creatrix imago in imagine creata, nisi sapientia in anima, nisi gloria in conscientia, nisi sanctificatio in arca ? Tunc enim se intelligit anima, tunc illustratur conscientia, tunc cordis impletur scientia, tunc in se Deum et in Deo mutua revolutione recipit se ipsam, imago creata

Ad hanc animæ nostræ et verbi Dei refusionem, gratia vices operatur cujusdam ministerialis utique Dei, ut velit Deus in nobis infundi. Puritas vero

suscipit præparare animam, ne verbi majestas recuset gremium cordis. Gratia deducit Deum ad hospitium nostrum, puritas satagit circa fidele obsequium. Gratia hospiti jam suscepto pocula infundit, puritas venientem excipit. Istæ sunt quæ lætificant animam justi, istæ quæ conscientiam gratam Deo exhibent angelis et hominibus reverendam, sibi ipsi pacatam et quietam. Hæ sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum. Duæ quidem sunt olivæ, una qua compassione miseriarum nostrarum reflectitur sublimis ille oculus majestatis, ad sterquilinii nostri lamentabilem ægrotationem, altera qua intestinorum corruptæ cicatrices respiguntur, et oculus faciei nostræ conturbatus ad medelam inungitur. Duo nihilominus candelabra, unum quo beneplaciti divini voluntas nostris mentibus suggeritur, alterum quo remunerationis majestas spei nostræ obtutibus jam offertur. Conscientia quæ sic duabus olivis et duobus candelabris clarificatur, bona est et crassa et clara apud Deum et homines. Bona simplicitate, crassa claritate, clara castitate.

Descriptio quædam conscientiæ sub imagine cujusdam mulieris.

De cujus habitudine ut tibi exemplum faciam, non sub errore idololatriæ, sed sub specie evidentioris doctrinæ, tale quid in animo finge quod ad pietatem devotionis mentem compungat, et de visibili exemplo ad invisibilem contemplationem animam accendat. Pone itaque mensam varietate et plenitudine diversorum ferculorum refertam. Constitue Regem in diademate suo coronatum et omni triumphali sublimitate insignitum, in capite et principaliori loco residere, cui manus assistentium et ministrantium tam ad cibum quam ad potum sedulissima sit. Sint vasa aurea et argentea in omnem usum, sint et pocula melle condita, sint ad nutum obedientia palato et gutturi, quæcunque fuerint apposita. Cithara et lyra et psalterium, auditus convivantium, suis reficiant modulationibus. Vestes ibi regiæ, incessus juvenum et adolescentularum compositi, mores honesti, et in tota familia summa æquitatis censura, ad unguem componat omnia usque ad minimum motum. Hinc inde tapetia sive pallia opere plumario seu polymito contexta. Lectulus floridus, laquearia cypressina. Quid plura? Dispositissima ordinatione ordinata omnia, ita ut nihil desit ad cultum aut supersit ad tædium. Vacet tamen interim locus præ aliis spatiosus et speciosus, reginæ et matrifamilias singulariter præparatus. Forte occupatione a diversorio occupata, solemnia Regis, mora sui adventus Regina illa differat. Omnium interim et vultus et singultus, sedis illius repletionem exoptent. Tandem veniens mulier, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, et residens claudat januas, et impleantur nuptiæ discumbentium. Scrinia mystica ad ultimum quæsita et reserata nomen edicant in aula, et conscientia appelletur hæc domina. Petente autem sedem paratam a sæculo conscientia et residente, vox sponsi auditur satisfaciens universæ curiæ de sponsa : *Una est*, inquit, *columba mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ* (*Cant.* VI, 8). Una procul dubio est conscientia propter fidei unitatem et propositi immutabilitatem ; columba est propter simplicitatis mansuetudinem, una est matri suæ propter charitatis perfectionem, electa genitrici suæ propter charitatis decorem et pulchritudinem.

De forma conscientiæ.

Cujus pulchritudinis tenorem in habitu ipsius typice legens, rursus tali descriptione mores ejus subcingo, et per colorum varietates virtutum universa membra distinguo. Est itaque proceræ staturæ propter perseverantiæ longanimitatem, habet oculos smaragdinos propter castitatis perpetuum virorem ; nasum sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum, propter incursantium tentationum prudentem discretionem ; genas subrubentes propter fraternæ oppressionis compassionem ; labia favo et melle redundantia, propter mystici eloquii suavitatem ; manus tornatiles, propter obedientiæ perfectam operationem ; pectus robustum, propter vigilantem instantiam adversus dæmonum infestationem ; calceamenta pedum æs et ferrum, ad quassanda capita draconum ; coronam auream circa lumbos, ad restringenda incentiva libidinum. Induitur vestimentis quorum odor et fragrantia myrrham mortificationis, guttam humilitatis, et cassiam bonæ opinionis spirant. Ut autem caput retorqueamus ad pennulas divini timoris et extremi judicii, videamus quam secura in specie et pulchritudine sua talis conscientia ad judicium veniat, nec inopiam expavescens propter abundantem virtutum sufficientiam, nec sententiam propter matrimonii copulam, nec pudorem vel confusionem propter vestimentorum ornatum seu fragrantiam.

De securitate conscientiæ.

Jam hiems præpropere fores præoccupans crudelis necessitatis, quando nec arari poterit per meritum, nec meti per præmium hactenus non comparatum, longo imo æterno tractu duratura, negabit mendicare suffragium cujuslibet intercessionis. Clausa enim erit misericordiæ janua quæ modo patet, et etiam dilatat se usque ad judicii extrema tempora, clausa erit et effugii opportunitas et defendendi se omnis possibilitas. Sola conscientia inopum miseriam, si unde manum impleat habuerit, consolabitur ; sola refugium præstare poterit, sola a timore formidinis et a facie majestatis obstaculum præbebit. Cum ergo cœlum et terram ignis vindictæ et iræ Dei conflagrabit, et ab isto statu prorsus in alium habitum et figuram exportabit, raptus homo in nubibus, si puram et integram secum detulerit conscientiam, nec tonitruorum concussionibus expavescet, nec fulgurum vibrationibus obstupescet, nec tubis angelicis in fugam corripietur, nec fulgure assistentis vivificæ crucis vel majestate

residentis cornuti et oculati agni reverberabitur. Leo rugiet, quis non timebit? Utique qui cavernam conscientiæ circumseptam intraverit. Leviathan seu Satan solvetur, quis evadere poterit? Procul dubio qui turrim conscientiæ sufficienter armaverit. Væ væ undique audietur, et quis de securitate gloriabitur? nempe qui in pace de bello cogitavit, et qui flevit cum alii riderent. Sicut ebrius et vomens erit omnis qui calice Babylonico seu aureo potavit mundi luxuriam usque ad fæces mortis, et quis sano capite et ventre vinum sobrietatis et jucunditatis epotabit? Certe qui motibus impudicitiæ repressis animam et conscientiam suam castificavit : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Luc.* XIII, 27), vociferatione valida conclamabitur : et quis ascendet ad Deum, ut facies ejus illuminetur? Nimirum qui non inquinavit vestimenta sua, vel qui saltem lavit ea in sanguine Agni, vera confessione et integra cordis contritione. Non erit panis et aqua, et quis vivet sine pane et aqua? Sine dubio cujus est vita munda et pura conscientia. Horrea namque plena habet bona conscientia sicut scriptum est : *Nihil deest timentibus Deum.* Universa namque instrumenta beatitudinis apud se retinet conscientia quæ Deum timet.

Habet deambulatorium veritatis, habet pratum sive hortum voluptatis, habet puteum cordis profundi; habet ubi in id ipsum dormiat et requiescat, habet mensam altaris, habet templum castitatis, habet focum seu caminum charitatis, habet balneam confessionis, habet vestimenta satisfactionis, habet stolam immortalitatis, habet calceamenta imitationis Dei, habet annulum æternitatis. Quid amplius dicam? habet lunulam, torquem, discriminalia, periscelidas, mitras, monilia, et multa his similia, quorum interpretationes sunt morum bonorum optimæ informationes; quarum perfectio est plenitudo, ut sicut rota volubilis in quadrigis a quatuor equis velociter et cum impetu quo fuerit aspectus aurigæ præsidentis circumfertur; sic Dominus justitia præsidentiæ [*f.* præsidente] et regente rotam animæ, in quatuor equis principalium virtutum, id est prudentia, justitia, fortitudine, temperantia, ad suam dirigat voluntatem. Certe conscientia cujus frena ab anteriori parte trahit prudentia; a dextra, justitia; a sinistra, fortitudo; posteriori, temperantia non discordi motu sed consono, ad cœlum tollitur clamans et dicens : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20). Parum denique est bonæ conscientiæ esse in cœlis nisi et ipsa cœlum fiat.

Quomodo cœlum efficiatur conscientia per verbum Domini spiritu oris ejus.

Efficitur enim cœlum per inhabitantem Spiritum ejus qui fecit cœlum et terram, et habitat in cœlis : *Verbo enim Domini cœli facti sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Revera hæc tria, scilicet Verbum, Dominus et Spiritus oris ejus, creant, formant et ornant cœlum conscientiæ : Dominus quidem creat, Verbum format, Spiritus ornat. Simul tamen trinitas hæc operatur, quæ a nobis in nobis secundum diversa merita nostra singillatim distinguuntur Quæcunque enim Pater facit (97). Sed ecce signato Trinitatis mysterio ad conscientiæ trinitatem vel trinam dispositionem intentionem nostram tractamus, Dominus timore suo conscientiam creat, Verbum. Domini instructione sapientiæ confirmat, Spiritus oris ejus donorum varietate exornat. Et nota hic quasi tres distinctione oculorum personas, id est servum qui timet, magistrum qui docet, amicum qui diligit, et omnia amico communicat. Utitur dominus servo, magister verbo, amicus honore et dono; servus præcedit dominum, sapientia emittit verbum, amicus præmittit donum. Sine servo non est dominus, sine verbo non est magister, sine dono non est amicus. Secundum majestatem domini auctoritas servi, secundum sapientiam magistri doctrina verbi, secundum dilectionem amici doni pretium. Si magnus dominus, fidelis sit servus; si magister sapiens, bona eloquia oris ejus; si amicus diligens, pulchra bona et utilia dona ejus. Servus domino omne lucrum suum acquirat, nondum (*sic*) doctrinæ honorem magistro et utilitatem comparet discipulo, datum donum vicissitudinem referat amico.

Quod timor componat conscientiam.

Inchoatur autem conscientia a timore, producitur et deducitur a subjectione, perficitur et consummatur in amore. Nisi timeat conscientia, facinus quodlibet attentat, vel perpetrat; nisi subjiciatur verbis veritatis, in elationis et mendacii ventum evanescit; nisi diligat quod diligendum est, calcaribus semper urgetur, et circa propositum sistitur. Fundamentum jacit timor, parietes construit humilis subjectio, tectum superædificat sublimis dilectio. Vel certe machinam hujus ædificii timor componit, subjectio linit, dilectio pingit : et compositio quidem pertinet ad materiam cogitationum dolandam, levigandam, in modum ac formam justitiæ redigendam. De silva enim motuum et phantasmatum nostrorum, idonea et habilia structuræ templi Salomonis ligna velut bona materia sunt eligenda, quorum natura suscipiat dolam disciplinæ a scientia increpationum. Timor ad ista omnia tanquam bonus accedit dolator, ut susceptam a corde, quasi a silva, cogitationum materiam, disponat eam, modo superflua resecans, modo distorta dirigens, modo inæqualia ad æquitatis statum in mensuratione colligens, et inter se trabes, columnas, laquearia et reliquam structuram coæquans et compaginans. Clavillis denique sive clavis divini timoris Propheta compositionem structuræ suæ configi optat cum diceret : *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII,

(97) Deest aliquid.

120). Hactenus de compositione quam timor facit et est quasi creatio conscientiæ, ut superius dictum est.

De linitione conscientiæ per observationem mandatorum.

Nunc de linitura sive temperamento mandatorum Dei, de quo in Psalmo dicitur : *A mandatis tuis intellexi* (*ibid.* 104) ; cum enim a timore ad mandata currimus, quasi supposítæ compositioni linituram superinducimus. Mandatorum quoque adimpletio, et duritiam timoris exasperantis animam emollit, et vallículos imperfectionis complemento spei ad æqualitatem unitatis et unanimitatis conducit, et vincula meliora sine mallei concussione ad sese lapides colligens interponit. Unde et in templo Salomonis, ut scriptum est, malleus et securis audita non sunt. Confirmat denique quæ erant ruitura, imo quæ juxta Apocalypsin erant moritura. Instabile namque est quodcunque sine dilectione et mandatorum observatione timor proposuerit. Ideo Scriptura dicit : *Deum time, et mandata ejus observa* (*Eccle.* XII, 13). Ecce aliquis forte timore malorum suorum concussus ad cor redit, culpam et pœnam reatuum suorum in mensa apponit, numerat lapides tormentorum, ac de his incipit pœnitentiæ et conversionis muros ædificare, ut saltem inter se et civitatem infernalem ponat sartaginem ferream, vel murum æreum aut latericium.

De coctis enim lateribus, id est de correctis moribus vel de lapidibus, id est de malis prioribus murum construit, qui ad se ipsum conversus veteres reatus in novæ vitæ meliorationem corrigit. Sartaginem ferream inter se et civitatem interponit qui pœnitentiam certam, stabilem et duram contra carbones desolatorios æternorum cruciatuum opponit. Sed quis ad hæc idoneus ? Quis est cujus fortitudo, fortitudo lapidum, cujus caro ænea sit. In labore et ærumna, in vigíliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in carcere claustrali, in colluctatione carnis et spiritus quis non succumbat, quis non deficiat, nisi Spiritus adjuvet infirmitatem nostram, nisi virtus supponat manum suam ? Idcirco ait Dominus : *Dum es in via cum adversario tuo concorda, ne forte tradat te judici, et judex tradat te tortori* (*Luc.* XII, 58). In via laboris et peregrinationis verbum sive timor Domini adversatur concupiscentiis nostris. Cum quo facimus concordiam, si legem mandatorum implemus. Non est enim unde timeas judicem, si timeas legem. Secundum namque legem judex prævaricatores legum punit non observatores. Nam legis observatio, judicis est delinitio. Qui servat itaque mandata minuit, imo linit timores, et confortat vires amandi et continendi. Et hoc de linitione verbi per temperamentum subjectionis. Sequitur de pictura dilectionis.

De pictura charitatis in conscientia.

Vivi et veri colores charitatis, non volucrum, non quadrupedum, non sanctificas imo fanaticas imagines imaginis Dei signaculo exprimunt, sed conformitatem adoptionis filiorum et gratiæ reparativo genere pingendi per nervos et venas principalium virtutum in anima componunt. Pingit enim dilectio non stylo ferreo timoris, in ungue adamantino obstinati cordis, sed penniculo volitante ad supereminentem scientiæ charitatem Christi. Quam pulchras et quam decoras novit depingere formas dilectio ! Caput sphæricum et rotundum, sed aurum in statua sua charitatis pingit, quia intentionem puram et perfectam facit. Columbinos aspectus subjungit per innocentiam, manus tornatiles per eleemosynam, nasum apertum et recurvum per discretionis temperantiam, ubera plena per abundantiam gratiæ, pedes rectos per incessum misericordiæ, corpus totum plenum oculis, per circumspectionem industriæ.

Pingit trinum et unum Deum in capite, pingit Jesum passum in oculis, pingit librum Evangelii in auribus, pingit flagella in dorso, pingit lanceam in latere, pingit totum corpus extensum, adeo ut ossa dinumerarentur, pingit acetum in potu, fel in gustu, pingit coronam spineam in capite ; pingit velatum facie, pingit alapis cæsum, pingit mortuum, pingit Mariæ Magdalenæ in horto apparentem et confabulantem, pingit cum apostolis convescentem, pingit ad cœlos ascendentem ; pingit ad dextram Patris residentem et regnantem, pingit ad judicium manifeste cum potestate magna et majestate venientem, pingit sinistris terribilem, dextris amabilem. Ecce sculptura, ecce pictura charitatis. Sed unde illi vel quales sunt colores quibus immaterialis tam sublimiter animæ depingitur imago ? Animadverte unde sunt colores et quanti sint, et affectuosius suscipies conformatas imagines.

Verminium sive rubeum habet colorem in sanguine, nigrum in passione seu in morte, viride in resurrectione et in ascensione ; terrenum in conversatione mortali, purpureum in vexatione assidui certaminis, sive cum hominibus, seu cum malignis spiritibus. Ecce colores. Sed ubi vascula, imo cornua ubi sunt in quibus servantur colores isti ? Quæ cornua justitiæ colores continent, nisi cornua justi, nisi corda justa ? Verum cornu in quo melius reponuntur ista, est illud modicum humilitatis cornu, de quo Daniel loquitur, quod factum est grande contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem. Vere humilis conscientia, quæ sicut cornu de carne quidem procedit, sed carnem fortitudine, duritia et longitudinis quadam prominentia excedit, grande efficitur contra meridiem, quando vicerit calorem nocivum libidinis ; contra orientem, quando inanem gloriam ; contra fortitudinem, quando omnem tentationem diabolicam. Virtus conscientiæ tanta in facie Moysi apparebat ut cornuta diceretur, ut oculos reverberaret insipientium exuberans sanctitas legislatoris. Est tamen subintelligendum, ferventis gratiæ velut musti novi impetus sanctorum pectoribus cohiberi carnis ponde-

ribus, si lex oum gratia montem mentis conscenderit et totas tabulas descriptione mandatorum impleverit. Sicuti etenim instabilis littera vel pictura mandatur ad informationem mentium, vel delectationem oculorum; sic in corde memoria bonorum cœlestium retinetur, vel ad meritum gloriæ, vel ad munimentum ipsius conscientiæ. Pœnitet autem meritum gloriæ, etc.

PETRI CELLENSIS

TRACTATUS

DE DISCIPLINA CLAUSTRALI

AD HENRICUM I CAMPANIÆ COMITEM.

Domino et amico suo HENRICO *viro illustri, frater* PETRUS *humilis abbas Sancti Remigii salutem, et omnem prosperitatem.*

Libertas animi nisi ex proprio arbitrio et adjuncto limosi corporis consortio infatuata fuisset, nequaquam pœnali disciplina quæ plicat, planat et ligat, indiguisset. Plicat erecta, planat aspera et ligat lasciva. Plicat indomita, planat inæqualia, ligat dissoluta. Plicat animum, corpus planat, utrumque ligat. Plicat humilitate, planat æquitate, ligat religione. Plicat conversione, planat confessione, ligat professione. Plicat palmitem in vite, planat tabulas cordis ad mandata vitæ, ligat pullum suum ad vineam, id est animum ad gratiam. Plicat denique taurum de sæculo cervicosum, planat camelum gibbosum, ligat bubalum sive onagrum. Utroque autem, animo scilicet et corpore, in genere suo naturali bonitate privato, cœpit vias explere pietas Creatoris, quibus resarciret damna tantæ temeritatis. Et quia causa tanti morbi inventa est privilegium insitæ libertatis, salubri artificio, regulari disciplina colligavit pennas depravatæ libertatis, et depressit collum temerariæ præsumptionis. Quod itaque generali censura in universo genere humano Deus disposuit, hoc in me factum benignissima pietate expertus sum. Nam hue illucque postposita ordinis nostri maturitate vagabundus discurrebam, et sæcularia negotia, atque terrenas occupationes tanquam furex et latrones pene omnem religioni suppellectilem a me asportare negligebam; sed ecce manus Dei filias pharetræ suæ misit in renibus meis, et gutta arctissima renes meos congelavit, et domi consistere coegit. Sentiens itaque disciplinam de disciplina corpi cogitare, cogitata describere. Quam patienter vero passus sum disciplinam, tam libenter et diligenter, et si non eleganter scripsi de disciplina. Scripsit sanctus Augustinus ut Augustinus et ut episcopus de disciplina Christiana; scripsi ego abbas et monachus de claustrali disciplina. Ille ut gigas litteratissimus montes cervorum et mentes humilium humeris suis gestat; ego ut formica tenuissima grana non integra sed incisa trubo ad tractatus nostri desvectum tuguriolum, et vrævaro futuræ fami et hiemi quantulumcunque viaticum.

Opusculum itaque nostrum De claustrali disciplina *nec stylo nec titulo solemni irradiatum argumentosa philosophiæ non ingrediatur palatia, sed humili vultu formatur. Qua igitur fronte, princeps nobilissime, quinimo et ingenii subtilitate vivacissime, tibi ad legendum transmitto tractatum squalidum et pannosum? sed verbis oris mei illaqueatus malo argui de indocto quam de mendaci verbo. Legat itaque pius et intelligens animus, attendens non formam verborum, sed virtutem sensuum; sicut enim plus est animi quam decor corporis, sic in scriptura potius spiritus requirendus est qui vivificat, quam littera quæ inflat, magis fructus placet in arbore quam folia : utrumque tamen bonum est, si utrumque adest, sed pulchra sine fructu folia potius sunt oculorum lenocinia, quam stomachi subsidia. Apostolus reprobat speciem pietatis, ubi deest virtus charitatis (I Cor.* XIII). *Dominus quoque veniens ad arborem fici quæ fructum non habebat, sed tamen folia maledicit ei, et in æternum illam condemnat. Imploro nobilitatem vestram ne in lectione ista attendatis quales sumus; sed quales esse debemus, nec lateat prudentiam vestram lucernam nostri ordinis in Israel prorsus esse extinctam, sed Isaac oculos, quia senuit caligasse. Conquerenti Eliæ adversus Achab et Jesabel, ac dicenti :* Domine, altaria tua suffoderunt, prophetas tuos occiderunt, et relictus sum ego solus; et quærunt animam meam (*III Reg.* XIX, 10). *Responsum est ei :* Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua sua ante Baal (*ibid.*, 18). *Sic certe, sic domine et amice charissime, etsi magna antiquorum Patrum virtus regularis nostris temporibus elanguit, non exspiravit; etsi abiit, non obiit; etsi refriguit, non periit, qui quasi nihil sunt apud homines plerumque tanquam lucerna despecta pluris sunt apud Dominum, quam qui aliquid esse videntur. Non excuso malos, sed prædico bonos. Præjudicium tollo, quia judicium Dei exspecto. Nostrum est honorare nomen Dei, non solum in sanctis, sed in perversis. Nam quæcunque persona etiam vilissima, si*

sigillum vestrum portaverit, auctoritate nominis vestri suscipienda est et honoranda, non quia digna sit, sed quia digni sit. Sic plerumque dignus facit indignum dignum, indignum utique proprie, dignum improprie, indignum ex se dignum ex officii perfunctione. Nolo ut mihi in aliquo parcatis ubi excessi; rogo etiam ut non legatis cum fastidio, sed statim ut cœperit onerare mentem, de manu vestra projicite, et si placuerit alias resumite, aut si displicuerit, reclusum perpetuis tenebris condemnate. Pauperes et gloriosi homines paupertatem veraciter sustinentes, et inutiliter gloriam affectantes, at contegendam paupertatem, et gloriam comparandam, solent oras chlamidis suæ aut pretiosis, aut speciosis pelliculis supervestire, non ad utilitatem, sed ad curiositatem intuentium respondentes. Sic ego ipse, quia huic nostro operi præ inopia nostra deerat pretium sententiarum et decus verborum; titulum nominis vestri anteponens, ingressum ejus decentissime adornavi, ut lector sperans non nisi optima vobis offerri, currat ad perlegendum, non ex sapore conditi poculi, sed in splendore tituli tanti principis.

PRÆFATIO.

Aut periti est aut experti judicare de re cognita; imperiti vero et inexperti tractare de re incognita, potius est præsumere quam diffinire. Me peritum in claustrali disciplina aut expertum, si fateor, mentior. Non nego me vidisse regulares et religiosos homines quorum consortio etsi aliquando interfui, virtutem non retinui. Quomodo ergo poscis a me audire de disciplina claustrali, cum jam fere a triginta annis vix summo labello illam degustaverim? Tamen quia *charitas omnia credit* (*I Cor.* XIII, 7), et te scio ex devotione non ex tentatione id quærere, postposita negandi difficultate, audeo scribere quæ nequeo tenere, nec multum erubesco, si me talem in hoc opusculo recognoveris, qualem ab infantia tua didicisti, nisi forte quia ætas nostra jam advesperascens parum habet de meridie, plus de vespera.

Prolixum me fecit in hoc tractatu De disciplina claustrali et tua toties repetita postulatio, et sciatica gutta quæ renes meos diutissime sub aspera disciplina detinuit. In hoc opusculo tanquam confectione de consuetis et notis in hortis nostris nascentibus herbis, non de pretiosis et remotarum regionum speciebus comparato : plus de melle gregis, quam de scammonia Hieronymi apposui, timens ne inventum projiceretur, si scammonia morderet, et operis utilitas tam pro artificio, quam pro artifice sorderet. In hujus autem laboris recompensatione mercedem hanc peto a te, ut diligenter legas, et quidquid ei displicuerit, confidenter detrahas, et corrigenda corrigas.

Reddo cum usuris debitum non a me tibi promissum, sed a te frequenter postulatum; sufficit mihi ratio debendi ubi præcessit in amico voluntas postulandi : usuras superaddo, quia in solvendo intercessit longa dilatio. Age gratias Deo qui dedit opportunitatem, sine qua nondum me a debito illo absolvissem. Quam? dolorem in renibus, qui me sub disciplina aspera diu religavit, et vagandi huc illucque facultatem negavit. Congratulor itaque et ego infirmitati meæ et dico : Patiamur mala, ut A faciamus bona; imo patiamur mala, ne faciamus mala. Hoc ad nostram claustralem pertinet disciplinam, pati et non facere mala, sed potius pro malis reddere bona. Hanc docuit ille qui adinvenit omnem viam disciplinæ, et docuit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi. Passus est autem mala a malis et pro malis, sed retribuit bona pro malis, et fecit bonos de malis. Non mireris, amice charissime, si stylum claudicantem deprehenderis, quia cum toto corpore suo simul et manus claudicat. Manus enim vacillans rectas lineas non servat; et quid mirum, si claudus claudum generat? Plus mirandum si curvus generet rectum. Tu tamen quia recte sentis et recte incedis, excusa Isboseth debilem pedibus apud David, et omnem sermonem B claudicantem aut corrige, aut succide : *Melius enim est cum uno pede intrare in vitam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam* (*Matth.* XVIII, 9). Est autem gehenna legentium invidia; merito autem succumbit invidia, ubi succincta veritate, expedita constructione, armata ratione, labia mordentium evadit materia, vel ubi adeo exstincta est hebetudine, despecta habitudine, macra verborum crassitudine, exsanguis sensuum exilitate, quod dens invidiæ non habeat ubi mordeat. Non reputo aspectu publico digna mea opuscula, sed *secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isac* [XXIV, 16), simplex devotio, non phalerata eloquentia legat scripta mea, non ad plausum, sed ad planctum; plangit enim columba mea in foraminibus suis; C corvus crocitat in cadaveribus et morticinis; clamat corvus cras, cras, vel appellans sibi quod crassum est; sicut in passione Domini leguntur quidam dixisse : *Ecce Eliam vocat iste* (*Marc.* XV, 35), cum Dominus diceret : *Eli, Eli* (*Matth.* XXVII, 47); vel promittens sibi longos dies et annos, vel frustratoriam pœnitentiam spondens cras, cras, id est nunquam; sicut dicitur, hodie cum pretio, cras sine pretio. Ego quoque pretium precum et orationum pro opere isto hodie et cras postulo

PRÆFATIO ALTERA.

Amicus disciplinæ, Ricarde charissime, tanquam expertus sim illam, non semel inquietas senem elementarium, ut inde aliquo scripto, tibi quod sentio decerpam; etsi non propter amicitiam, tamen propter improbitatem evangelici amici non possum non surgere de lectulo, in quo clauso ostio cum pueris cæterorum sensuum decumbebam, et dare non quantum requirit affectus tuus, sed quantum capit pugillus meus. Timeo ne occurrat avidus, et non inveniens fructum, sed tantum folia in arbore fici, A maledicat spei falsæ, sive promissioni. Rursum nauseans, qui singula curiose carpit, et odiose contemnit, si accesserit, potius spero vomitum quam gustum. Sed quia *charitas omnia credit* (*I Cor.* XIII, 7), et nemo cogitur munus habere meum, tibi soli, qui pro multo amore medullæ etiam cortices nostros insipidos rodis, quod ex voluntate Dei occurrerit excipiam, et matri Rebeccæ, ut inde escas oræparet, tradam.

DE DISCIPLINA CLAUSTRALI.

CAPUT PRIMUM.

De auctoribus disciplinarum.

Igitur auctores hujus disciplinæ in scriniis authenticæ Scripturæ revolvens, præcipuos et summos invenio Moysen in eremo, Jesum in mundo, Paulum in delegato sibi docendæ gentis officio. Duo quoque rivuli ex his emanantes, monachos et canonicos regulares inclauserunt in claustro tanquam cervos et capreas in clauso, ut ita dicam, parco, Benedictus et Augustinus. In Exodo, in Levitico, in Numeris, in Deuteronomio, populi Domini peculiaris claustralem disciplinam lege, et nudo intellectu mores informantia mandata retine. Cæremonialia vero tanquam vestita vestibus Esau valde bonis discinde, et intrinsecus latentem spiritualem nucleum comede. Certe disciplina illa severissima fuit; etsi nostra illi comparetur, tolerabilior invenitur. Adeo enim illa importabilis fuit, ut non solum quilibet infirmus et plebeius legis mandata implere non posset, sed nec etiam quilibet justus et sanctus. Unde Petrus: *Quid nobis jugum imponere tentatis, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt?* (*Act.* XV, 10.) Nostra vero disciplina satis tolerabilis est, ut in Epistola Joannis dicitur: *Charitas hæc est, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt* (*I Joan.* V, 3). Quid est autem nostra disciplina, nisi vivere secundum mandata Dei? Jesus vero magister magnus et bonus, cujus cathedra est in cœlo et schola in mundo, in Evangelio quasi in antidotario, quæ fecit et docuit, descripsit; et duodecim apostolos claustrales suos cum septuaginta duobus discipulis claustralem disciplinam docuit. Nec de claustro illo evangelico exivit, nisi is qui filius perditionis erat, vel illi qui dixerunt: *Durus est hic sermo; et abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant* (*Joan.* VI, 61).

CAPUT II.

De apostolica disciplina.

Nota disciplinam apostolicam ubique et in omni- B bus reverendam, præcipue uti Petrus innuit Joanni, qui in cœna super pectus Domini recumbebat, ut interrogaret quis esset eum traditurus. Tanta enim erat ad magistrum reverentia, tanta obedientia, tanta subjectio, tanta ad invicem fraterna dilectio, ut ne spiraculum susurri per eos transiret, nisi forte quando facta est contentio inter eos, quis eorum videretur major, vel cum indignati sunt de duobus, qui quærebant sedere ad dextram et ad sinistram. Quidquid tamen humana fragilitas in vasis fictilibus, necdum igne sancti Spiritus sufficienter decoctis, committebat, manus figuli statim resarciendo solidabat. Modo siquidem arguebat, eis dicens: *Modicæ fidei, quid turbati estis?* (*Matth.* VIII, 26.) Modo consolabatur: *Confidite*, inquiens, *ego vici* C *mundum* (*Joan.* XVI, 33); et: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVII, 20). Modo in parabolis, modo sine parabolis loquebatur; modo subtrahebat se pernoctans in oratione; modo celabat se ambulans super mare, et putabant phantasma esse; modo ad congregationem suam revertebatur, et cum omni familiaritate conversabatur. Modo præ nimia fame spicas post ipsum confringebant, et manducabant; modo duodecim cophinos fragmentorum ex his quæ superaverant de quinque panibus colligebant. Nihil proprietatis habebant, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX, 27). Ab eo nunquam separari volebant, cum diceret: *Vado in Judæam;* D *et Thomas ait ad discipulos: Eamus et nos, et moriamur cum illo* (*Joan.* XI, 14).

Quid dicam de monachis istis, videlicet apostolis? Angelicis spiritibus illos confero, nisi nondum exspoliata mortalitate illi ministrabant *qui modico minoratus est ab angelis* (*Hebr.* II, 9). Sed cum gloria et honore coronatus a Patre super omnem principatum et potestatem sederit in sede majestatis suæ, in sede magnitudinis, sedebunt et hi super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel

(*Matth.* XIX), forte et angelos, de quibus Apostolus : *Nonne et angelos judicabimus?* (*I Cor.* VI, 3.) Spes ista in sinu claustralium est reposita, quia res pro consimili disciplina est repromissa, non ab illo, sed ab eodem Jesu Christo. Successit Petrus in apostolatum circumcisionis; et Paulus inter gentes, sicut idem Paulus ait : *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes* (*Gal.* II, 8). Docet Apostolus in regula, id est in Epistola sua : *Qui utuntur hoc modo, tanquam non utantur* (*I Cor.* VII, 31). Et : *Nihil habentes, et omnia possidentes* (*II Cor.* VI, 10). Et : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (*Hebr.* XIII, 17). Et : *Alter alterius onera portate* (*Gal.* VI, 2). Et : *Nemo quærat quod sibi utile est, sed quod alii* (*I Cor.* X, 24). Et : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII, 10). Et : *Turpis sermo de ore vestro non procedat, et turpitudo, et stultiloquium nec nominetur in vobis* (*Ephes.* IV, 29). Hujusmodi floribus totus vernat codex apostolicus, vastum et amplum regit claustrum, ab Jerusalem scilicet ad Illyricum habens virgam in manu, sicut quibusdam scribit : *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* (*I Cor.* IV, 21.) Tradit et quosdam Satanæ, ut discant non blasphemare. Hic gaudet cum gaudentibus in hospitio, hic flet cum flentibus in oratorio, hic infirmatur cum infirmantibus in infirmaria, hic uritur cum scandalizati in capitulo, hic in cella novitiorum loquitur ad suos novitios. *Filioli mei, quos per Evangelium genui, et quos interim parturio donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV, 19); hic in refectorio : *Castigat corpus suum, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiatur* (*I Cor.* IX, 27); hic denique semper et ubique : *In vigiliis invenitur et jejuniis, in fame et siti, in frigore et nuditate; in plagis supra modum, in mortibus frequenter* (*II Cor.* VI, 5; XI, 27). Hic hospitariis dicit : *Hospitales invicem sine murmuratione* (*I Petr.* IV, 9). His qui sunt in oratorio : *Psallam spiritu cum fratribus, psallam et mente; orabo et spiritu, orabo et mente* (*I Cor.* XIV, 15); infirmariis : *Alter alterius onera portate* (*Gal.* VI, 2). *Infirmum suscipite in fide* (*Rom.* XIV, 1); sedenti vero in capitulo : *Argue, obsecra, increpa* (*II Tim.* IV, 2); his qui in refectorio : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18); eleemosynariis autem : *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus et metet vitam æternam* (*II Cor.* IX, 6). Denique omnibus claustralibus clamat : *Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini* (*I Cor.* XVI, 13). Et in hunc modum quidquid regulare, quidquid honestatis et fidei informabile, quidquid de vestigiis Jesu est imitabile, non est alienum a Paulo : Una tamen clausula concludit universam claustralem disciplinam : *Omnia*, inquit, *vestra in charitate fiant* (*ibid.*).

Jam inflectamus stylum ad nostros speciales eruditores, beatum Benedictum et sanctum Augustinum : alter abbas et monachus; alter episcopus et canonicus; uterque sanctus, uterque Dominici gregis doctor et ductor egregius. Convenit in quibusdam nostra et vestra claustralis disciplina; differt in quibusdam. Sunt enim quædam quasi substantia in religione, quædam accidentalia. Substantiale est religioni sine quo religio non est religio : accidentale quod adest et abest pro loco, pro tempore, pro causa, pro persona, pro cæteris circumstantiis præter religionis corruptionem : hæc in arbitrio procuratoris eatenus reliquuntur, ut salva pace et unitate vel intendantur, vel remittantur. Non tamen nimis intendantur ne rumpatur fragilitas, neque nimis remittantur, ne lædatur regula. Sunt autem substantiva religionis, silentium, de quo dicitur : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus vero ad loquendum, et tardus ad iram* (*Jac.* I, 19); item lectio, de qua dicitur : *Dum venio attende lectioni* (*I Tim.* IV, 13); item peccati confessio, de qua dicitur : *Confitemini Domino quoniam bonus* (*Psal.* CXVII, 1); et omnia in confessione lavantur, unde : *Dixi confitebor, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI, 5); item oratio, de qua dicitur : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XVI, 23); item meditatio mortis, de qua dicitur : *Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII, 40). Sed de his infra largius tractabimus.

CAPUT III.

Comparatio inter Judaicam et nostram claustralem disciplinam.

Sicut mandata legalia in duabus tabulis conscripta Judaicam disciplinam continent, sic omnis regularis tam monachus quam canonicus, *Inter medios cleros* (*Psal.* LXVII, 14), regularis videlicet institutionis, et traditæ a senioribus bonæ consuetudinis, vivere debet. In altero admittitur dispensatio, in altero ligatur. Non enim judex judicat legem, sed secundum legem. Consuetudo autem et usus, sicut voluntate utentium introducuntur, sic contraria voluntate mutantur. In his si quid necessitate mutandum, corrigendum, supplendumque fuerit, non usquequaque interdicitur dispensationis alteratio. His ergo quasi fortissimis ligamentis vita claustralis ita constringitur, ut nec manus, nec pedes extra licita moveantur.

Professio itaque secundum regulam et loci consuetudinem coercens in compedibus suis vinctum, Jesu Christi jugum suave et onus leve humeris imponens renuntiantis sæculo, ante præsæpe, et ad cunabula Emmanuelis ligans asinam et pullum, in quibus sedens Jesus horam sequitur glorificationis. Præcedunt tamen sicut in capite sic et in membris passiones, posteriores glorias. Ducitur Jesus, quia ligatus ante præsidem stetit; et quia non est discipulus super magistrum, voluntarius et libens appetat verus religiosus, disciplina regulari tanquam fasciolis ab appetitu carnis religari. Vincula autem religionis, statuta sunt regularia : verbi gratia, silentium, jejunium, reclusio claustralis, incessus in nullo notabilis, compassio et dilectio fraterna, pa-

terna reverentia, lectio et oratio assidua, recordatio præteritorum malorum; timor mortis, ignis purgatorii, ignis æterni. Vix tam vaga, tam petulans poterit esse cogitatio, quæ non coerceatur tam forti et multiplici funiculo. Verbum otiosum, verbum superfluum, verbum inordinatum sepelit silentium. Titillationes et incentiva succensa in spinis malorum desideriorum, soporat continuum jejunium. Discursus vagos et vanos per plateas et vicos civitatis sanguinum, retardat reclusio claustralis : motus stimulantes in malam suspectionem, aspectus intuentium elidit incessus tam modestus quam maturus. Inhumanitatem recludit compassio, discordiam dilectio : paterna reverentia contumaciam, lectio ignorantiam, oratio immunditiam et malitiam, meditatio torporem et somnolentiam, recordatio præteritorum affert malorum cautelam de futuris, dolorem de præteritis, et de futuris sollicitudinem; muscas morientes et vermes qui non moriuntur, comedentes miseram animam, timor mortis tanquam myrrha occidit; ignis purgatorius revocat a venialibus; ignis æternus a criminalibus : nulla observationum istarum sterilis in Israel, qui cum angelo colluctans non Jacob, sed Israel appellatur. *Omnis* tamen *gloria filiæ regis*, non in his quæ in facie sunt, sed *ab intus, in fimbriis aureis* (*Psal.* XLIV, 14), quæ intra velum Sanctum sanctorum versis vultibus cum cherubim in propitiatorium tantum respiciunt. Cardinales virtutes fimbriæ aureæ sunt, quia *Domini sunt cardines orbis terræ*. (*Prov.* VIII, 26). Sunt etiam columnæ argenteæ super bases aureas, salubres virtutes de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. De quibus dicitur : *Ego confirmavi columnas ejus* (*Psal.* LXXIV, 4). Hæ portant templum Salomonis, cum vera religio fundata in mente bona, regularibus disciplinis Evangelium Dei non erubescit, sed evangelica mandata tanquam superpositam fabricam humeris voluntariæ observationis conservat. Sicut *Maria conservabat omnia verba hæc* (*Luc.* II, 19). Ad claustralem itaque disciplinam stylum teneamus, et velut in uno corpore speciosæ puellæ formam non de genere Amalech, sed de semine Abrahæ deliniamus.

CAPUT IV.

De disciplinæ claustralis observantiis.

Claustralis disciplina spectaculum est Deo, et angelis, et hominibus : Deo in medulla intentionis; angelis in gemitibus et suspiriis; hominibus in factis et dictis : *Homo videt in facie, Deus in corde* (*I Reg.* XVI. 7); angelus medios fines cogitationis et operis. Ad Deum respicit *charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta;* ad angelos simplicitas sancta cum bona specie, de qua dicitur : *Specie tua et pulchritudine tua, intende prospere, procede, et regna* (*Psal.* XLIV, 5). (Grata est enim, ut ait Augustinus, sanctis angelis sacrata et pia significatio. Unde et Dominus in Exodo [cap. XII, 23] percutiens Ægyptios percussorem non sinit ingredi domos, in quarum superliminario, et utroque poste viderit sanguinem agni.) Ad homines dilectio sine simulatione, conversatio sine querela. Circumamicta ita disciplina claustralis hujusmodi ornamentis spiritualibus nequaquam cervicem erigit, et ambulat extento collo; sed cum Rebecca operit ante conspectum Dei vultum suum pallio pudoris et humilitatis.

Cum ambulaverit, dicit : *Per singulos gradus meos pronuntiabo Dominum* (*Job* XXXI, 37). Item : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis* (*Psal.* XXVI, 6). Non enim sicut impii in circuitu vanitatis et curiositatis ambulat, sed cum angelis ascendit scalam Jacob excessu mentis; et descendit contemplatione suæ fragilitatis. Cum sederit, cogitat de sede majestatis, de sede æternitatis quid dictura sit, vel actura a facie fortitudinis Dei, in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Si steterit, dicat : *Vivit Dominus in cujus conspectu sto* (*IV Reg.* III, 14). Et : *Mane astabo tibi* (*Psal.* V, 5). Et : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem* (*Psal.* CXXI, 2). Et : *Locus in quo stas terra sancta est* (*Act.* VII, 33). Si caput levaverit, dicat : *Ad te levavi oculos meos in montes, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII, 1). Et : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX, 1). Et : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ* (*Psal.* CXXII, 2). Si os et labia aperiat, dicat : *Os meum loquetur sapientiam* (*Psal.* XLVIII, 4). Et : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL, 3). Et : *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII, 14). Et : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat* (*Ephes.* IV, 29). Si aures præbuerit loquenti, non audiat sanguinem : *Non accipiat opprobrium adversus proximos suos* (*Psal.* XIV, 3). Si comedat, antequam comedat, cum Job suspiret de necessitate pro pomo inflicta, et quia vocem exactoris stomachus importune exaudit, misturam faciens confusibilem et fallacem necessitatis et delectationis. Ratus namque est, qui semper interponat maceriam discretionis inter appetitum necessarium et superfluum. Si biberit vinum, non venenum sumat. Unde Apostolus : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (*Ephes.* V, 18); et : *Modico vino utere propter stomachum tuum et frequentes infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Si dormierit, dicat : *Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V, 2). Et : *In pace in id ipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV, 9); et : *Caro mea requiescet in spe* (*Psal.* XV, 9). Surgens itaque ad vigilias, si oraverit, oret spiritu et mente. Intret in cubiculum et clauso ostio oret Patrem suum plus corde quam voce, plus fide quam modulatione. Si ad confessionem venerit, lagenam aquæ bajulans sub balteo contritionis, paxillum portet redargutionis, quo operiat terram cordis, et deponat onera mentis. Delens reliquias Amalech, et in se ipso interficiat omnes operantes iniquitatem : fundat sanguinem hostiæ confessionis juxta basim altaris; quatenus puro sanguine

de latere Christi sua expurget mens da; et sub terebintho crucis abscondat idola peccatorum suorum. Non se palpet, non declinet ad dextram bona sua laudando, neque ad sinistram vera tacendo, aut quod non est, malum fingendo. Si fratris culpam accusaverit, caveat ne ferrum cadat de manubrio, plus justo sæviens, ne mentum Amasæ Joab tenens blandimento in inguine feriat seducendo.

Si de manifesto arguit, mansuetudinis verba Agni mansueti teneat : *Juda*, inquit Dominus, *osculo Filium hominis tradis* ? (*Luc.* XXI, 48.) Si de occulto, utatur correptione privata, non proditione publica. Si potentem aut prælatum, Nathan ad David, et duos filios Noe videat. Ille caute ex obliquo circumdans leonem in agnum, utique regem potentissimum plus arte quam severitate suis injecit vinculis. Hi verenda Patris licet nuda, videre noluerunt. Si adverso dorso texerit [*f.* sed adverso dorso texerunt]; si legerit, simplicitatem amicam legi divinæ afferat, et botros in vinea comedens extra non efferat, aliter interpretando, et sensus perversos adjiciendo. Non desudet ad quæstiones quæ non sunt ad ædificationem, sed ad contentionem, et audientium subversionem. Legat, ut intelligat; intelligat, ut mandata Dei faciat: compunctionem ibi quærat, non superfluam occupationem : mandet medullam legis medullis cordis, quibus impinguatus holocausta medullata offerat cum incenso arietum, id est sincera veritate et vera charitate apostolorum et prophetarum. Et : *Quia calix in manu Domini* (*Psal.* LXXIV, 9), Scriptura sancta; et : Inclinat *ex hoc in hoc* (*ibid.*). Aliquando legenda sunt mandata divina, aliquando sanctorum exempla; quia vivus est sermo Dei in passionibus martyrum, et in sanctis conversationibus confessorum. Quod enim quasi mortuum jacet in pelli morticina deformatum in littera, vita vivit, cum agitur quod legitur. Si ad publicum aliqua necessitate venerit, redeat cum festinatione tanquam de carcere, tanquam de laqueo, tanquam de camino, tanquam de inferno inferiori. Vidit David iniquitatem in civitate. Vidit Dina mulieres regionis, et periit inde Hemor filius Sichem cum patre et populo suo. Sic venter disciplinæ claustralis eburneus de castitate, distinctus est sapphiris hac pulcherrima varietate. Æstimo claustralem disciplinam ad hoc constitutam, ut sicut in Esther legitur (cap. II), de universis regnis eligerentur puellæ ad opus regis, quæ sub custodia traderentur, summo studio imbuerentur, et ungerentur oleo myrtino, et aliis pretiosissimis unguentis; denique longa, et exactissima diligentia probatis, et vultu ornatissimo ornatis, quæ regi placebat, cum rege pernoctabat, ad nutum ejus intrabat et exibat. Sic Rex magnus, Rex regum, Rex sæculorum, de cunctis gentibus, tribubus, linguis, populis, et ex omni natione quæ sub cœlo *est*, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari, prædestinatos suos vocat, et ad claustralem disciplinam congregat, et mores incompositos lima regulari complanat, vitiorum fetorem unguento piæ conversatio-

nis exterminat, regiis amplexibus dignas mentes, et corpora præparat, et die constituta ab æterno, ad torum et thalamum gloriæ et beatæ vitæ vocat.

CAPUT V.

Quod per disciplinam claustralem, prima reparetur transgressio.

Natura humana, sive libertas arbitrii, in prævaricatione originali viribus, bonitate naturali, summopere debilitata, ex quo de ventre matris homo egreditur, indiget disciplina pedetentim tanquam remedialibus suffragiis reparari. Primi siquidem et novi mandati solidissimas confringens valvas principio dati liberi arbitrii nobilitatem compedivit, et robur corporalis sanitatis infirmavit. Occasio autem tanti mali fuit, quod cœlestem disciplinam non servavit; nec erat disciplina illa ad tenendum difficilior quam ad mandandum. Voluptas appetitum non trahebat, necessitas non urgebat, fames non mordebat, sapor ligni vetiti concessis pomis non præjudicabat dulcedine, licet scriptum sit : *Quia vidit mulier lignum pulchrum ad videndum et ad gustandum suave* (*Gen.* III, 6). Nequaquam certe excludit hoc pulchrum, et hoc suave, pulchritudinem et suavitatem omnium lignorum paradisi; sed suggestione serpentis mens muliebris perforata demonstratur. Pulsata namque sive absorpta a tentatione anima, rem concupitam æstimatione non appendit, sed delectatione. Facillima igitur disciplina, et nullo onere pressa, Dei manu plasmata tota in circuitu natura humana potuit in sua suavitate servari; quæ male sauciata nullis ad plenum remediis usque ad sanguinem Agni valuit liberari.

Quot prætentavit medicinarum adhibere magnus medicus remedia humanis vulneribus ? testis est Abraham in circumcisione; testis Moyses in hostiarum immolatione et aliarum specierum oblatione; testes omnes prophetæ in increpatione, et assidua prædicatione : induruerat nimia veteratione et insufficienti curatione morbus; nec curatio fraterna liberabat ægrotantem, qui exspectabat Dominum Salvatorem, quatenus Dominus liberaret servum, et Salvator ægrum. Præmisit Salvator iste disciplinam tanquam virgam Moysi, sed sibi retinuit virgam virtutis suæ in cruce, in qua fuso sanguine tela ignea nequissimi diaboli exstinxit, et ab omni febre infirmum suum sanavit.

CAPUT VI

Quod claustrum sit vicarium crucis.

Vicarium itaque suæ crucis claustrum constituit, ut sicut disciplina pacis nostræ in corpore suo super lignum crucis fuit, sic nos extra sæcularia castra exeuntes ad claustrum improperium ejus portemus, et tanquam filii juxta sapientissimi Salomonis consilium, disciplinam ejus apprehendamus : *Fili*, inquit Salomon, *apprehende disciplinam patris et ne dimittas legem matris tuæ* (*Prov.* VI, 20). Et Psalmista : *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus* (*Psal.* II, 12). Et Apostolus :

Quod si extra disciplinam estis; ergo adulteri et non filii estis (*Hebr.* XII, 8). Et alibi : *Omnis disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris; postea vero per eam exercitatis fructum pacatissimum reddet justitiæ* (*ibid.*, 11). Est autem claustrum in confinio angelicæ puritatis, et mundanæ colluvionis. Si quas arenulas honestatis de mundo tanquam de Ægypto Hebræus transiliens a vicinis artibus, quæ appellantur liberales, mutuans, ad claustrum detulerit; uti eis remoto indicio furti poterit : *Omnis enim sapientia a Domino Deo est* (*Eccli.* I, 1). Propter sapientiam carnis, quæ inimica est Deo, hanc non amat disciplina claustralis, quia potius est ad subversionem simplicitatis (quæ est unica Deo, claustri filia) quam ad ædificationem. Rasis itaque superciliis pomposæ vanitatis, unde ait Apostolus : *Ne quis decipiat vos per philosophiam, et inanem fallaciam* (*Col.* II, 8); et unguibus avaræ rapacitatis substractis (98), secure matrimonium, cum omni doctrina, quæ contra fidem non est, contrahat incola claustri. Quicunque enim alterius saporis est extra claustrum, etiamsi oleaster, etiamsi ramus insertus in bonam olivam, pinguedine radicis dulcoratur, et gremio divinæ sapientiæ fotus ab immobilitate commutatur. Sic grammatica, sic dialectica, sic geometria, sic astronomia divinæ Scripturæ sapidissime sale conditæ, quæ gustatæ solebant afferre mortem, sicut filii prophetarum clamant ad Eliseum prophetam : *Mors in olla vir Dei* (*IV Reg.* IV, 40); admistione farinæ, id est gratiæ, præstant salubrem refectionem, et tanquam Gabaonitæ comportant ligna et aquas ad disciplinam claustralem. Hæc jure belli Israelitæ ad claustrum suum deferunt a castris Philistinorum cum edoctis sæcularibus litteris divinas studiosius legant, acutius intelligant, hæreticorum deceptiones cautius deprehendunt, fidei simplicitatem et veritatem fortius et firmius defendunt. His claustralis noster vacans non vacat; his intentus otiosa, vana et superflua cordis phantasmata effugat; his consepultus dormiens vigilat. Istæ sunt vestes mutatoriæ, quas secum Naaman leprosus ad regem Israel detulit.

Si autem de mundo tantas extrahimus mentes, quid de cœlo? quid a Deo, a quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum est?* (*Jac.* I, 17.) Qui igitur rigat montes de superioribus suis, et paradisum fluvio qui egreditur de loco voluptatis, et inde dividitur in quatuor capita, ut habeat quadriforme claustrum rigationes distinctas. Dicitur in Evangelio : *Qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). *Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 39). Nota sunt quatuor flumina paradisi his qui cum Paulo apostolo rapiuntur ad tertium cœlum; sive ad ipsum paradisum, et inebriantur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis. Notæ sunt et aquæ de fontibus Salvatoris, quæ septiform. impetu lætificant civitatem Dei. De quibus dicitur : *Deriventur fontes tui in plateis* (*Prov.* V, 16), de quibus non bibit alienus. Job vocat fontes istos rivos olei, dicens : *Quando petra fundebat mihi rivos olei* (*Job* XXIX, 6). Isaias (*cap.* XXIX), qui vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, enumerat et nominat fontes Salvatoris, sive rivos olei; fontes, quia ipse apostolis promisit, et misit septiformem Spiritum; rivos olei, quia licet sit per omnia æqualis Patri et Filio, non est tamen a se ipso, sed a Patre et Filio. Idcirco dona gratiæ dicuntur rivi olei. Secundum humanitatem suam, Filius unctus est *oleo* isto *lætitiæ præ participibus suis* (*Psal.* XLIV, 8). Unde Isaias : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI, 2). Lucerna evangelica sic perfusa et infusa, non solum lucerna est, sed *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 1). Et nos de plenitudine ejus accipimus, et in effusione illa quando latus ejus miles aperuit, et exivit sanguis et aqua, et oliva in torculari misit spiritum tanquam oleum.

Sed quid hæc ad claustralem disciplinam? Plane tota forma claustralis disciplinæ emanavit de cruce. Sic enim Christus exaltatus a terra, suspensus est in cruce, exspoliatus vestimentis suis, et sic distensus, ut numerarentur omnia ossa ejus; ligno sic affixus, ut nullum membrum ejus moveret præter linguam, quam retinuerat ad orandum, et matrem dilecto discipulo commendandam. Sic claustralis, qui vere claustralis est, debet se totum crucifigere cum vitiis et concupiscentiis. Debet se a terra sustollere, sicut scriptum est : *Sustollam te super altitudines terræ* (*Isa.* LVIII, 14). Et : *Cibabo te hæreditate Jacob patris tui* (*ibid.*); debet se exspoliare sicut in Canticis dicitur : *Exspoliavi me tunica mea* (*Cant.* V, 1), id est carnis concupiscentia. Debet extendi ad anteriora, non simulate; sed usque ad disjunctionem compagum et medullarum, ut anima liquefiat post dilectum : debet ligno affigi, ut hoc corpus mortale cum omnibus membris suis timore divino sit impotens ad omne malum, potens vero ad omne bonum. Solam autem linguam retineat ad confitendum et orandum. Quid amplius? Surda aure irrisores et illusores cum Propheta tanquam surdus transeat. Suggestiones et tentationes, quæ de claustro exire tanquam de cruce descendere cornicantur, non audiat. Ad extremum reddat spiritum Deo, qui dedit illum, dicens : *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Psal.* XXX, 6), usque ad resurrectionem; ne tormentum malitiæ tangat illum, quia *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ* (*Sap.* III, 1).

(98) Alludit ad versus 11 et 12 cap. XXI Deuteronomii.

CAPUT VII.

Qualiter claustrum institutum sit.

Ex quo Lucifer, sive Satan, sicut fulgur de cœlo cecidit, et ad ipsum non rediit, quia claustralem disciplinam non tenuit; est enim disciplina claustralis lugere sua et aliorum peccata : prælato suo subjici, obedire per omnia, cavere ab insidiis, nullis insidiari (quia juxta Hieronymum non multum distat in vitio decipere aut decipi posse). Primum et secundum legis mandatum de dilectione Dei et proximi adimplere, et innocentiam et sanctimoniam servare; Deo semper adhærere, et ad supernam patriam totis desideriis inhiare. Rupto semel fœdere debitæ subjectionis, deorsum ruens diabolus, et tunc fremens dentibus et frendens, disciplinam omnem potius subvertit quam tenuit; ideo misericordiam non est consecutus, quia nec veniam est secutus, nec culpam confessus. Homo autem de limo plasmatus, propter culpam de claustro paradisi ejectus, ad orientalem plagam plangens plagas suas, et dicens Deo : *Amove a me plagas tuas* (*Psal.* xxxviii, 11); tempore accepto, et ab æterno prædestinato, in fine sæculorum propagata sanctorum via in Jesu et cum Jesu ad claustrum rediit, et regulari disciplinæ subjectus, non solum veniam, sed et primam stolam, imo ampliorem gloriam recepit. Sequentes filii hominum et habentes oculos in capite, ex his quæ facta sunt didicerunt sapientiam, qua vitarent irreparabilem diaboli casum, et cum antecessoribus suis regulariter vivendo, ex indulgentia misericordiæ Dei ad hæreditatem paternam haberent ingressum.

Hanc principalem causam æstimo quare homines egrediantur de sæculo et ingrediantur claustrum. Qui enim sunt in diluvio aquarum multarum, vitiorum et divitiarum, nec ad claustrum, nec ad Dominum approximabunt, nisi imbre siccato. Qui in claustro est cum Noe, qui interpretatur requiescere est in arca, extra arcam vero est, qui extra disciplinam est. Paucæ autem, id est octo animæ in arca salvantur, quia *Multi vocati, pauci electi* (*Matth.* xxiv, 14); qui resurgent in octava in resurrectione vitæ. In claustro habitat Jacob cum Rebecca, quæ est patria. In claustro est Benjamin cum patre suo, ne quid ei mali contingat in via peccatorum; ubi leo, ubi fera bestia luxuria, quæ devorat Joseph, sæpe infamia, aliquando re ipsa. In claustro Jonas in ventre ceti : *Sicut* enim *fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; et Filius hominis in corde terræ* (*Matth.* xii, 40). Sic claustralis consepultus Christo, cogitatione et operatione moritur peccato, et vivit Deo. In claustro Jeremias sanctificatus in utero, qui sedet solitarius et tacet, et levat se super se, non elatione sed contemplatione; qui tollit jugum suave et onus leve, ut sit mitis corde; in claustro Joannes Baptista

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petivit :
Ne levi saltem maculare vitam
Flamine posset.

Paul. Diac.

In claustro Maria cum *ingressus angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum* (*Luc.* i, 28); in claustro Jesus cum factus esset duodecim annorum in templo sedens, respondit matri dicenti : *Ego et Pater tuus quærebamus te : Nesciebatis,* inquiens, *quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* (*Luc.* ii, 48.) In claustro Apostoli : *Cum esset sero die illo una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio eorum et dixit : Pax vobis* (*Joan.* xx, 19). Et : *Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco,* etc. (*Act.* ii, 1.) Ecce quales prævios habet claustralis conversatio. Quam pium igitur, quam bonum, quam jucundum et quam tutum habitare in claustro! *Frater* enim *fratrem adjuvans civitas est munita* (*Proverb.* xviii, 19), de qua dicitur : *Quis deducet me in civitatem munitam?* (*Psal.* lix, 10.) Claustrum civitas est, quia ad bene vivendum claustrales conveniunt; munita, quia sub protectione Dei cœli vivunt. Disciplina claustri porta ferrea est, quæ ducit ad civitatem, cujus viam non inveniunt qui errant in solitudine, et semper errant corde. Disciplina claustri, petra est scandali et lapis offensionis his qui non credunt verbo in quo et positi sunt. Disciplina claustri petra est, quæ bis percussa renuntiatione sæculi et professione religionis, dat aquas ut bibant homines et jumenta; prudentes et simplices, quibus dicitur : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* x, 15). Disciplina claustralis est crux Christi, de qua non deponitur, nisi mortuus. Est enim obediens claustralis Patri usque ad mortem, mortem autem crucis: Pedes pendentis sic defixi sunt, ut non moveantur vestigia ejus de claustro : manus tornatiles ad obedientiam, aureæ ad munditiam; plenæ hyacinthis ad eleemosynam, distillantes myrrham primam ad mortificandam carnem, et non accipiendam pecuniam.

Oculi ad patrem, ad discipulum et matrem, id est ad Deum semper, et ad Mariam Virginem et ad Joannem evangelistam. Deus possidet cœlum, Mater implorat filium, Joannes tenet Evangelium. Bonum est ex his in his vultus demutare, et modo invocare Dominum, modo exorare Matrem Domini Jesu; modo legere Evangelium Joannis capite inclinato; nam *inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* xix, 30). Semper habet claustralis caput in terra defixum cum venerit in publicum; cum autem clauso ostio intraverit cubiculum, tunc levet oculos ad cœlum, et caput sursum; dorsum flagellis cæsum, sive pro peccato sive pro delicto, sive gratiarum actione, et passionis Christi recompensatione; latus perforatum seu apertum, unde proferat et offerat holocausta modullata cum incenso arietum, et unde sanguis profluat ad basim alta-

ris; prælato confitendo peccata sua; et etiam aqua exeat compunctionis ad abluendas maculas criminis. Venter distentus non superflua cibi et potus refectione, sed continua jejuniorum exinanitione, ut dicat : *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum* (*Job* XIX, 20). Et : *Dinumerata sunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI, 15). Sit etiam venter distinctus sapphiris, ut non coccinea sanguine, sed hyacinthina appareat pellis in mortificatione, nec construatur ibi horreum vermibus, sed sicut uter in pruina assiduis decoquatur afflictionibus. Hunc crucifixum deponat Joseph et Nicodemus (angelus et prælatus) et condiant misturam myrrhæ et aloes, quatenus non amavit corruptionem in claustro; sic non sentiant vermes, qui non moriuntur in inferno. Procul dubio hic habebit angelos ad caput et ad pedes, qui custodiunt introitum ejus et exitum, suscipientes animam exeuntem de corpore et perducentes ad requiem.

CAPUT VIII.

Comparatio inter disciplinam philosophi, Judæi, Christiani, et cujuslibet religiosi.

Scintilla naturalis boni, quæ remansit in homine, exstincto primordiali manus Dei seminario, decurrens per gratiam Dei in arundineto omnium artium, multiplices adinvenit disciplinas, secundum quas vivendo, etsi non prorsus prima creatio reparetur, saltem usque ad cineres non deficiendo, non exstingueretur. Unaquæque igitur gens sub sole et regio pro capacitate rationis disciplinam sibi confinxit; ad quam stultorum enormitas, et prudentium æquitas regulariter viveret. Philosophi itaque suam statuerunt disciplinam, Judæi acceperunt suam, Christiani suam; ad ultimum eremitæ et claustrales suam. Diversa intentio dividit inter disciplinam et disciplinam. Intendit philosophus gloriam humanam et favorem sibi acquirere, Judæus bona terræ, Christianus spem veniæ et gratiæ, et claustralis cumulum gratiæ et gloriæ. Philosophus rimatur secreta naturæ, Judæus crassitudinem terræ, Christianus promissionem vitæ quæ nunc est, et futuræ : claustralis partim activæ fructum, partim contemplativæ. Philosophus abjicit impedimenta carnis et onera sæculi, Judæus hostiis et muneribus studet ad emundationem carnis, Christianus sacramentis ecclesiasticis emundatur ab operibus mortuis, claustralis non solum abstinet ab illicitis, sed etiam a licitis. Philosophus seminat in spiritu non Dei, sed suo et vano; Judæus in carne; Christianus in fide, spe et charitate; claustralis in filiali adoptione. Præsumptio juvat philosophum, temporalitas Judæum, fides relevat Christianum, prægustatio futuræ spei confortat claustralem religiosum. Ingenium acuit philosophus, quærit lucrum Judæus, implorat bonum Christianus, coronam auream sperat religiosus. Novitate verborum et sententiarum gaudet philosophus, littera et carnalitate Judæus, spiritali intelligentia Christianus, austeritate vitæ religiosus. Farinam comedit de molendino ingenii philosophus, insipidum corticem de lege Judæus, similam de Evangelio Christianus, medullam de bono proposito religiosus. Spargit philosophus, congregat Judæus, erogat Christianus, renuntiat omnibus religiosus. Docet in scholis philosophus, in Synagoga Judæus, in ecclesia Christianus, in claustro religiosus. Plausum amat philosophus, nummum Judæus, Deum Christianus, planctum religiosus. Ut cervus in sylvis philosophus, ut taurus in campis Judæus, ut colomba in foraminibus petræ Christianus, ut aquila in contemplatione religiosus. Philosophus vivit arte, Judæus carne, Christianus fide, religiosus carnis mortificatione. Disputat philosophus, somniat Judæus, legit et intelligit Christianus, orat religiosus. Capit ciniphes philosophus, muscas morientes Judæus, aves Christianus, apes religiosus. Telas araneæ orditur philosophus, fovet ova sua Judæus, retia Petri reficit Christianus, rationale et superhumerale texit religiosus.

Si fides cognum intervenisset, claustralis et philosophica disciplina, mutuis sese brachiis amplexarentur, et in remotione a turbis oscularentur. Impedit namque vires ingenii, et sensus animæ retardat sæcularis occupatio, et vana collocutio. Ut itaque totum sensum sibi vindicaret, quieta et secreta quærebat loca; ubi extolleret animum et sensu purgato proferret infermentatum fermento evangelico fidelem sensum. Sed cum Jacob in virgis artium decorticatis, non unius, sed diversi coloris commentatum verisimile verum, sensus carnis transiens, et ad sensus animæ pertingens, si ad sensum Dei et fidei pertransisset, salvus esset; sed *qui* offendit *in uno factus est omnium reus* (*Jac.* II, 10). Utinam tanta severitate et assiduitate cum fide et regulari observatione nostram carnem affligeremus, et paupertatem amaremus, quanta plurimi philosophorum vitia carnis a se exstirpaverunt. Sed quia fides mundat corda, et vera pœnitentia per confessionem omnia exterminat peccata, si quid minus habet extrinseca politica, totum resarcit intrinseca novæ creaturæ forma. *Omnis* enim *gloria filiæ regis ab intus* (*Psal.* XLIV, 14); nec est remunerabilis religio, aut disciplina, quam non commendet gratia cum conscientia bona. Teneat itaque nostra disciplina fecundum silentium, cum Judæo juge sacrificium, cum Christiano commune charitatis solatium, cum sua professione singulare divinæ voluntatis obsequium. Excludat mundanarum sollicitudinum curam cum philosopho, observet unius Dei cultum cum Judæo, gratiæ se commendet cum Christiano, se ipsum superet interno ad Deum desiderio. Adimpleat quæ prima sunt in voto cum philosopho, quæ media cum Judæo, quæ extrema cum Christiano, quæ suprema ex gratia cum libero arbitrio. Metat quod viride est cum philosopho, quod fecundum cum Judæo, quod maturum cum Christiano, quod fructuosum cum suo voto.

CAPUT IX.

De angelica disciplina.

Restat angelica disciplina, quæ tota est voluntaria, et totum habet ex dilectione, et nihil ex difficultate sive labore. Cum Deo ministrat, reficitur; cum assistit, satiatur; cum mittitur, currit cum exsultatione; cum revertitur, excipitur cum jubilatione; semper infra Deum currit, nunquam extra. Nihil in disciplina illa confusum, nihil molestum, nihil exordinarium; omnes illos spiritus liquefactos in amorem Dei et sui ad invicem coagulat; et uno spiritu conglobati, tanta ligantur compagine, quanta si unus tantum spiritus esset in tota illa multitudine. In ordine illo sunt novem ordines angelorum; quibus adjungitur decimus hominum, ut Psalmista cantet in medio claustri, in decachordo psalterio cum cantico, in cithara crucis et crucifixi. De qua consonantia loquitur Apostolus : *Si linguis hominum loquar et angelorum*, id est in decachordo psalterio, *charitatem autem non habeam*, id est citharam crucis et unitatis, *nihil sum* (*I Cor.* XIII, 1). Est enim participatio ejus in id ipsum, donec formetur Christus in vobis, illa formatione qua omnia membra suo capiti juncta, divinæ consortes efficientur fideles naturæ. In cella claustrali tanquam in utero clausi, lineamenta contrahimus, quibus soluta mortalitate angelis assimilabimur : *Cum similes Deo erimus*, ut ait apostolus, *quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Quæ ergo sunt illa lineamenta? Puritas angelica, munditia, castitas, charitas, pax et veritas, et omnes illæ virtutes, de quibus dicitur : *Benedicite Domino omnes virtutes ejus* (*Psal.* CII, 20), orandum est, ut qui illas creavit in cœlo, nobis informet in claustro, ne vultus dissimiles separent mansiones. Si enim angelus in te aspexerit vultum suum, diliget te tanquam se ipsum.

CAPUT X.

De forma claustralis disciplinæ.

Forma claustralis disciplinæ speciem retinet angeli nuntiantis Dominicam resurrectionem : *Erat* siquidem *aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix* (*Matth.* XXVIII, 3). Timida namque corda carnalium qui ad bella non procedunt, et venire ad nuptias contemnunt, primo religionis aspectu expavescunt, et consuetis carere se non posse voluptatibus, phantasticis illusionibus confingunt. Occupantur enim in quinque jugis boum evangelicis; et in villa empta; et in uxore ducta; sumptus qui necessarii sunt, causantur non habere; patientiam, austeritatem cibi et potus, vilitatem indumentorum, juge silentium, obedientiæ jugum, reclusionem continuam, continentiam perpetuam, et his similia : viros se nominant, sed inter effeminatos se moribus collocant. De hujusmodi ait Gregorius : Quid inter hæc barbati dicimus, qui ire per ferrum ad regnum puellas videmus? Non negamus asperitatem hujus nostræ disciplinæ, sed cum Psalmista dicimus : *Propter verba labiorum tuorum* (id est *Qui non odit patrem suum et matrem suam* (*Luc.* XIV, 26). Et : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus* (*ibid.*, 33)) *ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI, 4). *Vasa quoque figuli probat fornax* (*Eccli.* XXVII, 6); et : *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit* (*II Tim.* II, 5). Fugiunt a sonitu folii nemine persequente; tactus et gustus veriores sunt in judicio, quam solus aspectus. Tangenda esset et gustanda disciplina claustri, et sic dijudicanda esset, utrum bona esset, an mala. Vestimenta sunt ut nix; vestimenta claustralis disciplinæ sunt regulares observantiæ. Quare nix? quia exstinguunt desideria, et incentiva carnis; quia castigant afflictione, sed dealbant remuneratione. *Si fuerint*, inquit Isaias, *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur* (*Isa.* I, 18). Quando? dum discernet Deus reges, nive dealbabuntur boni claustrales, qui erunt sicut angeli Dei in cœlo, relucentes ut sol in perpetuas æternitates. Non incongrue autem claustrum aliis reputatur stadium, aliis interius atrium, aliis gazophylacium, aliis sanctum sæculare, aliis regale cubiculum, aliis patibulum, aliis forum venale.

CAPUT XI

Claustrum esse stadium ostenditur.

Stadium dicitur a stando, quia qui in claustro est, stare debet in virtute cum omni sollicitudine, non in vitiis cadere; unde Apostolus : *Qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* X, 12). Stadium autem est, in quo omnes currunt, sed unus accipit bravium. Licet enim stadium a stando dicatur, tamen per stadium curritur, ubi ad bravium veniatur, et ibi cursus consummatur, sicut Apostolus ait : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*, etc. (*II Tim.* IV, 7). Omnes ergo qui comam capitis propter Christum deposuerunt, et habitum religionis susceperunt, currunt dum ad finem tendunt; sed unus accipit bravium, qui non mutatur ut luna, non recedit ab unitate fidei et professæ religionis. *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo* (*Psal.* XXIII, 5). Hujus stadii lex est, ut ab omnibus abstineat qui ad bravium festinat. Mitius non ligat lex nostra, quæ pauca tollit, et plura concedit. Tollit fornicationem, adulterium, omnem immunditiam, ipsum quoque matrimonium, quia : *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt* (*I Cor.* VII, 23). Tollit crapulam, tollit pecuniam, tollit superflua, concedit necessaria. Sic mandat Moyses Sehon regi Amorrhæorum : *Via regia gradiemur, aquas tuas non bibemus, nec aliquid tui accipiemus; sed pretio ememus necessaria* (*Num.* XXI, 22). Peregrinus et advena, qui quotidie transit ex hoc mundo ad Patrem, de substantia principis hujus mundi usque ad filum subtegminis non accipit, quatenus sua repetenti in exitu animæ confidenter dicat : *Nihil in me fuxeste reperies*. En iste est cursor levis explicans vias suas, currens velociter in odore unguentorum sponsi.

De hoc stadio ait Dominus filiis Israel : *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit : a deserto, et Libano, et flumine magno Euphrate, usque ad mare occidentale ibunt* [Vulg. *erunt*] *termini vestri* (*Deut.* XI, 24). Qui deserit mundum et venit ad claustrum, jam incipit calcare sæculum et corpus suum. Et est hoc desertum, terra deserta, invia et inaquosa ; deserta propter asperitatem, inaquosa propter disciplinæ severitatem, invia propter viatorum raritatem. Sed hic *in sancto*, ait Psalmista, *apparui tibi*, Deus, *ut* videamus *virtutem tuam*, propter durum laborem, *et gloriam* tuam (*Psal.* LXII, 3), perpetuam consolationem. Inchoandum ergo est a deserto renuntiationis sæculi, et currendum per Libanum castitatis et dealbationis, seu aspersionis sanguinis Jesu Christi, ut dicatur : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14). Ubi sancti dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni. Rursus enavigandum per magnum flumen Euphratem, primo per baptismum, secundo per assiduam compunctionem. Terminabitur autem cursus noster ad mare occidentale, ne deficiamus in via, donec per mortem finiatur vita. Omnem itaque locum quem calcavimus, possidemus, sicut ille qui ait : *Nihil habentes, et omnia possidentes* (*II Cor.* VI, 10).

CAPUT XII.

De claustri atrio interiori.

Atrium mentis dicitur claustrum, ubi pelles hostiarum detrahebantur, membra per frusta secabantur, cineres effundebantur, abluebantur intestina: et quæque laboriosa officia exercebantur. Sic ingrediens claustrum, pellem pro pelle, et omnia quæ habet dat pro anima sua, dum exuit veterem hominem, et induit novum, ambulans in novitate vitæ, et in confessione detegens vitia prioris consuetudinis. Prius itaque immolando sacrificium Deo mortificat membra sua quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem et cætera alia. Deinde detracta pelle totius perversitatis in confessione, artus in frusta concidit, nihil de omnibus peccati circumstantiis reticens, sed per singula titulos accusationis et conquestionis subjiciens, voret hæc omnia ignis contritionis et pœnitentiæ quousque ad cineres quos super caput aspergat, dicens : *Peccatum meum coram me est semper* (*Psal.* L, 4) ; et : *Putredini dixi : Pater meus es, mater et soror mea vermibus* (*Job* XVII, 7) ; compunctio his addatur, quæ sicut aqua de latere Christi emundat intestinorum conscientiam ab operibus mortuis. Juxta sanctuarii introitum atrium interius collocatur, extra se habens atrium exterius, et intra primum tabernaculum quod dicitur sancta. Novitius igitur ad religionem veniens in confinio orationis et sensualitatis positus, jam quidem non est in carne, sed nec in spiritu. Audit interim inter terminos habitos sibilos gregum carnis inter se dissidentium, mente consentiens legi Dei, carne autem legi peccati. Audit sibilos gregum cœlestium cantium de canticis Sion, et ad somnos contemplationis provocantes, et carnalium motuum molestias tranquillantes.

CAPUT XIII.

Claustrum gazophylacium.

Est et gazophylacium claustrum, ubi aurum, argentum et lapides pretiosi reconduntur ; et ubi thesaurum nostrum in vasis fictilibus, id est conscientiam bonam in observantiis regularibus habemus. In claustro thesauri sunt sibi vitam æternam negotiantes religiosi, quibus homo nobilis peregre proficiscens tradidit bona sua ; singuli psalmi, singulæ orationes, singulæ confessiones, singulæ lacrymæ, singula jejunia, singulæ eleemosynæ, singulæ immemorabilium laborum afflictiones, nonne acervum faciunt gratiarum, quæ est thesaurus desiderabilis in congregatione claustrali? Super gazas istas eunuchus Candacis reginæ constituitur. Cando ille qui se castravit propter regna cœlorum, in officio prælationis præficitur ; siquidem pudicitiæ et castitatis titulo insignitus, tanquam renibus accinctus custos sponsæ Christi non immerito constituitur. Talis inventus est Joseph in domo Putipharis sacerdotis Heliopoleos ; talis Joannes Evangelista, cui matrem suam in cruce commendans commendavit ; talem elegit Apostolus ; talem describit beatus Benedictus. Zelotes Dominus qua ratione crederet sponsam, quam pretioso sanguine redemit, et matrimonio indissolubili sibi copulavit, nisi ut amicus sive vicarius ille sponsi fideliter serviret et caste commissam conservaret?

CAPUT XIV.

Claustrum est sanctum sæculare.

Ingrediamur jam sanctuarium, quod dicitur sanctum sæculare, ubi semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. Peregrinans in terris justitia grata sibi interim claustralem disciplinam determinat hospitia. Pulsat itaque ad januam claustri, dicens : *Aperi mihi, soror mea : caput meum plenum est rore* (*Cant.* V, 2) ; quem superfundam in aera claustrali, ut moretur ros in messione mea, et cincinni mei guttis noctium, quas furatur in abscondito vultus Dei, et in secreto silentii pia conscientia. Currendum et occurrendum tam benignis pollicitationibus impigro pede sancti desiderii, et tollendum pessulum ostii, quod est difficultas et tarditas humanæ fragilitatis ad vota solvenda. Sanctum itaque sæculare est velle, et vix bona facere. Sanctum vero cœleste, velle et perficere. Unde Apostolus : *Deus est qui dat nobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13). De sancto sæculari idem : *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio* (*Rom.* VII, 18). Merito igitur claustrum dicitur sanctum sæculare, ubi nec quod volumus, facimus, nec quod facimus, perficimus.

CAPUT XV.

Claustrum regale cubiculum.

Dicitur etiam claustrum regale cubiculum ; unde in Canticis loquitur claustralis disciplina : *Dum esset*

set in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*Cant.* I, 11). Accumbere est ad quiescendum se inclinare. In Isaia loquitur Dominus : *Laboravi sustinens* (*Isai.* I, 14). In Jeremia : *Labora rogans* (*Jer.* XV, 6). Et in Evangelio : *Jesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem* (*Joan.* IV, 6). Non solum scelera Jacob et peccata nostra vexant illum qui idem ipse est et cum tranquillitate omnia judicat; sed etiam hostia pacifica et incensa, et cantica illorum sacerdotum, quorum manus sanguine, avaritia et luxuria plenæ sunt. Profanis itaque et malis hominibus ad lassitudinem lacessitus sabbatizare volens, loca silentii, pacis, unitatis et honestatis requirit, et ibi cubiculum statuit. *Hæc*, inquit claustrali disciplina, *requies mea; hic habitabo quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI, 15). Et : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII, 31). Quorum conversatio non animalis, sed rationalis et spiritalis est in cœlis. Liquefacta quodam amore humili cervorum, qui transilit super montes aromatum, loquitur ad ipsum : *Indica mihi*, inquit, *quem diligit anima mea ubi pascis, ubi cubas in meridie* (*Cant.* I, 6); quando spiritus fervet, quando mens tota incandescit, quando ignis exæstuat in ossibus amantis, et ferre non sustinentis. Plane inter acervos novarum frugum, in liliis, in campis sylvæ, a mundanis artibus remotarum mentium pascit et cubat in meridie. Adolescentuli et adolescentulæ regale cubiculum observant tenentes gladios, qui devorant carnes super femur mali desiderii, ambientes regem Salomonem propter timores nocturnos, ne forte ululatus luporum et gannitus vulpium rumpant medium noctis silentium, quando moriuntur primogenita Ægyptiorum.

CAPUT XVI.

Claustrum esse patibulum ostenditur.

Patibulum dicitur claustrum, ubi Jesus cum latronibus suspenditur, sed Jesus non quia meruit, sed quia voluit, illi non quia voluerunt, sed quia meruerunt. Unde ait latro ad latronem : *Nos quidem digna factis recipimus; hic autem nihil mali gessit* (*Luc.* XXIII, 41). Quicunque autem claustrum ingreditur cum Jesu de voluntate, cum latronibus eligat suspendium pro malorum suorum merito et satisfactione. Triplici distinctione omnium claustralium multitudo assignatur. Est in claustro innocens et sine querela apud Deum et homines cum Jesu. Est nocens, sed pœnitens cum dextro latrone; est nocens et impœnitens cum sinistro. Patitur innocens ad augmentum coronæ, patitur pœnitens ad meritum veniæ, patitur impœnitens ad cumulum pœnæ. Jesus in patibulo orat, latronum alter veniam postulat, alter Jesu insultat : qui bonus sustinet patibulum, bona ejus conscientia levem facit pœnam, et atrocem qui malus sustinet; sed in flagello non murmurat, veniam meretur; qui malus flagellatur, et sicut ignis in spinis desperando crepitat, damnatur.

Notanda in patibulo triplex claustralis disciplinæ distinctio : est namque filii disciplina ibi, cui Pater Unigenito *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32); de quo Isaias : *Disciplina pacis nostræ super illum* (*Isa.* LIII, 5). Et : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (*ibid.*, 4). Hunc unicum et dilectissimum Filium, in quo sibi bene complacuit, flagellis, imo durissimis scorpionibus absque ulla retractatione velut inimicum, pro reconciliatione inimicorum misericors Pater et Deus misericordiarum cecidit. Inde Filius : *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me* (*Isa.* L, 6). O dura, imo pia pietas! dura, quoad humanum judicium, pia quoad divinum secretum, dura quoad patientis meritum, pia quoad passionis causam et effectum. Unus agit causam omnium; bonus malorum, justus peccatorum, filius servorum. Disciplina igitur pacis nostræ super eum, qui totum debitum nostrum solvit cum usuris, non solum centesimis, sed et infinitis, ut plus appenderet statera crucis donum, quam delictum; et superabundans gratia remissionis indulgeret culpas non solum originales, sed actuales. Grandis et gravis disciplina sub qua mitissimus Agnus voce blanda et mansueta suspirat dicens : *Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; et si non potest transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*Matth.* XXVI, 39). Si filius es in claustro, sic habeas cor pacatum et paratum ad patiendum, et etiam ad congratulandum, dicens : *Quoniam ego in flagella paratus sum* (*Psal.* XXXVII, 18). Lupus Judas, unanimis forte tuus, si levaverit contra te calcaneum, tuum [*f.* suum], nec pellem mansueti vultus detrahat, nec carnem patientiæ deglutiat, nec intestina intentionis mordeat. Si Satan manifestus a planta pedis usque ad verticem famam tuam exulcerare voluerit, sedens in sterquilinio humilitatis, testa saniem rade imputando culpæ tuæ non alterius malitiæ; sicut David Semei maledictiones non imputabat, sed divinæ ultioni ascribebat.

Item alia est disciplina discipuli et alia servi. Discipulus audit doctrinam magistri; servus qui non manet in domo in æternum, et præstolatur finem operis sui, piger est ad audiendum, negligens ad operandum, ad oculum enim omnia facit nec quærit gratiam, sed pecuniam. Discipulus sanctus est, qui a dextris Domini pependit latro; servus qui a sinistris. Clamat discipulus : *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* (*Luc.* XXIII, 41). Patientiam et pœnitentiam jam didicerat in tempore parvissimo, consummatusque in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima ejus. Unde : *Hodie mecum eris in paradiso* (*ibid.*, 42). Itaque et tu claustralis, qui forte ab oriente venisti, ab ineunte ætate peccatis involutus; vel ab occidente usque ad senectutem in peccatis conversatus, conversus ad religionem, spera in Domino et fac bonum. Dic : *Domine, memento mei, dum veneris*

in regnum tuum (*Luc.* XXIII, 42). Item : *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9), sequendo te et obediendo tibi : *Suscepit me dextera tua* (*Psal.* XVII, 36), quia licet peccaverim, licet mortem meruerim, tamen spero de misericordia tua, quæ est dextera tua. Non est extra disciplinam qui sedet, ad dexteram, vel etiam qui pendet; sed cum delectatione tenet disciplinam claustri; pendet, qui vitulos habet mugientes, sed reclusos appetitus sæculi, et impetus carnis audiens, sed non vadens post concupiscentias suas. Movetur carnalis suggestio, sed non egreditur consensus aut delectatio; concipit caro dolorem, sed non parit. Quare quia non est extra disciplinam, nec extra dexteram. Semper enim dicit : *Dominus a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* XV, 8). Discipulus non moritur. Servus autem qui servus est peccati, et pœna peccati, quid? *Ejice ancillam, et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ Mariæ* (*Gen.* XXI, 10). Hic est claustralis, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Quærit obedientiam, non Jesu Christi, sed proprii arbitrii; quærit pecuniam, quærit voluntatem propriam, quærit duobus dominis servire, Deo et mammonæ. Hic labiis Deum honorat, cor autem ejus longe est ab eo. Hic in vestibus ovium venit, sed intus est lupus rapax, cujus Deus venter est. Hic habet speciem pietatis, sed virtutem ejus abnegat. Hic non est ex nobis, licet inter multos sit nobiscum. Hic magis eligit porcos immundi desiderii pascere quam in paternis possessionibus sobrie vivendo remanere. Descendamus jam ad forum et emamus nobis necessaria.

CAPUT XVII.

Forum venale claustrum : quod et Tyro civitati moraliter assimilatur.

Claustrum est venale forum, ubi exponuntur merces omnes ad utilitatem animæ, sive quæ ad decorem, sive quæ ad necessitatem pertinent. Lege Tyrum in Ezechiele (cap. XXVII) singulis rebus et speciebus a diversis hominibus et regionibus juxta singulorum possibilitates et peregrinas merces sufficiente constructam et ornatam. Mysticas horum significationes nec hujus operis, nec nostræ facultatis est de sacculis historicis et marsupiis evolvere et explanare. Humeris Hieronymi et Gregorii, atque aliis expositoribus relinquimus, qui falces habent acutas ad metendum, ubi alii laboraverunt; ad nostram tamen disciplinam et claustrum nostrum sumptu soluto exinde reporto. Quod sicut opulentissimam illam urbem vicinæ et remotæ provinciæ repleverunt; sic claustrum religionis illi qui ab initio mundi Deo placuerunt usque ad hæc nostra tempora; omnia enim sua tam dicta quam facta ad usus nostros præparaverunt. Cedros imputribiles, si fortia castitatis quæris exempla, absque numero reperies. Si patientiæ, si conscientiæ, si fidei, si veritatis, si mansuetudinis, si religionis; si obedientiæ, si justitiæ, si fortitudinis, si prudentiæ, si temperantiæ, si omnium virtutum possessores quæsieris, occurrent tibi innumerabiles super arenam maris et stellas cœli; unde : *Mihi autem amici tui Deus honorabiles facti sunt : dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur* (*Psal.* CXXXVIII, 16). Emat itaque a bonis et legitimis Dei mercatoribus quod sicut placet quisque; et quod ad diem festum necesse est. Tunc enim in foro nihil invenitur, cum clausa erit janua, et fatuis virginibus dicetur : *Ite ad vendentes, et emite vobis* (*Matth.* XXV, 9). Quod dicetur, non ad consultationem, sed ad subsannationem. *Subsannabo*, inquit Sapientia, *cum vobis quod timebatis advenerit* (*Prov.* I, 26) Bene autem Tyrus, qui interpretatur *angustia*, claustralem disciplinam figurat : quia malum, malum est, dicit omnis emptor; sed cum venerit domum gaudet : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*II Cor.* IV, 17). Nec minor apparatus animarum in claustro, quam terrenarum opum in Tyro. Vix est colligere opes Tyri, vix est enumerare labores claustri. Quidquid congregat ad perituram gloriam sæculi Tyrus, hoc pro acquirenda beata vita bona patientia suffert religiosus conventus.

Primo considerandum quod in corde maris est sita, ubi quidem major est timor, durior est labor. Finitimi sunt Elias, Joannes Baptista, beatus Benedictus et sanctus Augustinus; qui ædificaverunt verbo et exemplo claustralem religionem, et impleverunt illam sanctitate et decore incomparabili; abietes et cedros animi puritate et incorruptione imputribiles, et contemplatione sublimes. De Sanir, id est via lucernæ, seu dentibus vigiliarum, vel etiam de Libano exstruunt (*Ezech.* XXVII) claustrum, cum tales perficiuntur, quorum vita via est aliis, et lucerna, sive redargutio errantium sollicita et mordacissima, atque dealbatio invitantium candidissima. Quercus quoque de Bazan (*Isa.* II) recipit claustrum, id est ignominiosos peccatores, et facit remos, sicut Josue Gabaonitas (*Josue* IX), aquarios in templo et lignarios. Unde Apostolus : *Eos qui contemptibiles in Ecclesia sunt constituite ad judicia* (*I Cor.* VI, 4). *Transtra*, quorum pedes portant pacem; *et prætoriola* (*Ezech.* XXVII, 6), quorum anima adhæret pavimento. *De ebore Indico* propter mortificationem. Et de *insulis Italiæ* (*ibid.*) sive Cethim, id est percussa Dei timore dolent. *Byssus varia de Ægypto*, id est sæculo, *texitur in velum* (*ibid.*, 7); quando de sæcularibus conversi, difficultatibus et objectionibus adversariorum tanquam murus se opponunt pro domo Israel. Similiter *hyacinthus* de nobilitate; *purpura* (*ibid.*) de obscuro et ignobili genere, tamen valde laborioso, fiunt operimentum in securitatem et absconsionem infirmorum a turbine et a pluvia. *Habitatores Sidonis et Aradii* (*ibid.*, 8), quondam venatores rhetorici, deponentes per potentiam, sicut Nabuchodonosor quos volebat exaltabat, et quos volebat humiliabat : modo sunt remiges nostri gubernantes navem et trahentes ad portum. *Sapien-*

tes tui, Tyre, sunt gubernatores tui (*Ezech.* XXVII, 8), a quibus cum respublica regitur, bene agitur. *Senes Giblii, et prudentes ejus* (*ibid.* 9), in ordine ab infantia nutriti, *habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ* (*ibid.*,); quia consuetudo et usus claustri ab his quærendus est. *Omnes naves maris, et nautæ earum, fuerunt in populo negotiationis tuæ* (*ibid.*), quia claustrales de labore sæcularium vivunt, secundum Apostolum : Qui spiritualia seminant, carnalia metant (*Gal.* VI). *Persæ* (*Ezech.* XXVII, 10), id est tentati a concupiscentia sua abstracti et illecti, et generati a diabolo; unde : *A patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44). *Et Libyes* (*Ezech.* XXVII, 10), quorum os maledictione plenum est, conversi sunt in exercitu claustrali, vel perseverando in malitia ad exercendum Abel, vel immutati ad serviendum Deo viventi. *Viri bellatores tui clypeum et galeam suspenderunt in ornatu tuo* (*ibid.*), induentes se armaturam Dei tempore belli, et resistentes diabolo et vitiis carnis; et transacta malitia, quæ est vita hominis super terram, fortia virtutum exempla sequacibus relinquentes; sicut Eleazarus, qui noluit simulasse carnem porcinam contra leges sanctas manducasse. *Filii Aradii cum exercitu tuo super muros tuos et in circuitu tuo* (*ibid.*, 11). Aradii deponentes veterem hominem cum actibus suis super muros sunt custodes tota die et tota nocte in perpetuo non tacentes; sed contra aereas potestates debellantes. *Sed et pigmæi, qui erant in turribus pharetras suas suspenderunt in muris suis per gyrum; ipsi compleverunt pulchritudinem tuam* (*ibid.*, 12). Nota quod Pigmæi, qui sunt cubitales homines, dicantur complere pulchritudinem nostram; plane qui se humiliat sicut parvulus evangelicus, hic in turribus pacis cum securitate complet cumulum religionis. *Græcia, Thubal et Mosoch, ipsi institores tui* (*ibid.*, 13). Ad summam dicendum de cunctis gentibus ad religionem jam conversos, et adhuc plures convertendos, qui singuli de moribus, de regionibus, de consuetudinibus suis, multas mansiones in domo Dei faciunt, ut ex multis facierum personis corpus Christi quod est Ecclesia magna ædificetur.

Forte sub his integumentis parum tibi arridet modestissima claustralis disciplinæ facies. Nudam et superborum foliis exspoliatam succinctamque consuetudine sæculari magis appetis, ne lector offendiculo obumbratæ locutionis tardatus, fastidio sensum amittat; et in hoc quoque satisfacere possim, et tuæ voluntati et aliorum utilitati. Sunt itaque nervi et compagines claustralis disciplinæ silentii censura, verborum rara et rationabilis licentia, aspectus in terram defixus, incessus neque multum tardus, neque multum festinus; sessio in claustro assidua, in choro intercisa; statio quasi ante Deum tremula et timida; cibus et potus castra infra metas sufficientiæ ponens, somnus digestioni sufficiens, castitas utriusque omnes fines hominis possidens, timor Dei fundamenta omnium actionum jaciens; amor Dei cœlum superextendens, constantia et perseverantia in bono parietes fulciens, puritas et munditia claustrum scopando omnia superflua projiciens, humilitas stramenta pedibus substernens, obedientia introitum et exitum custodiens, charitas conventum totum per ordinem disponens, fides animans, spes recreans. Ubi disciplina ista tenetur, et ordo non dissipatur, crede mihi, stat Jesus in medio discipulorum suorum; et dans pacem cum eis ingreditur et egreditur; et est pax ingredienti disciplinam, et egredienti ad vitam æternam; in superliminaribus claustralium domorum, sanguine Agni scribantur hæc in generatione altera.

CAPUT XVIII.

De silentio.

Adhuc repeto amplius commendare quæ religioni æstimo magis amabilia vel etiam necessaria; ut sunt, silentium, lectio, confessio et oratio. Silentium claustrale, nec mutum sit nec loquax : non mutum sit in auribus Domini Sabaoth, sed semper dicat : *Auribus percipe vocem orationis meæ* (*Psal.* XVI, 2). Et : *Voce mea ad Dominum clamavi* (*Psal.* CXLI, 1). Quia tacenti Moysi dictum est : *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV, 15.) Illa enim vox penetrat viscera misericordiæ Dei nostri : quam solus et totus spiritus in imis visceribus ingemiscens jactu validissimo ad tertium emittit cœlum. Unde Apostolus de Domino : *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus pro sua reverentia* (*Hebr.* V, 7). Tale silentium habet tintinnabula in extremitate sacerdotalis indumenti cum malis punicis; quia sollicitus de exitu vitæ hujus orat refectionem et rotunditatem vitæ æternæ. Rursum non sit loquax; quia : *In multiloquio non deerit peccatum* (*Prov.* X, 19). Et lingua in udo constituta, si movetur sine sustentaculo timoris Dei, vix evadit lubricum, vix non incurrit lapsum. Non ergo valvas labiorum aperiat, nisi forte in Sabbato aut in Kalendis de requie futura et gaudiis sanctorum commemorans. Sub tali silentio crescite et multiplicamini sancta desideria, pax cordis et tranquillitas cum vera munditia, quia ventosa et vana loquacitas mista cum gelu et pruina verborum seminantium discordias, ficum et vineam, et teneras arbores scandalizando, cito et frequenter exurit. Sigillum autem silentii si sub signaculi obumbratione sit, nutrit semen bonum et ad proventum facit venire. Inde est quod in Apocalypsi liber, qui est in dextera sedentis super thronum, scriptus intus et foris, septem sigillis signatur. In manu Dei sumus et nos, et sermones nostri, clausi septem signaculis quousque aperiat os nostrum Agnus qui occisus est; et habet *clavem quæ aperit, et nemo claudit* (*Apoc.* III, 7), unde Paulus vinctus : *Sed verbum Dei non est alligatum* (*II Tim.* II, 9). Claudit et nemo aperit; unde in eadem Apocalypsi : *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua noli ea scribere* (*Apoc.* X, 3). Et in Daniele : *Clausi sunt sermones* (*Dan.* XII, 24). Liber

iste scriptus est intus et foris, ne labiis tacitis iniquitatem mediteris in cubili tuo, id est in cordis secreto; signatus est septem signaculis, ne egrediatur verbum otiosum, quia de omni verbo otioso reddituri sumus rationem. Ne vanum, sicut illi qui *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI, 2); ne dolosum, quia *fraudulenti vasa pessima sunt* (*Isa.* XXXII, 7). Ne mendax, quia *perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V, 7). Ne malum, unde : *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat* (*Ephes.* IV, 29). Ne schismaticum aut hæreticum, aut murmurosum, quia Dathan et Abiron vivi absorpti sunt, et murmurantes perierunt ab exterminatore. Ad ultimum ne blasphemum, quod non remittetur nec in hoc sæculo, neque in futuro.

Sunt quoque septem sigilla, quibus signatur liber silentii claustralis. Ratio tranquillitatis, ratio professionis, ratio tenendæ pacis, ratio componendi affectus et motus cordis, ratio subtrahendi a sæcularibus negotiis, ratio scrutandæ legis Dei, ratio contemplationis. Ubi enim silentii repagula infringuntur, turbatur tranquillitas, professio solvitur, pax confunditur, affectus et motus cordis tanquam mari moto undis contunduntur. Qui sæcularibus implicatur, æternis et cœlestibus exuitur, qui sophisticis et rhetoricis deceptionibus occupatur, legem Dei non meditatur; qui garrulitate et vana loquacitate detinetur, ad Deum mente non erigitur. Salva igitur sint signacula ista donec Agnus solvat, et labia nostra aperiat. His signaculis liber silentii clausus non solvitur, nisi Agnus solverit qui occisus est quod est usque ad mortem servetur ista silentii censura. Solvetur autem ab Agno : *Qui dignus est accipere virtutem*, ut sit Rex virtutum; *et divinitatem* (*Apoc.* V, 12), ut sit Patri consubstantialis secundum æternam generationem et sapientiam quæ loquitur : *Ego ex ore Altissimi prodivi* (*Eccli.* XXIV, 5); *Et fortitudinem* ut sit fortis et potens in prælio, *et gloriam, et honorem*, quia eum qui modico ab angelis minoratus est, gloria et honore coronavit Pater; *et benedictionem* (*ibid.*), qui accepit benedictionem a Domino, et est super omnia benedictus Deus. Ad hæc Agnus aperit ora mutorum et resolvit signacula, ut sapientiam in mysterio absconditam loquamur, ut dicamus de Christo : *Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui* (*Marc.* VII, 27). In libro itaque signato, id est in silentio legamus, et quod sub sigillo clauditur, tanquam sublato lapide ab ore putei a Jacob, vel a Domini sepulcro ab angelis, inspiciamus et de aquis istis bibamus. Bonum est ergo claustrale silentium.

CAPUT XIX

De lectione

Huic silentio concatenata est lectio, et quasi debent annuli infigi in annulis cortinarum in templo Dei. Lectio autem est pascua uberrima, in qua animalia pusilla cum magnis assidue pascendo præparant holocausta Domino medullata, cum intra se ruminantes dulcissimos divinæ Scripturæ flores, nihil aliud corde et ore continent. Purgat siquidem interiora nostra ossibus mortuorum, et mortuinis amputandarum cogitationum assidua et intenta cum devotione lectio, etiamsi non sequeretur fructus intelligentiæ et scientiæ ex lectione, tamen ad hoc esset utile semper legere, ut mens nostra occupata excusaretur a superveniente et contumaciter se ingerente vana et superflua cogitatione. *Dum venio*, ait Apostolus ad Timotheum, *attende lectioni* (*I Tim.* IV, 13). Et : *Beatus vir qui meditatur in lege Domini die ac nocte* (*Psal.* I, 1). Et : *Semper sint vectes arcæ in annulis* (*Exod.* XXV), Et semper inveniat te diabolus occupatum; non enim spiritus immundus intrat domum, nisi quam invenerit vacantem. Ne vero lectio sit vana et garrula, sed quieta et sigillo meditationis impressa, dicitur in Apocalypsi : *Et cum aperuisset Agnus unum ex septem sigillis; audivi unum de quatuor animalibus tanquam vocem tonitrui dicens : Veni et vide* (*Apoc.* VI, 1); id est lege Evangelium Matthæi, qui est unum de quatuor animalibus, sic incipit : *Liber generationis Jesu Christi*. Quid est ergo sic inchoare Evangelium, nisi dicere, veni et vide in hoc libro mysterium a sæculis absconditum, per generationem Christi ostensum et revelatum? Veni et vide Verbum incarnatum, quod sub sigillo divinitatis hactenus apud Patrem latuerat clausum. *Et ecce equus albus* (*ibid.*, 2), Christus de Spiritu sancto conceptus, et sine peccato de Virgine natus. *Et qui sedebat super illum habebat arcum* (*ibid.*), ex divina et humana natura intensum contra diabolum. *Et data est ei corona* (*ibid.*), ut sit Rex angelorum qui fuerat Rex Judæorum. *Et exivit* in locum Calvariæ, *vincens* per patientiam, *ut vinceret* (*ibid.*) per potentiam. Huic incumbens lectioni efficitur equus albus, dum sicut columba volitat super rivos aquarum; et quasi grex tonsarum ascendit de lavacro, induens novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Intellectus quoque qui sedet super equum album, et præest omnibus sensibus, habet arcum, sanctam Scripturam, quæ modo intenditur, modo distenditur; intenditur dum minatur pœnam, distenditur dum promittit veniam : *Et data est ei corona* (*ibid.*, 2). Jam rasam coronam gestamus in capite, sed gloriam et bonam conscientiam quæramus in mente; et corona est in capite assidua lectio cum intenta devotione. Unde Salomon, *Liga eam in corde tuo jugiter, et circumda eam gutturi tuo* (*Prov.* VI, 21). Et sit *torques collo tuo* (*Prov.* I, 9). Qui meditatur in lege, coronam habet in capite. Qui loquitur de lege : *Exaltatione Dei in gutture* (*Psal.* CXLIX, 6). Qui subjicitur legi, *torques in collo*.

CAPUT XX.

De confessione.

Surgendum autem de lectione ad confessionem, ubi te accuses de prævaricatione mandatorum Dei, vel de negligentia, vel de ignorantia, vel de infirmi-

tate; non autem debet esse crassa et supina confessio claustralium sicut sæcularium hominum. Confessio est aqua non turbida, non virulenta, non bituminosa; sed clara, pura et munda, purificans tanquam secunda baptismatis regeneratione illos, qui non custodierunt vestimenta sua alba sicut nix, de lavacro sanctificationis. Est itaque confessio alia ante judicem, alia ad Dominum, alia ad Patrem. Ante judicem reus, ad Dominum servus, ad Patrem filius. Reus quærat advocatum, servus flagellum, filius amicum. Reus agat de reconciliatione, servus de propitiatione, filius de pace. Munera offerat reus, obsequia servus, seipsum filius. Reus macerationem, servus correptionem, filius salutarem oblationem. Reus prosternat se ante januam, servus ante ostium, filius intret cubiculum. Grandia et enormia scelera confiteatur reus, servus peccata, filius delicta. Dicat reus : *Noli me condemnare* (*Job* x, 2); dicat servus : *Miserere mei, Deus* (*Psal.* l, 1); dicat filius : *Pater peccavi* (*Luc.* xv, 18); *sed parce mihi* (*Job* vii, 16). Qui recedendo de filio factus fuerat servus, de servo reus; fiat redeundo de reo servus, et de servo filius, ut quibus passibus abierat in regionem dissimilitudinis, eisdem revertatur ad similitudinem Patris. Et quia deformata peccando fuerat imago et similitudo Dei in anima, per confessionem sigillum quærat reformationis; unde jam secundum sigillum aperiat Agnus in confessione : *Audiri secundum animal dicens : veni, et vide* (*Apoc.* vi, 3). Secundum animal est Marcus, qui tanquam leo rugit in deserto; præcipue agens de Domini prædicatione et resurrectione. Et bene confessio comparatur deserto, quia non solum a sæcularibus, sed etiam a regularibus potius deseritur quam frequentetur. In hoc deserto rugiebat peccator ille qui dicebat : *Rugiebam nimis a gemitu cordis mei* (*Psal.* xvii, 9). *Et exivit alius equus rufus* (*Apoc.* vi, 4); allegorice Christus, qui albus est in nativitate, et rufus in passione. Moraliter vero rubore confunditur qui sua enormia scelera confitetur et efficitur rufus sanguinis conspersione, qui erubescit de sua correptione. Unde Apostolus : *Quem fructum habuistis*, inquit, *tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* vi, 21.) Equus rufus est qui portat suam confusionem, dicens : *Non sum dignus ego peccator, levare oculos meos ad cælum* (*Luc.* xviii, 13). Et : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Luc* vii, 6). Et : *Iram Domini portabo, quia merui* (*Mich.* vii, 9). Et : *Qui sedebat super illum* (scilicet timor Domini) *datum est illi ut sumeret pacem de terra* (*Apoc.* vi, 4); unde Dominus : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* x, 34). Unde et huic *datus est gladius magnus* (*Apoc.* vi, 4). Gladius iste magnus devorat carnes; et inebriatus est in cœlo. Et : *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* xlviii, 10), id est qui non amputat per confessionem peccata quæ fiunt ex carne et sanguine, de quibus dicitur : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (*I Cor.* xv, 50).

CAPUT XXI.

De vera confessione, et ejus efficacia.

Gladius confessionis *Vivus est et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum; et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* iv, 12). Et quis vim confessionis exprimere sic potuit? Quis naturam ejus et formam sic depinxit? *Vivus*, inquit, *est sermo*. Ubi est morticinum confessionis? Ubi simulacrum mortuum, quod os habet, et non loquitur, manus habet non Jacob, sed Esau, videlicet pilosas, sed et non planas? Pedes et non ambulat? Sicut homo mortuus non est homo, et fides mortua non est fides; sic confessio simulata, non est confessio. Vivus ergo sit confessionis sermo, ut de corde vitali, et labiis veracibus procedat, non de sepulcro cadaveris mortui quod putet et fetet. Addit : *Et penetrabilior omni gladio ancipiti*. Grammatica, dialectica et rhetorica gladii sunt, quibus inter se pugnant clerici, et satis sunt penetrati in doctrinis et regulis suis; sed sermo Dei et sermo confessionis penetrabilior est omni gladio ancipiti, qui quærit vitare damnum et acquirere lucrum, cum non solum penetrat in interiora hominis, sed etiam perforat intestina suggestionum diaboli, et portas confringit inferni. Et quomodo? *pertingens usque ad* finem *animæ et spiritus*, id est sensualitatis et rationis. Nihil namque omittit vera confessio, quin accuset omnes excessus et sensualitatis, et superioris rationis. Nam aliud est peccare ex sensualitate, quam habemus communem cum peccato; aliud ex ratione, quam habemus specialem ex humanitate, et forte communem cum Angelo ex divina dispensatione. Peccata ex sensualitate, sunt illa, quæ fiunt ex fragilitate et subreptione; quibus minor debetur pœna et pœnitentia; ex ratione, quæ fiunt ex deliberatione, vel ex ambitione, quibus acrior imminet vindicta. Subjungit : *Compagum quoque et medullarum*. Compago quædam est animæ et spiritus : illud confinium rationis et sensualitatis, in quo vix discernitur cujus sorti cedat, rationis, an sensualitatis? Unde Apostolus : *Non intelligo quod operor* (*Rom.* vii, 15), quia in confinio illo *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* v, 17), id est adversus sensualitatem. Hoc quoque confinium vivus sermo debet determinare, et usque ad interiores medullas peccata insequi et explorare. Ad extremum subdit : *Discretor cogitationum et intentionum cordis*. Evolvendæ sunt cogitationes et rimandæ intentiones in confessione? ut nec minima peccati ungula evadat, quin in Dei sacrificium veniat. Fit enim in confessione criminale, veniale. Sed paucorum est discernere noctem et noctem, id est inter veniale et criminale, quia multa reputantur venialia quæ sunt criminalia, secundum intentionem peccatoris. Exprimenda est in confessione, non solum actio, nec solum cogitatio, sed etiam ipsa intentio quæ totum opus facit lucidum aut tenebrosum. Et hic gladius

magnus qui datus est sedenti super equum rufum, cujus etiam acies dissecat penitus, et discindit squammas antiqui Leviathan; quarum una uni sic jungitur, ut nec spiraculum incedat per eas.

CAPUT XXII.

De oratione.

Serpentinis igitur exsuviis in confessione exutus, et aquis Jordanis cum Naaman leproso lotus, et cum puero David secundo unctus, in oratione ad Dominum manus et oculos levet, ut præterita deleantur et a futuris caveatur. His quasi duabus columnis fulcitur domus orationis, si ira Dei deleatur, et gratia concedatur. Utrumque facit oratio, et exstinguit iram et implorat gratiam. Est enim oratio alia laboriosa, alia devota. Laboriosa exstinguit iram; devota provocat gratiam. Neutra tamen sine altera veniat ad thronum gratiæ, sed Jacob utramque ducat, et contubernio suo constringat Liam et Rachel, id est laboriosam orationem et devotam. Una nocte cubat cum Lia, altera forte cum Rachel. Ex utraque nascitur soboles; proles ex Lia, chariores ex Rachel; et isti et illi reputantur in semine et numero patriarcharum, quia secundum Liam qui plus laborat plus mercedis accipiet; et secundum Rachel : *Ei qui non operatur merces imputatur, non secundum meritum* vel debitum, *sed secundum gratiam* (*Rom.* IV, 4) (98*). Cum itaque mercedem prævenit gratia, grata et devota dicitur oratio; et est imber matutinus. Laboriosa est, quando cor longe est ab homine, et Deus a corde. Longe vero cor ab homine, sive occupatum sit in curis superfluis, sive tepefactum a fervore religionis, sive immersum carnalibus desideriis. Deus quoque longe est a corde, cum subtrahit gratiam, cum differt præsentiam, cum exercet postulantis patientiam. Laboriosa est de qua Petrus ait : *Præceptor, per totam noctem laboravimus, et nihil cepimus* (*Luc.* V, 5). Et de qua Job : *Effodiunt sibi mortem quasi thesauros, et cum invenerint, gaudent* (*Job* III, 21). Et iterum Job : *Clamo, et non exaudis me* (*Job* XXX, 20). Et sponsa in Canticis : *In lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea*, etc. (*Cant.* III, 1). Et in Psalmo : *Distulisti Christum tuum* (*Psal.* LXXXVIII, 39). Devota est cum cito occurrit gratia, cum mentem præoccupat, cum adest antequam invocetur, cum præstat supra quam petimus aut intelligimus. Cum autem homo pulsaverit ad januam gratiæ, dicens : *Oratio mea præveniet te* (*Psal.* LXXXVII, 14). Et : *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo* (*Psal.* CXVIII, 148); tunc appellatur laboriosa, et imber serotinus : *Faciam*, inquit Dominus, *descendere ad vos imbrem matutinum et serotinum, ut custodiam introitum et exitum vestrum* (*Joel.* II, 23). Aliquando cum oraret Jesus in passione, factus est sudor ejus tanquam guttæ sanguinis; frequenter etiam oravit cum omni tranquillitate, ut ibi : *Pater, clarifica Filium tuum; et venit vox de cælo, dicens : Et clarificavi, et iterum clarificabo.* (*Joan.* XII, 23) Et Dominus ad turbam : *Non propter me vox hæc venit, sed propter vos* (*ibid.*, 30). Et ad Patrem : *Ego enim sciebam* ab initio *quia semper me audis* (*Joan.* XI, 42). Quisquis huic Dominico se impresserit orationis sigillo ejusdem boni Magistri, sicut in aliis, sic etiam in hoc intuetur exemplum; nam de eodem sic sequitur in Apocalypsi :

Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens : Veni et vide; et vidi. Et ecce equus niger; et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua (*Apoc.* VI, 5). Tertium animal est Lucas medicus et evangelista, qui conficit animæ potiones, ad sanandos omnes ejus languores. Incipit autem ab oratione sic : *Fuit in diebus Herodis regis Judæ, sacerdos quidam nomine Zacharias*, etc. Et quia in visione Ezechielis in figura vituli repræsentatur; et vitulus Deo immolatur; bene equus niger dicitur propter crucis mortificationem, quam voce prædicavit et opere adimplevit. Christus autem qui albus fuit in nativitate, rufus in passione, niger est in morte. Sed stateram crucis habet in manu, quia potestatem habet ponere animam suam, et potestatem habet sumere eam. Et appensa in statera ista culpa humani generis cum pœna Dominici corporis, pluris inventa est pœna sua, quam culpa nostra : unde ipsa pœna passionis Christi, delevit reatum prævaricationis primi parentis nostri, et totius mundi. Ipsa quoque passio, quid aliud fuit quam ejus oratio et nostra reconciliatio? Equitat ergo Christus in equo nigro, nam exaltatus a terra suspenditur in crucis patibulo. Et nos claustrales sive sacerdotes, imitemur in cruce orantem, levantes puras manus et oculos columbinos ad Deum, peccatorum nostrorum nigredinem confitentes, et pœnitendo mortem prævenientes. Unde Psalmista : *Æthiopia præveniet manus ejus Deo* (*Psal.* LXVII, 32). Æthiopissa decolorata a sole, et super carbones denigrata carnis afflictione, et membrorum suorum mortificatione, orat dicens : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* IV, 11); et : *Ossa mea sicut cremium aruerunt* (*Psal.* CI, 4); et : *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum* (*ibid.*, 5). Animæ sic oranti loquitur sponsus in Canticis : *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea* (*Cant.* I, 8). Quasi equitabat Deus ante filios Israel super equum nigrum, columnam nubis per diem; et equum rufum, columnam ignis per noctem. Currus autem Pharaonis sunt fallaces equi ad salutem, qui discurrunt per universum orbem; superbia, fallacia, gula, luxuria, suos equites deferentes in infernum. Sed equitatio Jesu salus, de quo dicitur : *Currus Dei decem millibus multiplex* (*Psal.* LXVII, 18). Et quibus loquitur Psalmista : *Afferte Domino, filii Dei*, id est angeli : *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1), id est Christianos imitatores apostolorum et

(98*) Hic sua Petrum memoria fefellit; imo, quod facilius credam, Apostoli verba, ut sententiæ magis consonarent, immutavit; in Vulgata enim legitur : *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

prophetarum. Qui sedet super equum nigrum, habet stateram in manu sua, in qua appendet quid debeat postulare de temporalibus et quid de æternis; quam assidue pro æternis, quam moderate pro transitoriis. Inde est quod sequitur : *Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario; et tres bilibres hordei denario uno* (*Psal.* XXIV, 17). Triticum æterna designat, hordeum temporalia; simplex et una oratio, id est bilibris tritici, pro vita æterna. Unde : *Unam petii a Domino* (*Psal.* XXVI, 4); multiplex et diversa, id est tres bilibres hordei pro necessitatibus terreni subsidii. Unde : *De necessitatibus eripe me, Domine* (*Psal.* XXIV, 17). *Vinum et oleum ne læseris* (*Apoc.* VI, 6), id est in Christo baptizatos et sancto chrismate perunctos, quod est oleum, et sanguine Agni redemptos, quod est vinum, ne læseris ad damnationem. Et si præcipio ne læseris animam, sicut de Job dictum est : *Tu autem animam ejus serva* (*Job* II, 6). Tamen in pressura torcularis nolo ut parcat calcator uvæ. In hac enim pressura Deus non parcens parcit fidelibus suis. Hæc de oratione, dicendum est de meditatione mortis.

CAPUT XXIII.

De meditatione mortis.

Morte nihil certius, nihil incertius, nihil bonis appetibilius, nihil malis odiosius. Certus occasus est, incertus eventus. Illis qui non sunt de mundo, conversationem habentibus in cœlis, gratus exitus de carcere ad regnum, de confusione ad gloriam. Morte namque interveniente, nuda veritas manifestabit gloriam summæ et individuæ Trinitatis, gloriam beatæ Virginis, gloriam cœlestium virtutum, gloriam denique omnium sanctorum; in qua nova, certa, mansura et mira et amabilia erunt omnia. Velum quoque sacramentorum præsentium, quod est de hyacintho secundum spem regni; de purpura propter sanguinem Agni; de cocco bis tincto propter charitatem mediatoris Dei et hominum; de bysso retorta, propter sinceritatem Catholicæ fidei, et indissolubilem veritatem tunc aut tolletur, au scindetur. Tolletur juxta illud : *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XIII, 10). Scindetur sicut in passione Domini : *Velum templi scissum est a summo deorsum* (*Marc.* XV, 38); ut judicium magni Dei sit sicut meridies, quando manifestabuntur consilia cordium. Et : *Nihil opertum quod non revelabitur* (*Matth.* X, 26). Non ergo expavescat solvere debitum mortis, qui exspectat soluto debito dotes tantæ remunerationis. Debitum tamen est, quod omnibus et ab omnibus debetur et solvitur. Tempus autem solutionis, et hora, non in potestate et scientia est debitoris, sed in voluntate Creatoris. *Constituit* ille *terminos qui præteriri non poterunt* (*Job* XIV, 5). De solvenda morte nec creditor et exactor potest diem anticipare et præripere, aut debitor differre et prolongare. Nemini autem hoc debitum seu vectigal indultum est a Deo, ut nec ipsi Filio Dei, quia Filius hominis est, remissum sit; licet originaliter emancipato per immunitatem peccati; nam *Domini Domini est exitus mortis* (*Psal.* LXVII, 21).

Cogitandum itaque, et semper excogitandum est, quatenus per mortem transeamus, non in morte remaneamus; sit mors hospitium viatoris, non mansio morientis; sit absolutio oneris, non depressio calamitatis; sit pœnæ interruptio, non continuatio; sit via ad Patrem, non deviatio ad hospitem; fit progressio ad patriam, non demersio ad gehennam; sit potio salutaris, non assumptio infernalis; sit denique finis non consumptionis, sed consummationis. Ante mortem culpa mortalis est cavenda, vel saltem confessione et pœnitentia delenda. Citra mortem præparandum, unde post mortem sit feliciter vivendum. Mors non absorbet merita bona, repræsentet autem mala etiam oblita; mors coacervat omnia præterita opera, designat mansionum æterna tabernacula, et collocat animas, non ubi voluerint, sed ubi meruerint. Ut certus sis de incertis, tene certa ne sequaris incerta; currit enim Apostolus non in incerto, sed certus; *quia neque mors, neque vita poterit eum separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* VIII, 38, 39). Certum te facient certa fides, certa spes, certa charitas, certa obedientia, certa humilitas, certa castitas, certa observatio Christianæ religionis et tuæ professionis. Depinge mortem ante oculos tuos, quam horrenda facies, ejus vultus quam obscurus et torvus, singula singulorum membrorum ejus officia quid operentur in singulis hominis membris. Devorant namque et depascunt tanquam teneram herbam quidquid in homine est roboris et virtutis, tam in anima quam in corpore damnatorum, unde in Psalmo : *Mors depascet eos* (*Psal.* LXVIII, 15). Ut ergo de ventre hujus ceti Dominus nos extrahat, præoccupemus faciem ejus in confessione, ut qui perforavit maxillam ejus armilla liberet nos a morte æterna. Latens in carne Jesu divinitas molares noxas dentes in ore ipsius confregit, cum carnem Verbi morsu temerario momordit. Etsi itaque nos mordeat ut coluber et ut cerastes, si crucis cornua præ manibus habemus, si sanguinem Agni super utrumque postem et in superliminaribus gestamus; tota illa Leviathan horribilis armatura, quæ in Job describitur, destruetur, et intestina ejus hoc jaculo terebrata rimabuntur. O puteus sulphureus! o fetor intolerabilis! o angustia! o tenebræ! o calor! o stridor dentium! o confusio! o dolor! o desperatio! o desolatio sine consolatione! malum sine fine; exitum sine reparatione! Utinam sub conspectu haberem compensationem quam mors malis delectationibus reponit. Longa præmeditatione et præparatione comparandum est quod minuat acerbitatem mortis, et faciat tolerabile, quod est inevitabile.

Sunt autem mortis mitigatoria remedia; confessio peccatorum, et pœnitentia contra aereas potestates, propugnaculum sanctæ crucis, viaticum corporis et sanguinis Domini ad solatium tanti et tam igneti

itineris. Oleum inunctionis ad fovendam lampadem conscientiæ, et removendas condensas mortis tenebras, patrocinium Dei, auxilium omnium sanctorum et oratio fratrum. His remediis aut succumbit mors secunda, aut cedit; et prima quidem more suo in hominem mortalem efferatur; sed enervatur, nec retiaculis suis retinet animam, quam tantis vallatam copiis videt. Virtutem crucis expavescit, viatorem transeuntem cum viatico nequaquam posse deficere non ignorat, veram pœnitentiam et confessionem de utero suo et ventre infernali animas infinitas fortiter extraxisse meminit, et se nunquam potuisse resistere voluntati Dei, nec corporibus humanis, nec animabus nocere se posse experimento novit, si sanctorum auxilium subvenerit. Orationes fratrum tanquam sagittas igneas fugit. Ex his omnibus offas dirumpentes interiora diaboli, mortis et inferni conticiamus, et in ore draconis cum Daniele projiciamus. In claustro præparetur hæc confectio ab his qui se cogitant semper morituros, et tanquam palma multiplicant dies suspicientes in excelso, et in se vitia mortificantes. In his mors non habet potestatem, qui habent potestatem calcandi super serpentes, qui in eremo interficiebant filios Israel, et scorpiones qui insidiantur calcaneo nostro. O anima soluta a corpore ubi habitas? an in cœlo, an in paradiso, an in igne purgatorio, an in inferno? Si in cœlo, beata cum angelis; si in paradiso, secura a miseriis istis; si igne purgatorio, anxia de pœnis, tamen exspectas liberationem; si in inferno, desperans non exspectas miseriam, sed veritatem et severitatem. O anima sine corpore ubi est modo corpus tuum? ubi est Abel frater tuus? Ecce vermes, ecce tinea, ecce putredo quondam in ossibus tuis. Tu autem quid? Petisne ab Abraham ut mittat Lazarum, et intinguat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam tuam? habesne flammam supplicii in parte vel in toto? estne spes evadendi? O anima, si in inferno es, non revertetur oculus tuus ut videat bona. Si in igne purgatorio, minus ardet fornax Babylonis, cujus flamma evaporabat cubitis quadraginta novem. Æthiopes crudelissimi ligna, fenum, stipulam, nec non et picem, atque malleolos, quos de silva malorum nostrorum collegerunt studiose, et reposuerunt malitiose, insistunt in igne purgatorio subministrare, et donec vox de throno gratiæ veniat, miseram animam non cessant flagellare.

O anima sive beata sive misera, quam utile esset animæ peregrinanti adhuc in corpore te videre et audire, quæ et sortis nostræ non es oblita, et tuæ jam es experta. Ecce habes stateram in manu tua, appendens in ea quod in corpore meruisti, et quod extra corpus recepisti. Hic, hic mendaces sunt homines, in justitia non attendentes stateram paratam quæ recta linea librat pœnam et culpam, non declinans neque ad dextram neque sinistram. In præsenti quidem mista est misericordia cum justitia, et justitia cum misericordia: quando Deus inclinat de calice qui est in manu ejus, ex hoc misericordiæ in hoc justitiæ, et ex hoc justitiæ in hoc misericordiæ. In futuro autem judicio erit justitia sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; non enim tunc invenietur oleum ad emendum. Nunc dicitur: *Vinum et oleum ne læseris* (*Apoc.* VI, 6), quia correptio et compassio necessaria est ad curandum semivivum a latronibus relictum. In judicio sæva erit correptio, quia non erit tempus seminandi, sed metendi. Vana etiam erit compassio ubi nulla quæ non præcesserit miseratio. Anima in corpore odorat ista, non gustat, sicut naves poma portantes; sed illa quæ ad portum applicuit, jam degustat cujus saporis sint futura sæcula. De mortis quoque meditatione dicitur: *In meditatione mea exardescet ignis* (*Psal.* XXXVIII, 4). Ignis utique de quo dicitur: *Vermes eorum non morientur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24). Sed mirum quomodo mors exardescet meditata, quæ frigida omnem vitalem tollit et exstinguit calorem. Quando tamen accenditur ignis nisi tempore hiemis? Ita enim contrarium contrario repellitur, et quæritur ignis dum viget torpor frigoris. Quid ergo facit exardescens ignis in meditatione mortis; ligna, fenum, stipulam, paleasque comburit, mundanas delectationes in cineres redigens? Mors namque mentem totam occupans, temporalia omnia parvi pendere facit. Quis enim aquis mersus aquas se mergentes diligit? Et nonne concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, superbia vitæ, in profundissimum infernum possessorem suum demergunt? In his aquis Leviathan natat et latet in insidiis, ut incaute sibi appropinquantes aut submergat, aut de naribus fumum projiciens sicut ollæ succensæ et ferventes exurat. Unde Job: *De naribus ejus procedit fumus sicut ollæ succensæ et ferventis* (*Job* XLI, 11). Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur: fumus de quo dicitur: *Ascendet fumus in ira ejus* (*Psal.* LVII, 9), oculorum caliginem generat, sed caligo sub pedibus Dei. Flamma de ore draconis est, de qua dicitur: *Supercecidit ignis et non viderunt solem* (*Psal.* LVII, 9); concupiscentia videlicet mala, quæ prunas ardere facit, dum hic animam seducit, vel in morte ad pœnam trahit (99). Adversus hæc nasus sponsæ, sicut turris quæ respicit contra Damascum, meditatur de morte contra mortem, quia jacula quæ prævidentur, minus feriunt; et non est fera tam sæva, quæ magisterii assiduitate non castigetur et mitigetur. Sic mors nec incognita meditatione, nec improvisa exspectatione veniens, non superveniens, valvas nostras apertas penetrans, non perforans, intrans non irruens, excitans, non feriens latus dormientis, satis modeste a nobis, non cum horrore excipitur. Venit enim ut bonus nuntius, non ut infestus adversarius: mandatum refert, non infert supplicium, fines enim mandati non excedit: a se non potest

(99) Gregorius, homil. 27 in Evang.

facere quidquam. *In camo et freno maxillas eorum confringet* (*Psal.* XXXI, 9) Deus judex justus, ut nucleus gloriæ quam abscondit Deus timentibus se, testa cum cortice fracta, beatorum repleat viscera.

CAPUT XXIV.

De meditatione mortis Christi, hominis et diaboli.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni et vide. Et ecce equus pallidus (*Apoc.* VI, 7). Nota in tribus superioribus, unum animal, secundum animal, tertium animal dixisse; in quarto vero non quartum animal, sed vocem quarti animalis scribit se audisse. Joannes enim evangelista est vox Verbi, qui sic inchoat Evangelium suum : *In principio*, inquiens, *erat Verbum*, etc. Equus autem pallidus est, qui ante passionem cœpit pavere et tædere, dicens : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). *Et nomen illi mors*, qui nunc mortuus est propter delicta nostra : Et in Osee, dicens : *Ero mors tua, o mors* (*Ose.* XIII, 14). Et juxta illos qui dicunt : *Nomen ejus non morietur amplius* (*Jer.* XI, 19). Et inferius sequebatur eum, secundum illud : *Posuerunt me* opinione *in lacu inferiori, in tenebris, et in umbra mortis* (*Psal.* LXXXVII, 7). Ad meditationem itaque mortis pertinet mors Christi, mors diaboli et mors hominis. Mors Christi occidit mortem in diabolo ne ultra viveret, in homine ne remaneret; in diabolo ut periret, in homine ne periret; in diabolo ne regnaret, in homine ne serviret; in diabolo ne sæviret, in homine ne timeret; in diabolo ne falleret, in homine ne illi crederet; in diabolo ut de vita desperaret, in homine ut per mortem ad vitam aspiraret. Meditatio mortis Christi visitat ægrum, meditatio mortis diaboli confortat infirmum; meditatio suæ mortis humiliat superbum : meditatio mortis Christi potio est salutaris; meditatio mortis diaboli purgatio est inflationis; meditatio suæ mortis restitutio sive conservatio sanitatis. Meditatio mortis Christi venena exstinguit; meditatio mortis diaboli apostema solvit; meditatio suæ mortis emplastrum morbo apponit. Equus pallidus est, qui se mortificat in meditationibus istis ut mortem puniat, et interim collum suum morti subjiciat, et in morte de subjugo venientis exsiliat.

De meditatione mortis ait Dominus ad Job : *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* (*Job.* XXXVIII, 17.) Deo, cui nuda sunt omnia et aperta, qui palmo metitur terram, et pugillo continet omnia a supremo cœli cardine usque ad profundissimum inferni, nihil est clausum. Potestas ejus æterna ingreditur et egreditur, nullo resistente, omnis regni sui provincias, quia *Quæcunque vult facit in cœlo, et in terra, et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV, 6). Illi procul dubio apertæ sunt portæ mortis, ut, cum vellet, intraret et exiret, quem vellet introduceret, et quem vellet revocaret. Nulli autem sanctorum nisi per Jesum apertæ sunt, ut de mundo exiens inevitabiliter omnis homo per eas ad futurum sæculum, ad pœnam vel gloriam intret. Sunt vero portæ mortis, sunt portæ inferni, sunt portæ sæculi, sunt portæ claustri, sunt denique portæ cœli. De portis mortis dicitur in Psalmo : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* IX, 15). De portis inferni dicitur in Evangelio : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI, 18). Et : *Vadam ad portas inferi* (*Isa.* XXXVIII, 11). Portæ sæculi sunt introitus ad vitam, et exitus de vita. Portæ claustri sunt professio regularis cum observantia et spe renuntiationis [*f.* remunerationis]. Portæ cœli sunt sancti angeli et ministratorii spiritus, qui mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Pœnales sunt portæ mortis, abominabiles portæ inferni, periculosæ portæ sæculi, religiosæ portæ claustri, gloriosæ portæ cœli. Portas mortis pertransivit Dominus, portas inferni confregit, portas sæculi sine pessulo intravit et exivit, portas claustri conversatione sua in terris, et morte dolavit; portas cœli in ascensione sua aperuit. In cardine vexatorio volvitur porta mortis, in cardine punitorio porta inferni, in cardine mutatorio porta sæculi, in cardine meritorio porta claustri, in cardine remuneratorio porta cœli. Angelus sanctus custodit portam cœli, bonus prælatus portam claustri, quotidianus defectus portam sæculi, diabolus damnatus portam inferni, princeps mundi portas mortis. Clavis cœli est gloria, clavis claustri est regula, clavis sæculi est vanitas, clavis inferni est pœna perpetua, clavis mortis est divina sententia. In porta cœli de fine laborum exsultatio, in porta claustri peccatorum purgatio, in porta sæculi anceps occupatio, in porta inferni desperatio; in porta mortis trepidatio. Meridies ad portam cœli, aurora ad portam claustri, crepusculum ad portam sæculi, vespera sive nox ad portam mortis, media nox ad portam inferni. In resurrectione mortuorum apertæ erunt portæ mortis, quia omnes resurgemus, sed non portæ inferni, quia non omnes immutabimur. In exitu aperiuntur portæ claustri et portæ sæculi; post judicium portæ cœli Ait ergo : *Nunquid apertæ tibi sunt portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* (*Job.* XXXVIII, 17.) quasi diceret : estne tibi jam pura conscientia, et de gratia mea tam secura vita, ut intrepidus exspectes mortem? et cum venerit tanquam absynthium, deglutias illam intrans portas ejus sine labore, et exiens absque difficultate? An et ostia tenebrosa vidisti? Si habes oleum in lampade tua, ad tenebrosa ostia non offendes pedem tuum, quia gressus tuos diriges secundum eloquium Dei, in quo lux et tenebræ nullæ sunt.

CAPUT XXV.

De communicatione corporis et sanguinis Domini.

In disciplina claustri non est omittendum quod præcipue est necessarium, altissime quoque commendandum memoriæ. Eucharistia siquidem locum tenet in corpore Ecclesiæ, quem humanum cor in

homine; integro et sano corde vivitur, et corrupto et vulnerato, homo moritur. Unde Salomon : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23). Et Dominus de corpore suo in Evangelio : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (*Joan.* VI, 58). Vita est angeli in quem desiderant angeli prospicere; vita est Christiani per quam possit proficere. Hanc vitam aliter accipere [*f.* accipit] qui in carne et secundum carnem vivit; aliter ille qui seminat in spiritu, ubi de spiritu metat vitam æternam; aliter illi : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est* (*Psal.* XIII, 3); aliter illi : *Qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V, 6); et quibus dicitur : *Vos in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis* (*Rom.*, VIII, 9). Et ille qui dicit : *Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus* (*Gal.* II, 20); quem diligo ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute. Cor tale Deum solum cogitat, amat et desiderat; anima singulis spectaculis Deum annuntiat et semper ad Deum spirat et suspirat. Virtus omnia potest in eo qui se confortat, et nihil sine eo qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Qui sic Deo et a Deo occupatur horis matutinalibus fame sancta urgente, Dominici corporis et sanguinis communione quotidie reficitur. Sed secundum Apostolum dijudicandum inter hunc spiritalem cibum et corporalem quotidianum; nam summa discretione attendendum, quando ad corpus Christi sit accedendum, quando cedendum, et quando recedendum. Accedere ad Christum, accedere est ad Dominum, accedere ad regem, accedere ad lucem, ad ignem, ad panem, ad vitem, imo ad vitam. Quæris libertatem? accede ad Dominum; quæris securitatem? accede ad regem; quæris claritatem? accede ad lucem; quæris calorem? accede ad ignem; quæris refectionem? accede ad panem; quæris potum? accede ad vitem; quæris resurrectionem? accede ad vitam. Offendisti Dominum? cede; fecisti contra regem? cede; cæcus aut lippus es? cede a luce; portas in lumbis aut in manibus tuis ignem alienum? cede ne exurat te ignis de altari. Esne plenus murmurio et saturatus de contradictionibus? cede et noli accedere ad panem angelorum. Esne inebriatus de vinea Sodomorum et Gomorrhæ? cede, et noli accedere ad vinum de vinea Sorech. Esne mortuus criminalibus, et sepultus in inferno? cede. Distat autem plurimum inter cedere et recedere; nam cedere, reverentiæ est; recedere irreverentiæ. Cedit qui dicit : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Luc.* VII, 6); recedit qui dicit : *Ecce ejicis me a facie tua* (*Gen.* IV, 14). Et : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*ibid.*, 13, 14). Jonas quoque fugiens et recedens a facie Domini absorptus est in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus. Et Psalmista : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Psal.* VI, 8). Quis autem finis recedentibus a Deo? *Omnes qui elongant se, a te peribunt* (*Psal.* LXXII, 27).

A Cedo itaque cum peccavero, non recedo si confessus errorem fuero, et emendavero.

Sed adhuc diligentius advertendum quando, quomodo, et quare ad communionem sit accedendum; habet enim utilitas hujus refectionis temporis discretionem, modi determinationem, causæ etiam rationem. In tempore considerantur tria : opportunitas, consuetudo et solemnitas. In modo, purgatio, intentio et devotio In causa institutio, utilitas et necessitas. Breviter replicanda sunt et explananda quæ hic enumerantur. Opportunitas fugit et fugat occupationem; liberis enim mentibus hoc exsequendum officium et Deo obsequendum. Consuetudo removet laicam negligentiam et erga salutem suam nimium torporem. Sufficit enim laico semel B in anno communicare; sed pia et sollicita Maria sedens ad pedes Domini cum nostris claustralibus, sic non satiatur oculus ejus visu, nec auris auditu; sic panem angelicum, scilicet Dominicum sacramentum quotidie sumit, et quotidie nihilominus esurit juxta illud : *Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Instans quoque solemnitas admonet nos accedere ad communionem. Quæ enim solemnitas, ubi fames et egestas? ubi autem non est cibus qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, egestas est, et exitialis inopia. Solemnem itaque habeat, et adhibeat cibum solemnitas sanctorum. Dictum est de tempore, videamus de modo qui habet purgationem, intentionem et devotionem. De quodam sancto dicitur, quia Christus purgavit peccata ipsius (*Eccli.* C XLVII). Et ad Hebræos de Christo ait Apostolus : *Portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet a dexteram majestatis in excelsis* (*Hebr.* I, 3). O cor meum, anima mea, os meum, labia mea, fauces meæ, lingua mea, stomachus meus! Quid est in altari? nonne corpus quod sumptum est de virgine Maria, corpus conceptum de Spiritu sancto, corpus passum in cruce, sepultum in monumento novo; corpus quod tertia die resurrexit a mortuis, corpus quod ascendit super omnes cœlos; corpus quod sedet ad dexteram Patris in excelsis, in quo judex vivorum et mortuorum Jesus judicaturus est vivos et mortuos et sæculum per ignem? Quid ergo vos omnia interiora et exteriora mea? Quomodo suscipietis tam castissimum, tam sanctissimum, tam mundissimum, quæ sordetis tam impuris menstrualibus immunditiis, tam damnabilibus, assiduis et inenarrabilibus culpis? Purgandæ itaque prius sunt sordes nostræ aqua compunctionis, igne fraternæ compassionis, hyssopo fidei et humillimæ confessionis, cinere saluberrimæ subjectionis et mortificationis. De hac purgatione Apostolus ad Hebræos : *Habentes*, inquit, *fiduciam in introitu sanctorum in sanguine* Agni immaculati *Jesu Christi, quoniam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a con-*

scientia mala, et abluti corpus aqua munda teneamus spei nostræ indeclinabilem confessionem (*Hebr.* x, 19). Securus introeat ad altare Dei, certus accedat ad communionem Dominici corporis, qui habet cor aspersum, id est mundatum a conscientia mala, et corpus ablutum tam sanctificatione baptismatis quam compunctione devotionis : et qui tenet indeclinabilem spei confessionem. Nota indeclinabilem confessionem, ut sint pedes ejus, pedes recti, se accusando de se, non de Creatore, vel diabolo conquerendo : *Deus enim intentator malorum est* (*Jac.* I, 13) ; et diabolus tentat, sed non sine licentia, nec ultra licentiam : *Unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*ibid.*, 14).

Jam de intentione dicamus quæ triplex est : alia enim bona, alia mala, alia pessima. Bona est, si corpus Christi cum fide vera, et pura ab omni crimine conscientia sumitur, ut sanguis Christi justum justificet amplius : hic accipit ut bonus fiat. Mala est enim cum in vase per odium arido, per luxuriam immundo, et per malitiam corrupto mittitur ; non ut qui est malus fiat bonus, sed ut qui est malus appareat bonus : hic est hypocrita. Pessima est, quando irreverenter quasi canis rabidus corde pessimo accedit aliquis ad sacramentum Dominicum, non ut fiat bonus, sed ut sub Christo lateat Antichristus. Hic est lupus rapax, qui sub pelle ovina devorat agnum, turpitudinem suam foliis ficus tegens ; non ad remissionem, sicut ille cujus tecta sunt peccata et remissæ sunt iniquitates, sed sicut Adam et Eva in paradiso consuerunt folia ficus, non se accusando, sed excusando. Sit itaque intentio percipiendæ Eucharistiæ, ut sit bono ad sanctificationem, sit malo ad correptionem, sit pessimo ad compunctionem. Mittit enim Deus crystallum castissimi corporis sui sicut buccellas, ut infirmus sanetur, famelicus satietur, sanus impinguatur et confortetur. Exprimitur intentio in oratione, ubi dicitur : *Non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam ; sit ablutio scelerum ; sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit fidelium vivorum et mortuorum remissio omnium peccatorum.* Dicamus de devotione.

Triplex sit devotio : alia compunctiva, alia suspiriosa, alia lacrymosa. Compunctiva est fons scaturiens, suspiriosa est fons saliens, lacrymosa fons superebulliens. Pungit compunctiva, elicit suspiriosa, fundit et pluit lacrymosa. Timor pungit, spes elicit, amor pluit. Venam stringit timor, spes aperit, amor humorem cum impetu spiritus educit. Sic minutus sanguine peccati, ligamento, ferro, et motu cordis voluntario ; dicat Domino : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8), qui ante præsidem ligatus astitisti, qui clavis confixus in ligna pependisti, qui lancea percussus sanguinem et aquam dedisti, oblatus es quasi non coactus, quasi qui nolueris ; sed devotus et spontaneus, quia voluisti. Jam de causa dicendum est, in qua ria notavimus : institutionem, utilitatem et necessitatem. Considerandum est ergo in institutione, quis, quibus, quando et quomodo hoc sacramentum institutum sit. Quis ? Christus ; quibus ? apostolis ; quando ? in cœna ultima, quomodo ? *Accipiens panem benedixit et fregit, et dedit discipulis suis, dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes : Hoc est corpus meum. Simili modo et calicem postquam cœnavit dicens : Accipite et bibite ex hoc omnes : Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis et pro multis effundetur. Hoc facite in meam commemorationem* (*Matth.* XXVI, 26 ; *Marc.* XIV, 23 ; *Luc.* XXII, 17 ; *I Cor.* 2, 24). In actore agnosco bonitatem, scientiam et potestatem. Bonitatem, quia voluit ; scientiam, quia futuris morbis antidotum sufficiens, et quod de facili posset haberi, in recessu suo ad consolandum absentiam præparavit. Potestatem, quia potuit et potest facere quod vix homo potest credere, nullatenus vero definire. In apostolis contemplor amicitiam, obedientiam et reverentiam : amicitiam tunc quidem quasi in herba tenerem ; sed post acceptum Spiritum tanquam ardorem, solidissimam. Obedientiam usque ad divisionem animæ et spiritus, usque ad mortem, usque ad crucem, usque ad decollationem. Reverentiam tanquam magistro, tanquam Domino, tanquam patri, imo tanquam Deo. Unde : *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Joan.* II, 27). In tempore firmissimum coagulum, fortissimum argumentum, excellentissimum donum quod hactenus reposuerat, et in corporali separatione dandum ab æterno amicis suis prædestinaverat, recogito. Coagulum est corpus Christi compingens sumptum Deum, et sumentem Christianum in unum, juxta Apostolum, qui ait : *Panis cui benedicimus, nonne communicatio corporis Domini est ? Et calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est ?* (*II Cor.* XVIII, 16.) Argumentum quoque probabile et necessarium est divinæ dilectionis, quia nunquam se nobis dedisset, si non specialiter dilexisset. Jesu autem quid melius in cœlo et in terra, quid charius, quid pretiosius ? Hic enim est datum optimum et donum perfectum, desursum descendens a Patre luminum. Dederat quidem Pater Jesum Filium suum incarnatum generi humano, sed ea conditione quod reciperet illum in assumpta humanitate expleto legationis officio : addidit deinde gratiam gratiæ, ut sub alia specie in eadem veritate, eumdem Filium suum Jesum, non solum daret ut socium itineris ; sed ut viaticum totius peregrinationis, ut qui visibili passione semel nos redemerat, semper invisibili refectione confortaret. Quomodo autem corpus suum Dominus apostolis tradidit, Apostolus ad Corinthios docet, et evangelistæ plenius ostendunt. Accepit enim panem qui creaverat ipsum panem, et eadem potentia, qui prius creaverat ad corporalem hominum refectionem, gratiarum actione ad Patrem et benedictionem cum Patre convertit in substantiam corporis sui, ad animarum et corporum redemptionem. Similiter et calicem.

Jam videamus de utilitate. Reprobatio quidem

præcedentis mandati fit propter inutilitatem et infirmitatem suam. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, et si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. *Christus* autem *semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata* (*Hebr.* IX, 28). Et : *Unam pro peccatis offerens hostiam sedet in dextera Dei* (*Hebr.* X, 12). Quærenda, est virtus contra infirmitatem, utilitas contra inutilitatem, succedit Evangelium legi tanquam virtus. Audi Apostolum : *Non*, inquit, *erubesco Evangelium; virtus Dei enim est in salutem omni credenti* (*Rom.* I, 16). De corpore Christi quid? *Oblationes*, inquit, *et hostiam noluisti, corpus autem aptasti mihi* (*Psal.* XXXIX, 7). An est corpus Christi? Item Apostolus : *Quod infirmum est Dei*, utique corpus assumptum, *fortius est hominibus* (*I Cor.* I, 25). Elias ad caput suum invenit panem subcinericium, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus. Et dubitas te in fortitudine panis, qui de cœlo descendit, posse ambulare non usque ad montem Dei Horeb, sed usque ad montem in quo beneplacitum Deo habitare in eo? Est itaque virtus et sanitas in corpore Christi. Itaque virtus Eucharistiæ sicut sanitas excludit infirmitatem. Unde est illud : *Sanitas sub pennis ejus* (*Malac.*, IV, 2). Sub pennis itaque visibilium specierum panis et vini quasi sub pannis fidei in præsepio altaris. Unde angelus ad pastores ait : *Invenietis infantem* in vestris, qui æternus est in suis, *pannis involutum* (*Luc.*, II, 12); videlicet secundum Adam in tunicis pelliceis. Sed quid latet sub his, sive tunicis sive pellibus, seu pennis, seu pannis? Virtus sine dubio; nam virtus Dei erat in illo. Sic exclusa infirmitate per virtutem, excluditur inutilitas per utilitatem. Stringe sensum apostolicum : ad æmulationem carnis aspergebatur sanguis vitulæ, ad perfectum nihil adducebat, ad dexteram Dei neminem collocabat : hæc autem omnia implet hostia viva, hostia sancta, hostia immaculata, quæ suo triplici effectu præstat emundationem, sanctificationem et societatem non solum angelicam, sed et divinam. Communicatio enim Dominici corporis, et aspersi sanguinis Jesu Christi, agni videlicet immaculati, emundat nos a delicto maximo et ab omni peccato. Unde Joannes Baptista : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Et in Apocalypsi Joannes evangelista : *Qui lavit nos in sanguine suo* (*Apoc.* I, 5). De sanctificatione quoque dicit in Evangelio : *Et pro eis sanctifico me ipsum, ut et ipsi sancti sint* (*Joan.* XVII, 19). Et Apostolus ad Hebræos : *Qui sanctificat, et qui sanctificantur in ipso omnes* (*Hebr.* II, 11); et de passione : *Ego vado immolari pro vobis*. Emundat igitur conscientiam nostram ab operibus mortuis Eucharistia, nihilominus et sanctificat in justificationibus Domini, ut *qui sedet ad mensam divitis, diligenter attendat quæ apponuntur, sciens quia talia oportet præparare* (*Prov.* XXIII, 1, *juxta* LXX), ut casto castum exhibeat hospitium, pio pium, justo justum, mundo mundum, sancto sanctum. Unde Petrus apostolus : *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus*, etc. (*I Petr.* II, 22). Sic emundati, sic sanctificati, sic socii sumus sanctificationis, sic etiam glorificationis sive consolationis erimus. Unde Joannes in Epistola sua : *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum; et societas vestra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo* (*I Joan.* I, 2). O societas non leonina quæ socium devorat; non canina quæ intra fauces stridet et murmurat, et in aperto latrat, et in animam justi captat; non corvina quæ semper mordet et erga cadavera crocitat; sed ovina quæ de velleribus suis fœdum tegit, et frigidum calefacit; sed agnina quæ se ipsam ut amicos pascat in mortem tradit; sed columbina quæ simplici oculo omnia conspicit et omnem amaritudinem, et iram, et indignationem tollit. O societas quæ mala nostra suffert vel aufert et sua bona confert; quæ nihil a nobis petit nisi quod dederit, nihil accipit quod nostris usibus servaverit, quæ nunquam circumvenit in negotio, sed semper subvenit æterno subsidio; quæ exponit omnia sua et disponit omnia nostra.

Ecce de utilitate Eucharistiæ, quæ sanctificat, quæ societatem Dei donat, pauca diximus. Ad extremum de necessitate videamus. Proinde et ipsa triplex est. Nam alia necessitas ex auctoritate decreti, alia ex obligatione promissi voti; alia ex impossibilitate, vel difficultate rei, rationis et facti. Ex auctoritate decreti, ut : *In quacunque die comederis, morte morieris* (*Gen.* II, 17). Ex hoc decreto, est omnis homo mortalis. Item ex obligatione voti; in promissione baptismatis tenetur omnis Christianus : in professione religionis monachus et canonicus; in consecratione sacri ordinis sacerdos et omnis ordinatus. Ea itaque necessitate qua homo moritur; quia vetitum gustavit, damnatur qui pactum voti sui prævaricatus fuerit. Unde propheta : *Qui pactum solvit, nunquid effugiet* (*Ezech.* XVII, 15)? Non effugiet, et : *Melius non vovere, quam vovere, et vota non reddere* (*Eccle.*, V, 4). Rursum necessitas quædam est ex difficultate seu impossibilitate Dei; ut quod est album necessario non est nigrum, quia nullum album est simul et nigrum. Ex impossibilitate rationis, ut : Lapis non est homo, quia lapis est insensibilis, homo sensibilis. Ex impossibilitate facti, ut : Homo digito suo non tangit cœlum. Sed ad propositum redeamus. Omni Christiano necesse est Eucharistiam sumere ex auctoritate decreti, quod est : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Ex obligatione voti tenemur diabolo et pompis ejus renuntiare, et sic communicare. Quod si votum frangimus et communicamus, quid ait Apostolus? *Qui*, inquit, *indigne sumit, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI, 29). Necessario igitur debemus communicare, et digne. Res vero sacramento visibili, virtute invisibili, res aliud ostendit, aliud reponit. Sacramentum visibile exterius objicit, virtu-

tem invisibilem intrinsecus continet, mundis cordibus exhibet. Rem si totus accesseris, totam habebis; si dimidius, dimidiam, id est sacramentum, non rem sacramenti: ut sis palmes in vite, qui non fert fructum, sed qui excidetur et in ignem mittetur. Dignus itaque ad rem tam dignam digne accede; et non deerit qui digno nulli unquam deficit, et si cui defuit dignus non fuit. Digne autem accedit, qui nulli peccato mortali succumbit, de venialibus humiliter quotidie satisfacit. Ratio deinde nostra in tanto solis radio aut minus videt, aut cæca est. Minus videt propter lippitudinem ignorantiæ naturalis; aut cæca est propter intolerabilem fulgorem divini operis. Si suis et consuetis graditur vestigiis, non apprehendet sapientiam hujus mysterii, quæ abscondita est ab oculis omnium viventium. Si vero innixa fuerit super dilectum suum, qui illuminat tenebras ejusdem rationis vero lumine interim fidei, postea rei, satiata ab uberibus ejus quæ sunt super omnia aromata, dicet: Teneo illum fide et dilectione, nec dimittam donec introducat me in domum matris suæ Mariæ, et in cubiculum genitricis suæ gratiæ, de qua conceptus et natus est Jesus, creator et illustrator totius rationis. Veni ergo, ratio, ad altare, non superbo oculo et extento collo, sed genu curvato et vultu in terram demisso, adorans scabellum Eucharistiæ, non disputans aut judicans quare aut quomodo id fiat. Ait enim Dominus Petro: *Tu nescis modo, scies postea* (*Joan.* XIII, 7). An tu melior Petro? an tu Deo familiarior? Petrus nescit charissimus discipulus, cui Pater revelaverat, quod Christus esset Filius Dei vivi, nondum didicit, et tu disputando, discutiendo, definiendo vis exossare usque ad cinerem ossa regis, quæ occultantur usque ad tempus et tempora? Orando exspecta donec crescat Sela, qui interpretatur umbra ejus; donec oriatur lucifer in cordibus nostris, qui dicat nobis omnia quæ audivit a Patre suo, et faciat omnes docibiles Dei.

Restat de facto. Factum hoc admirabile, factum delectabile: unde Psalmista: *Delectasti me Domine, in factura tua* (*Psal.* XCI, 4). Factum hoc apud homines impossibile ut Deus moreretur, ut Dominus gloriæ crucifigeretur, ut panis fieret caro Christi, et vinum sanguis; apud Deum autem omnia possibilia sunt, nullus in Deo labor grandia et gravia atque impossibilia facere; tam facile est ei omnia facere, quæ promptum velle; omni quidem homini aliud est velle, aliud pati, aliud facere; nulla mora, nulla differentia inter Dei velle et Dei facere. Sed hoc de nostro, non de suo; nisi forte dicas nostrum suum, quia ab eo assumptum, et quod nostrum tantum erat proprietate naturæ, jam suum factum est dignatione et assumptione. In illo ergo nostro suo aliquid voluit secundum nos, aliquid secundum se, sed subjecit quod secundum nos voluit ei quod secundum se voluit, dicens Patri: *Non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII, 42). Fecit quoque aliquid secundum nos, fecit et secundum se; conceptus est, natus est, fatigatus est, passus est, mortuus est, secundum nos. Adoratus est, cæcos illuminavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit et hujusmodi, secundum se. Tamen unus idemque et secundum nos et secundum se Deus et homo, et homo Deus. Denique passus est non secundum se, sed secundum nos tantum, quia in nostro suo, non in suo suo. Quod itaque passus est in cruce, et quod facit in calice, si ad nos respicimus, impossibile videtur; si ad ipsum, facile et possibile. Factum hoc supra quam dici possit nostræ redemptioni necessarium, supra quam attingat ullum meritum, pium et sanctum. Et hæc de necessitate dicta sufficiant.

EPILOGUS.

Grandis labor manum ad hæc fortia mittere, et cum Josue bellum adversus inimicos continuare; sed ad magna præmia non pervenitur, nisi per multos labores. De jure quidem æquis passibus ambularent meritum et præmium, sed de gratia supercrescit præmium. Nihil mirum includi antro claustri brevi tempore, et post infinita cœli spatia possidere cum æternitate; limosam carnem abstinentia exsiccare, et spiritale corporis [corpus] absque ulla sarcina cum angelis in resurrectione recipere, tumultus mundanos propter angelicas modulationes commutare, consolationem pro desolatione, divitias pro paupertate, gloriam pro subjectione, Deum Patrem pro patre, Deum Filium pro filiis, Deum Spiritum sanctum, pro omni cognatione et carnali affectione percipere. Nullus venditor sic vendidit, nullus emptor sic emit, nullus negotiator sic commutavit. Tamen *sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* XXIV, 26). Sic commutans, et commutare docuit qui instauravit et quæ in cœlis et quæ in terris sunt. Ille, qui ex his quæ passus est, didicit obedientiam, id est obedientiæ virtutem et gloriam. Hæc spes in sinu claustralium est reposita; nec hiemalibus frigoribus tepescit, nec æstivis caloribus arescit; non contemplatur quæ currunt temporaliter, sed quæ permanent æternaliter. Intelligit finem habere laboriosam disciplinam, et sequi perpetuam gloriam. Jam prægustata arrha, et dulcescit quæ sine spe amara esset patientia; tædium vertetur in desiderium, vexatio in delectationem, dilatio in appetibilem sustentationem, sicut Jacob pro amore Rachelis videbantur dies pauci. E diverso qui in claustro, qui murmurans stridet sicut rota plaustri onusti feno qui dicit: *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI, 61). Qui sicut Jordanis convertitur retrorsum, qui murmurat pro carnibus, qui est in seditione Core contra Moysen, id est, abbatem, qui in exercitu Cedeo-

nis poplite flexo bibit aquas, et non lambit sicut canis, naturæ non necessaria, sed desideria quærens, audiat : *Melius esset viam veritatis non agnorisse, quam post agnitionem retrorsum converti* (*Joan.* vi, 61). Arguendi sunt, corripiendi sunt, flendi sunt qui rumpunt rete Petri, et obscurant lunam, et ponunt dulce amarum, et amarum dulce. *Multiplicati sunt tamen super numerum* (*Psal.* xxvix, 6).

ADHORTATIO AD CLAUSTRALES.

Induite vos armatura Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare (*Ephes.* vi, 11). Unde : *Pulchra es et decora, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* vi, 3). Estote acies, estote terribiles. Omnis acies quæ ordinata non est, terribilis non est ; et si terribilis non fuerit, acies Domini esse non poterit. Quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt. Scitis qui de rebus militaribus agunt, funditores, sagittarios in suis locis disponunt, signiferos in sibi competentibus, robur belli in subsidiis, debiliores in locis tutioribus, quia impetum adversantium ferre non valent ; et propter hoc ipsa acies ita ordinata, terribilis erit hostibus, quia ingrediendi ei aditum in se non relinquit. Sic acies castrorum Dei per plana et aspera hujus mundi ordinata incedere debet, ne aditum hosti incursare cupienti ullatenus relinquat ; quem si relinquat, captiva victori manus præstabit. Hæc cura aciem instruendi ad prælato» pertinet, qui omnium possibilitates cognoscere [*supp.* debent] benigne paternæ affectionis instinctu, non superbæ dominationis obtentu, unumquemque in suo competenti loco disponere. Quos validos, et bona conversatione probatos viderint, ad exteriora mittere debent, non rudes, non cupidos, non vagos, non iracundos ; sed mansuetos et humiles. Debiles quosque et sæcularium æstu succensos, in sinu claustri fovere. Si quis tentationum jaculo sauciatus fuerit, salutaribus monitis curare. Sic ordinata erit terribilis illi qui circuit quærens quem devoret. Sed et unusquisque nostrum ordinare se debet, ut ipse sit pulcher in interiori, ut sit gloria ejus ab intus, decorus et ordinatus in moribus, pius, pudicus, patiens, humilis, affabilis, compatiens et charitativus ; quos enim diabolus charitate compactos et unitos videt, vehementer abhorret, quaque cacentes secure invadet. Unde Gregorius : Quælibet bona in nobis fuerint, si charitas desit per malum discordiæ, locus reperitur in acie, ubi hostis valeat intrare. Ipse castitatem sine charitate non timet, quia ipse carne non præsumitur ; abstinentiam non timet, quia cibo non utitur ; distributionem rerum non timet, quia divitiis non eget. Veram autem charitatis unitatem si in nobis invenerit, hanc timet, et nimis concordiæ invidet ; quia hanc videt tenere in terra quam ipse perdidit in cœlo. Bene ergo dicitur : *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, quia numerum electorum spiritus nequam pertimescunt, quem concordia munitum aspiciunt.

ANNO DOMINI MCLXXXVII.

GILBERTUS FOLIOT

LONDINENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(Fabric. *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinit.*, I, 174 ; II, 56.)

Gilbertus Foliot, Anglus, ex abbate Leicestrensi et archidiacono Midlesexiensi episcopus an. 1149 Herefordiensis, et ab anno 1161 ad 1187 Londinensis, scripsit *Homilias*, nondum editas, quarum exemplaria mss. in Britannico Museo et alibi occurrunt ; *Expositionem in Cantica canticorum*, ad Robertum Melidunum, suum in episcopatu Herefordensi successorem, quam edidit Patricius Junius Londini 1638, in-4°, cum Alcuino in eadem Cantica. *Epistolæ* Gilberti inter S. Thomæ Cantuariensis epistolas a Christiano Lupo editæ Bruxellis 1682, in-4°. [Has novissime prelo iterum subjecit D. J-A. Gilles (Oxon. 1845, in 8°) multo quam antea auctiores, ex quibus præfationem Gilberti in suam Homiliarum collectionem excepimus. Edit. Patr.]

GILBERTI FOLIOT EPISTOLÆ

ET VARIORUM AD IPSUM.

(Gilberti epistolas cum præcipue commendet earum cum epistolis S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, Henrici II regis, Alexandri III papæ et clarorum virorum ipsi coævorum arcta connexio, has una cum aliis, salva collectionis integritate, exhibuimus. Vide *Patrologiæ* t. CXC, a col. 747.)

GILBERTI FOLIOT

EPISCOPI LONDINENSIS

EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORUM.

EDIDIT

PATRICIUS JUNIUS

BIBLIOTHECARIUS REGIUS.

(Londini, ex typographio regio, 1638, in-4°.)

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Reverendissimo amplissimoque præsuli domino GULIELMO JUXONO episcopo Londinensi, et summo Angliæ Thesaurario, PATRICIUS JUNIUS. S.

Oblivionem sæpenumero, *Amplissime et Reverendissime præsul*, celebriori famæ occasionem dedisse, multaque cecidisse, ut ornatiora postea resurgerent, non tantum parietinæ desertæ, ac neglecta diu rudera, quæ vetustate deposita, novam faciem et augustiorem formam induunt : sed ingenii etiam monumenta, quæ in dies castigantur, emendatiora eduntur, et studiosorum sedula diligentia primum e situ et pulvere, in lucem ad diem protrahuntur, fidem faciunt, et abunde testantur. Inter ea est pium hoc et elegans decessoris tui scriptum, quod hactenus forte in oblivione sepultum jacuit, ut erudito hoc seculo majore cum splendore e tenebris emergeret, lucemque, quam intra tuos parietes primum hauserat, celeberrimi nominis tui auspiciis denuo aspiceret. Infirmitates ejus seniles, vel sæculi potius in quo vixit, quæ in dictione aut materia rariores occurrunt, si pro eximia pietate sua, *Amplissima Dominatio Vestra*, lacinia tantum vestis suæ operire, ipsumque una cum Acolutho suo (solum enim sine comite in publicum prodire, neque honestum erat, neque conditio tanti viri patiebatur) patrocinio suo dignari, nostramque hanc opellam in utroque evulgando, benigne interpretari velit ; gradum faciet ad majora, quæ nomini tuo postea dicari possunt, meque *Amplitudini Tuæ* addictissimum, arctiore in posterum observantiæ nexu devinciet. Dat. prid. Non. Novembris. Anno MDCXXXVIII.

GILBERTI PRÆFATIO.

Domino et amico suo charissimo Roberto, Dei gratia, Herefordensi episcopo, frater Gillebertus Lundoniensis Ecclesiæ minister humilis, in his exerceri quæ Dei sunt, et in eisdem fine beatissimo consummari.

Ne tuæ, Domine, jussionis vana mihi aut vilis videretur auctoritas, tibi illico direxi librum quem postulasti : librum siquidem, quem in Canticum Canticorum, juvante Domino, nuper edidi, quem nulli hominum, ante te scribendum (1), inspiciendumve commisi. Non enim hic ad laudem, præconiive gratia, a me conscriptus est, sed ut, quæ, Domino docente, didici ea, tenerem memoriter : et hæc non, secundum Judæos, aspernanda viliter, sed intimo sensu legenda humiliter ; et eodem quo A dicta sunt spiritu intelligenda, demonstrarem. Qui cum a te fuerit, attentione plurima ab initio ad finem usque perlectus, multa eum animi alacritate suscepisti, et me meum in hoc studium applicasse, laude, ut audio, plurima commendasti : cui, ut nihil ad perfectionem deesset, Prologum a me aptari postulasti, ut sic operis completio digna foret, cui gratiarum redderetur exhibitio ; scriptum quippe est, « Fortis est ut mors dilectio (*Cap.* VIII, 6). » Nam ut mortale nihil est, quod nexum queat mortis elidere ; sic possibile nihil est, quod nor possit instantia dilectionis obtinere. Hæc exinanivit Dominum, humanis illum nexibus alligavit ; hæc, post crucem et sepulchrum, ad sedes illum perduxit infimas, ut eos hinc eriperet, qui venturum hunc cre-

(1) Forte *describendum*.

diderant, et diligenter expectabant : hæc, quos iræ filios, dictante justitia, perfecerat, in libertatem gratiæ, misericordia judicium temperante, reformat. Meum mutat ista consilium, ut operi apponam prologum, quod sine prologo explanandum suscepi. Author enim operis extitit Salomon, qui scriptores est imitatus antiquos, qui non prologum præmittendo lectores suos attentos faciunt; sed ipsis rem, de qua acturi sunt, demonstrando, eorum excitant attentionem, et eorum studia, ad agnitionem eorum quæ sunt dicta, convertunt. Unde illud Moysis, « In principio creavit Deus cœlum et terram : terra autem erat informis, » etc. (*Gen.* I, 1). Et illud Exodi, « Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob (*Exod.* I, 1). » Sic totum percurrens Pentateuchum, Judicum et Regum, librosque alios sine prologo scriptos invenies; quibus si prologi adjecti sunt, illos longo post tempore, post adventum Salvatoris, adjectos esse cognoveris. Hos imitans Salomon, ab ipsa statim re de qua est acturus incipit, sciens rem ipsam de qua agitur, utilitatem manifestam habere in se, qua alliciat, vel rationem evidentem, qua concupita despiciat, vel inspectiones theologicas, quibus hæc A a mente rejiciat, et soli illi qui horum conditor et creator est, adhæreat. Tres itaque libros effecit, quos non prologis exornat aut dilatat, « Parabolarum » unum, « Ecclesiasten » alterum, « Sirasirim » hunc tertium. Allicit in « Parabolis » ad hæc possidenda, per quæ præsens vita munitur, ut necessitati propriæ succurratur, in quibus opus est, proximo subveniatur, et indigenti, prout necessitas expetit, tribuatur. In « Ecclesiaste » vero monet, ne his animus implicetur, ne amor his, quæ transitoria sunt, inclinetur : sed hæc tanquam vana dijudicet, et quæ sunt altiora his decernat (2) et appetat. Unde « Sirasirim » (quod « Canticum canticorum » appellatur) consequenter apponens, in quo cuncta prætervolans, divinæ majestati assistit, B hunc, ut sponsum, amplectens, huic totum quod amoris esse potest, ex affectu repræsentans. Animam igitur, vel Ecclesiam, amoris igne succensam, non hæc visibilia quærentem, sed ad invisibilia toto cordis affectu, tota mentis intentione suspirantem, sic inducit, quasi quærentem Deum, nondum tamen apprehendentem, et ut apprehensum teneat, hæc dicentem.

(2) Forte *discernat*.

EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORUM.

CAPUT PRIMUM.

1. *Osculetur me osculo oris sui.*

Quæ est ista tam inclyta? formæ tam elegantis et gratiæ? ut summi Regis osculum audacter appetens, dicat, « Osculetur me osculo oris sui? » Nunquid in somnis agit hæc anima, fingens sibi quod vult, raptans sese in spem quamdam sine re, inanes formans intus apud se visiones, et jam nunc sperans apprehendere, quod nec laboriosis queat conatibus adipisci? Quo enim ascendit hic spiritus, auri in tantum immemor, et oblitus argenti, lapidem pretiosum non reputans, cuncta quæ mundus possidet, suisque possidenda communicat, in tantum respuens, ut hæc manu perfectionis sanctæ repellens, dicat, Seorsum vos, abstractus a vobis amor meus in superna trajectus est, solum illum appetens qui D vere solus est, cunctisque suæ causam pariter et effectum præstat essentiæ, in quem suspirans, sanctique impatiens desiderii, secum agit hæc anima, et loquitur dicens, « Osculetur me osculo oris sui : » non enim vana loquitur anima sic inspirata, sed summa. Jam diu rivos sapientiæ Salomonis ebibit, ipsumque in « Ecclesiaste » disputantem audivit : olim quidem delicata, et tenera, cum nondum a formis exterioribus ad interiora pervenerat, cum nondum a creatura ad Creatorem ascenderat, C munoo totis hærebat amplexibus, rebus ipsis visibilibus se totis affectibus alligabat : scholam vero doctrinæ spiritualis ingressa, non plebeium magistrum quempiam, sed summum illum in sapientia Salomonem audire meruit, Ecclesiæ sanctæ lectionem quandam introductoriam instituentem, qua electam quamque animam a mundo avocet; avocatamque et abstractam, illi qui mundo superior est, insolubili charitatis nexu consociet. Videns enim in spiritu summus ille Salomon omnem fere animam in terra quasi fodientem, secularibus se negotiis implicantem, amoremque suum non jam erigentem sursum, sed inferius inclinantem; ut erigeret incurvatam et miseram, de summo contemplationis suæ ad ima conversationis humanæ descendit, errantem revocans, præceptis illam salutaribus instruens et reformans, et sic demum per quosdam velut ascensionis gradus, ad sanctæ contemplationis et amoris summa perducens. Inprimis igitur ætati teneræ promittit magna, dicens, « Parabolæ Salomonis ad sciendam sapientiam et disciplinam, et ad intelligenda verba prudentiæ, et suscipiendam eruditionem doctrinæ (*Prov.* I, 1 seq.). » Blanda suggerit, annectens, « Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. » Sic ipsi non statim mundi, et eorum quæ in mundo

sunt contemptum prædicat, non arctioris vitæ ardua et excelsa commemorat; « Prius namque quod animale est, deinde quod spirituale (*I Cor.* xv, 46). » Unde magister optimus, ne statim gravia suadendo, animam quam erudiendam susceperat, in ipsis obtendat initiis, ipsam ad suæ velut annos infantiæ transigendos, mundo et his quæ mundi sunt, uti libere, et in iis jucundari permittit : legem tamen sibi statuens, ne peccando diffluat, nec in usum malitiæ convertat et libidinis, quod magno dono magni percepit authoris. Proponit igitur attente jam audienti, Parabolas; et ipsam, quot Parabolis instruit, tot ad bene et honeste vivendum legibus informat et adstringit : quas nimirum Parabolas, si mentis oculo prudens lector attentius introspexerit, in ipsis ad conversationem honestam, mundi hujus possessoribus, vitaque communi degentibus, assignatam plenissime vitæ formam intelliget. Nam quia « sine fide placere Deo est impossibile (*Heb.* xi, 6), » in ipso statim tractatus exordio, fides, et cultus summæ divinitatis inculcatur, cum dicitur, « Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ (*Prov.* i, 8). » Patris enim summi disciplina, quam ab ipso plenissime didicit Ecclesia, hæc est, « Credere quoniam est, et quod diligentibus se remunerator sit (*Heb.* xi, 6), » et quod in fine temporum Filium suum in carnem miserit, et per ipsum promissa impleverit. Lex vero matris Ecclesiæ, prima naturalis illa est, Dei digito in hominum cordibus exarata; secunda in tabulis conscripta lapideis; tertia, lex Evangelii in Spiritu sancto et gratia ministrata. Legem itaque matris nostræ non dimittere, hoc est, ab unitate Ecclesiæ, et summæ divinitatis cultu, quem intus gratia inspirante suscepit, non recedere. Cætera vero mandata Decalogi, toto Parabolarum volumine, distinctis radiant locis; quibus, aliisque præceptis quampluribus, quasi sanctum quoddam seculare proponitur, et secularium vita apto quodam rationis moderamine instituitur; quatenus sic utatur mundo, ut non declinet a Deo; sic permissa et submissa sibi possideat, ut a prohibitis indesinenter abstineat. In prima institutione, cum humanis satisfactum sit desideriis, et homini permissum sit temporalibus uti sobrie, juxta quod ad primum hominem divina voce dictum est, « Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis quæ moventur super terram (*Gen.* i, 28); » secundæ jam institutioni locus est, ut de his quæ diu possedit homo, jam nunc audiat quid arbitrandum sit; an ipsis amore sit inhærendum, an sit ab his amor ad quiddam altius et longe melius erigendus : unde singula quæ sub sole sunt, veritatis stylo percurrens Salomon, volumine secundo ait, « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (*Eccle.* i, 2); » quam nimirum vanitatem rebus quibusque transitoriis inesse potenter ostendens, quod nequaquam vanis involvendus est animus, aut vanis amor implicandus, animam quam erudiendam susceperat, a vanitate sequestratam, seorsum applicat veritati, dum in ipsius operis fine subjungit, « Adolescentia et voluptas vana sunt (cap. xi, 10). » Et paulo post, « Memento Domini Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et anni de quibus dicas, non mihi placent (*Cap.* xii, 1). » Et paulo post, in ipso sermonis exitu, « Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo (*ibid.*, 13). » Qua verborum compendiosa clausula, quid aliud mentibus hominum, nisi summæ ipsius divinitatis timorem, et debiti reverentiam cultus insinuat. Hæc enim via est, hic est accessus ad vitam, si timore sancto comprehensus animus declinet semper illicita, et intus amoris igne accensa mens, indesinenter accingatur ad bona : homo namque medius in creaturæ rationalis ordine positus est, habens Angelum bonum supra se, malum inferius, post hujus elapsum vitæ ad alterutrius æqualem, juxta vitæ merita, perducendus. Hic itaque, sicut inter hos medius est, sic habet aliquid cum utroque commune, amorem scilicet, cum ipso qui sursum est, timorem cum ipso qui est infra : timent enim mali angeli et contremiscunt, boni vero perfecte diligunt; et sicut ad amorem malus angelus non assurgit, sic ad timorem angeli boni non descendunt, juxta illud, « Perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* iv, 18). » Cum itaque bonum angelum solus amor totum rapiat in se, malum vero solus timor deorsum premat; non est, præter hominem, in totius ordine creaturæ, in quo timor dilectioni concurrat, in quo sibi duo hæc conjuncta conveniant. Homini itaque dicitur, « Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo : » ac si dicatur, Omne hoc, id est, totum hoc, « timere, » scilicet, et amando « mandata servare, » competit homini; ut timendo declinet iram, amando pertingat ad gratiam. Vel si dicatur, « Hoc est omnis homo, » id est, per timorem et amorem fit perfectus homo. Vel, « Hoc est omnis homo, » id est, ad hoc creatus est omnis homo, ab eodem intellectu non discrepat, cum creationis ejus hic modus et causa sit, ut iram sic evitet, et gratiam promereatur.

Hæc igitur anima, salutis monita non jam derivata procul, sed de ipso fonte, summo, videlicet, Salomone percipiens, jam edocta in Proverbiis, mundana quonam modo possideat; in Ecclesiaste vero, qua ratione jam possessa mente deserat et contemnat; jam nunc in Canticis audit, quomodo a visibilibus ad invisibilia transeat, et authori omnium tota virtute mentis, et plenitudine affectionis inhæreat. Sic a morali disciplina, qua possessa sancte communicat, per rationalem, qua mundana recte dijudicat, sanctam illam et summam ingressa theoriam, jam quæ retro sunt oblita penitus, montem illum sanctum verticemque mentis suæ conscendens, per medium nebuiæ et caliginis, sanctum illum Moysen ad contemplationis alta pro-

sequitur; ubi secreto manens habitaculo (*Exod.* xix, 20, et xx, 21), non alta tectorum laquearia, non fucata obsequentium latera, non agrorum in immensum continuata jugera, sed ut omnibus affluat abundanter, solum illum expetit qui est omnia, qui lux est et quies animarum, bonorum fons, et origo virtutum, quem apprehendere summum est, et quo perfrui jucundissimum : cujus intus impulsa desiderio, quod sentit exprimit, nec ultra se amplius intra silentii claustra cohibens, vel amantis more, sibi, vel cognatæ sibi cuiquam Virtuti cœlesti loquitur, dicens, « Osculetur me osculo oris sui. » Errat quidem amor sæpius in judicio, et dum suo pronus fertur desiderio, quo se cunque verterit, sibi videtur id contemplari quod appetit, et aliud quemlibet id in se experiri quod sentit : unde quasi constet aliis, quis ipsum amor trahat et in se velut absorbeat, cum quod intus agit foris exprimit, neminem designat ex nomine, sed discreta quadam indiscretione sic ait, « Osculetur me osculo oris sui. » Quod quidem perfectæ mentis arcanum est, et animæ jam defæcatæ cum cœlesti Sponso soliloquium. Age enim, mentis aciem deflecte paululum, et paulisper a summis ad inferiora descende; attende animam adhuc infidelitate constrictam, quæ fidei nondum radios illuminata perceperit, Ecclesiæ nondum limina contigerit, Sponsum prorsus nesciret; nunquid huic Canticum judicabis recte competere? ut ad Sponsum animarum sanctarum loquatur, dicens, « Osculetur me osculo oris sui? » Nunquid non esset indecens hæc in ejus ore Parabola? Quod si animam attenderis illuminatam quidem fide, sed operibus mortuam, oppressam graviter peccatis et obrutam, longam sibi restem peccati facientem, nec ad bonum illo pœnitentiæ remedio recurrentem, nunquid huic recte poterit aptari Canticum, ut ore deformis, et horrenda facie, et toto fœda corpore, dicat tamen ad Patrem omnium, « Osculetur me osculo oris sui. » Munita vero fide, et sacramentis imbuta anima, nunc ad virtutis bonum se lege mentis erigens, nunc in peccati lapsu legem quæ in membris repugnat, excipiens; huic subjecta vicissitudini lugens, et lugendo vociferans : « O quis me liberabit a corpore mortis hujus? » (*Rom.* vii, 24.) Nunquid apte cantabit Canticum, ut lachrymis obducta mœstitiæ, singultus pœnitentiæ trahens, dicat, « Osculetur me osculo oris sui. »

Quod si progressus paululum, animam superiore quodam gradu consideres, æquali se quadam mediocritate moderantem, ut nec jam peccata quibus damnatio debetur admittat, nec ad virtutis adhuc alta conscendat, habitantem quodammodo cum Lot in Segor, montana nondum attingentem : hæc utique quo nondum virtutis summa contingit, eo plus exterioribus delectata, in oculi cœlestis appetitum minus fortiter inardescit; ut nec ipsi recte competat quod dictum est, « Osculetur me osculo oris sui. » Secretum jam nunc animæ spiritualis ingredere, attende animam jam stabilitam gratia, quam spiritus in montana protraxerit, quæ jam in excelsis habitare decreverit, quæ peccatum, mundo jam devicto, calcaverit, quæ post Dominum cum Petro currens jam dixerit, « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (*Matth.* xix, 27); » hæc licet ab infidelitatis tenebris, a regno peccati et mortis, ab impulsu tentationis, a torpore mentis longe sit; non tamen præsumit ut audeat, ubi summi Regis osculum, quod nondum forte gustavit, expectat, dicens, « Osculetur me osculo oris sui : » sed vel pedum Sanctorum osculo, cum Maria, contenta residet, vel juxta Joannem, « cum amicis Sponsi stat, et gaudio gaudet ad vocem ejus (*Joan.* iii, 29), » quam suavitate plenissimam jam intus audire meruit, et in ipsa specie (3) quadam et futurorum promissione delectari pariter et quiescere. Hinc sextum perfectionis gradum, si jam potes, ascende, quo contemplationis alta amor jam sacratus ingreditur; ubi in monte sibi transfiguratur Dominus, et ab humanis absconsus oculis sanctissimus ille Moyses, cœlestium jam conscius secretorum, in ipso divinitatis suavissime requiescit arcano : hic Regem quem diligit in corde suo contemplans anima beatissima, et in Deum, quantum in hac vita fas est, extensa, dulcedine visionis æternæ reficitur, et contemplationis reflectens oculum ad universa quæ creata sunt, dum non tam ipsa, quam in ipsis summi miratur opificis sapientiam, indicibilemque potentiam, dedignans totum quod creatum est, in ipsam tota colligit, ipsi nexu charitatis et luce contemplationis adstringitur; et dum ejus decori, totum quod in creatura decorum est, non in minimo comparabile conspicit, ad ignem illum invisibilem ignescit et inardescit, et suavi divinitatis aculeo inflictum menti charitatis vulnus experiens, et beatitudinis futuræ, et sacratissimæ conjunctionis ejus quæ creati spiritus ad increatum nexu charitatis insolubili sine fine futura est, quasdam sibi prælibari velut arrhas expostulans, interno; solumque sanctis ac supernis potestatibus audibili sono mentis exclamans, ait, « Osculetur me osculo oris sui. » Amor namque in Deum accensus, charitas est; et ejus qui diligitur, intenta mente speculatio, contemplatio est : quæ ita sese comitantur, ut amorem contemplatio suscitet, et contemplationem semper amor in anteriora promoveat; ut quo contemplatio supernæ lucis radio penetrat, amorem illuc post se trahit; ut sic proficienti animæ sit Dominus et illuminatio per contemplationem, et salus vera per charitatem; sicut dictum est, « Dominus illuminatio mea, et salus mea; quem timebo? » (*Psal.* xxvi, 1.) Aversa igitur a mundo anima, et ad Christum tota mente conversa, oblita quæ retro sunt (*Phil.* iii, 13), et in anteriora se potenter extendens, mundum subtus se jam deorsum longe conspiciens, in æter-

(3) Forte, *spe*.

nitatem totam se rapiens, summa et æterna Domini Jesu contemplando conspiciens, et instanter amando desiderans, quia tota succumbit amori, et spirituali languet desiderio; plenos tamen nondum sponsi præsumens amplexus, ut suo vel in aliquo satisfiat amori, petit osculum, et vel sibi, vel ad familiarem fortassis angelum mente loquens, spiritualibus spiritualia communicans, amorem aperit suum, et amans ab amore sic exorditur, dicens, « Osculetur me osculo oris sui. » Quæ quia in præfatiunculæ modum dicta sunt, cætera sequenti tomo explicabimus, aspirante Domino, qui vivit, et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Osculetur me osculo oris sui.

Labore jugi, virtutis exercitatione continua, fidelis hæc anima eousque perducta est, ut summi Regis aspiret ad osculum, dicens, « Osculetur me osculo oris sui. » Inde est, quod nequaquam stylo prolabente currimus, sed velut in summis hærentes stamus, sanctæ istius animæ occulta simul et perfecta intente rimari cupientes, et imitari. Qua in re, illud primum occurrit, quod ipsa sibi cum Apostolo confidentissime gloriari videtur, ut dicat, « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I, 12). » Nam quæ summæ divinitatis expetit osculum, novit proculdubio mundum se habere cor, munda se novit habere labia, honestam faciem, et tanti Regis osculo non indignam: ut videatur sibi recte competere quod dictum est, « Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere casto (*II Cor.* XI, 2 : » item alibi, « Ut exhiberet sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam (*Ephes.* V, 27) : » non habet enim hæc ex immunditia « maculam; » non ex duplicitate « rugam; » non pravam ex odio proximi conscientiam; non prodeunt ex corde ejus homicidia, non adulteria, non cætera quæ opprimere conscientiam, et hominem solent inquinare : omni namque custodia servat ipsa cor suum, attente per Salomonem audiens, « quoniam ex ipso vita procedit. (*Prov.* IV, 23). » Stat ad januas cordis hujus timor Dei providus et sollicitus, ne vitiis undequaque pateat ad ipsius secreta progressus : stant ad propugnacula cordis hujus severa virtutum agmina, quæ non ut dudum, adversus peccata jam dimicant; sed de Domino Jesu, jam jam de iis habita victoria, gloriantur : quorum jamdiu pugnam quanto acerbiorem expertæ sunt, tanto jucundiori gloria jam triumphant. Stat desuper succincta castitas, quæ se carnis immunditiam abstinentiæ saxo contrivisse gratulatur. Stat vultu placido, castitati comes humilitas, nil altum sapiens; sed elationem mentis alta semper appetentem, Domini virtute reprimens, et fœdam capitis ipsius insaniam, ad petram, qui Christus est, fortiter et prudenter effringens. Sic infidelitatem fides, spes desperatam miseriam, invidiam charitas, simplicitas dolum, malitiam innocentia, falsitatem veritas, et singulæ quæque virtutes opposita sibi vitia, velut monstruosa cadavera, ad veritatis saxum jam fortiter allisa, despiciunt. Videas hic antiquam illam carnis concupiscentiam, ad extinctæ suæ sobolis funera lamentantem; oblectamenta varia, et totum quod exquisitissima tentationis arte potest confici, calice Babylonis aureo circumferentem, hoc viribus, hoc arte tota machinantem, si quatenus infrigidata calefieri, et extincta valeant ad antiquum vitæ spiritum suscitari. Illudit ejaculanti sacer ille virtutum chorus, sciens manu Domini percussos Ægyptios ad vitam ultra non revocandos : unde spiritualiter exultans, psalmum sumit et tympanum, carmen illud Moysis plena Domino jucunditate decantans, « Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem dejecit in mare (*Exod.* XV, 1). » Ascensor malus, malignus quisque spiritus est; equi mali, vitia pessima; quibus insidentes Angeli mali, quo ferantur impetu manifestum est, cum misere tentatas animas in profundum inferi pertrahunt, et tormentis æternalibus, divina id agente justitia, subjiciunt.

Hos extinctos sibi gloriatur hæc anima, et in virtutum medio residens, iis se jam totam credit, harum prorsus se committit obsequiis; huic et humillime virtus omnis obsequitur, præstans unaquæque quod suum est. Quis jam percurrat stylo, quis prosequatur eloquio, perfectæ huic animæ quid decoris eximii virtus unaquæque conferat, quid admirandæ gratiæ virtus unaquæque subministret? Quis ipsius decorem ad plenum exprimat? quam et continentia castam, et simplicem innocentia, lenem mansuetudo, misericordia piam, providam circumspectio, temperantia sobriam, discretam prudentia, fortem reddit patientia, et per sacros justitiæ tramites, cum multa dirigit reverentia charitas jam perfecta? Ab ipso namque sacri timoris initio, statim gressus in humilitate defigens, hinc impudicitiæ castra pertransiens, sicque per virtutes reliquas, ut a Spiritu Dei in mente disponuntur, ascendens in vanitates et insanias falsas non ultra respiciens, superiori jam quodam loco totam se credit amori, et ipsius excellentissimæ committit plenitudini. Ilic seorsum habitans, non potest non meditari quod diligit; nequit non contemplari, quod appetit : desuper immissa siti, in fontem illum vivum inardescit, et dulci pane quotidie lachrymarum reficitur; dum sua in longum protrahi desideria dolet, et lachrymis suffusa conqueritur. Ilic illud secum frequenter repetit et revolvit, « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum : Dissolvi cupio, et esse cum Christo (*Phil.* I, 21, 23). » Et illud, « Heu mihi! quod incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX, 5). » Sentire quidem cogitur, et in se experiri compellitur, quid sibi desit a summo, ab æternitate quam procul sit. Absolutus a carne spiritus vidit manifeste quem diligit, fruitur bono quod appetit, sui dilatione desiderii non torquetur, prorsus dolore non tangitur; amor ibi totus in luce est, totus in gaudio conquiescit :

amoris vero in præsenti vita fatigatio pulchre describitur, cum dicitur, « Risus dolore miscebitur, et novissima gaudii luctus occupat (*Prov.* XIV, 13). »

In hac quidem vita, fidelis animæ risus hic est, quod conscientia munda, corde perfecto, amoris integritate plenissima, se novit in alta prosequi Dominum Jesum, et suæ mentis oculum in ejus humana simul et divina porrigere : hic vero risus adhuc dolori commistus est, et hoc gaudium luctus occupat; cum, quem corde sequitur, se nondum apprehendere novit; et quod plus omnibus appetit, id sibi differri considerat. Hinc amantis animæ dolor, hinc lachrymæ, quibus se per noctes lavat, et suæ stratum mentis irrigat; ut jam mundata mundetur amplius, et quæ pulchra fuerat, longe pulchrior enitescat. His confisa virtutibus anima, hujus sibi decoris conscia, post expugnata jamdiu vitia, post adepta virtutum munera, post diu protracta desideria, amore languens, contemplando se sursum erigens, cœlum mente pertransiens in doloris solatium, in quoddam jucunditatis optatæ prælibamentum, petit osculum, et exorditur hoc modo Canticum, quod dicitur Canticorum, « Osculetur me osculo oris sui. » Videas indignantem fortassis Angelum, et dicentem : Quid actum est? quæ rerum tanta ista est et tam nova mutatio? quid summis ima permista sunt? nunquid cœlum sursum est frustra porrectum? homini frustra sedes in infimo constituta? nunquid cœlum penetrat mens humana? nec cœli plagas solum, sed et cœlorum intima, suis jam nequaquam finibus contenta, percurrit? Quod si sibi quoquo modo permissum est, quid hoc est, ut in istud extollat se mens humana fastigium, et potentiæ creatricis, verbo cuncta operantis sapientiæ, nulli subjectæ necessitudini benignitatis, summæ, scilicet, et inaccessæ divinitatis expetat osculum, dicens, « Osculetur me osculo oris sui? » Nunquid Angelus, aut Archangelus, aut de Virtutum numero, de Cherubin, vel Seraphin quicunque spiritus, sic unquam secum tacite vel mente locutus est, ut ejus, cui trementes assistimus, cujus a tot seculis obediendo legationibus deservimus, osculum vel peteret unquam, vel speraret? Incarnato quidem Verbo, et in terris humana sua percurrente Domino Jesu, magnum diximus (4), et in oculis nostris hoc mirabile reputavimus, ad pedes ejus admitti mulierculam, quæ ipsis infigeret osculum, quos tamen et capillis ante terserat, et suarum abluerat unda lachrymarum (*Luc.* VII, 38). Transfigurante se in monte Domino, et divina sua, quæ et semper habuerat, humanis oculis revelante, nunquid amans ille Petrus, aut Joannes charissimus, ipsius osculum majestatis expetere præsumpserunt, qui vocem a magnifica delapsam gloria non ferentes, in terram proni corruerunt (*Matth.* XVII, 2). Hinc quoque raptus Apostolus (*II Cor.* XII, 4), cui credita sunt arcana cœli, et sancta illa silentii verba revelata, nunquid inter nos alta sapiens in cœlum sic posuit os suum, ut seipsum non metiens, humana sua non considerans, summæ divinitatis aspiraret ad osculum?

Ascendens quoque in montem Moyses (*Exod.* XIX), intra nubem latitans, ad tubæ sonitum contremiscens, nunquid hujus osculi se præsentat deliciis, qui carnalem tantum illam et cito abolendam legem, non jam cordibus hominum, sed lapideis tantum supplicat tabulis exarari? Cum, juxta Veritatem, « Nemo inter natos mulierum Joanne Baptista major sit (*Matth.* XI, 11), » et cum, juxta eamdem, « Qui in regno cœlorum minor est, ipso longe sit major (*ibid.*); » humanæ satis esse poterat animæ, angelus ipsam osculo si vel minimus excepisset. Hujus fortasse zelum, non ex ira vel malitia prodeuntem, virtus aliqua superna temperat, severe judicanti respondens, Non indignandum fore mortalibus, si laqueos optent mortis evadere, et libertatem gloriæ filiorum Dei, toto studeant conamine mentis apprehendere. Mortalium namque valde misera conditio est; in mundi medio constituti, infernum subtus, cœlum sursum contemplantur; et homini descendere non solum leve est, verum et non cadere difficillimum : ad hoc suo pondere caro prona est, tentationes urgent, maligni spiritus peccatorum funibus pertrahunt, saluti semper humanæ, sicut et nostræ jamdiu gloriæ, invidentes. Ut vero descensus facilis, sic est ascensus ad superna difficilis : in hoc hominum vita est, in hoc pugna animarum, in hoc fervent studia sancte in mundo conversantium, ut peccatorum laqueos evadentes, in nostram se transferant libertatem, et se nobis vitæ puritate conforment, summæque divinitatis amore consocient. De lacu namque miseriæ, et de luto fæcis egressæ, vana mundi deserentes, immo mente calcantes animæ, quam pie suscipiendæ sunt, quanta a nobis charitate fovendæ, ne unquam degenerando respiciant; sed amorem suum in Patrem luminum indesinenter accendant, quousque beatis dona repromissa percipiant? In sanctis itaque constituta desideriis anima, terrena respuens, cœlestia nondum apprehendens, in amoris sui quoddam velut incentivum, suorum permittatur schematibus uti verborum; præsertim cum osculum, aut amplexus, aut cubile, aut aliquid tale nominans, nil carnale cogitet, nil præsumat indignum, nil meditetur omnino nisi quod sanctum est : (Nam totum quod in osculo misera peccat, et carnalis affectio, ab ejus mente tam longe est, quam ipsa procul a vitio, virtute purificata, secessit.) Est enim et sanctum osculum, sicut meminit Apostolus, dicens : « Salutate invicem in osculo sancto (*Rom.* XVI, 16). » Et, juxta Veritatem, occurrens Pater revertenti filio, « Misericordia motus, et accurrens cecidit super

(4) Forte *duximus*.

collum ejus et osculatus est eum (*Luc.* xv, 20). » His itaque, quæ zelus moverat in Supernis, agente modestia, consopitis, in tractatum sequentem, quæ inspirante Domino, sunt dicenda, differemus.

Osculetur me osculo oris sui.

Ut tomo superiore jam dictum est, est quoddam fœdæ voluptatis osculum, cujus vel reminisci dedignatur animus in superna jam levatus : Sed est osculum sanctum, cujus meminit Apostolus dicens, « Salutate invicem in osculo sancto, » et veritas in Evangelio, « misericordia motus Pater cecidit super collum filii sui, et osculatus est eum. » Osculum itaque, quoddam reconciliationis est, quoddam congratulationis est, quoddam jucunditatis, et permissæ cujusdam et sanctificatæ voluptatis. Reconciliationis est osculum, cum ante discordes animi in pacem et amicitiæ gratiam aliquo mediante revocantur, et confœderationis et conjunctionis animorum, quæ fit intrinsecus, signum est osculum quod extrinsecus exhibetur. Osculum vero congratulationis est, cum absentes jamdiu propinquos, et amicos a peregrinatione vel aliunde reversos, ad nos congratulando suscipimus, et interioris gaudii nostri certitudinem, ipso quod foris damus osculo demonstramus. Sponsi vero ad sponsam sanctificatæ cujusdam voluptatis est osculum. Est itaque triplex osculum, in quod suspirat ecclesia, et quod sibi dari fidelis anima quæque desiderat : optat enim ecclesia sancta reconciliationem, optat congratulationem, optat et sanctam illam, quæ est sine fine futura, jucunditatem. Nondum enim incarnato Verbo, non erat ecclesiæ pax ad Deum, quæ post hujus elapsum vitæ, tota trahebatur in infernum.

Homo namque se totum, in stirpe, scilicet, et propagine, obnoxium æternæ morti constituit, cum authori suo, a quo tot et tanta recenter acceperat, illi (inquam) non volenti solum, et jubenti, sed et minas intentanti, in re minima obedire contempsit. Nam etsi amoris experimentum magnum non sit, si in modico quis obediat; magnum tamen irreverentis animi signum est, summique contemptus indicium, siquis in re modica obedire contemnat : nam juxta Veritatem, « Qui modico fidelis non est, quomodo erit fidelis in magno? » (*Luc.* xvi, 10.) Quo itaque minus fuit in quo obedire contempsit homo, eo peccatum majus est quod incurrit, et supplicium majus est quod meruit. Nam qui in Judicem offendit æternum, proculdubio quod meruit in æternum fuit; nam sine fine pœnam irrogat potestas illa judiciaria, quæ fine caret : et ut homo de manu Domini bonum sine fine meruit, cum a veritate recessit. Nam ut bonus angelus, primum lux, et postea firmamentum fuit, cum ipsi qui ad Aquilonem sedem cupiebat ponere non consensit (*Isa.* xiv, 13) : sic et homo, si tentationi restitisset, hoc ipso contra tentationem et peccatum confirmari meruisset, ut deinceps nec peccare, nec tentari potuisset; sed statuto sibi dierum numero hic innocenter exacto, gustato ligno vitæ, ad æqualitatem angelorum, ipso qui creaverat et in hoc potenter operante, pervenisset. Sicut igitur æternum foret obedientiæ præmium : sic æqua lance justitiæ, supplicium inobedientiæ debebatur æternum; cui post peccatum homo totus obnoxius, ruebat totus in infernum.

Hinc enim propheta ait, « Misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* lxxxiv, 11), » quod idem est, ac si dicatur, misericordia et justitia sibi contra se venire cœperunt; nam qui sibi sunt obvii, ex adverso veniunt, et velut in opposita tendunt; sic misericordia et veritas, statim post peccatum, tendere in diversa cœperunt; ad pœnas hominem veritas exigebat, de cujus reparatione misericordia melius aliquid disponebat. Et fuit hæc mirabilis obviatio, justitia hominem ad inferna trahente, illa hominem ad amissa reducere cupiente. Sed invalescente justitia, in pœnas homo datus est, miserias, et ærumnas, et mortem gustans in seculo, corruptionem in sepulchro, et post omnia, tenebras in inferno. Cumque magna jam parte satisfactum esset justitiæ, punita jamdiu culpa, post annorum multa curricula, pulsanti semper et instanti, plurimum misericordiæ tandem locus datus est in excelsis, in ipsius sanctæ et summæ Trinitatis abditis et occultis; ubi tam mirabiliter, quam pie dispositum est, ut in quo creaverat universa Pater, in ipso perdita restauraret. Hoc consilium illud antequam est, de quo propheta ait, « Consilium tuum, Domine, antiquum verum fiat. » Hoc est quod « a seculis absconditum (*Col.* i, 26), » vocat Paulus, « sacramentum. » Obedivit itaque Patri Filius, tam quidem mirabilius, tamque sacratius, quam non seniori junior, non majori minor, sed omnipotenti, magno, magnus, immensus, omnipotens, æqualis in omnibus, obedivit; sicut in propheta dictum est, « In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam (*Psal.* xxxix, 9). » Magnus quippe liber est scientiæ et sapientiæ Dei, in quo cum semper legeris, nullus ejus unquam finis occurrit : interiores ejus paginas solus ejus scriptor inspexit. In hoc et homines, et angeli sine fine proficiunt; et thesaurus ille Dei, quotcunque semper haurientibus, nunquam exhauriri poterit : a fine usque ad finem ejus sapientia sola et summa pertingit. In hoc omnes scribuntur homines, et dies formantur, meritaque singulorum comprehensa sunt, et unicuique beatitudo debita expressa continetur.

In hujus libri capite quasi parte præcipua, scriptum est Incarnationis hoc sacramentum, eo quod in cunctis quæ mirabiliter operatus est Deus, creando singula, creata conservando, et quæ conservat lege mirabili disponendo, nil adeo stupendum est aut mirabile, quam quod seipsum exinanitione sua, ad misericordiæ jubentis imperium, affecta videtur injuria. Sed « opera Domini magna sunt, exquisita in omnes voluntates

ejus (*Psal.* CX, 2), et ipsius vera sunt judicia, in semetipsis justificata (*Psal.* XVIII, 10). » Ascendens itaque crucem Deus, et ad clavos manus innocentes expandens, ut locum mortis consecravit ad vitam, sic qui tenebantur in morte revocavit ad vitam. Ejus enim de cruce stillante sanguine petræ fissæ sunt, ut corporalis pateret aditus, quo precium illud sacratissimum, angelicis exceptum manibus, perferretur ad inferos; ut ligni vitæ fructu communicato, in libertatem vitæ recurrerent, qui sub hujus gratiæ fide simul et expectatione tenebantur in inferno. Quid ergo est, in quo jam justitia conqueratur? In paradiso lignum positum est, « bonum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit mulier de fructu illius, et comedit; deditque viro suo, qui comedit (*Gen.* III, 6) : » et inobedientia sic consummata, ad mortem via parata est : in Ecclesia quoque lignum crucis erectum est, cujus et aspectus horribilis fuit, et gustus amarissimus; fructus ejus erat temporalis illa mors, qua plectebantur rei, qui ob reatus varios addicebantur cruci : ad lignum hoc extendit manus æterna illa sapientia, et gustavit fructum hunc, non hoc suggerente serpente, aut muliere suadente. Olim quidem serpens hoc fecerat, ut mulier concupiscendo quod non debuit, velut caro, delectaretur; vir in hoc ipsum, quasi sensus rationalis, acquiesceret, sicque viam sibi paraverat, qua immortalium (5) corda illaberetur, et ad se traheret universa : sed evacuatur ad crucem totum quod ejus est; serpens Christo nil suggerit; non delectatur hic caro; sensus ipse rationalis in spiritu carnem trahit post se, ad sustinenda dura crucis, et mortis amara degustanda. Virtus igitur in cruce residet; et ipsam eo ascendente qui Dei virtus est et sapientia, in ipsa et virtus et sapientia collocatur. Hæc viam virtutis aperit; quæ licet arcta sit, tamen ducit ad vitam. Lignum itaque paradisi fructum protulit, quo posset et suggestio suscipi, et concupiscentia a quibusdam quasi blanditiis excitari : crux in Ecclesiæ jam sinu posita, fructum utique repræsentat, quem si mente gustaveris, nec intus hoste suggerente, nec carne tibi blandiente, succumbis; verum hostis prima sua congressione vincitur, et ad serviendum spiritui caro statim revocatur, et in consummatæ virtutis amorem totus homo reducitur. Hic itaque locus est, in quo justitiam misericordia, quæ vera pax est, osculatur; hic namque simul utrique satisfactum est, cum et homo, misericordia sic agente, redimitur, et justitiæ longe plus quam debebatur exsolvitur; et juxta apostolum, « Quod adversum nos scriptum erat chirographum cruci Christi potenter affigitur, et deletur (*Col.* II, 14). » Chirographum namque sic conscribitur, ut postquam incisum et per partes divisum est, in utraque ipsius parte plena rei gestæ memoria teneatur. Hæc nostra est cum hoste maligno conditio : nam cum delinquimus, culpa penes nos est, ipso stylo perversi operis graviter exarata, quæ et hostis antiqui memoria statim excipitur, et firme retinetur impressa; ut si non sit qui redimat, nec qui salvum faciat, præsto sit ei semper quod objiciat : quod quidem chirographum, Christi morte deletum est; per quam et nobis culpa remittitur, et ipsius in nos accusatio jam non timetur.

Sed quid istud est, cum ad pœnam homo teneretur æternam, filius vero Dei mortem tantum temporalem horis quadraginta pertulerit? quomodo justitiæ divinæ, æternas ab homine pœnas exigenti, in ipsius morte satisfactum est? Sed proculdio satisfactum. Appendantur enim in statera mors ipsa filii Dei, si placet, etiam momentanea, et omnium hominum quantumcunque debita mors æterna; cui dubium est, quin præponderet ipsa mors unigeniti, licet temporalis, morti, licet æternæ, quorumcunque mortalium? Merito quippe majus est, et natura mirabilius, Deum mori, nulli peccato vel morti obnoxium, quam mori multitudinem quantumcunque mortalium et peccatorum. Inde namque beatus Job, « Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera (*Job* VI, 2). » Job quod est, « dolens, » designare Dominum Jesum, nulli jam dubium est : hic causam nostram ad Patrem agens, velut in cruce positus, ait, « Utinam appenderentur peccata mea; » nostra quidem peccata, quibus iram meruimus, in unitate et sacramento corporis et capitis, sua nominans, atque dicens : Utinam attendas, Pater, peccata, quibus iram meruit homo, et calamitatem, id est, pœnam quam in cruce patior ego, ad obedientiam tuam factus homo. Nam si utraque consideras (ut vere consideras) pœna mea, quasi arena maris, gravior apparebit, id est, pœna mea cum obedientia, longe peccatis hominum præponderabit; et tibi, in expiationem culpæ ejus, et præstationem pœnæ ab ipso debitæ, satis erit. Ecclesia itaque sancta, spiritu quo illustrabatur intelligens reconciliationem hanc, per manum mediatoris Domini Jesu dandam esse, inter soliloquia quibus ipsam fovebat spiritus, et accendebat amorem sanctum, intra moras jamdiu continuatæ spei, istud amoris Canticum in electorum cordibus crebris iterabat suspiriis, ut dicere', « Osculetur me osculo oris sui. » In osculante vero patrem, a quo filius in hanc gratiam mittebatur, intelligens; ore vero ipso, quod ad osculum de more porrigitur, Filium qui mittebatur, qui os patris est et sapientia, designans; ipso vero osculo, quod osculantium est grata suavitas, Spiritum Sanctum, qui est amborum amor, exprimens; sanctæ summæque Trinitatis fidem, futuram quoque Verbi incarnationem, et per incarnati Verbi sacramenta, plenam hominis cum Deo reconciliationem, tam verissime, quam devotissime profitebatur. Nam quid hac supplicatione sancta devotius? Quid oratione purius

(5) Forte *in mortalium*.

esse potest? In ipsis statim docetur initiis, qualiter orandum sit, quatenus Altissimo supplicandum : nam « sine fide Deo placere impossibile est (*Heb.* XI, 6); » et quæ sine fide est oratio, exaudire non potest. Unde Jacobus ait, « Postulet autem unusquisque in fide, nihil hæsitans (*Jac.* I, 6) : » orationi namque ad penetrale majestatis excelsæ primum fides pandit introitum. Unde quæ exaudiri desiderat, a fidei Sacramentis exorditur, ut dicat, « Osculetur me osculo oris sui ; » acsi dicat, Quod exaudiri desidero, in hac fide ad postulandum assisto ; in ipsa deitatis substantia confiteor unitatem, in ipsa personarum confiteor et adoro Trinitatem. Unitatis est confessio, quod dictum est, « Osculetur; » Trinitatis vero quod et osculans, et os, et osculum nominatur. osculans, ipse Pater est : quod ad osculandum porrigitur os ipsum, Filius est : et quod osculantis ore perficitur osculum, Spiritus Sanctus est. Quæ quidem veritas, Trinitatis substantiam ipsam nec dissipat, nec distrahit Unitatis. Ipse quidem osculans, nec os suum est quo osculatur, nec ipsum osculum quod ore suo ministratur. Sic et os ipsum, nec est ipse osculans, nec ipsum osculum quod datur. Ipsum quoque osculum, nec est ipse osculans, nec os ipsum a quo est. Absit tamen ut cum osculum dari ab aliquo conspicimus, tres ideo substantias intelligamus : una enim substantia osculantis est; et tam os ipsum, quam osculum, non in alia quidem, sed in ipsa solummodo osculantis substantia est. Sic Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, cum tres verissime sint Personæ, quarum nulla est altera, veritas ista Trinitatis, nihil adimit unitati, aut simplicitati substantiæ Dei ; sicut nec ipsa simplicitas addit quicquam, vel minuit Personarum Trinitati. Quod vero non satis est in Deo divina credere, nisi et ipsius humilia verissime credantur, exquisitissimo verbo utitur, dicens, « Osculum ; » per hoc et incarnandum Verbum, et quæ futura erat reconciliationis humanæ plenissime designans sacramentum. Quæ cum sic dicta sint, in tractatum sequentem, juvante Domino, et spiritum innovemus, et stylum.

Osculetur me osculo oris sui.

Attendimus non unumquempiam justum ab Adamo usque ad Christum ; sed omnes in orbe terrarum longe lateque, in quos se gratia Spiritus sancti diffuderat, intellexisse, de semine Adam unum quandoque nasciturum, qui de admisso unius pro omnibus membris suis ipsam quandoque destrueret, et regno tradito Patri, homines Angelis adæquaret. Hæc itaque fides, et in spiritu revelatio, Sanctorum inflammabat desideria, et in futura mentes secula protrahebat, ut et hujus vitæ moram longam reputarent, qua tanta differebatur expectatio ; brevemque quasi priusquam corporalibus hoc intuerentur oculis, finiendam. Hos igitur omnes, quos una regebat fides, et provocabat spes, totam scilicet, pie credentium multitudinem, Salomon (in quo sedem sibi sapientia constituerat) ipsa qua illustrabatur luce considerans, ipsam, velut Sponsam, in promissi sibi jamdiu Sponsi desideria positam, sui verba desiderii depromentem inducit hoc modo, « Osculetur me osculo oris sui. » Trina vero repetitione, qua dicitur, « Osculetur me osculo oris sui, » triplex osculum notat, quod se optare demonstrat : primum reconciliationis, ut dictum est ; alterum, congratulationis : tertium, illud æternæ jucunditatis. Reconciliationem vero optabat Ecclesia, quæ se totam in Adam peccasse cognoverat : et hoc, quia non per alium quam per Unigenitum Patris ipsum, videlicet, Sponsum suum, posse fieri cognoscebat. Optat ut ipsam osculetur Pater, quod est, ut ipsi remittat iram osculo oris, id est incarnatione Unigeniti sui, qui et os et Verbum est Patris. Unde et expresse dictum est, osculans Pater ; sed osculo Filii ; quia cum salvet Pater non sua quidem, sed ipsa Filii sui salvat incarnatione, quos salvat. Quam tamen incarnationem, quia vere operatus est et Pater (cum inseparabilis sit totius operatio Trinitatis) ideo recte, cum osculum oris sit, « osculari » inde dicitur Pater, id est ipsam carnis assumptionem quam non habet in se, hanc tamen in Filio operari.

His itaque de reconciliationis osculo dictis, ad investigandum id quod congratulationis osculum dicitur, juvante Domino, accedamus. Hoc enim et usus habet, et scriptura sæpe commemorat. Ait enim Isaac filio suo, « Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi; et accessit, et osculatus est eum (*Gen.* XXVII, 26, 27). » Legitur etiam de Jacob, quia cum vidisset Leam, et cognovisset eam consobrinam suam esse, « amovit lapidem quo puteus claudebatur, et adaquato grege osculatus est eam, et elevata voce flevit (*Gen.* XXIX, 10, 11). » Laban etiam, « cum audisset venisse Jacob, cucurrit obviam ei, complexusque, et in oscula ruens, duxit in domum suam (*ibid.*, 13). » Reverso etiam Jacob de Mesopotamia Syriæ, post longam illam peregrinationem legitur, quia « currens Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum, stringensque collum ejus, et osculans, flevit (*Gen.* XXXIII, 4), » Joseph quoque, « cum amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit, et osculatus est omnes fratres suos, et ploravit super singulos (*Gen.* XLV, 14, 15). » Prodigum quoque filium, « cum adhuc longe esset, vidit pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum (*Luc.* XV, 20). » Quibus nimirum omnibus congratulationis intelligitur osculum, quo suorum parentes et propinqui congratulabantur successibus, et intrinsecus applaudebant ; gaudium quod fovebant intrinsecus, foris osculo demonstrantes. Hoc vero congratulationis osculum dari sibi sperat et expectat Ecclesia : quod erit die illa novissima, cum vitæ merita collocabuntur, et reddet unicuique Dominus Jesus, prout gessit in vita, sive bona, sive mala. Ove namque perdita boni pastoris

humeris tunc ad caulas reportata, convocabuntur amici ejus et vicini, sancti nimirum angeli, qui voluntatem ejus apud se continua stabilitate custodiunt, et ob hoc amici sunt; quique ipsius visione assidue perfruuntur, et ob hoc, vicini recte nominantur; quibus dicet, « Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat (*Luc.* xv, 6). » quod et de drachma perdita pari modo dicturus est.

Hæc erit congratulatio summa, cum pastori bono, non solum cœlestis illa beatorum spirituum applaudet Ecclesia, sed et quæ humeris humanitatis ejus reportata erit, de sua restauratione gratulanti sponso, gratulanti etiam virtutum supernarum multitudini, congratulabitur. Implebitur ipsa die, quod in historia continetur, manifestans enim se fratribus suis Joseph, « præcepit ut egrederentur cuncti foras, et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Elevavitque vocem cum fletu, et dixit fratribus suis, Ego sum Joseph; et osculatus est eos (*Gen.* xlv, 1). » Alieni erunt ipsa die quibus dicturus est Dominus, « Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus (*Matth.* xxv, 41). » Quibus ea die separatis, manifestabit se Dominus Jesus fratribus suis, dicens, « Ego sum Joseph; » ac si patenter dicat, Ad memoriam revocetis quomodo venditus, et in mortis carcere positus, inde resurgendo prodierim; et jam manifeste cernite quod et sceptra regni habeam, et judiciariæ potestatis culmen in omnem creaturam a Patre sic donatus obtineam. Hic Sponsæ Sponsus, et Sponso Sponsa congratulabitur; et indivisibilis animorum conjunctio perpetua confœderatione solidabitur. Sponso sponsa congratulabitur, quod post infirma carnis, post carcerem, post flagella, post alapas, post sputa, post clavos, post mortem, post sepulchrum, post lapidem magnum admotum, in tantum sublimatus sit, ut in carne assumpta judicet omnem carnem, et omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum sibi flectat ad gloriam: ad Sponsam vero congratulatio Sponsi erit, quod in incertum non cucurrerit, in vanum nequaquam pugnaverit; quod triumphata morte, sub pedibus suis conculcato Satan, Ecclesiam sibi, quanto laboriosius, tanto et gloriosius, acquisierit; et acquisitam indicibili jam gloria muneraverit, cujus quidem bonus illa die et universis applaudet, et singulis. Quid enim est illa Domini gratiarum actio, qua dicturus est illa die, « Esurivi, et dedistis mihi manducare (*Matth.* xxv, 35), » et cætera in hunc modum, nisi quædam Judicis ipsius, et Sponsi ad illa interna bona Sponsæ suæ congratulatio? Sex quippe commatibus distincta est, ipsa numeri perfectio totam bonorum omnium designans plenitudinem; qua in præsenti vita Domino complacet quæque fidelis anima; qua etiam Sponso suo tota se conformat Ecclesia. Misericordia quippe sunt opera, ut pascatur pauper, et potetur, et vestiatur nudus, et hospes tecto suscipiatur, infirmus visitetur, et clausus. Sed nunquid in iis solum beneplacitum est Deo? Nunquid non sibi virtus complacet unaquæque? Quid enim sancta illa virginitas? quid castitas honoranda? quid Sanctorum parcimonia? quid silentium? quid prædicatio sancta? quid justitia, fortitudo, temperantia, ac prudentia? quid virtutes innumeræ, quarum in Scripturis sanctis laus est, quibus in acquirendis sibi continuus et assiduus Sanctorum labor insudat? Quod si in iis Domino beneplacitum, quid est quod in judicio, cum bonis Ecclesiæ congratulabitur, hæc sola commemorabit Dominus quæ corporaliter exhibita? Bona quidem sunt, sed non sola.

Constat itaque, jam dicta verborum clausula omnes animæ dotes, Ecclesiæ bona generaliter omnia comprehendi. Esurit enim Dominus, et sitit: quod tamen dicendo, nulli sanctam Divinitatem subjicimus passioni; ipsius enim Divinitatis summæ vita impassibilis est; quantumque vita temporalis passioni subjecta est et obnoxia, tantum vita illa æterna et increata ab omni prorsus est passione procul et extranea. Ex more tamen Scripturarum esurire dicitur, et sitire; nec uno tantum modo, sed pluribus. Esurit enim Dominus in membris suis, esurit in se. In membris esurit, cum quis suorum corporalis aut spiritualis victus necessitate adducitur: cui nimirum passioni charitas diversis operibus misericordiæ subvenit, attenuatum cibo potuque reficiens, spirituali desiderantem spiritualibus instruens et ædificans: nam ut fami sitique corporali subvenire pium est; ita et spiritualis victus egestati subvenire piissimum: nam ut veritatis judicio præcellit anima corpori; sic longe melius, longe sanctius est, ipsi quam corpori subvenire. Utrumque tamen bonum, utrumque Domino in gratiarum etiam actionem beneplacitum. Similis est et circa nuditatem inspectio. Alget corpore Dominus, alget et spiritu: corpore, cum frigoris inclementia nullo vestis operimento repellitur; spiritu, cum quis interius nullo virtutis indumento vestitur. Hoc frigus ab Aquilone est, quo corda multorum non infrigidantur solum, sed indurantur (*Job* xxxvii, 9; *Eccli.* xliii, 22); de quo propheta, « Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit? » (*Psal.* cxlvii, 17.) Hanc Christi nuditatem in ejus membris operit, qui destitutum virtute virtutum exemplis informat et instruit. Cui congratulans Dominus in fine dicturus est, « Nudus fui, et operuistis me. » Quonam vero modo peregrinus et hospes in membris suis sit Dominus, palam est; in se vero peregrinus et hospes est apud eos, qui nondum fidem quæ in ipsum est, susceperunt: qualibus et ipse ait, « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet (*Matth.* viii, 30); » quia tenebrosa peccantium corda immundi spiritus et fraudulenti possidentes inhabitant; « Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. » Caput enim Ecclesiæ est Christus; et caput Christi, Deus; et apud hos

reclinat caput Filius hominis, qui ipsum æqualem Patri, coæternum, et consubstantialem confitentur: quibus Filius ipse, nec recens Deus est, nec alienus (ipsis quippe recens est, qui ipsum aliquando incepisse, et non ab æterno a Patre genitum esse, protestantur: ipsis vero alienus, qui ipsum non idem in substantia esse cum Patre affirmare conantur). Apud hos hospes est et peregrinus; quibus omnibus per prophetam dicitur, « Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, et in abusione (*Psal.* xxx, 19). » Apud hos hospes est et peregrinus, pulsans per prophetas, per apostolos, per Scripturas omnes, ut ipsi aperiant; quibus Dominus illa die dicturus est, « Hospes fui, et non collegistis me (*Matth.* xxv, 43), » quia fidem quæ in me est, quam prædico, in quam missus sum, non admisistis. Unde datur intelligi, qui sint, qui suscipiant hospitio salvatorem; hi, nimirum qui dogma sanæ fidei condigna veneratione suscipiunt, hæresin penitus exsecrantes, et ut columbæ simplices, munda tantum grana fidei colligentes; quibus quippe non satis est per fidem tantum salvatorem tecto suscipere, nisi et hunc suscipiant omnimoda charitate et virtute Ipse namque ait, « Ecce, ego sto ad ostium pulsans; si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III, 20). » Intrat ad nos Dominus, cum ipsi cordis januam ad credendum aperimus: communi cœna reficimur, cum desuper amore concepto, ad opus omne bonum, dono gratiæ spiritualis extendimur (6). Infirmos vero visitare, tam fraterna caritas, quam divina monet auctoritas. Nam quid humanitati plus congruit, quam ut homo homini, frater fratri, validus imbecilli, tum verbi solatio, tum subsidio operis, affectione pia, plenaque mentis compassione subveniat? Quod non solum corporaliter infirmanti (7), sed ægrotanti spiritualiter exhibendum est. Languor enim spiritus in multis adeo convalescit (8), ut jam in iis nec confessionis sit vox, nec sensus pœnitentis. De iis ait Apostolus, « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » (*II Cor.* XI, 29.) Hi crebro visitandi sunt, et vitæ verbo commonendi quousque septies oscitando, os suum in confessionem dono septiformis Spiritus aperiant, et ipsis vitæ doctoribus, non tantum intus incalescendo, sed et exterioris hominis sui plena dispositione, conformentur. Hinc enim est, quod cum Elias suscitavit mortuum (*III Reg.* XVII, 21), expandit se super illum: et Elisæus dum mortuum suscitavit, « Os suum ori ejus, et oculos oculis, et manus manibus applicat (*IV Reg.* IV, 34). » Ut, sicut ait Apostolus, membra sui corporis omnia quæ ante « vasa iniquitatis ad iniquitatem fuerant, » hi qui suscitantur a morte, doctores sanctos imitando, virtuti jam servire compellant De iis ipsa Veritas ait, « Non est opus sanis medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX, 12). » Horum quidem levioribus morbis, alii gravioribus et diutinis fatigantur. Hi itaque quos peccati vetustas opprimit, quasi quidam animarum carcer includit; quorum assumens in se personam propheta, ait, « Educ de carcere animam meam (*Psal.* CXLI, 8); » et illud, « Infixus sum in limo profundi (*Psal.* LXVIII, 13); » et item, « Funes peccatorum circumplexi sunt me (*Psal.* CXVIII, 61): » quos in lenitatis spiritu visitare, verbo vitæ compungere, et abstractos a vitiis virtuti restituere, misericordia longe major est, quam clausos corpore, vinculis pie relaxatis, educere.

Cum sint itaque mandata duo, unum ad dilectionem Dei, alterum ad dilectionem proximi pertinens, ex quibus tota lex pendet et prophetæ, vitæque constat humanæ perfectio; superius jam dicta clausula totum in se complectitur, quo mandatum utrumque completur. Per hæc enim quæ Divinitatis intuitu proximis exhibentur, intelligenda sunt omnia, per quæ ipsorum cuicunque necessitati subvenimus, spirituali, sive corporali: in passionibus enim, fame, siti, nuditate, penuria tecti, morbo, vinculis, nihil acerbius est: unde per hæc, quæ fratrem quemlibet angunt vehementius et affligunt, intelligenda prorsus sunt omnia, quibus agente misericordia, divinitatis intuitu, qualibet id exigenti necessitate corporali seu spirituali, subvenimus. In membris enim suis, duobus modis, ut dictum est, esurit, et sitit, et alget Dominus, nunc remedium corporale, nunc spirituale desiderans; uno vero modo in se: non enim a nobis hoc solum exigit, ut fratribus necessaria impendamus; vult ut nostra fides et charitas in ipsum principaliter intendatur, et in proximum ab ipso secundario derivetur. Quæ itaque spectant ad proximum, hæc in membris suis esurit, sitit Dominus, et expostulat: quæ vero non ad proximum sunt, sed ob Christi reverentiam observantur, hæc ea sunt quæ Dominus in seipso esurire dicitur, et sitire, quod ipsi hoc idem est, quod et velle. « Veniens autem Dominus ad ficulneam, esurivit (*Matth.* XXI, 18); » et pendens in cruce, dixit, « Sitio (*Joan.* XIX, 28). » Quid esurivit, aut sitiit? nostram proculdubio salutem, nostram fidem, et quæ in ipsum est, charitatem, longanimitatem, et continentiam, et virtutes alias, quæ licet non intendant in proximum observantur ob Deum: virtutes enim quæ in proximum sunt, tam in se, quam in membris suis esurit; has vero quæ ad se, in seipso.

Constat itaque jam dicta verborum clausula omnes animæ dotes, Ecclesiæ bona generaliter omnia, comprehendi. Et hoc congratulationis est osculum in quod suspirat Ecclesia, quod in Spiritu postulat omnis anima, dicens, « Osculetur me osculo oris sui. » Sic ad Patrem loquens, os ejus, juxta hunc

(6) Forte *accendimur*.
(7) Forte *infirmat*.
(8) Forte *invalescit*.

sensum. Filium nominans et tam ipsius Patris quam Filii osculum, Spiritum sanctum intelligens. Ait enim, « Osculetur me » Pater, id est me di; gnam osculo, ipse qui creavit, efficiat; et hoc, « Osculo oris sui, » id est per Spiritum sanctum Filii sui, qui os ejus est. Ipse enim Spiritus osculum est quod dat Pater, osculum quod dat Filius; quia vapor est, et procedens ab utroque suavitas : qui sicut ab utroque procedit, sic et Pater ipsum et Filius in beatorum corda diffundit. De ipso enim ait Dominus, « Mittam vobis Spiritum (*Joan.* xv, 26) : » et alibi, « Spiritum quem mittit Pater in nomine meo (*Joan.* xiv, 26). » Petit ergo a Patre, per Filium sibi Spiritum dari; ut de ipso gratiarum dona percipiens, in novum quemdam decorem transeat, ut in illa die, a Patre per Filium vocem congratulationis audiat, et osculum congratulationis accipiat. Vox enim congratulationis est, qua Dominus illa die dicturus est, « Euge serve bone (*Matth.* xv, 6); » et illa ad Virtutes cœlestes, « Congratulamini mihi de ove perdita. Congratulamini de drachma inventa (*Luc.* xv, 6); » ac si dicat, Quis sit, vel quantus Ecclesiæ decor, attendite; quot gratiarum donis, quanta virtutum gloria fulgeat, intelligite; quod pro tali ac pro tanta laboraverim, una mecum congaudete. Quæ (quæso) futura est ad vocem hanc toti Ecclesiæ pax? quæ animarum sanctarum futura est in mente tranquillitas? cum ad hanc Sponsi congratulationem, de sua jam gloria secura, non erit amplius quod timeat, quod de cætero perhorrescat. Et hæc quidem pax est ista securitas in quam suspirat Ecclesia, ut die illa, qua tremebunt angeli, pertimescent archangeli, Sponsum sibi placatum habeat, et per ejus Spiritum sanctificata, in virtutum sibi decore complaceat; et per osculum Filii, qui Spiritus sanctus est, a Sponso pacem, congratulationem, et dona repromissa percipiat : cujus nos participes efficiat Dominus Jesus, qui est in secula. Amen.

Osculetur me osculo oris sui.

Reconciliationis igitur et congratulationis osculo demonstrato, superest ut voluptatis osculum, juvante Domino, prosequamur. Quod ne delicatis auribus molestum forte sit, si in tractandis spiritualibus corporalis cujusdam voluptatis reminiscimur, illud præ oculis habeant, quod epithalamium Sponsi et Sponsæ est quod agitur, nuptiale carnem est quod tractatur : nec mirum si in nuptiis, in rerum Sacramento spiritualium, istius osculi fiat mentio; cum ipsa Sponsi et Sponsæ carnalis etiam commistio, in Scripturis Sanctis non modicum in spiritualibus explicet Sacramentum. Carnalis enim ista commistio, conjunctionis ejus quæ est in Domino Jesu, carnis, scilicet, et verbi, Sacramentum est : Sic et osculum istud Sponsi et Sponsæ, jucunditatis ejus quæ post tremendum illud judicium, et A Sponsi cœlestis ad bona Sponsæ congratulationem, in æternum futura est, manifesta quædam demonstratio est. Voluptas enim, quædam fœda est, quædam vero sanctissima : et illa quidem sancta est, cujus meminit Propheta, dicens, « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* xxxv, 9) : » quæ quidem voluptas « torrens » dicitur, non quod cito transeat, sed quod abundanter infundat. De hac enim et « Isaias, Non vidit oculus præter te, Deus, quæ præparasti diligentibus te (*Isa.* liv, 4). » Juxta quod « Paulus » ait, « Nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* ii, 9). » Unde et convenienter Propheta ait, « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : » B Ebrietas enim statum mentis immutat, et a se quodammodo alienat; sic in illa gloria mutatio mentis erit non modica. Trahit nos in hac vita quædam carnis ad parentes, et propinquos, notos, et benevolos, affectio; in illa vita totum hoc absorbebitur; in Deum totus amor extendetur, in illum mens tota se colliget; patrem nesciet, ignorabit et matrem; erga neminem affectione tangetur, nisi quem Christo conformem noverit, quem corpori ejus compaginatum et unitum adverterit : « Tradet enim Dominus Jesus regnum Deo et Patri, » et ipse erit « omnia in omnibus (*I Cor.* xv, 24, 28). » In hac quidem vita, carnis quadam propagatione per patrem matremque traducimur; sicque plures adinvicem quadam inter nos consanguinitate et affectione conjungimur : in regeneratione vero, nihil carni debetur, aut sanguini. Quis enim te de pulvere pater eriget? Quæ te mater ad vitam de morte perducet? Ad suum reducetur rerum ordo principium. Primus homo de terra creatus est, et mulier de osse ejus formata; sanguinisque profluvio quodam ab iis propagati sunt universi.

Prima igitur hominibus creatio, de terra; secunda, de viro; tertia, de viro et fœmina; quarta, in Domino Jesu, non de viro, sed de fœmina : in regeneratione vero, sola illa futura est quæ in Adam præcessit. Nihil in illa jam erit, quod aut fœminæ debeamus, aut viro. Qui de terra formavit Adam, illa die de pulvere eriget universos; ut D creationi (9) jam totum debeamus, nihil carni. Et sicut Adam soli fuit Domino, totius affectionis et amoris, et in omni bono tam corporali quam spirituali, debitor et obnoxius; sic omnino die illa, nulla nisi Domino quicquam debeamus. Ipse nobis pater, et mater, et frater, et soror futurus est, et in veritate resuscitatæ carnis vigor spiritus omnia possidebit; ubique (10) secundum carnem jam pater non erit, aut mater, nec alii omnino secundum carnem propinquitatis gradus esse poterunt. Ilis omnibus felici jam commercio commutatis, ut horum loco quæ in carne habuimus, jam et secundum carnem patrem Deum habeamus; ut ipse nobis

(9) Forte *creatori*.

(10) Forte *ibique*.

sufficiens voluptas sit, et « omnia in omnibus. » Nam si mentis oculum ad spiritualia deflectas, idem abundantius invenias. Hic enim auro delectatur homo, delectatur argento, et lapide pretioso, affectione pignorum, abundantia frugum et fructuum, subjectione volucrum, jumentorum, et piscium, et quod sibi late patet et subjacet orbis terrarum : hæc magna voluptas est; sed imperfectis sensibus, et parum adhuc illuminatis. Fulgor auri perstringit oculum ; sed nondum illuminatum. Homini glorificato si aurum porrigas, non ipsum afficis, aut delectas. Glorificatus oculus intuetur interius intuendo creaturam, ipsum qui creaturæ præest, conspicit et contemplatur. Intuenti mihi, corpus quod est foris opponitur, et quod est intus, absconditur : non hæc hominis glorificati visio est : ipsi, creatorem non abscondit creatura ; sed aperit per corpus animam ; in hac mentem, in mente memoriam, intellectum, et rationem, virtutes etiam omnes, quas intus mater gratia format, intuetur : nec tantum effectum operis conspicit, sed et manum illam mirabiliter formantem omnia, contuetur. Supernam illam sapientiam, mirabiliter in corporibus, longe in spiritibus mirabilius operantem aspicit; et cum miretur opus, longe plus miratur opificem, potenter omnia continentem. Summum illum et superessentiale n Spiritum infusum omni creaturæ, immensum miratur, et simplicem ; quibusdam esse præstantem, non vitam ; aliis vitam, sed insensibilem ; aliis sensibilem, sed rationis expertem ; aliis rationem, sed admistione corporis impeditam ; aliis substantiam nulla commistione corporis involutam. In quibus omnibus venustatem venerabilem, et decorem indicibilem considerans, artem tamen ipsam plus in ipso miratur artifice, quam totum hoc quod attendit in ordine creaturæ : in quem mentis luſigens oculum, velut in profundum maris, avolat; tanta in ipsa divinitate contemplans, quanta nec lingua dicere, nec in præsenti potest mens etiam sancta concipere. Movetur cœlum, suo feruntur astra circuitu, planetæ suis moventur in circulis, deputatorum sibi movetur aer flatu spirituum, mare terram circumstringens reddit immobilem : in iis animalia formis variis et figuris obambulant, metallorum fulgent species, arridet fructuum grata suavitas, et innumerabilium rerum color, odor, atque sapor, sensus mortalium multa sua varietate perstringunt, et est in iis omnibus ordo pulcherrimus, merito ipsius sapientiæ sic disponentis universa, laudabilis. Glorificatus vero spiritus formas omnes in materia, decorem totum creaturæ mente percurrens, sanctum illud ingreditur summæ divinitatis arcanum ; ubi rerum omnium causas, omnem denique creaturam, sicut in mente est, et semper vivit, longe plenius inspicit, quam eam, dum sub tempore laberetur, aspiceret. Thesauros itaque sapientiæ et scientiæ ingrediens, totum quod ornare et beatificare mentem potest, invenit affluenter ; ut nil ei jam desit in ulla gratia, sed confidenter jam dicat Domino Jesu, « Sufficit mihi gratia tua (*II Cor.* XII, 9). » Nam intra divinitatis undam collectus homo, a magnifica illa gloria mortali ejus absorpto, pace, et tranquillitate, omniumque desiderabilium affluit abundantia. Sic cuique electorum infundente se superessentiali Spiritu illo et increato, ut in omnibus, ipse sit omnia, eo quod omnium appetibilium, et singulis, et universis, ipse in se, et ex se, sit indeficiens sufficientia. Hæc sanctorum spes est, hæc expectatio, hic ille finis, in quem, cum anima quæque pervenerit, suum se beatissime cursum jam consummasse lætabitur. Hoc voluptatis est osculum, quod de loco voluptatis quem plantaverat Dominus a principio, dari sibi sancta Ecclesia, dari sibi fidelis anima quæque desiderat, dicens, « Osculetur me osculo oris sui. » Modo itaque mirabili, statim in operis ipso principio meminit finis, dicens, « Osculetur me : » ut illum, ad quem flagrat desiderio, qui rerum omnium initium et finis est, sibi quoque initium esse testetur et finem; ad quem nos perducat Dominus Jesus, cui cum Patre et Spiritu sancto, sit gloria, honor, et imperium in secula seculorum. Amen.

Osculetur me osculo oris sui.

Hæc sunt verba Sponsæ, quibus Sponsum superius allocuta est : verba quæ sequuntur Sponsi sunt, quæ statim ad illa continuat, dicens :

Quia meliora sunt ubera tua vino. 2. *Fragrantia unguentis optimis.*

Quæ qualiter iis quæ sunt dicta cohæreant, videamus. Petentem quidem osculum, et in hoc zelo spiritus æstuantem, statim Sponsus advertit : et quia spes quæ differtur affligit animam, ne affligat eamdem, et spem ejus in longum protrahendo differat, sic desideranti respondet; fiet quod postulas, « Quia meliora sunt ubera tua vino. » Quod tale est, ac si dicat Sponsus intra se : Tu quidem dilecta mea, tu mihi cœlesti connubio sociata, non inutiliter, nec ut sterilis, sed utpote quæ filios parere, et hos, ut ad perfectum deducantur, enutrire apta es, ex hoc quod habes ubera rore cœlesti fœcundata. Hæc ita junguntur, ne lectio Spiritus sancti minus sibi cohærens, et quasi dissuta videatur. Amodo quid significent quæ dicta sunt, videamus. Imprimis tamen quærendum est, cur ab uberibus laus Sponsæ incipiat? Cur cæterorum, quæ laude digna prominent, laudem Sponsus ipse reticeat? Nam cur crinibus ornata facies, cur genæ, cur labia, cur oculi, quos columbinos consequenter nominat, non laudantur? et imprimis tota laus Sponsæ circa ubera continetur? Quod ideo quidem est, quod cum in Sponsa, ut dictum est, multa Sponso complaceant; quo magis oblectetur nihil est, quam ut ipsa mater fiat, populos enutriat, et rore cœlesti fœcundata, uberibus Spiritu sancto plenis, filiis innumeris documenta sancta, tanquam lactis alimenta, ministret. Hoc igitur est, in quo Sponsa magis complacet, in quo Sponso magis cordi est, unde magis laudatur, et ab ipso quasi præconiis extollitur. Num ad ubera

divertamus, et quæ sint Ecclesiæ ubera, attendamus? Ubera igitur ab ubertate sunt dicta, eo quod in hæc magna quædam copia lactis influit, quam sugimus, quaque alimur, quaque dum annos infantiæ transigimus, sustentamur. Hæc sicut pectori infixa sunt, sic menti Ecclesiæ, quæ Sponsa est, duo sunt Testamenta proposita, ut in iis die meditetur ac nocte, et in iis abundantiam lactis colligat, qua innumeros populos alat, enutriat, et ad perfectum usque perducat. Lac enim quoddam dulce, quoddam acidum est; utrumque tamen bonum extat, et sapidum. Quid dulcius est, quam Deum unum credere, ipsumque toto corde, tota anima, tota mente diligere, proximum non lædere, ab homicidio, adulterio, et furto, et falso testimonio, et ab iis omnibus quæ Lege prohibentur, abstinere? voluntarie vero et malitiose peccantibus, lac acidum Lex ipsa proponit, hoc annectens, « Reddat quis animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore (*Exod.* XXI, 23, 24, 25). » Quod quidem lac patienti videtur acidum, sed Regi bono, et secundum timorem Dei constituto Principi, lac placidum est, et gustu suavissimum; quia, « pestilente flagellato, stultus sapientior erit (*Prov.* XIX, 25). » Et hæc est voluntas Domini, ut unus in populo multos cohibeat, et malitiose peccantes sic puniat, ut Ecclesia Dei multa pace congaudeat, et aliquem filiorum suorum, ob gustum lactis acidum, contristari abhorreat. Lactis vero hujus de quo agitur, substantia est, quæ resolvitur in butyrum, et in coagulum, in caseum, et serum : hæc virtutum gradus enunciant, quibus a minimo ad perfectum ascendendum est. Serum enim, quod sero de lacte colligitur, ipse est timor Domini, de quo dictum est, « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10). » Ab hoc in pœnitentiam cordis, et confessionem oris, et satisfactionem operis, ascenditur : ut sic per orationum suffragia, per jejunia multa, per eleemosynas late distributas, et cuncta quibus peccata purgantur, in casei firmitatem, quasi virtutum quandam consolidationem, veniatur : et sic facto ad omnes quodam pacis coagulo, ad lata regna charitatis, quæ butyro designatur, fiat ascensio. Novi quoque Testamenti pagina dulcedine lactis hujus abundanter exuberat, quæ catarrhactas cœli nobis apertas insinuat; et quod in deliciis Dei dulcius habebatur, emissum nobis in salutem cœlitus esse, demonstrat. Hæc Verbum carnem factum, quod est, Deum factum hominem, homini in se homine misericorditer subvenisse, declarat, quæ dicta ejus et facta, quæ Christus in vita hac mirabiliter gessit, exprimens; regnum quoque ejus, et vitam, quæ fine caritura est, bonis omnibus repromittens. Omnem hominem venientem in hunc mundum hujus dulcedine lactis exhilarat. Cæteris tamen lac acidum propinat, dicens, « Væ vobis Scribæ et Pharisæi, quia clauditis regnum cœlorum ante homines (*Matth.* XXIII, 13). »

A Quo in loco, « Væ, » septies interminans, lac illud innuit, quod vere in dentium stuporem acidum, in fine reprobis omnibus daturus est, dicens, « Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus (*Matth.* XV, 41). »

His itaque de Sponsæ uberibus, in modum præfatiunculæ, prælibatis, et illud adjiciendum est, quod sicut humano corpori sic infixa sunt ubera, ut unum partem dexteram, alterum lævam obtineat; sic omnis Scriptura divinitus inspirata, sic quidem monitis et verbis distincta est, ut quædam læva Ecclesiæ, quædam ejus dextræ deputatæ sint. Habet enim Ecclesia lævam, habet et dextram. Læva ejus hæc vita est, ejus dextra vitæ quæ futura est, quæ et æterna est. Omnes itaque Scripturæ, quas vel B primum, vel Testamentum novum continet, quæ sic editæ sunt ut vitam hanc præsentem instituant, docentes, qualiter hoc mundo, et iis quæ mundi sunt, homo uti debeat, ut vitam hanc absque Dei offensa transcurrat, vitia declinando quæ prohibet, virtutes assequendo quas jubet; hæ omnes Ecclesiæ uberi sinistro deputatæ sunt. Uberi vero dextro illæ assignatæ sunt, quæ mundum, et ea quæ mundi sunt, spernere, ejus delicias abhorrere, Deum solum diligere, hunc appetere, hinc dissolvi, et esse cum Christo, persuadent. Unde illud, « Ecce electi Dei, carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, miraculis coruscant, cœlestem patriam moribus et vita prædicant, et ad eam pertingere etiam per tormenta festinant; occidi possunt, flecti ne- C queunt : » et quæ hujusmodi sunt, uberi dextro recte competunt. His igitur uberibus ditata Sponsa alit populos, et primis enutritos virtutibus ad summa et perfecta perducit; et ei recte Sponsus applaudit, dicens, « Meliora sunt ubera tua vino. » Vinum vero, cui comparata Sponsæ ubera, meliora dicuntur, quid significat, nisi scientias innumeras, quibus se humanus implicat animus, et involvit? adeo ut quæ Dei sunt negligat, et ea quæ Dei sunt, hæc inquirere et investigare contemnat. Has quis enumeret? has quis sub numero comprehendat? Artes quidem septem sunt, quæ ideo « liberales » dictæ sunt, quod iis homines liberi sua studia impendebant; discentes primo quæ sunt elementa loquendi, D et hæc suis tam characteribus, quam nominibus exprimentes; iis sibi junctis aptantes syllabas, et ex syllabis dictiones, et ex dictionibus orationes, formantes : hanc suus labor implicat, in infinitum extendens animum, et nisi primo salutetur in limine, suis male cruciatibus torquens. Logica vero suis relinquatur sudoribus; quæ quo proficit amplius apud se, eo sibi dantes operam, plus a Deo avertit. Oratorum vero labor ornatus, tam falsitati deservit, quam iis quæ vera sunt; egregie dictum reputant, sive verum sit, sive falsum, quod ornate pronunciatur, et (ut secundum hos loquar) apposite. Hæc quo falsitati præstat obsequium, ab eo longe est qui simplex est veritas, sanctam præbens Evangelii et sine fuco scientiam. Quid arithmeticæ

numeros, Musicæ consonantias aut dissonantias, geometriæ figuras enumerem? in quibus « labor est, et afflictio spiritus (*Eccle.* I, 17) : » dicente Sapientia, « Deus creavit hominem rectum, et ipse infinitis miscuit se quæstionibus (*Eccle.* VII, 30). » Porro Astronomia, cœlum coluris dividens et parallelis, planetis nomina dans et stellis, motusque singulorum assignans, in eis qui sibi dati sunt circulis, nunc eorumdem stationes, nunc progressiones, nunc retrogradationes denotans, omnium denique adæquationes in anno uno philosophico, qui non minus quam quindecim millia annorum continet, suis regulis emetitur. Hæc solis, in centum octoginta duobus circulis, aliorumque planetarum circulis sibi deputatis, elevationes, depressiones, mediasque stationes attendens, inundationes, exæstuationes, abundantiam, egestatemque, temporaque media distinguit, et quæ Deus ante secula certo ordine ventura disposuit, quodammodo præsagire præsumit : hæc multo vino mentes inebriat, et cum Dei opera studiose considerat, a Deo deviat, et humilitatem ejus aut certe prorsus ignorat, aut minus amat.

Sunt et artes quæ « mechanicæ » dicuntur, eæ mundi sapientibus usibus quidem necessariæ, sed non adeo dignæ reputantur; ut agricultura, architectura, lanificium, et textura, sutoria quoque, et cusoria, et fusoria, aliæque innumeræ, quas necessitas, aut jucunditas, aut certe voluptas adinvenit. Hoc vinum est quo potatur, aut certe inebriatur mundus; ut dum quærit, quod necessitas, aut quod jucunditas, aut quod voluptas, aut quod curiositas suggerit, omittat ea quæ Dei sunt : et an incarnatus Deus, an passus, an resurrexit, et ascendit, et mortalibus æterna promiserit, aut prorsus ignorat, aut forte nota despiciat. Sed Sponsæ quid de iis Sponsus ait? « Meliora sunt ubera tua vino; » protestans longe fore melius lacte Ecclesiæ simpliciter enutriri, quam iis quæ dicta sunt, superbe et inutiliter inebriari. Hinc Isaias ait, « Quare appenditis argentum vestrum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? » (*Isa.* LV, 2.) Argentum enim non in panibus expendere, est eloquentiam et laborem in iis consumere, quæ Dei notitiam et visionem non dant : de qua ait David, « Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI, 15). » Cur vero meliora reputari debent, causam annectit, dicens, Quia sunt « fragrantia unguentis optimis. » Unguenta medicorum arte bene confecta, bene fragrare non dubium est. Horum quædam pungitiva, quædam mitigativa, quædam conservativa sunt. Quædam enim pungunt, ut sanent; quædam mitigant ea quæ dolent; quædam conservant, ut a putredine intacta permaneant. Hic spiritualium virtutum effectus est. Pœnitentia namque dolet, admisisse quempiam id quod luget : post ejulatum, et confessionem, et satisfactionis opera, spes jam mitigat id quod dolebat : hinc charitas in vitam æternam, ea quæ sunt solidata conservat. « Ubera » ergo Ecclesiæ, « meliora sunt, » id est, simplices illæ doctrinæ quæ ab uberibus eliciuntur Ecclesiæ, potentiores, et ad animæ salutem efficaciores sunt « vino, » id est, figmentis omnibus et inventionibus, quæ secularis adinvenit sapientia, ut iis, sequentes se, et sibi dantes operam, potet et inebriet : ideoque « fragrantia sunt unguentis optimis, » id est, eo modo fragrantia, quo fragrant unguenta quæ sunt optima.

Oleum effusum nomen tuum.

Hæc Sponsæ ad Sponsum est amicabilis et honesta responsio. Gratificavit eam suo nuper Sponsus elogio, dicens : « Meliora sunt ubera tua vino; fragrantia unguentis optimis. » Quæ et illi velut gratias agens, hoc ei respondit elogio, dicens, « Oleum effusum nomen tuum, » acsi dicat, si mea laudanda sunt ubera, hoc tuo accessit præconio : quod enim meis profertur uberibus, hoc de tuo est, cujus nomen oleum effusum est. Qua nimirum responsione insinuat, fidem quæ in nomine Christi est, omnem fidem transcendere : et sicut oleum, quibuscunque misceatur liquoribus, omnes procul dubio transcendit et supernatat; sic fidem quæ Christi nomine signata et fundata, et apostolorum documentis est denunciata, omnibus quæ adversus hanc invensionibus jam dictæ sunt, vel forte poterunt inveniri, superesse et prævalere : unde et dicitur, « Nomen tuum est ut oleum, » id est, fides quæ in nomine tuo est, sic est ut oleum. Quod ut magis exprimat, adjicitur, « Effusum. » Hoc enim oleum toto quidem tempore, quo Verbum caro factum non est, non effusum extitit; quo, prævalente peccato, misericordia non obtinente, omne hominum genus inferi tenebris addictum est, et sub maligni dominatione detentum : at postquam satisfactum est iræ, venitque tempus plenitudinis et gratiæ, oliva illa fructifera, Deus, scilicet, Pater, a quo omnis boni origo est, columbam tanquam olivæ ramum ferentem emisit, filiumque suum per hunc incarnari constituit; et oleum de ramo hoc expressum, tam late per mundum effudit, quam latissime incarnatio hæc toti mundo multis variisque modis innotuit. Hoc innumeris unctione sua profuit; « Virtus enim de illo exibat, et omnes sanabat (*Luc.* VI, 19). » Hoc innumeros illuminando a cœcitatis tenebris ad fidem convertit. Hoc cœcis visum, surdis auditum, mutis eloquium reddidit, febrem fugavit, et paralytica membra restituit, et mortuos, vitalem illis restituendo spiritum, suscitavit. Hoc suis gressibus maris undas solidavit. Hoc panes duodecim ad novem millia hominum satianda ampliavit.

Quid iis enarrandis immorer? Joannem audiamus dicentem, « Sunt et multa alia quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros (*Joan.* XXI, 25), » id est, fidem adhibere eorum multitudini, quæ in libris sunt committenda, signorum. Hujus enim effusio olei mundum illuminat. Ecclesiæ faciem exhilarat, cibos aptat et præparat; ut sine hujus administione, suo vix cibo spiritus satiari præ-

valeat. Nam ut Paulus ait, « Sine fide placere Deo impossibile est (*Heb.* XI, 6). » Si enim sine charitate cuncta quæ mundi sunt offeram, me etiam ipsum ita ut ardeam, nihil sum (*I Cor.* 13). Si enim sine charitate id offerens, nihil sum; ergo sine fide id faciens, nihil esse prorsus invenior. In Marco, duo minuta vidua offerens, plus aliis qui magna offerebant dicitur obtulisse (*Marc.* XII, 44); hic per duo minuta, charitatem Dei, et proximi intelligens, in quibus offerens Ecclesia, plus illis offert, qui sine iis sua dantes, multa offerunt et disperdunt. Fides ergo Christi, sine qua nec charitas, nec bonum quodlibet haberi potest, illa est quæ cibos animæ condit, aptat, et præparat, ut in fide oblata placeant; et quantumcunque minima, magna tamen sunt, et a Deo magnum quidem regnum, scilicet, cœlorum obtinentia. Recte ergo dictum est, «nomen» Christi, id est, fidem ejus, in qua nos salvari oportet, « oleum effusum » esse, id est mundo communicatum, et virtutibus approbatum; propter quod sequitur:

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

Hinc enim amor adolescentularum excitatus est, hinc dilectionis origo extitit. Viderunt enim signa, viderunt et mirabilia quæ ei obsequebantur ad nutum; viderunt hominem in infirmitate positum, cuncta quæ sunt hominis, præter peccatum et ignorantiam, continentem, et ea quæ super hominem sunt, facientem; motique sunt, ut hunc super hominem crederent, quem quadraginta dierum et noctium jejunia sustinentem, aquam deinceps in vinum transmutantem, deinde in monte transfigurantem se, facieque in modum Solis resplendente, in vestimentis etiam candorem nivis exhibentem, cum mortuis colloquia habentem, Patremque de nube testantem, « Hic est filius meus dilectus, qui mihi per omnia complacet; hunc audite (*Luc.* IX, 35); » Sicque novissime manifesta suscepta morte immortalitate de ipsa triumphantem, sicque ad cœlos unde venerat redeuntem; quid nisi Deum credere, venerari, et adorare, et super omnia diligere, potuerunt? Hunc itaque « dilexerunt adolescentulæ, » id est animæ nuper ad fidem conversæ: qualem animam fuisse Petri in primis æstimo, cum dixit, « Exi a me, quia homo peccator sum, Domine (*Luc.* V, 8). » Piscatus fuerat tota nocte Petrus, et nihil prorsus apprehenderat; in ejus verbo laxavit rete, et multitudinem copiosam apprehendit. Adolescentulus extiterat Petrus, et libenter Dominum audiebat; sed hoc facto firmatus, in adolescentem excrevit, post in juvenem firmissimum, et sic in virum perfectum evasit. De Paulo etiam persecutore quid referam? qui nunc persecutor, nunc adolescentulus effectus est, illustrante eum Domino, et dicente, « Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris (*Act.* IX, 45). » Ad hanc statim vocem vere conversus est, A dicens, « Domine quid me vis facere? » (*ibid.*, 6) Si factus adolescentulus, audivit ab Anania verba quibus excrevit, quibus vir magnus effectus est, et totius Ecclesiæ murus, atque defensor, et propagator; sic infinitus credentium numerus, primum accedentes, et ab ipso vitæ verbum audientes, in modico primum allecti, deinde verbo plus illecti, ex quo signa et mirabilia intellexerunt, quibus nec resistere, nec contradicere poterunt, id verbo, id opere protestati sunt, nomen hoc solum adorandum esse, et præ cunctis quæ sub cœlo sunt, diligendum: unde subditur, « Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulæ dilexerunt te. » Sequitur:

3. *Trahe me post te.*

B Attendens itaque Sponsa adolescentularum gloriam, in qua per dilectionem susceptæ sunt; secundum quam, quæ fuerant adolescentulæ, jam reginæ censentur; et has considerans in hanc gloriam sublimari non potuisse, nisi traherentur a Patre, expandit sinum, dilatat orationem, orans pro se, ut ipsa in membris suis minimis pertrahatur ad Patrem; optans ut secum omnes occurramus in virum perfectum, et mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 13); unde et subdit quod sequitur, « Trahe me post te. » Sciendum est enim omnes quotquot currimus, in duas partes trahi, unam quæ dextra dicitur, alteram quæ sinistra. In sinistram trahitur, qui malis semper operibus implicatus, in iis vitam consumit. In dextram vero trahitur, cui bonus præest angelus, ostendens ei bona quæ faciat, et his consummandis semper intendat: unde ad Deum loquens, ait, « Post te, » id est, in iis qui tibi placita sunt, in quibus te præducem habeam, in iis me detine, nec aberrare me, vel alias deflectere me permittas: sic enim scriptum est, « Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum (*Joan.* VI, 44). » Ut ergo accedamus ad Deum, Patre trahente opus est, ut nos ipse præveniat, sic (11) ducem præbeat, et cum duxerit, ipse suscipiat. Item quoque scriptum legimus, « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia trahan ad meipsum (*Joan.* XII, 32). » Christus quidem a terra exaltatus est, cum in crucem est a terra levatus: item exaltatus est, cum terram deserens, in cœlo est ad dextram Patris collocatus: qua sui consideratione, vel in cruce positi, vel ad dextram Patris elevati, electa quæque trahit ad se, dum et se vitiis crucifigunt, et terrena non curantes, ad sedentem desuper in alta suspendunt. Alta namque petit, qui trahitur, et levare se super se totus intendit, virtutum montem coram se conspicit, et dum ejus ardua apprehendere nititur, in imo se quandoque conspicit, et miratur. Clamat itaque dicens, « Trahe me post te, » quia de valle hac non ascendo, nisi per te. Quod si porrectam tibi manum Dei senseris, et extractum de valle miseriarum, et de

C

D

(11) Forte *se*.

luto fœcis agnoveris, manum apprehende, tene, deosculare, et dic, « Non dimittam te, nisi benedixeris mihi (*Gen.* XXXII, 26) : » Illi gratias habe, qui vere deducet te, ut curras in odore unguentorum suorum : quod per simile dictum agnoveris. Currunt enim canes sagacitate narium, ut feras comprehendant, quæ dum fugiunt, odore sui densitatem aeris inficiunt, sicque viam sequentibus, qua comprehendantur, ostendunt.

Relatio quidem ista, dæmonum figura est : fugiunt enim qui tentantur, et sunt maligni spiritus, aut mali homines, qui sequuntur, ut fugientes ad mala pertrahant, et occidant, et de eorum mortibus glorientur, et se satient. Sic in mundo perficitur odibilis ista venatio, in qua auctor malitiæ spiritus cornu suggerit, voce monet, et ad suggerendum quod vult, homines malos spiritusque perversos admittit, et innumeros, tentationi non resistentes, occidit. Dei vero Spiritus longe in contrarium operatur : hic dat velle bonum, dat effectu peragere quod bonum est ; dat in iis oblectari quæ sursum sunt, et eorum quæ sursum sunt incessabiliter odore respergi. Divini Spiritus unctio quidem mirabilis, qui eam, quam perungit, pellem, habilem reddit et consutilem, et ad summi regis ornamentum præstat aptabilem. Hujus unguenti odore perfunditur, qui assidue in lege Domini meditatur, aptans sese, ut quibuscunque resistat noxiis, nullis se addicat peccatis, sanctorum se moribus applicet, hos imitando se sanctificet, et odore perfusus unguentorum spiritualium, in his semper gaudeat, securus oblectetur et quiescat. Obsecrat igitur in hunc modum, « Trahe me post te, » id est, Tu, ad quem non venitur nisi per te, mihi funem tui amoris innecte, quo pertrahar ad te, quo alias (12-13) divertere non sinat me. Ait enim Salomon, quia « funiculus triplex non facile rumpitur (*Eccle.* IV, 12); » quem si membris meis maligni manu innecti permiseris, ut cor meum cogitando mala pertrahat ad se, linguam meam hæc loquendo totam inflammet ex se, et corpus meum hæc agendo inclinet totum et divertat ad se ; quid mihi, nisi ut dicam illud apostoli? « Infelix ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII, 24.) Tu mihi, Domine, respondeas, « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*ibid.*, 25). » Hæc me tua, Domine, gratia liberet, quia fortis es et potens : in hoc prælio, tu funem ejus de manu potenti fortior eripias ; tu hunc abrumpas ; tu funiculum tuum triplicem totum membris meis annectas ; ut te intus corde sapiam, te et tua lingua denuntiem, et solum ea quæ tibi placita sunt, opere devotus adimpleam. Tu volentem me sequi te, a maligno potenter eripias, post te ambulare facias, ut cum ambulavero post te, non in incertum currere incipiam, sed coronam quam promisisti diligentibus te, per te huc tractus, apprehendam. Hoc quidem est quod sequitur:

Curremus in odore unguentorum tuorum.

Id est, erepti a maligno per te, ad bonum incitati a te, ad summum perducti trahente te, « curremus, » id est tota vita nostra proficiemus ; « In odore unguentorum tuorum, » id est, odoramento virtutum spiritualium, quibus tuos tangis, et ungis. Optans itaque bonis (14) dona, eosque ad meliora pertrahi desiderans, ait, « Trahe me post te ; » ut me volentem, et currentem, et toto corde desiderantem te, in hoc adjuves, ut beato tandem fine apprehendam te, et cursu bono consummato, secure jam requiescam, et delecter in te. Quia vero quidam nec currunt, nec apprehendere post te cursum volunt, hos tua dignetur visitatio, ut lumen eis veritatis aperias, et illuminatos ad te trahas, et dato eis fune charitatis, ad te perducas. Hos magnus ille Paulus significat, qui ante vocationem suam totus post Satan currebat ; sed postea, percussus a Domino, prostratus, et illuminatus est, et prædicator mirabilis effectus, fune hoc triplici alligatus, post Deum currens, gladio consummatus est. Sive itaque volentem, et potentem currere, trahas post te ut plus currat, et eo perveniat, quo pervenire non poterat, nisi per te ; sive nolentem, et impotentem currere, convertas, sicque data gratia illumines, ut et ipse apprehendat te. In odore bono « unguentorum tuorum, » id est, virtutum spirantium ex te, curremus, tibi referentes gratiam qui apprehendisti nos, et laudes referentes in gloria, ad quam nos tuo munere perduxisti. Sequitur ;

Introduxit me Rex in cellaria sua : exultabimus, et lætabimur in te.

Est edita superius oratio, qua dictum est, « Trahe me post te ; curremus in odore unguentorum tuorum. Quæ ne videatur inutilis, et sine fructu prolata, consequenter adjungitur, « Introduxit me Rex in cellaria sua. » Ecce enim jam tracta est, tracta quidem, et in ipsa Regis cellaria introducta. Quis vero dignius Rex appellatur, quam qui omnium habens jura regnorum, ea quibus vult, et quando vult, et quamdiu vult, distribuit ; et in iis mores hominum considerans, eos aut coronat pro meritis aut attendens insolentiam affligit digne pro commissis. Hic vere Deus est, qui uno cuncta regit imperio, qui ea quæ sursum sunt, et quæ deorsum continet, suum dans singulis esse creaturis, ut sint, et bene sint, et ipse super omnia dominans Deus. Hic est, quem desiderans hæc Sponsa, id est anima, vel Ecclesia, tota peccatis purgata, ejus jamdiu flagitavit osculum, ipsum quærens apprehendere, cujus jam sentit in se desiderium. Quod nimirum, quia summæ beatitudini prope est, differtur adhuc, nec datur osculum, donec anima, vel Ecclesia, ex creaturis intelligat, an elegerit dignum. Inde est, quod

(12-13) *qui alio.*

(14) f. *rona.*

aut per angelum, aut per virtutem aliquam, Sponsa hæc in cellaria Regis introducitur, ut ejus aut noscat opes, et ex opibus quis sit, qualisque, quantusque sit is quem desiderat, recognoscat. Quod advertens Sponsa hæc, et agens gratias, ait, « Introduxit me Rex in cellaria sua : exultabimus, et lætabimur in te. » Ecce quod in cellariis est, in cellariis exultat : et sunt quidem cellaria divini palatii pars aliqua, opes in se regis continens, et secreta. Regis vero palatium illud est, cujus meminit propheta, dicens, « O Israel, quam magna est domus Dei et ingens! locus possessionis ejus magnus, et non habet consummationem, excelsus, et immensus (*Bar.* III, 24, 25). » Hinc ejus attendamus palatium, quod utique tantum est, quantum creatura protenditur. Ejus longum, latum, et altum, omnis emetitur creaturæ dimensionem. Quod si mente procedas ulterius, audi Scripturam; ait enim, « Non habet consummationem, excelsus et immensus : » in omni quippe creatura Deus est. Sed nunquid cum creatura consummatus est Deus, ut ubi finem suscipit creatura, ibi finem sortiatur et Deus? Absit hoc, et ab humana procul intelligentia repellatur. Deus enim sicut immensus est, sic infinitus est, et æternus : quod si infinitus est, non est utique quod finem habeat; sed ubi terminum creaturæ constituit, ibi in simplicitate et puritate sua se suscipit : juxta quod in Evangelio testatur veritas, dicens, « Clarifica me pater apud temetipsum, claritate quam habui antequam mundus fieret (*Joan.* XVII, 5). » Erat quippe tunc Pater in Filio et Spiritu sancto, erat Filius in Patre et Spiritu sancto, erat et Spiritus sanctus in Patre et Filio, beatam complens Trinitatem, et unam sanctificans in substantia unitatem.

Hoc itaque regis palatium est; et sunt ejus cellaria, mansiones quædam cœlestes, quarum meminit Dominus, dicens, « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV, 2). » Quæ quidem mansiones, cœlestium virtutum habitationes diversæ sunt, et diversæ gloriæ, quibus secreto modo suo quem novit Dominus, easdem disponit et ordinat, ut in iis locum gloriæ et habitationis suæ sanctæ constituat. Hæc quis discernit et separat? horum contubernia quis dividit et dijudicat? Alta quidem est, et intellectu nostro incognita, incomprehensibilis illa omnium virtutum et angelorum inhabitatio, qui nobis invisibiles, stantes et stabiles in tentatione reperti sunt; et corruentibus iis qui mente contra Dominum elati ceciderunt, merito suæ constantiæ stabiliti, et Deo perpetua charitate conjuncti sunt. Quorum ut nobis nota sunt nomina, sic sunt virtutes incognitæ, cœlum et terram continentes, cuncta quæ fiunt in iis disponentes, vitam justorum moderantes, et quæ debentur malis supplicia non ignorantes : quorum numerum scit solus conditor Deus, qui hos creavit ab initio, et eorum perenni fruitur et jucundatur obsequio : horum naturam scit trinitas sancta, scit numerum

A in trinitate persona secunda, Dominus noster Jesus Christus, qui cum ad passionem duceretur, ait, « Converte gladium tuum in locum suum. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum (*Matth.* XXVI, 52, 53). » Quæ duodecim legiones septuaginta novem millia, et nongenti, et nonaginta duo, id est octoginta millia, octo minus inveniuntur. Aliorum vero nobis incognitus est numerus, qui inæstimabiles Deo laudes resonant, et iis occupati laudibus non fatigantur, aut deficiunt, sed harum frequentatione laudum potius delectari magis est; ut vel in ejus quam cernunt majestatis amore et agnitione semper proficiant, vel ad perfectum adducti, in eo quod jam diu adepti sunt,
B sine fine stabiles perseverent.

Hæ itaque mansiones cellaria sunt, in quibus introductam se dicit hæc Sponsa, ostendens se per angelum, aut per virtutem aliquam, harum informari exemplis; ut Deum contemplando, ipsum tota virtute diligat, et ejus laudem sine intermissione foveat, et non in temporalium et transeuntium affluentia delectari se, sed horum potius continua frequentatione ostendat, dicens, « Introduxit me rex in cellaria sua : exultabimus, et lætabimur in te. » Exultare enim, mente gaudere est, et lætari, gaudium quod interius est, signo quod fit extrinsecus, demonstrare. Ut itaque gaudium quod concepisse se nuntiat, Deo totum attribuat, adjungit,
C « In te : » vana est enim simul exultatio, et vana lætitia, nisi quæ fundatur in Domino : unde Psalmista ait, « Lætamini, justi, in Domino, et gloriamini omnes recti corde (*Psal.* XXXI, 11). » Itemque Psalmum inchoat, dicens : « Exultate, justi, in Domino; rectos decet collaudatio (*Psal.* XXXII, 1). » Ecce quæ lætitia et exultatio, quam laus utique prosequitur et gloriatio, tota quidem ex Deo est, cum Deus toto corde, tota anima, tota mente colligitur, cum cor tuum ad amandum proximum, sicut et ad teipsum, aperitur : et horum omnium remuneratio non in hac vita quæritur, sed in futura patientissime expectatur : unde et subditur;

Memores uberum tuorum super vinum.

Hic vero attendendum est, quod hæc exultatio et
D lætitia, tota ex memoria procedit uberum, quæ Sponsa, Sponsi ipsius ubera esse confitetur : quod, qua ratione verum sit, considerandum est. Sponsus enim, prima sui responsione Sponsæ respondit superius, Non est tua repellenda oratio, quia « meliora sunt ubera tua vino : » unde cum hic, Sponsus Sponsæ dicat esse ubera, et in sequenti, Sponsa Sponsi ubera esse profiteatur, illis aut eadem ubera esse necesse est, aut equidem assignare diversa : sed ne moram impedimenta faciant, ubera eadem Sponsi fore testamur, et Sponsæ. Hæc enim ubera, divina fore testamur eloquia; quæ quidem Dei sunt, ab ipso divinitus inspirata : sunt et Ecclesiæ, ipsi ad enutriendos et erudiendos populos, ex Dei gratia concessa. Ait igitur hæc

Sponsa : « Exultabimus, et lætabimur in te; memores uberum tuorum, » id est divinorum eloquiorum, quæ a te inspirata sunt, et a te mihi dante concessa. « Super vinum, » id est super intelligentiam omnium eloquiorum, quæ, ut vinum avertit animos, sic animam avertunt a te, et manibus detinent occupatam. Sequitur :

Recti diligunt te.

Quæ nimirum adjectio, supradictorum est commendatio. Nullus enim diligit, nisi qui rectus est, nec quis rectus esse potest, et non diligere. Rectus enim est, qui caput ad hoc erigit ad quod creatus est, illuc toto corpore extenditur, unde sibi esse, vivere, sapere, et intelligere, concessum est. Unde hoc cuiquam, nisi a Deo est? Ait enim Psalmus, « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Psal.* XCIX, 3). » Qui ergo se ad Deum erigit, rectus est, quia illuc procul dubio tendit, unde sibi ista adesse recognoscat : qui vero deorsum flectitur, qui ad mundum inclinatur, caput deorsum figens, pedes sursum erigens, monstro assimilatur, et curvus est ; de quo propheta ait, « Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem (*Psal.* XXXVII, 7), » ejus procul dubio plangens miseriam, qui sic a bono discedens, terminat in morte vitam. Nolens vero in hunc modum nos incurvari Dominus, mulierem in Evangelio decem et octo annis inclinatam, nec valentem sursum respicere, sanatam erexit, de infirma sanam, de curva rectam faciens; seipsum esse ostendens, cujus dilectio sanat, et erigit, rectos facit, et suscipit. Sequitur :

4. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.*

Sponsum suum hactenus Sponsa allocuta est, quæ est vel Ecclesia Dei, vel anima quæque perfecta, jam mundum nauseans, et Deum puro corde contemplans : hæc autem expetens osculum, ait, « Osculetur me osculo oris sui. » Quod quia nondum datur, sed in tempus illud defertur, quo post resurrectionem omnium, animæ corporibus ipsis coadunatæ, in quibus gratum Deo famulatum exhibuerunt, perenni jucundabuntur æternitate, et simul immortalitate donabuntur. Sed ei a Sponso responsum est : Quod petis osculum, nunc quidem non do, sed cum jam Deus erit omnia in omnibus, et fratrum vestrorum impletus erit numerus, tunc me donaturum promitto : ad quem fratrum implendum numerum, te quidem aptam considero ; et hoc ideo, quia « meliora sunt ubera tua vino. » Qua exhilarata responsione, iterum ipsum alloquitur, dicens, « Oleum effusum nomen tuum : » et item illud : « Trahe me post te, » ut tuorum uberum adjuta virtute, cum ea multitudine quæ deceat te, tandem perveniam ad te. Jam vero edocta quid agendum sit, et quod ejus uberibus populos enutriri oporteat, ut cum iis in salutem ampliata concurrat, præ oculis illud habens, « Melior est obedientia quam victimæ, et auscultare, magis quam offerre adipem arietum (*I Reg.* XV, 22); » obedit, et humiliata se convertit ad populos, dicens, « Nigra sum, filiæ Jerusalem. » Jerusalem vero, civitatem quis esse nesciat, quam præ omnibus elegit Dominus ut in ea doceret, et in ea verba vitæ ederet, in ea et ejus finibus miracula operaretur, quibus mundus obstupesceret, et mirabiliter per angelum inchoata in Nazareth, postmodum edita in Bethlehem, et in ea ad ultimum passione sua, et resurrectionis gloria, ascensione quoque, et sancti Spiritus missione, compleret. Hanc vero alloquens, dicit, « Nigra sum et formosa, filiæ Jerusalem. » Ejus vero dicit filias, omnes prædicatione Domini Jesu ad ipsum conversas animas; quæ vel ipsum corporaliter, vel ejus prædicationem antea per prophetas et justos alios, vel postmodum per apostolos, et eos qui fidem iis habuerunt, audire meruerunt : has filias nominat, quasi supplices, quasi parentes, nihil contra Patris gerentes imperium, fidem, ut sibi credita est, observantes, et in hac observanda usque ad vitæ terminum, spreta morte qualibet, constantissime perseverantes.

Quia vero, ut ait Salomon, « Justus prior est accusator sui, de se sumens exordium, ait, « Nigra sum. » Quod quidem testimonium, de se despicabile, plus attenditur, quam commendatione dignissimum. Quis enim Sponsæ decor est, si nigra, si fusca, si in visu horrenda Sponso appareat? si quæ fugit amor, hæc præsentet amplexibus; et quæ sequitur, quæ jucunde suscipit, his plane carens inveniatur. Attendendum itaque nigredinem hanc plus habere formæ in se, plus decoris, plus honoris, et honestatis, omni eo quod visus allicit, quod mortalium affectus in se rapit et distrahit : inde enim subditur, « Nigra sum, sed formosa. » Hanc nigredinem, spirituales operantur affectus. Sanctus enim Spiritus hanc inducit nigredinem : ipse Dei amorem infundit cordibus, contemptum dat seculi, caduca dat spernere, amare quæ æterna sunt : ad hæc affectus excitat, iis acquirendis laborat, in iis orat, in iis jejunat, in iis corpus assidue macerat, mundumque sibi, et se mundo contemptibilem parat. Hanc sibi nigredinem Dominus noster Jesus Christus affuturam declarat, dicens, Quia « oportet me ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis, et principibus Sacerdotum, et occidi (*Matth.* XVI, 21). » Quam quidem ejus nigredinem Evangeliorum textus denunciat, exsequens ea quæ sustinuit, quæ pro homine redimendo pati voluit; quamque novissime mirabiliter resurgendo, et sic in cœlos ascendendo, Spiritumque sanctum mittendo, in miram decoris formam transmutavit. Apprehendit et hæc nigredo Petrum ejus apostolum, cum Herodes illum quatuor tradens quaternionibus militum, captum detinuit, et vinctum duabus catenis in carcere fortiter alligavit; qui cum in mane producendus esset ad gladium, ipsa nocte edoctus per angelum, omnes pertransivit custodias, portam quoque ferream, quæ ultro sibi aperta est, angelo ducente, evadens, « Ad se reversus, dixit :

Nunc scio vere quia emisit Dominus angelum suum, et eripuit me, etc. (*Act.* XII, 11.) » Paulus quoque se hæc participare asserens, ait : « In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis super modum, in mortibus frequenter (*II Cor.* XI, 23). » Hanc itaque nigredinem, in Christo qui caput est totius Ecclesiæ, et in membris ejus præcipuis, Petro et Paulo idcirco assignavimus, ut hinc constet, quia omnes qui pie volunt in Christo vivere, necesse est ut persecutionem corporalem, qualem isti, vel qualem omnes per mundum late martyres invincibiliter pro Christo passi sunt, sustineant; aut certe spiritualem, qualem plangit apostolus, dicens, « Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII, 24.) Omnes enim nigredo involvit (15), vel qualis ex persecutione corporis est, vel qualis ex impetu animi reluctantis.

Ait ergo Sponsa hæc filiabus Jerusalem, quas erudiendas suscepit : filiæ Jerusalem, attendite quia « nigra sum, » ad omne quidem periculum, ad omne genus mortis suscipiendum prompta, ad omnem tentationem subeundam parata; ita ut « neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates (*Rom.* VIII, 38, 39) », nec cætera quæ sequuntur, quæ apostolus connumerat, « eam separare queant a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. » Tu quoque quæ filia Jerusalem dici desideras, me spectando, exemplum me tibi proponendo, sta, accedens ad servitutem Dei, ne facile movearis; quia ex hac nigredine indicibilis tibi forma decoris adveniet : sic enim scriptum est, « Nigra sum, sed formosa. » Quæ quidem forma hinc primo est, quod ad imaginem et similitudinem Dei homo creatus est; « ad imaginem, » ex ratione; « ad similitudinem, » ex virtutis imitatione. Nam si rationem quis habeat, et virtutem imitari desistat, imago quidem est; sed in qua placere possit, deest similitudo : de qualibus scriptum est, « Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum omni tempore; pœnituit eum (*Gen.* VI, 5, 6), » et delevit, non agnoscens imaginem deformatam, et non admissa similitudine in decorem. In tanta vero multitudine hominum quæ aquis deleta est, quot erant faciès, quæ secundum hominem dicebantur pulcherrimæ, ex apta Dei compositione! quot cæsaries altæ! quam profunda pectora! quam operationi patentes scapulæ! quot corpora ad usus bonos, si voluissent, composita! quot tibiæ! quot manus! quot brachia! in quibus si nil quæreretur, nisi quod extra pulchrum est, non utique involverentur aquis, aut raperentur ad infima. Sed ii omnes obvoluti peccati nigredine, in domum nigram, infernum, scilicet, nigredinis hujusmodi principi deputatam, demersi sunt, inibi experientes, quæ sit differentia inter denigratos peccato, et inter A hos qui pro Christo, passionibus, et his quæ passionibus comitantur, adstricti sunt. Hi strident in tenebris; aliorum gloria in luce est : unde et hic dictum est, « Nigra sum, sed formosa. » Ecclesia enim Dei nigra est, vel passione corporis, vel maceratione carnis, et spiritus attritione, quia Christum sequitur, quousque pertingat ad ipsum. Sequitur :

Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

Duobus præmissis, duo quoque sunt subjecta. Ei namque quod dictum est, « Nigra sum, » subjungitur id quod dictum est, « sicut tabernacula Cedar : » ei vero quod positum est, « sed formosa, » supponitur id quod dictum est, « sicut pelles Salomonis. » B Quæ sic posita sic intelligamus. Cedar namque filius fuisse Ismael intelligitur (*Gen.* XXV, 13), qui postquam adolevit, inter fratres suos habitare dedignatus, sibi solitudinem inhabitandam elegit, erigens sibi tabernacula, quæ aeris omnem inclementiam susciperent, et nullam vel æstus vel frigoris enormitatem devitarent. In iis Cancrum æstuantem sustinebat, in iis rigentem frigore Capricornum non metuebat, in iis occursantium sibi quorumlibet impetus sustinebat, et militantium arma confringens, eis et virtute corporis, et tabernaculorum soliditate resistebat. Ait igitur Ecclesia, vel anima quæque perfecta, se nigram esse sicut tabernacula Cedar, quia, sicut hæc nullis poterant occursionibus repugnari; sic et hæ, ab amore Dei, et cultu justitiæ C illius, nullis poterant minis, nullis poterant adversantium terroribus, aut flagellis averti : juxta illud beati Pauli, « Scio quod nulla omnino creatura separabit me a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII, 39). » Sequitur quod jam dictum est, « sicut pelles Salomonis. » Quæ quidem pellis, non ovium, non caprarum, non aliquorum omnino animalium intelligenda est; sed ipsa pellis Salomonis; de qua et alibi dictum est, « Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me (*Job* X, 11). »

Hæc itaque pellis est faciem ejus contegens, et cervicem, collum ejus muniens, pectus et brachia, vitalia quoque operiens, et reliqua corporis, quantum est, intra se claudens atque concludens. Salomonem vero, quis nesciat regem extitisse ditissimum, cui dedit Dominus cor sapiens et intelligens, in tantum, ut nullus ante eum sibi similis extiterit, quique regna omnia a flumine terræ Philistim, usque terminum Ægypti obtinuerit, offerentia sibi munera, et sibi cunctis diebus vitæ suæ servientia. Huic quid deesse potuit, quod sibi in victu et vestitus ornatu non obedierit? Summus enim decor, et summa formositas huic affuit; quem, nullo carere quo vita hominum adornari queat, quisquis bene sanus intelligit. Huic ergo pelli, Ecclesia sancta, vel anima quæque perfecta, recte se com-

(15) f. *obvolvit*, ut infra.

parat, dicens, « Formosus sum sicut pellis Salomonis ; » quia sicut in iis rebus humanis, nihil hac pelle pulchrius, nihil dignius intelligitur ; sic in iis quæ ad Deum sunt, nihil sancta Ecclesia, nihil anima perfecta ornatius, aut accuratius invenitur. Quod si quis altius speculationem erigat, potest per hunc Salomonem, magnus ille Salomon intelligi, Dominus noster Jesus Christus, qui in suo sanguine pacavit universa, qui fecit utraque unum, cœlestia et terrestria confœderans, ut in cœlis sit Deo gloria, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hujus pelli se conformat Ecclesia, et quæque fidelis anima, sperans certa spe, ut cum eo sit in beata immortalitate, immortalis futura, et æterna beatitudine in incorruptione donanda. Unde et sequitur :

5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.*

Ac si dicat, Nigra quidem sum, innumeris decolorata passionibus, horribilibus affecta tormentis : sed vos quæ filiæ vultis esse Jerusalem, nolite hoc attendere, nolite passiones meas ante oculos ponere, et has tanquam intolerabiles reputare. Quid Romæ in Petro per crucem passa sum, quid per Paulum in gladio, quid per Joannem in dolio, quid per Andream in Achaia, quid per singulos apostolos in mundi locis diversis, denique per Stephanum, per Jacobum in Judæa, quid per Polycarpum, quid per Dionysium, quid per Laurentium, quid per Vincentium, quid per Thebæam Legionem, quid per omnes mundum late martyres, sustinuerim, quomodo in iis decolorata sum, ne attendatis ; sed propter quid ista perpessa sum ; quem fructum per istam consequar ; quam beata donari me gloria certissima spe teneam. Hinc attendite, hinc considerate, quod hanc decolorationem ipse Sol justitiæ fecit in me. Hæc pro eo passa sum, qui So. est justitiæ, qui reformabit corpus nostrum configuratum corpori claritatis suæ, ut cum eo perenni vivam gloria, et beatitudine perfruar sempiterna. Sequitur :

Filii matris meæ pugnaverunt adversum me, posuerunt me custodem in vineis.

Nigram se fuisse dicit Ecclesia ; unde vero nigredo hæc primo contigerit, consequenter ostendit, dicens, « Filii matris meæ pugnaverunt adversum me. » Hos matris suæ filios dicit, ex Abraham, et Isaac, et Jacob stirpe progenitos ; qui cum omnes filii hominum toto orbe terrarum, in lævam partem declinarent, ut adorarent idola, et iis sacrificarent, id facere renuerunt, sed potius in fide unius Dei, qui cuncta creaverat, per quem cuncta consistunt, stabiles, immobiliter permanserunt. Hos in hoc, matris suæ, id est divinæ gratiæ, filios fuisse protestatur ; quos, mundo perperam declinante, ab ejus revocavit erroribus, et hac in fide stabiles sibi, tanquam filios, conservavit : quibus cum tempus gratiæ per prophetas multipliciter revelatum fuisset, et postmodum inter eos, nato de cœlis Domino, evidenter signis et virtutibus apparuisset, hunc tamen suscipere, huic credere, ejus prædicationi, innumeris licet virtutibus declaratæ, fidem adhibere renuerunt : sed in lege per Moysen data stabiles esse deeernentes, hunc post signa, et virtutes, et miracula, per manus discipuli sui traditum, apud judicem innocentem accusare, sibique datum accipere, et omnia innocenter sustinentem cruci affigere voluerunt. Hanc vitam resignantes, dati sunt in sensum reprobum, et eam recipientes potestatem acceperunt, ut sint filii Dei : juxta quod in propheta dictum est, « Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam meam, dilectam ; et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in hoc loco, ubi dictum est eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi (*Ose.* I, 10, et *Rom.* IX, 25, 26). » Hos vero dudum matris gratiæ filios, dum adhuc status ille maneret, dum in suspenso forent adhuc prophetiæ, cum nondum signa, nondum virtutes declaratæ ; nunc vero nequaquam filios, sed hostes acerbissimos, et homicidas impuros se dicit impugnasse Sponsa hæc ; ut capite confracto, confringerentur et membra, et Christo sublato, ut sperabant, de medio ejus ad purum Ecclesia tolleretur.

Hoc in Actibus Apostolorum plane ostenditur, ubi « Exurgens Princeps Sacerdotum, et omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo ; et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica (*Act.* V, 17, 18) ; » et his per angelum potenter ereptis, cæcis postmodum denuntiaverunt, ne omnino loquerentur in nomine Domini Jesu. Hi vero, divinæ gratiæ dudum filii, nunc ab offerente se gratia plene reprobi pugnam fecerunt adversum me. Sed novi populi fidem suscipientes, verbumque Dei, Deum verum, et hominem factum confitentes, huic se corde subdentes, me, quæ a primo Abel extiti, quæ cum Henoch Deum habere promerui, quæque omnes justos quibus hæc gratia revelata est, in me suscepi, me sibi custodem in vineis posuerunt, quas orbe toto longe lateque constituerunt. Hos nimirum vineas dicit Ecclesia sanctas, quas in suo sanguine, qui fidem Christi susceperant, plantaverunt, et in ejus gloriam consecraverunt. His præposita Sponsa hæc, dicit, se custodem positam fuisse in vineis : quibus, etsi custodiam quantam potuerit adhibuerit, se eas tamen non custodiisse confitetur. Quod ad opinionem hominum dictum intelligimus : nam qui gladio consummati sunt, qui igne consumpti sunt, qui quæ potuit excogitare mundus, suppliciis absumpti sunt, quis hos digne custoditos intelliget ? Secundum opinionem hanc, dicit hæc Sponsa :

Vineam meam non custodivi.

Hoc est, a suscipiendis pro Christo tormentis, non prohibui : quos tamen in vitam æternam, ubi non sunt pericula, sed solum æterna gaudia, jam præmisi. Huic consequenter annexum est :

6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.*

Hæc enim Sponsa Sponso suo confessa est, quod licet posita custos in vineis, eas vel eam propter unam fidei charitatisque dilectionem, « non custodivit, » id est, a fervore subeundæ passionis non compescuit; sed eas exhortando et animando, ad promissa sibi cœlorum gaudia certissima spe transmisit. Hinc quo certior efficiatur, et de spe illa nemo sibi dubius habeatur, emittit orationem dicens, « Indica mihi ubi pascas, ubi cubes; » prænisso tamen hoc, « Quem diligit anima mea. » Solet enim mos esse supplicantibus, ut cum dari sibi vel fieri quidquam supplicaverint, prætendant aliquid, sive porrigant, unde faciem ejus cui supplicatur, sibi pacatam fore intelligant : unde, quia in donis cœlestibus nihil charitate eminentius, nil quod dari possit dilectione charius invenitur, suam quæ postulat prætendit dilectionem, dicens, « Indica mihi, quem diligit anima mea; » ut quod postulat, postulanti simul, et diligenti non negetur. Quid enim Deo charius? quid animæ nostræ dilectione acceptabilius invenitur? Percurras omnia quæ in mundo sunt, nil huic comparabile, nil Deo, tam acceptabile quod offeratur, tibi occurret. Mundum enim, et omnia quæ mundi sunt, creavit Deus; sed qua de causa? ut esset quidem habitatio hominis : hominem vero hic qua de causa constituit? ut ei pareret, et ei ex dilectione animæ obediret. Finis igitur et causa creationis rerum hic est, ut Deum tota anima diligamus, illi in omnibus placeamus, ei indivisibiliter adhæreamus : juxta quod dictum est, « Qui conjungitur Domino, unus spiritus est (*I Cor.* VI, 17). »

Hæc igitur Sponsa conjuncta Deo, habens omnes, quæ sunt et quæ futuræ sunt, animas conjunctas Deo, illa, quam dictat nobis Paulus Apostolus, unitate, quid rogare Sponsum potest, quod deneget? super quo potest interpellare, quod non exaudiat? Ait ergo, « Tu quem diligit anima mea, indica mihi ubi pascas. » Quod breve verbum, quam late possit extendi intelligimus, si Dominum omnium quæ longe lateque pascuntur, pastorem recte cognoscimus. Ipse enim ait, « Ego sum Pastor bonus; Pastor (*Joan.* X, 11), » inquam, « bonus, » per quem nec ales esurit, per quem nec omnia quæ cibo sustentantur alieno esuriunt. Sed quid ad nos de eorum pastu inquirere, qui cum ipso donante pascantur, nec agunt donanti gratias, nec, ut has referre noverint, donantis gratias perceperunt? Homines itaque sunt quos pascit Deus; quibus subdit omnia quæ in mundo sunt, oves et boves, universa etiam pecora campi, volucres cœli, et pisces maris. Quorum, quidam hæc dona Dei digna gratiarum actione percipiunt; alii vero non attendentes quæ sint, aut unde sint, aut qua de causa data sint, hæc omnia fortuita velut occupatione comprehendunt; nec quis auctor eorum, aut quis dator, ulla ratione cognoscunt. Hos igitur omnes cum pascat Deus, penes eum est, quos aut digne pro sua gratiarum actione remuneret, aut indignos a sua mensa æterna damnatione rejiciat. Sed quid ad nos ista tractare, cum hæc corporalia sint, et hæc Sponsa Dei spiritualia? plus intendat inquirere, dicens, « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas. »

Spirituale igitur pabulum quærendum est, quo Sponsum pascere dignum sit, et quo pasti, spirituales efficiantur. Panis enim quidam corporalis est, quo corpus alitur; et est panis quo spiritus enutritur. Panis quo corpus alitur, aratro procuratur et sarculo : panis quo spiritus enutritur, desursum ministratur e cœlo. Est enim panis vitæ, Scriptura sancta, a Patre luminum divinitus inspirata; et est panis vitæ, virtus unaquæque perfecta : est panis vitæ, corpus Christi, nobis in sacramentum et sanctificationem concessus. Hi panes sunt, quorum meminit propheta, dicens filiabus Sponsæ, « Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus (*Psal.* CXXXI, 15). » Sion enim, « specula, » Ecclesia sancta est, de sublimi virtutum specula contemplans assidue Dominum Jesum, et ejus pavide et sollicite præstolans adventum. Hujus pars quædam, jam cum Domino glorificata gaudet in cœlis; quædam adhuc exilium sustinens, a Domino peregrinatur in terra : juxta partem hanc, vidua est, quasi a viro suo, Domino, scilicet, Jesu separata, qui in regionem longinquam abiit, quando cum assumpti corporis veritate cœlos penetravit, et in die plenæ lunæ, id est glorificationis futuræ, reversurus. Hanc viduam Dominus benedicens benedicit, modo, scilicet, duplici (16) benedictione; dans ei gratiam in via ne deficiat; dans tandem gloriam in patria, ut a laboribus requiescat. Pauperes vero ipsius panibus reficit, qui pauperes spiritu sunt; qui licet, in peregrinationis suæ solatium, temporalia quædam possideant, ad hæc tamen animum non inclinant, sed ad datorem omnium amorem sursum erigunt, et affectum. Hos panibus jam dictis reficit, pane scilicet, scripturarum, pane virtutum, pane sacramentorum, pane, scilicet, candidissimo, qui est panis angelorum; de quo dictum est : « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII, 25). » Hi panes sunt, quorum sermo meminit Evangelicus, dicens, « Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, dicens, Amice, commoda mihi tres panes; quoniam amicus meus venit ad me, et non habeo quod ponam ante illum (*Luc.* XI, 4, 5). »

Bene amicum suscipit, qui ipsum hoc pane triplici reficere et honorare intendit. Panis itaque scripturarum in iis panibus primus est, eo quod in spirituali profectu primum est, nosse in quem credas, et quem diligas; secundum, illi confor-

(16) f. *et*.

mari quem amas; tertium, in hoc ipso confirmari, ne respicias, ne recedas. Per scripturas itaque cognoscimus, per virtutem conformamur, confirmamur vero per sacramentum. Pane scripturarum illuminamur ad fidem, ut postmodum confirmemur ad virtutem; unde scriptum est, « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis (*Psal.* CXVIII, 130). » Est enim verbum quod auditur prolatum, et est verbum quod permanet natum : ex declaratione vero verbi quod auditur prolatum, concipitur intellectus et cognitio verbi quod semper permanet natum; hic est Christus Jesus Dominus noster; cujus fides certe concipitur, cum verbum Dei, scriptura sancta, sobrie et fideliter aperitur et exponitur. Scriptum quippe est, quod « cognoverunt eum in fractione panis (*Luc.* XXIV, 35). » Evangelica patet historia : Dominus cum discipulis gradiebatur, nec quidem cognoscebatur, qui hospitio ab eis susceptus est, et tandem in fractione panis est cognitus. O beata fractio qua Christus cognoscitur! qua Christus in suorum corde concipitur! Panis itaque scripturarum primus est; quod etiam revelat Dominus, dum faciens miracula, quinque millia hominum, quinque panibus; quatuor vero millia, septem panibus reficere dignatus est. Scriptum namque est, « Cum, acceptis quinque panibus, aspiciens in cœlum, benedixit, et fregit, et dedit discipulis suis panes, discipuli autem turbis (*Matth.* XIV, 19). » O admiranda benedictio! quæ panes dum frangit, non minuit, auget cum distribuit; multiplicat cum in multorum refectione consumit : quod pani corporeo innaturale est, hoc redigit in naturam. Pentateuchum tradidit apostolis, præcipiens ut frangant, et omnibus distribuant, ut omnes saturentur ex iis, et expositorum maneant multæ reliquiæ : sic et Heptateuchum benedicens, frangi præcepit populis, et ex hoc sportas expositorum quamplures impleri. Huic enim pani natura est, ut cum frangitur, et distribuitur, et in multorum correctione communicatur, augeatur semper; et unde videtur minui, inde potius dilatationem et incrementa suscipiat. Pentateuchum vero, id est quinque libros Mosis, et Heptateuchum, quæ sunt quatuor Evangelia, apostolorum epistolæ, et Actus eorum, quos scribit Lucas, « Paulus etiam apostolus (17). » Hæc suis exhibet Dominus, ut sint hæc quasi semina, et multa ex his fruges oriatur, quibus tota cohærens Deo multitudo pascatur, et plene reficiatur. Virtutum vero panis est, cum ex audito verbo virtutem mente concipimus, et in ea firmi et stabiles permanemus; cum vitiorum dedecus propulsantes, hæc mortificamus opere, declinamus sermone, cogitatu formidamus attingere. Sic fit virtuti locus in mente; ut quod ambitio late complectitur, id pro Christo contemnatur; quod incontinentia suggerit, « in castitate perimat (18); » quod extollitur per superbiam, id humilitate frangatur; A et omne late vitium potenti charitatis imperio procul pellatur. Hujus meminit Psalmista dicens, « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI, 4). » Nam cum amorem Dei diceret præferendum sæculo, respondebatur ei, ut hoc manifesto panderetur miraculo; dicebant enim, « Ubi est Deus tuus? » (*Ibid.*) Qua audita cordis duritia, ad lacrymas propheta convertitur, pro iis orans ut emolliantur, ut tandem convertantur; has quidem lacrymas pro panibus habens, et sibi refectionem existimans. Meminit ejusdem dicens, « Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum; quia oblitus sum comedere panem meum (*Psal.* CI, 5). » Nam nisi panis hic virtutum assidue comedatur, ut eo quis roboretur, falce peccati percutitur, et ejus B viror decidit, et illico flos ejus emarcescit. Idem namque propheta replicat dicens, « Tota die exprobrabant mihi inimici mei (*ibid.* 9-10); » et quare? « Quia cinerem tanquam panem manducabam, » id est, peccato, quasi virtute oblectabar. Hi panes sunt, quos in alveolo intriverat Habacuc (*Dan.* XIV, 32), ut eos deferret messoribus, quem in capillo suo tulit angelus Domini, et in impetu spiritus sui posuit eum in Babylone, ut eos deferret Danieli. Hos enim panes virtutum in cordis sui alveo contriverat ille Daniel; et ibidem, quæ, et qualia, et quanta posset virtus experiebatur. Panis hic ille est, qui Eliæ fugienti a facie Jesabel, ad caput est positus, in quo sibi dictum est, « Surge, comede; grandis enim restat via. Surrexit ergo, et comedit, ambulavitque C in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb (*III Reg.* XIX, 7, 8). » Hic itaque panis ille est, quem flagitamus quotidie, dicentes, « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Luc.* XI, 3); » quia absque hoc pane virtutis et gratiæ, ad panem sacramenti quemlibet accedere injustum est, aut pervenire. Hic vero tertius ille sacramenti panis, quem de se, modo mirabili Dominus efficit, quem Ecclesiæ suæ in vitam communicandum concedit, cui cum quis credendo pariter et edendo non communicaverit, haud dubium, quod vitam æternam habiturus minime sit.

Hæc itaque de pastu Sponsi dicta sufficiant; quem D si sic intelligimus, ut vel pastum præbeat, vel pastum ipse suscipiat, nihil refert; cum iis panes hos prædicando distribuit, vel panes eosdem credendo et amando suscipiunt; ipse unus et idem sit, qui pascatur et pascit, et in iis, velut in membris suis fidelibus, delectetur et quiescat. Unde enim subditur, « Ubi pascas, et ubi cubes, » eo quod in his cubile suæ quietis habeat, quos aut iis pascit panibus, aut qui eisdem panibus, doctore fideli verbum ministrante, reficiuntur. Hoc enim adjungitur, « In meridie. » Meridies etenim, dies medius dicitur, quo sol lucet ferventius, et dies solito serenior illucescit. Suus itaque unicuique meridies est, cum

(17) Joannis etiam Apocalypsis.

(18) f. *id castitate perimatur.*

oblitus temporalium, spiritualia jam mente percurrit; et corporalium immemor, ea quæ sunt spiritus, mente (19) oculis anteponit. Hinc Stoicorum, Epicuræorum, Peripateticorum dogmata, hinc multa studiosorum figmenta prodierunt, qui summum bonum via sibi nondum propalata, alius sic, alius vero sic statuentes, Christum ducem non habentes, in sua quique meridie erraverunt. At vero Abrahæ in convalle Mambre sedenti (*Gen.* XVIII, 1), in ostio tabernaculi sui, in fervore diei, ut scriptum est, apparuit Dominus; eique unitatem substantiæ, in qua vere est, et trinitatem in personis evidenter ostendens, hunc veræ fidei professorem demonstravit. De quo in Evangelio Dominus, « Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est (*Joan.* VIII, 56). » Tunc enim diem trinitatis ejus manifeste conspexit, cum ipsum in trinitate personam tertiam, et Deum unum in ipsa trinitate intellexit. Sic enim scriptum est, quod « apparuit Dominus sedenti in tabernaculo (*Gen.* XVIII, 1), » in quo unitas substantiæ demonstratur : cumque aperuisset oculos, « apparuerunt tres viri » (*ibid.*, 2); ecce mysterium Trinitatis. Quibus cum postea dictum sit, « Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum (*ibid.*, 3, etc.); » ecce mysterium Unitatis. « Sed afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros; ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum : postea transibitis : idcirco enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt, fac ut locutus es; » ecce mysterium Trinitatis. Et post hæc, omnia sub mysterio Trinitatis comprehenduntur, usque ad illud, « Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite (*ibid.*, 10). » Hæc nobilis illa meridies est, in qua cubat Dominus, in qua requiescit : sicut et illa Moysi (*Exod.*, 12), qua in agni sanguine populum Dei de Ægypto educendum intelligit : sicut et hæc novissime, qua se Dominus præfigurans apostolis, faciem suam in modum solis, et vestimenta in candore nivis ostendit; etiam vox de cœlo sonuit, « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* XVII, 5). » De hac ait hæc Sponsa, « Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie, » id est quæ sit illa meridies, « Ubi cubes, » id est ubi quiescas, et locum tibi quietis et pausationis intimæ præparas; « Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. » Vagari dicitur, qui non uno mentis suæ sensu tenetur, nunc unum approbans, nunc aliud de eadem re sentiens, nec certum sibi quid statuens ut in eo maneat, et sibi credulitatis suæ fundamenta constituat. Quod ne sibi contingat, exigit hæc a Sponso certiorari, quænam sibi meditatio placeat, quæ de se sentire, vel aliis prædicare debeat, ut in iis perseverans, post greges sodalium suorum non discurrat, nec eorum numerum augeat, qui se Domini sodales bona de eo quædam sentiendo construunt, alia vero pessime mentiendo contradicunt. Sequitur:

(19) f. *mentis*.

7. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere.*

Edocta Spiritu sapientiæ Sponsa hæc oravit ad Dominum, ut suo hanc doceret Spiritu, ubi pasceret, ubi sibi cubile in meridie eligeret. Postmodum vero paulisper elata spiritu, subjungit quod dictum est, « Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. » Unde minas videtur intendere, quod nisi fiat quod postulat, ipsa se alienorum gregi immisceat. Quod attendens Dominus ipsi elatæ paululum simul et paulisper iratus effertur (20) juxta quod dictum est, « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris; et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris (*Psal.* XVII, 26, 27). » Dominus enim, ut sancto sanctus, innocens innocenti, electo electus; sic justissime perverso perversus invenitur. Unde dicenti, « Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. » Respondet Dominus, « Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere. » Attendendum vero est, quod dicitur, « O pulchra inter mulieres! » Hanc enim in Sponsam elegit sibi Dominus, ut cum ipso sit, cum ipso maneat, cum ipso sibi comitatum bonæ fidei gerat, nec ab eo unquam cujusquam perversione discedat : pulchra igitur est, quæ sic elata est, sic dilecta, ut aliis in muliebri statu permanentibus, ipsa in Reginæ thronum electa sit, et super omnes principatum habens, constituta. Sunt autem et hæ mulieres, inter quas hæc electa est (quarum hæc comparatione decora, immo admiranda videtur) omnes Ethnicorum animæ, Publicanorum, Judæorum, non sequentium legem, et Christum non confitentium, Christianorum etiam, qui verbis confitentur, nosse se Deum, factis autem negant. Ut hoc ergo sibi in memoriam reducatur, dicitur, « O pulchra inter mulieres, si ignoras te. »

Grande quidem periculum est animæ perfectæ, vel sponsæ electæ, ignorare se : hoc quidem ignorare, quod a summo Patre omnium Deo, ex nihilo creata sit, et tamen ad ejus imaginem et similitudinem formata, « Imago » quidem est (ut supra diximus) ex ratione, sciens quid justum sit, quid injustum sit, quid agendum sit, quid declinandum, quod sibi fieri non vult, hoc proximo denegandum, et multa hujusmodi : quæ omnia observans anima, ejus a quo creata est plene exprimit et observat imaginem. « Similitudo » vero est, cum fide susceptæ procedit ulterius, eligens sibi virtutes, quas diligat, quas foveat, quibus ei a quo creata est, jure complaceat, et omnia hæc mente et actione collecta, charitate consummata, donet et offerat. Est præterea quod ad imaginem et similitudinem Dei creata dicitur, quia sic quidem creata est ut nunquam esse desinat; sed in perpetuam æternitatem manens consistat, perpetuo retinens bonum quod de manu Domini virtute promeruit, aut certe malum, si merita illud exegerint. Est et aliud in quo se ignorare non decet Sponsam, sed ejus per-

(20) f. *fertur*.

petuam justum est retinere notitiam, quod is qui ante secula Deus semper, et non homo, ob hanc redimendam et reducendam, et in Sponsæ dignitatem sibi coaptandam, pro ea factus est homo, mortalis de immortali, passibilis de impassibili, corruptibilis de incorruptibili, et ea quæ longa Evangeliorum explicat series passus omnia sustinuit, ut hanc ad Patrem reduceret, et in gloria secum glorificaret. Hanc quis enarret gloriam? quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparavit Deus diligentibus se. Hæc si ignorat anima aut Sponsa dilecta, quid restat nisi ut dicatur sibi, « Egredere, » quasi a meo recede collegio, « Et abi post vestigia gregum, » passus illorum quos greges tibi nominas, id est dicta eorum et sententias prædica, et undequaque annuntia : et pasce hædos tuos? Ecce quis sibi fructus eveniet, si de bonorum collegio egressa fuerit, si male gradientes audierit, si, quod ipsi prædicant et docent, annuntiaverit. Quis fructus hic? quia pascet « hædos suos, » id est motus carnales, lascivos et fœtidos; hos pascet, laxando fræna luxuriæ, et vitiis omnibus (*Matth.* XXV, 41), ut in eos crescant hædos, quos in sinistra positos die ultima Dominus in supplicium est missurus æternum. Sequitur :

Juxta tabernacula pastorum.

Pastorum quidam boni sunt, qui oves suas ad vitam erudiunt, et, si necessitas exigat, pro iis mori non desistunt : horum exemplar optimum Jesus Christus Dominus noster. Sunt et alii, qui commissos sibi greges in mortem prave docendo pertrahunt : et in hoc sibi tabernacula, velut auditoria quædam in quibus solemniter possint audiri, defigunt. Commotus itaque Sponsus, dat Sponsæ elatæ consilium; ut, si boni pertæsa consilii, tentat effugere, juxta horum tabernacula tentet sibi tentorium figere, et docere, ut quos par reatus ligat in culpa, par quoque torqueat cruciatus in pœna. Sequitur :

8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.*

Quod amantis est agit hic Sponsus. Quam sibi in Sponsam elegerat, hanc commendavit verbis, delinivit obsequiis, ampliavit promissis. Quæ promissa suscipiens, dum prono fertur desiderio, paulisper excessit in verbo, dicens, « Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. » Verbum quidem, quod nec cogitare debuerat, etsi cogitatione præsumptum fuerat, dicendo tamen aperiri fas non erat. Ad verbum hoc paulisper commotus Sponsus, unde gratiæ referri debuerant, inde sibi minas intendi designans, moderate responderit, verbum iræ dicens, « Si ignoras te, o pulchra, egredere, » et abi, horum vestigia prosequens quos tu tibi pastores nominas; cum quibus quia mihi nulla communio est, a meo tibi recedendum erit collegio. Sponsa vero, verbum suum graviter a Sponso suscipi intelligens, ingemiscit, et condolet; et quia verbo offenderat, verbo vel quicquam efferre contremiscit. Quod ubi Sponso, vel interveniente Angelo, vel eo quo scit omnia modo, innotuit, virum oblitus Sponsum induit, dolenti condoluit pœnitenti illico commissa remisit, memor ejus quod dictum est, « Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (*Psal.* XXXI, 5). » Igitur abstersis odiis, ira summota, ut ea quæ nunc dicta sunt amoveantur a memoria, et in statum pristinum revocetur hæc Sponsa, illam verbo amicabili convenit, verbo quod nondum audire promeruit, dicens, « Amica mea; » sic innuens, sibi jam in te gratum esse totum quod erat a gratia immiæ- tum. Ait ergo, « Amica mea, assimilavi te equitatui meo. » Hic vero quis equitatus Sponsi intelligitur, nisi qui pro Sponso fortiter ubique pugnant, et victorias ejus, cœlo et aere, terra marique dilatant? Hæc Angelorum illa multitudo est, quæ primo cum agerentur prælia, cum dixit superba cohors, « Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14), » suo concorditer adhæsit principi; illi qui se creaverat dans honorem et gloriam, exturbatori resistens, ad omnem ejus confusionem et ignominiam. Hunc itaque de cœlo dejectum, ab ea quam dudum sperare poterat gloria, irrevocabiliter alienum in infernum dejicit, loca ei horroris et vastæ solitudinis inhabitanda committit, ut nulla eis pateat egressio, nisi quam divina dat dispensatio; ut hinc egressio, aut electos probent, aut ad damnationem præscitos apta sibi tentatione præcipitent. Hinc Dominus Jesus, et præcipua ejus membra, Petrus, et Paulus, et apostoli omnes, cunctaque per mundum millia ipso instigante, et in malorum cordibus immittente, cruci, et gladio, aliisque passionibus innumeris addicti sunt, ut horum tentationibus probarentur, et nec ipsa morte devicti, in æterna gloria susciperentur. Ait enim Joannes, « Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ (*Joan.* XIII, 2) : » et Dominus in Job, « Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serva (*Job* II, 6). » Ecce, quod in capite sibi potestas data est, et in membris ejus optimis. Nam quæ sibi in Job potestas data est, eadem sibi in Petro, et in Paulo, aliisque per mundum electis omnibus, concessa potestas est; ut eos aut morte tentaret, aut carne deprimeret, animas tamen eorum illæsas ipse custodiret. Sic in iis victoriam obtinens equitatus Dei, eumdem et in homines exercuit, eorum fraude contaminatos primo aquis submergens diluvii, postquam civitates peccato additas (21) sulphure perdens et igni; postmodum vero in filios Abrahæ, sævientem Pharaonem plagis durissimis exercens Dominus, cum necdum resipisceret, in illum, mare cum curribus et equitibus ingressum, ut ambulantes per siccum in

(21) f. *addictas*.

medio maris filios Israelis apprehenderet, immisso equitatu cœlesti, vindictam Domino exercuit, et tam regem ipsum quam principes, currus, et aurigas, et equites, aquis ad locum pristinum ipsorum ministerio reductis, absorbuit; sicque suum populum gloriosa victoria liberavit.

Hoc itaque est quod Sponsus ait, « Amica mea, assimilavi te equitatui meo, in curribus Pharaonis, » id est, dum angelicus comitatus in subvertendis curribus Pharaonis occuparetur; te illi meo comitatui similem constitui, sic agens pro te, sic pugnans pro te, sic eruens te, tanquam equitatui meo participem semper habere volens te. Juxta quod Judæis a Domino dictum est, « Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo (*Matth.* XXII, 29, 30). » Quantum vero est, assimilari iis, quorum ea virtus est, ea potestas, quæ demonstrata est in Lachish, in exercitu Sennacherib (*IV Reg.* XIX, 39), quo minas intendentè in Jerusalem factum est, ut ea nocte veniret Angelus Domini, et percuteret de castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum, ad liberandam Jerusalem. Quod si uno percutiente Angelo, tot hominum millia prostrata sint, quid fieret si totus in terram Dei equitatus insurgeret? nec unum quidem ex reprobis superesse contingeret. Ait enim Dominus, cum eum apprehenderet profana gens, et Petrus ad hunc defendendum gladio servum Principis percuteret: « Mitte gladium in vaginam. An putas, quod non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum? (*Matth.* XXVI, 52, 53.) » Qui quidem numerus octoginta millia continet, octo minus: etiam in defensionem Elisei multa quidem millia missa sunt, quæ, orante Eliseo ut aperiret Dominus oculos pueri, ipsi puero sunt demonstrata: sic enim dictum est, « Ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum, in circuitu Elisei (*IV Reg.* VI, 17). » Hic itaque equitatus est Dei, in quibus pugnat, quibus sua exercet mysteria (22), quibus Sponsam, quam ex hominibus elegit, assimilat, eamque sibi in decore, potestate conformat, et virtute. Ait itaque, « Amica mea, assimilavi te, » id est, in prædestinatione mea, jam similem te feci, « equitatui » meo, id est, Angelis meis, quos ad exercendas ultiones meas ad bella mea, ad ea quæ hominibus valde videntur gravia, transmitto, ut in curribus Pharaonis nuper ostensum est. Sequitur:

9. *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis: collum tuum sicut monilia.*

Ait Sponsus ad Sponsam, ut eam deliniat, ipsamque sibi in omnibus pacatam reddat, nec ad hædos suos pascendos aliquatenus resilire permittat, « Assimilavi te, amica mea, equitatui meo, » id est, collegio meo similem te in omnibus in prædestinatione constitui. Quia vero quod prædestinatum est, id actu impleri necesse est; ut cœlesti digna efficiaris collegio, oportet ut qui in tuo corpore locum genarum obtinent, sic quasi genæ turturis sint, et hujus in se volucris quasi similitudinem repræsentent. Hujus enim volucris hæc natura est: uni pari jungitur, quo interempto alteri non sociatur: sedet in ramis arborum jam emortuis, foliis fructuque carentibus: ibi gemit, et gemitum pro cantu emittit. Quos itaque in corpore suo velut genas habere hæc Sponsa intelligitur, hos genis turturis similes habere præcipitur. Sunt enim genæ quæ cibum masticant, mandunt, et minuunt, et aptum ut in corpus trajiciatur, efficiunt. Hi, sancti scriptores sunt, qui Dei verbo edocti, scripturas sanctas mente concipiunt, seseque iisdem reficiunt, easque in usus Ecclesiæ sanctæ communicando, ipsam nuptiis habilem, Deoque charam, et æterno dignam connubio reddunt. Hi se pari junctos intelligunt Jesu Christo Domino nostro, « qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Phil.* II, 6, 7). » Huic tanquam pari se jungunt, huic adhærent, hunc diligunt; et cum in cœlum jam ab eis sublatus sit, « Nullum aliud nomen sub cœlo esse, in quo salvos fieri oporteat homines (*Act.* IV, 12), » asseverant et adstruunt. Hi in ramis considentes emortuis, quia quos mundo mortuos, viventes autem Deo considerant, in iis oblectantur et quiescunt, quos nec mundanæ sapientiæ folia vestiunt, nec mundani fructus oblectant, qui cito marcescunt et pereunt. Hi vero gemitum pro cantu emittunt, gementes se eo carere quod appetunt, et Dominum Jesum non apprehendere quem concupiscunt. De iis in unum collectis dictum est, « Beatus cujus in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur (*Psal.* I, 1, 2, 3). » Hæc divinæ legis scriptoribus assignantur; sicut ejus doctoribus et prædicatoribus hæc quæ sequentia sunt, attribuuntur.

Collum tuum sicut monilia.

Collum enim a colligando dicitur, eo quod capiti corpus colliget, et hæc duo in unum convertat. Quo nomine prædicatores et doctores sancti apte cognominantur, qui ea quæ a Spiritu Sancto data sunt suscipientes, ipso donante exponentes, ea toti proponunt Ecclesiæ, ipsamque suo faciunt capiti cohærere; quos nimirum esse oportet ut monilia pectori quidem affixa, bonumque his quibus annexa sunt, commonentia. Monile enim affixum pectori, sic ait, sic loquitur; Quam custodiendam suscepi, casta sis, pudica sis, totius honestatis amatrix sis; nesciat te manus adultera, nec quicquam contingat

(22) *Ministeria.*

te, quo fides Sponso tuo debita lædatur, aut amor in aliquo minuatur. Quæ nimirum vox prædicatori et doctori bene convenit, ut castus et honestus sit, et tanquam monile rotundum, rotunditate sua perfectus undique sit, et circumspectus. Hæc conservet in se, hæc observanda doceat undequaque. Unde monile illud aureum bene resonat, dicens, Præcinguntur lumbi fidelium, dum concupiscentia mala comprimitur, dum iniqua cogitatio cohibetur, dum libidini resistit animus, dum lasciviæ denegatur effectus, dum calcatur luxuria, dum avaritia contemnitur et rapina, dum proximi læsio devitatur, dum superbia vincitur, dum invidia superatur. Quæ quidem monilia, ut apte a collo dependeant, et firme pectori affixa permaneant, ait Sponsus:

10. *Murenulas aureas faciemus tibi.*

Murena, piscis est, sua proceritate decorus, colorisque varietate conspersus. Unde dicuntur murenulæ catenæ ex auro fabricatæ, quæ collo circumdatæ, protenduntur in longum, et annexæ monili hoc immobiliter fasciæ pectorali restringunt. Has itaque se proponit Ecclesiæ Sponsæ suæ facturum; quia sicut eorum sensus qui legem dant, vel qui principia dant litterarum, ex quibus Testamentum aut vetus aut novum consurgit, ex divina sunt sapientia; sic et eorum, qui earumdem sunt expositores Scripturarum, sensus, ingenia, et inventio tota, ex ipso sunt: et quibus ipsi Ecclesiam dilatant, aut magnificant, aut corroborant, divini muneris exuberatione procedunt. Quas dicit Sponsus, quia eas facturus est ipse sententias, sed « vermiculatas argento; » id est divino decoratas eloquio. Unde innuit, se non tantum sensum quem proferunt expositores illis dare, sed et eloquii fragrantiam, unde placent, unde auditorum conviventia suscipiuntur ministrare (23). Ait itaque, « Murenulas aureas faciemus tibi, » id est divinas sententias tibi conferemus « vermiculatas, » id est more vermium decoratas, et « argento, » id est divino eloquio, quod præ omnibus metallis dulcius tinnit, exornatas. Notanda vero est ipsa dicendi mutatio, quod cum hucusque Sponsus singulari sit usus eloquio, nunc eidem Sponsæ verba faciens plurali numero dicit, « Murenulas aureas faciemus » tibi; sic Trinitatis monstrans arcanum, quæ totum legem utramque statuit, et utriusque expositoribus gratiam qua id facerent, et complacerent, administravit. Unde sibi speranda est summæ jam salutis redintegratio, quam, ne unquam hædis suis pascendis intendat, superius et « amicam » nominat, et hic sua dona promittens, summæ sibi et adorandæ Trinitatis mysterium jam revelat.

11. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

Auditis autem Sponsa iis quæ a Sponso sibi proposita sunt, scilicet, quod equitatui cœlesti assimilata sit; et quod ii qui in ejus corpore instar genarum obtinent, turturis similitudinem habere debeant; qui vero instar colli, monilibus assimilentur; audito nihilominus promisso, quod sibi summæ Trinitatis manu factæ murenulæ dandæ sint; os suum aperit, et attrahit Sponsa spiritum, nil tamen habens quod offerat, nilj quod digne retribuat, nisi solam eam charitatem, qua et ab initio ante Christi incarnationem donata est, et eam qua post ejus adventum et in cœlis ascensionem ad ipsum dono mirabili pertractata est. Hanc sperans pretiosam, hanc indignam repulsa reputans, hujus meminit, et illam secum permansuram æterna stabilitate promittit dicens, « Cum esset Rex in accubitu suo. » Accubitum vero regis nominat, propositum illud mentis divinæ, quo Pater Filium suum in terras mittere, carnem ex alma virgine Maria sumere, natumque ex ea mundum docere, sanctamque non ferentes doctrinam ipsum cruci affigere, et mori, et post mortem propria virtute resurgere, et post in cœlum potenter ascendere, operante hæc mirabiliter charitate, Filioque in hoc obediente, Spirituque Sancto in hoc consentiente, disposuit. Quod etsi æterna lege dispositum est, moram tamen habuit, et ab Eva usque in Adam, et ob Adæ offensam, usque ad hanc temporis plenitudinem est dilatum. Jam vero per Christum, gratia et veritas donata est (*Joan.* I, 17); et quod fuerat a Patre dispositum, gratia est operante completum.

Ait itaque, « Cum esset in accubitu suo, » id est, dum ille, quem regem super omnia judicio, Filius, scilicet, qui cum Patre, et Spiritu Sancto regit universa; dum ille « esset in suo accubitu, » id est in hoc mentis proposito sine labore conquiesceret, « Nardus mea dedit odorem suum. » Nardus arbor est humilis et odorifera, per quam hos Sponsa designat, quibus ante sui adventum, mysterii et Sacramenti quod operaturus erat, contulit Deus ipse notitiam; qui hunc venturum prædicabant et diligebant, et in hoc, ut ipsum videbant spiritu, sic corporali aspectu videre digni fierent, intimo mentis desiderio æstuabant. Hic æstus charitas, et odor pii desiderii, quo se in ipsum mutuo accendebant Patres sancti. Odor ille est, quem narduin, dum rex in accubitu suo esset, dedisse Sponsa protestatur. Hic odor a Patre in mundum, et in mortalium corda primo progressus est, qui indignatus serpenti quod mulierem deceperit, ait: « Quia fecisti hæc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ. Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ (*Gen.* III, 14). » Quod, ut dictum est, sic est in eo divina completum sententia. Nam quæ supra pectus graditur, a terra nunquam elevatur: quod de ipso verum est, quia eorum corda quos inhabitat, dum in eis dominatur, nunquam a terrenis voluptatibus et cogitationibus elevari, nunquam in lucem virtutum quæ de cœlo est, exsurgere, sua voluntate permittit; sed eam cunctis die-

(23) f *auditoribus convenientia suspiciuntur ministrare.*

bus « comedes, » id est terrenis voluptatibus oblectari, in iis dormire et quiescere, tam falsa persuasione, quam falsus est ipse, compellit. Sed tandem de cœlo respexit misericordia ; ait enim Deus, « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius (*Gen.* III, 15) ; » ac si diceret, Hæc tibi credendo elapsa est, ego unam creabo mulierem, quæ omne caput tuum conteret, quæ initia omnium suggestionum tuarum quas miseris infigis mortalibus, objectu virtutis atteret, nec ad effectum quem suades attingere ulla ratione permittet.

Hæc illa beata Maria extitit, quæ ab utero sanctificata est, quæ ita statim a Spiritu Sancto est vallata, ut nullus eam tentandi, vel sinistrum quidlibet suggerendi, serpenti locus extiterit : si totum quod movere mortalium corda consuevit, huic oblatum, huic præsentatum, statim virtutis calcaneo contritum extiterit. Unde inter ipsam et serpentem positæ sunt inimicitiæ et firmatæ, ut quod uni placet, alteri displiceat, quod pars una suadet, altera prorsus abhorreat, nec uno queant articulo voluntates prorsus contrariæ convenire. Hæc cœli gloriam possidet, omnesque qui suæ se devotioni committunt secum perenniter habere gaudet ; et hic morantes, et ad illam cor habentes, suis tuetur precibus, nec ejus sint (24) suggestionibus aut deflecti, aut certe omnino submitti. Serpens vero latebras inferni circuit, ibi suis loca disponit ; hic, his qui a fide exorbitant, qui ea quæ mille modis suggerit actu implere non formidant, pœnas parat inæstimabiles, et luctus exitiales. Hæ ergo sunt inimicitiæ inter mulierem hanc et serpentem positæ, quæ etiam sunt inter semen mulieris et semen serpentis firmiter obfirmatæ. Nam semen mulieris hujus, ipse Jesus Christus est ; semen serpentis, omnes qui non sunt Christi. Hujus primum semen Abel extitit, qui Filio Virginis testimonium, fide, sacrificio, morteque firmavit. Ejus semen Henoch, qui eidem filio testimonium fide vera et ascensione perhibuit. Semen ejus Noe, qui instar ejusdem filii Ecclesiam in diluvio aquarum multarum in ligno salvavit. Semen ejus Sem et Japhet, qui verenda patris non viderunt, sed ea, aversis vultibus, suas velando facies operuerunt. Hic enim Dei Patris, instar Noe, obdormisse dicitur, cum consensit ut ejus filius caperetur, et cruci turpiter affixus, in opprobrium ostenderetur ; quem vidit et irrisit Cham, maledictus populus Judæorum : at vero duo fratres, aversis vultibus, hæc non viderunt, nec irriserunt ; duo, scilicet, populi, unus solis ex Judæis pœnitentibus et conversis, alter ex Gentibus. Hi, quæ in cruce gesta sunt venerantes, nil turpe reputant, sed scripturarum pallio operientes, omnia venerantur eadem et adorant. Huic vero semini Abraham condigne adscribitur, cui, in fervore diei sedenti in ostio tabernaculi, Dominus apparuisse legitur, et insigne summæ Trinitatis simul et Unitatis mysterium aperuisse : cui postmodum in filio suo Isaac, Do-

(24) f. *sinit*.

minicæ passionis mysterium revelatum est, cum ligato ad passionem Isaac, gladius patris, prohibente angelo, ab ejus cervice reducitur, et aries hærens cornibus immolatur. In quo vere pro facto voluntas habenda est, quam solum angelus impedivit, in quam pater, vibrato jam gladio, collo filius extenso consensit. Quibus patriarchis duobus, tertius ille Jacob digne connumeratur, quem dormientem in petra, quæ est Christus, scalamque in cœlum erectam intuentem, qua ad visitandos electos quidam descendebant angeli, alii jam electos et bene jam diu promeritos, ad superna provehebant ; quemque longo squalore laboris attritum, duas Laban filias, id est duas Ecclesias, unam actioni, alteram contemplationi deditas, promeruisse, et nolente patre Laban cum iis ad propria remeasse cognoscimus, et in extremis agentem prophetico quidem spiritu, in Juda filio suo de Christo vera prophetantem, hæc dixisse non ambigimus. « Juda, te laudabunt fratres tui (*Gen.* XLIX, 8). » In quo, cum multa de passione ejus et resurrectione prædixerit, hoc quoque annectit, « Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium (*ibid.*, 10). » Quod quidem de Christo verum est ; nam a primo eorum Rege David, Reges consequenter habuerunt de tribu Judæ, vel certe Duces, donec Christum apprehendentes, dicerent, « Non habemus regem nisi Cæsarem » (*Joan.* XIX, 15). « Si dimittis hunc, non es amicus Cæsaris (*ibid.*, 12) : » adjicientes quoque dixerunt, « Sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25). » Quo quidem sanguine consequenter oppressi sunt ; et veniente Romano exercitu, sic ferro, fame, pesteque deleti sunt, ut infinita populi ejus millia morerentur ; et reliquiæ omnes exilio traditæ, et sub regibus diversis dispersæ, ducibus alienis serviant, vitamque, quæ jubentur exhibendo, custodiant.

Hoc ex Christi morte consecuti sunt, de quo dicitur, « et ipse erit expectatio Gentium : qui stolam suam (*Gen.* XLIX, 11), » vestem, scilicet, interiorem, « lavabit vino » albo, scilicet, puro, et defæcato, clarissimo, id est interiori quadam et spirituali purificabit intelligentia : « et pallium suum, » vestem scilicet exteriorem, hanc mundabit, « Sanguine uvæ ; » id est passionis Christi. Christo enim interius servientes, arcana ejus mente discutientes, et singula quæ de ejus Trinitate et Unitate, de ejus divinitate et assumpta humanitate, de sacramentis etiam Ecclesiæ singulis dicuntur, arctius perscrutantes, necesse est ut altiori quadam et superominenti intelligentia præmineant. Cæteris vero satis est, si mortem ejus et sanguinem, liberationemque suam confiteantur et credant ; de quibus id præmissum est, « Ligans ad vineam pallium suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam (*ibid.*). » Christus enim vitis est, ad quem asina alligata est,

id est cujus prædicatione, primitiva Judæorum Ecclesia, quæ legem utramque statuit, conversa est. « Ad vineam » vero suam, id est apostolos, Judæorum Ecclesia, et Gentium est alligata, cum eorum verbis et monitis acquiescens, Christum Dei virtutem et sapientiam, infirma nostra sustinentem, mortem cui erat obnoxia morte sua redimentem, credidit et adoravit. Ad hoc vero semen Moysem pertinuisse quis ambigat? qui primus scripsit, « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. » David quoque, et Job, Isaiam, et prophetas omnes quis referat? quorum omnia de adventu Christi testimonia, si quis scribere intenderit, magni sibi curam faciendi voluminis adhibebit. Hi quidem omnes semen beatæ virginis esse memorantur; quos illa genuit verbo testificantes, corde desiderantes, odoremque bonum, et ejus desiderium sibi invicem et aliis intente ministrantes. Et hæc quidem sunt, quæ Dilecto suo sancta hæc Sponsa commemorat, sanctos hos patres, Christum priusquam in carnem venerit, credidisse, prænuntiasse, et expectatione mirabili desiderasse : nunc procedens ulterius ostendit (postquam in nostra jam venit, et in carne nostra expleto mysterio (25) ob quod venerat, ascendit in cœlos) qualiter illic eum prosequatur Ecclesia, cui se connumerat, dicens :

12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Hoc enim tale est ac si dicat, Dilectus meus a me corpore elongatus est, sed a me spiritu non recessit : moram enim mecum facturus est; sed quam moram? illam de qua Dominus ait, « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV, 23). » Ecce quod mora ista est mansio Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, apud Sponsam; in qua Patrem cognoscit. Habet enim ista potentiam calcandi super serpentes et scorpiones, et resistendi omni spiritui non bono in mala trahenti, immo pessima suadenti; habet et sapientiam, qua sapit id facere quod potest; habet et in Spiritu Sancto voluntatem id semper agendi quod bonum est : ut dum semper possit, semper sapiat, semper velit id quod honoris, id quod virtutis est, hinc in ea mansionem summæ Trinitatis agnoscas. In Apocalypsi quoque Joannes ait, « Ecce sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ille mecum (*Apoc.* III, 20). » Quis hanc Sponsam dilecti sui vocem audisse dubitet? quis hanc sibi ostium aperuisse ambigat? quis hanc cum ipso in cœna jucundari non intelligat? quis in hac cœna Patrem et Spiritum Sanctum Filio considere non æstimet? Cœna dives, in qua Spiritus cœlestes ministrare non dubium est; cui ille præsidet qui eorum Dominus est. In hanc quæ dapes, quæ fercula, quæ xenia ponantur, ex hoc intellige quod ait apostolus, « Spiritualibus spiritualia comparantes (*I Cor.* II, 13) : » spiritualia namque sunt quæ Sponso suo cum iis assessoribus anteponit Ecclesia.

Anteponitur hic Deo grata humilitas, cum iis quæ eam comitantur virtutibus, id est timor Dei, pœnitentia, Deo grata confessio, et operis satisfactio sancta. Secundo quodam ordine ponitur ordinata castitas, moderata sobrietas, abstinentia commendabilis, et quæ circa hæc sunt. Tertium locum obtinet pax, patientia, fraternus amor, et quæ transcendit omnia, in Deum charitas, et contemplatio sancta. Hanc in Joanne « cœnam » nominat Dominus, quia sicut cœnam prandium aliud non sequitur, sic vitæ nostræ terminum in iis consummari desiderat; ut hunc, timendo, pœnitendo, satisfaciendo, caste vivendo, amorem ad omnes habendo, et Deum super omnia diligendo, apprehendamus, ipsoque sine fine perfruamur. Ait itaque Sponsa, « Dilectus meus mihi, » id est mecum, « commorabitur; » ac si dicat, moram facturus est. Et ut locum innuat quo moram faciet, subdit, « Inter ubera mea. » Ubera pectus intra se continent, corporis nostri partem principalem, qua cor continetur, et hepar, et cæteræ partes unde virtutes oriuntur quamplurimæ, quibus corpus humanum multa ex parte regitur et vegetatur. Ut ergo locum designet ex nomine, ubi Dilectus sibi commoretur, ait, « Inter ubera mea, » id est In medio pectoris mei, ut ipse cor meum teneat, amore sui accendat, et quo me ad aliud converti intenderit, hoc extenuet et avertat. Corde namque Deum diligimus, corde charitatem tenemus; quod si charitatem retinemus, justitiam utique, et prudentiam, fortitudinem habemus et temperantiam; nam harum quidem effectus omnium in se charitas retinet. Justitia enim quod suum est unicuique reddit : reddit Deo quod suum est, quod est omnis honor, omnis gloria, omnis creaturæ humilis et sancta devotio : reddit proximo, ut eum quantum se diligat, suis commodis quantum sibi propriis invigilet, ejus vero incommodis quantum suis contristetur et doleat : quæ quidem in libidinem, et in alios non rectos animi resistens impetus, quid nisi fortitudinis actum gerit, et in se implere contendit? Implet vero temperantia, dum in iis omnibus, ne quid nimis sit, ne quid recto minus contemplatur et providet. Attendamus quid de hac Paulus asserat, dicens, « Charitas patiens est, benigna est : Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, etc. (*I Cor.* XIII, 4, 5). »

Quæ si diligenter intendat quis prosequi, hanc viam excellentiorem reperiet, id est eam cui nullis desit virtutis effectus, cui nil constet adimi quo quis ad Deum valeat propinquari. Unde ait apostolus, « Empti estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI 20). » Ait

(25) f. *ministerio*.

itaque Sponsa, quod apud eam Dilectus suus commorabitur, et sibi myrrhæ quasi fasciculus erit. Myrrha enim unguentum est, quod manat ex arbore, quæ eodem nomine, myrrha nominatur; pares enim nomine sunt, quia pares sunt et qualitate: myrrha enim, arbor est, et amarum quod ex ea decurrit unguentum. Unde mortuorum corpora hoc ipso conspergunturunguento, ne hæc aut putredo corrumpat, aut ad hæc demolienda vermis accedat: sic corpus Dominicum, myrrha legitur, et aloe fuisse perunctum. Ait ergo hæc Sponsa, « Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur (*Joan.* XIX, 39), » et erit mihi quasi fasciculus myrrhæ. Quod si ad unguentum referas, tale est ac si dicatur, Erit mihi quasi aliquantula copia myrrhæ, quæ me et a putredine defendat, ne corrumpar; et a morsu vermium, ne demoliar: si ad arborem, planum est ex arbore fieri fasciculum, et hunc habere inter pectus ad eamdem defensionem repositum. Hic enim « myrrhæ fasciculus, multa passionis Christi memoria est; qua se quisque ad omnem proximum indesinenter obligari conspicit, et Deo qui pro se talia passus est, quanti sit debitor, intelligit: quam si teneas, si Deum, quocunque te verteris, patientem in cruce conspicias, teipsum a putredine vitiorum, et a morsu vermium, id est tentatione spirituum immundorum hac ipsa contemplatione liberabis. Sequitur:

13. *Botrus cypri Dilectus meus mihi.*

Quia de Sponso loquens hæc Sponsa ait, « Inter ubera mea mihi dilectus meus commorabitur: et erit mihi quasi myrrhæ fasciculus, » quæ solam parat amaritudinem; videri poterat ex hoc, quod Christi passio dolori tantum præstaret causam, nullam vero menti conferret lætitiam: unde præmissa amaritudine, quæ Christo vere patienti debetur, subdit jucunditatem, quæ de ejus morte, cunctis eam venerantibus exhibetur. Nam sicut dolenti justum est ut dolor exhibeatur et compassio; sic mundum liberanti et redimenti vere gaudium debetur et exultatio. Unde ait hæc Sponsa, « Botrus cypri dilectus meus mihi. » Cyprus enim, insula vitibus abundans est, botros habens magnitudine sui cæteris incomparabiles, vinum dantes quod gustantes innata sibi suavitate lætificat, et dolorem, si quis est ex passione, lenit et mitigat. Christus enim panis est qui confirmat, ipse vinum quod lætificat, et oleum ipse est quod faciem hominis exhilarat, Ait itaque Sponsa hæc, quod Dilectus suus botrus cypri factus est; quia sicut botrus nihil aliud est quam multa granorum similium in unum sibi firme juncta collectio, vinum cum premitur abunde præstans, et gustantes undequaque lætificans: sic Christus factus est, multos sibi sua morte connectens, et in fide passionis suæ sibi concilians; qui cum exprimuntur, id est quæstionibus et modis aliis pessime excogitatis interrogantur, vinum piæ confessionis emittunt, Dominum Jesum confitendo, glorificando, et etiam, si opus est, mortem subeundo; A solum hunc Deum vivum et verum esse fatentur et cognoscunt: qui si supersunt, exultant gaudio confessores, si consumantur, læti morte gaudent cum Christo vincente victores.

Utrumque Paulus exprimit dicens, « Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II, 8). » Ecce myrrha, cui myrrham, et amaritudinem, et compassionem omnimodam debemus. « Propter quod, et Deus exaltavit eum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen: Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, et terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*ibid.*, 9, 10, 11). » De quo quidem gaudio exultans hæc Sponsa, ait, « Botrus B cypri Dilectus meus mihi. » Hærens enim in ligno, terram movit, cœlum tenebravit; crucifixus mundum crucifixit. Sic ad se universa pertraxit, et me ejus morti compatientem superfusam gaudio victor exhilaravit. Sequitur:

In vineis Engaddi.

Quod tale est ac si dicatur, patienti Domino Jesu compassa sum, vincenti quoque læta congaudeo. Ejus namque victoriam, mundus longe lateque resonat, ipsam prædicat, ipsam quoque prædicando resultat, ut patet in vineis Engaddi. Engaddi planities est juxta Jericho, in qua consistunt arbores in modum vineæ consitæ; ex quibus, dum vulnerantur, defluit balsamum, utile quidem et pretiosum: C quæ quidem planities latitudinem Ecclesiæ designat, quæ se dignoscitur in quatuor jam mundi partes dilatare. Hæc « Engaddi » nominata est, quod est, « fons hædi; » quæ sicut designat Ecclesiam, sic fons qui in ea erat, baptismum significat, qui est fons datus Ecclesiæ, in quo dum hædi purgantur, ex hædis agni efficiuntur. Virtus in his Christi patet, ubi ex arbore vulnerata fluit balsamum, sicut ex Christo vulnerato fluxit benedictionis oleum, dum dixit, « Pater ignosce illis, nesciunt enim quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). » Quod quidem balsamum oleo admiscetur, ut chrisma fiat sanctissimum. Hoc quidem chrismate fons consecratur Engaddi, qui fons dicitur baptismi; hoc inunguntur hædi, sic transeuntes in populum Dei; hoc denuo confirmantD tur, ne tentet eos Satan, et a veritate convertantur; hoc Ecclesiæ et altaria Deo sanctificantur; hoc calix inungitur, quo se totum tradens homini propitiatur Deus; hoc denuo consecrantur Reges, inunguntur Pontifices, ordinantur sacerdotes, Christo sua dona pro populo offerentes, et ei sua reddentes. Hoc itaque est quod ait Sponsa, « Botrus cypri Dilectus meus mihi, » quod patet in « vineis Engaddi, » id est in Ecclesiis toto terrarum orbe dilatatis quæ omnes ejus prædicant gloriam, et annuntiant magna cum laude victoriam. Sequitur:

14. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra. Oculi tui columbarum.*

Quo in loco id attendendum est, quod Sponsam suam Sponsus triplici jam magnificavit elogio di-

cens, « Equitatui meo assimilavi te : » et illo, « Genæ tuæ ut turturis : » tertium quoque adjiciens, « Collum tuum sicut monilia. » Cui Sponsa quoque trina laude respondet, dicens, « Dum esset rex in accubitu suo : » et illo, « Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi : » et quod sequitur, « Botrus cypri Dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. » Unde quia sunt inter eos pacis jam admista colloquia, applaudens Sponsus integritati Sponsæ, quam seipsum amasse, et nunc amare, et in futuro se semper amaturum esse, et hoc totum ejus accrescere pulchritudini cognoscit, secure eam commendans, ait, « Ecce tu pulchra es, amica mea; ecce tu pulchra. » Audientes vero pulchritudinem hanc commendari, non hanc attendamus qua mulierculæ suos solent amatores allicere, qua a castris pudicitiæ solent hos qui sibi fidem habuerint, ad immunditiæ castra perducere : hanc enim Deum detestari cognovimus per prophetam dicentem, « Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omne quod visu pulchrum est (*Isa.* II, 12, 16) » : eam quoque persequens, ait, « Auferet Dominus in die illa ornamentum calceamentorum, lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras (*Cap.* III, 18, 19), » et cætera quæ sequuntur; quæ nimirum omnia pulchritudini huic corruptibili, et ad corruptionem perducenti, ministrantia sunt, et mentem ab eo quod honestum est, et Deo placitum, avertentia. Illa vero attendenda est pulchritudo, quam facit in mente vera humilitas, timor Dei, pœnitentia sancta, confessio humilis, satisfactio pro peccatis, pax ad omnes, et vera concordia, castitas moderata, et quæ super omnes, in Deum charitas sancta. Hujus meminit propheta, dicens, « Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus (*Psal.* XLIV, 14), » hoc est ex pulchritudine quæ intus est, est omnis gloria animæ fidelis, quæ Dei filia est; cujus est gloria in « fimbrils aureis, » id est in consummatione virtutum. Fimbria namque vestis consummatio est, quæ bene « circumamicta varietate, » id est virtutum omnium varia diversitate adornata memoratur.

Hæc quidem attendenda est, in hac Deo beneplacitum est, cujus meminit Scriptura, dicens, « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ (*Isa.* XXXVIII, 15). » Hæc enim nullum tempus omittit, quin et ipsum, et quæ in ipso sunt admissa peccata rememorat : hæc quæ in infantia, quæ in pueritia, quæ in adolescentia sunt admissa, deplorat : hæc amarissime juventutis excessus accusat; hæc virilis roboris enervationem potenter arguit, et se in senectutis inertia quid deliquisse graviter erubescit. Quæ quidem erubescentia confundit dæmones, fugat infernum, cœlum aperit, conciliat angelos, Deum reddit propitium; et cum dicit procidens, « Pater, non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum ex mercenariis tuis (*Luc.* XV, 21), » stolam primam meretur, et annulum, et calceamenta

(26) f. *lædit.*

A gloriæ suis apponi pedibus gloriatur. Sic sic pulchram nominat dicens, « Ecce tu pulchra es, » et pulchram esse replicat, adjiciens, « Ecce tu pulchra. » Quæ nimirum replicatio, aliam animæ ipsi vel Sponsæ futuram esse denotat, quam sic intellectui manifestat. Anima namque vel Sponsa quantumcunque perfecta, hic quidem pulchritudine gaudens, triplex sentit infortunium; a carne unum, quod plangit apostolus dicens, « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII, 24.) alterum a proximo; tertium a spiritu quolibet immundo. Hoc manifestatur in Job, quem caro sollicitat, cui non bene consulit uxor, quem amici instinctu maligni spiritus deviare compellunt. Sed huic propheta consulit dicens, « Scuto circumdabit
B te veritas ejus : non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano (*Psal.* XC, 5, 6). » Ubi quidem tentatio quædam manifesta, quædam occulta, quædam gravis, quædam levis esse ostenditur. « Sagitta » namque « in die volans, » manifesta et levis; « dæmonium meridianum, » manifesta et gravis; « negotium perambulans in tenebris, » occulta et gravis; « incursus » vero, occulta et levis esse intelligitur. Sed hæ tentationes omnes, in ea quæ futura est vita non aderunt. Glorificata namque caro tentari non poterit, nec erit in ea quidquam quod resistat spiritui. Nullus in ea spiritus tunc lædetur a proximo; quia tunc completa erit
C charitas, ut quis diligat proximum sicut seipsum. A maligno vero spiritu quæ poterit esse vexatio? qui nec præsens aderit, nec ei tentandi bonos, vel ad probationem, licentia jam ulla superesse poterit. Ejus extunc erit in inferno jam mansio, ubi igne ipso torquebitur, quo ardent miseri quos abjecit Deus, qui acquiescendo tentationibus sunt venundati sub peccato. Sequitur :

Oculi tui columbarum.

Demonstrata Sponsæ pulchritudine, jam quæ sit pulchritudinis hujus causa, subnectit : hæc enim ejus causa est, quod « oculi ejus columbarum » sunt, id est totus ejus respectus columbinus. Columba namque in pastu gradiens, munda tantum grana colligit, his pascitur, iis sese nutrit : sic et
D hæc anima vel Sponsa Dei, dum ad se pascendum neminem dedignans, sed plures audiens, singula quæque considerat, et quæ pure, sancte, vereque dicuntur, hæc mente retinet, cætera aspernatur et horret. Columba quoque sine felle est, avem alteram nec rostro lædit, nec ungue lacerat, simplicitatem hujus Sponsæ denotans, quæ irrationabiliter non irascitur, nec dicto, nec facto quemquam (26) sed quantumcunque offensa, sese intra innocentiæ suæ castra custodit. Gemitum quoque pro cantu habet, quia Domini sui præsentiæ adesse desiderans, dum hæc sibi denegatur, cuncta sibi abesse deplorans, ingemiscit pariter, et gemitum hunc pro cantu habens, ingemiscendo ait, « Sitivit anima

mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei (*Psal.* XLI, 3). » Gregatim volat, quia in omni eo quod volat, quod se sursum esse desiderat, se nequaquam a grege Domini separari, sed cum iis suscipi, cum his glorificari et beatificari exoptat. Hic quidem oculus columbinus fuisset Evæ necessarius, cum « vidit lignum quod bonum esset ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo, et aperti sunt oculi amborum (*Gen.* III, 6, 7). » Tunc cognoverunt se obedientia nudatos, irretitos inobedientia, et malis quibusque præcinctos et obnoxios. Ab ea in Cain oculus minime columbinus processit, indeque per mundum male pervagatus est, et ad concupiscentiam mulierum apertus. Ita ut jam pauci sint qui dicant, « Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum : et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam (*Job* XXIX, 15, 16). » Sequitur :

15. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, et decorus.*

Sic amans amanti pari respondet elogio : dicta pulchra ipsum quoque pulchrum protestatur esse, dicens, « Ecce tu pulcher es, dilecte mi. » Quod audientes, non attendamus pulchritudinem quæ in creaturis est corporalibus, sive incorporalibus. Inest enim pulchritudo quædam rebus his corporalibus, ex apta partium suarum dispositione proveniens, cum apte pars parti conjungitur, et una sic forma decens ex apta earum conjunctione producitur. Maximus quidem est in reptilibus draco, in natatilibus cetus, in volatilibus gryphus, elephas in quadrupedibus, gigas in hominibus : in quibus omnibus, si ipsa attendatur partium dispositio, et partis apta parti conjunctio, forma procul dubio pulcherrima, et summa creatoris sapientia in iis omnibus invenitur. Sic sunt quædam media, quædam minima intelliguntur ; quæ nisi peccatum contraxerint, aut virtus ea divina sibi sananda reservaverit, miram in se pulchritudinem exhibere dignoscuntur. Si itaque magnum illum attendas Adam, a quo genus hominum omne procreatur, si hunc attendas, quis qualisve creatus fuerit, quis ante peccatum extiterit, quis cum ad eum Dominus omnia animantia terræ adduxit, et quid ea vocaret, edocuit ; hunc mirabili quadam pulchritudine enituisse clarebit : quem sciens Abraham postea misericordiam, per incarnationem Christi et mortem ejus consecuturum, cuncta loca pertransiit, locum illum solum in quo sepultus est Adam sibi sepeliendo elegit, speluncam illam duplicem, quam ab Ephron Hethæo emit (*Gen.* XXIII, 19) ; ubi cum suis uxoribus requiescunt Abraham, Isaac, et Jacob, et Adam magnus. Sed nunquid hac pulchritudine dilectus hujus pulcher dicitur ? Absit ; nam sequitur, « Et decorus. » Unde datur intelligi, ipsum ea pulchritudine pulchrum esse, cui nihil convenit, nihil adjungitur, vel potest adjungi, nisi quod decorum est. Non hæc pulchritudo fuit Adæ, cui si ad tempus peccatum non affuit, adesse tamen potuit, unde et peccavit.

Quod si cœlestia corpora attenderis, solem, lunam, et stellas, hæc quidem pulchra sunt, quæ luce sua mundi tenebras illuminant, ut quæ luce carent propria, per hæc illuminata resplendeant : sed de iis scriptum est, « Ipsi peribunt, tu autem permanes : et hæc ut vestimentum veterascent (*Psal.* CI, 27). » Angelos vero, et usque ad Cherubim et Seraphim ordines perspiciens, supraque tendens aspectum, sola tibi occurret Trinitas sancta, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quorum ea pulchritudo est, quam nec vidit oculus (*I Cor.* II, 9), nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam manifestabit Deus iis qui diligunt se. De qua dictum est Moysi, « Non videbit me homo et vivet (*Exod.* XXXIII, 20). » Hic enim viventi videre non conceditur, quod glorificato jam homini, et in veram vitam assumpto, videndum repromittitur, dicente Domino, « Vita æterna hæc est, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3). » Hæc forma, hæc species, hæc pulchritudo est, in quam desiderant et angeli prospicere (*I Pet.* I, 12). Hæc ea pulchritudo est de qua ait David, « Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI, 15) : » qua nobis apparente et se visibiliter exhibente, non est quod quæramus ulterius, non est quo ulterius reflci desideremus, (27) hac itaque pulchritudine dictum est, « Ecce tu pulcher es, dilecte mi : » etiam huic pulchritudini, quia nihil est quod cohæreat, quod admisceri valeat, nisi quod honestum, quodque omni gloria dignum creditur, recte adjunctum est, « Et decorus ; » ut qui huic quærit pulchritudini assistere, in virtutis se semper culmine teneat et decore. Sequitur :

Lectulus noster floridus.

Ecce quæ decorem laudat in Sponso, videtur ejus amore trajecta ipsum ad lectulum evocare, quo ejus perfruatur præsentia, quo ejus oblectatione jucundetur. Ad quod eum tum lecti amœnitate, tum loci jucunditate, videtur allicere, dicens, « Lectulus noster floridus. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cupressina. » Amœnum enim est, in lecto florido quiescere, securum vero sub tignis cedrinis, et laquearibus cupressinis decumbere : et hæc quidem vera sunt, sed hæc altius attendamus, si hæc spiritualiter intelligere procuremus. Hic enim lectulus, non quidem mollitiæ locus est, non scurrilitatis obscœnæ, sed lectulus attendendus est jucundæ quietis in Domino, et perfectæ contemplationis in ipso. Contemplatio enim est, cum primum seipsum homo considerat, quis sit, et unde venerit, et ad quid venerit, et investigat, animam sibi rationalem creasse Deum, et hanc corpori suo immisisse, seque sic natum baptismi gratiam suscepisse, et in fide sic excrevisse non ignorat ; fide vero edoctus, Dei Filium in carnem venisse, in ipsa mortem

(27) f. *De*.

suscepisse, et ob redimendum hominem die tertia surrexisse, et sic, ut ad vitam ascendat homo, in cœlum ascendisse, et sic ad se cuncta pertraxisse, veritate fidei id edocente, non dubitat. Hæc attendens, quo se vertat, ignorat; totum quod egit hactenus contemnit; peccata quæ admisit infantia, vel juventus, vel ætas altera, lacrymando deplorat; seipsum dejicit; in alterum quemdam hominem sese transformare intendit; et sic lectum Deo, ipse piæ sedulæque contemplationis manu componit. Qui tamen « lectulus » adhuc « floridus » intelligitur. Hæc enim contemplationis initia sunt, quæ spem dant profectus boni, fructusque maturi, qui tunc inerunt, cum jam mundus deseretur, totus mentis pede conculcabitur, cum jam despicientur cuncta quæ transeunt, et ea sola diligentur quæ semper manent, et immutata consistunt. Sciens igitur hæc anima vel Sponsa, florem hunc imitationis bonæ dono Dei provenisse, et hæc ipsum adventus sui primordia præmisisse, ipsum ad lectulum floridum evocat, ut in eo quiescat, et florem hunc ad perfectionis sanctæ maturitatem perducat. Hunc etiam lectulum Sponsi Sponsæque communem asserit, dum ipsa contemplationem hanc in se suscipit, et hanc ex dono Dei et ejus præsentia provenire cognoscit. Sequitur:

16. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cupressina.*

Hæc a securitate persuasio est; nam sicut in lecto florido quiescere amœnum est, sic et sub tecto quod tignis cedrinis opertum est, quiescere tutum et securum. Cedrus enim et cupressus imputribilis naturæ sunt, corrumpi nesciunt, viriditatem suam conservant pariter et odorem : odore quoque suo serpentes fugant et enecant, et sub iis quiescentibus, securitatem sic parant. Sic ergo tegitur hæc domus, in quam a Sponsa invitatur Sponsus. Non hic descendit pluvia, a qua eam protegant cedri et cupressi obumbracula. Hi namque cedri angeli quippe sunt, quibus domus hujus est commissa custodia : de iis namque dictum est, « Nolite scandalizare pusillos hos : dico enim vobis, quod angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est » (*Matth.* XVIII, 10). « Laquearia » vero quæ tignis munimen parant et fortitudinem, quæ suam conservant viriditatem, et odorem conservant optimum, quibus serpentes enecantur, hi sunt archangeli sancti, robur parantes angelis, semper virides ea quidem viriditate qua creati sunt, ipsaque qua donati sunt, cum restiterunt dicenti, « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa.* XIV, 14). » Et odor virtutum suarum malignos spiritus enecat, ne bonorum corda perturbent, ne a bonis initiis ad majora consurgant. Attendendum vero, quod cum dicit Sponsa, « Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cupressina, » illo utatur dicendi genere, quo per partem totum intelligitur : in « lecto » enim, cui potior pars adscribitur, fundamentum ipsius domus, et parietes intelliguntur : in « tignis » vero, et « laquearibus, » quæ tecti pars potissima sunt, omnia quæ tecti sunt adscribuntur. Sequitur:

CAPUT II.

1. *Ego flos campi, et lilium convallium.*

Sponsus ad quietem evocatus, respondet sic : Me ad quietem evocas, amica mea, Sponsa mea; et ut magis allicias, adjicis, quia « lectulus noster floridus est : » tibi vero responsum hoc do, quod « ego flos campi sum, et lilium convallium. » In quo id attendendum est, quod duo campi sunt, unus cœlestis, alter vero terrenus. Cœlestis campus quantum cœlum porrigitur, tantum et extenditur, quia consummationem non habens, magnus est et immensus. Campus hic flores habet, angelos, archangelos, virtutes, dominationes, thronos, principatus, et potestates, cherubim, et seraphin : horum cujusque ordinum multa millia sunt : floribus iis cœlum refertum est. His sancti quilibet floribus interesse desiderant; horum interesse contuberniis, gemitibus et suspiriis anhelant. Quorum quidem omnium « flos ego sum : » a me quidem accipiunt quod sunt; a me id habent odoris, quod boni sunt, hi omnes majestati meæ indesinenter assistunt; hymnum mihi gloriæ concinunt, dicentes, « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens » (*Apoc.* IV, 8). Me igitur, qui omnes hos odore bono reficio, et his pascendis odorem sufficientem administro, quid est, quod adesse me lectulo florido tuo postulas, et vocem, quasi gloriæ meæ aliquid additura, ingeminas? Quod quidem sic dictum est, non quia Sponsus dedignetur bonis fidelium adesse principiis; sed et hæc audiens Sponsa, suo magis inflammetur desiderio, et ipsum, qui totius mundi flos est, et decus, et illuminatio, suo magis adoptet adesse voto. Quod quidem et Sponsus innuit, dicens, « Campi » cœlestis « flos ego sum, » sum tamen et lilium convallium. » Campus itaque terrenus, hic mundus est, quem quidem visitans flos ille superior, se fidelibus lilium exhibuit, et humilem se humilibus dedit et ostendit. In lilio quidem flos est odore dulcissimus, aspectu gratissimus, est et ramus foliis condensus; nec quidem odore pascens, nec gustus habens suavitatem, magnam tamen in medicaminibus habens efficaciam. Hæc quidem Christo conveniunt; qui quidem a Patre missus, vere lilium in terris apparuit, odoris suavissimi; de quo Paulus ait : « Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : Quia Christo bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt (*II Cor.* II, 14, 15). » Aspectu vero fuit gratissimus iis qui eum receperunt. Unde Petrus ait : « Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi » (*Joan.* VI, 71, 72). Ramus vero condensus foliis, humanitas ejus

est, quæ quidem in verbis quibus mundum arguit, multis displicuit, quibus opem medicinæ salutaris offerre curavit. Hic vero « lilium convallium » est, quia « Deus superbis resistit, humilibus vero dat gratiam (*Jac.* IV, 6). » Desuper etiam dictum est, « Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me (*Psal.* CXVIII, 78). » Dictum vero de humilibus est, « quia valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent (*Psal.* LXIV, 14). »

2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

De seipso flos mundi locutus est, dicens, « Ego flos campi . » qui etiam mundo se verum Deum et hominem humilibus profuturum asseruit, dicens, « Et lilium convallium. » Nunc vero de Sponsa, quæ sibi cordis amore conjuncta est, prosequitur, dicens, Sicut ego lilium inter spinas, in mundo conversatus sum; sic amica mea inter easdem in mundo commorabitur. « Spinas » vero nominat, obtrectationes, objurgationes, et irrisiones, quibus eum mundus male deridendo contempsit : « Spinas» quoque nominat facta eorum et attrectationes, quibus illum cum gladiis et fustibus apprehendentes, illum tanquam latronem et homicidam ad principes adduxerunt, Annam et Caipham : dehinc apud Judicem consputum, colaphis dehonestatum et alapis, spinisque coronatum, condemnari, clavisque configi postulaverunt. Ad spinas has, ad lectum hunc spineum sponsam evocat, quæ lectum sibi floridum sub tignis cedrinis, et laquearibus cupressinis præparabat, quæ humiliata lectum hunc non recusavit, sed huic similem in Petro sustinuit, in Paulo quoque, cæterisque apostolis, in Stephano, aliisque per mundum multorum martyrum millibus, læta suscepit. A quibus vero susceperit adnectit, dicens, « Inter filias, » generationes, scilicet, pravas atque perversas, quibus seipsum exhibuit Dominus. Hi tamen eum non cognoverunt; sic quippe scriptum est, « In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan.* I, 11) : quos « suos, » non affectu, sed sola creatione nominat; siquidem suis manus injicientes eos cruciatibus et tormentis affecerunt : filias quidem prævaricatrices nunc prima creatione nominat, nunc affectum filialem cum suis habere designat. Sequitur :

3. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios.*

Reciproca sibi laude respondent Sponsus et Sponsa, et mutuis se reficientibus laudibus, quo plus laudant, eo se plus laudare desiderant. Ait enim hæc Sponsa, « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. » Malus enim arbor est, ramos late producens, folia gignens, florem protuberans, et ex floribus fructum malorum ad maturitatem usque producens : qui fructus, sive pomum dicatur, sive malum, coloris exstat eximii, gustus placidi, et odoris, ultra quam dici potest vel queat, egregii. Hoc ipsa arbor, quæ « malus » dicitur, onerata, non solum in se decorem suscipit, sed et sylvas circumstantes decore vestit, et locum qui circa se est, totum reddit amœnissimum, et inhabitatione sancta dignissimum. Ait itaque hæc Sponsa, « Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios; » hæc volens, per eximii fructus arborem, dilectum sibi unigenitum Dei filium intelligi, qui carnem quam assumpsit, sic gloria et honore vestivit et induit, ut merito præ omnibus sanctis honore et reverentia dignissima habeatur, et præstantissime excolatur. Unde dictum est, « Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se (*Psal.* XCII, 1). » Addit et hoc quod dicitur, « Inter ligna sylvarum; » nam ut arbor cœlestis Christus est, sic sunt arbores cœlestes sancti quilibet, qui in carne degentes, fructus Christo placidos ediderunt. In iis apostoli, sanctique martyres, et omnes simul Sancti connumerantur, qui nil nisi Christum scientes, ipsum gloriosa morte secuti, testimonium veritati perhibentes, gloriosas in cœlo jamdudum sedes acceperunt. De his in Psalmis dicitur, « Tunc exsultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit; quoniam venit judicare terram (*Psal.* XCV, 13). » Dominus enim hunc mundum judicaturus est; qui in corpore, quondam damnato, et jam mirabiliter glorificato, se visibilem sanctis omnibus in suis suscitatis corporibus exhibebit; eritque tunc exsultatio lignis sylvarum cœlestium, cum se non in incertum cucurrisse, aut in vanum laborasse, certa sui, non solum spiritus, sed et corporis apprehensione et glorificatione, cognoverunt. Ligna vero sylvæ, per quam bestiæ et catuli leonum transeunt ut escam sibi rapiant, tunc nocti suæ deputabuntur, et tenebris sempiternis. Hoc itaque est quod ait Ecclesia, « sicut malus, » suis onusta fructibus, « inter ligna sylvarum » admirabili quadam enitescit pulchritudine; « sic dilectus meus, » unigenitus Dei filius, in quem se totum contulit amor meus, indicibili quadam gloria longe exstat eminentior inter omnes sanctos, quos sibi non creatione solum, sed et gratia adoptavit in filios. Sequitur :

Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.

Hic attendendum est, unde umbra perveniat. Evenit umbra corporibus his, ex corpore lucifero, et ex corpore umbrifero, et loco in quem umbra dejicitur : horum si quid defuerit, umbra non est. Hæc igitur arbor mali, cum inter ligna sylvarum stet, cum ramis distenta sit, et foliis opulenta, ad solem necesse est ut umbram faciat : sub qua consequens est, ut hæc Sponsa sedeat et quiescat. Est igitur « umbra, » divinæ incarnationis et passionis, resurrectionis quoque et ascensionis, actuum quoque ejus et dictorum crebra meditatio, in quam se toto cordis anhelasse desiderio, ut actu adimpleretur quod a Patre promissum, et prophetica sanctorum Patrum promissione prædictum fuerat, protestatur. Unde Isaias, « Consilium tuum, Domine, antiquum fiat verum (*Isai.* XXV, 1). » Jeremias

etiam in Threnis id optans, ait, « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus (*Thren.* IV, 20). » Cæteraque sanctorum Patrum exstant oracula, quæ sibi facile diligens lector inveniet. Hæc igitur umbra est, in qua sedisse se præsens hæc Sponsa testatur. Cum enim positiones corporum quatuor sunt, stare, sedere, accumbere, et jacere, sessio illa est, quæ ordinandis et disponendis rebus magis apta est, consiliisque dandis, simul et judiciis formandis acceptior. Unde et hujus Scriptura sacra sæpe meminit; dicit enim David, « Sedebit Dominus rex in æternum (*Psal.* XXVIII, 10). » Et illud, « Sedes tua, Domine, in sæculum sæculi (*Psal.* XLIV, 7). » Et quod sequitur ; « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis (*Psal.* CIX, 1). » In libro quoque Regum, a Michæa propheta dictum est : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et omnem exercitum cœli assistentem ei a dextris, et a sinistris (*III Reg.* XXII, 19). » Isaias quoque ait : « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum (*Isai.* VI, 1). » Et post omnia ipse Dominus ait, « Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, tunc congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* XXV, 31, 32). » Illis etiam accincta auctoritatibus Ecclesia de se ait, « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, » ut veniret, vel quam umbram desideraveram, ut affectu adimpleretur, sedi deliberans et desiderans, omni in hoc affectu prona, ut mihi Sponsa promissa compleret, nec in immensum mea vota differret. In hac ejus umbra « sedi, » quia mentem meam totam in hoc applicui, ut ipsum vel incarnandum, vel jam forsitan incarnatum, devote susciperem, natum fideliter adorarem, docentem fidei plenitudinem cernerem, ipsum morientem non desperarem, sed resurgente magna fidei certitudine consurgerem, et ascendentem illuc unde venerat, tota mentis intentione prosequerer, et sibi famulatum exhibentibus adhærerem. Sequitur :

Et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Ut distat umbra a suo corpore ; sic distat istius mali fructus a sua imagine. Malus enim ista, cœlestis arbor est, cœlestis quidem sapientia, ideo in cœlis, quia in corde Patris radicata ; quæ non in cœlis solum, sed, cum Patri complacuit, radicem fecit in terra : in terra quidem, quando in cor virginis immaculatæ tota divinitatis unda se contulit, et cœlestis imber illapsu placido virgineum plane vellus infudit : quæ cum in cœlo radicata sit, et in terra, fructum quidem profert, dulcedinem quidem ministrantem his qui in cœlis sunt, et iis qui sunt in terra. Sed quis hic fructus est? Caro quidem quæ de pane mundo in altari sancto, per officium ministri, per virtutem verbi facta est, et ad pascendam Ecclesiam, ne in via forte deficiat, sacratissimo gustu concessa. De quo ait Ecclesia, cui et id donatum est, « Et fructus ejus dulcis gutturi meo. » O beatum guttur, cui hæc dulcedo concessa est! ut in homine manens, se supra hominem rapiat, et in terris existens, se illi qui in cœlo præsidet adjungens, a dulcedine hac ad illam quæ in vita æterna est, admisceat. Quod quia tantum bonis et sanctis concessum est, ait in electis suis Ecclesia, « Et fructus ejus dulcis gutturi meo. » Nihil enim in vita hac dulcius, quam ab hoc gustu in vitam illam transire, quæ fine caret et omni malitia, et ab hac imagine fructus, ad fructum illum pervenire, qui semper nos satiet, et in æternitate efficiat jucundos. Sequitur :

4. Introduxit me rex in cellam vinariam ; ordinavit in me charitatem.

Inter Sponsum et Sponsam mutua jam diu habita sunt colloquia : interpellavit hæc, is respondit, hæc multis illum commendavit laudibus, et ab ipso laude plurimum commendata est. Unde, quia verbis subjuncta sunt, et dictis similia dicta reposita, ne gignat similitudo fastidium, Sponsa ab hoc modo loquendi temperat, non jam ad Sponsum loquens, sed ad amicos suos verba dirigens, et hæc referens, « Introduxit me rex in cellam vinariam. » Attendendum vero hoc loco est, vinum in Scriptura sancta, quoddam commendabile esse, quoddam reprobum. Reprobum, ut est illud cujus meminit Moyses, dicens : « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ : uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII, 32, 33). » Vinum enim quod ex hac vinea, vel iis botris, vel uvis istis exprimitur, illud amarissimum est. Hic enim sensus est ; Reproborum, qui sanctas Scripturas prave intelligendo, in intellectum deducunt alienum, et oculos in solem indiscrete figendo, ipsi et obscurantur a lumine, et secum alios in errorem pertrahunt condemnatum. Sunt et qui, si amicos ad Scripturas sacras non erigant, quotidianis tamen factis suis et verbis simpliciores corrumpunt, et ipsos nexu triplici alligatos in inferno præduces ipsi mansiones habere compellunt. De iis Propheta : « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant ; judica illo Deus : venenum aspidum sub labiis eorum (*Psal.* V, 11, et *Psal.* XIII, 3). » Commendabile est de quo Salomon ait, « Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis (*Prov.* IX, 1, 2, 3). » Cœlestis enim sapientia sibi « domum construxit, » cum totus in homine Deus apparuit : « excidit » in ea « columnas septem, » quia septiformis in ea spiritus. Mundo gratiam administravit : « immolavit victimas suas, » quia et sua, et suorum passione eamdem domum paravit : « miscuit vinum, » quia divinitatis arcana non capientibus, assumptæ humanitatis sacramenta patefecit : « Proposuit mensam suam, » quia Scripturæ

pabula nobis aperiendo præparavit : « Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis quia, ut ait apostolus, « Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. » (*I Cor.* I, 26, 27, 28.)

Ilæ quidem ancillæ sunt propter humilitatem et abjectionem suam, per quas Dominus ad « arcem, » id est, vitæ æternæ eminentiam, et ad mœnia cœlestis Jerusalem possidenda commonuit. Hoc vinum est, quod vite illa et ejus palmitibus expressum est, qui ait, « Ego sum vitis, vos palmites (*Joan.* XV, 5). » Hos pater cœlestis exprimit, et vinum reddunt optimum ; vinum illud de quo David, « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ (*Psal.* XXXV, 9). » Hoc vino inebriati sunt Petrus et Paulus, cum unus cruce, alter gladio, Deum Romæ testificati sunt. Hoc vino omnes apostoli et martyres ebrii facti sunt, cum omnia quæ mundi sunt contemnentes, et velut stercora reputantes, hæc abjecerunt, et pura Christum confessione sectantes, cum ipso, et pro ipso, mortem sibi magis eligere, quam cum iis vitam ducere, decreverunt. Ait igitur Ecclesia, « Introduxit me rex in cellam vinariam, » id est, apothecam quandam Scripturarum divinarum, qua me a mundo abstraxit, qua me ad ea quæ sursum sunt habitaculum habere nunc permittit : unde sequitur, « ordinavit in me charitatem. » Ecce quod in Ecclesia charitatem Deus ordinat, sine qua in cœlum non ascenditur, sine qua ad Deum nulla ratione pervenitur. « Deus » enim « charitas est (*Joan.* I, 4, 8), omnem procul dubio diligens creaturam ; quam nisi diligeret, prorsus illa non esset, nec ejus existentiæ in creaturis causa vel modus appareret. Hic bonos angelos, et omnes utique virtutes cœlestes, in ea qua creatæ sunt bonitate persistentes, nec spiritui fallaciæ (qui ait, « Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo) (*Isai.* XIV, 14)» in ullo adquiescentes, sed altissimæ bonitati a qua creatæ sunt, firmiter adhærentes, cœlesti donavit gloria : ut qui cum peccare possent, non peccaverunt, jam ut omni possibilitate peccandi careant, et vere dicti, « firmamentum, » illi firmiter et insolubiliter adhæreant, diligant, et obediant. Ad hos habens charitatem, ab iis utique diligitur ; et hæc prima progressio charitatis invenitur. Hic etiam et spiritus malignos diligit, non horum approbans malignitate, qua ab eo aversi sunt ; sed quod ab ipso est approbans, quod scientes sunt, quod trementes, quod fortes, quod suæ existentiæ indesinenter compotes, et summi regis imperio indesinenter obedientes existunt : hoc probat, acceptumque sibi est, suumque sibi retinet, eosdem in omne quod vult ipse confirmat. Hinc est, quod non tentatur Job (*Job* II, 8), nisi licentia a summo Patre concessa : cumque sedens in sterquilinio saniem testa raderet, prohibitum est Satanæ, ne ipsum in anima tentaret : cujus jussa Satana complens, ipsum plene tentatum in corpore, in anima non percussit. Sic quoque cum tentandus esset Achab, legitur dixisse adversario Dominus, « Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait, Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus, Decipies et prævalebis (*III Reg.* XXII, 20, 21, 22) : » sicque accepta licentia, a maligno tentatus Achab, interiit. Sic et malos quidem homines diligit Deus, horum quidem reprobans omnino malitiam, sed quod sunt, quod homines sunt, quod disciplinæ perceptibiles sunt, quod rationis capaces sunt, hæc quidem probat et diligit, quia et ab ipso sunt : quod vero iis omnibus in malum utentes sunt, quod ab eo ob quod facti sunt, degenerantes sunt, hæc nec probat, nec diligit, quia ab ipso non sunt. Hinc Scripturarum nulla diversitas est ; hinc Deo dicitur, « Nihil eorum odisti, Domine, quæ fecisti (*Sap.* XI, 25). » Hinc etiam dicit Dominus, « Inimicus ero inimicis tuis, et adversabor adversariis tuis (*Exod.* XXIII, 22). »

Sic in Scripturis, multa quæ sibi videntur contraria, reperies : sed hoc intellecto, quod in eadem creatura quædam diligit Deus, quædam vero in eadem sunt quæ odit, nil contrarium invenies. Judam enim proditorem (*Joan.* XIII, 2), cum ei jam diabolus misisset in cor, ut illum traderet, nunquid hunc odio persecutus est Deus? (*ibid.*, v. 27.) Illi quippe panem intinctum tradidit, dicens, « Quod facis, fac citius ; » aliaque verba quamplurima, quibus corripi et corrigi potuisset, nisi volens se totum satanæ tradidisset. Sic Saulum (*Act.* IX, 1), cum spirans minarum et cædis in discipulos Domini, acceptis epistolis iret Damascum, ut summo odio persequeretur Jesum, vidit quidem Dominus, cum circumfulsit eum lux de cœlo, cadensque in terram, nihil eorum videre potuit quæ hactenus videre consuevit ; cui de cœlo consilium datum est, ut ingrederetur civitatem, et baptizaretur, et iis quæ sibi ab Anania dicerentur, acquiesceret ; quibus hic quidem acquievit, et baptizatus, tanto Jesum prædicavit altius, quanto non de terra terrenus, sed edoctus de cœlo totus cœlestis effectus est : quem si antequam vocaretur, mori contingeret, Deus illi causam in qua juste salvaretur, adinveniret.

Omnes itaque bonos et malos diligit Deus ; bonos, quia in bonitate persistunt, et proficiunt ; malos, quia a bono deficientes, justitiæ Dei se causam exhibent, et se qui nolentes ut in æternum crucientur, dignos efficientes, Deum omnia justo fine concludere comprobent atque convincant. Sic ipse quod fieri jussit, adimplevit : ait enim, « Diligite inimicos vestros ; benefacite his qui oderunt vos (*Matth.* V, 44). » Quanta enim sunt bona, quæ inimicis suis, et his qui oderunt eum Deus exhibeat, non est qui facile non comprehendat. Sic itaque Deus

in se charitatem ordinat, Ecclesiam edocens, qualiter in se charitatem ordinatam habere debeat (*Joan.* I, 4, 19). Nam quoniam Deus prior dilexit nos, hic ordo est, ut ipsum primo et præcipue diligamus. « Diligamus » autem « toto corde, et tota anima, et tota mente (*Matth.* XXII, 37) : » toto corde diligimus, si nil corde concupiscamus, nil animo volvamus, quod sibi displicere credamus : « tota anima » diligimus, si animam, quæ corpus movet, ad nihil actu implendum quod ei displiceat, applicemus : tota mente diligimus, cum quid boni agimus, nihil nostræ devotionis existat quæ (28), nos ad quid aliud quam ad Deum trahat. Hic primus ordo charitatis est (*ibid.*, V, 39) : secundus ut proximum tanquam seipsum homo diligat. Sed quem arbitramur proximum? Hæc quæstio antiqua est, et ipsi Domino proposita, et parabola proposita de eo qui incidit in latrones resoluta. Ait enim Dominus : « Accidit, ut sacerdos quidam ascenderet eadem via, et viso illo præteriit. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est. Et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum. Et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait, Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi (*Luc.* X, 31-36). »

Bonus hic Samaritanus ejus dicitur fuisse proximus, qui videns illum misericordia motus est, et curam ejus egit. O quanti sumus sacerdotes! O quot Levitæ! qui pertranseuntes videmus afflictos, videmus miseros, nec horum alligamus vulnera, infundentes oleum misericordiæ, et vinum justitiæ! O quot sumus, qui non duos solum habentes denarios, sed multa argenti et auri pondera, nec unum quidem minutum conferimus stabulario, ut curam ejus suscipiat; et pro nobis cum redierit Dominus ipse respondeat! Quem itaque videmus, in afflictum misericordia moveri, quem ejus curam vides gerere, et ejus dolori tanquam proprio condolere et compati, hunc tibi, qui te Deo corde et anima et mente totum credidisti, proximum repnta, et ut teipsum ama; quod est, in hoc, in quo « et teipsum ama. » Huic enim Scripturæ, qua dicitur, « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, » illud consonat, quod ait Dominus in Evangelio : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8) ; » et item : « De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ : hæc sunt quæ coinquinant hominem (*Matth.* XV, 19, 20). » Unde et Salomon ait, « Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (*Prov.* IV, 23). » Idem quoque in Proverbiis subjungit : « Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus : Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias (*Prov.* VI, 16-20). » Quem itaque ut teipsum diligis? cui id optas accidere, quod tibi, cui in hoc adjutor existis, quem a malo quod semper est revocas, et ab hoc quantum potes avertis et separas. Quid de patre tibi dicam, vel matre? qui diligendi quidem sunt in eo in quo diliguntur a Deo; in cæteris vero aspernandi. Dilexit Dominus Ægyptios, his bona communicans, quæ bonis malisque fecit esse communia, ostendens signa et prodigia, quibus converti potuissent, si animos ad bonum convertibiles habuissent. In quibus non proficiens, hos dedit in interitum, ut irent in quod meruerant ipsi supplicium. Docet itaque Deus in quo pater et mater diligi debeat, vel parentes, et affines reliqui; in eo, scilicet, in quo et a Deo diligitur : in cæteris vero quibusdam, in quibus a Deo avertitur, non diligendus quidem est, attamen honorandus; juxta illud, « Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram (*Exod.* XX, 12). » Multis enim honor impenditur, et ab iis longe ad aliud amor implicatur. Sequitur :

5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*

Hæc Sponsa Christi, id est, Ecclesia, vel anima quæque perfecta, in cellam vinariam Regis introducta, et de vino Domini potata, ordinatam in se charitatem ostendit, dicens Angelis, vel Virtutibus cœlestibus, vel ipsis Ecclesiæ ordinatoribus, « Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo. » Languor hic bonus, languor hic affectabilis est; nullam sibi quærit exhiberi medicinam, nisi quæ ex floribus est, aut certe malis. Hic languor ex ordine charitatis est, cum quis Deum toto corde diligit, tota anima, totis viribus, et eum tota mente perstringit (*I Joan.* II, 15, 16). Hic concupiscentia carnis, hic concupiscentia oculorum non est; non est hic superbia vitæ, quæ ex mundo est. Hæc ad hanc charitatem vere emortua est, et vivit in illa spiritus qui vere vivificat, nec dominatur caro, quæ vere non prodest : hæc sibi subveniri quærit, sic ut floribus fulciatur, et malis constipetur. Quos flores dabimus? quæ mala quærenda sunt, ut languenti subveniamus? flores quidem odoriferos, odore suo reficientes, et pascentes animas, et confortantes, ut in eo ipso in quo est maneat, et proficiat, nec contepescat quousque illud apprehendat. (29) Hic florem violæ, candorem lilii, rubentes rosas, et herbarum quarumque flores non marcidos, arborumque omnium quæ fructiferæ sunt flores si comportaveris, gratus eris, et huic fulciendæ, ne forte labatur, in partem alteram cooperaberis. Hæc verba sanctorum sunt, quibus de Domino interrogati

(28) f. *quod*.

(29) f. *Hunc*.

promptissime responderunt; ea in quibus fidem, humilitatem, patientiam, constantiam, et fortitudinem, pacem et spem, charitatem eam de qua agimus, poteris invenire. Hæc, si ab Abel incipias, et ad Abraham lineam justorum recte percurras; si ab ejus sacrificio, Moysen usque pervenias; si a Moyse ad Christum Deum Jesum, Spiritu ducente, pertingas; si a Domino Jesu, in hos qui in orbem ab ipso missi sunt, mentis aciem recte defigas, nihil in horum verbis invenies, nisi quod fidem doceat, spem corroboret, charitatem longe lateque disseminet. Quia vero fructus a flore proveniunt, recte subjungitur, « Stipate me malis, » id est, eorum me fructibus confirmate. Fructus enim eorum opera sunt, quibus fidem verbis adhibuerunt, quibus suas Christo passiones dare minime erubuerunt, imo veritatem quam prædicabant, morte fortissima consecraverunt. Hic crucem beato apostolorum principi Petro recte dabis, gladium Paulo, ferventis olei dolium Joanni, Andreæ stipitem, Jacobo uni Herodis gladium, perticam alii fullariam, assignabis. Cæterosque percurrens apostolos, et omnes sanctos martyres, morte fortissima pro Christo coronatos ostendens, hanc in languore suo permanentem, his fructibus fortissime constipabis, ne vacillet, ne dubitet, sed a vita hac quam terminari necesse est, ad vitam quæ semper est et sine fine, perveniat. Sequitur:

6. *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.*

Suos allocuta amicos hæc Sponsa, hoc in prece complexa est, ut per eos fulciretur floribus, et constiparetur malis, ne unquam ejus intentio ab amore divinitatis, quo jam languere inceperat, averteretur. Hos itaque pro se velut exauditos exhilarat, dicens: « Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me: » ac si dicat, Preces vestras pro me exauditas ex hoc intelligo, quod læva ejus sub capite jam meo est, et jam certe concipio, quod ejus me dextera amplexabitur. Attendendum vero hic est, Dominum lævam pariter habere et dexteram; juxta quod de sapientia Salomon in Proverbiis ait: « Longitudo vitæ in dextera ejus, in sinistra vero divitiæ et gloria (*Prov.* III, 16). » Caput vero Ecclesiæ Jesum Christum fore jam nullus ambigit. Nam sicut omnia membra a capite dependent, et inofficiosum membrum est quod ei non deservit: sic quidem fideles omnes a Christo habent quod sunt, quod fideles sunt, quod in fide bene operantes sunt, et in bono opere spem concipientes æternæ vitæ, ad quam charitate jam conjuncti sunt. Dei quidem hæc dona sunt, beatitudo temporalis, et illa quæ jam est angelorum, et nobis æterna futura est: unde ait Dominus: « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti (*Matth.* XXVIII, 18, 19). »

Sensus etiam corporis maxime vigent a capite, quibus membra corporis universa reguntur, utpote visus, auditus, odoratus, gustus, et tactus: qui quidem in Christo vigere præ cunctis mortalibus agnoscuntur. Videt enim omne opus quod agimus, audit quod loquimur, quod cogitamus, odorat utique bonum quod mente concipimus; et hoc gustat quod actu adimplemus. Quid vero de tactu commemorem? qui quidem mirabilis est; nam quem tangit, hunc statim mutat in se, mutat in virum alterum, ut ipse fiat alienus a se. Lævam itaque sub capite fore intelligit, qui divitias et hanc gloriam temporalem totam ab eo fore cognoscit (*I Reg.* 2, 7). Dominus enim pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. De se enim Dominus ait: « Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. » Quod si non solum in cœlo, imo in terra omnis sibi potestas data est, constat quidem quod divitiæ omnes, et omnis gloria et beatitudo temporalis, quæ quidem finem habere dignoscitur, ex illo est, et illa quæ in cœlo jam diu angelis concessa est, omnibusque suis sine fine concedenda promittitur. Unde recte læva Dei sub capite Sponsæ perhibetur existere, eo quod temporalem hanc prosperitatem et gloriam, nullum nisi ejus dono constat obtinere. In ejus enim typo dicitur, « Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam (*Prov.* VIII, 15, 16). »

Quia ergo jam reges sæculi Christo magna ex parte subjecti sunt (quia illi flectitur omne genu regum, præsulum, potentium, et principum) recte ab Ecclesia dicitur, lævam Dei sub « ejus, » id est, Ecclesiæ capite consistere, quem suis constat membris hæc quidem omnia, prout vult, dispensare. Hæc tamen quibusdam dat, qui beneficia ingrate suscipiunt, qui sese in collatis extollunt, qui Deo non habentes gratias, in his quæ data sunt iram sibi in diem retributionis æternæ coacervant. Suis vero Deus confert ista fidelibus, ut bonis bona quæque dispensent, ne in via turpiter egentes deficiant, ut se filios charitatis exhibeant, et hanc gratiam sibi non pro merito dari reputent; sed illam potius, quæ posthæc suis est exhibenda, requirant. Unde et subditur: « Et dextera ejus amplexabitur me. » Quid enim Dei dextera, nisi ipsa Dei æternitas reputatur? quæ quidem totam amplexatur Ecclesiam, hanc in primis glorificans in patriarchis, prophetis, coronans in apostolis, et martyribus, cætera quoque sua membra digne remunerans; ut nulla omnino pars sit Ecclesiæ, quæ immunem se ejus gratiæ conqueratur. Sequitur:

7. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.*

Hucusque Sponsa verba protraxit plurima, de Sponso quidem loquens, non tamen ad ipsum quod amoris eximii quidem signum est. Mentem enim

amor incitat, ut si Sponso quandoque loqui vel pudor vel timor non permittat, stimulis tamen amoris accensa, ad seipsum, vel ad alium quemlibet, de ipso verba facere non omittat. Quod dilectus ipse considerans, par amoris indicium exhibet, non ad ipsam jam loquens, sed aliis de ipsa sic faciens verba, « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis eam. » Videt hanc magna jam parte sui amore languidam, a mundi perturbationibus in sinu suo quiescere cupientem, etiam necessaria colloquia fastidientem, Sponsi solius oblectatione hilarem; aliam quoque sui partem considerans languoris hujus nesciam, magna sui parte sæculo obligatam, quæ hanc velut emortuam reputans, suæ cupit hanc necessitati condescendere, sui quoque laboris partem suscipere, languenti miserans, sic ait, « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis eam, » id est, a quiete placida avocetis.

Sed attendenda adjuratio est, qua ait, « per capreas cervosque camporum. » Non enim sine causa est hæc adjuratio. Hæ quidem bestiæ sunt a mundo alienæ, ab hominum conversatione sepositæ, herbis sese reficientes, munda quidem animalia, quæ quidem ruminant, et findunt ungulam. Hæc sanctis quæque conveniunt, qui a carnalibus mente sepositi herba pascuntur viridi, sanctorum, scilicet, doctrina immarcessibili, quam ruminant, id est, semel intellectam sæpe ad memoriam revocant; et findunt ungulam, quia intellectis his, æterna a temporalibus separant. Separatim quoque capreolis convenit, ut alta petant, sauciatæ dictamum tangant : quod digne sanctis aptatur, cœlestia, scilicet, appetere, et si quid offensæ est, hoc Christo medicante, sanare. Est et hæc cervi natura, cum centenarius est, aut majoris forte numeri, jamjam (30) vergit in senium, notat sibi quocunque locorum serpentis habitaculum, ipsumque, ut natura edocet, flatu suo statim foras extrahit, manducat, atque consumit; et (31) cœnam hanc haustu fontis aquæ purioris potus, cornua ponit illico, pellemque mutat et pilos, visumque recuperat, seseque totum reformans diu victurus jamjam effectus juvenis, in vitam pertransit alteram. Quod quidem sanctis aptatur hoc modo : vivunt enim sancti, et diu servata virtute, et jam maturata, cum jam vergunt in senium, notant sibi quocunque locorum diri serpentis habitaculum, ubi, scilicet, regnet, ubi habitet, ubi habitantium corda multa sui calliditate dissipet, et a charitate disjungat : sperantes itaque bonam esse virtutum suarum consummationem, si motus hos atterant, si pacem restituant, et restitutam servare doceant; hunc serpentis adeunt locum, et flatu Sancti Spiritus edocti, antiquum hunc serpentem extrahunt, quæ seminavit dispergunt, et illum quasi dentibus conterendo manducant, atque consumunt, et ad nihilum ejus acta deducunt : et post, liquoris fontis haustu, id est, Domini nostri Jesu Christi charismatibus et doctrinis edocti, in vitam transmigrant æternam : in qua, in hominem novum transmutati, vita vivunt beata, cui nihil desit, aut nil potest deesse, quod appetit. Adjuratio vero talis hæc est, « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, » id est, sic vobis detur assequi virtutes, quas per capreas et cervos designamus, ut dilectam non suscitetis, quoad ipsa velit.

(32) Defiguntur hic tempora actionis et contemplationis. Contemplationis quidem tempora grata sunt et acceptabilia, ut vix quibus hæc gratia data est, avelli ab ea possint. Amant enim, et amando intelligunt quanta sibi desint, quæ contemplando inspiciunt; hæc conantur assequi; molestos sibi reputant, per quos vocationem hanc contingit impediri. Sed vox dilecti est quod additur, « Quoadusque ipsa velit. » Unde datur intelligi, quædam esse tempora in quibus Sponsa velit ab hæc vocatione avelli, et inferioribus conformari, ut puta cum fides infirmatur, cum hæresis disseminatur, cum et ipsa in modum canceris jam hæret, et nisi conferantur remedia, totum jam corpus obtinet, et sibi totum possidere jam speret. Unde ait Arius, « Fuit, quando non fuit Filius, » non cœternam sibi totam fuisse reputans Trinitatem : sed divinam illam generationem, (de qua dictum est, « Generationem ejus quis enarrabit?) (*Isai.* LIII, 8), » huic humanæ generationi nostræ similem sperans; in qua, præcedit qui pater est, et ex eo consequenter est ille qui filius est. Quæ nimirum hæresis totum pervagavit orbem, ut in Ecclesia vix quatuor invenirentur episcopi, qui de fide Trinitatis æternæ recte sentirent. Nam, ut de aliis partibus mundi sileam, in Africa sola, quanta hinc mala evenerint, aperiam. Hunericus Genserici filius, qui mortuo patre in regnum successerat, Ariana motus perfidia, trecentos triginta quatuor episcopos catholicos in exsilium trusit, ecclesias eorum clausit, plebem variis suppliciis affecit. Cujus vero Thrasamundus sibi in regno succedens, clausis Catholicorum ecclesiis, ducentos viginti episcopos in Sardiniam exsilio relegavit; quibus papa Symmachus quotidiana subsidia ministravit. Aliis quoque mundi partibus, hæc hæresis adeo pervagata est, ut totam convocare Ecclesiam, et in unum convenire necesse foret, Deumque effusis precibus efflagitare, ut hac amota peste, veritatem rei de qua agebatur, declararet : qui piis dilectæ suæ precibus, aliorumque fidelium inclinatus, Arium, cum ad defendendas hæresis suæ partes Constantinopolim pervenisset, et ex necessitate ad publica purgatoria divertisset, effusis intimis vitalibus, mortem subire compulit, nec ejus ultra hæresis quisquam defensor

(30) f. *jamque*.
(31) f. add. *post*.
(32) f. *Designantur*.

apparuit, sic quoque contemplatione cœli secreta penetrante, et se in his, quoad potest, occupante, cum jam cessante doctrina, vel hæresis, vel alia forte peccata regnant in subditis, vel necessitati forte proximorum subveniri desideratur in anxiis; tempus est, quo velint descendere contemplantes, et his subvenire qui ab iis sunt subsidia præstolantes. Ordo itaque lectionis hic est : Vox dilecti mei hæc est, « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque velit. » Sequitur :

8. *Ecce ille venit saliens in montibus, transiliens colles.*

Hæc est assertio Sponsæ. Dixerat enim vocem illam qua dictum est, « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, etc. » vocem dilecti sui esse : hoc nunc asserit. Videns dilectum suum venientem, nec contradicentem his quibus auctorem se fuisse Sponsa testata est, ejus ante sic protestatur adventum, « Ecce ille venit, saliens in montibus, transiliens colles. » Ampla vero hic lectio aperitur, ubi in Scriptura sacra de montibus agitur, et de collibus. Hæc enim Scriptura, in montes quidem quosdam malos reputat, quosdam laude dignos affirmat : malos reputat, ut montes Gelboe, ubi ceciderunt qui fortes in Israel videbantur; quos detestatus est David, dicens : « Gelboe, nec ros, nec pluvia super vos descendat (*II Reg.* I, 21). » Gelboe namque, « descensus, » interpretatur, montes significans superbiæ atque jactantiæ, in quo, quanto plus ascendis, tanto plus corruis atque descendis. Unde dictum est, « Omnis mons et collis humiliabitur (*Luc.* III, 5). » In hoc quidem pugnaverunt filii Israel a Deo jam reprobi, Saul et Jonathan, qui elati et a Deo reprobati, populum sequentem se in hostem produxerunt, et una cum corruentibus corruerunt. Unde ait David, « Montes Gelboe, » id est vitiorum, in quibus quo magis ascenditur, eo plus descenditur; « nec ros, nec pluvia, » doctrina cœlestis, « super vos descendat, » ubi ceciderunt, qui se in Israel fortes sperantes, infirmitatis sibi conscii corruerunt. Hi mali montes sunt; ab his declinandum esse David ipse commemorat, dicens, « Montes, sicut cera, fluxerunt a facie Domini (*Psal.* XCVI, 5). » Qui enim in sæculo potentes et sublimes, aliis se præferunt, et quasi sibi impares despiciunt, hi Dominum in ira et igne venientem non conspiciunt; sed ut cera a facie ignis, sic effluunt, atque deficiunt. At vero mons bonus est de quo idem David ait, « Selmon mons Dei, mons pinguis (*Psal.* LXVII, 15). » Selmon enim, « umbra, » interpretatur, Dominum Jesum Christum significans, quem totum obumbravit divinitas; unde subditur : « Mons Dei, mons pinguis; mons coagulatus, mons pinguis. » Non est enim in filiis hominum, cui sic totum se divinitatis unda contulerit, quem tota divinitatis plenitudo corporaliter inhabitaverit : unde et subditur, « Ut quid suspicamini montes coagulatos? » (*Psal.* V, 17.) Nullus enim est in filiis hominum, in quo sancta divinitas sic humanitati coagulata sit ut una eademque persona, et verus Deus, et verus homo sit : hic enim mons est, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : in eo etenim Dominus habitabit in finem, quod sine fine datur intelligi. Nunquid enim ab humanitate separanda divinitas est? cui tota collata est in cœlo et in terra judicandi, tollendi, et auferendi potestas. Hic, ut « Rex regum, et, Dominus dominantium (*Apoc.* XIX, 16); » sic quidem, mons montium dici potest : unde et Isaias ait, « Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini (*Isai.* II, 2). » Hæc enim domus Domini, quam Deus corporaliter inhabitat Dominus Jesus Christus; et mons domus hujus, ipsa celsitudo divinitatis est; in quam ipse Dominus Jesus elevatus est super verticem omnium montium, ad quem omnes gentes confluent, et omnes populi; unde sancti omnes accipiunt, ut montes dicantur. Unde est illud, « Levavi oculos meos in montes (*Psal.* CXX, 1) : » et alibi, « Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*Psal.* LXXV, 5). » Ipse quidem sua plenitudine montes illuminat, et ipsos in æternitate constituens, aliis per mundum, ut eorum illustrentur lumine, donat : videns igitur hæc Sponsa Sponsum suum venientem, ait, « Ecce venit, saliens in montibus. » A quo monte salit? a corde Patris. In quem montem salit? in cor Virginis sacræ (in qua humanitatem induit, aptans sibi corpus et animam, et mortalem hanc suscipiens sibi vitam) de quo saltum facit in crucem, qua nos redemit : saltus ejus inde, in sepulchrum proximus est; in quo quadraginta horis commorans, saltum, inde resurgens, in vitam facit immortalem; in quam, cum apostolis, cæterisque suis quadraginta dies commorans, ad locum unde prodiit, ascendit, ut nos illuc doceret per virtutes ascendere, et hunc nostri cursus finem reputare.

Veniens quoque Dominus, in montibus salire dicitur. Sunt enim montes, doctores Ecclesiæ, a montibus æternis illuminati, qui propter eminentiam scientiæ et intellectus recte montes nominantur; in quos saltus facit, cum illos igne suæ coruscationis illustrat. Saltum quippe fecit in apostolum Petrum, cum interroganti Domino, « Vos autem, quem me esse dicitis? » (*Matth.* XVI, 15.) Tacentibus aliis, ille respondit, « Tu es Christus, Filius Dei vivi. » Unde Ecclesiæ claves recepit, potestatem etiam ligandi atque solvendi, et totius Ecclesiæ principatum, post Christum, sortitus est. Quod vero in ipso, et in aliis saltus fecerit, cum ipsos de resurrectione sua certificavit, cum ipsos die Pentecostes Spiritu sancto clarificavit, cum ipsos in omni interrogatione sua constantes et fortes fecit, cum in speciosa porta claudum ex utero matris suæ verbo solo Petrus et Joannes sanarent, cum prædicatione sua Petrus, nunc tria millia, alias vero quinque millia, ad Dominum Jesum converteret, et baptizaret, nulli dubium relinquitur; cum constat, hæc opera non hominis solius potentia, sed vera

Dei præsentia, sic evenisse. Cum ergo constet, eum Ananiæ et Saphiræ fraudem, nullo præter Deum revelante, novisse, ipsos etiam ad ejus increpationem expirasse; quis non intelligat, Deum in hunc prosiluisse, ipsumque hæc ex mandato volentis peregisse? Cumque Joppæ in cœnaculo hora sexta Petrus oraret, et caderet in eum mentis excessus, ita ut cœlo aperto videret ad se vas magnum, ad modum lintei, quatuor initiis de cœlo demitti, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli, et audiret vocem dicentem sibi, « Petre, macta, et manduca (*Act.* xi, 6); et diceret, « Absit a me, Domine, quia numquam manducavi omne commune, et immundum! » et dixisset ei Dominus, « Tu, quæ Deus purificavit, communia ne dixeris. » Quis in eum non dixerit insiluisse Dominum, cum auditis nuntiis Cornelii, venit Cæsaream, et comperiens quod non est personarum acceptor Deus, ipsum, et totam ejus domum, in quam Spiritus sanctus descenderat, baptizavit.

In primum igitur apostolorum Petrum, cum saltus his modis et aliis quampluribus constet fecisse Dominum, restat ut iis modis, de aliis omnibus intelligamus, quos in orbem missos, ipsum et prædicasse, et ad eum gentes convertisse, mira operum demonstratione notissimum est. In novissimum enim apostolorum, Paulum, scilicet, saltum dedit, cum ipsum, de cœlo emisso lumine, prostratum in terram, nihilque videntem, sic vocavit, « Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare (*Act.* ix, 4-15) : » qui ad Ananiam missus, visum recepit, et baptizatus est, et in eum insiliente Domino, coram cunctis manifeste se ejus discipulum esse confessus est. In quo quot saltus Deus fecerit, quam mirabiliter extulerit, quam mirabili doctrina elegantem, et omnibus conspicuum effecerit, ejus docent epistolæ; et ipsi qui dicuntur, « Actus apostolorum, » manifeste declarant. Ait itaque de eo Sponsa, « Ecce iste venit, saliens in montibus : » annectit quoque quod sequitur, « Transiliens colles. Quod quare sic, videamus. Quod enim de montibus diximus, idem de collibus est dicendum. Colles enim, quidam boni sunt; unde dictum est, « Benedicite, montes et colles, Domino (*Dan.* iii, 75); » et illud Isaiæ. « Elevabitur Dominus super colles (*Isa.* ii, 2). » Quidam vero mali; unde in hoc loco dictum est, Dominus in montibus salit, colles vero transilit : ubi namque salit, ibi est; quos vero transilit, non iis moram facit, sed deserit et derelinquit. Qui ergo hi sunt? qui hæreses inveniendo magni se faciunt; in his se extollunt, altitudini montium æquari se cupiunt, populos post se convertunt et trahunt; magni se faciunt cum non sint, Deum se habere jactando, cum ab eo procul sint. In iis Arius, in iis Eutyches, in iis hæresiarchæ omnes, quos Ecclesia sancta denotat, effugit, atque condemnat : hos quidem transilit Dominus. Transilit et hypocritas, qui verbis fatentur se novisse Dominum, factis autem negant. Sic quidem omnes transilit, quos nec fides munit, nec vitæ sanctitas honestos facit. Cujus rei causa hæc est; quia,

9. *Similis est dilectus capreæ, hinnuloque cervorum.*

His quidem animalibus Sponsus adveniens recte assimilatur, tum quia perspicue cuncta Deus intuetur, tum quia in sublimi virtutum culmine commoratur, in iis pascitur, saltus in iis suos emetitur, cernit quoque in quibus serpens antiquus involutus quiescit, vel evolutus spiras protrahit; et hæc (33) quidem sic declinat, sicut nulla communicatio Christi ad Belial. Sequitur :

En ipse stat post parietem nostrum.

Hoc quidem de dilecto promissum est, quia capreæ similis est. Visu namque perspicax est, ut qui Patrem videt, et vivendo Patrem cuncta contuetur in Patre; non solum actus operum, sed et affectus cogitationum. Unde nunc omnes monet, ut ad ejus omnes nos muniamus aspectus, cogitando quæ bona sunt, quæ utilia sunt, quæ digna Dei videantur aspectu; et hæc eadem actu consequente compleamus. Ait enim, « En ipse stat post parietem nostrum. » Hunc quoque similem dixit esse hinnulo cervorum, id est, antiquorum patrum filium, ex iis corpus habens de virgine sumptum, nulli tamen peccato obnoxium vel mole peccati gravatum; utpote cui paternæ naturæ vis inolevit, ut eum occulta non lateant, serpentes fugiant, venena non lædant. Huic igitur, cui occulta nostra sunt pandenda, cui serpens totus displicet, qui aspernatur omne quod ejus veneno infectum est, aptemus nos, ut quæ digna sunt Deo videat, et nihil in nobis serpentis veneno infectum conspiciat, quo sibi a nobis declinare complaceat : « Ecce enim ipse post parietem nostrum stat, despiciens per fenestras. » Qui stare, quidem dicitur, id est optima sui status dispositione immobiliter se habere ad omnia contuenda quæ prospicit, cui nec bona nostra quæ facimus quid adjiciunt, nec ejus gloriæ mala a nobis perpetrata, quid minuunt; sed cuncta se retributioni æternæ quam meruerunt, subjiciunt. Qui quidem « post parietem stat; » est enim paries, nostræ conditionis pars ista exterior (qua induimur, qua tegimur, qua innumeræ tentationi subjicimur) corpus, scilicet, nostrum, quod ut paries ex lapidibus et cœmento construitur, sic nobis apta partium dispositione coaptatur; quod nimirum, quia videt dilectum suum suscepturum esse, vel jam forsitan suscepisse, « nostrum » quidem nominat, ut eum nostræ participem conditionis ostendat. Hic vero Dilectus « post parietem stat, » ut eum, velut ante se positum, libere conspiciat, et quid intus agatur libere per fenestras et cancellos attendat. Fenestræ enim corporis nostri, corporales sensus quinque

(33) f. *hos*

sunt, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus et tactus. His quidem quidam utuntur in bonis, et se bonos efficiunt; alii perditissimis moribus ad mala trahentes, sese consequenter pessimos constituunt: de quibus Jeremias ait, « Ascendit mors per fenestras nostras (*Jer.* IX, 21) : » quod quidem tunc est, cum oculi peccatoris vident mulierem ad concupiscendum eam; mœchatus est enim eam in corde suo : sicque mors ingressa est ad animam per fenestras oculorum. Sed et cum recepit quis auditum vanum, et præcipue falsas scientias dogmatum perversorum, tunc mors per aurium fenestras intrat ad animam. Sicque de cæteris, odoratu, gustu, dictu et tactu : cum his anima quæque abutens, ad malum se applicat, mors jam per fenestras has intrat, et obtinet principatum. Si vero anima intuens ornamentum mundi, et ex pulchritudine creaturarum, conditorem omnium intelligat Deum, et opera ejus miretur, laudetque operum creatorem, ad hanc animam vita per fenestras ingreditur oculorum. Sed et cum auditum inclinat ad verbum Dei, et rationibus scientiæ ejus ac sapientiæ delectatur, huic per aurium fenestras animæ sapientiæ lumen ingreditur; de quibus Isaias ait, « Qui sunt hi qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » (*Isai.* LX 8.) Videns enim in spiritu apostolorum celsitudinem, eorumque admirans per mundum cursum celerem, ait, « Qui sunt isti, » etc. : simplicitatem vero admirans, et innocentiam, subdit dicens, « Et quasi columbæ ad fenestras suas, » simplices, scilicet, et innocentes, et in omni visu suo, et auditu, gustu, odoratu et tactu, illam, scilicet, imitantes columbam, quæ supra Dominum die qua baptizatus est apparuit

Stans itaque post parietem, dilectus hic per fenestras contemplatur, qua quisque porta quærat ingredi, ut ait Dominus : « Lata enim est porta, et via spatiosa, quæ ducit ad mortem, et multi sunt qui intrant per eam : angusta vero porta est, et arcta via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam (*Matth.* VII, 13, 14). » Hos itaque despicit, quasi deorsum laborantes; inspicit, ut eos in suis juvet initiis, et in sua laborantes angustia, sponte jam data gratia deducat ulterius, et arctam inchoans viam, jam in latitudine tandem charitatis constitutos, beatam perducat ad gloriam. Latam vero intrantes portam, spatiosamque tenentes viam quæ ducit ad perditionem, hortatur, monet, et revocat, per naturalem primo legem, deinde per Scripturam, deinde per patriarchas, per prophetas, hinc per seipsum, deinde per apostolos, et per omnes doctores, ut redeant, ut viam cœptam deserant; ne de viæ latitudine gloriantes, tandemque per portam spatiosam intrantes, intrent in tenebras, et horrida perditionis loca, quæ hac currentibus via jamjam vere destinata sunt. Hæc per fenestras contemplatur dilectus, manifeste, scilicet, bonos, et manifeste malos contemplans, nec iis solum contentus, per cancellos prospicit. ait enim : « Despiciens per fenestras, prospiciens per cancellos (*I Tim.* I, 15). » Cancelli enim, arcta foramina quidem sunt, non in modum fenestræ patentia, sed in longum arcte cœmentariorum sub testudine producta; quibus vidit inspector quos vult, nec tamen ab his videri potest, quia nec id vult.

Qui ergo sunt quos sic conspicit? qui vel mala non male agunt, vel bona non bene peragunt. Mala non male agunt, ut Saulus, et qui sibi similes sunt. Hi enim hujus sectæ viros vinctos ad synagogas, et ad judicia pertrahebant : quod quidem malum erat, sed non male fiebat. In hoc enim obsequium se præstare creatori, legi deservire, prævaricationem reprimere, æstimantes, zelo quidem bono, non tamen secundum scientiam, æstuabant, et se, injuriam summæ Divinitati illatam, digne vindicare credebant. Unde et ipse Paulus ait : « Ecclesiam Dei persecutus sum : sed tamen misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (*I Tim.* I, 13). » Ignoravit siquidem, Deum Patrem habere Filium, et ipsum hunc mundo misisse in remedium : ignorabat hunc esse Christum Jesum. Sciebat circumcisionem Abrahæ, et legem Moysi datam esse a Domino, sed hanc ignorabat usque ad tempus Joannis Baptistæ in integritate sua perdurasse, tunc autem in se promissa exspirasse : ideoque sibi hæc revelata sunt, et quæ ignoranter acta sunt condonata. Hunc itaque per cancellos aspexit Dominus, videns hunc, et ei miserans, cum quidem de misericordia nihil speraret, sed totus (34) « minis et cædis » in malum spiraret. Sunt et qui bona non bene peragunt, qui nimirum fidem habentes, opera fidei exercentes, orant plurimum in plateis, sua pauperibus distribuunt et egenis; sed dum hæc faciunt, charitatem quæ virtus est operum non habentes, Deumque se assequi his operibus non quærentes, sed quia totus Deo subditus est mundus, honorari se, et honoribus præfici cupientes, totum perdunt quod agunt, et hoc quod sine charitate distributum est, illud amittunt. Ait enim Paulus, « Si cuncta mea distribuero pauperibus, me etiam ipsum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum (*I Cor.* XIII, 3). » Idem quoque ait, « Sermo Dei vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis; nec est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus (*Hebr* IV, 12). » Unde quidquid agant, Deo coram sunt, ejus oculos non effugiunt; non solum quid agant, sed quid per hoc intendant, mente concipere non retardat : manifeste bonos et malos videns per fenestram; hos vero qui se occultant, intuens per fenestram; hos vero qui se occultant, intuens per cancellos. Sequitur :

(34) f. *minas et cades.*

10. *En dilectus meus loquitur mihi.*

Omnes hæc Sponsa monuit, ut caveant a dilecto suo, qui venit saliens in montibus, transiliens colles, qui venit capreæ, hinnuloque cervorum similis, qui stat post parietem, per fenestras cancellosque conspiciens, quid intus agatur, quod placeat, vel quod sibi displiceat. Nunc vero, quod sibi Sponsus loquatur, insinuat, dicens, « En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea. » Hanc velut e celso per fenestram sedentem in domo viderat, amorem suum ad Sponsum sancta contemplatione foventem, et meditantem modos quibus suus posset amor in Dilectum indesinenter inardescere : et ut hanc quasi languidam, et hoc ipso languore mundo velut emortuam suscitet, resuscitatam denuo novi amoris ignibus inflammet, ait :

Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

Quam tribus hortatur verbis, dicens : « Surge, Propera, Veni ; » tribus hanc designat nominibus, dicens, « Amica mea, Columba mea, Formosa mea ; » ut amica nominum positio totum leviget, quod verborum fieri urget trina præceptio. Ait enim, « Amica ; » nam ex hoc cognovi te amantem me, quod reliquisti patrem et matrem, fratres et sorores, domum et agros, et secuta es me. Te etiam in Paulo dicentem audivi, « Quis nos separabit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu? Scio enim, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque ulla alia creatura separare nos poterit a charitate Dei (*Rom.* VIII, 38, 39). » Te etiam in Petro protestantem audivi, « Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te (*Joan.* XXI, 17). » Addit quoque, « Columba mea, » velut avis innocentissima propagandis fetibus intenta, munditia granorum pasta, gemitum pro cantu habens, gregatim volans, bonum, nisi quod est in commune, non reputans, cum ave dissimili nec rostro, nec ungue lacerans, te quidem columbæ, quæ Christo protestata est in baptismate, similem, quantum potes conformans, et mihi in ejusmodi forma complacens ; tu quam juste formosam rationibus istis approbo, Surge. Dicens autem, « Surge, » non eo modo protulit, quo peccatori dicitur, Surge. Peccatori namque dicitur, « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* V, 14). » Quod quidem homini dicitur gravibus peccatis involuto, in quibus dormire dicitur, gravi, scilicet, oblectatione quiescere, cui voce sancta dicitur, ut surgat, hoc est, a peccatis quiescat ; et exsurgat a mortuis, id est ne in inferno, inter mortuos sibi locum manendi constituat : et cum peccare desieris, et hæc, quæ tibi placebant jam abhorrere inceperis, tunc « illuminabit te Christus, » id est viam, qua ire te velit, ostendet. Nec hoc modo quidem hic Sponsæ dicitur, ut surgat, quæ jamdiu patrem et matrem, domum et fratres, et cætera quæ in mundo habentur, reliquerat, et Christum secuta, dixerat, « Trahe me post te ; curremus in odore unguentorum tuorum. »

Quid igitur est Sponsæ dicere, ut surgat? Ipsam quidem totam in hoc esse cognoverat, ut amorem ejus meditaretur assidue, qui ipsum a Patre in Virginem sanctam pertraxerat, quemque ex ea genitum mundi mala percurrere, et crucifixum spreta (35) morte resurgere, ipsumque dehinc ad cœlos ascendere, et sequentibus se bona cœlestia promisisse, constabat, toto amplecteretur desiderio, optaret voto, jucundaretur soliloquio : huic igitur Dilectus ait, « Surge, » quod est, Excitare ab hac quiete tua, ab hac pace tua : Ego quidem sum, qui adjurans filias Jerusalem, dixi, « Ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, quousque ipsa velit. » Jam tu mecum unus spiritus es ; quod ego volo velle te non dubito. Ne mori flagites, dum multis prodesse potes, ne pertrahat ad se hæc mora periculum ; propera, properando venias ad me. Ego sum ille quem diligis ; jam foris habes, quem appetis ; unde tibi dico, quod venias, ut mecum videas, et opera tua intelligas et, si bona sunt, iis congaudeas.

11. *Jam enim hiems transiit.*

Hiems ea pars anni est, qua nobis lux brevior, noctis vero tenebræ profundiores sunt ; qua gelu cuncta perstringuntur (36), qua hiemali glacie rigent universa, corporibus dominatur humor : hæc omnia temporis inclementiam denotant, quæ jam pertransiisse, et ideo adventus sui tempus opportunum esse testatur. Quæ quidem tunc aderat, cum mundum infidelitas undequaque oppresserat, lux fidei paucorum corda irradiabat, malum ab aquilone provenerat, quod corda omnium gelu malitiæ infrigidata cohibebat, glaciemque cordium nullo Spiritus sancti calore resolvi, impietas indurata permittebat. In corporibus dominabatur humor, in quibus nulla luxuriæ fræna castitatis aut honestatis amor restringebat : sed omnia fœdo permisceri concubitu, luxus, et quæ luxum comitatur importunitas imperabat. Testatur hoc Adæ primi patris inobedientia ; testatur et Caini malitia ; testatur et Lamech (37) « homicida ; » testatur etiam hoc sæculorum impuritas, prius aqua, postmodum igne, exceptis octo, deleta. Sequitur :

Imber abiit et recessit

Imber non quælibet pluvia dicitur, sed tantum hiemalis ; diem sibi noctemque fere continuans, quam nec tecta continent (38) ; qua flumina ingurgitantur, qua pontes concidunt, excrescentia vada commeantibus iter denegant, et cuncta suo rapientia impetu, deferunt in profundum. Quod quidem infidelitatis congruit tempori : ubi namque fidem deesse contigit ibi omnia bona spiritualia deesse

(35) f. *superata.*
(36) f. *constringuntur.*
(37) f. *homicidium.*
(38) l. *cohibent.*

contingebat : non erat ibi spes, non charitas, timor Dei nullus, nulla Deo obedientia, nulla reverentia, et totum quod debebat Deo humanitas, Satanæ fere persolvebat. Hic imber erat assiduus, doctrina magistrorum nefanda, Jovem magnificans, illi sacra offerens, Apollinem, Mercurium, et Bacchum venerans, Junonem, Dianam, Venerem adorans, et Palladem, et cætera, quæ in sacro vel nominasse tractatu pudor erubescit, verecundia denegat : sola vero exponendæ sacræ lectionis exposit necessitas. Hic enim imber, fundamentum fidei, parietes spei, et tecta charitatis, evertebat : descendente enim in domum hanc pluvia, simul venerunt et flumina ; hac enim infidelitate suscepta, ingurgitatæ mentes hominum extra alveos sibi deputatos excreverunt ; et quibus unius Dei fides, cultus, et reverentia, a Deo Patre, ipsique fidem adhibentibus patribus, donata est, hanc diis pluribus attribuentes, et Deos esse plurimos confitentes ; alveum, et sibi ripas deputatas egressi sunt, et secum in profundum inferni infinita hominum millia pertraxerunt. Flaverunt enim venti, quia non defuerunt his flatus spiritus maligni. Pontes eversi sunt, quia Scriptura sancta viluit, quæ nobis ad Deum pontem facit. Commeatus viatori non patuit, quia ab hac vita egredienti nullus ad Deum accessus exstitit. Facta enim est, ut ait Dominus, « domus illius ruina magna ; » et vero magna, utpote cui nullus ad vitam reditus, nulla cum bonis in æternum futura communio. Te itaque, quam amicam sentio, quia vis quod volo ; te, quam columbinis præstantem moribus intelligo, quam mihi conformem, ideoque formosam judico, te evoco, tibi dicens, « Surge, » hoc est, Ab hac contemplatione pacis et quietis qua detineris, egredere ; propera, ut meæ præceptionis imperium tuæ sub dicto (39) sequatur obeditionis obsequium, « et veni, » ut mecum unius spiritus effecta particeps, mihi congaudeas, qui te meo juvi spiritu ut hæc faceres, ut hæc mundi scandala moveres : hieme enim submota, amoto imbre qui cuncta turbaverat, terræ faciem flatus dulcior jam perflavit, et aura Sancti spiritus emissa desuper hanc, fide suscepta, sui decoris flore decoravit : hoc est, quod dicitur :

12. *Flores apparuerunt in terra nostra.*

Ubi infidelitas imperabat, ibi fides jam regnat ; ubi desperata miseria, ibi spes bona se sperat, et gaudet adipisci æterna ; ubi mens frigida, et nullo charitatis igne succensa torpebat ; ibi charitas jam suo cuncta disponit imperio, quæ deorsum erant sursum erigens, et bonis operibus præsentans omnia creatori bono. Adjecit quoque :

Tempus putationis advenit.

Quæ nimirum putatio tempus sacræ confessionis ostendit. Putantur enim arbores, et his sarmenta tolluntur inutilia, quæ fructus non ferunt ; et utiles, si excrescant palmites, ferre impediunt : sic vineæ, A sic arbores aliæ ramis abscinduntur inutilibus, ut qui sunt utiles, fiant utiliores, et fructus afferant cultori uberiores. Quod quidem tempori plenitudinis et gratiæ recte aptatur. Arbores enim quædam aridæ sunt et emortuæ, nec folia producentes, nec fructus ; quædam folia quidem habent, sed non fructus ; aliæ fructus quidem, sed malos : aliæ vero sunt, quibus et folia venustatem præstant, et fructus optimi dignitatem. In his hominum genus omne comprehenditur : harum quidem tres species securis præstolatur et ignis. Quos vero nec folia verborum, nec fructus operum vestiunt, vel si fructus aliquos, hos tamen malos producunt, hos judiciaria securis Domini bene discernens amputat, et igni qui eis deputatus est, judicio quidem justo B coaptat. Illa vero quibus venustatem folia præstant, et fructus optimi dignitatem, ligna Paradisi sunt, in quibus Deus habitat, quibus inambulat, ad quæ Sponsam suam evocat, quæ falce putatoria purgat, ut fructus afferant ; qui fructus eis in vitam æternam permaneant. Quæ quidem falx putatoria, sacra quidem confessio est, qua seipsum homo considerat, quæ gessit in vita cuncta rememorat, seipsum sibi aperit et condemnat, et cui deputatus est, hoc ipsum ore confitens, corde pœnitens, lacrymis lavans et abluens, condignum onus pœnitentiæ suscipiens, et exhibens, lignum fructiferum efficitur, quod secus decursus aquarum plantatur, et fructum afferens gratiæ, a Domino jucundissime suscipitur. C Est quidem etiam Domino tempus putationis gratissimum, quo videt apostolorum gloriam, constantiam omnium per orbem martyrum, qui quidem gravi falce martyrii amputati sunt, et velut inutiles dejecti, ab ipso jam, tanquam altissimi corporis Christi membra, in cœlo gloriose suscepti, jam quidem judicant nationes, et regnant in æternum. Sequitur :

Vox turturis audita est in terra nostra.

Id est, Vox undequaque per mundum prædicatoris audita est in terra jam nostra. Prædicatur enim quilibet, non exquirens prudentiam quæ de terra est, nec fabellationes quæ prorsus inanes sunt, cantu suo hiemis abcessum, et veris nuntians adventum, gemit hic, pudicitiam amans in altis habi- D tat, fugit hominum conversationem, corpore in mundo, mente in cœlo permanens : unde Baptista ait, « Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ : et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham (*Luc.* III, 7, 8). » Petrus vero ait : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum ; et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II, 38). » Paulus quoque ait : « Non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione. Sed induamini Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 13, 14). » Has vero

(39) *F. subito*, vel, *cum dicto*.

voces turturis, quis enumeret? Solus novit eas, qui vocem formal et pectora Deus. Sequitur:

13. *Ficus protulit grossos suos.*

Ficus arbor notissima est quæ foliis abundat, fructu replet eum qui eam colit et possidet : hæc diversis modis fructus efficit. Nam initiato vere, et jam progresso, paululum fructus primitivos efficit, qui grossi dicuntur, et amari sunt, et ob amaritudinem gustus respuuntur, et inter amara et vilia rejiciuntur : eadem vero temporis aliquantulo processu fructificat, fructum dans suavissimum, et gustui innata dulcedine jucundissimum. Hic fructus est ob quem colitur, ob quem circumfoditur, et ad eam excolendam labor multipliciter exhibetur. Ejus vero cum primitivus fructus abundanter nascitur, quia tunc quod in ficu est amaritudinis pene emittitur, spes bona sequentis est, ut quo iste amarior, eo sequens ille dulcior emittatur. De hac ergo ficu dicitur, « Ficus protulit grossos suos. » Hæc enim ficus est de qua dicitur in Evangelio : Arborem ficum habebat quidam plantatam in vinea sua, in qua, tribus annis veniens dominus, et in ea fructum non inveniens, ait cultori : « Succide eam : » de qua cultor ait : « Domine, dimitte illam hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora (*Luc.* XIII, 7, 8). » Hæc quidem Ecclesia dicitur, ad quam tribus annis veniens Dominus (uno, scilicet, anno, eo quidem tempore quod ante legem exstitit; altero, scilicet, quod sub lege fuit; tertio quidem, quod sub gratia incepit) fructus quidem non invenit; unde iratus hæc verba protulit, « Succide eam. » Nam licet ab ipso creationis exordio, Ecclesia quidem semper exstiterit, toto quidem hoc tempore in paucis adeo exstitit, ut ejus paucitas copiosæ multitudini comparata, nulla quidem haberetur, pro nulla reputaretur. Nam toto hoc tempore, si quos justos reperis, cæteræque multitudini compares, sic erit comparatio, quasi modicum quid infinitæ compares multitudini, unde salvator Dominus noster ait : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (*Matth.* VIII, 20). » Sed hæc quidem jam fossa sanctorum monitionibus apostolorum communita, sanctis martyrum exemplis edocta, amaritudine martyrii jam spreta, dulces per mundum jam parit fructus : jam ficuum suarum replet dulcedine, quos in passionis suæ deflevit amaritudine. Unde subditur

Vineæ florentes dederunt odorem suum.

Vineæ vero Domini et una est, et multæ sunt : una enim est Ecclesia, et multæ. Una quidem est congregatio omnium fidelium qui ab initio dilexerunt Deum, et qui adhuc diligunt, et qui dilecturi sunt : hæc quidem una est, in unitate fidei, et spei, et charitatis permanens : quæ quidem tunc apparebit, cum Dominus orbem terræ judicabit, qui regnum a Domino percipient, dicente Domino : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* XXV, 34), » qui jam tunc erunt liberi a « laqueo venantium, et a verbo aspero (*Psal.* XC, 3). » Laqueus quippe venantium, est tentatio malignorum spirituum, quam miseris tendunt mortalibus, ut eos peccatis illaqueent, et illaqueatos ad mortem deducant : verbum vero asperum (quo nihil in mundo asperius esse potest), illud est quod audituri sunt, « Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (*Matth.* XXV, 41). » Quam quidem audituri sunt boni, sed protegente eos manu Domini, non timebunt, quia qui liberavit eos a laqueo venantium, ipse quoque liberavit eos a verbo aspero, ut et illud non expavescant, sed securi de gloria jam percepta requiescant. Hæc quidem illic (40) futura est, quæ hic per partes plures dividitur : est enim Ecclesia hic quædam Hierosolymitana, quædam Antiochena, quædam Romana, aliæque per mundum innumerabiles. Quæque namque hominum fidelium congregatio, in locis quos sibi elegit Dominus, ibi solemnem constituit orationis domum, in qua orent, in qua deplorent, in qua beneficii gratias exsolvant : et hæ quidem vineæ sunt, quæ florentes odorem dederunt. Bonum enim quod hic agitur, totum in flore est, opinionem quidem bonam emittens ex se; fructum vero parturiet, cum pro bono temporaliter exhibito, mercedem quidem percipiet sempiternam. Sequitur:

Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, 14. *columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ.*

Evocavit jam Dilectus Sponsam, ut veniret ad se : eam quoque septem his propositis invitavit, dicens, « Hiems transiit; abiit imber, et recessit; flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem suum. » Quibus omnibus, temporis opportunitas ostensa est ut veniret. Adhuc quoque in eadem perseverans vocatione ad ipsum, repetit dicens, « Surge, amica mea, sponsa mea, et veni, columba mea. » Addit quoque, « In foraminibus petræ, in cavernis maceriæ. » Quæ quidem verba memoriam Dominicæ passionis adjiciunt. Quis enim ignoret, de Christo dixisse apostolum, « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X, 4). » In hac autem petra foramina esse, quis nesciat, qui Christum clavis affixum cruci fuisse non dubitat? In hac etiam maceriæ cavernam inesse, quis nesciat, qui quod legit verum esse non dubitet? Scriptum est enim, « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX, 34). » Quod nimirum latus recte maceria nominatur : est enim maceria, conjunctio lapidum sine cœmento; et hoc quidem latus, sine cœmento humani seminis jun-

(40) f. *una.*

ctum, sanctique Spiritus manu compositum est atque formatum. Veniat igitur Dilecta ad evocantem se sponsum suum, tuta præsidio passionis, munita fidei munimento, veniat e mundo ad hunc qui vicit mundum; veniat e loco doloris et passionis, ad locum ubi dolor non est aut passio, sed pax perennis, et continua exsultatio. Sequitur :

Ostende mihi faciem tuam.

Obedit Sponsa Dilecto suo; nescit moram cum vocatur. Sic enim ei dictum est, « Surge, propera, veni ad me; » quæ sic vocata surgit illico, properans venit, mora non interveniente assistit. Venit autem operto capite, ne faciem ejus sol exurat, ne candor ejus solis candore degeneret. Assistenti autem Dilectæ, et operienti se, dilectus ait, « Ostende mihi faciem tuam. » Sponsam enim Dilecto suo revelata facie præsentari, justum est. Nam si Rebecca, ad puteum, cujus nomen, « viventis, » et, « videntis (*Gen.* XXIV, 65), » est, conspecto Isaac descendit de camelo, et operuit se pallio (hoc quidem sic factum est, quia nondum sponsa erat, nondum illam acceperat, sed destinatam sibi in domum matris introduxit, et accepit eam uxorem, et in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret), hæc Dilecto suo jamdiu dilecta, Sponso jamdiu desponsata, et amore spirituali et soliloquiis divinis jam cognita, non opus est ut coram Sponso operta appareat, sed revelata facie ipsum contempletur et diligat. « Sermo enim Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV, 12, 13). » Huic igitur quid opus est umbraculo, cui nec flores, nec frondes, nec ligna, nec vestimentum, nec aliquod operculum, impedimento sunt; quin rem a fine principii sui usque ad exitus sui finem speculetur et consideret; quæque sunt cogitationis, et locutionis, et antiquæ consuetudinis et operationis, ipse sibi recte denuntiet? Unde in psalmo ter ipse David ait : « Deus, converte nos (*Psal.* LXXIX, 4) : » et item : « Deus virtutum converte nos (*ibid.*, 15) : » tertioque subjungit : « Domine Deus virtutum converte nos (*ibid.*, 20). » Opus enim est homini, ut ab iis convertatur quæ in cogitatu deliquit; ut convertatur ab eis quæ deliquit in verbo; et ab iis quæ in opere deliquit et consuetudine; unde post trinam hanc invocationem, subjungit, « Et ostende faciem tuam, et salvi erimus (*ibid.*); » secure enim Dei faciem videre poterimus, cum hæc a nobis delicta Deus excusserit, et ipse hæc a sui memoria digne invocatus, misericordia id agente, velut evaserit. Sic quoque revelata facie Deus nos videre desiderat, ut nil in nobis se indignum in cogitatu appareat, nil prorsus in verbo quod offendat, nil in actu et opere quod displiceat. Unde ait, « Ostende mihi faciem tuam, » quam dignam fecisti ut mihi appareat, jam post longa virtutum studia, post longa osculi mei desideria, ut videam, an quid egeris quod meo sit dignum osculo, quod osculi mei dignum sit remunerari præmio. Sequitur :

Sonet vox tua in auribus meis.

Ubi grata jam facies, ubi nil quod reprehendatur intervenit, datur ulterius progrediendi licentia; ut sicut de facie Dilecti ejus delectatur aspectus, sic sono vocis ejusdem delectetur auditus : unde dicitur, « Sonet vox tua in auribus meis. » Postula quod vis; nihil enim postulabis, nisi quod æquum et justum est, et quod exaudiri dignum est. In quo attendendum est, voces nostras diversis modis in aure sonare Domini. Sonamus enim quandoque sono Deo tantum audibili, cum ad ipsum cordis tantum devotione loquimur; sicut de Anna scriptum est, quod « corde tantum loquebatur, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur (*I Reg.* I, 13) : » erat enim ad Deum tota ejus devotio; unde exaudiri et gratulari meruit, et prophetam magnum Samuelem mundo producere digna exstitit. Voces quoque sono prolatas audibili advertit Deus, si tamen cordis adsit intentio, et ea quæ has audibiles reddit devotio; ut non avium more tantum demulceatur auditus, sed humano potius more, cordis interni gemitus exaudiantur. Hinc in Ecclesia psalmi resonant, hinc hymni, hinc dulcem resonat Alleluia melodiam, hinc aliæ diversæ voces et innumeræ, quas in Dei laudem humana promit inventio; quas, nimirum, debita si comitetur devotio, Dei auribus insonare et postulata suscipere, dubium non est. Hinc etiam propheta dicit : « Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus (*Psal.* LXV, 1). » Et operis fine, ultimo concludit psalmo : « Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus : laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus : laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio, et cithara : laudate eum in tympano, et choro : laudate eum in chordis, et organo : laudate eum in cymbalis bene sonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis (*Psal.* 150). » Ubi decem vicibus ad laudem monens cœlestium novem ordines, hominemque eis adjunctum, et parem eis per gratiam factam, ad laudem invitat, dicens, « Omnis spiritus laudet Dominum. » Sequitur :

Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

« Vox tua dulcis, » quæ me solum confitetur et orat, magnificat et glorificat, mihi de commissis supplicandum æstimat, et post concessam veniam, dari sibi gratiam exoptat et gloriam. « Et facies tua decora, » facies sine macula, facies sine ruga, facies repulsæ nescia, et inter amicos suscipi et annumerari dignissima.

15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea nostra floruit.*

Moram ignoravit hæc Sponsa, a Dilecto suo

properans ut ad se veniret, evocata, statim surrexit, majestati statim astitit; et quia, ne opprimeretur a gloria, operta venit, audire meruit quod dictum est, « Ostende mihi faciem tuam, » quod est, revelata me facie contemplare; « Et sonet in auribus meis vox tua, » id est, pete quod vis, quam scio nil petituram nisi justa. A Sponso suscepta, meretur intelligere et videre quod promissum est, scilicet, quod « Hiems transiit, imber abiit et recessit; flores apparuerunt in terra; tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra : ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. » Super iis Sponsum Sponsa gratificat, sciens quod hoc totum ejus opus est; et ipsa laudem et gratiam a Sponso suscipit, quia gratia ejus in ipsa vacua non fuit, sed datæ ejus gratiæ ipsa egregie collaboravit. Jam vero tempus est, ut ipsam de cœlestibus erudiat, ut ipsam de iis quæ supra se sunt edoceat, ut de communi actione in contemplationem evocata, ea quæ contemplabatur intelligat, ne cum illa possederit, ex toto rudis existat. Quod quia sibi agendum est, et in honorem Dilectæ suæ quodammodo vacandum, admonet sodales suos, ut interim vineas custodiant quæ efflоruerunt jam, et « florentes odorem dederunt, » ne vulpes eas demoliantur, et labores iis exhibiti ad inane rediganter : hortatur autem sic, « Capite nobis vulpes parvulas. » Loquitur autem ad sodales suos, id est, ad administratorios spiritus; de quibus Paulus ait, « Nonne omnes administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis? » (*Hebr.* I, 14.) Hi sunt angeli, quibus vita hominum custodienda mandatur; quos vidit Jacob dormiens in lapide. Vidit scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam; et Dominum innixum scalæ (*Gen.* XXVIII, 12, 13); quibus hic Deus loquitur, mandans ut vulpes capiant, qui huic vineæ florenti nocere, et ipsam demoliri, et fructus ejus adnullare desiderant : hi vero sunt potestates contrariæ, simul a Deo facti reprobi, in malum Ecclesiæ indurati, in hoc consistunt, in hoc permanent, suos in hoc successus reputant, si Ecclesiam, quam ad Deum tendentem, ipsumque desiderantem, et flore opinionis bonæ, sanctum de se odorem jam emittentem, impedire valeat in aliquo, vel aliquatenus perturbare. Quod patet in Job, patet in Joseph, quod declaratum est in Tobia, quos ii omnes in deorsum per adversa trahentes, per bonos impediti sunt angelos, ne consummarent quod inceperant; sed hæc omnia in bonum illis cooperari cernentes, posse suum nihil esse conspicerent, nisi quatenus a Deo permitterentur. Bonis igitur angelis id mandatur a Domino quod dictum est, « Capite nobis vulpes parvulas, » id est, Quos ut vulpes errare, omnesque dolo perturbare conspicitis, hos capite, hos impedite, nilque eos posse, nisi quod meæ placitum est voluntati, perficite. Harum vero vulpium Dominus in Evangelio meminit, dicens : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (*Matth.* VIII, 20). » Dicenti enim sibi, « Magister, sequar te quocunque ieris, » Salvator ait, « Vulpes foveas habent; » ac si dicat, Non te suscipio, non te mihi prædestinatum, sed vulpibus datum intelligo, ut vulpes te lacerent, et volucres cœli, qui sunt spiritus maligni, diripiant te. Idem quoque de Herode minante sibi ait : « Ite, et dicite vulpi illi; ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor (*Luc.* XIII, 32), ac si dicat, Hoc illi dicite, qui vulpi in escam concessus est, Non me occidet; sed ego hodie, et in tempore quousque (41) ad mortem meam futurum est, in omnibus qui morbo gravati sunt; sanitatem perficio; et tunc die tertia consummabor, id est, tunc moriar, et consummata erunt omnia quæ potest inimicus homo in me. Harum etiam vulpium meminit David, dicens Domino : « Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam (*Psal.* LXII, 10). » Qui enim Dominum occiderunt, animam ejus perdere quæsierunt, sed in vanum, quia vivit : ecce Dominus Rex in æternum. « Introibunt in inferiora terræ (*Psal.* XXVIII, 10); » amore enim regni terreni absorbebuntur, et excæcabuntur, ita quod in inferiores partes terræ intrasse videbuntur. Dolentes (42) enim Romanis subjici, contriti sunt in ore gladii, et eorum pars maxima vulpibus data, hoc est, malignis spiritibus traditi, ut eos pascant, et eorum quæcunque fiunt voluntati complaceant. Legitur quoque Samson trecentas cepisse vulpes de allophylis, et harum colligasse caudas, ignem quoque lampadarum inter caudas posuisse, et sic eas in labores allophylorum, segetes, et vineas, et oliveta misisse, et omnia consumpsisse (*Jud.* 15). Quod quidem est, quoties Ecclesiæ quis doctor Catholicus omnes hæreticorum hæreses simul colligit, et in medio earum lampadem ignis cœlestis, ignem, scilicet, maledictionis æternæ, ponit; sicque eam in labores illorum immittens, quæ eorum sunt consumit, et ad nihilum redigit. In quo quidem attendendum quod vulpes hæ, dum parvulæ sunt, capi jubentur; parvulæ namque sunt in ipsis tentationum primordiis; et fiunt magnæ, cum tentatione crescente, mentes hominum elidunt, et ad actus nefarie persuasos inducunt. Sic enim castitas eliditur. Primo videtur mulier; et crebra visione concupiscitur; post concupiscentiam, allocutione concutitur; post visionem, et concupiscentiam, et allocutionem, titillatione mala excrescente, actus male desideratus impletur, et castitas diu impugnata dejicitur. Sic quoque alitur et nutritur visione cupiditas, dum se non metitur homo « quid debeat, quid faciat (43), » quid fieri juste oporteat; sed se ad ea facienda quæ

(41) f. *quod usque.*
(42) f. *Nolentes*
(43) f. *quid facere debeat.*

sunt ultra se, vel injuste extendat. Sic unum possidens, secundam quærit unitatem, ut multiplicetur in decuplum : inde quærens tertiam, hoc agit, hoc quærit ut multiplicetur in centuplum : cui nisi addatur millenarius, nil actum esse reputat, cum quid sibi deesse non ignorat. Sic infinitum hoc malitiæ dedecus, cum numeri multiplicatione contendit, nunquam sibi ponens modum, cum aliquem invenerit, in quem possit excrescere, numerum ampliorem. Unde Salvator ait : « Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. » Et iterum : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 23, 24). » Camelus est funis maximus qui habetur in navibus, quo, cum excreseit tempestas, naves stare datis anchoris compelluntur ; hunc per foramen acus transire facilius est, id est, spretis omnibus per duram mortis passionem emigrare, quam hac evitata in regnum cœlorum introire : quod quidem si homini difficile est, Deo facile est et possibile. Multos enim divites, omnia propter hunc reliquisse, et per foramen acus ad ipsum intrasse, cognovimus ; quod solius Dei est potentia, et ineffabili misericordia, qui eos ab ore et faucibus imis Satanæ eripit, et ad cœlestia regna perducit. Sic cæteræ virtutes emolliuntur, sic pereunt, vitium sic possidet quod arte maligni comprehensum est. Unde recte dicitur, « Capite nobis vulpes parvulas, » quod est, vulpibus his resistite dum sunt parvulæ, primos earum motus concutite, ne valeant excrescere, ad me, qui sum petra firmissima, collidite. « Nam vinea nostra floruit, » id est, spem de se bonæ operationis emisit, et si defendatur per vos, hanc spem vestram fructu boni operis adimplevit. Sequitur :

16. *Dilectus meus mihi, et ego illi.*

Vox ista, vox Sponsæ est, quæ ad Sponsum evocata jam venit ; cum qua Dominus miscet colloquia, miscet (ut sic dicam) soliloquia ; soli enim Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nota sunt hæc quæ dicuntur, quæ Sponsæ huic revelantur : unde et ipsa ait, « Dilectus meus mihi » quasi alloquitur ; « et ego illi » quasi verba respondeo, vobis autem quæ sint hæc secreta non revelo. Unaquæque secreta tenet Deus, ne tentemus ingredi, nec quæ soli revelat Sponsæ, præsumamus aperire ; hæc omittimus ; illi soli cui commendata sunt, nobis cum noluerit aperienda, commendamus. Sequitur :

Qui pascitur inter lilia. 17. *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.*

His omissis, his taciturnitati commendatis, quæ soli Sponsæ loquitur Deus, annectit Sponsa, quid in supernis agat Sponsus, quo jucundetur, quo oblectetur, quo reficiatur, quæ illi pastio magis grata habeatur, dicens, « Qui pascitur inter lilia. » Lilia vero hæc in hortis et areis cœlestibus exorta, tanto magis decore pollent, odore, et suavitate, quanto magis is a quo plantata sunt his interesse A et eorum aspectu et odore refici delectatur. Hæ quidem virtutes cœlestes sunt ; harum decor et fragrantia cœlestis admirabilis est ; ut hac ille dicatur pasci, qui solus creat, solus ordinat, solus pascit universa quæ creat, atque sustentat. Inter has pasci Dilectus dicitur, ut his conformari studeant qui in terris agentes cœlestia jam desiderant, ut palmam castimoniæ usque ad angelorum conversationem custodia integritatis evehant ; cæteri quoque alieni a vitiis existant, nil mundi hujus sibi vindicantes, ut eos non inflammet libido, non stimulet avaritia, non effeminet lascivia, non sternat ambitio, invidia non maceret, non secularis cura negotii sollicitet, « Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. » Dictum est, quod inter lilia Dilectus B pascitur, nunc vero dicendum est, quamdiu inter eadem, aliis non adjunctis sibi ad pascendum commorabitur ; hoc enim est quod dicitur, « Inter lilia pascitur ; » et inter hæc ipsa, aliis sibi non adjunctis, eousque pascetur, donec aspiret dies illa judicii, qua manifeste Deus seipsum ostendet, reddens unicuique juxta opera sua ; bonis sine fine bona, malis mala quidem sine fine permansura. Dies quidem Domini recte duo nominantur : unus, quo judicatus est, et de eo dictum est, « Non hunc, sed Barabbam (*Joan.* XVIII, 40) : » itemque de eo dictum est, ut « crucifigatur ; sanguis ejus super nos, et super filios nostros (*Matth.* XXVII, 25, 25). » Alter, quo totum a morte suscitatum judicabit orbem terrarum, « Judicabit autem omnes in æquitate, et populos in veritate sua ; » dies quo « lux lunæ sicut C lux solis erit, et lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum (*Isa.* XXX, 26). » Hic etiam dies Domini recte dicitur, quo se verum Dominum demonstraturus est, et cuncta eis quæ meruerunt redditurum. Cum igitur hic dies aspiraverit, id est, apparere inceperit, tunc de terris collecta lilia, iis quæ in hortis cœlestibus sunt exorta, consociabit ; tunc hominum et angelorum una fiet Ecclesia, cum jam non nubent homines, neque nuptum tradent, sed erunt sicut angeli Dei (*Matth.* XXII, 30) : tunc simul pascetur in liliis cœlestibus, et in iis quæ de terra sumpta sunt, et cœlestibus adæquata, et virtute per gratiam operante, ipsorum gloriæ facta D conformia : tunc inclinabuntur umbræ. Tempus quod hic transigimus totum sub quadam vicissitudine transcurrimus, nunc diem horasque diei metientes, nunc noctem et horas ejus totidem recensentes : hanc vero noctem, terræ, corporumque quæ in ea sunt umbræ erectæ perficiunt : sole enim agente inferius, partes mundi obscurantur superiores, et terra ; et multitudine corporum quæ in ea sunt sursum umbram jaciente, pallio terræ noctis obducuntur. Sed cum hæc dies aspiraverit, in illa sol perpetuo existens ipsam illuminabit, et luce clara fulgebunt sancti in conspectu Altissimi, nec vicissitudinem hanc noctis supervenientis sentient ; sed umbræ istæ omnes quæ noctem hanc faciunt, in inferiores mundi partes inclinatæ descendent, et

noctem illam tenebrosam, jam perpetuo mansuram, damnatis quippe miseris opportunam efficient. Sequitur :

Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.

Evocata jamdiu Sponsa vocanti se Sponso astitit, ipsum inter lilia cœlestia pascentem vidit, id ipsum exoptans sibi suisque audire meruit ut expectet, « donec aspiret dies et inclinentur umbræ : » tunc e terris exorta lilia congregabuntur, et supernis aggregata et assimilata liliis, hoc quidem dono munerabuntur, ut inter ipsa pascatur Sponsus, et in æternum delectetur, et ipsa illud decantent apostoli, « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi (*II Tim.* IV, 7); reposita nobis est hæc corona justitiæ, quam ecce nobis retribuet justus judex. Unde supplex orat, ut revertatur Sponsus, et visitet, et foveat Ecclesiam quæ terris laborat; ut labores ejus ipse suscipiat, ipse provehat, et ipse ad perfectum usque perducat, dicens : « Revertere, dilecte mi. » Sequitur, « Similis esto capreæ, » id est, incarnationem tuam, qua capreæ similis es, id est, perspicue cuncta videns; et qua hinnulo cervorum assimilaris, id est, ex antiquis patribus ut hinnulus mundo mirabiliter editus æstimaris, hanc sibi præsenta, hanc in ejus memoria revoca, ut te laudet, te adoret, te glorificet super omnes montes Bether, nullum tibi in Ecclesia æqualem reputans, sed te super omnes montes qui sunt in Bether, quod est, « Domus Dei, » vel, « Domus consurgens, » vel, « Domus vigiliæ, » quod totum Ecclesia est, longe sublimiorem, et longe sanctiorem intelligat. Sequitur :

CAPUT III.

1. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea ; quæsivi illum, et non inveni.

Exoravit hæc Sponsa, vel fidelis quæcunque anima. Dilectum suum, ut cœlum non deserens, Ecclesiam tamen laborantem in terris respiciat, ejusque labori miseratus condescendat; jam nunc, ut eum facilius pietas moveat, et ad ea quæ rogantur inclinari faciat, ipsius annectit verba quibus supplicat : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. » Attendendum vero hoc loco est, quod Salomon rex festivus, et in rebus omnibus opulentus, deliciis quoque deditus (ut mos plerisque regibus est), hanc suam mundo notificet opulentiam, scribens ait : « Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus (cap. VI, 7). » Ubi vero tot sunt reginæ, tot concubinæ regiæ, et adolescentularum, quæ Sponso nutriuntur, nescitur numerus, ibi perfecto luxus exuberat, quo delicate comedentem, et fastidientem communia gustum quis exhilaret; ibi stipendia, quo cultus earum Regi venienti non displiceat, et cætera quæque quæ hunc venientem ad amorem pertrahant et alliciant. Quæ quisquis es qui audieris, non bonum est ut frangaris animo, ut animum relaxes ad mollia, nec in turpibus oblecteris, nec mentem in his quæ dicuntur impedias, sed per hæc magis quæ dicuntur corporaliter spiritualia intelligas, ut mos est Scripturarum, amorem potius tuum in his quæ spiritualia sunt erigas et accendas. Rex enim iste festivus Salomon, magnus ille Rex est, qui est Pater, qui est Filius, qui et Spiritus sanctus est, qui unam, dum currunt secula tribus ordinibus, sibi jungit Ecclesiam; cujus eam partem « prima et præcipua » (44) reginarum, secundam concubinarum, tertiam adolescentularum designat nominatione. Et quidem reginarum designantur ex nomine, quæ jamdiu concurrerunt, quæ post trahentem ascenderunt, et trahentem hunc comprehendere meruerunt; sic ut cum Apostolo dicant : « Scimus enim quia neque mors, neque vita, neque ulla alia creatura separare nos poterit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, Domino nostro (*Rom.* VIII, 38). » Attendas in hoc ordine Eliam, attendas et Eliseum; quorum unus, curru igneo, et equis igneis ad Deum sublatus est; alter, a Jericho in Bethel ascendens, puerorum loci ejus illusione accepta dicentium (*III Reg.* II, 11), « Ascende calve, ascende calve, eis maledixit in nomine Domini. Egressique statim ex saltu duo ursi, laceraverunt ex iis quadraginta duos. Ille vero inde ascendit in montem Carmeli (*IV Reg.* II, 23, 24). » Hos itaque duos, aliosque Veteris Testamenti quamplures, huic ordini digne attribues, qui nil nisi Deum scientes, ipsumque nasciturum ex virgine præscientes, post ipsum vere cucurrerunt, et ipsum utique comprehenderunt, et regni ejus hæredes effecti, cum ipso gloriantur in æternum. Quid vero de iis æstimandum est, quos Evangelica meminit pagina, qui Deum in carne præsentem viderunt, ex dictis et factis agnoverunt, solum secuti dixerunt : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis? » (*Matth.* XIX, 27.) Quid de Petro? qui dicenti Domino, « Vos autem, quem me esse dicitis? » (*Matth.* XVI, 15, 16) confidenter respondit : « Tu es Christus, filius Dei vivi; » quem Dominus vero beatum asserit, quia hoc non a carne et sanguine, sed a Patre suo qui in cœlis est, sibi revelatum respondit; quem sex commatibus beatum distinguit, dicens : « Tu es Petrus (*ibid.*, 18), » id est, in fide mei tanquam petra, firmus; et sic Petrus a me tanquam petra nominatus. « Et super hanc petram, » quam me esse intelligo, et in te esse constituo, « ædificabo Ecclesiam meam, » id est, vires sum daturus Ecclesiæ, et ædificabo tam firmiter, quod « portæ inferi non prævalebunt adversus eam, » id est, spiritus maligni, et hos sequentes divites mali, non nocebunt ei. « Et tibi dabo claves regni cœlorum (*ibid.*, 19), id est, ut nullus intret in regnum cœlorum, nisi per fidem et sacra-

(44) F. *quæ prima et præcipua est.*

menta, quæ sunt ex me tibi commissa. Et maledictus erit, id est, fides aut sacramenta suscepta ei non proderunt; cui maledixeris; sicut illa salva erunt cui benedixeris.

Quid de Joanne evangelista dicendum est? qui ait, « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis? » (*Joan.* I, 14.) Dicendum quidem est, quod et ii, et omnes apostoli, et omnes his non dignitate quidem, sed charitate et operibus assimilati, hi sunt quorum animæ in cœlum receptæ et honoratæ, ejus quidem dignitatis sunt, ut a Rege ipso reginæ dici mereantur; in quibus ipse sic glorietur, ut dicat, « Sexaginta sunt reginæ; » quas nimirum, quotquot sunt, sub sexagenario comprehendit numero, dicens eas sexaginta. Sexagenarius quidem ex duobus numeris perfectis constat ductis in se; nam sive sexies decem, aut decies sex, dixeris, unum numerum efficies, scilicet, sexagenarium, et hos duos utrinque numeros assignabis, legis denarium, Evangelii senarium. Hi igitur qui in utroque perfecti sunt, legem implendo et Evangelium, ad numerum recte applicantur sexagenarium.

Hæ igitur animæ recte reginæ dictæ sunt, quæ Christo recta lege matrimonii conjunctæ, ipsi charitatis affectu intimo adhæserunt, exemplo sui filios ediderunt, juste regni æterni hæredes; de quibus dictum est, « Genus electum, gens sancta, populus acquisitionis (*I Petr.* II, 9). » Beati vere qui cœlestium virtutum meruerunt consortes fieri, et ea perfrui charitatis gloria quæ nescit defectum. Secundo vero loco, illæ numerantur animæ quæ concubinæ dictæ sunt; nam, ut ait Apostolus, « Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum (*I Cor.* XII, 28). » In iis forte locum concubinis invenies, quæ quidem hæ sunt animæ, quæ Deo licet aliquo jungantur consortio, non illi toto corde, non tota mente, non totis viribus adhæserunt, nec pares apostolis effectæ sunt; nam, ut ait Apostolus, non omnes apostoli, non omnes prophetæ constituti sunt. Quibusdam enim perfecta gratia datur, quos novit Dominus qui sint; quibusdam imperfecta, aut in uno perfecta, in aliis non perfecta; et hæ quidem ex se fixos procreant, non quasi matrimonio genitos, aut regni hæredes; sed quibus per misericordiam suam subvenit Dominus, ut in regno suo suscipiantur et alantur, erudiantur, et salvantur. « Adolescentularum vero non est numerus; » adolescentulæ namque sunt nuper ad fidem conversæ animæ, vel certe post admissa peccata plurima ad conversionem : de quibus ignoratur, qualis eorum futura consummatio sit; quas nimirum respicit, et ut suæ dona sunt misericordiæ, eo modo quo deliberat, pertrahit ad se. Hæ sunt itaque distinctiones Ecclesiæ, quas A in sequenti distinguit Salomon dicens, « Sexaginta sunt reginæ, » etc., quas ob hoc ad præsens attigimus, ut Sponsam hanc a Sponso evocatam, et cœlestibus eloquiis allocutam, et soliloquiis edoctam, hanc illam esse edoceremus, quæ reginæ nomine a Salomone donata est, cum dictum est, « Sexaginta sunt reginæ : » quæ vero in terris manet, et concubinarum, et adolescentularum nomine designatur, illam quidem esse, pro qua superior orat Ecclesia, dicens, « Revertere, dilecte mi (cap. II, 17). » Ad cujus orationem, ut dilecti majestas facilius inclinetur, et vocem ejus audiat, verba quæ plorans effundit adjunguntur : « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. » Lectulus quidem noster est conscientia B nostra, in qua quidem quiescimus, si nobis bona præsentamus; si mala nobis occurrant et pessima, angustamur quidem et affligimur. Nam quem reprehendit cor suum, et male se peccasse Domino, et ad proximos male se habuisse fatetur, huic nulla quies, sed labor, et afflictio spiritus, et mœroris ampla confusio : unde Propheta ait, « Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum (*Psal.* VI, 7). » Laborem quidem intelligit conscientiæ, quam et ingemiscere ostendit, et laborare, et per singulas noctes lectum abluere; quæ quidem tunc lectum abluit, cum pœnitendo se Deum offendisse dolet et ingemiscit : et lavat hunc per singulas noctes, dum per peccata singula, Dei iram se incurrisse plorat : infusam sese lacrymis, cum C corpus suum, in quo se peccando constravit, lacrymis se rigasse congeminat, dicens, « Lacrymis meis stratum meum rigavi; » quia mentis meæ turbatus est oculus a furore, id est, manifesta ira Domini, a præsentia inimicorum meorum, peccatorum, scilicet, inter quæ, ab ipso primo peccandi exordio inveteratus vetus et effectus sum, et ab ipsa fere Domini gratia reprobatus; ait enim Isaias, « Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat; et pallium breve utrumque operire non potest (*Isa.* XXVIII, 20). » Mens enim humana arcta et angusta est, ut eam malus si spiritus occupaverit, Spiritus Dei deserat; et cum eam Spiritus Dei occupaverit, agente hoc, et melius judicante libero arbitrio, D malignus ille spiritus juste et prorsus abscedet, quia « pallium, » id est, nostræ creationis mensura et brevitas, « utrumque, » Dei spiritum et malignum, « operire, » id est comprehendere, non potest. Hæc igitur per singulas noctes cum quærat Deum, et dictum sit ei a Domino, « Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (*Matth.* VII, 7); » quid est quod ait, « Quæsivi, et non inveni illum? » Hoc quidem est quod diximus, quod nondum hæc ad superiora ascendit, dignitatem illam nondum attigit, qua reginæ donatæ sunt, quarum petitioni nil negatur, quæstioni nil clauditur, pulsationi promptius aperitur : adhuc agit in infimis; unde dicit :

2. *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et pla-*

teas quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.

« Surgam, » id est, ab hoc peccati mei onere, simul et sordem meam excutiam ; « Et circuibo civitatem, » hanc quidem Ecclesiam magnam, quæ modo bonis et malis communis est, si quod in ea videro consilium, et auxilium quod expediat, id executura. Et ut arctius ostendat quid actura sit, annectit, « Per vicos et plateas, » id est, per astrictos ordini, et conjugatos, vel sine conjuge manentes liberos : per hos « quæram quem diligit anima mea. » Sed licet querula, et quærendi studiosa sit hæc, tamen adjungit, « Quæsivi illum, et non inveni. » Quid igitur?

3. *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.*

Qui sunt hi vigiles ? angeli quidem, custodes Ecclesiæ, quibus hæc commissa custodia est, ut sciant et intelligant quid boni, quid mali quis egerit, quæ sibi reddenda promeruerit : de quibus in Evangelio Dominus ait, « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis ; dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est (*Matth.* x, 18) ; » quos hæc alloquitur, dicens :

Num quem diligit anima mea, vidistis?

Hos quidem alloquitur, a quibus palam non accipit ipsa responsum. Nam cum bis totam lustraverit Ecclesiam, et utrobique dixerit, se Dilectum suum non invenisse, quæ causa sit cur ipsum non invenerit, a vigilibus clam auditura est. Dixit enim, « In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni ; » quod est sibi in conscientia ad memoriam reduxisse « noctes, » id est, tenebrosas actiones, quibus Deum offenderat, nec amplius dixisse, vel quid egisse : quod quidem Deo satis ad remissionem peccati non est, hoc ipsum quod feceris in conscientia sola revolvere, nisi hoc quod egeris, studeas corde, ore et opere humiliter emendare. Corde emendas, dum pœnites ; ore, dum confiteris ei cui deputatus es ; opere vero, dum jejunio, disciplina, oratione, eleemosyna, vigiliis et doctrina, quod male actum est, redintegrare desideras. Ait enim beatus Jacobus, « Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini (*Jac.* v, 16). » Hanc sibi legem confessionis edocent beati vigiles, quibus et obedit, et dictam legem confessionis excipit, corde pœnitens, ore confitens, quod injungitur opere adimplere desiderans. Sequitur :

4. *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea ; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ*

Ecce quantum proficit hæc tripartita confessio : hæc enim excessus suos corde, et ore, et opere confessa, cum jam « vigiles, » id est, custodes Ecclesiæ angelos in Spiritu pertransisset, invenit eum quem diligit anima ejus, Deum, scilicet, quem propitiatorem agnovit, a quo sibi peccata remissa, et omnia a memoria æterna rejecta intelligit. Unde ait, « Tenui illum, » id est, firma charitatis radice adhæsi illi, non eum dimissura, « donec inducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ ; » id est, donec ad eum convertam Synagogam, quæ est mater mea, et gentilitatem, quæ mea est genitrix. Hæc enim Ecclesia sancta, toto orbe terrarum collecta, matrem in fide Judæam habuit, a qua prima cultum unius Dei habuit, idola respuit, sibi soli sacrificii et holocausti hostias immolavit, legalia præcepta quamplura obtinuit : gentilitatem vero, quia Judæa respuente, ad fidem Christi genitricem habuit, qua docente, fidem ejus plene et omnia sacramenta ejus susceptit. Hunc itaque non dimittet, quia non silebit, non a prædicatione, non a contestatione eorum quæ Christus docuit, cessabit, donec illum et gentilitas, et Judæa tota suscipiat ; et tam ea, quam ipsa quæ sursum evocata est, et tam nomine quam reginæ dignitate honorata id agente, plene mundo Christi veritas innotescat. Sequitur :

5. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

Ubi id quod positum est repetitur, ibi recte ejus quod dictum est reminiscitur. Ait Sponsus superius, « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me (cap. II, 6). » Quod quidem Sponso gratum exstitit ; probat namque fidem, qua bona temporalia quæque potestati Domini Jesu Christi subjicit : probat et spem, qua se Dei dextera in æternitate amplectendam proponit. Hic quoque quod dicitur non dimittendum se, donec utriusque prædicatione in mundum perfecte inducatur, ab ipso grate suscipitur ; ideoque filiis Jerusalem, ne id impedire præsumant, sub eadem adjuratione præcipitur : « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. » De quo, quia quod dedit Dominus id dictum est, ad cætera pertransimus.

6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?*

Sponsa hæc, Dei magnificata præsentia, se promissis obligat, non quieturam se, id est, a prædicatione Christi non destituram, donec illum totus agnoscat mundus, et illi fiat subditus. Hanc vero, in hac implenda promissione, fixam cernentes filiæ Sion, et nunc hos, nunc alios ad fidem convertentem, et cum his ad superna ascendentem, ejus admirantes providentiam, perseverantiam, aiunt, « Quæ est ista? » id est, qualis, et quanta est ista! et quanta admiratione dignissima, « quæ sic ascendit per desertum? » Desertum locus est quem dignum deseri omnes dijudicant, quem hoc judicio nulli inhabitant, sentes et spinas quas producit abhorrent et metuunt, venenosa quæ parturit, hæc vehementer effugiunt. Quo quidem nomine mundus hic intelligitur, qui spinas parturit peccatorum, venena suscipit immundorum spirituum, et susci-

pientes hæc ad cavernas mittit inferorum. « Quæ » igitur « ista est! » id est, qualis, et quanta, quantave admiratione dignissima, quæ per hunc mundum, tentationibus infinitis subjectum, et sibi dantes operam tentationibus innumeris subjicientem sibi et revertentem, sibi gradus ponit ascensionis, et eo quærit ascendere, unde tot millia novimus hactenus descendisse; et inde sibi præmia quærit acquirere, unde tot hominum millia sibi inferni supplicia vidimus incurrisse. « Quæ » igitur « ista hæc, » quæ regum gloriam calcat, et minas judicum non expavescit, probra non metuit, adulantia despicit, tormenta si adhibeantur ridet, pœnam mortis læta suscipit, et mundum hunc læta virtutibus comitata transcendit? Magna quidem ista hæc, quæ, si adversis premitur, non frangitur; si læta suscipit, nequaquam extollitur; sed eamdem se semper in utroque casu exhibens, per hoc desertum fugere, ascendere, et Deo propinquare intendit, unde et subditur :

Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii.

Fumus eodem tempore partim oritur, partim qui prius fuerat ortus, solet in sublimioribus disparere : sic Ecclesia in quibusdam suis membris semper nova gignitur, in quibusdam, qui prius nati fuerant, semper ad cœlestia colligitur. Fumus etenim ex igne natus in alta conscendens, paulatim humanis subtrahit se conspectibus : sic Ecclesia igne, scilicet, sancti Spiritus in amorem Dei accensa, ascendere non desinit, donec a terrenis abstracta, ad invisibilia cœli rapiatur : quæ non virga, sed « virgula » recte dicitur, quia hic modus ascensionis est, ut ardor compunctionis interdum adeo subtilis sit, ut eum nec ipse comprehendat qui habere meruit, nec discernat ipse cui datus est. Unde non hic virga, sed « virgula » recte dicitur, quia recta et extenuata, agilis quoque compunctio cordis intelligitur, utpote quæ ex aromatibus myrrhæ et thuris exorta cognoscitur. Myrrha quidem corpora a putredine defendit; thus vero accensum redolet : unde per myrrham, carnis mortificatio; per thus, munditia orationis intelligitur. Ecclesia quidem carnem mortificat, dum voluptates abnegat, et dum ad Deum fervorem orationis emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo, id est, corde suo educit, ut Deo suaviter redoleat, et proximum accendat. Et ne mortificationem solummodo præsentet, et orationem, cæterisque destituta virtutibus appropinquet, additur, « Et universi pulveris pigmentarii, » quod est : Ipsa est virgula fumi, non solum ex myrrha et thure exorti, imo qui ex pulvere qui a pigmentario ad bona conficienda pigmenta contunditur et commiscetur, suam sumit substantiam, et Deo præsentatur ad gloriam. Hæc vero aromata commemorans, primo myrrham, deinde thus, postea universum pulverem pigmentarium ponit, quia prius est mortificare concupiscentiam carnis, postea offerre Deo placabilia vota cordis, et sic cum humilitate in omni virtutum genere excrescere, quibus Deo valeat complacere. Sequitur :

7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.*

Admirandam decore miraque operis exaltatione Ecclesiam hanc filiæ Jerusalem jam prædixerunt, quam nunc pergunt exsequi, ostendentes et magnificantes beatitudinem ad quam tendit, ad quam ascendit, quo trahitur, quo in pulverem redacta pigmentarium, collocari, sublimari, et exaltari jamjam digna videbitur : quam nimirum beatitudinem ostendit, lectulum Salomonis designans, et ejus ferculum, et diadema gloriæ, quo die desponsationis suæ sublimari præ cunctis dignus habitus est. Et de lectulo quidem sic dicitur, « En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. »

Per Salomonem vero, qui *pacificus* interpretatur, Christum significari certum est, qui suo cuncta pacificavit sanguine, et in unam redegit rempublicam, quæ in cœlis sunt, et quæ redemit e terra. Ejus vero lectulus est beatitudo, in qua Rex cum sanctis quiescit, ad quam Ecclesia per desertum quotidie ascendit; qui quantis consternatur ornatibus, quanto fulgeat ornatu, quantis deliciarum copiis affluens, quantave charitatis abundantia sit exuberans, norunt ii, quos idem lectulus jam suscipit, quos eadem beatitudine Dominus jam donavit. Hunc quidem « sexaginta fortes ambiunt; » ut enim hujus lectuli castitas inviolata observetur, hunc « ambiunt, » id est custodiunt, sexaginta fortes. Sexagenario vero numero prædicatores verbi continentur, qui lege docti et Evangelio, bonos et scientia erudiunt, et ad perfectionem usque perducunt. Senarius enim Evangelio attribuitur; hoc enim numero, Dominus bona bonorum, et mala malorum emetitur, dicens : « Esurivi, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me : nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me (*Matth.* xxv, 35, 36). » Hic itaque recte Evangelio attribuitur, quo si sexies ducatur denarius, sexaginta proficientur. Hi itaque custodes lectuli recte sexaginta deputantur, qui quocunque ferantur in verbo Evangelium non transeunt, et a lege non recedunt. Hi vero « fortes » nominantur, fortitudo namque virtus est, quæ virtutes sola defendit, judicia custodit, invicta ad labores, fortis ad prælia, pecuniam negligit, avaritiam fugit quæ virtutem effeminat (nihil enim tam contrarium fortitudini quam lucro vinci), non tentatur cupiditate, non metu frangitur, quia virtus sibi constat, ut persequatur vitia tanquam virtutis venena; quam, non ut mediocriter exprimat, adjungit, « Ex fortissimis Israel; » fortissimi namque sunt, qui sine debilitate desiderii æterna contemplantur, carnem vincunt, voluptatibus contradicunt, aspera mundi ferunt, pro æternis blandimenta spernunt, adversitates superant, finem suum con-

spiciunt, extra laborant, ut intra gaudeant. Sequitur: A

8. *Omnes tenentes gladios.*

Dictum est, qui custodiant; nunc vero dicendum est, qualiter hunc muniti lectulum custodiant, « tenentes » quidem « gladios. » Hic armatura doctorum exprimitur, quæ ab Apostolo latius demonstratur: ait enim beatus Paulus: « State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei... et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 14-17). Hæc quidem armatura doctorum est, quæ designatur hoc loco per gladium, qui ejusdem armaturæ pars principalis est. Gladius enim utrinque secans verbum Dei B est, corporalia et spiritualia dividens, umbram a veritate discutiens, « Vivus enim Dei sermo est, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque et medullarum, discretor cogitationum, et intentionum cordis. » Hunc tenent fortes in manibus, id exercentes opere quod vident in meditatione. Scire enim et intelligere non satis reputant, nisi quod intellexerint, id opere adimpleant: multos enim bene monentes male viventes cernimus, qui, quod verbo detestantur, id non verentur agere, et quod verbo « contexunt, » (45) hoc manibus exercere intelliguntur. Sic Scribæ docebant et Pharisæi, quorum verbis acquiescere jubet Dominus, C opera vero declinare, suosque aliter docere præcipit, dicens, « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). » His itaque gladii tenentur in manibus, qui doctrinam suam piis confirmant operationibus, et confidenter edocent quod ipsi opere adimplent. Sequitur:

Et ad bella doctissimi.

Nam ad bella doctus est, qui peccato resistit opere; ad bella doctior, qui ei et opere resistit, et verbo doctrinæ; ad bella vero doctissimus, qui ei verbo resistit et opere, et adhibito zelo disciplinæ. Innocentes enim tradit exitio, qui eum, cui adhuc latrocinandi spirat affectus, liberat a supplicio; et multorum cogitat exitia, qui parcit malis indulta D venia; facilitas enim veniæ, incentivum est culpæ. Sequitur:

Uniuscujusque ensis super femur suum.

Multos a bellando cohibet ipsa bellandi impossibilitas, utpote si habeant gladium, manibusque teneant, ipsumque extrahere nequeant, vel difficulter queant: hostis ideo non necatur, et cui pœnas meruit, impunis evadit. Ideo subditur, « Uniuscujusque ensis super femur suum, » ut ipsum juvet, et extrahendi facilitas, et hostem cito percutiendi opportunitas. Ensis enim super femur est, cum prædicatione caro propria domatur, ne cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur. Sequitur:

(45) F. *contemnunt.*

Propter timores nocturnos.

Vita quæ hic agitur, per dies noctesque transigitur: quæ hic fiunt opera, quædam diei, quædam nocti attribuuntur; diei, quæ lucis sunt, nocti, quæ tenebrarum. Vita vero quam præstolamur, tota in die, tota in luce futura est: nulla tunc participatio justitiæ cum iniquitate, nulla societas luci ad tenebras, nulla conventio Christi ad Belial. Belial cum suis totus horrebit tenebris, et inde sibi nullus jam ad tentandum quocunque modo fideles, nulla ratione patebit egressus; qui, quia nondum hac judicii districtione ligatus est, nunc egreditur; nunc, dum tempus est, noctis opus et tenebrarum modis omnibus inferre satagit et emolitur. Hunc vero repellunt ii fortes, ne forte insidiæ tentatoris, securos hos et inermes sternant, et de commissa sibi custodia quidquam male deripiant. Sequitur:

9. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.* 10. *Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.*

Post lectuli descriptionem, descriptio ferculi recte supponitur. Surgens enim e lecto Rex, ferculo se suscipit, ut de loco feratur ad locum, prout cujusque viderit exoptare negotium. Ait ergo, « Ferculum fecit rex Salomon de lignis Libani. » Libanus vero *candidatio* interpretatur; et ligna Libani cedri sunt et cupressi; quæ quidem recta sunt et erecta, comam in altum producentia, immarcessibilia, imputribilia, odorem etiam ex se optimum emittentia: de iis fecit sibi Rex ferculum, quo circumferretur, quo ipsum expeteret circumferri negotium. Hæc quidem ligna sanctorum designant agmina, quæ recta sunt, recta ad Deum meditatione et actione tendentia; et imputribilia, quia hos in æternitate susceptos nulla attingit corruptio, nulla mortis, aut doloris, aut molestiæ cujusquam afficit passio. In iis beatos apostolos, Petrum et Paulum, cæterosque apostolica dignitate sublimatos connumera, qui Dominum per mundum ferunt, qui ejus facta, dicta et promissa mundo testantur et nuntiant. Eosdem quoque columnas reputat argenteas, quos dat Deus prædicatores Ecclesiæ, rectitudine justitiæ roboratos, ut Ecclesiam suis exemplis sustentent, et nitore eloquii, quasi splendore argenti, decorent. Fecit et in hoc reclinatorium aureum, quod quidem sunt præclaræ mentes fidelium auditorum, in quibus, dum gaudium cœleste præmonstravit, quasi reclinatorium ex auro sapientiæ composuit; Sapientia enim « pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari (*Prov.* III, 15). » Ad hoc vero quia multa tribulatione pervenitur, et sanguinis effusione ascenditur, additum est: « Ascensum fecit purpureum; » illuc enim per martyrium, quod purpura designatur, unusquisque evehitur; vel certe Christi passione, quæ purpura pretiosior est, per quam in Ecclesiam et in cœlum introitur; in-

gressus ad gloriam sacramento passionis aperitur. Demonstrato ferculo, ostensis columnis, et reclinatorio, ascensu quoque purpureo, restat ut et area ferculi demonstretur, quam sic ostendit : « Media, » id est, area quæ in medio ferculi est; hanc « charitate constravit : » bene prærogativa charitatis elucet; nam si apostolus es, ad ferculum pertines; si martyr es, pertines ad eumdem; si virgo es, virginitatis in ipso merito præfulges : quod si iis meritis non æquaris, et tamen diligis, in hoc quidem ferculo recte susciperis; media namque charitate constrata sunt, ut in ejus medio sedeat quicunque credit et amat. Quod quidem additum est « propter filias Jerusalem, » id est, propter eas, quæ tempore juniores, merito inferiores existunt; quæ, si summis non æquantur, a ferculo tamen hoc alienæ non sunt, quæ in charitate servantur. Sequitur :

Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem.

Dictum est de lectulo, et de custodia ejus; dictumque de ferculo, et ornatu ipsius; restat ut dicatur de regno, et gloria ejus; quod prosequitur, dicens : « Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem, in diademate quo coronavit eum mater sua. » Per regem vero Salomonem, Christus (ut jam dictum est) intelligitur, qui crucem super humeros vexit, et per hanc sibi regna jam terræ cuncta subjecit. Ad hunc itaque videndum, omnes quæcunque « filiæ Sion, » id est, speculæ cœlestis filiæ esse desiderant, qui sibi locum in cœlestibus præparari tota devotione cordis exoptant, Scriptura præsens excitat ut egrediantur, et post suam egressionem videant regem Salomonem in diademate quo coronatus est (*Gen.* IV, 8). Non autem hortatur egredi, ut Cain foras egressus est, et consurgens adversus fratrem suum in eum machinatus est. O miserum Cain, nec ulli miserandum, qui metam innocentiæ transgressus, qui fraternæ pietatis oblitus, latam mundo parricidii viam aperuit, et innocentem perimens, sese nocentem mundo declaravit (*Gen.* XXXIV, 1); nec quidem ut Dina de tabernaculo patris egressa est, ut videret mulieres regionis illius; quam agentem curiose, et ad ea levantem oculos quæ imitari non licebat, videt Sichem filius Hemor, et adamavit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem; cujus ultionem mors ipsa Sichem, et patris ejus Hemor, et omnium qui mares in civitate reperti sunt, et ipsa civitatis depopulatio protestatur. Egressiones enim istæ malæ sunt; nec ad hoc scribuntur, ut eas imitari fas sit, sed ut scripta caveantur, cogitatu pariter et actu declinentur. Bonæ vero egressiones plurimæ sunt; ut de qua dixit Dominus Abrahæ, « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi : faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi; et in te benedicentur universæ cognationes terræ (*Gen.* XII, 1, 2, 3). » Quæ quidem impleta est ab Abraham obediendo, et jam nunc a Domino, vere quæ sunt promissa complendo. De Jacob quoque dictum est, quod egressus de Bersabe pergebat Haram (*Gen.* XXVIII, 10), ibique capiti suo supponens lapidem magnum, vidit visionem, et audivit Dominum dicentem sibi : « Et benedicentur in te, et in semine tuo cunctæ tribus terræ : » quam nimirum egressionem bonam fuisse, ipse sequentis operis demonstrat effectus.

De beato quoque Petro legitur, quod cum egressus fuisset atrium in quo Christus judicabatur, cantavit gallus, et flevit amare : quæ nimirum egressio designat, ipsum a negatione, qua ter Dominum negaverat, jamjam alienatum esse, et ejus ex cordis amaritudine profusas lacrymas, data desuper venia, in cœlo jam esse susceptas. Cum sit ergo quædam misera, et a Deo longe recedens, quædam felix, et ad Deum, quoad fieri potest, pœnitentiæ et amoris passibus accedens egressio; quanam « Aaron » (46) filiabus Sion consulitur egredi, ut Regem gloriæ in diademate suo contemplari valeant et intueri? non ea utique qua Cain egressus est, qua fratrem occidit, et seipsum interfici promeruit : nec ea qua Dina, curiositatem secuta, alienigenas videre voluit, et seipsam alienigenæ commisceri, et virginitatis suæ damna incurrisse, condoluit : nec ea qua spiritus a facie Domini egrediens, ait : « Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus (*III Reg.* XXII, 22), » et interficiam Achab : sed ea quam secuti Abraham et Jacob, Petrus et Paulus, Deo familiares, et amici facti sunt ejus. Egrediendum est igitur de castris infidelitatis et ignominiæ, de castris vani timoris et impœnitentiæ, de castris invidiæ et malitiæ, de castris impudicitiæ et omnis immunditiæ, ut his egressi, castra virtutum omnium introeamus, in quibus regem summum videre, sibique complacere mereamur. Sequitur :

In diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus.

Sancta mater summi Regis hujus virgo beata est illa Maria, quam salutavit angelus, quam præ omnibus elegit Dominus, quam obumbravit Spiritus sanctus, cujus laus omne superat eloquium, de qua quidquid dicatur, minus est ejus laude quod dicitur, huic succumbunt eloquia, veniam postulant, quantumcunque digne lata præconia, nil dici posse fatentur, quo ejus augeantur vel æquentur merita. Hæc Regem istum diademate coronavit, quia iste Rex in ea, et de ea carnem assumpsit, in qua de diabolo, et morte qua premebatur mundus, gloriose triumphavit. Ejus enim caro est, qua mulier illum circumdedit, quem ex ea natum sanctissime virgo pannis involvit, et in præsepio reclinavit.

(46) F. *earum.*

Hic, quem de cœlo stella monstravit, quæ ad ipsum adorandum et honorandum muneribus, reges ab Oriente protraxit; hic qui sapientia, ætate, et gratia apud Deum et homines proficit; hic qui in baptismo crimina nostra purgavit; hic qui mundo miraculis enituit; hic quem suis brachiis crux sancta portavit; hic de sepulcro surrexit, et quadragesimo die videntibus populis, cœlos ascendit, et die suprema cunctos palam judicabit; ad hunc ergo videndum, quæ filiæ Sion esse cupiunt, invitantur, ut de castris vitiorum egressæ, ad castra virtutum ingressæ, dicant cum apostolo Thoma, « Dominus meus, Deus meus (*Joan.* xx, 28); » et ipsum in novissimo die videant et attendant, quia, « hæc est vita æterna, ut videant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* xvii, 3). » Hoc quidem diademate coronavit eum mater sua in die desponsationis illius: huic enim Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto Virgo beata vere desponsata est, cum eam Matrem Filii Dei agnoscentes, vera sibi charitate conjunxerunt, et tota sibi amoris plenitudine desponsaverunt. Hinc quidem lætitia cordi Virginis incedit, hinc se beatam asseruit, dicens: « Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc.* i, 46, 47). » Accita ad vitæ finem hæc Sponsa, ne transeuntibus his implicetur et illaqueetur, admonita ne jamjam speret adventurum quod dicitur, ut jam Sponsus videatur, ut corporaliter attrectetur, Sponsus quod supra dictum est repetit, dicens:

A B C

CAPUT IV.

1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum.*

De quo, quia donante Domino, jam quod occurrit diximus, nunc tacemus, id attentare volentes quod adjectum est:

Absque eo quod intrinsecus.

Dixit quidem dilectam suam oculis columbæ similem; quod ne perversius intelligatur, adjecit, « Absque eo quod intrinsecus latet; » columba namque, si mundis pascitur, si sine felle est, si rostro vel ungue non lacerat, si gemitum pro cantu habet, si gregatim volat, ad hæc motu quodam naturali ducitur; ad hæc nullo timore Dei, astringitur, sed intra hæc innata quadam lege naturæ coarctatur: anima vero dilecta Deo, si in his se columbæ assimilat, intus sibi in mente est, quo ei dissimilis invenitur. Columba namque si mundis pascitur, pastum quærit, non Deum: anima si mundis pascitur, Deum quærit, non pastum. Columba si felle caret, id naturæ est; si sine ira se regit anima, id gratiæ. Si gemitum pro cantu habet, non dolet quidem, sed cantum, ut sibi donatum est, modulatur: si gemit anima, ipsam Dei præsentiam sibi adesse, et in ea gloriari, deprecatur. « Magna enim » (ut beatus Gregorius testatur) « est gloria aperti oris; sed longe incomparabilis est gloria occultæ remunerationis: » pulchrum est hoc quod extra cernitur; sed longe et incomparabiliter pulchrius id ad quod invisibiliter pervenitur: pulchra est conversatio exterior; sed pulchrius illibatum cordis desiderium, quo beatitudo appetitur, et conscientia mundatur. Hoc igitur in anima dilecta Deo latet, intrinsecusque in columba penitus ignoratur. Sequitur:

Capilli tui sicut greges caprarum.

Attendendum vero quod hæc commendatio numero septenario comprehenditur, ut intelligas, quæ de ea dicuntur spiritualiter dici, et spiritualiter debere intelligi: nam ut de oculis dictum est, sic et de capillis intelligendum est. Capilli enim de corpore sunt, et ornatum præstant faciei; præciduntur aliquando, et ornatum confert ipsa præcisio: si hos abesse contigerit, faciei deformitas apparebit. Hi ergo sunt fideles populi, quorum frequentia adornatur Ecclesia; qui cœlestia, quæ audierint, ad memoriam revocando, ruminant, sic in sublime quærentes pabula, et munditia fidei contemplantes æterna: qui nimirum præciduntur, cum se aut in actione, aut in contemplatione peccasse quoquo modo confitentur; et ornatum faciei ista præcisio præstat, quia redintegratio et reformatio spiritus est vera confessio. Vel si subtilitas meditationum in capillis intelligatur, hæc capreis recte comparatur, quæ et ad excelsa tendit, et si temporali astringitur necessitate, non tamen recedit ab æternorum intentione. Sequitur.

Quæ ascenderunt de monte Galaad.

Galaad *acervus testimonii* interpretatur. multitudo, videlicet, martyrum, qui pro fide Christi mortui, testes sunt veritatis. Vel, « Galaad, » ipse Christus est, in quo multitudo martyrum una est. De monte hoc capreæ ascenderunt, quia sancti imitantes ejus mortem, ad superna ascenderunt Sequitur:

2. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et non est sterilis inter eas.*

« Dentes, » divini verbi doctores et expositores sunt: hi cibum his quos edocent, molunt et incorporant, qui dicta Domini fideliter intelligentes et docentes, hæc in eorum animarum substantiam trajiciunt, vitamque jam fide susceptam servant atque comminuunt. Hi gregi tonsarum ovium comparati, de lavacro dicuntur ascendere, qui in baptismo, vellere peccati deposito, viam virtutis arripiunt, populos post se trahunt, et ex gentibus et Judæis unum populum Christianum constituunt: vel ipsos hinc fide, hinc opere perfectos reddentes, gemellis ipsos ditant fructibus et exornant. Unde nulla in his sterilis invenitur, a quibus verbi suscepta prædicatio opere diligenter adimpletur. Sequitur:

3. *Sicut vitta coccinea, labia tua; et eloquium tuum dulce.*

Labia dentes operiunt, verba proferunt, et quæ a lingua et dentibus intus formantur, prolata foris exaudibilia reddunt. Qui igitur dentes, ii quoque labia sunt, quæ intus formant, foris in lucem pro-

ferunt; et, ut cuncta quæ dixerint attentius audiantur, hæc Dominica passione colorant, et melliſluæ humilitatis dulcedine, ut reddant gustui spirituum sapida, collaborant. Unde et hic sequitur, « Eloquium tuum dulce. » Sequitur :

Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

Malum punicum Ecclesia est, qua quot fideles continet, tot sub uno cortice grana tenet. Hujus genæ sunt Ecclesiæ diversæ locis diversis fidelium devotione constitutæ. Quibus enim sancta ejus placet humanitas, et huic ab his Ecclesia consecratur : aliis sancta Trinitas cordi est, cui locus devotissimi sanctificatur. Hæ igitur genæ sunt, in caput unum concurrentes, Dominum scilicet, Jesum Christum, qui Deus in personis trinus est, et unus humanitate, caput omnium et principium, quæ sunt, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt. Hæ tamen genæ sic sunt, « ut fragmen mali punici : » nam ut in fragminibus mali punici grana sunt, a granis partis alterius diversa; sic et in his locis fidelium diversæ devotiones sunt, una illic majestatem Dei adorante et sequente, altera istic humanitatem ejus et humilitatem devotissime prosequente, nulla tamen occulta Dei quæ adhuc incognita manent, plene comprehendente. Unde et hic subditur, « Absque eo quod intrinsecus latet; » nam quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, hoc penes se Deus continet, revelaturus cum volet. Sequitur :

4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Demonstratis his partibus, oculis, et capillis, dentibus, labiis, atque genis, sequitur colli constructio, cujus continua est, his quæ sunt memorata compositio. Ait igitur, collum hoc esse sicut turrim David : turris enim a David in Jerusalem est composita, jacula repellens hostium, nullas formidans machinas inimicorum; hæc doctorum prædicatio sublimis est et inexpugnabilis; quæ, dum vera prædicat, nulla adversantium sibi falsitate repellitur; dum coruscat miraculis, vera esse ipsa rei demonstratione comprobatur. Hæc itaque propugnacula sunt, cum quibus hæc turris ædificata est, Scripturæ sanctæ quibus suam vere astruit veritatem : et « mille clypei, » id est, mille protectiones, quibus eorum qui contra se arguunt, repellit et reprimit prævitatem : hæ quidem protectiones a prædicatione sancta dependent, quia quod in patriarchis sanctum est, quod in prophetis nobile, (47) quod in miraculis insigne, totum Evangelio contestatur, et ejus approbat veritatem, cum ea quæ superest fortium armatura. Hanc vero fortium armaturam quis exprimat? Quis eam, quæ omne transcendit eloquium, verbo digne comprehendat? Quis enim Petri constantiam, quis Pauli fortitudinem, quis Joannis dilectionem, quis sanctorum omnium virtutem eloqui digne sufficiat? quibus hæc armatura procedit (48), et vera hæc esse quæ prædicantur affirmat. Sequitur :

5. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis. 6. Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.

Hæc sunt ubera quæ sugimus, a quibus incrementa suscipimus, ut Christo Regi placeamus, duo Testamenta, quorum unum præparatorium est, alterum consummans. Præparatorium est quod a Moyse datum est, in quo de Christo promittit ea quæ de ipso in Novo jam Testamento videmus impleta; prima enim prophetia hæc exstitit, qua Dominus ad serpentem ait : « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus (*Gen.* III, 15). » Beatam igitur virginem exprimens, cujus calcaneo, extremæ scilicet parti, qua terram « videbat » (49) serpens insidians, ne prævaleret in morsu, ipso ejus calcaneo conquassatus est. Primum ejus semen, Adam docente, Abel justus apparuit, qui agnum offerens, Christi passionem præmonstravit, et ipsam confitens, innocens in ea et martyr occubuit. In semine hoc Seth « numerabilis » (50) et Henoch, Noe quoque mundum ligno salvantem, et Abrahæ filio suo non parcentem, ipsumque Moysem sic dicentem : « Prophetam suscitabit vobis Deus de medio fratrum vestrorum, similem mei, et ponet verba sua in ore ipsius, loqueturque ad eos omnia quæ præceperit illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine Dei, audire noluerit, ipse ultor existet (*Deut.* XXVIII, 18, 19). » Quæ et contestans Isaias, ait, « Ecce virgo concipiet, et pariet Filium (*Isa.* VII, 14). » Jeremias in id ait, « Faciet Dominus novum super terram, et mulier circumdabit virum (*Jer.* XXXI, 22). » Quod affirmans Ezechiel, ait, « Porta hæc clausa erit, et non aperietur, et vir non transiet per eam, eritque clausa Principi (*Ezech.* XLIV, 2). » Aitque Daniel, « cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit in vobis unctio (*Dan.* IX, 24). » Sic totum percurrens Testamentum Vetus, illud in promissis, in holocaustis, in sacrificiis, in eo Testamenti Novi præparatorium quoddam poteris invenire. Novum vero Testamentum est quod audimus, quod legimus, quod Christo auctore contestamur, quo jam statum habente, vetus interiit, nisi quod hujus veritati testimonium fidele perhibuit. Hæc sunt ubera, « ut duo hinnuli capreæ, » quæ cum velis comprehendere statim a te fugient, et vides hos in alta conscendere : alta enim justorum mysteria hominis non capit intellectus, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sequenda ergo in his fides est, et humana ratio, in confes-

(47) F. *notabile.*
(48) F. *præcedit.*
(49) F. *calcabat.*
(50) F. *numerabimus.*

sione Trinitatis et Unitatis veritate, in Incarnationis mysterio et Passionis sacramento, in eo quod offerimus altaris dono, tota conticeat, et quod fides prædicat, hoc veneretur, et diligat (hæc enim « pascuntur in liliis, » id est, fidem accipiunt ab iis sanctorum conventibus, qui sicut lilia, Deo assistunt, et ab eo splendorem gloriæ sempiternæ percipiunt) donec illis assistamus, cum dies judicii aspiraverit, et umbræ hæ igorantiæ, quæ nos ad præsens impediunt, ex toto fuerint evacuatæ. Sequitur:

Vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris.

In laudem Ecclesiæ decurso præsenti septenario, ne moram faciat, membris in cæteris hoc exsequendo, agit quod amantis est, videre desiderat quod amat, ei præsens adesse quam tanta laude magnificat. Unde ait, « Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris, » id est, præsens ipse visitabo Ecclesiam, quæ mons myrrhæ est, et collis thuris. Mons vero myrrhæ, altitudo est mortificationis; de qua ait Apostolus, « Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus (*Col.* III, 5). » Hæc vero mortificat Ecclesia, considerando quæ sursum sunt, ubi nil est aut esse potest eorum quæ dicta sunt. Collis vero thuris, humilitas est orationis, qua se Ecclesia in alta suspendit, et velut e thuribulo cordis, quasi fumus thuris ascendit. His enim virtutibus Ecclesia, vel fidelis quæque anima mundatur in mortificatione vitii, reluctans in oratione, lacrymis se abluens, ut lotis sordibus, Sponso pulchra appareat; cujus conatum ipse adjuvat, et opus suum in ea laudans, dicit:

7. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Et hæc quidem causa est cur vadam, quia tu « tota pulchra es, et macula non est in te, » cujus plene describit plenitudinem (31), novissime ponens quod primum est: ad hanc namque spiritualem pulchritudinem primum est, ut in baptismi lavacro, vel sanguinis effusione maculæ deleantur: deinde virtutes spirituales quæ Deo complacent, assumantur, ut ad illam in capite et in membris suis ornata pie desiderans Sponsus accedat, et in ipsa mansio sibi sancta complaceat. Unde ait:

8. *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.*

Libanus namque, « Candidatio, » interpretatur; unde et hæc luce virtutum perfusa, ut ad Deum veniat, evocatur, utpote cui ter dicitur, « Veni, » ad ipsum fide perfecta, spe exhilarata, approximet, et cum eo æterna claritatis plenitudine refecta congaudeat: quod quidem gaudium annotatur, cum dicitur, Coronaberis de capite Amana; » quæ quidem corona de cacumine Amana, de vertice Sanir et Hermon effecta comprobatur. « Amana » namque mons Ciliciæ est, qui, « Inquietus, » vel, « Turbulentus, » dicitur, homines designans seculi, qui ex avaritia et cupiditate rerum transeuntium, inquieti semper inveniuntur et turbidi. « Sanir » mons in Judæa est, qui, « Fetor, » interpretatur, hos significans, quorum corpora luxuriarum agitantur incendiis, et fœdantur. « Hermon » vero Judææ mons, qui et, « Anathema, » interpretatur, hos significat, qui per superbiam elati adeo efferuntur, ut iis nulla communio cum Domino sit, qui ait, « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV, 6). » Quid ergo est, coronam dilectæ suæ ex his cacuminibus confici, nisi eos qui fœculenta rerum cupiditate turbati fuerant et subversi, ad Christum plene converti; et quorum corpora luxuriæ distrahebant innumeræ, Christum solum amplecti et diligere; qui etiam aliis omnibus se præferebant, hos etiam usque ad mortem se pro Christo humiliari, et dicere, « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum (*Phil.* I, 21). » His ergo coronatur Ecclesia et sublimatur; hos uno complectens verbo, subjungit, et dicit: « De cubilibus leonum, et de montibus pardorum. » Hi namque montes cubilia, id est, loca in quibus leones conquiescunt. « Leones » namque dicuntur maligni spiritus, qui in iis recubant in quibus vitia prædicta jam regnant. « Montes » vero pardorum hi sunt, in quibus virtus vitio permista est, gaudetque quæ vocatur hypocrisis, vitio pallio virtutis operto, ab omnibus honorari. His itaque, qui montes pardorum fuerant, et leonum cubilia, ad Deum mente pura conversis, pardis, scilicet, puritatem amplectentibus, leonibus vero simplicitatem et humilitatem diligentibus, corona sponsæ præparatur, quæ sibi signum victoriæ, eo quod mundum vicerit, jamjam esse demonstratur. Sequitur:

9. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.*

Ecclesia quæ summi Regis hujus sponsa jure dicitur, ejus sanguine acquisita, duarum partium divisione consistit; una, quæ jam perfecta est; altera, nondum perfecta. Illa perfecta est quæ vias vitæ jamdudum ingressa est, quæ dudum abiit in consilio bonorum, et in eorumdem via stetit, et in cathedra prudentiæ sedem sibi firmavit. Hæc Ægypto suas dudum dimisit tenebras, persecutionem Pharaonis evasit, hunc persequentem in mediis undis exstinctum vidit, quia potestatem ejus evacuatam baptismatis undis agnovit. Hæc in deserto secuta Moysem, magnalia Dei conspexit, et de ore ejus prolata verba legis ipsius audire promeruit, quæ quidem usque eo tenuit, quousque Dominum ad Moysem et ad populum dicentem audivit: « Prophetam suscitabo vobis de medio fratrum vestrorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus,

(31) F. *pulchritudinem.*

loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam (*Deut.* XXVIII, 18, 19). » In hac recte connumerem patres Veteris Testamenti omnes, patriarchas, et prophetas; in Testamento Novo apostolos, martyres, et confessores: hi quidem Deo omnes conjuncti sunt, et coadunati: ut sint unus cum eo spiritus, quod est, cum eo unius spiritus; id enim volunt quod vult, et nolunt hoc quod non vult: ita ut nulla in eis sit discordia, quos ipse secum sumpsit in gloria. His recte annumerem Dei electos, in carne viventes, carnis tamen, quantum fas est, nescios, et Dei Spiritu Deo dudum « munitos (52), » quibus « vivere Christus est, et mori lucrum »; Deo dicentes assidue: Trahe nos post te, ut in odore unguentorum tuorum perveniamus ad te; hæc quidem perfecta est. At illa imperfecta est, quæ fidem nuper suscepit, sed nondum opera Dei adimplevit: cognovit quidem Dominum, quia bonus est, sed bonitatis ejus opera nondum assecuta, dicit cum Propheta, « Quid enim mihi est in cœlo? et a te quid volui super terram? » (*Psal.* LXXII, 25.) Nondum reliquit domum, nec patrem, nec matrem; nondum Christum pauperem pauper ista secuta. Alii, relicto patre, et matre, parentibus, et filiis, domibus, et agris, Christum quidem sequuntur, plene tamen assequi non merentur: instat quidem caro, quæ ad carnis illecebras, et opera ejus innumera, in carne manentem incitat et invitat: instat et adversarius, qui carnis hanc suasionem adjuvat, pœnitentiæ longa promittens tempora, et post expleta vota Deum si offensus est, ut pium et placabilem Judicem posse per lacrymas ad veniam facile revocari. Unde et plangit dicens: « Oh! quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII, 24.) Ad exacta itaque recurrit tempora, infantiam, pueritiam, adolescentiamque considerans, juventutem, et ætatem virilem, senectutemque dijudicans, singula quibus Deum offendit damnans, seipsam etiam pœnitentia cordis, et confessione oris, et satisfactione operis, per abstinentiam et disciplinam, per orationem et eleemosynam, per vigilias et doctrinam, mundans et purgans, cœlestem ad se misericordiam evocans; peccatis remissis, quo peccavit altius, eo nunc ardet amplius, dicens, « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; » ac si dicat: O Deo digne desponsata per opera, quæ Dei sponsa juste diceris, mea tamen soror es, quibus Pater unus est Deus per creationem, una mater Ecclesia per generationem; apud Sponsum multa potes, pro sorore quod potes exhibeas; vulnus amoris, quod te imitando pertuli, quæso ut amplifices, charitatem in me dilates, et me ad perfectum illud in quo gaudes, interventione sancta perducas. Sequitur:

In uno oculorum tuorum.

Oculi Ecclesiæ duo sunt, unus actionis, alter contemplationis; unus quo intuetur proximum, alter quo videt Deum; unus quo intuetur proximi necessaria, alter quo Deum rimatur, et secreta cœlestia. In eo igitur oculo, qui ad proximum est, qui ad ejus necessaria dirigitur, non sibi postulat, ut consulatur; sed in eo quo videt Deum, quo contemplatur æternitas (53), quo secreta quæ latent hominem in carne viventem, intelligit quæ sit latitudo, quæ longitudo, quæ sublimitas, et quod profundum. Nam quia Deus charitas est, eademque quæ Dei est, longitudo charitatis est; et sicut ab æterno Deus est, sic ab æterno exstitit charitas, et sicut in æternum Deus, sic in æternum charitas in suas permansura est creaturas: hæc quidem longitudo Dei est. Quia vero non est major dilectio, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis: ejus in hoc exstitit latitudo, quod animam pro amicis suis posuit, ut quos inimicos habuerat, in unitatem converteret fidei, charitatis, et pacis. Sublime vero Dei in hoc est, quod omne quod est, ex Deo est; corporalia quidem, Deo partes connectente ex quibus sunt; spiritualia vero, Deo vitam iis conferente, qua vivunt, qua sapiunt, qua rerum omnium existentiam mirabili mentis apertione intelligunt: hæc tamen finita sunt, ultra quæ nihil nisi Deum intelligas. Hoc vero sublime Dei est; a quo descendit in Virginem, a quo descendit in crucem, ut vel sic per se hominem, omnes qui ipsum hominem confiterentur et crederent, mortis ejus virtute reficeret. Profundum vero, illud inferni est, in quod descendit, ut illos inde eriperet, in quibus matris suæ semen ipse recognosceret: sicut in principali et prima prophetia a Domino dictum est: « Ponam inimicitias inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; » omnes semen illius esse intelligens, qui de ejus semine nasciturum aut natum crederent, qui expers peccati mundum a peccato eriperet. Sequitur:

Et in uno crine colli tui.

Quod est, In unitate crinium colli tui; qui crines sunt ut crinis unus. Crines enim sunt, qui a capite descendunt in corpus, ornantes faciem, collumque tegentes; qui omnes sic astricti unitate junguntur, ut unus esse crinis videantur. Hi sanctorum singulæ personæ sunt, qui cum omnes a Deo sint, in tanta in ipsum charitate et contemplatione intendunt, ut omnes quasi unus videantur; juxta illud, « Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* IV, 32): » huic ergo multitudini desiderans hæc pars interesse, ait, « Vulnerasti cor meum; » non mortis quidem vulnere, quod quidem lethale esse perhibetur, sed vulnere quo vita in Deum concipitur, alitur, atque perficitur. Hoc ergo vulnere plus vulnerari appetens, et hac luce qua videtur Deus, plus illuminari desiderans, bis ait, « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, » tertium sibi apponi vulnus

(52) F. *unitos.*

(53) F. *æternitatem.*

desiderans, in quo non spe pendeat, sed ejus quam desiderat apprehensione rei congaudeat. Sequitur :

10. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

Hæc digna sororis est a sorore commendatio ; ait enim : O quæ sponsa Dei digne dici meruisti, quæ tamen te mihi sororem esse non abnuisti, « quam pulchræ sunt mammæ tuæ! » id est, doctrina uberum tuorum quam pulchra est ad consolationem infirmorum, et sustentationem parvulorum ? Et has mammas repetitione laudis manifestat, dicens, « Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. » De quibus, quia quod dedit Dominus ostendimus, hæc ad tempus repetere supersedemus. Sequitur :

11. *Favus distillans labia tua, sponsa.*

Perseverat adhuc soror in laude sponsæ, dicens : « Favus distillans labia tua, sponsa » Christi. Favo nil dulcius est; et de eloquiis divinis dicitur : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo (*Psal.* CXVIII, 103). » Favus enim mel in cera est, id est, spiritualis eloquiorum sensus in littera, a cera, quæ ut littera est, distillans spiritualem intellectum, allegoricum, sive moralem, vel anagogicum. Vel quia cuncta divina eloquia incarnationem Domini nostri Jesu Christi prædicant, in qua diversæ naturæ conjunctæ sunt, ut mel in cera, quæ patet, absconditum est, ut (54) in carne divinitas. Ideo stillanti favo labia hujus sponsæ comparantur, quæ divinæ incarnationis testimonia non tacere comprobantur.

Mel et lac sub lingua tua.

Nam qui ejus prædicant incarnationem, mel et lac sub lingua habent, Deum in dulcedine mellis pronuntiantes, hominem vero innocentem, in lacte quod de terra colligitur, testificantes. Mel namque de cœlo est, quia de rore cœlesti apes virgo suscipit, conceptum in cera colligit; sic et conceptum Dei Filium de cœlo mater virgo concepit, conceptum carne induit, indutum lactis alimonia refocillavit, sicque vitam mundo ex se ipsa repræsentavit. Merito ergo hæc sub lingua habere dicuntur, qui hæc meditantes corde, linguaque testantes, ista memoriter tenent, et prædicantes annuntiant.

Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Vestimenta corpus contegunt, a frigore defendunt, et si lautiora sint, ornatum præbent, et gratiam conferunt possidenti. Hoc animabus virtutes conferunt, sine quibus nudæ sunt, et expositæ frigoribus quæ veniunt ab aquilone, ubi sedem sibi posuit, qui cuncta infrigidare curavit : sed ab hoc frigore animæ illæ tutæ sunt, quæ mundum jam reliquerunt, quæ Christum arctius secutæ audire meruerunt : « Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI, 28.) : » quos quidem bene reficit, dum eis mundum spernere, et Deum quærere, et in iis tota mente præcipit inhærere. Vestita quidem anima fide recta, vestita humilitate et pœnitentia, vestita confessione et satisfactione omnimoda, cum jam bene sperat de venia, et se omnimoda vestit charitate, et se, quantum potest, in hac exercens sollicitudine, jam vestimentis utitur in quibus Deo placitum est, quorum odor optimus est, et suavis fragrantia, « sicut odor thuris. » Thus quidem igni appositum, odorem ex se dat suavissimum : sic virtutes igni charitatis admistæ, bonum hic populis largiuntur exemplum, et gratum Domino dant honorem, et odorem suavissimum. Sequitur :

12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

Laude pulchra sororem extulit; oculos ejus et unitatem crinium collaudavit; uberum decorem, et unguentorum odorem, labia, linguamque, cum vestimentorum odore commendavit ; jam locum designat ubi talia reponuntur : reponuntur quidem in horto concluso ; nec concluso quidem, sed et item concluso. Qui quidem hortus bis conclusus, ipsa esse intelligitur, cui sic dicitur : « Hortus conclusus soror mea sponsa. » Hortus enim dicitur locus amœnus, quo flores redolent, quo diversorum generum vernant areolæ, quo balsamo pigmenta et thymiamata respondent, quo fructiferarum arborum quarumlibet umbracula suavem quiescere volenti sedem præstant et habitaculum. Hujusmodi hortus Ecclesia est, quæ jam a Deo suscepta est, vel in proximo jam suscipienda præparatur, quæ Deo virtutem operum bonorum, sanctitatis etiam speciem (quæ balsamo vel aliis speciebus designatur) et umbram qua se Dominus exhibeat, in qua requiescat et oblectetur, seipsam præsentare non tardat. Hæc quidem hortus conclusus est. Qua clausura? Claustro quidem fidei; nam illam vera fides undique claudit et munit, ita ut in nulla ejus parte ostium aut foramen hostis inveniat, quo ad illam, tentando, vel aliquatenus oppugnando, accedat : quæ item « hortus conclusus » dicitur; sed qua conclusione? ostendit dicens, « Fons signatus; » ac si dicat : Fide clausa es, nec solum fide, sed etiam baptismate; baptisma namque suscepit Ecclesia, qui est fons signatus, in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti. Quod ubicunque digne servatum reperit inimicus, fugit, evanescit, et, ut a facie ignis cera, sic quidem liquescit. Sequitur :

13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.*

« Emissiones » verba sunt bona, et opera, quibus Ecclesia gignit et nutrit martyres, et ad cœlum transmittit; alios sancte viventes proximis in exemplum proponit, et sic malorum punicorum fructus emittit. Malum punicum sub rubeo cortice multitudinem granorum claudit, fructus ejus dulciter re-

(54) F. *ita*.

ficit : sic qui pro Christo sanguinem fundunt, congregant sibi multitudinem virtutum : alii qui in pace viventes, bona operantur, proximos instruunt, et reficiunt ; et utrique odorem virtutum, tanquam paradisum suavitatis, emittunt : « Paradisus » enim Græce, Latine « Hortus, » vel « irrigatio » dicitur. In nobis vero paradisus est, cum animatur, et vivificatur anima virtutibus, et infusione sancti Spiritus, fructificans plantariis virtutum, in quo principaliter lignum vitæ constituit Deus, id est, pietatis radicem ; ea est enim vitæ nostræ substantia, si Deo debitum cultum deferamus ; justus ergo in paradiso maneat, ut contra æstus corporis, et ardorem carnis refrigeretur virtutum umbraculis, et earum tueatur adjumentis ; quod est, « cum pomorum fructibus. » Mala namque punica sunt, qui hinc suo sanguine laureati discedunt : illi vero fructus, qui solum poma dicuntur, sunt ii qui licet martyres non dicantur, Deum tamen honestate vitæ, et xeræ fidei confessione, prosequuntur. Sequitur :

Cypri cum nardo. 14. *Nardus et crocus, fistula et cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrha et aloe, cum omnibus primis unguentis.*

Hoc ad illud retrahitur quod dictum est, « Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum : » nec solum mala punica emittuntur a te ; imo « cypri cum nardo, » et cætera quæ sequuntur, emissiones tuæ sunt. Cyprus arbor aromatica est, semine candido, et odoris boni, quod in oleo coquitur, et inde unguentum fit quod cyprus dicitur, quo etiam principes inunguntur, ut se aliis in alta virtutibus extollant ; et sin cum nardo (55) quæ humilis est, et herba redolens, et calens, charitatemque significans : hoc innuens, ut princeps quantumcunque aliis virtute emineat, semper eis charitate, quæ nardo designatur, adhæreat. « Nardus et crocus. » Crocus aurei coloris est, divinam designans sapientiam, quam necesse est ut princeps observet, illud præ oculis habens : « Quanto major es, humilia te in omnibus (*Sirac* III, 20) ; » et illud : « Qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur (*Luc.* XIV, 31). »—« Fistula et cinnamomum. » Fistula quidem, quæ et cassia dicitur, arbor est aromatica, sed parva, robusti corticis, et purpurei, quæ ad curandas viscerum molestias valet, quæ pro sui brevitate, inter herbas odoriferas a quibusdam reputatur : quæ humiles spiritu significat, qui Dominicæ passionis memores, ad patiendum pro Domino sunt parati. Cinnamomum vero arbor brevis est, sed odorifera et dulcis, cinerei coloris, ad medicinæ valens usum, fistulæ duplo præstans ; illos significans, qui se infirmos reputant, quorum humilitas apud Deum laudem habet et dulcedinem. Et bene post fistulam purpuream cinnamomum cinerei coloris ponitur, quia per recordationem Dominicæ passionis, nobis oritur despectus nostræ virtutis. « Cum universis lignis Libani. » Sicut enim fistula et cinnamomum, humiles sanctorum cogitationes ; sic et ligna Libani, quæ alta et robusta sunt, sublimes demonstrant sanctorum actiones et orationes. « Myrrha et aloe cum universis lignis Libani. » Myrrha et aloe sunt continentia carnis, et castimonia, quæ putredinem luxuriæ mortificant. Myrrha vero corpus imputribile reddit : sic amaritudo et patientia animas muniunt contra carnales concupiscentias, atque defendunt. Species enim aromatum, honor et profectus diversarum virtutum, quæ in sanctis sunt. Ex his speciebus, prima et præcipua fiunt unguenta, quæ sanant corpora ; bene ergo virtutes animarum designant, quibus congregatis, confectis, bonus odor egreditur, et sanitas reparatur. Sequitur :

15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano.*

Sororis a sorore laus ita repetitur, « Fons hortorum, puteus aquarum viventium. » Ipsa enim est, in qua est fons hortorum omnium, id est, Spiritus sanctus, qui Deus hortos irrigat, et in germina producit, et flores, et fructus, et semina, quibus placent, et pro quibus excoluntur, habere facit. Ex ipso namque Scriptura est, quæ aquam sapientiæ generans reficit, nec manare desistit ; quæ bene « hortorum » dicitur, quia illorum specialiter est, in quibus virtutes oriuntur, quæ superficie tenus est fons, puteus in profundo. Scriptura enim in quibusdam locis aperta est, et intellectu facile capitur : in aliis vero obscura, et nisi exposita, non intelligitur. Aquæ tamen quæ labuntur, viventes sunt, id est, homines, pro quibus datæ sunt, si intelligantur, ad vitam utique perducentes : unde dictum est, « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. « Quæ fluunt cum impetu de Libano (*Psal.* XLV, 5) : » quæ de Libano cœlesti, id est, candore spiritualium et cœlestium virtutum effluunt ; « cum impetu, » id est impetuose, decurrunt. Magno enim impetu decurrunt in Moysem, qui primordia mundi descripsit, et Deo locutus est tempore quo nullus restiterat (56) homo ; magno in prophetas, qui Deum prædixerunt futurum hominem, cum ipse jam non esset homo ; magno in David, qui sic omnia percurrit mysteria, ut in his nil intactum relinquatur ; impetu magno in apostolos, qui mundum denuo innovantes, vitam nobis prædicant, et prædicunt æternam. Sequitur :

16. *Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.*

Sex distinctam commatibus Sponsæ suæ laudem Sponsus hucusque audivit, quam se nunc approbare confirmat, dicens, « Surge aquilo. » Imperat enim Deus omni virtuti cœlesti, tam illi quæ in cœlis creata, et ab ipso per elationem mentis reproba facta est, quam ipsis quæ cum co steterunt,

(55) F. *simul nardo.*

(56) F. *astiterat.*

et ipsi firma charitatis radice conjunctæ sunt. Venturus itaque in hortum suum Dominus, ut nil sibi triste occurrat, nilque quo offendatur inveniat, aquileni potenter præcipit ut surgat, ut ab eo loco longe se faciat, exteras adeat nationes, infrigidet eas, et sibi reddat consimiles. Austro vero præcipit, ut ad hortum suum veniat, et molli flatu suo hunc hortum perflet, sic ut illius fluant aromata, et fiat et placeat Deo habitatio sancta. Ait ergo, « Surge aquilo, » quod est, Recede; nulla mihi tecum societas est, nulla participatio lucis ad tenebras. Veniat meus Spiritus ille, qui meorum colla emolliat, qui petram in aquam convertat; qui Samuelem innocentem juvenem totius populi judicem constituat; qui puerum cytharistam David regem, psalmos spiritu prophetiæ canentem faciat, qui Danielem juvenem judicem senum, innocentis liberatorem, Amos quoque rusticum ruborum moros distinguentem prophetis ipso spiritu prophetiæ coæptet; veniat ille, qui (ut ad moderna recurram tempora) Petrum piscatorem, et Paulum persecutorem, totius Ecclesiæ doctores constituat, Matthæum Telonarium evangelistam, et Mariam Magdalenam præconem gratiæ et resurrectionis, habere voluit; qui (ut hanc memorem a qua inchoata sunt hæc omnia) Mariam virginem puram, sanctam, et intactam, in Θεοτόκον, hoc est Dei genitricem, consecravit. Hoc igitur hortum meum perflante, « Fluant ejus aromata, » id est, Quæ ab aquilone flante constricta erant aromata, id est virtutes Dei et dona, fluent, stillabunt, et cunctis fient manifesta, quæ hactenus delituerunt. Sequitur :

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.

Audito verbo quo facta sunt universa, cui contradicere non est fas, statim discedit aquilo, sanctus adest Spiritus, quo veniente fluunt ejus aromata, et odorem emittunt suavissimum, quem Deo placiturum sperans hæc Sponsa, ait : « Veniat dilectus meus in hortum suum. » Non est in horto quod obsit, quod visu, quod odoratu, quod gustu displicere jam possit; veniat ergo in hortum suum, « ut comedat fructum pomorum suorum, » id est, ut poma, quæ sunt fructus sui, « comedat, » id est, sibi incorporet, et in corpus suum trajiciat. Hæc ergo totius deprecatio Ecclesiæ generalis est, ut Sponsus in hortum suum, id est, ipsam Ecclesiam spirituali quadam gratia veniat, ligna ejus et herbas ejus, et aromatizantes ejus areolas visitet, et decerpat, diversorum generum poma degustet, quæ tot quidem sunt, quot in Ecclesia Dei diversæ sunt observantiæ, constitutiones, consuetudinesque diversæ : hæc enim pomorum diversitas, diversarum per mundum Ecclesiarum denotat virtutes, a se quidem in aliquo dissidentes, in Sponsi tamen obsequium procul dubio concurrentes. Poma namque sunt fructus quicunque teneri corticis habentur, quibus optat Sponsa Sponsum suum pasci, id est, omni virtutum genere, quo stant et ministrant Ecclesiæ, delectari. Hæc sicut est Ecclesiæ deprecatio generalis, sic esse potest unicuique animæ fideli oratio singularis, ut in ipsam, quæ ejus hortus esse dignoscitur, veniat, et earum quæ in ea sunt virtutum varietate se reficiat. Sequitur :

CAPUT V.

1. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis.*

Retentis desiderio respondet Sponsus, et ea quæ petebat, se jam fecisse testatur, dicens : « Veni in hortum meum. » Et quia soror sororem alloquens, diu usa est hoc nomine, « Soror, » ut se conformet ei, eodem sibi respondet vocabulo, dicens, « Soror mea sponsa, » quasi meo mihi sanguine conjuncta et sociata. « Soror, » quia nobis unus est Pater, Deus, et una mater, Ecclesia, quæ nos suis reficit sacramentis. Ait itaque, « Soror mea sponsa, » ego in hortum meum jamdudum veni, et adventus mei signum istud adhibui, « Messui myrrham meam, id est, Quadam falce mortis præscidi in hac vita, et in cellaria æternæ beatitudinis perduxi, martyres amara passos pro me, vel etiam alios omnes, qui carnem cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt : « Cum aromatibus meis, » hoc est, cum omnibus illis qui fama bonorum operum sunt insignes, et ideo multa veneratione digni et celebres. Hanc quidem myrrham messuit, cum Abel primum martyrem de manu Cain suscepit : hanc quoque messuit, cum Noe, et Abraham, et omnes, quos matris suæ semen esse cognovit, a maledicto eripuit. Sequitur :

Comedi favum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo.

Favus in cera mel continet, qui cum sumitur, dulcedine magna sumentem replet : sic cum obscuri prædicator verbi dulcedinem quæ in ipso continetur exprimit, Deo quidem complacet, et in eo quantum Deus oblectatur, assumitur, et incorporatur. « Bibi vinum meum cum lacte meo. » Prædicator obscuri verbi complacet, expressa ejus dulcedine; sic et verbi prædicator quod obscurum non est, ejus hilaritate et admista dulcedine complacet, et in ejus corpus assumitur. Sequitur :

Comedite, amici, et bibite, et inebriamini charissimi.

Invitatus ad hortum deliciarum Sponsus, in eo deliciis usus est, melle quo pastus est, et vino quod bibit : jam nunc, ne suas epulas solus habere videatur, ne solus his perfrui intelligatur, charitatis exercet opus, et amicos suos, virtutes scilicet cœlestes, ad easdem invitans, ait, « Comedite amici, » id est, iisdem quibus ego deliciis reficiamini vos quos ab antiquo sensi amicos; et « inebriamini charissimi, » vos quos ego charos habui, cum creavi; et charissimos, cum in charitatis meæ gratia confirmavi : « Inebriamini, » id est, omnia sollicitudinis immemores, vino iucunditatis hilares efficiamini. Sequitur :

2. *Ego dormio, et cor meum vigilat.*

Venit invitatus ad hortum suum Dominus; melle pastus est, vinoque potus est; quæ quidem refectio somni incitamentum est. Unde et (57) eumdem locum quietis esse, et non operationis laboriosæ demonstret, ait Sponsus, « Ego dormio. » Quæ quidem dormitio in Abraham completa est; cui post sacrificium dormienti sic ait Dominus, « Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua; et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui servituri sunt, ego judicabo : et posthæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc : necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, usque ad præsens tempus (*Gen.* xv, 13-16). » Ecce seni dormienti quam vigilanti corde locutus est Dominus, cui futura in posterum post quadringentos annos, manifeste prædixit (*Gen.* xxviii, 12). Dormivit et Dominus in Jacob, cujus capiti lapide supposito, vidit scalam stantem super terram, cacumine cœlum attingentem, et angelos Dei ascendentes, et descendentes per eam. Ecce quam huic vigili corde locutus est Dominus, ostendens sibi angelos ascendentes, qui bonos, qui virtute deservierant, illique per gratiam operam dederant, Domino, scalæ desuper innixo, præsentabant; et descendentes alios, qui involutos peccatis ab iis per gratiam eriperent, et erigerent, et præsentatos Domino, cum aliis unum corpus efficerent. Dormivit et Sponsus in Joseph, et corde, id est, anima qua cordis sedes est, plenissime vigilavit (*Gen.* xxxvii, 7) : vidit enim se et fratres suos in agro colligare manipulos, suumque sursum stare manipulum, fratrumque manipulos suum circumstantes adorare manipulum. Itemque vidit solem, et lunam, et stellas undecim adorare se (*ibid.*, 11). Quorum intelligentiam patri fratribusque Sponsus aperuit; dixerunt enim fratres : « Nunquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? » (*Ibid.*, 8.) Modo simili dixit et pater, « Num ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram? » (*Ibid.*, 10.) Dormit etiam in quibusdam Dominus, et in aliis corde vigilat, cum iis visionis conservat memoriam, aliis ejus præbet intelligentiam (*Gen.* xl). Viderunt enim ministri Pharaonis somnia, quæ dicentes Joseph, utrique sui somnii intelligentiam perceperunt. Unus enim in locum suum restitutus est (*Gen.* xli); alter suspensus periit. Dormivit et Pharao, et vigil corde septem boves pingues pascentes in palude, aliasque septem fœdas confectasque macie eas devorare, quarum mira erat species et corporum habitudo, conspexit. Spicas quoque tenues et uredine percussas, aliarum septem spicarum devorasse pulchritudinem, se vidisse testatus est. Cui cum in corde vigilavit ad intelligentiam, qui sibi septem annorum futuram copiam; et septem annorum inedia declaravit. Dormivit quoque in Nabuchodonosor Sponsus, qui cum videret visionem, ei nec ad memoriam, nec ad intelligentiam revelata est; quæ nimirum Danieli ex corde vigili patefacta est, cum diceret : « Tu rex videbas, et ecce quasi statua grandis. Hujus caput erat ex auro optimo, pectus autem et brachia de argento (*Dan.* ii, 31, 32). » Sic quidem ei somnium revelavit, et consequenter ei mysterium et intelligentiam ejus ostendit. Tale igitur est quod dicitur, « Ego dormio, » id est, quos volo dormire facio; dum vero sensus sopitur exterior, mens interior libere quæ corde vigili Deus providet hæc contemplatur. Quod si ad passionem referas, tale est quod dicitur, « Ego dormio, » id est, in cruce mortis laborem sustinens, deinceps a morte quiesco. « Cor » tamen « meum, » id est, Dei sapientia, cui cor meum sedes est, ipsa « vigilat, » id est, vigilanter omnia conservat, ordinat, atque disponit. Sequitur :

Vox dilecti mei pulsantis, aperi, soror mea, amica, columba mea, immaculata mea.

Dum dormit in horto Sponsus, post moram longam ne secreta ejus improbe videantur, hæc ipsa inquirere, sponso in eodem loco sub amicorum custodia relicto, in suum se receptat habitaculum hæc sponsa. Hunc tamen corde meditans, hunc quærens, seque præparans, ut venienti sibi digne possit occurrere, et venienti placita præparare. Sponsus vero post moram a somno excitatus, hanc abcessisse, suique sollicitam esse cognoscens, hoc agit quod amantis est, hanc sequitur, clausum reperiens ostium, ad hoc pulsat, dicens : « Aperi mihi, soror mea; » ac si dicat, Venientem ad te me suscipe; habitaculum quærenti in te, non me respuas; sed oris ostium, cordis habitaculum in te mihi studeas aperire, qui te solam quærens desidero invenire, quæ « soror mea, amica mea, immaculata mea, columba mea es. » In quibus declarandis nominibus immorari opus non est, cum ex jam dictis facile queant intelligi. Opus tamen est, ut attendamus quantum velit audiri, qui eam tot affectuosis nominibus ad se voluit evocari. Sequitur :

Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

Causam cur sibi Sponsus aperiri postulat, his verbis ostendit, dicens : « Quia caput meum plenum est rore. » Sic enim se non sub tecto, sed in horto recubuisse, et obdormiisse demonstrat; hortus enim, ut dictum est, tectum non habet; nullum sub tecto suscipit, sed in hoc quiescenti sanctarum præbent arborum umbracula sancta remedium. Unde ait, hic ego de nocte obdormiens, caput plenum rore reporto, et cincinnos guttis noctium :

Ros etenim de nocte venit, de nocte subintrat
Herbas, et quanto distenditur illa tenore
Hanc sequitur, summoque sedens in vertice guttam
Efficit, et pluviæ quamdam sic efficit umbram (58).

(57) F. *ut.*

(58) Forte :
Conficit et pluviæ quemdam sic efficit imbrem.

Hic ros est, quo revirescunt herbæ, quo plantaria germinant, quo terræ fœcunditas aperitur, et jucunditas cunctis in commune copiose diffunditur. Volens igitur Sponsus, Sponsam suam hoc rore perfundi, volens, ipsam his guttis, quæ de nocte, id est, citra conscientiam hominum formantur, adimpleri, sibi postulat aperiri, dicens : « Aperi mihi ; » causamque subjiciens, ait : « Quia caput meum plenum est rore. Caput enim Christi Deus est, cui omnis plenitudo sapientiæ et scientiæ inesse dignoscitur, quem, qui Christum suscipiunt, in se quidem habere, et ejus dona, cognoscuntur; et « guttis noctjum, » id est, virtutibus cœlestibus, quæ illis de nocte, id est, homine nondum existente, aut earum conscientiam habente, collatæ sunt. Sequitur :

3. *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Audiens Sponsa vocem pulsantis Sponsi, et ad se ingredi cupientis, rore quem inferre cupit Sponsus, guttisque noctium nondum intellectis, expavescit, et non respondens Sponso, sibi loquitur, sibique verba facit, dicens, « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? » Putans enim, se ad conversationem pristinam et antiquam revocari, et ob necessitatem proximi mundanis hisce negotiis implicari timens, et conquerens, nec tamen Sponso respondens, sibi ait, « Exspoliavi me tunica mea, » id est, conversatione antiqua privata sum, et ad Christum in baptismate conversa sum, huic bonorum prædicatione connexa sum : illam quonam modo jam induam? in quonam modo complectar quod nesciam? unde ait, « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? » Ejus quidem pedes, affectiones suæ sunt, quas lavit credendo, exhortationibus sanctorum acquiescendo, Paulum audiendo, qui ait, « Non in commessationibus et in ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione. Sed induimini Dominum Jesum Christum (*Rom.* XIII, 13, 14). » Has quonammodo inquinabo? qualiter ab eis recedendo, me ad mores sæculi quos abjeceram, inclinabo? Ad actionem quidem sæculi redire metuendum est, quæ sine peccato diu administrari non potest. Sequitur :

4. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus.*

Excusatione apud se reverenter præmissa, nec tamen Sponso responsione facta, quid sibi dilectus fecerit, consequenter ostendit, dicens : « Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus. » Unde beatus Gregorius sic ait, « Larga est misericordia Dei, quæ omnibus post peccata conversis æque januam vitæ aperit, ut mysteria patriæ cœlestis cognoscant, noscendo sitiant, sitiendo currant, currendo perveniant. » Hæc secreta visitationis supernæ sen-

A serat ille, qui ait, « Sitivit anima mea ad Deum vivum (*Psal.* XLI, 3) : » et beatus Paulus dicens, « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* I, 23). » Beatus etiam Ambrosius hinc ait, foramen nostrum, id est, quo videmus opera Christi, oculus, scilicet, mentis, per quem Christus intrat, quo ipsum Deum esse vere cognoscimus, quo ipsi cum Propheta jucundissime decantamus, « Mirabilia testimonia tua, Domine, ideo scrutata est ea anima mea (*Psal.* CXVIII, 119). » Itemque illud, « Testimonia tua credibilia facta sunt nimis (*Psal.* XCII, 5). » Quæ quidem testimonia, ejus mira sunt opera, quæ, cunctis admirantibus, gessit in carne. Hinc paralyticos restituens, leprosos mundans, mortuos suscitans, omnesque denique curans ægritudines,
B verbo solo, quo cuncta creata sunt et manent in æternum. Quæ videns mundus, et admirans testimonia, vera esse perhibuit; quæ si falsa forent, nullum perciperent ex falsitate virtutis effectum. Unde ait, « Venter meus, » id est, Ego totus venter effectus, intremui et expavi. Venter namque osse caret, firmitate nulla participat, quod intromittitur hoc recipit, et decoctum reddit : sic et nostra humanitas, divinis non obsistens operibus, tota contremit, Deum factum hominem expavescit; quæ tamen desuper data sunt, hæc ore cognoscit, corde diligit, et donis Spiritus sancti attacta, contremiscendo, ait, « Venter meus intremuit ad tactum ejus. Attacta vero, quid egerit demon-
C strat, dicens :

5. *Surrexi, ut aperirem dilecto meo : manus meæ stillaverunt myrrham.*

« Surrexi, » id est, a me peccatorum onus quo aggravabar excussi. Unde dictum est, « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* V, 14). » Surgens, quoque alios, ut surgerent, commonui : his in me boni operis exemplar ostendi, et ostium, quo ad dilectum ingrederentur, aperiens, manibus eis meis myrrham primam stillavi, et digitis meis myrrham probatissimam. Myrrha vero, qua mortuorum corpora inunguntur, et a putredine et corruptela defenduntur, mortificationem carnis designat, qua bene spiritus inungitur, dum per continentiam salutarem, quæ fit
D per jejunia, per abstinentiam, per vigilias, et cætera hujusmodi, carō a luxuriæ illecebris revocatur, et beato continentiæ fine decoratur : hanc se suis manibus stillasse, id est, in cunctis suis operibus demonstrasse perhibet, dicens, « Manus meæ stillaverunt myrrham. » Ideoque « primam » adjicit, quia quæ prima ab arbore defluit, hæc efficacius a corruptela corpora custodit. Hanc vero se stillasse demonstrat, ut in parcimoniæ studiis se plurimum invigilasse ostendat. Sequitur :

Et digiti mei pleni myrrha probatissima.

Quo in loco virtutem « discerptionis » (60) aperit : per digitos enim, discretio demonstratur :

(60) F. *discerctionis*

quia (61) post digiti tactu tangitur, id certa quadam ratione mentis intelligitur. Unde ne ad hanc castitatis custodiam modus excedatur, adjectum est, « Digiti mei pleni myrrha probatissima. » Probata quidem myrrha est cum uxore, probatior cum vidua continente, probatissima cum virgine sancta permanente. Sequitur :

6. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.*

Ne solum in castitatis continentia accessus ad dilectum demonstretur, hoc adjicitur : « Ostii mei aperui pessulum, » id est, taciturnitatem oris, qua hucusque detinebar, amovi, et os meum aperui, et attraxi spiritum, et quia mandata tua desiderabam, ea quæ mihi servanda mandasti, quæque a tuis omnibus mandari et custodiri voluisti, hæc aperui, hæc ut servarentur commonui, ut sic ad Sponsum accederent, et complacerent dilecto meo. Sequitur :

At ille declinaverat, atque transierat.

Dictum est, hanc surrexisse ut aperiret, ac aptasse manus, id est, opera, ut prædicaret; hanc continentiam cunctis monuisse, ut sic Sponso accederent, sicque pessulum ostii amovisse, ut Christo cuncti cohærerent, et ipsum sic possiderent. « At ille declinaverat, » ne apprehensus teneretur; « atque transierat, » id est, quod de eo dici potest aut promitti, longe superans, in amœnitatem illam se receperat, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparat ipse diligentibus se. Quod quidem sic agitur, ut nec torpens anima eum desistat quærere, nec laborans eum plene se æstimet comprehendisse. Sequitur :

Anima mea liquefacta est ut locutus est.

Transierat hic dilectus; sed ecce, de more suo, jam redit. Pulsaverat, aperiri sibi postulabat, cumque ad aperiendum sibi Sponsa consurgeret, ipse pertransiit, nec inveniri se etiam a quærente permisit. Interioris hominis hic actus est; hic enim Deum quandoque quærit, et non invenit. Invenitur etiam cum piger hunc quærere jam desistit. Ecce enim Sponsa hæc jam surrexit, pessulum ut aperiret jam tenuit, non invento qui pulsabat, secum stupens astitit; sed stupentem et mirantem Deus hanc considerans, ne eam sua diu affligat absentia, redit ut hanc consoletur, ut suo hæc alloquio exhilaretur. Signa igitur sui adventus hæc sunt. Ut ad ignem cera, ad solem candida nix liquescit, sic ad adventum Sponsi sui hæc Sponsa liquefacta est, et a sua, quam jam in se pigritia et duritia collegerat, immutata. Sic enim ait, « Anima mea liquefacta est, » id est, de dura et impœnitenti, pœnitens; de impatienti, compatiens; de immisericordi, misericors; de omni vitiorum statu, quæ in me experiri jam cœperam, in contrarium virtutis statum pertransiens, liquefio, et Deo jam juncta congaudeo. Sic quidem, cum peccata plangit propria, cum aliena deplorat incommoda, vel commissa, cum statum plangit hujus miseriæ, cui ex necessitate subjicitur, sic cum dilationem plangit futuræ gloriæ, ad quam non ex voto suscipitur, liquitur quidem, dicens, « Anima mea liquefacta est. » Hæc quidem sunt quatuor flumina Paradisi, quibus se lavant fideles animæ, quibus se purgant, quibus peccata abluunt, virtutes enutriunt, et in conspectu divinæ majestatis, sine macula et ruga digne et munde assistunt. Suam vero dicit animam, omnes qui ab Adam usque in finem, nasciturum, vel natum ex Virgine Christum, Dei Filium, mundumque morte sua redempturum, crediderint; quas omnes, ob unitatem fidei, velut unam nominans, ait, « Anima mea liquefacta est. » Subdit vero, « Ut locutus est. »

Quod ut diligentius attendatur, illud beati Pauli considerandum est; ait enim, « Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis. Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I, 1, 2). » Hic quidem in prophetis « multifariam » locutus est, id est, per multa verba magna enim multiplicitas sententiarum, quas per eos Dominus locutus est, non poterat paucis explicari : contracta namque brevitas obscuritatem gignit, quæ nimirum obscuritas intelligentiam non admittit. « Multisque modis, » per ipsos locutus est; nunc quidem historice, nunc allegorice, nunc tropologice, nunc anagogice verba commiscens. « Novissime vero locutus est nobis in Filio (*Matth.* IV, 17), » quem de sinu Patris emissum, per matris viscera prolatum, mundus audivit docentem et dicentem : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). » Item illud, « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, ipsorum enim est regnum cœlorum. Viderunt et opera mira dictu, venientem ad se leprosum, cui dixit Jesus : « Mundare (*Matth.* VIII, 3), » et confestim mundata est lepra ejus (*ibid.*, 13) : dicentem etiam centurioni : « Vade, et sicut credidisti, fiat tibi (*ibid.*, 14) : » et sanatus est puer ejus in illa hora; tangentem socrum Simonis febricitantem, quæ statim sanata est. Viderunt etiam omnes malignos spiritus ejicientem verbo, et universos cæcos, mutos, surdos, et claudos, et omnes male habentes, curantem; sic vero loquentem, signisque sequentibus verba firmantem, et, ut mortis et vitæ Dominus crederetur, mortuos suscitantem, seque ipsum morti datum, ac in sepulcro repositum, suscitantem, et hanc resurrectionem suis in se (62) in æterna vita repromittentem, quid nisi mirari, stupescere, et credere, et adorare potuerunt? Ab ipso vero audientes, quod in die ultimo cuncta ad judicium

(61) F. *quod.*

(62) F. add. *credentibus.*

adducturus est, et bonis dicturus, « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*Matth.* xxv, 34). » Esurivi enim, et sitivi, nudus, et hospes fui, infirmus, et in carcere, et in his omnibus juvistis me. Quid nisi liquefieri potuerunt, sic ut sua venderent, et omnia pauperibus erogarent, seque ipsos illis darent, atque subjicerent, ut sic Evangelium adimplerent. Recte ergo hæc omnis anima liquefacta est, ut Dilectus locutus est. Nihil enim est quod Pater plus Filio diligat, cui sua voce in Baptismo testimonium perhibet, dicens, « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* III, 17), » quem præ omnibus qui in mundo sunt, diligo, eo quod ipsum in omni cogitatu, verbo, et opere, per omnia justum invenio. Sequitur :

Quæsivi, et non inveni illum.

Anima hæc, vel Sponsa Dei testificata est, quod ipsa ad vocem Dilecti liquefacta est; unde possit intelligi, se ipsum comprehendisse, et ex amica hac locutione suis finem laboribus invenisse. Quod ne quis corde concipiat, adnectit, dicens, « Quæsivi, et non inveni illum. » Omnes enim electæ animæ hunc quærunt; ejus præsentiæ (62*) suis susciatæ corporibus assistere cupiunt; quod quia nondum est, sed certissime futurum repromittitur, ait, « Quæsivi, » id est, omnium eorum resuscitationem petii, et omnium laborum quibus Deum quærimus, et ad ipsum anhelamus, imponi finem desideravi. Hunc quidem optavi, nec tamen inveni, quia usque ad diem præfinitum a Patre ejus erit expectatio, et omnium certa remuneratio. Scriptum tamen est, « Omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur (*Matth.* VII, 8). » Quod quidem tale est, Omne tempus quo vivimus, quo currimus, Deo præsens est; est enim æternitas, præsentarius status omnium eorum quæ fuerunt, quæ sunt, vel quæ futura sunt, cum itaque Dominus in medio circuli residens, uno tueatur intuitu, quæ fuerunt, quæ sunt, et quæ futura sunt, sibi cuncta hæc præsentia judicantur, a quo uno intuitu, perspicue contuentur. Ait itaque, « Omnis qui petit, accipit, » id est, omnis qui in veritate postulat æternam sibi vitam dari, et qui quærit sibi incorruptionem Sanctorum dari, et qui pulsat in hoc multiplicatis precibus, ut in illa detur sanctorum sibi gloria suscipi; ille quidem, cum illa dies aderit, hoc accepturus, hoc inventurus, et in illam gloriam vere introducendus est, de qua dictum est, « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus (*Joan.* XII, 24). » Sequitur :

Vocavi, et non respondit mihi.

Clamat utique ad Deum omnis anima electa, dicens, « Deus, in adjutorium meum intende (*Psal.* LXIX, 2), » ut si quando tentat qui malignus est, ei vestra obstet gratia, ne ad effectum peccati perducat, quod ipso instigante conceptum est. Addit etiam, « Domine, ad adjuvandum me festina (*ibid.*), » ac si dicat, Tu, Deus, qui nos, dum tentamur, adjuvando protegis, festina ut nos ad illum perducas statum, quo nos nec ejus suggestio movere possit, nec ad malum ulla ejus tentatio inclinare : quod quidem tunc fiet, cum omnis electorum multitudo angelis Dei associabitur, et nec nubent, nec nuptui tradent, sed ut angeli Dei sic erunt. Sequitur :

7. *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem; percusserunt me, et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* 8. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.*

Dixit, quia non inventus est quem quæsivit, nec respondit ei qui vocatus est. Unde jure dici poterat et æstimari, quod eam Sponsus suo reliquerat consilio, et transeuntibus occupandam jure permiserit; quod removet dicens, « Invenerunt me custodes civitatis. » Civitas Dei Ecclesia sancta est; qui in ea regnat, qui omnia ejus jura disponit, huic ipse custodes adhibet, qui eam et peccare, et per latam viam quæ multos ducit ad mortem, ingredi prohibeant, et arctam viam virtutum, quam pauci norunt, eam arripere, et per portam strictam intrare, quousque ad æternam vitam perveniat, diligenter edoceant. Ili custodes Ecclesiæ sunt, quos suo Spiritu Dominus edocet, quos spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et spiritu timoris amplius replet; et hunc per Ecclesiam jubet diffundere, ut Deum cujus hic Spiritus est, secure queant apprehendere. Ili vero, quibus hæc animarum est commissa custodia, attendentes hanc animam, vel hanc animarum multitudinem quærentem Deum, et in hoc ipso laborantem, ut inveniat, hanc misericorditer, hanc devote suscipiunt. Ilis vitæ verba prædicant, in his si qua supersunt peccata, mortificant, et in eo quem susceperunt, jam divinitatis amore amplius et acrius inflammant. Hoc itaque est quod dicitur, « Invenerunt me custodes civitatis : percusserunt me, et vulneraverunt me. » Illa enim verba bene percutiunt, quæ peccata occidunt; et illa bene vulnerant, quæ amorem Dei jam conceptum, amplius inardescere faciunt, et magnificant. « Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. » Custodes Ecclesiarum Prælatos earum jam diximus. Qui sint vero custodes murorum ejus, jam dicendum est. Dictum enim est, muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, et armis potentiæ tuæ protege nos semper. Hæc enim civitas muro cingitur, qui ne suffodiatur alicubi, custodia opus est, ne si hosti ingressus alicubi pateat, qui intus est secure jam minus dormiat. Hic itaque murus Ecclesiæ, fides est, quæ si alicubi interrupta patuerit, quies inhabitanti cuique civi jam minus erit. Sed hanc cives cœlestes, Angeli, scilicet, Dei, custodiunt, in hoc dantes operam, ne illam perforet Sathan, nec in aliqua

(62*) F. add. *una cum.*

parte fidei Ecclesiam scandalizari aut perturbari permittant. Hi itaque sunt custodes Ecclesiæ, angeli, scilicet, Dei, ipsam quidem circumeuntes et circumvallantes, et dantes operam, ne fides in aliqua sui parte rumpatur, et spes in aliquo minuatur, et Dei charitas, quæ virtus suprema est, infrigidata corrumpatur. Hi vero custodes pallium Ecclesiæ tollunt, fidem in ea firmantes, spem roborantes, charitatem in ea radicantes, ut nihil jam sit, terrena hæc quæque despicere, dum soli Christo possit adhærere. Et hoc quidem est quod dicit, « Tulerunt pallium meum custodes murorum. » Pallium quidem exterius operimentum est, id est, tota hæc terrena substantia, quæ propter Ecclesiam creata est : hac Ecclesia se protegit, se munit. Hanc vero totam deserit atque contemnit, cum jam Deo dari et appropinquari se conspicit. Orat ergo dicens, « Adjuro vos, filiæ Jerusalem, » id est, Virtutes cœlestes, quæ hujus miseriæ participes in nullo estis, quæ soli Jerusalem cœlesti totum debetis quod estis, quod sapitis, quod nos protegitis; « Si inveneritis Dilectum meum » (quod quidem certum est quod invenietis), « ut nuntietis ei, quia amore langueo, » id est, a terrenis omnibus ejus amore conquiesco. Sequitur :

9. *Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto, o pulcherrima mulierum? Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto, quia sic adjurasti nos?* 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.*

Adjuratæ filiæ Jerusalem ut amorem languentis hujus Dilecto nuncient, ne errent, ne amorem forte datum alteri, præsentent alteri, sciscitantur quo signo suum cognoscant Dilectum, ne ab eis in incertum deferatur amoris nuncium. Dicunt itaque, « O pulcherrima mulierum! » Quam quidem dicunt pulcherrimam, quia nihil est spiritualis pulchritudinis, quo anima in hac vita Deo placere possit, quod non habeat Ecclesia in se, quod non repræsentet ex se. Illam non curat pulchritudinem de qua ait Salomon, « Fallax gratia, et vana est pulchritudo (*Prov.* XXXI, 30) : » illam vero quæ sequitur, « Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur (*ibid.*) : » hanc suscipit, hanc Domino offerre non ambigit. Innumeræ quidem virtutes sunt quæ ex timore, multæ quæ ex amore proveniunt; quas quidem omnes si numeres, has in Ecclesia nobile quidem munus, quod Deo præsentari dignum sit, invenies. Hanc ergo digne sic nominat, « O pulcherrima mulierum! Qualis est Dilectus tuus? » Quo signo nobis elucidas, ut agnoscamus illum quem diligis, et agnoscamus Patrem ejus a quo missus est, quem et tu diligis. Quod quia valde divinum est, et utriusque naturæ in Christo capacissimum, geminat interrogationem suam, dicens item, « Qualis est Dilectus tuus ex Dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus. » Hæc Dilecti descriptio est, quam sub (63) duodenario comprehendit numero, dicens, « Dilectus meus candidus et rubicundus; » in quo geminam in Christo Jesu Domino nostro comprehendit naturam : unam, quæ divina est; alteram, quæ est humana. Divinam quidem comprehendit, dicens, « Candidus est : » humanam vero, addens, « Et rubicundus. » Divina quidem natura candidus est, nil sibi admistum retinens; non nigrum quid, aut rufum, aut aliquid medio colore coloratum : sed ipse candidus, immo candor ipse, in omnes creaturas suas dispergens se : et cum in omnibus luceat, nihil sibi minuit, sed totus integer ipse manet in se. Sic itaque candidus est, quia vere Deus est, vere lux est, vere simplex bonum est, quod per sua cuncta diffusum est, et in se manens unum bonum simplex est. Hic vero naturam diu miseratus humanam, post annorum plura millia descendit in Virginem, et ex ipsa sumens carnem, sibique creans animam, homo factus venit in mundum, de mundo sibi quosdam eligens, quibus ipse dixit, « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos (*Joan.* XV, 16), prius per se, post per illos, postmodum mundum edocens, virtutes faciens, quibus cum mundus contraire non posset, ejus in mortem machinatus est crucem, corpus ejus in sepulchro deposuit, a quo, cum voluit, resurrexit, et ad consolandos discipulos in terris postmodum quadraginta dies exstitit, et cunctis qui aderant videntibus, cœlum postmodum potenter ascendit. Hic in cruce positus, quia suo sanguine, cujus rubor color est, mundum redemit, merito rubicundus dictus est; ita ut in ejus memoriam et laudem Sponsa dicat, « Dilectus meus candidus, et rubicundus, » addat etiam, « Electus ex millibus. » Ad hoc enim solus ille ex omnium hominum millibus eligi debuit et potuit, qui culpas hominum tergeret, qui culpas hominum non haberet, sed esset ut agnus innocens, qui mundi peccata tolleret, et innocentia sua noxas omnium in se credentium evacuaret; de quo David, « Speciosus forma præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis (*Psal.* XLIV, 3); » de quo Isaias, « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bozra? » (*Isa.* LXIII, 1.) Sequitur :

11. *Caput ejus aurum optimum. Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.*

Incipit a capite ejus commendatio, quod auro comparatur. Nam sicut aurum optimum cunctis concupiscibilibus pretiosius est; ita et Deus omnibus quæ concupisci et desiderari possunt, pretiosior occurrit. « Comæ ejus sicut elatæ palmarum. » Elatæ palmarum partes in palma superiores dicuntur; hæ vero victoriæ signum præferebant; has enim ferentes victores, quasi in bello se partem supremam, id est, victoriam obtinuisse declarabant. Comæ ergo ejus capiti adhærentes, et ornatum capiti præbentes, fideles sunt, Deo in omnibus obedientes, mandata ejus servantes, et quod dicto

(63) F. *binario*.

prædicant, facto id adimplentes, sicque in pugna vitæ hujus, victoriam se palmæ obtinuisse gratulantes. Sequitur, « Nigræ quasi corvus, » quia ii etsi virtute proficiant, nigros se ut corvos fore protestantur. Sequitur :

12. *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.*

Id est, viri spirituales, qui ad videnda ejus mysteria perspicaces et acuti sunt, sunt « sicut colombæ quæ lacte sunt lotæ. » Lac quidem quo has lavari oportet, rationabilis sensus est sine dolo; unde dictum est, « Sicut modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite. » (*1 Petr.* II, 2.) « Et resident juxta fluenta plenissima, » id est, juxta antiquorum Patrum scripta plenissima, quibus nihil nisi veritas edocetur, et simplicitas per omnia commendatur. Sequitur :

13. *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis.*

Genarum quidem multiplex usus est; hæ quidem cibum suscipiunt, molunt, et in corpus trajiciunt. Hic quoque verecundiæ locus est, ad quem sanguis egreditur, dum se minus juste dixisse aliquid vel fecisse quis verecundatur. His verba formantur quæ Christum edocent, et illi credere, illum corde sequi et opere nos oportere prænonstrant. « Areolæ » vero quæ « a pigmentariis, » iis, scilicet, qui pigmentorum vires dignoscunt, « consitæ sunt, » Scripturæ sunt Prophetarum et doctorum, quas cum suscipimus, cum in corda nostra trajicimus, cum hæc avidis auditoribus enunciamus, quid nisi corporis Christi genæ efficimur, id per omnia caventes, ne quid dicamus aut faciamus quod erubescat verecundia, et hæc fide et opere impleamus, quo auditorum ad Christum cura crescat, et intelligentia. Sequitur :

Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

Quod est, Hi labia ejus recte dicendi sunt, qui sunt ut lilia stillantia primam myrrham. Labia quidem cœlestia Deo recte suavitatem odoris stillantia, ea sunt Angelorum agmina, quæ cum primis agminibus a Virtute superna, quæ Deus est, creata sunt, et illis peccantibus, et pari cum Deo potestate regnare volentibus, id (64) expreverunt, et se Deo, a quo creati sunt, in omni humilitate et obedientia devoventes, superbiam et inobedientiam, quæ prima exstiterunt peccata, mentis suæ pedibus calcaverunt. Hæc quidem myrrha prima exstitit, quia prima mortificatio peccati illa fuit; et omnes, qui eo modo peccata mortificare suadent, recte Dei dicuntur labia, et quod ei cordi est, suadentia. Sequitur :

14. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.*

(64) F. *svr*

Per ejus manus recte opera debere intelligi, manifestum est. Cum enim auro nil pretiosius, nil charius esse intelligatur, recte manus ejus aureæ, id est, omni pretiosiores opere intelliguntur. Quæ enim iis opera comparentur? Surdos fecit audire, mutos loqui, cæcis visionem reddidit, paralyticos curavit, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, mari et ventis imperavit, dæmones effugavit, se quoque jam mortuum suscitavit, suis se post mortem demonstravit, et sic in cœlum victor manifestus ascendit. Nulla his chariora, nulla pretiosiora sunt; quæ quidem et tornatiles recte dicuntur. In operationibus nulla tornatura facilior : sedet enim qui torno efficit, et incompositam quamcunque materiam sic torno componit, sic explicat, ut quod nunc rude erat et incompositum, hoc aptissimæ reddat formæ jam levigatum : huic leprosus offerebatur, et verbo uno curabatur; offerebatur mortuus, et uno verbo curatus abibat vivus. Recte ergo manus ejus « tornatiles, » id est, leviter curantes, intelliguntur, quæ solo sic verbo cuncta operantur, ut nunc esse melius quam fuerant advertantur. Unde et additur, « plenæ hyacinthis. » Hyacinthus enim lapis est, cujus color cœli est quando serenum est. Ut hæc igitur omnia de cœlo esse intelligas, et in terris cœli virtutem non ambigas, adjunctum est, « plenæ hyacinthis, » id est, plenæ cœlestibus operibus bonis. Huic concordat quod sequitur :

Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

Venter ea pars nostri corporis est, quæ levius suscipit læsionem; unde et hic eam Domini naturam significat, humanam, scilicet, qua lædi, qua infirmari, qua cruci quoque affigi potuit, ut de eo dictum est, « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa.* LIII, 4). » Qui tamen venter hic dicitur « eburneus, » ut ejus firmitas quæ ex passione suscepta est, demonstraretur; est enim ebur solidissimum, candidissimum, et veniente tempore, de candido fit rubicundum. Quæ quidem omnia Christo competunt; ejus enim candor castitatis incomparabilis exstitit, cui nullus in filiis hominum æquari potuit, testante Psalmista, qui ait, « Speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3). » Est et in ea firmitas, quæ corrumpi non potuit; unde ejus anima descendente ad inferos, ipsa impediri non potuit, quia nullum in ea, quo teneretur, peccatum fuit : caro quoque in sepulchro post mortem nil pertulit, quia utrimque peccatum abfuit, quo et corruptela, et animæ calumnia possit adjici. Unde Psalmista, « Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV, 10). » Quod vero longo hæc tempore rubicunda efficitur, (65) martyrium notat passionis, qui ipsum imitantes, longo post tempore ad supplicium sua corpora tradiderunt, et jam in æternum cum ipso vivere meruerunt. Quæ quidem Sapphiris distincta est, id est, horum

(65) f. *martyrum notat passiones.*

cœlestibus martyriis (66) adornatum. Sequitur :

15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.*

Hoc prædicatoribus recte aptatur, qui per mundum currunt, qui Christi nomen evehunt, recte existentes et solidi, et in omni sua prædicatione basibus aureis, id est, locutionibus propheticis confirmati. Ab auro sicut incipit, sic in auro consummatur, ut prudens lector habeas quod vere de Christo intelligas. Sequitur :

Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

Libanus sylva magna est, prope Jordanem incipiens, seseque in altum, in longum quoque usque ad Oceanum Orientalem extendens : præcipuæ ejus arbores, cupressus, et cedrus sunt; quorum folia albicantia silvæ nomen præstant, ut Libanus dicatur; est enim Libanus, « Candidatio. » In hac habitationes speciosæ sunt et delectabiles; ita ut si quis in eas perveniat, nulla sibi redeundi cura sit, aut cum hominibus habitatione delectetur. Hæc Deo species attribuitur, qui candor est animarum, et omnium oblectatio virtutum, ad quem qui pervenerit, nulla sibi ad humana redeundi voluntas est, nulla in anima præteritorum recordatio. Quare? quia ipse est « electus ut cedri. » Cedri quippe, Libani arbores sunt, in longum sursum erectæ, mirabiliter et nobiliter comatæ, imputribiles, odoriferæ, corrosiones vermium non timentes. Ad hanc gloriam qui pervenit, satis illi est hac ipsa gloria honorari. Sequitur :

16. *Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis : talis est Dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.*

Quid hoc gutture, nisi Novi Testamenti emissio, designatur? Præcessit enim Vetus, quo dictum est : « Reddet homo animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI, 24), » et cætera quæ sequuntur. Novo vero quid dictum est? « Si quis percusserit te in maxilla una, præbe ei maxillam alteram : et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicunque angariaverit te mille passus, vade cum eo et alia duo. Qui petit a te, da ei (*Matth.* V, 39, 40, 41). » Quid hoc dulcius? quid suavius esse potest? Totum vero Testamentum Novum si consideres, nil nisi quod dulce est et desiderabile prorsus invenies. His dictis, sequitur, « Talis est Dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. » Sequitur :

17. *Quo abiit Dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit Dilectus tuus, et quæremus eum tecum?*

Audito præconio Dilecti hujus, quo eum Sponsa sua per singula membra commendat, filiæ quoque Jerusalem hunc commendabilem reputant, et amoris sibi nuncium præsentari fore dignum æstimant. A Unde ne currant in incertum, hoc modo sciscitantur a Sponsa, « Quo abiit Dilectus tuus? » et quia « abire, » longe recedere, potest intelligi (quod quidem mirum videretur, qui hæc pulcherrima mulierum est), ideo corrigendo ingeminant, « Quo declinavit Dilectus tuus, » id est, quo ad tempus abscessit? Hoc tuum forte negotium, ut aliquos forte convertat tibique associet, teque ibi ubi nondum es dilatari faciat, atque cognosci. Quod cum noverimus, quæremus eum tecum, sibique tui amoris munus offerre curabimus. Sequitur :

CAPUT VI.

1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.*

B Hic hortus Dilecti, est multitudo beata fidelium, totum illi sinum suæ mentis aperiens, illum tota virtute diligens et contemplans, hunc ampliori cordis affectione complectens, ita ut pro illo etiam mori lucrum sibi reputet, et ejus sustinere supplicia non contemnat. Hoc in numero numerabis Abel, qui prius Dominum sua morte suscepit, virgo pariter et martyr existens, sacerdotem et hostiam in se sacerdos pariter et hostia, confitens virgo pariter et martyr, hostia et sacerdos occubuit. Annumerabis et Henoch, quem Deus de mundo tulit; et quia secum ambulavit, in se vitam habere promeruit. Noe quoque, quem mundo perdito Deus in ligno salvavit. Abraham quoque, et generosam ejus progeniem. Ipsum quoque Moysen, qui Dominum C manifeste confitens, ait, « Prophetam suscitabo vobis de medio fratrum vestrorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad illos omnia verba quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam (*Deut.* XVIII, 18, 19). » Horum in medio beatam attendes supremam virginum, spem seculorum, Mariam, in areola aromatum, cum sancto ejus custode Joanne confidentem, habentem in dextra hujus aromaticæ areolæ consistentes sibi Petrum et Paulum, Andream et Jacobum, cæterosque omnes, qui suo sibi sanguine testimonium perhibentes, odorem mundo suavissimum ediderunt, et ad vitam morte sua mortuos reduxerunt. Hæc D quidem aromatum areola est, quam mente plus intelligis, quam verbo possis edoceri, quæ suo quidem sanguine, et pœnis quæ nequeunt enarrari, Christum meruit confiteri. Hic (67) fragrascunt balsama, redolent pigmenta, et odorem suavissimum thymiamata quæque respergunt. Huc quandoque divertit Dilectus, ut in his pascatur hortis, id est, gloriosa horum omnium testificatione reficiatur, et hæc vere lilia, suo vere digna contubernio, colligat, id est, in summa pace et beatitudine constituat. Quam nimirum Ecclesiam Dominus aliquando seorsum visitare dicitur, ut martyrii (68) palmam in utriusque sexus hominibus multum præ

(66) F. *adornatur.*
(67) F. *fragrant.*

(68) F. *palma utriusque sexus hominibus indulta, præ cæteris se aliquid promeruisse intelligantur.*

cæteris a se aliquid promeruisse intelligatur; cætera vero universalis Ecclesia, per mundum longe lateque dispersa, ac numero longe major, et merito minor advertatur. Sequitur :

2. *Ego Dilecto meo, et Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

Hæc vox Sponsæ est, quæ dicit, se Dilecto suo, et Dilectum sibi commiscere soliloquia, quæ ut occulta sunt, sic dimittimus, nec aliis quoquo modo communicamus. Sequitur :

3. *Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Hæc quidem ex parte jam dicta sunt : nam quod de Sponsæ hujus pulchritudine occurrit, id memoratum est. Restat ut de ejus suavitate, quod docebit Dominus id etiam dicamus. Non corporalis ista suavitas est, aliquos palpatione oblectans et alliciens, sed magis spiritus; unde et Domino dictum est, « Tu, Domine, suavis et mitis (*Psal.* LXXXV, 5). » Sic et ista suavis, quæ læsa non remurmurat, sibi illata patienter sustinet; unde patientiæ decorem obtinet, ut cœlestis illa Jerusalem, cui in terris pax nulla data est, et jam in cœlis assumpta, multa pacis plenitudine requiescit; quia « terribilis est ut castrorum acies ordinata. » Acies enim ordinata castrorum est, cum qui pugnaturi sunt, toto suo collecto robore, loco apto armati consistunt, et hinc habent a dextris et a sinistris conglobatas pugnatorum acies, quæ venientibus obsistant, et illorum irruentes impetus, priusquam veniatur ad bella, armorum virtute confringant; quæ quidem hostibus terrorem incutit, ideoque hæc in summa pace quiescit. Sequitur :

4. *Averte oculos tuos a me; quia ipsi me avolare fecerunt.*

Sponsus ecce suam Sponsam pulchram esse memoravit, suavem et decoram, utpote quæ Sponso complaceat : hanc etiam terribilem, ut nullum timeat adversantis hostis occursum, ut secura consistat; hanc ipsum ideo multa parte contemplantem, in secreta Deitatis jamjam introire desiderantem, et gloriæ plenitudinem, quam suis promittit Dominus, habere jam sperantem, pulchre corripit, dicens, « Averte oculos tuos a me, » id est, sublimis gloriæ meæ pulchritudinem ne quæras apprehendere; « Quia ipsi me avolare fecerunt, » id est, ultra hominum sensum ascendere, et incomprehensibilem adhuc homini demonstrare, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, ante communem hominum resurrectionem, et cum suis spiritibus coadunationem, velle cuiquam ostendere. Sequitur :

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. 5. Dentes tui sicut grex ovium quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis. 6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ, absque occultis tuis.

Hæc eadem superius dicta sunt, et exposita; quæ item dici superfluum est et onerosum. Sequitur :

Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.

Hoc etiam, quia, docente Domino, superius explicavimus, item explicare supersedemus, et ad ea quæ sequuntur, intendimus. Sequitur :

8. *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ.*

Quæ quidem reciproca laus est. Laudantem enim se Sponsam, Sponsus digna laude commendat, dicens, « Una est columba mea. » Quæ quomodo dicatur columba, quanam ratione perfecta intelligatur, ex iis, quæ superius dicta sunt, attendes. Una vero hic dicitur, quia quemadmodum ex multis granis acervus unus, ex multis racemis botrus unus, ex multitudine pecorum grex apte unus dicitur; sic et hæc una Ecclesia, una Dei Sponsa, ex animarum omnium multitudine intelligitur, quæ ad Deum in unitate fidei vocatæ sunt, vel vocabuntur, in unitate spei roborantur, in charitate non ficta Deo jam firmatæ sunt, vel firmabuntur. Quæ cum una sit, « una » tamen « matris suæ, » id est, una ad similitudinem matris suæ, cœlestis, scilicet, Jerusalem, quam hujus esse matrem Sponsus asserit, quæ sicut ex multitudine spirituum cœlestium constat, et una Deo charitate conjuncta una est; sic istam ex infinita animarum multitudine collectam unam esse, et in hoc matri suæ similem et conformem esse intelligit, quo se a Deo nequaquam separat, sed ei quem diligit, firma se charitate adstringit. Unde sequitur, « Electa genitrici suæ, » id est, electa ad modum genitricis suæ. Hæc vero genitrix, eadem quæ et ejus mater est : diversitate tamen verborum, diversa denotat; matrem hanc nominans, quia ex diversitate spirituum constat, et una est, et hæc ex animarum diversitate collecta, similiter in unitate consistit : genitricem vero, quia hanc sibi Deus, reproba spirituum parte damnata, sibi electam statuit, et confirmavit; et similiter Ecclesiam, reproba hominum multitudine damnata, hanc sibi elegit, participemque suæ sibi gloriæ esse constituit. Sequitur :

Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt : reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam.

Dictum est, quod cœlestis Jerusalem, Ecclesia, scilicet, quæ ex beatis spiritibus constat, mater sit Ecclesiæ quæ ex animabus constat, et e terris est; et quod hæc ad ejus similitudinem a Deo sit electa in gloriam. Unde, si quæratur quo testimonio hoc verum sit, vel qua ratione comprobetur, adjicitur hæc responsio, Quia viderunt eam filiæ Sion, illam, scilicet, cœlestem Jerusalem, quæ mater est hujus Ecclesiæ quæ de terris est, et quæ a Deo assumpta est, et electa in gloriam; viderunt eam reginæ, viderunt et concubinæ, et eam beatissimam prædicaverunt, cordis oculis contemplantes eam, beatissimos spiritus, quosdam quidem assistentes majestati secretorum conscios, alios et officiosissime ministrantes, alios laboriose per mundi climata dis-

currentes, et Dei voluntatem in omnibus, et per omnia nunciantes, et effectu complentes. Hanc sibi, « reginæ, » qui summus in Ecclesia ordo esse dignoscitur; et « concubinæ, » qui post eas proximus est, una cum filiabus Sion attendentes, vere beatissimam prædicaverunt, et omni dignam laude commendaverunt. Et hoc totius Ecclesiæ quæ in terris est testimonium, non est qui verum esse abnuat, qui ei recte contradicat. Sequitur :

9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?*

Quo quis amore trahitur, ad id cito convertitur, ad id mente revocatur. Sponsus igitur amoris sibi conscius, et quanta admiratione digna sit Sponsa quam elegit, non ignarus, ut eamdem cunctis admirabilem ostendat, ad ipsam conversus, ait, « Quæ est ista quæ progeditur quasi aurora consurgens? » Aurora dicitur, quasi hora aurea, quæ Solem præveniens solem affuturum denunciat, et finem tenebris auri more rutilans affuturum prænonstrat : quod in primitiva Ecclesia exstitisse, quis nesciat; qui primos illos patres Christi ortum prævenisse, qui verus est Sol justitiæ, ipsumque suo prævenisse testimonio scriptura revelante, non ignorat? Abel enim justum gladio fratris occubuisse, Christique passionem sua passione demonstrasse; Henoch a Domino translatum esse; Noe, mundum diluente diluvio, ligno salvatum esse; Abraham quoque in multis Dominum præfigurasse, quis ambigat? Hi nimirum, et omnes ejus testamenti Patres, aurora quidem exstiterunt, in quibus consurgens Ecclesia, verum Solem qui Christus est, nasciturum, et ab eo plenius illuminandum esse prænonstravit. Nato vero Domino, accidit hoc quod scriptum est, « In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 11, 12). » Qui filii Dei facti, et luce ejus illuminati, luxerunt quidem ut luna, non luce propria, sed luce aliena : unde additur, « Pulchra ut luna. » Luna enim unde lucet, a sole accipit, mundumque ampliori lumine quam aurora perfundit : sic consurgens Ecclesia prius ut aurora, deinde ut luna, tertio vero ut sol, electa plenum mundo lumen ministravit.

Decursis namque mirabilibus, quæ Christo nascente exstiterunt, peractisque miraculis quæ Christo prædicanti testimonium perhibuerunt, visisque signis quæ in ejus morte, et post mortem apparuerunt, potenter surrexit Ecclesia : In primis patribus, aurora; in secundis, ut luna; jam vero pleno refecta lumine, ut sol, electa apparuit, pleno radians lumine, et lucem cunctis sua præstans claritate; in quo dicitur, « Electa ut sol. » Ex omnibus enim creaturis, quæ a Deo corporaliter creatæ sunt, nulla ad hoc electa est, ut oculus esset mundi, mundoque lucem et illuminationem præstaret undique, excepta solis sola s[illegible]

circuit, calefacit, et beneficiis nos auget et munit. In hunc quoque modum hæc Sponsa electa est, quæ ut mundo lucem præstaret spiritualem, et sublatis tenebris quibus mundus involvebatur, lucem sibi fidei per apostolos, sanctosque martyres, omnesque fidei doctores largiretur atque conferret. Quæ cum tota post resurrectionem conveniet, terribilis ut castrorum acies ordinata apparebit. Sedente enim Domino in illa die, et judicii dictante sententiam : « Venite, benedicti Patris mei; possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*Matth.* XXV, 34), » sic illa terribilis et admirabilis apparebit, ut hosti non det aditum accedenti ad se; sed sicut acies, manu Domini ordinata, suos sibi contineat, alienos omnes sui Domini virtute repellat. Beatus tamen Gregorius in hoc ait, « Aurora noctem interiisse nunciat, nec tamen claritatem diei ostentat; sed dum illam pellit, hanc suscipit, lucem tenebris permistam tenet. » Igitur qui in hac vita veritatem sequitur, aurora est, quia agit quædam quæ lucis sunt, non tamen caret reliquiis tenebrarum. Cum ergo lex peccati cum lege mentis contendit, adhuc aurora est, quia lux quæ emicuit nondum tenebras funditus pressit, et quia lux carnis legem mentis percutit, et e contra inter se vicissim lux et umbra confligit : dies erit cum umbra peccati non remanebit, cum internum lumen perfecte claruerit. Ecclesia igitur quam Sponsus admiratur, merito auroræ comparatur, quia peccati tenebras deserens, ad lucem æternitatis erumpit, et cognitione fidei in lucem justitiæ permutatur, sicut aurora a tenebris in lucem vertitur; fides lux est, nox infidelitas. Ecclesia igitur æterna appetens, superna claritate et luce justitiæ fulgescit, et quasi aurora consurgit, quia derelicta pravitate seculi, sese in novi luminis fulgorem convertit. Sequitur :

10. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et germinassent mala punica.*

Totam superius Sponsus allocutus Ecclesiam, nunc ad eam partem convertitur, quæ hic est, quæ tentationi subjecta est; quæ dum descendit pluvia, veniunt flumina, venti flant et irruunt in domum ejus, tanto fortiori indiget auxilio, quanto turbine crebriore concutitur. Ad hanc itaque descendens, ait, « Descendi in hortum nucum, » etc. Hortus vero (ut dictum est) locus est seorsum positus, herbis salutiferis, et salubribus arboribus consitus, quem post labores invisere, et spiritu recreari dulce est. Qui quidem locus hic positam designat Ecclesiam, quæ quomodo seorsum sit posita, designat Isaias, dicens, « Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris (*Isa.* LV, 9). » Per has quidem vias et cogitationes, cogitationes et opera Ecclesiæ designat, quæ quantum cœlum distat a terra, sic ab omni pravorum intentione longe remota est. Hic vero hortus nucum arboribus con-

situs est; quæ quidem diversæ sunt. Nux enim quædam colurna, quædam avellana, quædam castanea, quædam amygdalina, quædam pinea, quædam Libyca, quæ muscata dicitur, quædam Gallicana, quæ in vulgari sola nux dici consuevit. Quid istæ nuces significant? Corda utique sanctorum, quæ quidem interius, nuclei dulcedinem, id est, spiritus utilitatem præferunt; exterius vero carnis utilitatem ostendunt, quæ adeo dura est, ut de ea dictum sit, « Habemus hunc thesaurum absconditum in vasis fictilibus (*II Cor.* IV, 7). » Et item de ea dictum est, « Scio quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, nec ulla alia creatura, separare nos poterit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro (*Rom.* VIII, 38). » Ad hunc itaque hortum nucum descendit, ut earum nucleos confirmet interius, et earumdem corpora exterius passioni subjiciat, reponens ei præmia vitæ, quæ nulli deerunt morienti pro se. Descendit etiam ut videat poma convallium; non enim hortus iste solis nucibus consitus est, immo ex arboribus quæ poma afferunt. Poma enim dicuntur fructus omnes qui molli teguntur cortice, hos significantia confessores, qui amore Dei intus ferventes, ipsum exterius confitentes, mercedem a Deo in æterna beatitudine recipiunt, quamvis martyribus non æquentur. Ad hos igitur descendit, qui ipsum in martyrii sublimitate prosequuntur, et ad hos qui in humilitatis convalle manentes, ipsum subsequi similiter morte non tardant: sed parcit eis Dominus, volens ut æternam beatitudinem voluntate solum, non etiam sua comparata morte recipiant. Descendit et ad nuper plantatas vineas, ut inspiciat si floreant, si spem fructus ex se dent, si in fide perseverent, et aliis accedendi, credendi, et perseverandi exemplo præstito, nomen ejus amplificent: quod idem de malis exoptat punicis, scilicet, ut germinent, et aliis ex germinando passionis pro Christo subeundæ fortiter exempla præbeant, et ejus, quam expectant, remunerationis præmia compromittant. Sequitur:

11. *Nescivi*: *anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.*

Sponsam suam Dominus præcedentibus verbis admonuit, ei quod quæreret intimavit, eique cursus sui finem seipsum proposuit; frustra enim currimus, si non apprehendimus, si non ipsum quem quærimus, invenimus. Ei vero dura proposita sunt, quæ formidat caro, ad quæ contremiscit; sed ad hæc spiritus Dei munere roboratur, accingitur, leve reputans omne quod patitur, dum de retributionis suæ munere gloriatur. Quod quidem audiens Synagoga, stat, stupet, et contremiscit, et in se tandem reversa, ait, « Nescivi, » id est, tantam gratiam et dona spiritus tibi collata ignoravi; ideoque, « anima mea conturbavit me, » quia in tenebris aberravi, « propter quadrigas Aminadab. » Aminadab iste Judæ abnepos fuisse legitur (*I Par.* II, 10), qui sui nominis interpretatione, Christum significat; Aminadab enim, « Spontaneus populi mei, » interpretatur; ipse enim totius populi caput exstitit, in cujus ortu Angelus ad pastores ait: « Nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus (*Luc.* II, 10, 11). » Iste vero spontaneus ejus exstitit; sponte enim natus, sponte per angelos et virtutibus magnis demonstratus, sponte miraculis decoratus, sponte traditus, sponte in mortem datus; quæ cum omnia sponte pertulerit, recte et populi, et ejus spontaneus, nominatur. Cujus quidem quadrigæ, sunt quatuor Evangelia, quæ per mundum trahuntur, dum prædicantur populis, et creduntur, et omni veneratione digna suscipiuntur. Quod contemplans Synagoga, conturbatur, falsum esse desperans quod sic a cunctis corde suscipitur, magnifice honoratur, quod nec exquisitis tormentis, nec aliquo genere mortis eliditur. Sanctus vero Ambrosius duas denotat quadrigas. Iram enim, cupiditatem, voluptatem, et timorem unius quadrigæ rotas facit; alteri vero prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam assignat: his rotis tunc vitæ spiritus inest, cum bonus eas rector dirigit, hos stringens, hos monens, hos revocans, hos incitans. Hi quidem equi subjecti jugo fidei, adstricti charitatis vinculo, justitiæ frænis, retinaculis sobrietatis. Sequitur:

12. *Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.*

Synagoga confitente tarditatem, Ecclesia consolando respondet, « Revertere, » etc. Dicitur Sulamiti ut revertatur, quia Synagogæ in fine mundi fides ab Ecclesia offeretur, quæ sub infidelitate captiva tenebatur. Et quater reverti monetur, quia Judæi per quatuor mundi partes dispersi, in fine colligentur; unde ei dicitur, « Revertere, revertere, Sulamitis, » quæ captiva vel despecta sub prophetis tenebaris, « revertere, revertere, » ut in ea qua sumus libertate, « intueamur te. » Sequitur:

CAPUT VII.

1. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

Vox Sponsi hæc est. Ecce Ecclesia monente Synagogam, Sponsus gaudens, dare se promittit effectum, dicens, « Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? » Chori namque castrorum sunt qui in procinctu virtutum tanquam in castris constituti, contra diabolum dimicant, et Deo muniente, et opem sua virtute ferente, superant. Tunc enim castra militantium in Sulamite videbuntur, quando pro fide, quam modo impugnat, prælіabitur, et eamdem prædicantibus Henoch et Elia, veram, et eam in qua salvari oporteat fore asserens, morte sua contestabitur. Sequitur:

2. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!*

Laudat ecce Sponsus Sponsam, incipiens a gressibus: unde et hanc commendans, ait: « Quam

pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! » Hanc quidem quæ in primis suis patribus « filia Principis, » id est, Dei super omnia principantis exstitit, duodena laude commendat, a gressibus incipiens, per media progrediens, et ejus laudem uberum fœcunditate consummans; ait itaque, O quæ nunc in conversatione tua filia vocari Principis digna es, quæ etiam in primis tuis patribus, ejus dici filia digne promeruisti, « quam pulchri » nunc « sunt gressus tui! » Ad Deum enim nunc eisdem accèdis gressibus, quibus apostoli accesserunt; Dei Filium, a Patre missum in carnem, ipsumque in eadem carne pro omnium salute mortem obiisse, et post triduum resurrexisse, et sic, habita victoria, in cœlum ascendisse, confitens, pro illo stas, illi testimonium perhibes, pro ipso mori non recusas. Valde ergo pulchri sunt gressus tui, quibus ad Deum ambulas; et hoc, « in calceamentis. » Fiunt namque calceamenta de coriis mortuorum animalium; unde per hæc, exempla sanctorum intelliguntur: Patrum, apostolorum, scilicet, et omnium martyrum, quia coria sibi detrahi, et ab animalibus corpora subtrahi, Christum confitendo, perpessi sunt. His igitur æquaris, his æqualis efficeris, qui, fide certa suscepta, pro ea dimicas, et apostolorum gloria coronari pro ea contendendo elaboras. Sequitur:

Juncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.

Femina vel femora quibus gradimur, et (69) egressus aptamus, hæc duo sunt, Testamentum scilicet Vetus et Novum: horum junctura concordia; Testamentorum est, de qua ait, « Junctura femorum tuorum sicut monilia. » Monilia quidem a monendo dicta sunt, eo quod ubi collo suspenduntur, et pectoribus apponuntur, monent quidem hæc gerentem, ne ad sinum suum manum mittat alienam, sed ei cui desponsata est, fidem conservet intemeratam. Monent et quemlibet, ne ubi hæc suspensa viderit, illuc amore trahatur, aut quocunque casu illuc amore rapiatur, ne forte deprehensus in hoc, adulterii reus habeatur. Unde duo Testamenta merito monilia nominantur, quæ nos Deum timere monent, et venerari, et toto corde, tota anima, et totis viribus hunc diligere, et mente firma meditari. Monent etiam, ut proximos diligamus, nec quicquam eis quod recte displicere debeat, machinemur aut faciamus. In his duo Testamenta sunt et concordant, quæ etiam fidem, sicut vere est, sic roborant; et sicut credimus, sic esse confirmant. Hæc etiam « manu artificis fabrefacta sunt, » id est, per Filium, qui manus Patris est, et summus omnium artifex, hominibus edicta sunt, atque conscripta. Sequitur:

3. *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.*

Umbilicus quidem in medio ventris est, quamdam ejus partem subter se habens, quamdam vero desuper. Hic autem umbilicus infirmitas nostræ mortalitatis est, cujus pars quædam deorsum est, altera vero desursum. Deorsum illa est, de qua dicitur: « Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos (*Isa.* XL, 6, 7). » De qua ait David: « Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret, et arescat (*Psal.* LXXXIX, 6). » Transit etiam mane infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ nostræ; transit et flos juventutis nostræ, transit et (70) vespere senectutis nostræ: in quo quidem homo decidit in morte, indurat in cadavere, arescit in pulvere. Illa vero desursum est, cujus beatus Paulus meminit, dicens: « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale (*1 Cor.* XV, 42, 43). » Hic igitur umbilicus, ut crater tornatilis est: levissima enim operatio est quæ torno fit; et levissima Dei operatio, quæ in omnium fiet resurrectione. Nam ut Habacuc levissime levavit angelus, et posuit in Babylone; sic cibum Danieli deferens, ipsumque in Judæa reposuit (*Dan.* XIV, 35): sic erit in resurrectione, cum ad vocem angeli, ad tubæ clangentis sonitum, mortui resurgent illico incorrupti, qui quidem digni fuerunt corruptela. Hæc itaque pars est infirmitatis nostræ quæ torno operationis divinæ leviter efficietur, quæ crater dicitur tornatilis, qui nec hic indiget poculis, nec in futuro aliquatenus indigebit. Hic igitur magna eorum gloria futura dicitur, quæ tunc et corporaliter videbitur, et apparebit. Sequitur:

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.

Venter ea pars corporis est, quæ quod in eam mittitur, id suscipit; et quod in ea potest cooperari substantiæ, id retinet, eo corpus fovet, auget, et provehit, cætera repellit et respuit. Unde per hunc sancta hujus synagogæ memoria intelligitur, quæ comprehendit omnia, et hæc tantum quæ sancta sunt, et æternæ vitæ cooperantia, illucque gressus dirigentia, hæc amat, hæc custodit, et in his proficit: cætera ut vana et inutilia respuit et emittit. Unde et dicitur: « Venter tuus sicut acervus tritici. » In acervo namque tritici, vitæ quædam cooperantia sunt, quædam aliter se habent: de his vero quæ cooperantur ad vitam, subditur, quod acervus hic « vallatur liliis, » id est, Patrum eruditur exemplis, et cœlestium spirituum, qui vere lilia sunt, edocetur documentis. Sequitur:

4. *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* 5. *Collum tuum sicut turris eburnea.*

Hoc de uberibus synagogæ conversæ, sicut et de uberibus Ecclesiæ supra dictum est, intelligitur; sicut et quod de collo sequitur, « Collum tuum sicut turris eburnea: » hic tamen additur, « eburnea, »

(69) F. *gressus.*

(70) F. *vesper.*

ut et nitor demonstretur prædicationis, et firmitas, qua Christum vere prædicant, et hoc sua morte confirmant. Sequitur :

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Demonstrato collo, pervenitur ad oculos; de quibus hic dicitur, quia ii sunt « sicut piscinæ in Hesebon. » Hesebon vero, « cingulus mœroris, » interpretatur. « Oculi » vero, id est, qui arcana fidei contemplantur, et hæc conversæ jam synagogæ videnda et credenda demonstrant, hi sunt « sicut piscinæ in Hesebon : » Hesebon enim, sive castellum sit, sive civitas, in ipso suo introitu piscinas habebat, in quibus introeuntium corpora lavari poterant et purgari, ut sic fides haberetur ingressis, se nil mali machinaturos, quod loco foret adversum, vel aliquatenus obfuturum. Sic et hi, qui conversæ huic synagogæ vias vitæ præparant, et ostendunt, aliis ad eam convertendis viam vitæ prævident et ostendunt, et ut ficte non subeant, Baptismum vane non suscipiant, nec adversari machinentur in dolo his in quibus jam regnat Christus, atque suum jam continet principatum. Hoc igitur est quod dicitur, « quæ sunt in porta filiæ multitudinis, » id est, in ingressu castelli vel civitatis, ubi multitudo est gentium, cui jam prædicatur Dei verbum, et hoc suscipiunt in secula seculorum. Hoc enim Simon Magus ille ficte fecit, Baptismum ficte suscepit, fidei sacramenta ficte cognovit, quibus omnibus postea doctorem Ecclesiæ Petrum a Christo institutum acriter impugnavit. Unde ne hanc in conversione sua, cum hæc dabitur, similis inquietet impugnatio, dicitur huic, quod ei erunt oculi prævidentes sibi, sicut in portis Hesebon prævidebatur civitati. Hæc vero multitudo recte, « cingulus mœroris, » dicitur; quia undique mœrore cincta est. Hinc se Deo peccasse luget, inde, ne peccet, item lacrymas timoris habet; hinc sibi quæritur deesse quem diligit, et præmia sibi deesse quæ quærit et appetit. Hoc igitur mœrore cincta, recte Hesebon dicitur, quæ his et aliis, quæ dat compunctio, lacrymis circumdata recte conqueritur. Sequitur :

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

Naso deputantur Ecclesiæ, quæ virtutum fragrantiam in Ecclesia prope sentiunt, et fœtorem vitiorum in ea a longe discernendo cognoscunt. Hi in Libano, qui candorem Ecclesiæ designat, velut turris existunt, qui in Ecclesia Dei præ aliis nomen prælationis officiumque suscipiunt, et in Damascum respiciunt. Damascus enim Syriæ metropolis est, ubi Cain Abel interfecisse legitur; unde mala multa illata sunt Israeli, ubi regnat infidelitas, et peccatum valde grassatur. Contra hunc Ecclesia Dei valde respicit, attente considerans, si quis sit, quem sibi possit eripere, et ereptum diabolo, ad Christum queat convertere. Sequitur :

5. *Caput tuum ut Carmelus : et comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.*

Carmelus mons est, in quo ascendens Elias pluviam septem annis clausam, sibi a Deo dari abundanter obtinuit, Christum certe significans, quem confitentes, et quæ de eo dicuntur vera esse asserentes, oramus ad Patrem, ut nobis gratiarum suarum dona emittat, per quæ suæ nos placitos voluntati efficiat. Hic vero Carmelus, « mons, » sive, « scientia circumcisionis, » interpretatur; quod Christo recte competit; ipse enim circumcisionis initium et finis exstitit. Ipse enim hanc Abrahæ (qui diem ejus vidit et gavisus est) et ejus domui injunxit, coitum sibi vetitum, et cætera quæque inhonesta et superflua cujusque membri, membri hujus austera præcisione interdixit. Ipse quoque hanc suscepit in se, et hanc in se consummatam esse prædixit : sanguinis enim ejus, tam in cruce, quam in hac circumcisione, effusio, populo gratiæ sufficiens correctio est, ut a vitiis abstineant, motusque pravos, non illa austeritate sacramenti, sed fidei solius et sancti baptismatis susceptione corrigant et emendent. Hujus vero capitis comæ sunt, de quibus subjungitur : « Comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus. » Comæ quidem capitis sunt quæ caput adornant, faciem decorant, et capiti semper inhærentes, id multa sui specie obvianti cuilibet honorabile reddunt, et omni veneratione dignissimum. Per has quidem hos intelligimus, qui summo Regi Christo, indissolubili amoris vinculo toto corde inhærentes, ab ipso nunquam dividi, nec principatu, nec aliqua id agente potestate, potuerunt; sed per omnia, quæ adinveniri poterant, tormenta, ipsi vere adhærere, et dici comæ inseparabiles meruerunt. Et comæ quidem capitis, ut purpura Regis vincta canalibus. Canales quidem sunt emissiones gratiarum Dei, quas modis pluribus in suos quos eligit, ipsosque martyrii gratia dignos efficit ipse et suscipit. In his itaque canalibus hæ comæ sunt, et iis quidem conjunctæ sunt, nescientes ab iis disjungi, sed magis in his accepto liquore aliquo cœlesti, fiant ut purpura Regis vincta canalibus rubicunda, Christo quidem in cruce passo conformata, et ipsi jam conformes in gloria. Sequitur :

6. *Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis!*

Post eorum commendationem quæ dicta sunt, laudem subjungit synagogæ, quæ jam Ecclesia effecta est, dicens, Quando sic se habent quæ jam dicta sunt, ergo valde « pulchra es » in virtutis opere, et « decora » in ejusdem contemplatione; chara nobis per conversionem, per virtutis executionem charior, Deo in perventione « charissima; » unde subdit, « in deliciis, » id est, in his quæ dicta sunt, quæ Deus perhibet esse delicias, et in his tanquam deliciis oblectatur. Sequitur :

7. *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.*

Hujus incepit a gressibus commendatio; junctura quoque feminum, umbilicus, et venter commen-

data sunt; ubera, et collum, nasus, oculique, cum capite, et comis, descripta sunt. Quod ne videatur absonum, ejusque staturæ nimis in se contractæ dissonum, adjicit de statura, dicens, quod hæc assimilata est palmæ, sursum, scilicet, porrecta, in imo stricta et aspera, in cœlum brachiis expansa et dilatata, fructum faciens suavissimum, qui conjunctus botris qui vineæ fructus est, cœnam reddit opulentam, et ipsam fructu vineæ jucundissimam. Sequitur :

8. *Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus : et erunt ubera tua sicut botri vineæ, et odor oris tui sicut malorum.*

Hoc quidem Sponsus ait, quod ipse in palmam ascendet; quod quidem impletum fuisse credimus, cum ipse lignum crucis ascendit. Cui quidem et hoc datum est, ut sicut ipse hanc ascendendo super omnia victor exstitit, ita et hæc super omnia ligna sylvarum juste principatum obtinuit, et recte dici palma promeruit; unde et ei decantatur, super omnia ligna sylvarum, tu sola fuisti digna sustinere Regem seculorum et Dominum. « Et apprehendam fructus ejus. » Hic hujus palmæ fructus exstitit, immortalitas, impassibilitas, æterna quoque jucunditas : hos ejus fructus Christus in cruce percepit. Nam quia humiliavit se, factus in cruce obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis, exaltavit illum Pater, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quod ipse est in gloria Patris, ad quam nisi per ipsum nemo pervenit. « Et erunt ubera tua sicut botri vineæ. » Ubera sunt quibus parvulorum alitur et nutritur infantia; quæ dicta sunt prophetarum, quibus longe ante temporibus passio Christi prophetata est, multisque eorundem præconiis adnunciata. Quæ quidem ubera nunc botri vineæ effecta sunt, nunc ipsum fructum ostendentia quem prophetabant, tunc demum cum Christus in cruce passus est, effectum quem personabant demonstrantia. « Et odor oris tui sicut malorum. » Odor enim crucis, antequam eam Christus ascenderet, erat horribilis; sed postquam Christus vitæ dator ascendit, odores ejus omnes suavissimi facti sunt, atque, ut malorum odores, gratissimi; unde et Paulus ait : « Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt (*II Cor.* II, 15). » Sequitur :

9. *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. Ego Dilecto meo, et ad me conversio ejus.*

Dignam laude jamdiu hanc commendavit Sponsus, ab imo incipiens et ad summa progrediens; quod gratum habens Sponsa respondet : « Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum. » Ostendit itaque laudem, quam de ea Sponsus ipse personuit, eam esse, quam dignum est ut ab ipso Sponso potetur, et in ejus corpus transjecta, memoriter teneatur; et hoc est quod dicitur, « labiis et dentibus ruminandum. » In lege enim (*Levit.* XI, 3), animal quod non ruminat, immundum habetur, et hoc quod ruminat, mundum procul dubio reputatur : nam qui bona quæ audit vel legit, ad memoriam revocat, et hæc dentibus ruminando, vel labiis pronunciando, denunciat, mundum esse animal perhibetur. Unde et hanc munditiam Sponso inesse perhibens, hortatur ut laudem hanc ad memoriam revocet, et eam laude hac dignam deputet atque dijudicet. Quod quidem et futurum esse denunciat, dicens, « Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus; » ac si dicat, Ego memoria Dilecti mei digna sum, et ipse, ut a me in memoria habeatur, dignissimus : ego enim Patrem diligo, unigenitum ejus Filium veneror et adoro, his Spiritum Sanctum in omnibus æqualem judico. Patris opera, quæ pro me redimendo gessit, intelligo; in his Filii obedientiam recognosco, et per advenientem in me ejus Spiritum, ipsum ad me conversum, ejusque dona suscipio. Ait itaque, Ego Dilecto meo digna et chara sum : ipse enim pro me exinanivit seipsum, puerum faciens et parvulum; cui decantat Ecclesia illud Isaiæ : « Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis (*Isai.* IX, 6). » Exinanivit etiam se factus obediens Patri usque ad mortem; et quam mortem? eam quæ crucis erat, quæ indignissima putabatur, qua cœlum homini negabatur, terra subtrahebatur, aquæ remedium non præstabatur, et extinctus in aere lacerandus avibus committebatur :

His merito charus, meritis his charus habendus.

« Ad me » quoque « ejus conversio » est : nam quod genus mortis exhorream, cum Dei Filium talia pro me passum intelligam? nullum equidem. In Stephano namque lapidem, in Jacobo gladium, Romæ in beato Petro crucem, in ejus consorte beato Paulo gladii molesta, sustinui; fervens oleum in Joanne, in Andrea crucis amara, pertuli, et in apostolis, et in omnibus per mundum late martyribus, quæ poterant excogitari tormenta, præsentavi. Sequitur :

10. *Veni, Dilecte mi, egrediamur in agrum.*

Demonstrata charitate qua Christo unitur Ecclesia, ipsum secure invocat, optans, ut ad se diligentem ipse quoque veniat, et diligentem se conspiciat, et an vera sint quæ de eo sunt dicta, perspiciat. Ait itaque, « Veni, Dilecte mi, » quem usque ad mortem diligo, qui Ecclesiæ discedens promisisti, dicens : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. » (*Matth.* XXVIII, 20.) « Veni, egrediamur in agrum. » Campus locus est late patens, sylvas, et loca sylvis carentia continens, hinc spinis obsessus, inde loca non spinosa, sed tamen inculta demonstrans, mundum designans hunc, qualis fuit, cum in ipsum Adam post peccatum trajectus est, et est ei sententia dicta, « Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis

diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam terræ (*Gen.* III, 17). » Hic vero ager dictus est, postquam vomere et cultro terræ agressus faciem hanc horribilem deposuit, culturæ respondit, cultoresque suos bonis fructibus exhilaravit. Ager vero dictus est ex hoc, quod agi cœpit vomere, cultroque dejici, et (ut cultoribus mos est) sic in eodem loco subverti, ut apta sit suscipiendo semini, et eidem propagando, fœcundari. Ad hunc igitur invitat agrum Sponsa suum Sponsum, dicens, « Veni, » id est, ut accessum habeam ad te, hoc consenti. « Egrediamur, » Tu de indicibili tuæ majestatis abscondito assumpta carne egredere, id est, manifeste appare; egoque tecum de occultis meis, de immunditiis meis, de infidelitate penitus egressa, te corde credens, te confitens, te humiliter adorans, tibi inseparabiliter adhærens, tecum in agrum hunc venire parata sum, ut attendamus, an bene cultus sit, an huic verbi semina commendanda, et sit de eo spes ulla boni præstolanda. Sequitur :

Commoremur in villis.

Fiunt quidem habitationes in agris, ut dictum est de campo Sennaar, in quo civitas Babylon a filiis Noe constructa est (*Gen.* XI, 2); fiunt oppida; fiunt et villæ : in civitate divites, in oppidis potentes habitant; in villis vero minorum et humiliorum mansio est, quæ tanto Deo gratior est, quanto humilior est, tanto magis acceptabilis est, quanto virtutis et doctrinæ perceptibilis est. Hic Sponso moram facere, et se Sponso commorari exoptat, ubi sancti sui corporis et sanguinis est consecratio, ubi peccatorum in baptismate fit ablutio, ubi delictorum quotidiana confessio, et fidelium populorum crebra Domino fit oblatio : hinc decimarum, hinc aliorum quoque munerum frequens largitio, et in exitu suo sacra Domini recognitio, et ipsorum ad æternam beatitudinem transmigratio. Sequitur :

11. *Mane surgamus ad vineas : videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.*

Ille beatus est, cujus a Domino vinea mane visitatur. Nam vinea cujusque præsens hæc vita est; et mane unicuique est vitæ præsentis inchoatio. Sunt vero quidam quos mane, id est, ab ipso vitæ exordio, visitat Deus, dirigit, et magnificat, et quod ex eis magni futuri sint fructus miraculorum, etiam exhibitione demonstrat; « Videamus si floruit vinea. » Ad hos Dilectum invitat Sponsa, ut cum his maneat, et hos florere faciat, et flores fructus parturientes ipse custodiat. Hi quidem nostri sunt in Deo profectus : nam ut vinea primo folia, deinde florem, inde fructum producit; sic in his quæ Dei sunt, qui hunc videre et habere solliciti sunt, initiatio quædam est a malo aversio; magnus enim profectus est, ad ea quæ Dei sunt felix conversio. Summum vero in his est eorum quæ Dei sunt, Deo placita dilectio, et in his opere beata completio. Unde et subditur :

Si florucrint mala punica.

In malis quidem punicis amor indicatur martyrii. Majorem quidem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Hunc quidem, cum omnes suos videre moneat, hos tamen præcipue, qui martyrii flagrant amore, qui vitam suam pro Christo ponere, et per mortem sursum ascendere desiderant, speciali quadam visitatione monet attendere. Unde et ait :

Ibi dabo tibi ubera mea.

Quæ sunt hæc ubera quæ Sponso datura est Sponsa cum sic venerit, et Ecclesiam sic visitaverit? Ubera quidem ea pars corporis sunt, qua filios suos alit Ecclesia, qua ipsorum infantiam protrahit, et ipsos in robur juvenile producit; et cum in hoc robur excreverint, sibi, martyrioque quod desiderant, ipsique ob quem desiderant, derelinquit. Ait igitur, « Ibi dabo tibi ubera mea, » id est, omnes mentis meæ sinus aperiam, ut a te intelligam, quid cuique ordini dicendum sit, qualiter ordo quisque monendus, ut ad te veniat teque in æternum possideat. Sequitur :

Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma : nova et vetera, Dilecte mi, servavi tibi.

Vocato Dilecto suo ut ad Ecclesiam veniat, ut illam visitet, et quæ eum videre desiderat, istud adnectit, dicens, Ad hoc quidem quod expeto, difficilem te invenire non ambigo, quia mandragoras in portis nostris odorem tui jam dedisse intelligo. Mandragoras quidem Prophetas nominat, quæ humani corporis formam retinent, et membrum quodque corporis humani quod morbus occupat de membro simili, raso sibi pulvere curat. Hæc quoque sterilem fœcundam efficit, et multa medicinæ prodest arte laborantibus : unde hæc Prophetas exprimit, qui humanitatem Christi, et ea quæ in homine gessit, exprimunt; et hoc in portis nostris, id est, Scripturis quæ nostræ jam effectæ sunt, exclamare et prophetare non desinunt. Hæc quidem omnia poma, quæ prophetæ novi recentesque prædixerunt; « et vetera, » antiqua, scilicet, quæ ab Adam usque nunc dicta sunt, tibi reservavi, quia sunt in te complenda, et ipso operis effectu demonstranda. Sequitur :

CAPUT VIII.

1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat.* 2. *Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ : ibi me docebis, et dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

Hæc Sponsa de adventu Sponsi sui sollicita, jamdiu orans exoptavit, dicens, « Veni, Dilecte mi; Egrediamur in agrum; » et quod oravit, certo affuturum prædixit, quia hoc mandragoræ prælecuti sunt, hoc omnes prophetæ prædixerunt. Ergo de hoc quod certo futurum est, jam quærit, dicens : « Quis mihi det te fratrem meum, » id est, tam dignus erit ut te fratrem meum mihi visibiliter ostendat, te in corporali forma mihi fratrem meum

demonstret. Antiquum enim est, et auditu cognitum, Deum Patrem omnium me inter cætera creasse, et mihi patrem inter cætera exstitisse, et me inter creaturas, ipsum semper quasi Patrem invocasse : sed quod ipse mihi frater sit, novum est et inauditum a seculis, et tamen mundo propagandum. Missus est enim Gabriel angelus ad Mariam, dicens, « Ave, gratia plena; Dominus tecum. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I, 28, 35). » Ecce quod Dei Filius, ex Virgine sancta natus, baptismo sancto regenitus, veræ Ecclesiæ filius effectus est, et nobis omnibus frater esse incepit, qui nobis ante omnia Pater exstitit. Unde post resurrectionem, ait, « Ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt (*Matth.* XXVIII, 10). » Unde, ut quem Deum Patrem hucusque dixeram, jam fratrem mihi nomino; ideoque fratrem, quia sugentem ubera matris meæ, Mariæ, scilicet; quæ ex hoc quod mater ejus effecta est, omnium digne mater est qui ipsum invocant, et ejus sibi opem in quacunque necessitate implorant. Per hanc quidem Dei Filius foris inventus est, id est, in hac forma corporali, quam de novo assumpsit, et in ipsa mundo apparuit, et in hac ab eo (ut dictum est) osculum sibi reconciliationis assumpsit; unde ait, « Et jam me nemo despiciat. » Antequam enim reconciliationis osculum Deus homini porrexisset, homo et angelis, et dæmonibus, sibi etiam ipsi despectibilis habebatur, qui totus in Infernum possidendus trahebatur. At postquam morte unigeniti reconciliatus est, Infernum deserens, regionem Paradisi possidere cœpit et cœli, et extunc nec cœli possessoribus despectui habitus est, nec Inferni. Ait enim ipsa, « Apprehendam te, » id est, firmissimo amplexu tenebo te : non minis, non verberibus, non omni mortis genere amovebor aut avellar a te : et sic inducam te « in domum matris meæ, » cœlestis, scilicet, Jerusalem, quæ erudit me, et exemplum mihi dilectionis ostendit, qua semper adhæream tibi, et amoveri nequeam a te; et inducam te in « cubiculum genitricis meæ, » id est, antiquum illud amoris habitaculum, quo te semper tenuit genitrix mea, id est, antiquissima de patriarchis et prophetis, aliisque fidelibus exorta collectio, et, quæ nunquam a te avelli potuit, sacra congregatio. « Ibi tu docebis me, » quia tunc erimus omnes docibiles Dei. Et nos quid tibi dabimus? « Poculum ex vino condito, » amorem, scilicet, sempiternum; qui tot modis formatus est, quod modis vina formari solent ex diversis speciebus; « Et mustum malorum granatorum meorum, » id est, passionem martyrum meorum, qui sibi sic in amoris dulcedine juncti sunt, ut sibi mala junguntur in malis, et nullis a te potuerunt malis averti. Sequitur :

3. *Læva ejus sub capite meo; et dextera illius amplexabitur me.* 4. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, donec ipsa velit.*

Hæc quia jam dicta sunt, non repetimus, sed ubi dicta sunt, studiosis legenda committimus. Sequitur :

5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum suum?*

Amans amantem se facile respicit, et quæ format amor, facile sibi verba transfundit. Unde quia ex jam dictis diligentis se Sponsæ facile denotatur affectus, Sponsus ei subito responsum præstat amoris, quærens et sciscitans, quæ illa est : non quod ignoret eam, sed ut neminem ignorare permittat. Qualis sit, et quanta, quantaque admiratione dignissima, quæ sic de deserto ascendit? Mundum hunc desertum nominans, quem plures ut patriam inhabitare conantur, et suo fraudati conamine, hinc ad inferna descendunt, et sic, quæ sit eis patria destinata, cognoscunt. Hoc desertum est locus iste, quem Dominus ascendendo deseruit, cum multis videntibus in cœlum elevatus ascendit. Quare sequitur, hæc ipsa « potens in deliciis, » quibus affluens, quasque Domino summe placere intelligens, ei fide recta, spe robusta, charitate fervida quærit assistere, et hæc sibi ab ipso data præsentare. Hoc vero est quod ait, Quæ, quantique meriti hæc est, quæ deserto hoc mundo, scilicet, quem Deus hinc ascendendo deseruit, qui aliis descensionis locus esse consuevit, locum sibi faciens ascensionis, in alta prosilit, virtutum delicias præsentans Deo, quas sibi ab ipso collatas esse cognoscit? Altius vero beatus Gregorius, aspiciens super hæc, ait, Ecclesia verborum Dei deliciis affluens, de præsenti deserto ad superiora ascendit. Deliciis affluere est, in amore Dei epulis Scripturarum satiari. Deliciis ergo affluens ascendit, quia nos mysticis intelligentiis pastos, ad superna quotidie sublevat, in cujus verbis tot sunt deliciæ, quot sunt diversitates spiritualis intelligentiæ. Modo nos pascit historia, reficit moralis allegoria, aliquando suspendit contemplatio ad altiora. Anima his deliciis affluens, mystico intellectu reficitur, in quo præsens obscuritas fulgore diei subsequentis illuminatur, ut etiam in hac corruptione in intellectum illius veri luminis erumpat, et verborum deliciis pasta, prægustando discat, quid de pabulo veritatis esuriat. Sequitur :

Sub arbore malo suscitavi te : ibi corrupta est mater tua : ibi violata est genitrix tua.

Dictum est, quod ista deliciis affluens, super Dilectum suum innixa est : jam, quod illi inniti potuerit et debuerit, consequenter demonstratur. Ait enim, « Sub arbore malo suscitavi te, » id est, a morte revocavi te; sub arbore malo quidem constitutam, id est, peccato obnoxiam, quod arbore malo contractum est. Dicunt enim vetitam illam arborem, a qua homo in Paradiso abstinere jussus est, malum fuisse, et lignum illud quod bonum esset ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque dele-

etabile, in concupiscentiam mulieri devenisse; quæ de illo tulit, viroque porrexit, seque ream inobedientiæ, posterosque, constituit. Ab hoc quidem inobedientiæ malo Sponsus iste crucem sustinens, omnes eripuit, ideoque seipsam sub malo, id est, sub peccato quod ex malo contractum est, positam suscitasse et redemisse confitetur. Quod ne modicum æstimetur, adjungit, « Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua; » matrem vocans generationem omnem, quæ ab Adam ad Abraham usque protracta est : genitricem vero illam nominans, quæ ab Abraham usque ad Christum, arctiori quadam mandatorum lege constricta est, per hos edocens omnes humana generatione procreatos, delicto huic obnoxios; nisi eos aut Spiritus, antequam nascerentur, sanctificaret, utpote sanctam Virginem quæ Dei constituta est habitaculum, Joannem Baptistam, et Jeremiam, quos sanctificatos ab utero cognoscimus, aut eis suo Deus sacramento subveniret. Quod si quis altius curat inspicere, tractatum relegat, quem supra de reconciliationis osculo disseruimus, et quæ nobis, dictante Domino, donata sunt, exposuimus. Sequitur.

6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

Quia liberavi te a morte quam meruisti, per mortem crucis meæ; ideo tibi consequenter injungo, ut me, id est, meam dilectionem, qua homo pro te factus sum, qua pro te crucifixus sum, qua humiliavi me, ut de morte quam meruerat eruerem te, ponas semper ut signaculum, id est, ut memoriale quoddam, super cor tuum, id est, in corde tuo; ut in omni eo quod agere disposueris, hanc semper attendas dilectionem, ne quid effectu complere præsumas, nisi id huic dilectioni cohærere conspicias. Idem et de brachio subjungit, « Ut signaculum super brachium tuum. » Hæc enim si cohærentia sunt, cor deliberans, et brachium id quod corde deliberatur exsequens. Quæ si ambo memoriale hujus dilectionis teneant, ab omni se opere, quod huic non convenit dilectioni, cohibebunt. Sic cor muniens et brachia, hoc quod alias dictum est, persuadet : alias namque dictum est, « Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus : Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias (*Prov.* vi, 16, 17, 18, 19). » Quæ quidem omnia, si dilectionem Dei habeas, si hanc in corde tuo et in brachio, ut memoriale defigas, longe fient a te, nec est quod in modico impediant te.

Quia fortis est ut mors dilectio

Mors quidem fortis est, quia reges exterminat, tyrannos dejicit, divites spoliat, omne denique quod in mundo vivit rapit ad se, uno communi fine cuncta terminans, et universa concludens : sic et Christi vera dilectio fortis quidem est, Christo quæque adversantia respuens, non exhorrens gladium, non timens carcerem, vincula non metuens, omne quod excogitari potest supplicii (71) libens in se suscipiens, hæc non tormenta reputans, sed ut suæ salutis adjumenta venerans et adorans. Excogitavit mundus bestias, excogitavit ardentes laminas, rotas excogitavit et cochleas; quæ tamen omnia superavit et vicit charitas manens in horum cordibus, quos expugnabat malignitas. Unde non ut mors fortis, sed ipsa morte fortior est ista dilectio, quæ in eam irruente morte manet integra, et per eam præmia consequi meretur æterna. Sequitur :

Et dura sicut infernus æmulatio.

Ut dilectio commendatur, sic improbatur æmulatio; æmulatio enim dicitur invida charitatis imitatio. Quidam enim videntes martyres honorari, et sanctos ab omnibus confessores venerari, invidentes iis honoribus, et eosdem cupientes, se quasi sequaces martyrum et ipsorum imitatores præferebant, et sic se martyres, aut quasi martyres æstimabant : quorum studia Sponsus ipse sic improbat, dicens, « Dura sicut infernus æmulatio. » Nam sicut Infernus, quos rapit hos trahit, nec eorum quemquam extrahi a se permittit; sic istorum dura est conditio, quæ sic coadunatur inferno, bonum sibi tantum simulans dolo malo. Sequitur :

Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Hæc charitatis commendatio est, quæ est vera Dei dilectio; ejus enim lampades ignis, sunt corda scilicet, sanctorum, in modum formata lampadum, quæ hinc stricta, superius vero dilatata sunt, et in spiritualis ignis habitaculum præparata. Qui quidem ignis, semper ignis est, semper calefaciens, et in dilectione Dei cor semper accendens; aliquando ignis cum flamma, quando non solum ardet et accendit, immo lucet in opere, et quod intus agit, manifestat in re; ita quidem, quod aquæ multæ non possunt hanc charitatem extinguere : hanc enim dilectionem tribulationes nullæ, nullæ vexationum adinventiones possunt extinguere; quia quo mala multiplicantur, in Deum hinc constat ipsum excrescere, quia « flumina non obruent illum, » id est, mala malis aggregata in nullo Dei gratiæ prævalebunt. Sequitur :

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Hæc consummata laus ejus est : nam si totum quod temporaliter acquiritur homo dederit, ut hanc sibi charitatem acquirat, eam totam substantiam quasi nil despiciet, et nil sibi dedisse videbitur, quia charum et amabile est quod acquiritur. Sequitur :

(71) F. suppl. *genus*

8. *Soror nostra parva, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.*

A Sponso Sponsa commendata est, et quod ab eo de morte redempta sit, commonuit, et quod hoc memoriale cordis habeat, edocta; edocta quoque quod charitas vincat omnia; ipsa quidem omnia grata habet et suscipit; et jam de charitate commonita, quæstionem annectit, dicens, « Soror nostra parva, et ubera non habet. » Venit sibi in mentem, quod ait Apostolus, « Cum plenitudo Gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet (*Rom.* xi, 25, 26). Hujus itaque synagogæ reminiscitur, quæ ad præsens in tenebris ambulat, Christum negat, quæ de illo dicuntur et creduntur, hæc blasphemat. Hanc itaque sanctum apostolum in novissimis con- B vertendam, et Eliam, et Henoch ad hos convertendos a Christo reservatos præsciens, hanc propter conversionem futuram sororem nominans, ex charitate sic ait, « Soror nostra parva, et ubera non habet : » parva quidem fide, spe minima, in charitate jam nulla. Hæc ubera non habet, nulla in se doctrinæ retinacula continet; quæ propter se facta sunt, hæc negat et reticet. Hanc ergo ad fidem in novissimo venturam præsciens, a Sponso sic quærit, « Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est? » Quid dicemus? Illam quomodo commonebimus? Quæ illi verba salutis dabimus? Ad hæc interrogata sic respondet Sponsus :

9. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea : si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* C

Eorum enim qui convertendi sunt, quidam sunt ut murus, magnam habentes in se scientiam, literarum quoque notitiam, et ob hoc quoque muri, contra se impugnantes, duritiam; quibus ait Sponsus, ut ædificentur super eos propugnacula argentea, id est, divinarum scripturarum eis dentur testimonia, et autoritatum quibus præmunimur; his donentur insignia, quibus hi jam muniti Ecclesiæ veræ sunt defensores et tutela. « Si vero ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. » Ostium vero sunt hi, per quos quidam intrant, quidam vero exeunt : qui quidem minores sunt scientia, minus quidem eruditi scripturis, quibus non summa D proponenda sunt, et intellectu difficilia, sed tabulæ compingendæ sunt cedrinæ, id est, leves Scripturæ proponendæ; ut est ea tabula quam pinxit Dominus, dicens, « Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 3 et seq.). » Quæ quidem tabula cedrina est, imputribilis, scilicet, et sententias proferens incontaminatas, veras et infringibiles. Aliæque tabulæ his similes, quæ his propositæ, ipsos in veritate suscepta adjuvare poterunt et confirmare. Sequitur

10. *Ego murus : et ubera mea sicut turris; ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

Audito Dilecti responso, quo Sponsam monet, ut et conversæ synagogæ propugnacula proponat argentea, et ad defensionem Ecclesiæ propugnatores mittat idoneos, ipsa congratulanter ait, « Ego murus, » me quoque ipsam opponam ictibus; et ubera mea, prælati, scilicet, Ecclesiarum, quos mea ob hoc ubera nomino, quod meo eos lacte nutrio, hi mecum erunt Ecclesiæ firma et inexpugnabilis defensio, et mecum æternæ vitæ incontradicibilis acquisitio; eo quod reddita jam mihi sorore mea quæ perierat, « Facta sum coram eo quasi pacem reperiens. » Tunc enim vere pax reperta erit, cum nullus eorum qui præsciti sunt ad vitam jam deerit, sed omnes suos Ecclesia intra se jam continens, summa prosperitate gaudebit. Sequitur :

11. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos : tradidit eam custodibus.*

Consummata jam laude cantici hujus, et consummata plenitudine Sponsæ hujus, cum sibi synagoga, quam sororem nominat, ad fidem conversa erit, et ad fidem Gentium plenitudo intraverit, de se tota jam Sponsa loquitur, dicens, « Vinea fuit pacifico. » Ego quidem cum plenitudine Gentium jam vocata, cum synagoga jam ad fidem conversa, exstiti vinea pacifico, id est, Jesu Christo Domino nostro, qui pacificavit omnia quæ in terra sunt, et quæ in cœlo. « In ea quæ habet populos, » id est, in multitudine Gentium, quæ tota a Deo creata est, sed non tota ad vitam præordinata; « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi (*Matth.* xx, 16). » Ego vero cum omnium electorum, Judæorum et Gentium multitudine, vinea fui pacifico, electos sibi fructus faciens, dignos ab eo suscipi, dignos Deo Patri præsentari. Quam quidem vineam dicit pacificum tradidisse custodibus : nam pars Ecclesiæ quæ ab Adam usque ad Christum exstitit, Patriarchis, et Prophetis, et Legis sanctæ Doctoribus custodienda commissa est. Quæ vero a Christo usque in finem seculi futura est, apostolis sanctis, et martyribus, aliisque honore pollentibus erudienda, concessa est. Sequitur :

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. 12. *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus.*

Hanc quidem vineam pacificus excoluit, plantavit, et secuit, et ad florem, fructumque perduxit; quæ non in amaritudinem conversa est, nec labruscas fecit, sed elegantes uvas, et Deo Patri præsentari dignissimas. Unde hic dicitur, « Vir affert pro fructu ejus mille argenteos. » Quis iste vir est? Vir ille bonus, cujus meminit David, dicens, « Vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* i, 1, 2). » Hic solus, vir dici dignissimus, fructus suscipit Ec-

clesiæ, offertque Deo Patri, a quo, ad remunerandam Ecclesiam, mille suscipit argenteos, quos affert, ut ditetur Ecclesia, et se bene fructificasse congaudeat. Per mille vero argenteos vitam denotat æternam, ejusque beatitudinem infinitam, qua suos remunerabit Dominus, cum eos præsentaverit Patri, et his in cœlestibus sedes collocaverit. Hanc vero beatitudinem numero millenario comprehendi designat, quæ quarta unitas est : prima enim unitas, unitas ipsa est; secunda, denarius; tertia, centenarius; quarta, millenarius; post hunc in infinitum numerus extenditur, habens millenarium sibi semper radicem et unitatem. Bene ergo per hunc, infinitas; et per argentum, beatitudinis excellentia demonstratur; de hac enim dictum est, « Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum (*Psal.* XII, 7). » Quia quæ Dominum prædicant eloquia, castitatem in se continentia sunt, nullam in se hæresin, nullam prorsus incontinentiam admittentia, sed sunt in se velut argentum igne sancti Spiritus examinatum, quo nihil dulcius tinnit eloquio, nihil animæ plus sapidum; quo nil a terra probatius, quo nil igne septiformis spiritus purgatius invenitur : de qua responsum hoc Patris accipit, « Vinea mea coram me est, » id est, Omnis hæc electorum multitudo mihi complacet, in omni cogitatu et opere mecum est, quam tu mihi per pacificos mille significas, et per ducentos, qui custodiunt fructus ejus. Hi namque perfecti illi sunt, qui ab Adam usque ad Christum universitatem hanc verbis erudierunt, exemplis custodierunt, et meritis ornaverunt. Centum vero qui supersunt, sunt ii qui a Christo usque in finem seculi electæ illi multitudini præfuerunt : hi Deo Patri præsentantur, et in æterna beatitudine, cum his quibus præfuerant coronantur. Sequitur :

13. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant : fac me audire vocem tuam.*

Hæc Sponsi est ultima commonitio, qua Sponsam de laude sua commonet, dicens, « Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam. » Hæc quidem jam in hortis Judæa primatum obtinens, ipsam jam fide conversam retinens, hanc præceptis vitæ erudiens, gentilitatis quoque multitudinem plene possidens, in hortis virtutum plane residens, virtutes omnes quæ Domino suave redolent in se continens, bene in hortis Ecclesiarum habitare dicitur, et ut ab ea laus Domino proferatur, monitis cœlestibus exposcitur, cum dicitur Quæ habitas in hortis Ecclesiarum, fac me audire vocem tuam, ut a cunctis Ecclesiis laus mea resonet, et ab omni laus mea cum gratiarum actione resultet. « Amici » enim « auscultant; » Angeli namque, et omnes cum his virtutes angelicæ, Christo cum his fidelis amicitiæ ab initio virtute conjunctæ, exspectant et auscultant gloriam remunerationis meæ, quam jam sperant in gloria laudis tuæ. Sequitur :

14. *Fuge Dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.*

Hæc est Ecclesiæ ultima responsio, qua respondet Sponsa Dilecto suo, dicens, « Fuge, Dilecte mi. » Hanc Sponsus de laude commonet, hortatur ut laudem personet, non quod velit, quod nunc cantica laudis incipiat, sed exspectata communi omnium resurrectione, cum Sponsus in nube venerit, cum ejus adventum angelus clara voce personuerit, dicens, « Ecce Sponsus venit, Exite obviam ei (*Matth.* XXV, 6); » cum ad (72) resurgendum omnes tuba lugubris insonuerit, et Judex stipatus Angelis, in sede suæ majestatis sederit, et ei, nullo excepto, mundus occurrerit, et horrendam in reprobos sententiam tulerit, et dederit electis suis omnibus sententiam quam dicturus est, « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Tunc quidem Ecclesiæ cum sanctis omnibus personabit laus et gratiarum actio, qualis audita non est a seculo, cunctique ejus laudis participes in secula benedicentur a Domino. Quod quia diligenti se Sponsæ præmonstratum est, ideo non indignando, sed moram hanc patienter sustinendo, sic respondet, « Fuge, Dilecte mi, » quod est, a nostris te conspectibus ad præsens abstrahe; in hoc similis assistens capreæ hinnuloque cervorum, quæ munda quidem animalia sunt, et a conspectibus hominum se in jugis montium continentia. Quos quidem montes, ubi iste cervorum hinnulus habitat, ut a cæteris montibus discernat, addit, « aromatum. » Montes enim aromatum sunt sancta angelorum agmina, virtutumque omnium cœlestium habitacula, a quibus spirant omnes aromatizantes gratiæ, quas certum est Domino complacere. His Dominus de se vitæ diffundit balsamum, ut eo peruncti jam vivant in æternum : cui nimirum unctioni, Ecclesia se participem fieri desiderans, et ad hanc semper in his quæ dicta sunt suspirans, osculum sibi dari sanctissimæ jucunditatis expetiit, et jam nunc quod illud sit acceptura post paululum cum tota sui plenitudine, certissima Sponsi sui promissione certificata conquievit.

(72) F. *resuscitandum.*

GILBERTI PRÆFATIO

IN SUAM HOMILIARUM COLLECTIONEM.

(D. Giles, *Epist. Gilb. Foliot*, ep. 329.)

Habes, frater, quod optasti, quod pulsanti jam diutius charitas ultra negare non potuit. Intus enim positus, avocatos ab his quæ foris sunt sensus meos ne quibusdam forte distraherentur illecebris, cum intra mentis cubile, clauso quidem ostio, quiete placida confoverem, te subito pulsantem foris et aliquid postulantem adverti. Petebas autem aliquem de Scriptura sacra commodari tibi panem: quem amico qui de via venerat ad te, avocato scilicet ab exterioribus animo tuo, hospitali gratia in refectione condigne apponeres. Qua in re si vere supplicantis agebas affectum, potius quid porrigerem attendere, quam meæ circa te liberalitati legem constituere debuisti. Nunc vero non quæ sunt vires meæ considerans, tuo potius arbitrio quid tibi dari volueris elegisti. In illud enim quod in beatorum apostolorum Petri et Pauli decantatur Octavis: *Isti sunt duæ olivæ et candelabra lucentia ante Dominum*, tractatum tibi aliquem ad gratiam, beatis vero apostolis ad laudem, explicari postulasti, pro libito assignans materiam et explicans dicendi formam. Nam et hoc in prece complexus es, ne tuam scholarium more propositionem sub brevitate constringerem, sed, tanquam in domum meam sapientia declinaverit, juxta illud: *Sapiens in verbis producit se ipsum* (*Eccli.* xx); et illud: *Labia sapientis ornant scientiam* (*Prov.* xv), quod proposueras auctoritatibus cingerem, et id verbis et sententiis dilatando, non in expositionem solummodo, sed in tractatum extenderem. In quo animi insolentiam tui recte quis redargueret, si non omnia charitas excusaret. Sed amoris indubitanter experimentum reputo, quod tuum mihi desiderium confidenter exponis. Sitque tibi charitatis indicium quod cum in terra mentis meæ fames verbi prævaleat, panis tamen id modicum quod est penes me, tibi communicare non omitto. Et fuerat fortasse melius mihi pacem comparasse silentio, quam scribendo quidpiam multorum me judicio submisisse. Sed tu te mihi monachum exhibe, et orando discrimen amove, in quod me jam diu continuatæ precis instantia pertraxisti.

Homilia 1.

Isti sunt duæ olivæ et candelabra, etc.

Homilia 2.

Post vitem paradisi oliva proxime speculanda occurrit, etc.

Homilia 3.

Olivam in paradiso plantatam sapientiam Dei esse, etc.

Homilia 4.

In paradiso Dei nihil omnino pulchrum aut, etc.

Homilia 5.

Isti sunt duæ olivæ et candelabra, etc.

Homilia 6.

Sequitur ante Dominum lucentia, etc.

Homilia 7.

Sequitur ante Dominum quædam lucent, etc.

Homilia 8.

Habent potestatem claudere cœlum nubibus, etc.

Homilia 9.

Duæ claves cœli sunt, quas ut nobis, etc.

ANNO DOMINI MCLXXXVI

ROBERTUS DE TORINNEIO

ABBAS S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS

NOTITIA

(D. Ludovicus Conradus Bethmann, Proleg. ad Sigebertum. Vide *Patrologiæ* t. CLX initio)

Robertus, patria Normannus ex vico de Torinneio, anno 1128 S. Benedicti Regulam professus apud Beccum, an. 1149 ibi prior electus, VI Kal. Jun. 1154, ad abbatiam Montis S. Michaelis de Periculo Maris vocatus, quam summa cum laude gessit usque ad obitum VIII Kal. Jun. 1186; vir generis nobilitate ex-

cellens, in rebus publicis non minus versatus quam in litteris, regi atque reginæ multum commendatus (1), librorum inquisitor atque coacervator studiosissimus (2), doctrinæ gloria Normannorum sui sæculi princeps. Historiam et aliis commendabat scribendam et ipse scriptis coluit; inter quæ primum locum tenet Chronicon Sigeberto additum. Cum enim patriam maxime historiam narrare vellet, ex more mediæ ætatis hanc ita universali conjunxit, ut codicem ab episcopo Bellovacensi mutuatus, Eusebium, Hieronymum atque Prosperum inde describeret puros, in Sigeberto nil mutaret, nil omitteret, sed interponeret archiepiscopos Rothomagenses atque Anglorum Normannorumque historiam, omnia petita ex Annalibus Rothomagensibus, Beccensibus atque Montis S. Michaelis, Guillelmo Pictavensi, Guillelmo Gemmeticensi, Henrico Huntingdonensi. Scripta Roberti hæc sunt : Historia Henrici I seu liber octavus Guillelmi Gemmeticensis, inter a. 1135-1150. — Continuatio Sigeberti, incœpta a. 1150. — Epistola ad Gervasium, inter a. 1150-1154, edita a Dachery, post Guiberti opp. p. 715. — De immutatione ordinis monachorum in Normannia, a. 1154, apud Dachery, p. 811. — Annales Montis S. Michaelis ab an. 1154 ad 1159 ipsius manu inserti chartulario monasterii, nunc in bibl. publ. Abrincensi, n. 80. — Prologus in Augustini Florum, apud Dachery, p. 716. — Prologus in Plinium ab ipso correctum, qui liber ante duo sæcula ad San-Germanenses missus, nunc erit in bibliotheca regia Parisiensi. — Epistola ad abbatem Beccensem a. 1182, apud Bouquet, XVIII, 333. — Quæ præter hæc ei tribuuntur, testimoniis carent. Quod catalogus abbatum a. 1643 confectus, apud Dachery opp. Lanfranci p. 351 dicit : *Robertum* 154 *volumina edidisse atque turris sub ruinis et impluvio putruisse refert Historia S. Michaelis*, in hoc errorem inesse apparet; libri isti 154 non sunt, quos ipse conscripsit, sed quos collegit.

(1) Adeo ut eorum filiam Alienoram de fonte susciperet a. 1161, et custodia Pontis-Ursonis muneraretur a. 1162. Jam antea idem rex Heinricus II ad eum venerat in Montem a. 1156, et iterum cum Ludovico VII, biennio post. Alexander quoque papa eum Turonos vocavit ad concilium a. 1163; quo finito, Robertus Romam profectus est, indeque redux, Angliam adiit. — De vita Roberti cf. ipsum in Chronico passim inde ab a. 1154; Labb. Bibl. ms. I, 348; Galliam Christ. XI, 520; unde sua hauserunt *Hist. litt.* XIV, 363 ; Bouq. XIII, præf, 30; Hirsch, p. 387. Quæ Fabricius dicit, fere omnia falsa sunt.

(2) Ut eum Henricus Huntingdonensis vocat. Inter alia Plinium in Normanniam primus advexit

ROBERTI DE TORINNEIO

LIBER

DE GESTIS HENRICI I REGIS ANGLORUM.

(Est liber octavus Historiæ Willelmi Gemmeticensis. Vide *Patrologiæ* t. CXLIX, col. 879.)

ROBERTI DE TORINNEIO

CONTINUATIO SIGEBERTI.

(Vide *Patrologiæ* t. CLX, col. 423.)

ROBERTI EPISTOLA

AD GERVASIUM PRIOREM S. SERENICI.

(Opp. Guiberti Norig., p. 713.)

Charissimo in Christo fratri Gervasio, priori S. Serenici, frater Robertus ultimus monachorum Becci, salutem et obsequium.

Quoniam audio te a negotiis sæcularibus feriatum, et otio religioso occupatum, supplico dilectioni tuæ, quatenus ad ea quæ in Normannorum provincia evenerunt post excessum nobilissimi regis Anglorum, et ducis Normannorum Henrici, usque ad mortem illustris ducis Normannorum, et comitis Andegavensium Gaufridi describenda accingaris. Hoc enim ad augmentum famæ tuæ proficiet, et gratiosum me tibi, et remunerationis debitorem efficiet; et quod his omnibus majus est, novi ducis favorem non modicum forsitan acquiret. Si autem ad hoc opus manum miseris, volo ut hoc ordine illud exsequaris.

In prithis omnium comitum Andegavensium, scilicet ab Ingelgerio usque ad ipsum Gaufridum, breviter, et quasi recapitulando, enumeres nomina, genealogias, successiones, et quot annis quisque eorum comitatui præfuit, et quæ præclara gesta memoriæ annalium digna, sive in spiritualibus, sive in sæcularibus rebus exercuit; sub quo etiam rege Francorum primum comitem Ingelgerium Andegavenses habuerunt. Cum autem veneris ad Fulconem patrem Gaufridi, quia uxor ejus fuit filia Eliæ comitis Cenomannorum, hac de causa volo ut sicut epilogum fecisti de omnibus comitibus Andegavensium, ita facias et de omnibus comitibus Cenomannensium, et omnia observes in illis, quæ superius observanda prætaxavi in istis. Hæc autem omnia libentius per memetipsum quoquomodo expedirem, A si otium, facultas, copia chronicorum ad illos duos comitatus pertinentium, æque mihi ut tibi suppeditarent.

Et quoniam de singulis ducibus Normannorum a Rollone usque ad Henricum nobilissimum regem Anglorum, et ducem Normannorum, singuli libri apud nos retinent, dignum judicavi res gestas illius summatim describendo, historiis antecedentium ducum superadjicere, ne magnitudo illius silentio premeretur, qui et in vita sua multis profuit facto, et post mortem quam, si imitari dignentur, proficiet exemplo. Cui operi propter continuationem temporum, illud quod a te postulo, continuari volo, quatenus ea quæ in temporibus nostris in nostra provincia gesta sunt, ad notitiam futurorum per scripturam transmittamus. Vale.

EJUSDEM EPISTOLA

AD ROGERIUM ABBATEM BECCÆNSEM.

(Vide *Patrologiæ* tom. CLX, col. 34, not. 132.)

ROBERTI DE TORINNEIO

TRACTATUS

DE IMMUTATIONE ORDINIS MONACHORUM.

(Opp. Guiberti Novig., p. 811.)

CAP. I. *De origine Cisterciensium.*

1. Libet in præsenti demonstrare qualiter et a quibus antiqua consuetudo victus et habitus monachorum immutata sit.

In Burgundia est locus qui dicitur Molismus (3). Ibi tempore Philippi regis Francorum, Robertus abbas cœnobium condidit, et magnæ religionis discipulos aggregavit: post aliquot annos Regulam sancti Benedicti perscrutatus ad litteram, voluit persuadere discipulis suis ut labore manuum viverent, decimas et oblationes clericis qui diœcesi deservirent, relinquerent; femoralibus, staminiis, pelliciisque abstinerent. At illi econtra nitentes consuetudinibus quæ in occidui orbis monasteriis observabantur, quas constat esse institutas a beato Mauro discipulo sancti Benedicti, et a beato Columbano, et ut ad modernos veniam, a sancto Odone abbate Cluniacensi, dicebant se ab eis non recedere. B Hæc Robertus audiens, et in sua sententia permanens, recessit ab eis cum viginti et uno sibi assentientibus, diuque locum quæsivit idoneum sibi suisque sodalibus, qui decreverant Regulam sancti Benedicti, sicut Judæi legem Moysi, ad litteram penitus observare.

2. Tandem Odo filius Henrici, Burgundiæ dux, illis compassus, prædium eis in loco qui dicitur Cistercius (4), in episcopatu Cabillonensi, largitus est: ibi Robertus abbas cum electis fratribus aliquandiu habitavit, Deoque donante in brevi plerosque æmulatores districtæ religionis, quam in illo eremo arripuerat, et suæ sanctitatis habere promeruit.

Cumque Molismenses per aliquot tempus pastore carerent, viroque Dei virtutibus famoso discedente, despicabiliores erga vicinos et notos fierent, Urbanum papam supplices adierunt, eique prorsus enodata serie rerum, quas superius retuli, consilium C

(3) *Molesme.*

(4) *Citeaux.*

et auxilium ab eo postulaverunt. Ille vero paterno affectu utrisque consuluit; abbati enim apostolica jussit auctoritate, ut prius monasterium repeteret, et ne laberetur regularitas, regeret; ac in alio quod postmodum incœperat, quemlibet de suis idoneum substitueret.

Redeunte itaque Roberto abbate ad Molismense cœnobium jussu Urbani papæ, primus Albericus factus est abbas Cisterciensis post ipsum; cui successit Stephanus Anglicus, qui uterque magnæ religionis fuerunt.

Ipso vivente et jubente Guido abbas Trium-Fontium electus est, et per duos annos idem monasterium regens, utcunque tandem insipienter reliquit. Deinde Reinaldus filius Milonis comitis de Bar super Sequanam ei successit. Quo mortuo, anno ab Incarnatione 1151, Gotsuinus qui erat abbas cujusdam monasterii in Viennensi provincia, natione Lothariensis, factus est quintus abbas Cisterciensis, excepto Roberto abbate Molismensi, qui illum ordinem inchoaverat; sed querimonia Molismensium, et jussu Urbani papæ, ut prædictum est, ad prius monasterium redire compulsus fuerat.

Jam fere quinquaginta quinque anni sunt, ex quo Robertus abbas, ut dictum est, Cistercium incoluit, et tanta virorum copia illuc confluxit, ut inde fere abbatiæ quingentæ a 1098 anno Incarnationis Dominicæ, usque ad annum ejusdem divinæ Incarnationis 1152 consurgerent. Et hac de causa in generali capitulo, ubi annuatim, mediante mense Septembris, apud Cistercium abbates, et etiam episcopi, qui assumpti sunt de illo ordine conveniunt, quatenus negligentiæ, quæ omnino in tot et tantis conventibus nequeunt evitari, emendentur. Hac de causa, inquam, quia tantum multiplicabantur abbatiæ ejusdem ordinis, statutum est ut amplius nullam novam abbatiam instituerent in desertis atque silvestribus locis, monasteria proprio labore condiderunt, et sacra illis nomina solerti provisione imposuerunt, ut est, Domus Dei, Claravallis, Eleemosyna, Curia Dei, et alia plura hujusmodi, quibus auditores solo nominis nectare invitantur festinanter experiri quanta sit ibi beatitudo, quæ tam speciali denotatur vocabulo. Multi nobiles et divites, et profundi sophistæ pro novitate singularitatis ad eos concurrerunt, et inusitatam districtionem sponte amplexati sunt.

Cap. II. *De origine Carthusiensium.*

Eodem fere tempore quo ordo Cisterciensis in Cabillonensi parochia exortus est, Carthusiensis etiam in episcopatu Grainopolitano adinventus est. Genus hoc eremitarum sub priore agit; nec numerum tertium decimum multitudo transcendit: unusquisque in cella sua privatis diebus separatus ab aliis orat, dormit, et manducat; quæ tamen cellæ contiguæ et loco conjunctæ sunt. Festis diebus ad ecclesiam et ad mensam conveniunt, et de spiritualibus inter se conferunt, Instituta vero et nocturni et diurni officii, secundum Regulam sancti Benedicti persolvunt.

Cap. III. *Monasterium casalis Benedicti.*

Exacto aliquo tempore exinde ex quo Cisterciensis ordo incœptus, Andreas genere Italus de Valle Brutiarum, monachus efflоruit, et in Bituricensi pago monasterium, quod Casale-Benedicti (5) nuncupatur, construxit.

Cap. IV. *Monasterium Fontis-Ebraldi* (6).

Iisdem temporibus tres socii in religione fuerunt: unus Bernardus, qui prius fuerat abbas Quinciaci in Pictavensi solo; et Robertus de Arbrexo; et Vitalis eremita, qui fuerat capellanus comitis Moritolii: hi singuli singula monasteria ædificaverunt

Bernardus, quia nolebat monasterium Quinciaci, quod hactenus fuerat liberum, monachis Cluniaci subjici, cum Paschalis papa ei exinde vim inferret, illud relinquere adductus a venerabili Ivone Carnotensi episcopo, et Rotrone comite Moritaniæ, in loco silvestri, qui Tiron dicitur, cœnobium in honorem sancti Salvatoris construxit. Hic omnes ad se venientes suscipiebat, et artes quas noverant legitimas infra monasterium exercere præcipiebat. Cui successit Willelmus Pictaviensis, vir litteratus et admodum religiosus.

Robertus de Arbrexo, vir aptus ad lucrandas animas et prædicandum verbum Dei, cœnobium quod Fons-Ebraldi dicitur in confinio Andegavensis et Pictavensis soli ædificavit, et sanctimoniales feminas ibidem congregans, eis Petronillam abbatissam præfecit; qua mortua successit ei in regimine ejusdem monasterii Mathildis soror Andegavensis comitis.

Vitalis eremita optimus seminiverbius, in confinio Normanniæ et Minoris Britanniæ, in vico Savineio (7) monasterium ædificans, modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes, monachis suis imposuit. Huic successit Bajocensis Gaufridus, Cerasiensis monachus, vir admodum litteratus et in religione fervens. Hic multa monasteria ædificavit, et consuetudines prioribus arctiores Saviniensibus imposuit. Cui post Evanum Anglicum, qui parvo tempore eidem monasterio præfuit, successit venerabilis Serlo de Vallebadonis juxta Bajocas, qui fuerat prædicti Gaufridi in sæculo discipulus, et monachatum susceperat prius cum eo in monasterio Cerasiensi; sed relicto illo monasterio, pro majori religione expetierat Savinneium Hic quia pro velle suo ei non obtemperabant monasteria sibi subdita, auctoritate Eugenii Romani pontificis, subdidit se, et omnia monasteria sua Cisterciensi ordini, et exinde post paucos annos, ut Deo liberius posset vacare, relicta cura monasteriorum, in monasterio Claravallis Deo et sibi vacans delituit. Cui successit in regimine Savinneii Ricardus de Curseio prior ejusdem loci.

(5) *Chezalbenoist.*
(6) *Fontevrault.*
(7) *Savigni.*

CAP. V. *De monasterio S. Victoris Parisiensis.*

Eodem tempore magister Willelmus de Campellis, qui fuerat archidiaconus Parisiensis, vir admodum litteratus et religiosus, habitum canonici regularis assumens cum aliquibus discipulis suis, extra urbem Parisiensem in loco, ubi erat quædam capella Sancti Victoris martyris, cœpit monasterium ædificare clericorum. Assumpto autem illo ad episcopatum Cathalaunensium, venerabilis Geldoinus discipulus ejus, primus abbas ibi factus est. Sub cujus regimine multi clerici nobiles sæcularibus et divinis litteris instructi, ad illum locum habitaturi convenerunt; inter quos magister Hugo Lothariensis, et scientia litterarum et humili religione maxime efloruit. Hic multos libros edidit, quos, quia vulgo habentur, non oportet enumerare.

CAP. VI. *De canonicis regularibus Aronasiæ, et Præmonstrati.*

Eodem etiam tempore novi canonici regulares apud Truncum Berengarii et apud Præmonstratum adunati sunt, labore manuum viventes, et laneis vestibus, et his rusticanis et vilibus utentes.

CAP. VII. *De reformatione quorumdam monasteriorum.*

Videntes itaque abbates nominatissimorum monasteriorum, quæ reges Francorum, et alii consulares et potentes in prædiis suis ædificaverant, sed propter abundantiam divitiarum nimium dissoluta erant, monachos novi ordinis Cisterciensis scilicet et Carthusiensis, necnon etiam canonicos, quos supra diximus, vitam suam sub districta religione agere; rubore suffusi, vel sponte, vel inviti, coacti videlicet a regibus et pontificibus, monachos ordinatissimorum monasteriorum, scilicet Cluniaci, Majoris Monasterii, Becci, et aliorum æque in religione vivere studentium, ad se evocant, et ad eorum exemplum vitam suorum subditorum conformare satagunt.

Ad regimen etiam abbatiarum minus religiosarum, assumuntur plurimi abbates de illis monasteriis, quæ in religione aliis præcellere videbantur.

CAP. VIII. *De antiquorum Normanniæ monasteriorum instauratione et fundatione.*

Quoniam de monasteriis noviter factis aliqua diximus, libet de ducum Normanniæ piis operibus in ædificatione, sive reædificatione monasteriorum, aliqua vel breviter commemorare. Rollo igitur qui et Robertus angustia temporis post baptismum præventus, nullum monasterium vel instituit vel renovavit, sed sicut superius jam diximus, multas possessiones pluribus ecclesiis et monasteriis donavit.

CAP. IX. *De Gemeticensi* (8) *monasterio.*

Willelmus filius ejus Longa-Spata monasterium Gemeticense, quod sanctus Philibertus construxerat, sed Hastingus paganus destruxerat, restauravit, in quo fuerunt abbates a sancto Philiberto usque ad exterminium ejusdem monasterii viginti: a restauratione vero quæ sub Martino abbate facta est, quem Gerloc comitissa Pictaviensis, cum duodecim monachis, a monasterio Sancti Cypriani Pictavis misit Willelmo fratri suo duci Normanniæ, usque ad annum 1154 Dominicæ Incarnationis, quo iste Catalogus abbatiarum Normanniæ factus est a nobis, fuerunt abbates quatuordecim, quorum ultimus fuit Eustachius ejusdem loci monachus.

CAP. X. *De monasteriis Fiscanni* (9), *Sancti Audoeni* (10), *et S. Michaelis in Monte Tumba* (11).

Primus Ricardus, filius Willelmi ducis, tria monasteria, unum Fiscanni in honorem sanctissimæ Trinitatis; aliud in monte Tumba in honorem sancti Michaelis; tertium vero Rothomagi in veneratione sancti Petri sanctique Audoeni, multas possessiones, quæ eis a paganis ablatæ fuerant restituendo restauravit; licet Ricardus filius ejus plurima prædia addendo, et ordinem monasticum in eis ponendo, ipse consummaverit.

Monasterio Fiscannensi primus abbas præfuit Willelmus Cluniacensis monachus; et habuit sub regimine suo monasterium S. Benigni Divionis, S. Trinitatis Fiscannensis, S. Germani Parisiensis, S. Faronis Meldis, S. Michaelis de Monte Tumba, et alia monasteria fere triginta. Secundus abbas Fiscannii Joannes Longobardus; tertius Willelmus monachus S. Stephani Cadomi; quartus Rogerius ejusdem loci monachus; quintus Henricus monachus Cluniacensis.

In monasterio S. Michaelis jam fuerunt abbates fere quatuordecim, quorum decem habuerunt de extraneis monasteriis.

Hildebertus primus factus est abbas Sancti Audoeni in monasterio post restaurationem; secundus Herfastus; tertius Nicolaus filius tertii Ricardi ducis Normannorum; quartus Hisgotus prior Cadomi; hic ordinem emendavit; quintus Willelmus, sextus Reinfridus ejusdem loci monachi; septimus Freherius monachus Cluniacensis.

CAP. XI. *De monasterio Sancti Vandregesili* (12), *alias Fontanellæ.*

Secundus Richardus dux Normannorum, ex integro abbatiam S. Wandregisili, quam Fontinellam antiquitus vocaverunt, ædificavit: a sancto Wandregisilo usque ad Mainardum, qui tempore primi Ricardi cœperat eumdem locum pro posse suo emendare, fuerunt abbates viginti quatuor: a Mainardo usque ad præsens tempus duodecim, quorum ultimus fuit Rogerus monachus ejusdem loci, qui adhuc superest.

CAP. XII. *Monasterium Bernaii* (13).

Judith comitissa, uxor secundi Richardi, fecit monasterium Bernaii. Hujus custodes fuerunt Radulphus abbas Sancti Michaelis, et post ipsum Theo-

(8) *Jumiéges.*
(9) *Fescan.*
(10) *Sain'-Ouen.*
(11) *Le Mont Saint-Michel*
(12) *Saint-Vandrille.*
(13) *Bernay.*

dorieus Gemmetici, quorum prior dedit Uticum, et Bellum-montellum Hunfrido de Vetulis, sequens vero medietatem Burgi Bernaii patri Rogerii de Monte Gommerici, qui erat propinquus ejus, ut inde se procuraret, quando Bernaium venisset.

Primus ibi factus est abbas Vitalis monachus Fiscanni, cui cum postmodum Willelmus rex Anglorum abbatiam S. Petri Westmonasterii dedisset, Osbernus frater ejus, monachus Toarnensis, secundus præfuit monasterio Bernaii; tertius Nicolaus monachus Fiscanni; quartus Ricardus monachus ejusdem loci.

Cap. XIII. *Monasteria S. Taurini* (14) *et Villarience* (15).

Monasterium Sancti Taurini Ebriocensis, prædictus Richardus secundus dux Normannorum, ex parte restauravit. Cui monasterio nostris temporibus præfuerunt abbates Radulphus, Willelmus, Paulus, Philippus, monachi Fiscanni.

Item Villare monasterium, quod sanctus Philibertus olim construxerat, prædicti principis uxor, scilicet Judith, ad opus sanctimonialium reparavit.

Cap. XIV. *De Beccensi* (16) *monasterio.*

Venerabilis Herluinus in proprio solo monasterium Becci ædificans, primus eidem monasterio præfuit, cui successerunt Anselmus, Willelmus, Boso, Theobaldus, Letardus, Rogerus, ejusdem monasterii monachi.

Cap. XV. *Monasterium Cerasiacense* (17).

Robertus, dux Normannorum, filius secundi Richardi, ædificavit monasterium Cerasiacense. Primus abbas ibi præfuit Durandus monachus Sancti Audoeni; secundus Almodus, exabbas Sancti Michaelis de Monte; tertius Garinus monachus Sancti Michaelis; quartus Hugo monachus Toarnensis; quintus Hugo monachus ejusdem loci.

Cap. XVI. *Monasteria duo Cadomi* (18).

Willelmus dux, filius prædicti Roberti, duo cœnobia Cadomi ædificavit, unum virorum, et alterum feminarum. Monasterio monachorum primus abbas præfuit Lanfrancus prior Becci, secundus Willelmus, tertius Gislebertus, quartus Robertus, quintus Eudo, sextus Alanus, septimus Petrus ejusdem loci monachi.

Cap. XVII. *De monasterio Uticensi sive S. Ebrulfi* (19).

Willelmus filius Heroïi, monachus Becci, et nepotes ejus Robertus et Hugo de Grandmesnil, restauraverunt monasterium Sancti Ebrulfi apud Uticum. Sed quia idem Willelmus cum suscepisset habitum monachi apud Beccum, dederat eumdem locum Beccensi monasterio; unde etiam Lanfrancus, qui postea fuit abbas Cadomi, cum tribus monachis illo directus est ad habitandum; ideo dedit villam Russeriæ ecclesiæ Becci, pro commutatione ecclesiæ Sancti Ebrulfi. Primus abbas præfuit huic monasterio Theodoricus Gemeticensis; secundus Robertus prior ejusdem loci; tertius Osbernus monachus Sanctæ Trinitatis Rothomagensis, quartus Manerius, quintus Rogerius, sextus Garinus, septimus Richardus, octavus Ranulfus....., undecimus Bernardus, monachi ejusdem loci.

Cap. XVIII. *Monasteria SS. Trinitatis sive S. Catharinæ et S. Amandi Rothomagi.*

Goscelinus vicecomes Arcacensis, patrinus Godefridi patris Mathildis, uxoris Willelmi camerarii, fecit monasterium Sanctæ Trinitatis in monte Rothomagensi; et monasterium instituit Sancti Amandi inter muros ejusdem civitatis, ad opus sanctimonialium. Monasterio Sanctæ Trinitatis de Monte primus præfuit Isembertus Teutonicus, vir religiosus, monachus Sancti Audoeni, secundus Reinerius, tertius Walterius, quartus Helias, quintus Walterius, ejusdem loci monachi.

Cap. XIX. *De S. Leufredi* (20) *monasterio.*

Eodem tempore, scilicet duce Willelmo, restauratum est monasterium Sanctæ Crucis, Sanctique Leufredi, de terra quæ fuerat Helthonis de Cruce. Primus abbas factus est hujus monasterii post restaurationem Albericus, secundus Henricus, tertius Willelmus, monachi Sancti Audoeni; quartus et quintus, Garnerius et Rodericus, monachi ejusdem loci.

Cap. XX. *De Conchensi* (21) *monasterio.*

Rogerius de Toenio construxit monasterium Castellionis. Cui monasterio primus et secundus abbates præfuerunt Gillius et Willelmus, monachi Fiscanni, tertius et quartus, Willelmus et Lotardus, monachi Blesis, quintus Gislebertus monachus Becci, sextus et septimus Simplicius et Vincentius, monachi Columbæ, octavus Bernerius monachus ejusdem loci, nonus item prædictus Vincentius, decimus Silvester monachus Lyræ.

Cap. XXI. *Lyræ monasterium et Cormeliense* (22).

Willelmus, filius Osberni, Normanniæ dapifer, et cognatus Willelmi ducis, duo monasteria in honorem beatæ Dei Genitricis Mariæ ædificavit, unum apud Lyram, in quo Aelisam uxorem suam, filiam Rogerii de Toeneio, postmodum sepelivit. Alterum apud Cormelias, in quo ipse mortuus conditus est.

Primus autem abbas Lyræ fuit Robertus ejusdem loci monachus, secundus Erfastus, tertius Barno, quartus Ernaldus, quintus Hildebertus, sextus Gislebertus monachi Sancti Ebrulfi, septimus Willelmus ejusdem loci monachus, octavus Radulphus monachus Becci, hic ordinem reparavit; nonus Hildericus monachus Sancti Ebrulfi, decimus Willelmus monachus ejusdem loci.

Cormeliis primus præfuit Robertus monachus

(14) *Saint-Taurin.*
(15) *Villiers.*
(16) *Le Bec.*
(17) *Cerisy.*
(18) *Saint-Etienne, et la Trinité de Caen.*
(19) *Saint-Evroult.*
(20) *La Croix Saint-Leufroy*
(21) *Conches.*
(22) *Lyre, Cormel.*

Sanctæ Trinitatis Rothomagi, qui in maris naufragio periit; cui successit Gaufridus ejusdem loci monachus; et illi Willelmus Becci; et illi Benedictus monachus ejusdem loci.

CAP. XXII. *Pratellense* (23) *et S. Vigoris* (24) *Baiocensis monasteria.*

Hunfridus de Vetulis Pratellis duo monasteria ædificavit, unum monachorum, et alterum sanctimonialium.

Monachis primus abbas præfuit Aufridus monachus Sancti Vandregesilii; cui successit Gaufridus monachus ejusdem loci; cui Ricardus de Dumellis, vir religiosus et valde litteratus, qui fuerat monachus Sancti Vigoris Bajocensis sub Roberto de Tumbahelene, qui fuit illius loci primus abbas et ultimus; Ricardo successit alter Richardus; et illi Reinaldus ejusdem loci monachus; et illi Michael monachus Becci.

CAP. XXIII. *Sagiense* (25) *monasterium et Toarnense* (26).

Rogerus de Monte Gommerici, filius Rogerii vicecomitis Oximensis, in honorem sancti Martini duo monasteria ædificavit, unum in suburbio urbis Sagiensis, alterum in vico suo Toarno super Divam.

Monasterio Sagiensi primus præfuit Robertus monachus Sancti Martini Toarni; secundus Rodulphus monachus ejusdem loci, cui successit Hugo, et illi Gislebertus. Item Gislebertus et Joannes monachi ejusdem loci.

At monasterio Toarnensi primus præfuit Durandus monachus Fiscanni; cui successit Arnulfus prior Fiscanni, et illi Andreas, monachus ejusdem loci; et illi Ricardus monachus Cluniaci, et illi Gislebertus, monachus ipsius loci.

CAP. XXIII *bis. Almeniscarum sive Almonacharum* (27) *monasterium.*

Fecit etiam, imo restauravit prædictus comes Rogerus monasterium feminarum apud Almanechias, ubi olim sancta Opportuna fuerat abbatissa, antequam Normanni in regnum Francorum venirent.

CAP. XXIV. *De monasteriis S. Petri sive S. Mariæ Divensis* (28) *et S. Petri Lexoviensis* (29).

Lezelina, comitissa Aucensis, relicta Willelmi comitis, qui fuerat naturalis frater Ricardi secundi Normannorum ducis, adjuta a filiis suis Roberto comite Aucensi, et Hugone episcopo Lexoviensi, monasterium Sancti Petri super Divam virorum, et monasterium feminarum ante urbem Lexoviensem, virili animo construxit.

Monasterio Sanctæ Mariæ Divæ primus abbas factus est Ainardus monachus Sanctæ Trinitatis de Rothomago; cui successit Fulco Sancti Ebrulfi, et Fulconi Benedictus prior Sancti Audoeni; quartus Gauterius, monachus Gemmetici; quintus Robertus, monachus Sancti Dionysii; sextus, septimus et octavus Rodulphus, Richardus et Haimo, monachi ejusdem loci; nonus Warinus, monachus Cluniaci.

CAP. XXV. *Monasterium Ulterioris-Portus* (30).

Filius vero prædictæ Lezelinæ Robertus comes Aucensis, monasterium Sancti Michaelis Ulterioris-Portus ædificavit. In quo primus abbas fuit Herberius monachus Sanctæ Trinitatis de monte Rothomagensi, secundus Alveredus, tertius Osbernus monachus ejusdem loci, quartus Fulcherius monachus Cluniaci.

CAP. XXVI. *De S. Victore Caletensi et S. Salvatore* (31) *Ebroicensi* (32).

At Rogerius de Mortuo Mari, filius Walterii de Sancto Martino, frater vero primi Willelmi de Warenna, monasterium Sancti Victoris in proprio solo fundavit. Cui præfuerunt abbates Ricardus, Robertus, Mainardus, Hugo, monachi Sancti Audoeni.

Richardus comes Ebroicensis in eadem urbe ad opus sanctimonialium monasterium Sancti Salvatoris exstruxit.

CAP. XXVII. *Grestenense monasterium* (33).

Monasterium Sanctæ Mariæ Gresteni Herluinus de Contevilla condidit; in quo ipse requiescit corpore, et Helena uxor ejus. Horum filii fuerunt Robertus comes Moritolii, qui idem monasterium auxit, et Odo episcopus Bajocensis. Primus abbas ejusdem monasterii Gaufridus monachus Sancti Sergii Andegavensis, secundus Fulchrius monachus Sagii, tertius Herbertus monachus ejusdem loci. Consuetudines et monachos in initio habuerunt partim de Sancto Wandregesilo, partim de Pratellis.

CAP. XXVIII. *Monasterium S. Severi Constantiensis.*

Hugo vicecomes Abrincatensis, postea vero comes Cestrensis, abbatiam Sancti Severi in Constantinensi episcopatu fecit. Primus abbas ejusdem fuit Anselmus monachus Gemmetici; secundus Arnulfus Ebroicensis, tertius Petrus monachus Sancti Benedicti Floriaci, quartus Robertus ejusdem loci monachus, quintus Guido Cestrensis.

CAP. XXIX. *S. Trinitatis Exaquii* (34).

Monasterium Sanctæ Trinitatis Exaquii Eudo cum Capella fecit; primus ejus abbas Rogerus monachus Becci, secundus et tertius Gaufridus et Garinus monachi ejusdem loci, quartus Robertus monachus Cadomi, quintus et sextus Radulfus et Rogerus monachi ejusdem loci.

CAP. XXX. *S. Salvatoris Constantiniensis.*

Nigellus, vicecomes Constantiniensis, cœnobium Sancti Salvatoris construxit: primus abbas ibi Benignus, monachus Fiscani, secundus Hamelinus,

(23) *Préaux.*
(24) *Saint-Vigor.*
(25) *Sais.*
(26) *Tourne.*
(27) *Almenèche.*
(28) *Saint-Pierre sur Dive.*
(29) *Saint-Pierre de Lisieux.*
(30) *Tréport.*
(31) *Saint-Victor en Caux.*
(32) *Saint-Sauveur d'Evreux.*
(33) *Grestain.*
(34) *L'Essay.*

tertius Anfridus, quartus Willelmus, quintus Hugo monachus Sancti Michaelis de Monte.

Cap. XXXI. *Fontanetum monasterium.*

Monasterium Sancti Stephani Fontaneti primus Radulfus Taison, qui fuit avus tertii Radulfi, patris scilicet Jordani Taison adjutus ab Herneisio fratre suo, condidit. Primus abbas ibi constitutus est Gaufridus, monachus Sancti Wandregesili, secundus Hugo monachus Toarni, tertius Herbertus, monachus Cadomi, quartus Willelmus monachus ejusdem loci, quintus Robertus monachus Cadomi.

Cap. XXXII. *De Monte-Burgensi* (35) *monasterio.*

Monasterium Montis-Burgi ædificatum est a Rogerio, monacho Sanctæ Crucis, in dominio ducis Normanniæ. Cujus primus abbas effectus est idem Rogerius vir religiosus, et socius Wimondi, qui postea fuit episcopus Aversanus. Huic Rogerio prædictus Wimondus scribit librum De corpore Domini. Secundus abbas fuit Ursus subprior Gemmetici; qui ordine et ædificiis eumdem locum nobilitavit, tertius Petrus, quartus Walterius, ejusdem loci monachi.

Hanc abbatiam dedit Henricus rex Anglorum Ricardo de Reviers, ut eam custodiret, et augmentaret sicut propriam: quod et idem facere curavit.

Cap. XXXIII. *Monasterium de Ibreio* (36).

Rogerius de Ibreio condidit monasterium de Ibreio. Primus abbas fuit Petrus monachus Columbensis, secundus Durandus monachus Becci, tertius Osbernus monachus Fiscanni, quartus Hubertus monachus Columbensis, quintus Normanus monachus Becci, sextus Hubertus monachus Sancti Petri Carnoti: nullus autem eorum adhuc potuit reperire ibi sepulturam.

Cap. XXXIV. *De Lonleiensi* (37) *monasterio.*

Monasterium Sanctæ Mariæ Lonlei primus Willelmus Talevatius, qui castrum domni Frontonis in monte, exciso nemore, erexit, ædificavit: qui locus licet sit in episcopatu Cenomanensi, ad ducatum tamen Normanniæ pertinet. Primus abbas ibi fuit Willelmus monachus Sancti Benedicti Floriaci, secundus Hugo monachus ipsius monasterii, tertius Garinus monachus Ebronis, quartus Ranulfus monachus Cadomi, quintus Lamfredus monachus ejusdem monasterii, sextus Joannes monachus Sancti Launomari Blesis; quo deposito, successit septimus Bermo monachus Sancti Martini Majoris Monasterii.

(35) *Montebourg.*
(36) *Yury*

(37) *Lonlay.*

ROBERTI DE TORINNEIO

PROLOGUS

IN ABBREVIATIONEM EXPOSITIONIS EPISTOLARUM APOSTOLI SECUNDUM AUGUSTINUM.

Est quidam Liber immensæ magnitudinis, continens ea quæ B. Augustinus in libris suis, sive epistolis, ex Apostolo sumpta exposuit. Hoc opus a quibusdam vocatur *Florus*, quia ex diversis opusculis beati Augustini excerptus, et quasi defloratus est. A quo autem illud opus collectum et ordinatum sit, plurimi dubitant. Quidam autem hunc Bedæ presbytero ascribunt; et hoc ideo, quia in fine historiæ Anglorum enumerans opuscula sua, inter alia hoc ad verbum posuit: *In Apostolum quæcunque in opusculis sancti Augustini inveni dicta, per ordinem transcribere curavi.* Unde et quidam prædicta verba, et alia nonnulla in eadem historia sibi connexa assumentes, loco prologi prædictæ collectioni sententiarum sancti Augustini ponunt, ex eo volentes probare Bedam auctorem hujus operis. Ego autem magis assentior Cassiodoro senatori et monacho, viro undecunque doctissimo, qui antiquitate temporis, ne dicam multiplici rerum scientia, utpote consul, apocrisiarius Theodorici regis Gothorum, Bedæ præcedere non dubitandus est; cum et ipsius Bedæ adnotationes in Apostolum ex libris sancti Augustini vulgo habeantur. Qui liber totus non adæquatur magnitudine medietati solius expositionis epistolæ ad Romanos, quæ in hoc opere habetur. Qui autem prædictam collectionem ordinavit, Cassiodorus in quodam suo libro ita posuit. *Petrus abbas Tripolitanæ provinciæ, sancti Pauli Epistolas ex capitulis opusculorum B. Augustini subnotasse narratur, ut per os alienum sui cordis declararet arcanum. Quæ ita singulis locis competenter aptavit ut hoc magis studio beati Augustini credam esse perfectum. Mirum est sic alterum ex altero dilucidasse, ut nulla verborum suorum adjectione permista desiderium cordis proprii complesse videatur.* De hoc opere exceptiones subsequentes fecimus ex majori parte librorum reliquorum B. Augustini, flores sententiarum iis adjecimus.

APPENDIX

AD

ROBERTUM DE TORINNEIO

CHRONICON S. MICHAELIS

IN PERICULO MARIS.

In qua multa ad Minorem Britanniam et Andegavensem provinciam spectantia

(Labbe, *Nova Bibliotheca librorum mss.*, t. I, 347.)

Anno ab Incarnatione Domini 506 (38), facta est revelatio B. Michaelis in Monte Gargano sub Zenone Imp. (corrige Anastasio) et Gelasio papa.

708. Facta est revelatio B. Michaelis in Monte Tumba sub Childeberto rege Francorum, et Autberto episcopo Abrincensi.

851. Venit Hastingus in regnum Francorum.

876. Venit Rollo in Normannia v Kal. Decembris.

917. Obiit Rollo, cui successit Guillelmus filius ejus.

942. Occisus est Guillelmus filius Rollonis, cui successit Richardus filius ejus, qui primus posuit monachos in ecclesia S. Michaelis in periculo maris.

966. Mainardum scilicet primum abbatem, qui fuerat abbas S. Wandregisili per quinque annos, et alium Mainardum nepotem suum cum aliis monachis.

991 (forte 996). Obiit primus Richardus dux Normannorum, cui successit secundus Richardus filius ejus. Hic Richardus duxit Judith, sororem Gaufridi comitis Britanniæ, ex qua genuit duos filios Richardum et Robertum, qui ei successit. Gaufridus vero comes Britanniæ Hadevisam sororem prædicti Richardi, ex qua genuit duos filios Alanum et Eudonem.

1009. Consilio ducis Richardi secundus Mainardus jam gravatus senio elegit successorem sibi domnum Hildebertum monachum ejusdem loci.

1023. Inchoata est nova ecclesia B. Michaelis a Richardo II comite, et Hildeberto secundo abbate, qui abbas eodem anno obiit, cui successit Almodus.

1026. Obiit Richardus II, dux Normannorum, cui successit Richardus III, filius ejus, qui eodem anno mortuus est, cui successit Robertus frater ejus

1033. Ordinatus est Suppo abbas monasterii S. Michaelis.

1035. Obiit Robertus dux Normannorum rediens a Jerusalem, cui successit Willelmus filius ejus nothus adhuc puer, utpote septennis.

1048. Factum est bellum apud Walesdunas a Willelmo duce Normannorum contra Guidonem comitem cognatum suum. Eodem anno Suppo dimisit abbatiam Montis et successit ei Radulfus monachus Fiscanensis.

1053. Factum est bellum apud Mortuum mare. Eodem anno Radulfo abbati successit Ranulfus monachus ejusdem loci.

1063. Subjugata est Cenomannis comiti Normannorum Guillelmo.

1066. Guillelmus dux Normannorum mare transiens, victo Heraldo, regnum Anglorum subjugavit.

1087. Obiit Guillelmus rex Anglorum et successerunt ei filii ejus Willelmus Rufus in Anglia, et Robertus primogenitus dux in Normannia.

1090 Obsessio Montis hujus facta est a Guillelmo rege Anglorum, et Roberto duce, Henrico eorum fratre in hoc Monte incluso.

1095. Papa Urbanus tenuit concilium apud Claromontem.

1096. Iter Jerusalem a Christianis.

1100. Occisus est Guillelmus Rufus rex Anglorum et successit ei Henricus frater ejus.

1102. Visus est a nonnullis prope et procul positis S. Michael archangelus, prout credimus, in figura columnæ igneæ in nocte scilicet suæ festivitatis penetrasse ecclesiam hujus Montis.

1106. Factum est bellum apud Tenechebray inter Henricum regem Anglorum, et Robertum ducem Normannorum fratrem suum. In quo idem dux et Guillelmus comes Moritonii, et multi alii capti sunt. Eodem anno Rogerius abbas dimisit abbatiam S. Michaelis, et rex Henricus fecit eum abbatem Cerneliensem. Huic successit Rogerius prior Gemeticensis.

1112. Combusta est ecclesia S. Michaelis igne fulminis cum omnibus officinis monachorum, Burgo illæso, cum esset subtus monasterium, quod mirum est.

1117. Factus est ventus validus in vigilia Nativitatis Domini.

1119. Factum est bellum inter Henricum regem

(38) Arbitror legendum esse annum 494, aut aliquem ex proximis.

Anglorum, et Ludovicum regem Francorum, in A
hoc bello multi optimates Franciæ capti sunt.

1120. Subversus est in mari ante Barbeflutum Willelmus filius Henrici regis Anglorum, et multi alii cum eo.

1123. Rogerius abbas dimisit abbatiam Montis.

1124. Richardus de Mere monachus Cluniacensis factus est abbas Montis, quem tenuit per tres annos.

1128. Occisus est Willelmus comes Flandrensis filius Roberti ducis Normannorum. Eodem anno Robertus de Torinneio, qui postea factus est abbas Montis, assumpsit habitum religionis Becci.

1131. Bernardus monachus Becci factus est abbas Montis.

1135. Obiit Henricus rex Angliæ, et dux Nor- B
manniæ, cui successit Stephanus comes.

1138. Debacchatione Abrincatensium furentium combustum est castrum Montis, excepta ecclesia, et officinis monachorum mense Augusto.

1141. Captus est Stephanus rex Angliæ, apud Lincolium in bello a Roberto comite.

1144. Reddita est turris Rothomagensis Gaufredo comiti Andegavensi, et exinde factus comes Normanniæ.

1145. Cœperunt viri et mulieres humeris carros onustos lapidibus, et alia materia humiliter, et cum magna devotione ad opus ecclesiæ trahere, et ibi eveniebant multa miracula.

1147. Perrexit Conradus imp. Alamannorum, et Ludovicus rex Francorum, et socii eorum Jerusalem, ubi parum vel nihil profecerunt.

1149. Obiit Bernardus abbas Montis, et successit ei Gaufredus monachus ejusdem loci, qui sequenti anno mortuus est. De discordia quæ fuit inter Richardum de Musca, et Robertum Harditum propter abbatiam Montis nihil attinet dicere, nisi quia ipsi, et Richardus Abrincensis episcopus in itinere Romæ obierunt.

1151. Obiit Gaufredus dux Normannorum, et comes Andegavorum, et successit ei Henricus fi- B
lius ejus natus ex Mathilde imperatrice filia primi Henrici regis Angliæ.

1153. Concordati sunt Stephanus rex Angliæ, et Henricus cognatus ejus dux Normannorum.

1154. Mense Maio, VI Kal. Junii, feria quinta infra octavas Pentecostes, electus est Robertus de Torinneio, prior claustralis Becci, ad regimen ecclesiæ S. Michaelis ab omni conventu. Eodem anno obiit Stephanus rex Anglorum. Successit ei Henricus II, dux Normannorum.

ALIUD CHRONICON EJUSDEM MONTIS

Quod jure Armoricum, aut Andegavense dixeris.

421. Natus est S. Gildas. His diebus fuit Artus C
rex Britannorum fortis, et facetus.

513. Venerunt transmarini Britanni in Armoricam, id est Minorem Britanniam.

534. Occisus est Cavallonus rex fortissimus Majoris Britanniæ.

580. Fuerunt sancti Samson, Maclous, Maglorius et Paulus episcopi.

643. Dagobertus, rex Francorum, et S. Judicael pacem fecerunt.

823. Constructum est in Britannia Minore monasterium Rothonense sub Ludovico piissimo imperatore, in fisco regio, Comnovio primo abbate.

843. Civitas Nannetis a Normannis capitur sub Lamberto duce, et episcopum ipsius civitatis Gichardum in missa, *Sursum corda* dicentem, occiderunt.

847. Obiit Sergius papa, cui successit Leo. Hic D
direxit corpus S. Marcellini papæ et martyris ad Nomenoium principem, quod positum est in monasterio Rothonensi.

851. Obiit Nomenoius subregulus Britannorum, cui successit filius ejus Erispoius.

857. Erispoius rex Britonum a Salomone perimitur. Tempore hujus Salomonis delatum est corpus B. Matthæi apostoli in Minorem Britanniam.

869. Salomon rex direxit Romam Adriano papæ statuam auream cum multis aliis donariis.

874. Occisus est Salomon rex Britonum.

920. Normanni omnem Minorem Britanniam vastaverunt, cunctis occisis vel ejectis Britonibus. Tunc asportata sunt corpora sanctorum qui erant in Britannia, in diversas terras.

931. Britones qui remanserant, omnes Norman- C
nos interfecerunt in festo S. Michaelis, cæso primo duce eorum Feletan.

944. Normanni Britones occidunt, et e terra ipsorum dispergunt tempore Berengarii et Alani.

966. Monachi missi sunt in ecclesiam S. Albini Andegavensis, clericis depulsis a Fulcone Bono comite Andegavensi et Adela comitissa.

970. Fulco comes Andegavensis qui cognominatus est Hierosolymitanus, filius Gaufredi Grisegonellæ comitis Andegavensis, dedit filiam suam Ermengardem Conano duci Minoris Britanniæ, ex qua genuit Gaufredum, qui ei successit, et Judith uxorem secundi Richardi ducis Normanniæ.

972. Secundum bellum fuit in Concurrum, in quo Fulco comes Andegavensis victor exstitit, et Conanus Brito occisus est, V Kal. Julii, a filiis Juhelli Berengarii.

981. Conanus Curvus contra Andegavenses in D
Concurrum optime pugnavit. Eodem tempore sub Gaufredo Conani filio Mainardus abbas Rothonense monasterium et abbatiam S. Michaelis de periculo maris optime rexit, sed Rothonensem juvens [*f.* lubens *aut* juvenis] dimisit.

997. Obiit Gaufredus comes Andegavensis pater Fulconis.

1000. Incensa est urbs Andegavensis post incensionem comitissæ Elisabeth.

1008. Obiit Gaufredus dux Britanniæ filius Conani filii Juhelli Berengarii, dum pergeret Romam causa orationis. Hujus sororem Judith duxit secundus Richardus dux Normannorum; et ipse Gaufredus duxit Hamdis sororem prædicti Richiardi,

ex qua genuit duos filios Alanum et Eudonem, qui ei successit, partito ducatu Britanniæ.

1026. Sarmul captus est a Fulcone comite Andegavensi.

1032. Gaufredus Martellus Andegavensis comes Agnetam comitissam Pictavensem duxit incesto conjugio. Hic ædificavit monasterium S. Trinitatis Vindocini.

1033. Gaufredus Martellus cepit Willelmum comitem Pictavensem, cujus uxorem ante duxerat.)

1040. Obiit Alanus dux Britanniæ filius Gaufredi Kal. Octobris, et successit ei Conanus filius ejus, quem genuit ex Berta sorore Theobaldi comitis Turonensis.

1044. Cepit Gaufredus Martellus comitem Theobaldum Turonensem et extorsit ab eo urbem Turonicam.

1056. Conanus, dux Britanniæ, cepit Eudonem patruum suum. Hic Eudo multos habuit filios.

DE ABBATIBUS

MONTIS SANCTI MICHAELIS IN PERICULO MARIS.

Lotharii regis tempore, Hugone archiepiscopo Rothomagensi, anno 965, Richardus Normanniæ dux a Joanne papa XIII deputatus canonicos qui in ecclesia S. Michaelis de Monte Tumba in periculo maris per CCLVIII annos a fundatione dicti loci, expulit, et religiosos ordinis S. Benedicti in ea constituit, villis multis, et aureis atque argenteis vasis locupletavit et ornavit. Romæ eodem anno confirmata fuerunt omnia in synodo, Maynardo abbate. Richardo mortuo, Richardus dux filius omnia Fiscani datis litteris confirmavit, et a Richardo et Roberto filiis, aliisque signari procuravit, inter quos Maugisus episcopus Abrincensis. Cumque inter episcopum Abrincensem et abbatem, occasione jurisdictionis quam dux olim abbati in Monte concesserat, orta sæpe lis esset, tandem compositio facta est inter Guillelmum de Ostillon, episcopum et Rodulfum abbatem anno 1236.

In Monte Tumba B. Michaelis revelatio facta est Justiniano imper. Joanne papa, Childeberto Francorum rege, Autberto Abrincatensi episcopo anno 708, in quo loco per annos CCLVIII multa facta miracula canonicis ecclesiæ ministrantibus.

966. Richardus dux monachos canonicis substituit, et Maynardum illis primum abbatem præfecit de monasterio Fontanellæ, quod nunc Sancti Wandregisili vocant; quod monasterium Maynardus per V annos rexerat, priusquam veniret ad Montem.

991. Mainardo primo successit Mainardus nepos ejus et prior, cujus tempore combustum fuit monasterium cum omnibus officinis.

1009. Mainardus senio gravatus elegit sibi successorem Hildebertum: tempore ipsius repertum fuit corpus sancti Autberti, quod absconsum fuerat a canonicis.

Hildeberto successit Hildebertus II, nepos ejus, cujus tempore mulier peperit in arenis. Inchoata fuit nova ecclesia a Richardo II, duce, et ipso Hildeberto anno 1023, et eodem anno obiit. Eodem anno Suppo abbas Fructuariensis suscepit donum abbatiæ Sancti Michaelis. Et dum laboraret in renuntiatione Fructuariensis monasterii, et in adeptione integra Montis, duo abbates rexerunt abbatiam S. Michaelis, videlicet Almodus abbas Cæsarii, alter Theodericus abbas Gemeticensis. Hi duo requiescunt in abbatiis suis.

1033. Ordinatus fuit Suppo abbas, multa bona contulit abbatiæ, et propter odium monachorum recessit, et reversus est ad solum proprium.

1048. Radulfus monachus Fiscanensis, vir nobilis, fuit custos monasterii Ber.....Obiit in itinere Jerusalem 1058. Requiescit in porticu ecclesiæ.

1060. Duobus annis interpositis, Ranulfus a puero monachus, factus est abbas. Hic misit Guillelmo duci, qui subjugaverat regnum Angliæ, quatuor monachos, videlicet Rualem priorem, postea abbatem Hilde apud Warvic, Scollaudum thesaurarium, postea abbatem S. Augustini apud Cantuariam, Serlonem strenuæ nobilitatis et religionis juvenem, postea ædificatorem et abbatem S. Petri Glocestrensis, et Guillelmum de Agorn, abbatem Toneliensem. Præfuit annis XXIII; multas terras ecclesiæ propinquis suis largitus est. Requiescit in porticu ecclesiæ.

1085. Cœpit regnare Rogerius Cadomensis monachus, qui fuerat ante capellanus regis Anglorum.

1102. Visus est a nonnullis prope ac procul positis S. Michael, prout credimus, in figura columnæ ignæ nocte suæ ultimæ festivitatis penetrasse basilicam istius Montis; et simile accidit tempore S. Mainardi abbatis et Norgodi Abrincensis episcopi.

1103. Ciborium navis ecclesiæ, quod Rogerius ædificaverat, corruit: partem dormitorii oppressit, monachis illæsis.

1106. Rogerius dimisit monasterium Sancti Michaelis, et factus est abbas Terneliensis in Anglia ab Henrico rege Angliæ. Eodem anno Rogerio I, successit Rogerius II, prior Gemmeticensis vir religiosus et sapiens.

1112. Combusta fuit igne fulmineo ecclesia Sancti Michaelis, monachis et burgo illæsis.

1123. Rogerius, posito baculo pastorali super altare B. Michaelis, Gemmeticum remeavit habens ex jussione regis marchas XXV ex redditibus ecclesiæ S. Michaeli annuatim. Insequenti anno mortuus est. Hoc fuit propter quamdam injuriam quam passus fuerat a quodam suo homine, qui calumniabatur quoddam feodum in camera abbatis, quod abbas nolebat ei reddere.

1124. Richardus monachus Cluniacensis, et pene laicus, sed genere et moribus quantum ad sæculum nobilis, factus fuit abbas. Post tres annos et dimidium, consilio regis Henrici et Matthæi Albanensis episcopi legati, curam abbatiæ dimisit, et ad S. Pancratium, ubi suscepit monachatum, rediit. Abbatia fuit in manu regis absque abbate fere per triennium, et rex fecit per ministros suos æs alie-

num solvere quod Richardus de Mere mutuo acceperat, cujus summa fuit DCC libræ Cenomanenses absque usura, quam rex prohibuit reddi. A

1131. Rothomagi Henricus rex in festo Sanctæ Agathæ, dedit abbatiam Bernardo priori de Cernon monacho Beccensi. Hic multa bona fecit monasterio. Vas ex auro et argento in quo posuit caput B. Autberti. Fecit et duo signa mediana optima, imitatus Radulfum abbatem, qui fecit signum quod Rollonem vocant ad Britones arcendos de finibus Normanniæ. In Anglia apud S. Michaelem de Cermeria ecclesiam et convictum monachorum XIII sub priore providit. Huic Bernardo nondum sepulto præpropera electione successit Gaufridus ejusdem ecclesiæ monachus 1149. Hic sequenti anno mortuus est in maxima calamitate relinquens ecclesiam ære alieno causa ipsius pacis erga comitem. Sepultus in porticu ecclesiæ.

1152. Mortuo Gaufrido abbate, ad instantiam Richardi Abrincensis episcopi cognati sui, Richardus de Musca, monachus hujus loci, electus fuit abbas: et quia absque scientia et assensu principis facta fuerat electio, Ricardus ille non solum de abbatia, sed de tota terra ducis Henrici eliminatus est, et omnis dispensatio monasterii per tres laicos qui sibi invicem successerunt, per duos annos et dimidium facta est. Tandem monachi cassaverunt dictam electionem, et Robertum cellerarium Fiscanensem cognomento Harditum, nec clericum, nec laicum suggestione Rainaldi de S. Valerico assensu ducis Henrici elegerunt. Unde Richardus de Musca adiit papam Eugenium, cujus præcepto Richardus Abrincensis episcopus benedixit prædictum Richardum abbatem in ecclesia S. Andreæ, cui benedictioni nullus monachorum Montis interfuit, excepto uno, qui, relicto conventu, illum comitabatur. Tandem missis monachis Romam pro utraque parte, uterque scilicet Richardus de Musca, et Robertus Harditi, et etiam Richardus episcopus Abrincensis eos subsecuti sunt, et infra breve spatium peregre obierunt scilicet anno 1153. Istos duos in Catalogo non enumero, quia nec in ecclesia, nec in refectorio, abbatis officio unquam usi fuerunt. B

1154. Mense Maio, VI Kal. Junii, feria V infra Octavas Pentecostes, electus fuit Robertus de Torinnenio, prior Claustralis Becci. Plurima bona operatus est et fuit custos castelli de Ponte Ursonis. Obiit 1186.

1187. Martinus abbas electus honorifice rexit nulla dissipans, sed antea dispersa recolligens

1191. Jordanus abbas. Tempore hujus combusta fuit ecclesia a Britannis. Obiit 1212.

Radulfus de Insulis
Thomas de Cameris
Radulf. de Villa Dei
} Isti rexerunt XXIV annis

1236. Richardus Justini. Obiit 1264.

Nicolaus Alexander
Nicolaus Favigot
} Isti rexerunt annis XXXIV

1298. Obiit Joannes le Fac abbas, et successit ei Guillelmus de Castro. Obiit. 1314.

Joannes de Porta successit Guillelmo. Istud monasterium cum omnibus suis pertinentiis retraxit de sub rege Navarræ. Chartas confirmari fecit a domno Philippo de Valeys rege Francorum. Viriliter restitit contra illos qui volebant quod monasterium solveret stipendia illorum quos rex ponebat ad custodiendum montem. Obiit 1334. Sepultus est in capella S. Joannis nova quam ipse dotavit, et duos capellanos in ea constituit.

Nicolaus le Vitrier, prior hujus loci, in Monte isto oriundus, qui per XXVII annos, et sex menses honorifice rexit. Fortalitium Montis per religiosos et servitores monasterii, omnibus invadentibus repulsis, in obedientia regis Franciæ fecit custodire. Guerris adhuc vigentibus decessit 1362 III Kal. Novembris.

Gaufridus de Seraone prior hujus loci, in civitate Abrincensi oriundus, rexit per XXIII annos, et tres menses. Multa feoda acquisivit. Ecclesia S. Michaelis ab igne fulguris combusta, campanæ quasi plumbum liquefactæ. Anglici in rocha de Tumba Helenæ per eosdem ædificata capti fuerunt vi armorum, et ab ea omnino expulsi. Obiit 1386.

1386. Petrus Regis abbas de Exaio, rexit annis XXV.

1411. Robertus Joliveti monachus hujus loci, rexit annos XXXIV.

ANNO DOMINI MCLXXXVII

URBANUS III

PONTIFEX ROMANUS

—

NOTITIA HISTORICA

(Mansi, *Concil.*, XXI, col. 495)

—

Urbanus III, Mediolani natus, ante Lambertus nominatus, ex Mediolanensi archiepiscopo, e genere Cribellorum, statim post Lucium septimo Kalendas Decembris defunctum, miro omnium consensu electus est in pontificem anno Domini 1185, tempore Friderici imperatoris, quem ob iteratam honorum et jurium Ecclesiæ invasionem iterum excommunicasset, nisi morte præventus fuisset.

Omne suum studium ad reconciliandos Christianorum animos, qui in Syria bellis impliciti erant, convertit. Verum cum in ejusmodi procurationibus operam luderet, et Christiani principes odiis et dissensionibus intricarentur, Soldanus, pluribus locis potitus, etiam Hierosolymam suo imperio adjecit IV Kalendas Octobris, anno postquam a Godefredo recuperata fuerat, octogesimo quarto. Ad hæc, crucem Dominicam ludibrio affectam, regem Hierosolymitanum captum, et adversariorum copias versus Antiochiam directas esse intelligens, dolore percitus, in morbum incidit, ex quo Ferrariæ mortuus est XIII Kal. Novembris, anno Domini 1187, cum sedisset annum I, menses IX, et dies XXV. Ita Rogerus de obitu optimi pontificis, verius et melius sentiens quam schismaticorum fautor Urspergensis, qui dum Lucii papæ mortem retulisset, hæc suo more scribit : « Tunc cardinales qui cum ipso erant, de reditu suo plurimum sunt angustiati; timebant enim ab imperatore aliquam violentiam sibi inferri super electione Romani pontificis. Sane Mediolanensis archiepiscopus ipsos secure deduxit usque Ravennam, quem et ipsi in papam elegerunt, dictusque est Urbanus III, quem multi Turbanum vocaverunt, eo quod, cum esset Mediolanensis natione, in odium imperatoris volebat turbare Ecclesiam quæ jam paulisper quietem acceperat; sed nutu Dei percussus interiit. Sedit annum unum, menses decem, dies viginti quinque. » Hæc Urspergensis.

Hujus temporibus, anno nimirum Christi 1186, Rogerii regis Siciliæ filia (quam monialem fuisse fabulosum esse probat Baronius (1) Henrico IV, regi Germaniæ, matrimonio juncta fuit. Viterbiensis.

(1) Commentum de monachatu ejus fortasse inde excogitatum est, quod in monasterio asservata fuerit, ut, si regibus mascula proles defuisset, ipsa cum dote regni nubere potuisset.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(Philippus Jaffé, *Regesta Romanorum pontificum*, p. 854.)

—

In Urbani III bullis reperimus sententiam hanc : Ad te, Domine, levavi animam meam 16, 25, 26, 28, 31, 41, 54, 59, 115, 117, 125, 134, 135, 141.

Testes subscripserunt :

ep.	Albanensis.	Henricus.	a	9 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	Ostiensis et Velletrensis.	Theobaldus.	a	9 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
«	Portuensis et S. Rufinæ.	Theodinus.	a	9 Dec. 1185	ad	4 Mart. 1186
«	Prænestinus.	Paulus.	a	22 Apr. 1186	ad	13 Oct. 1187
«	Sabinensis, et archiepiscopus Moguntinus.	Conradus.	a	11 Jan. 1186	ad	4 Mart. 1186
pr. card.	tit. XII Apostolorum. . . .	Pandulfus.	a	9 Dec. 1185	ad	2 Jul. 1187
« «	« S. Crucis in Jerusalem. . .	Albinus.	a	16 Dec. 1185	ad	9 Aug. 1186
« «	« SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.	Melior.	a	16 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
« «	« S. Marcelli.	Adelardus.	a	9 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
« «	« S. Marci.	Joannes.	a	16 Dec. 1185	ad	20 Sept. 1186
« «	« S. Mariæ trans Tiberim. tit. Calixti.	Laborans.	a	16 Dec. 1185	ad	13 Oct. 1187
« «	« S. Susannæ.	Petrus de Bono.	a	15 Jun. 1186	ad	13 Oct. 1187

diac.	card.	S. Angeli.	Bobo.	a	13 Jun.	1186	ad 5 Febr.	1187
«	«	SS. Cosmæ et Damiani. . .	Gratianus.	a	9 Dec.	1185	ad 13 Oct.	1187
«	«	S. Georgii ad Velum Aureum.	Radulfus.	a	9 Dec.	1185	ad 13 Oct.	1187
«	«	S. Mariæ in Cosmidin. . .	Iacinthus.	a	13 Jun.	1186	ad 13 Oct.	1187
«	«	S. Mariæ in Porticu. . . .	Rolandus.	a	16 Dec.	1185	ad 12 Jun.	1187
«	«	S Mariæ in Via Lata. . . .	Soffredus.	a	9 Dec.	1185	ad 5 Febr.	1187
«	«	S. Nicolai in Carcere Tulliano.	Petrus.	a	9 Dec.	1185	ad 13 Oct.	1187
«	«	SS. Sergii et Bacchi. . . .	Octavianus.	a	13 Jun.	1186	ad 13 Oct.	1187
«	«	S. Theodori.	Ardicio.	a	9 Dec.	1185	ad 27 Febr.	1186

Datæ bullæ sunt p. m.

Transmundi S. R. E. notarii. . . . . a 9 Dec. 1185 ad 13 Mart. 1186

Alberti S. R. E. presb. card. et cancellarii. . . . . a 15 Mart. 1186 ad 13 Oct. 1187

Moysis Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii 40, 46, 65, 115, 125.

URBANI III PAPÆ

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

(De libris adhibitis vide *Patr.*, t. CLXXIX, Init.)

ANNO 1185.

I.

Ecclesiæ S. Evasii Casalensis protectionem suscipit possessionesque ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Dec. 9.)

[De Conti, *Notizie Stor.*, I, 360.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito, ecclesiæ S. Evasii de Casali, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Monet nos apostolicæ sedis, cui licet immeriti præsidemus, auctoritas pro statu omnium Ecclesiarum provida circumspectione satagere, et ne malignarum rapinis, seu molestiis exponantur, eas apostolicæ tuitionis præsidio communire. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Evasii, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis record. Calixti, Paschalis, Innocentii, et Lucii Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, etc. In Frascineto mansum unum et dimidium. Prohibemus etiam ne sit vobis facultas dandi prædia ecclesiastica aliquibus sæcularibus personis in feudum. Sane novalium vestrorum, etc. Liceat vobis quoque clericos, etc. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, de claustro discedere. Discedente vero, etc., *ut in bulla Lucii III pro eodem monasterio.*

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theodinus Portuens. et S. Ruffinæ sedis episcopus ss.

A Ego Henricus Albanens. episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiens. et Velletren. episc. ss.

Ego Joannes presbyter card. S. Mariæ trans Tib. Calixti ss.

Ego Pand. sola Dei permissione presb. card. XII Apost. ss.

Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli præsb. card. ss.

Ego Audisio diac. card. Sancti Theodori subscripsi.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Goffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ego Petrus diac. card. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ss.

B Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. cardin.

Datum Veronæ per manum Transmundi sacræ Romanæ Ecclesiæ notarii, V Idus Decembris, ind. Incar. Dominicæ anno 1185; pontificatus vero domini Urbani pp. III anno primo.

II.

Ad clerum et populum Spalatensem. — Significat se judicium propter vacantem archiepiscopatum Jaderensem protulisse.

(Veronæ, Dec. 12.)

[Farlati, *Illyricum sacrum*, IV, 245.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, clero, nobili viro M. comiti et populo Spalatensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum venissent ad præsentiam felicis memoriæ Lucii papæ prædecessoris nostri dilecti filii B. canonicus ecclesiæ vestræ et judex, supervenit postmodum venerabilis frater noster P. archiepiscopus

vester, et significaverunt tibi injuriam, quam super episcopatu Pharensi videmini sustinere. Verum licet vestræ vellet indemnitati ecclesiæ providere, et vos sicut dilectos Ecclesiæ filios in vestris petitionibus exaudire et nuntiorum vestrorum acquiescere voluntati, quia tamen Jaderensis Ecclesia vacat, nec episcopatum illum ecclesiæ vestræ confirmare potuit, ut petebant, nec antequam ipsa Ecclesia ordinetur, de negotio finiendo tractare volens, ipsum in eo, in quo nunc est, statu sine contentione manere permisit. In.... discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum eadem Jadertina ecclesia fuerit ordinata, cum nuntiis partis adversæ, ad nostram præsentiam accedatis, vestram per nos justitiam, auxiliante Deo, recepturi. Parati enim sumus et in hoc et in aliis honori ac utilitati ecclesiæ vestræ, quantum secundum Dominum possimus, providere. Nolumus autem ut rescriptum aliquod juri vestro præjudicium faciat, a sede apostolica, veritate tacita impetratum.

Datum Veronæ, II Idus Decembris

III.

Ad Petrum Spolatensem archiepiscopum. — Illi jus præferendæ crucis per totum regnum Hungariæ asserit.

(Veronæ, Dec. 12.)

[FARLATI, *Illyricum sacrum*, III, 221.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri PETRO Spalatensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Fratres et episcopos nostros sincera debemus charitate diligere, et utilitati honoris cum ipsorum propensiori cura intendere, ac jura sua, quantum in nobis fuit, illibata servare. Eapropter, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, consuetudinem deferendi crucem, sic dicendum Dominicum vexillum, per totum regnum Hungariæ rationabiliter ecclesiæ tuæ concessam, et hactenus observatam fraternitati tuæ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis ergo hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, secundo Idus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

IV.

Privilegium per quod confirmat omnia bona, jura et possessiones prioratus S. Petri de Consiaco Suessionen. diæc. sub Cluniacensis monasterii obedientia et subjectione.

(Veronæ, Dec. 16.)

[*Bullar. Cluniac.*, 85.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis JOANNI priori de Consiaco ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod honestati et religioni convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam S. Petri de Consiaco, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Propterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Altare de vico Duroman. Altare de curte Roberti. Altare de Gentovillari. Altare de Sarmasia. Altare de Besona. Quatuor altaria quæ vobis dedit bonæ memoriæ Hugo Suessionensis episcopus, scilicet de Saponiaco, de Runcheriis, de Berniaco, de Espargo. Et quatuor altaria quæ vobis dedit Lisiardus bonæ memoriæ Suessionensis episcopus, scilicet de Cresenci, de Condez, de Vulcenis, de Calte. Ecclesiam S. Petri de Calte, cum pertinentiis suis. Minutam decimam de parochia S. Leodegarii Suessionensis. Ecclesiam de Bruilio, cum appendiciis suis. Ecclesiam S. Mariæ de Fonce cum appendiciis suis, et homines ad altare ejusdem ecclesiæ pertinentes, ubicunque sint. Altare Despalx. Altare de Ascerpiniaco, cum appendiciis suis, et omni decima, de qua sacerdos eisdem altaribus deserviens habet in unoquoque anno, duos modios hiemalis annonæ, et unum modium avenæ. Decimam de Luy magnam et minutam. Decimam de Sancto Remigio de Ivery; et quidquid habuerunt Joannes de Brumes, et Hugo cognomento Punarque in altari et decima de Uveseli. Decimam de Maisiaco. Altare de Raoulcourt. Altare de Carcobio. Decimam de Armenteria et de Cursabro. In decima de Cugny unum modium hiemalis annonæ de eleemosyna Hugonis de Magny. Dimidium modium frumenti, de Terragiis de Ton, de eleemosyna Joannis Christion. Unum modium hiemalis annonæ apud Asunliz, de eleemosyna Guidonis de Conce. Quidquid Joannes de Ulcheio cognomento Vicecomes possidebat in terragiis de Ulanzi, et nemore. Decimam de Sarmasia, et de Ciriaco magnam et minutam. Omnem magnam de partibus decimam, et tertiam partem minutæ decimæ. Decimam de Berciaco Sancti Basoli. Decimam de Bernerda, et omnem tractum. Decimam de Grisoltis, et de Raoulcourt. Unum modium frumenti

in decima de Aucensvilla, de eleemosyna Lisiardi Teuvagia de Lasteli; et omnem censum de omnibus masuris, quæ sunt in atrio, et quod habetis in altari de Duro magno omni die tres partes oblationum omnium, quarta autem sacerdotis est, cum oblatione nummi et candelæ die Dominica pro pane benedicto, et cum oblatione nubentium post missæ celebrationem, cum oblationibus etiam et benedictione peregrinantium, et quidquid mulier purificanda manu sua obtulerit. De minutis decimis, vino scilicet, fabiis, pisis, lana, lino, feno, pecudibus et volatilibus, vos tres partes, presbyter autem quartam; de magna vero decima vos septem partes et omnem tractum habetis, presbyter vero octavam, exceptis decimis Caltararum comitis, de quibus sacerdos nihil accipit; tres partes omnium candelarum, quæ per totum annum offeruntur, excepta illa Dominicali candela quæ sacerdotis est. Si vero incensum vel candela in ecclesia deficiunt, seu defecerint, de communi oblatione comparabuntur. Quidquid etiam Petrus de Noroy apud Vismolin. possidebat, et modium unum vini apud Palie, viginti solidos ad Bac. Apud Pontuert unum modium annonæ, medietatem frumenti et reliquum avenæ, de eleemosyna Ailardi Armigeri. Quidquid de Brenna habebat apud Berniacum et apud Crucem, altare scilicet cum appendiciis suis, et homines ad altare pertinentes cum universis consuetudinibus quas ei debebant. Apud Longam-villam quidquid habebat præter capita hominum. Apud Cresanciacum, quidquid habebat in Briennensi pago. Allodium suum de curte Roberti, allodium de Werdon et omnia ipsis allodiis, in hominibus, feminabus, terris, pratis, aquis, molendinis et sylvis pertinentia, et manum firmam de Janvillari, villam scilicet cum omnibus appendiciis suis. Apud Roncherias in decimis magnis et minutis duas partes; in villa de omnibus redditibus et proventibus, quoquo modo evenerint, tertiam partem; in nemoribus vero et pascuis ad villam pertinentibus, ubicunque sint, tertiam partem, exceptis masuris, quarum census singulariter vester est, et masura cum omnimoda justitia. Partem villæ propriæ vestræ quæ incipit a domibus, quæ sunt subter viam quæ subjacet domui vestræ, et tendit usque ad viculum illum qui vertitur ad fontem Uberti; ex alia vero parte vertitur per publicum aggerem qui tendit Castellionem usque ad nemus de Campo-vicini, et inde per fossatum quod dicitur Brunechildis tendit usque ad fontem Boel, inde autem revertitur usque ad angulum antiqui nemoris, quod est ad exitum villæ versus Castellionem, et ecclesiam de Sancto Fidolo cum omnibus pertinentiis suis, sicut eam de donatione bonæ memoriæ Philippi, quondam Trecensis episcopi, rationabiliter possidetis. Item apud Sanctum Fidolum, quod vobis et ecclesiæ vestræ, bonæ memoriæ comes Theobaldus, et filius ejus Hugo quondam Trecensis comes in eleemosynam pia concessione dederunt, sicut in eorum scripto authentico continetur, cum his quæ in altari de Sticourt et Toncourt possidetis. Libertatem villæ vestræ in qua ecclesia vestra fundata est, sicut eam quondam Theobaldus comes antiquior, et postmodum filius ejus comes Stephanus vobis pia concessione donarunt. Altare quoque de Misiaco cum magna et minuta decima. Libertatem villæ de Ulcenis ab Hugone Trecensi comite vobis concessam. Altare et personatum de Glivoliis cum omnibus appendiciis suis. Apud Roncherias terragia de Carturagio vestro sine parte militis et vice comitatum ejusdem villæ, terragia, et census et omnem plenariam justitiam ejusdem vicecomitatus sine militis reclamatione vel advocatione. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Liceat vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Cum generale autem interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina celebrare. In parochialibus vero ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis sacerdotes eligere et diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, et ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Libertates præterea et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas, et hactenus observatas ratas habemus et eas futuris temporibus illibatas manere censemus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum seu monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea vobis gratis et absque pravitate aliqua voluerit exhibere; alioqui liceat vobis quemcunque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Sepulturam præterea illius loci liberam esse decernimus ut eorum quoque devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati fuerint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum illarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Quia vero decimæ tam veteri quam nova lege ministris ecclesiarum sunt concessæ, auctoritate apostolica prohibemus ne ullus laicus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Prohibemus etiam ne cui liceat infra terminos parochiarum vestrarum ecclesiam vel oratorium sine assensu diœcesani episcopi, et abbatis et capituli Cluniacensis, de novo construere, salvis tamen privilegiis Romanorum pontificum. Inhibemus etiam ne ecclesias, aut terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ ullatenus liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, sine consensu totius capituli,

aut majoris et sanioris partis. Si quæ vero donationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus.

Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam furtumve committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere aliqua temeritate præsumat. Locus autem ipse cum omnibus pertinentiis suis, sicut hactenus fuisse cognoscitur, sub Cluniacensis monasterii obedientia et subjectione perpetuo consistat.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel abbatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum satisfactione congrua correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theodinus Portuensis et Sanctæ Rufinensis sedis episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus tit. duodecim Apostolorum.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis.

Ego Melior presb. card, SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Ardicio diac. card. S. Theodori.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Sofredus S. Mariæ in Via Lata diac. cardinalis.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Petrus diaconus cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ per manum Transmundi S. R. Ecclesiæ notarii, XVII Kalendas Januarii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus autem domni Urbani papæ anno primo.

V.

Privilegium per quod confirmat omnia bona et jura prioratus B. Mariæ Montis-Desiderii ord. Clun., Ambianensis diœcesis.

(Veronæ, Dec. 16.)

[*Bullar. Cluniac.*, 87.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Berengario priori ecclesiæ Sanctæ Mariæ Montis-Desiderii ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet aut robur (quod absit!) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri præfatam Ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cluniacensium fratrum institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur : præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præscripta ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam videlicet Beatæ Mariæ cum tredecim præbendis quas solebant habere canonici sæculares, illamque quam olim habuerant magistri scholarum in castro Montis-Desiderii, qui scholas regebant, vel pro ipsa præbenda triginta solidos Provinienses, regimen scholarum, oleum unctionis, ecclesiam Sancti Petri cum atrio, et decima et censu, decem et septem solidorum quæ singulis annis presbyteri illius ecclesiæ solvere debent. De oblationibus vero altaris Sancti Petri jam a multis annis statutum est quinque partes earum quæ scilicet ad missas pro vivis offeruntur, monachis, sexta vero pars presbyteris cederet; de his autem quæ ad missas pro defunctis veniunt media pars monachorum, altera vero presbyterorum esset, quod etiam ne ab aliquo mutaretur bonæ memoriæ Guarinus Ambianensis episcopus sub anathemate interdixit. Ecclesiam Sancti

Sepulcri cum altari et atrio et decima, ecclesiam de Ficurlicurte cum altari et atrio et decima, ecclesiam de Villa cum capella du Masnil cum altaribus et atriis et decimis, ecclesiam quoque de Nova-Villa cum altari et atrio et tota decima, ecclesiam de Freteio cum altari et atrio et tota decima, ecclesiam de Souvillier cum capella de Aubevillier, quæ subjecta est cum altaribus atriis et decimis, ecclesiam de Dommalich cum altari et atrio et decima, ecclesiam de Domna Petra cum altari et atrio et decima; ecclesiam de Brachi cum altari, atrio et tota decima, ecclesiam de Contorio cum altari et atrio et tota decima, medietatem ecclesiarum Anethi et de Feneriis et altarium et minutarum decimarum; ecclesiam de Caiis cum altari et atrio et duabus partibus totius majoris decimæ et tota minuta, ecclesiam de Curte Dominica cum altari et atrio totaque minuta decima; item villam Curcellis cum appendiciis suis, apud Montis-Desiderium molendinum de Ponte. Et singulis hebdomadibus tres denarios Viromandensis monetæ ad teloneum panis, apud Furcemviller totum allodium in terris et in nemoribus quod dedit Elizabeth Rabies, item decimam de Spateris per manum venerabilis fratris nostri Odonis Belvacensis episcopi, petitione Radulphi Viromanduorum comitis, necnon Yvonis Suessionensis comitis a vobis susceptam. Item in episcopatu Ambianensi, majorem decimam de Septem Fortis, duodecim modios frumenti ad molendinum novum de eleemosyna Roberti de Tornella et Petri patris sui et redditus segetis de Corrobeiis apud Contorium, molendini superioris medietatem et inferioris et aquæ et maris ad jus ipsius pertinentis, apud le Plessis Radulphi vituli, tres partes terragii de Gay, silvam de Surella cum fundo et decima illius, apud Montis Desiderium medietatem molendini cognomento Engelrani; sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere aut extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Cum vero generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare. In parochialibus ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere et diœcesano episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus animarum curam committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus respondeant. Libertates et immunitates, antiquas consuetudines eidem monasterio rationabiliter concessas et hactenus observatas ratas habemus easque futuris temporibus illibatas manere censemus; chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum seu monachorum qui ad sacros ordines sunt promovendi a diœcesano episcopo suscipiatis, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit et ea vobis gratis et absque pravitate aliqua voluerit exibere; alisqui liceat vobis quemcunque malueritis adire antistitem qui nostra fultus auctoritate quod postulatis indulgeat; sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum quoque devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus corpora mortua assumuntur. Prohibemus etiam ne cui liceat intra terminos ecclesiarum vestrarum ecclesiam vel oratorium sine assensu diœcesani episcopi et abbatis et capituli Cluniacensis de novo construere, salvis tamen privilegiis Romani pontificis. Quia vero decimæ tam veteri quam nova lege ministris ecclesiarum noscuntur esse concessæ, sub anathematis interminatione prohibemus, ne ullus laicus a vobis decimas exigere aut extorquere præsumat; inhibemus etiam ne ecclesias aut terras seu quodlibet beneficium Ecclesiæ vestræ ullatenus liceat alicui personaliter dari sive alio modo alienari sine consensu totius capituli aut majoris vel sanioris partis. Si quæ vero donationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus.

Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut intra clausuram locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam vel furtum committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere aliqua temeritate præsumat; locus autem ipse cum omnibus pertinentiis suis, sicut hactenus fuisse cognoscitur, sub Cluniacensis monasterii obedientia et subjectione perpetuo consistat.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas minuere, retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnino et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua ergo ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theodorus Portuensis et Sanctæ Rufinæ sedis apostolicæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim.

Ego Paulus sola Dei permissione presbyter cardinalis tituli Sanctorum duodecim Apostolorum.

Ego Albinus tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis.

Ego Melior Sanctorum Joannis et Pauli tituli Sancti Pammachii.

Ego Ardelo diaconus cardinalis tituli Sancti Theodori.

Ego Gratianus cardinalis tituli Sanctorum Cosmæ et Damiani.

Ego Goffredus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Via Lata.

Ego Rolandus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu, tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ per manum Transmundi sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii, XVII Kalendas Januarii, Indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero domini Urbani papæ tertii, anno primo.

VI.

Ad [*Sicardum*] *electum Cremonensem et abbatem S. Laurentii.*

(Veronæ, Dec. 18.)

[Tiraboschi, *Storia di Nonantola*, II, 310.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Cremonensi electo (2) et abbati Sancti Laurentii, salutem et apostolicam benedictionem.

Conquerente dilecto filio nostro A. archipresbytero de Poliniano accepimus, quod dilectus filius noster Nonantulanus abbas capellam Sancti Georgii de Monticello ad plebem ejusdem jure spectantem irrationabiliter detinere contendit. Ideoque causam ipsam vestræ sollicitudini committentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus ad præsentiam vestram convocatis, et rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, causam ipsam appellatione remota fine canonico terminetis, cogentes partes nostram adire præsentiam et auctoritate nostra judicium quod tuleritis observare.

Datum Veronæ, XV Kal. Januar.

(2) Il vescovo eletto di Cremona qui indicato e il celebre Sicardo autor della Cronaca pubblicata dal Muratori (*Script. Rer. Ital.*, vol. VII, p. 521.) Egli stesso sotto l'anno 1185, dice che in quell'anno fu eletto vescovo Questo breve ci mostra, che a' 18 di Decembre non era ancor consecrato; se pur esso deesi riferire all'anno 1185, perciocchè anche appartenere all'anno seguente, in cui Urbano III continuò a trattenersi in Verona. Ma non è verisimile, che si differisse tant'oltre la consecrazione del vescovo.

VII.

Assignationem decimarum factam ecclesiæ S. Sylvestri Venetæ, a Marco, episc. Castellano, confirmat.

(Veronæ, Dec. 18.)

[Cornelius, *Eccles. Venet.*, III, 80.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Dominico Minoto plebano Sancti Sylvestri, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ a fratribus episcopis sunt inviolabiliter statuta etiam firma debent et illibata manere, et ne processu temporis et temeritate aliqua immutentur scripto convenit apostolico communiri. Sicut autem in authentico scripto venerabilis fratris nostri M. episcopi Castellani comperimus tuæ devotionis, et ecclesiæ tuæ curæ commissæ utilitatis intuitu idem episcopus tibi et successoribus tuis quartam partem decimarum parochiæ tuæ concessit, ut eam valeas sine alicujus contradictione percipere, et inter clericos ejusdem ecclesiæ pro uniuscujusque merito dispensare quarta sibi et successoribus suis integre reservata. De parte vero pauperum medietatem cum fratrum tuorum consilio dividendam inter pauperes parochiæ tuæ reliquit, medietatem reliquam te, cum clericis tuis præbente consensum ipsi episcopo, et successoribus suis pro multitudine pauperum maxime nobilium venientium ad ecclesiam suam conferri præcepit. Verum de quarta parte quæ restaurationi ecclesiæ est deputata quartam sibi et successoribus suis pro matricis ecclesiæ utilitate perpetuo reservavit. Alias vero partes ejusdem quartæ tibi et successoribus tuis pro reficiendis ecclesiæ tuæ fabricis atque libris aliisque necessitatibus statuit conferendas. Hanc igitur concessionem sicut ab eodem episcopo facta est et tam ab ipso, quam a venerabili fratre nostro H. Gradensi patriarcha scripto authentico confirmata præsentis scripti pagina roboramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, XV Kal. Januarii, pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1185-1186.

VIII.

R[*adulpho*], *episcopo Andegavensi*, *M*[*auritio*] *electo Nannetensi et abbati Foarciensi mandat, ut abbatem S. Melanii Redonensem, a comite creatum contra privilegium fratrum Salmuriensium, expellant.*

(Veronæ, Dec. 10.)

[Morice, *Mémoires pour servir à l'hist. de Bretagne*, I, 703.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, vene-

rabili fratri R. Andeg. episcopo, et dilectis filiis M. Nannetensi electo et abbati Foarcensi, sal. et apost. ben.

Dilecti filii nostri abbas et fratres S. Florentii Salmuriensis, transmissa nobis conquestione, monstrarunt quod cum statutum sit et antiquitus observatum, ut decedente abbate S. Melanii Redonensis, monachi ejus loci, si forte in suo collegio idoneus inventus non fuerit, de claustro S. Florentii abbatem sibi assumant, defuncto abbate jam dicti monasterii S. Melanii, unum de suo collegio canonice elegerunt; quem comes Britanniæ moleste submovens, et electionem ipsam pro suo volens arbitrio usurpare, tot prædicto capitulo molestias et injurias irrogavit, quod prædictus electus ipsi electioni cedere præelegit, quam monasterium occasione sua, prædicta gravamina sustineret; cumque monachi de eodem, sive de S. Florentii monasterio abbatem sibi vellent elegere, comes nequaquam prima vexatione contentus, contradicentibus fratribus, contra consuetudinem antiquam, et utriusque dignitatem Ecclesiæ, quemdam alterius cœnobii monac. in Ecclesiam ipsam violenter intrusit; unde nonnulli ex monachis ipsius Ecclesiæ, ne institutioni jam dictæ acquiescere viderentur, ex ipso monasterio ad Salmurense cœnobium confugerunt. Volentes igitur jam dicto monasterio pastorali sollicitudine providere, discretioni vestræ mandamus atque præcipimus, quatenus ad idem monasterium accedentes inquiratis super his omnibus veritatem; et si vobis de prædicta intrusione constiterit, intrusum ipsum ab eadem ecclesia, omni gratia et timore postposito, sine appellationis obstaculo removentes, jam dictum monasterium faciatis de alia persona idonea, secundum antiquam et rationabilem consuetudinem hactenus observatam, per electionem canonicam ordinari; ita quod si fratres ejusdem loci convenire nequiverint, vos illum præficiatis auctoritate apostolica in abbatem, quem conversatione pariter et doctrina magis videritis approbatum, et in quem vota convenerint majoris et sanioris partis, etc. Quod si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, tu frater episcope, cum reliquo ea nihilominus exsequaris.

Datum Veronæ, IV Idus Decembris.

IX.

Bulla qua confirmat sententiam latam per Robertum archiepiscopum Viennensem et Hugonem abbatem Bonævallis super controversiis existentibus inter Arducium episcopum et Willelmum comitem.

(Veronæ, Dec. 10.)

[Spon, *Histoire de Genève*, II, 41.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Nantellino Gebennensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex tenore authentici scripti nobis innotuit, quod cum discordia quæ super bannis et justitiis ecclesiæ tuæ et hominibus adventitiis vel aliis ad civitatem pertinentibus inter bonæ memoriæ Arducium antecessorem tuum et Willelmum comitem Gebennensem emerserat, venerabilis frater noster Robertus archiepiscopus Viennensis et dilectus filius Hugo abbas BonæVallis suscepissent de assensu partium terminandam. Comes jurejurando et in verbo veritatis episcopus promiserunt eorum arbitrium inviolabiliter observare. Multi etiam obsides de recipiendo et servando arbitrio juraverunt. Veritate itaque diligenter inquisita, decreverunt ut recordationes olim factæ per homines ecclesiæ atque comitis, et eorumdem juramento firmare perpetuo inviolabiliter observentur. Unde quoniam, ut majorem habeat firmitatem arbitrium ipsum, scripto nostro postulas roborari, tuis justis postulationibus annuentes, illud sicut in scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ejus vero talis est tenor:

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Robertus Viennensis ecclesiæ archiepiscopus, et ego Hugo abbas BonæVallis, causæ quæ vertebatur inter Ardutium Gebennensem episcopum et Willelmum comitem, delectione utriusque partis cognitores constituti, recepto etiam jurejurando a comite et firma promissione in verbo veritatis ab episcopo, et multis ex utraque parte receptis obsidibus, eamdem controversiam de bannis et justitiis Gebennensis ecclesiæ, et de omnibus adventitiis vel aliis ad eamdem civitatem pertinentibus, ordine judiciario terminavimus in hunc modum: Exhibitis nobis ab episcopo scriptis, primum quidem gloriosi domini nostri imperatoris Frederici, de regalibus ejusdem civitatis, per judicium in solemni curia habitum, et ejusdem domini nostri sigillo, cum maximorum et plurimorum testium subscriptione firmatum, eidem episcopo restitutis et confirmatis, ac deinde aliis scriptis de transactionibus inter episcopum Humbertum Gebennensem et comitem Aymonem, et inter eum qui nunc possidet, Ardutium episcopum et comitem Amedæum factis, et sigillis prædicti Humberti comitisque Aymonis primo scripto firmato, secundo quoque firmato sigillis venerabilium archiepiscoporum, Eradii Lugdunensis et Stephani Viennensis, idoneis etiam testibus multis de veritate eorumdem scriptorum et forma transactionis, similiter etiam de transactione per venerabilem archiepiscopum Petrum postmodum facta, diligenter examinatis, atque susceptis legitime, allegationibus etiam utriusque partis cum omni diligentia auditis atque discussis, assidentibus nobis, venerabilibus episcopis Joanne Grationopolitano, J. Alpensi, Stamesiensi, G. Habundantino, W. de Siz, J. Intermontano, Bro. olim abbate Sancti Mauritii, prioribus quoque Carthusiensis ordinis, de Repausatorio, de Valone, de Pomerio, de consilio et assensu eorum, justitia mediante decrevimus, ut earumdem chartarum auctoritas inviolabilis perseveret, et per omnia fides debeat adhiberi; adjudicavimus proinde, et firma auctori-

tate percepimus ut recordationes olim factæ per homines episcopi esse. Et comes in Geneva nullos homines capere debet : hospitalitatem, placitum generale, forationes vini, et totum Rippale, Coroadam et mutationes domorum, si dominus mortuus fuerit, debet ut dominus possidere : forum totius villæ et justitiam fori similiter. Comes quoque per se, vel aliquem de suis, in pascuis Gebennensibus, nullas equitaturas capere debet; monetam in manu solius episcopi esse, etsi monetam falsam, quod absit! monetarii fecerint, nonnisi jussu episcopi comes justitiam faciat; si quis vero latro captus fuerit, ipsum et omnia ejus episcopus habere debet; si autem episcopus eumdem latronem damnare decreverit, comiti reddat, ut justitiam faciat; statio comitis Gebennis, in cognitione episcopi sit, ita tamen ut comes et familia ejus, ecclesiæ et civibus, et ecclesiasticis rebus non noceant, et radinconia sua, per vim alicui non ponat; et cum recesserit, nisi ad pacem creditoris non dimittat. De cætero super muro novo, quem Willelmus comes construxerat extra castrum, per legitimos testes certissime coram nobis probatum est, quod per reverendissimum virum supradictum archiepiscopum P. Tharentasiensem in transactione per eum facta inter episcopum Ardutium Gebennensem et comitem Amedæum definitum est, et sub excommunicatione prohibitum, ne extra murum veterem castri, aliquis usquam murus construeretur, et constructus extra veterem demoliretur; propter quod in nostri quoque judicii sententia dictum est et definitum, ut idem murus demoliatur, et nullas contra prædictam transactionem et tanti pontificis excommunicationem, extra veterem murum castri deinceps ædificetur. Allegavit revera comes Willelmus justitias latronum et adulterorum, se per longa tempora et patrem suum accepisse et tenuisse, quod episcopus et Gebennensis ecclesia non confitebatur, et quia per transactionem factam primo inter Humbertum episcopum et Aymonem comitem, coram Viennensi archiepiscopo, postmodum etiam secundo per transactionem factam inter Amedæum comitem et Ardutium Gebennensem episcopum, coram venerabilibus archiepiscopis Lugdunensi et Viennensi; tertio etiam coram Tharentasiensi in qua expressum fuit, post excommunicationem factam, de muro, ut supra dictum est, ut priora placita inviolabiliter tenerentur, longæva illa possessio et si esset, interrupta toties fuit, eam, ei non posse prodesse judicavimus, et in omnibus, sicut supra dictum est, bannum totius Genevæ, et reliqua superius scripta, patres nostri supradicti ecclesiæ Gebennensi adjudicaverunt, et ipse Willelmus comes totius civitatis dominium, ad Gebennensem ecclesiam confessus est; et quod ibidem habet, ab episcopo tenere. Additum est etiam in sententia, quia comes Willelmus contra omnem rationem occasione criminum, in quosdam regulares et clericos, etiam manus injecerat, et in ecclesiarum patrimonia, ne amplius occasione criminis, furti, homicidii, vel alterius, in regulares vel ecclesiarum patrimonia, vel in bonis mobilibus, manus injiciat, vel injici faciat; nec in clericos etiam sæculares, qui sunt in Gebennensi comitatu, donec culpa episcopo manifestata fuerit et probata, et ipsi ab episcopo exauctorati fuerint vel degradati. Testes hujus sententiæ omnes prædicti, et de clericis Gebennensis ecclesiæ, isti, Pontius sacrista, Nantelinus præpositus, Bartholomæus decanus, Pontius de Saisireu decanus, Anselmus de Villonay, Petrus de Dorchia, Roso de Confignon, Freuvardus, Guitbertus, Giroldus de Villeta, Willelmus Jospergue, Petrus Bauconus, et alii clerici; et de laicis, Boemundus Laurentius, Mauritius Jordanus, et alii multi. Hanc sententiam comes Willelmus sic a nobis prolatam suscepit, et observare promisit coram nobis duobus, et suprascriptis tribus episcopis, aliis quoque personis, pene universis militibus, quoque Amedæo, fratre comitis, Willelmo de Nangeio, Petro de Cletis, Willelmo de Festerna, Willelmo de Graisie, Willelmo de Altavilla, Guidone Bressenco, Willelmo Turumberti, Willelmo de Ayma et aliis multis. Lata est hæc sententia in oppido de Aquiranno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quarto, præsidente in sancta Romana Ecclesia beatissimo papa Lucio III, imperante glorioso Frederico semper augusto. Scripta est præsens per manum Petri notarii Viennensis, de præcepto nostro, et diligenter examinata, nostris et aliarum personarum munita sigillis. »

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, II Id. Decembris.

X.

Sententiam ab episcopo Laudensi et Martino præposito latam, ut « duæ partes decimæ de terris, quæ sunt in curte Portus-Albaræ, » canonicis Placentinis persolvantur, confirmat.

(Veronæ, Dec. 30.)

CAMPI, *Hist. di Piac.*, II, 368.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et canonicis Placentinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum inter vos et Vicinum archipresbyterum Ecclesiæ Portus-Albaræ super duabus partibus decimæ de terris, quæ sunt in curte Portus-Albaræ, seu infra confinia ejus, fuisset olim controversia suscitata, venerabilis frater noster Laudensis episcopus, et dilectus filius Martinus majoris Ecclesiæ præpositus, causam ipsam rationibus hinc inde auditis et cognitis, ex delegatione sedis apostolicæ terminarunt, memoratum archipresbyterum in duas partes decimæ supradictæ, vobis de cætero persol-

vendas per diffinitivam sententiam condemnantes.

Quia vero ea, quæ auctoritate apostolica rationabiliter decernuntur, perpetuam debent accipere firmitatem; nos sententiam super his, a prædictis judicibus legitime promulgatam, ratam esse decernimus; et duas partes decimationis illius, sicut adjudicatæ sunt, et a vobis pacifice possidentur, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Veronæ. III Kal. Januarii.

ANNO 1186

XI.

Privilegium pro monasterio S. Trinitatis Lucernensis (diœc. Abrinc.).

(Veronæ, Jan. 11.)

[*Gall. Christ. nov.*, XI, 330.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ANGOTO abbati Sanctæ Trinitatis de Lucerna, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regulariter sustinendis, in perpetuam memoriam.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatam ecclesiam Sanctæ Trinitatis de Lucerna, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Joannis de Castro-Willelmi cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Rochella cum pertinentiis suis, ecclesiam de Campeaux, ecclesiam de Angeio, ecclesiam de Monviron, ecclesiam de Sulligneio; duas garbas decimarum de terra Allani militis in parochia Sancti Petri, totum manerium quod habetis apud Crolum cum pertinentiis suis, totam terram quam habetis apud Lucernam cum molendino et nemore, totam terram quam habetis apud Abrincas cum vineis et torcularibus, terram quam habetis apud Sublineium et Nigram-Paludem, et apud Landam et apud Rosigneium, terram Osberni dapiferi apud Marceium cum dimidia acra terræ quæ fuit Juclin, terram quæ fuit Willelmi filii Emmæ et prata quæ ibi habetis, decimas omnium molendinorum Alani de S. Petro, decimam molendini Henrici de S. Petro, decimam molendini de Caranceio, sextam partem molendini de Nigra-Palude, vineas et terram et piscariam quas habetis apud S. Joannem, terram et prata quæ habetis apud S. Ligerium, tertiam partem molendini cum terra quam habetis apud Cambas, præbendas decedentium canonicorum Abrincensium per annum sicut chartæ inde factæ testantur, dimidiam partem decimarum totius parochiæ Domville, duas garbas decimarum de toto feodo Willelmi de Sancto Joanne apud Grimovillam, in Constantiensi episcopatu ecclesiam Sanctæ Mariæ de Tourvilla cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Georgii de Raiz cum pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Martini de Tribehou cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Petri de Mesnileio Guildouin, decem acras terræ apud Tsnanvillam, ex donatione R. de Altevilla; apud Cambas, duas masuras terræ de donatione G. de Cantepia; apud Clincampum, unam masuram ex donatione Dionysii: apud Angeium in feudo Gaufridi de Bosco, decem solidos Andegavenses, ex donatione R. filii Radulphi et Philippæ uxoris suæ; apud Abrincas, unam acram vineæ cum pressorio in Messiomore de dono Willelmi Abrincensis archidiaconi; apud Moncatum, septem quarteria frumenti in masura R. de Pratis, cum una acra terræ au doit Wasme, septem quarteria frumenti apud Grimovillam in masura Radulphi de Monasterio cum una acra terræ et quinque perticis ad magnam Crucem, ex donatione W. de S. Joanne et G. uxoris suæ, unum quarterium siliginis in decima Dominici Rogerii de S. Georgio, ex dono ipsius R. apud Curvam Fossam, decimam totius nemoris ejusdem loci, sive in pascuis, sive in venditione lignorum cum quadam parte nemoris in Dominico sicut divisæ demonstrant; apud Grippum decimas omnium reditnum ad idem castrum pertinentium, cum decima feriæ ejusdem villæ, ex dono Asculfi de Sulligneio; apud Viriam, unum quarterium frumenti in masura Regeri de campis extra portam, ex dono Albini; in terra Ogeri de Nuilleio, unam minam frumenti de dono Geldoin Cati; apud Dragouillam, unum quarterium frumenti in masura Penerel, de dono Roberti de Perseio; apud Rochellam, septem quarteria frumenti, ex dono Roberti Heriz et Rogeri filii sui post decem prima reddenda vobis apud montem Aquilam, unam acram terræ de dono Malefonti et fratrum suorum; apud Crolum, tres solidos Cenomanenses de dono Willelmi de Magneio, quos et annuatim reddere solebatis; apud Canceium, tria quarteria frumenti de terra quam solet tenere G. Mandarius in Manerio Sancti Nicolai; in bosco Rogeri, unam minam frumenti de dono Willelmi

de Albigneio comitis; apud Fornes, duo quarteria frumenti in masura Joannis filii Arnulphi de Rua, et in masura Richardi Israel, de dono Radulphi de Fornes, apud sanctam Trinitatem de nemore, duas masuras terræ; ex dono T. Sancti Pancratii et H. filii sui apud Novam Villam, duos campos terræ, campum Marinum et campum Castellensem, ex dono Bertrandi et Philippi filii sui; apud Longam Villam, tres acras terræ, ex dono R. de Sancto-Leodegario; apud Nigram Paludem, totam moutam de terra Pellevilain, ex dono ejusdem R. filii sui; apud Grimovillam, unam acram terræ, ex dono Alani; apud Torvillam, unam masuram trium acrarum et dimidiam virgatam de dono Willelmi de Sancto Joanne; apud Heenvillam, decimam feriæ ejusdem villæ et piscariæ; apud Torvillam, totum dominium suum de inter duas valles; apud Sanctum Loct, unam minam frumenti, ex dono Jordanis de Sancta Villa in molendino suo; apud Mortuam Feminam, totum feudum Gaufridi Maugier, ex dono Willelmi de Angervilla et B. uxoris suæ; apud Cortis, decimam salis totius reditus Radulphi de Fulgeriis, de dono ejusdem; apud Meurdracheriam decimam molendini ex dono Roberti Murdrac; ex dono Hugonis de Sancto Dionysio, tria quarteria frumenti in molendino ejusdem villæ; apud Grimovillam, duas garbas decimarum totius terræ Willelmi de Sancto Joanne; in eadem villa, ex dono ejusdem, apud Tribeho, masuram Willelmi Vassalli cum duabus acris terræ et unam piscariam advetulam et duas garbas decimæ totius feudi sui apud Tribou, de dono Ambrosii; apud Romeiam, duas garbas decimarum totius dominii Willelmi et T. de Piris et G. uxoris suæ; juxta Lucernam collem abbatiæ Lucernæ imminentem, ex dono Roberti abbatis de monte Sancti-Michaelis, compositionem quoque inter vos et monachos montis Sancti Michaelis de periculo maris super ecclesia de Sancto Joanne et aliis tenementis vestris habitam, sicut sine pravitate facta est, et ab utraque parte recepta atque in instrumento publico facto exinde continetur auctoritate apostolica confirmamus.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis, liceat vobis quatuor vel tres de canonicis vestris ponere, quorum unum diœcesano episcopo præsentetis, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus et de ordinis observantia debeant respondere. Prohibemus insuper ne aliquis infra fines parochiarum vestrarum sine diœcesani episcopi et vestro assensu de novo ecclesiam vel oratorium ædificare præsumat, salvis tamen privilegiis Romanæ Ecclesiæ. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Ad hæc auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis archiepiscopus vel episcopus aut eorum officialis in vos vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa audeat promulgare, aut in vos vel ecclesias vestras novas, aut indebitas exactiones imponere. Sepulturam præterea ecclesiæ vestræ liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis infra fines locorum seu grangiarum vestrarum violentiam vel rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, hominem capere vel interficere audeat. Prohibemus etiam ne alicui fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Libertates vero et immunitates et rationabiles consuetudines et dignitates in ecclesia vestra hactenus observatas, ratas habemus, easque perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Prohibemus etiam ne beneficium ecclesiæ vestræ collatum personaliter alicui, sine abbatis et capituli licentia conferatur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, iramque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Chunradus Sabinensis episcopus et Mogontinensis archiepiscopus.

Ego Theodericus Portuensis Sanctæ Rufinæ sedis episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velligerensis episcopus.

Ego Joannes presbyter card. tit. Sancti Marci.

Ego Pandulphus presbyter card. tit. duodecim Apostolorum.

Ego Albinus presbyter card. tit. Sanctæ Crucis in Jerusalem.

Ego Melior presbyter card. Sanctorum Joannis et Pauli, tit. Pammachii.

Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli presbyter card.

Ego Ardino diaconus card. Sancti Theodori.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Veronæ per manum Transmundi sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii, III Idus Januarii, indictione quarta, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III anno primo.

XII.

Ad omnes episcopos. — De sui electione.

(Veronæ, Jan. 12.)

[Mansi, *Concil.*, XXI, 496.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, et cæteris Ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem,

Cœlestis altitudo consilii firmam retinens in sua dispositione censuram, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ad cujus regimen sumus licet insufficientes assumpti, supra petram fidei soliditate fundavit: illud ei tribuens in apostolicæ confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec prævalere possit spiritus tempestatis. Unde ipsa universalis mater Ecclesia usque ad consummationem sæculi manentem secum retinens Salvatorem, ita, juxta canticum Salomonis, quem dilexit amplectitur (*Cant.* III), ut pro nulla rerum varietate, vel temporum, ab unitate suæ fidei vel pietatis proposito separetur. Licet enim vel crebra decedentium mutatione pastorum in varia discrimina frequenter inciderit, vel per mundanæ malignitatis incursum, persecutiones innumeras pertulerit et labores; nunquam tamen eam gratia divina deseruit, quominus robur ejus in qualibet tentatione proficeret, et inde obtineret spei suæ gaudium, unde susceperat fidei firmamentum. Sic igitur ante paucos hos dies faciente cum ea Domino signum in bonum, quamvis ipsam de transitu pii Patris Lucii non modicus dolor tristitiaque turbavit; statum tamen ejus in unitate Spiritus et vinculo pacis divina providentia conservavit, ut post vespertinos fletus, lætitia matutina succederet, et ipsa velut columba pulcherrima suis lætificata gemitibus, sine ruga prorsus et macula candoris sui pulchritudinem retineret. Defuncto siquidem piæ recordationis Patre ac prædecessore nostro domino papa Lucio, et reverendissimo ejus corpore honorifice tumulato, habitus est a fratribus de successoris electione tractatus: in quo tanta fuit unitas omnium, tantaque adinvicem concordia singulorum, ut ille intelligatur operatus in eis, in cujus manu corda sunt omnium, et per quem adunatur diversitas animorum. Cæterum cum plures essent in Ecclesia Dei viri venerabiles et prudentes, in quo eorum vota concurrere consultius, ut credimus, et dignius potuissent, ad insufficientiam nostram oculos intenderunt: et factum est, sicut Domino placuit, ut nos, quibus ad dignitatis tantæ fastigium nec vires nec merita suffragantur, in Patrem sibi elegerint et pastorem. Nos autem licet nobis conscii propriæ infirmitatis essemus, ita ut crederemus eorum proposito non immerito resistendum, ne tamen ex dilatione negotii vel pertinacia reluctandi aliquod in Ecclesia periculum proveniret, consensimus, licet inviti, injuncti oneris subire laborem, ab eo sperantes dirigi gressus nostros, qui beato Petro in fluctibus naviganti et fiduciam præstitit ut in mare descenderet, et potenter occurrit ut dubitans non periret (*Matth.* XIV). Nunc igitur in eo loco et officio constituti, in quo valde indigemus omnium fidelium suffragiis adjuvari, ad vos tanquam ad speciales Ecclesiæ Romanæ filios cum fiducia et securitate recurrimus, vosque benedictionis apostolicæ prævenientes alloquio, litteris familiaribus admonemus, rogamus attendentius, et exhortamur in Domino, quatenus transitum supradicti Patris et domini nostri Lucii devotis orationum suffragiis prosequentes, fidem et devotionem, quæ nobis pro reverentia beatorum Petri et Pauli apostolorum et apostolicæ sedis communiter debetur ab omnibus, vos specialiter impendatis, ita quod ex hoc et a Deo præmium consequi, et majorem semper gratiam valeatis in oculis nostris et totius Ecclesiæ promereri.

Datum Veronæ, secundo Idus Januarii.

XIII.

Ad B[alduinum] Cantuariensem archiepiscopum. — Ejusdem argumenti et eadem verbotenus ac superior.

(Veronæ, Jan. ?)

[Gilberti Foliot *Epist.* ed. Giles, II, 114.]

XIV.

Episcopis et omnibus per Cantuariensem provinciam constitutis nuntiat, vices suas in eorum provincia B[alduino] archiepiscopo commissas esse.

(Veronæ, Jan.)

[Twisden, *Hist. Anglic. script.* X, I, 630.]

Urbanus papa, fratribus suis episcopis et omnibus per Cantuariensem provinciam constitutis.

Nos Anglicanam Ecclesiam paternæ considerationis oculis intuentes, ad salutem ipsius et spiritales in Christo profectus, communi consilio fratrum nostrorum decrevimus ordinandum, ut venerabilis frater noster B. Cantuariensis archiepiscopus, de cujus meritis et virtute, sapientia pariter et doctrina Ecclesia universa congaudet, ministerio legationis accepto, vices nostras ad honorem Ecclesiæ et totius regni salutem et pacem per subditam sibi provinciam exsequatur.

XV.

Privilegium pro monasterio Sancti Sixti Placentini.

(Veronæ, Jan. 20.)

[Affo, *Storia di Guastalla*, I, 347.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii S. Sixti, quod Placentiæ situm est, ejusdem fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Legimus in prophetis plebi suæ prævaricanti, et in præceptis suis non ambulanti omnipotentem dominum comminatum quod eos de territorio suo evelleret, minas suas sufficienter adimplevisse; in aliis etiam voluminibus legimus diversos populos pro suis iniquitatibus a sedibus suis fuisse perpulsos, et alios pro eis Dei judicio collocatos. Hoc divinæ dispositionis judicium in B. Sixti monasterio, quod Placentiæ situm est, cernimus adimpletum. Cum enim sanctimoniales feminæ illic per annos plurimos habitassent, postmodum abjecta regularis ordinis disciplina per vitiorum præcipitia defluxerunt, et possessionum multiplicitas, quæ a regibus, vel aliis Dei fidelibus eidem cœnobio collatæ fuerunt, plurimum diminuta est, ac destructa. Quamobrem sapientium ac religiosorum virorum consilio provisum est, agente præcipue illustris memoriæ Mathildi comitissa, ut in eodem monasterio viri pro feminis ponerentur, qualenus et religio illic eadem, id est monastici ordinis servaretur, et monasterii possessiones quæ jam diu distractæ fuerant per eorum restituerentur industriam. Hanc igitur mutationem in loci illius ordinatione dispositam, nos, auctore Deo, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Paschalis II, Anastasii IV, et Lucii III, Romanorum pontificum per præsentis privilegii paginam confirmamus, statuentes ut perpetuis temporibus illic servorum Dei virorum congregatio sub monastici ordinis observatione permaneant. Ipsum vero locum, et universa ad eum pertinentia sub apostolicæ sedis tutela et protectione servanda censemus a quorumlibet infestantium molestiis libera, sicuti a prædecessoribus nostris Romanæ Ecclesiæ pontificibus noscitur institutum. Statuimus etiam, ut universa prædia vel possessiones quas Angelberga imperatrix ejusdem monasterii fundatrix illuc contulisse cognoscitur, et quæcunque villæ, familiæ, cellæ, ecclesiæ, seu reliquæ possessiones ad ipsum monasterium legitime pertinent, sive in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, juste atque canonice poterit adipisci, firma nobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

Præterea decimas novalium vestrorum et aliarum terrarum vestrarum, quas habetis ex dono episcoporum, videlicet Placentini, Cremonensis, Laudensis, Regini, Mutinensis et Mantuani in eorum parochiis, quemadmodum in privilegio sanctæ recordationis Adriani III papæ monasterio vestro et plebibus atque capellis vestris confirmatæ sunt. Nos quoque ipsorum vestigiis inhærentes vobis auctoritate sedis apostolicæ pariter confirmamus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum seu clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem Catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea vobis gratis, et absque pravitate aliqua voluerit exhibere, alioquin liceat vobis, quem malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et B. Benedicti Regulam, providerint eligendum, de suo vel de alieno, si oportuerit, collegio. Quidquid etiam libertatis, seu dignitatis a prædecessoribus nostris, Romanibus pontificibus supradicto monasterio per authentica privilegiorum scripta concessum est, et huc usque servatum, nos quoque præsenti privilegii auctoritate concedimus, et ratum haberi per tempora futura censemus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum, etc. Si qua igitur, etc. Cunctis autem, etc.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes presbyter card. Sancti Marci.

Ego Laborans presbyt. card. Sanctæ Mariæ trans-Tiberim, tit. Calixti.

Ego Theodinus Portuensis et Sanctæ Rufinæ sedis episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. XII Apostolorum.

Ego Albinus presbyter cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem.

Ego Melior presbyter cardinalis tit. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter cardinalis.

Ego Ardicio diaconus cardinalis S. Theodori.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ per manum Transmundi sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii, XIII Kalend. Februarii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno primo.

XVI.

Ecclesiam S. Mariæ de Reno tuendam suscipit et ejus possessiones juraque confirmat.

(Veronæ, Jan. 27.)

TROMBELLI, *Memorie di Reno*, 378.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI priori ecclesiæ S. Mariæ de Reno, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Cum nobis sit, licet immeritis, omnium Ecclesiarum cura et sollicitudo commissa, pro statu ecclesiæ vestræ pastoralem cogimur sollicitudinem gerere, et paci vestræ, prout nobis Dominus dederit, intendere diligenter. Ut autem a pravorum incursibus apostolica sitis defensione muniti, ecclesiam vestram in qua divino estis obsequio mancipati, inducil piis precibus et justis postulationibus vestris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam, in eadem ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo prædicta ecclesia constructa est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Andreæ in Turicella; ecclesiam S. Domnini juxta Bagnum; ecclesiam Sancti Salvatoris. Possessiones quæ fuerunt Gerardi de Sala, cum decimis et fructibus et omnibus pertinentiis suis. Hospitale de Casaiola cum pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Praxedis, sicut a piæ memoriæ prædecessoribus nostris Anastasio, Alexandro, et Lucio Romanis pontificibus vobis concessa est, salvo jure et reverentia cardinalis, qui pro tempore in eadem ecclesia fuerit. Ecclesiam Sancti Jacobi quæ dicitur Casadei cum pertinentiis suis; pontem qui juxta ecclesiam vestram super Renum situs est, cum suis possessionibus. Libertates quoque et immunitates rationabiliter indultas a bonæ memoriæ Henrico et Gerardo Bononien. episcopis, ecclesiæ vestræ et aliis ecclesiis vestris quas prædiximus, videlicet ut cum omnibus rebus suis tam mobilibus quam immobilibus ab omni conditione, et a servitio et tributo tenentium ab episcopo tam monachorum et clericorum, quam laicorum, vel alicujus tam magnæ quam parvæ personæ dominio præter episcopale jus, liberæ sint penitus et quietæ, ratas habemus et firmas, easque perpetuis temporibus illibatas permanere censemus.

Liceat etiam vobis clericos et laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere; et in ecclesia vestra absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, in loco vestro post factam professionem, fas sit de eodem loco absque licentia prioris sui, nisi obtentu arctioris religionis discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Et si aliquis ipsorum fratrum extra claustrum ausus fuerit sine prædicta licentia permanere, si secundo tertiove commonitus resipiscere forte contempserit, liceat priori ejusdem loci excommunicationis in ipsum, tanquam in professum suum, sententiam promulgare. Præterea decimas quas a quadraginta annis inconcusse tenuistis, et nunc pacifice tenere noscimini, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Prohibemus etiam ut nulli fas sit vobis et ecclesiæ vestræ novas et indebitas exactiones imponere, sed ipsam ea gaudere decernimus libertate, quam a quadraginta annis elapsis, usque ad hæc tempora noscitur habuisse. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Ad hæc ordinationes clericorum vestrorum a quo malueritis episcopo suscipiendi liberam vobis concedimus facultatem, sicut memorati episcopi facultatem ipsam vobis per authentica scripta indulsisse noscuntur. Fructuum quoque vestrorum undecunque de episcopatu Bononiensi venientium vobis decimas confirmamus, sicut eædem decimæ sunt ab eisdem episcopis ecclesiæ vestræ provida circumspectione concessæ. Obeunte vero te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, et beati Augustini Regulam, providerint eligendum. Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ protectionis et libertatis, duos solidos Lucensis monetæ nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum licest

præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Bononiensis episcopi canonica justitia. Si quâ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen Amen.

(*Locus sigilli.*)

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Theodinus Portuensis et Sanctæ Rufinæ sedis episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presbyter cardinalis tit. Sancti Marci ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulphus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Albinus presb. card. tit. Sanctæ Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii ss.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card. ss.

Ego Arditio diac. card. Sancti Theodori ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ego Rollandus S. Mariæ in Porticu diac. cardin. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Transmundi sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii, VI Kal. Febr., indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno primo.

XVII.

Ecclesiam S. Salvatoris Venetam tuendam suscipit, ejusque possessiones et privilegia confirmat.

(Veronæ, Febr. 5.)

[Cornelius, *Eccles. Venet.*, XIV, 112.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis A filiis Gregorio priori ecclesiæ S. Salvatoris de Rivoalto ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Salvatoris, in qua divino estis mancipati obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum, felicis memoriæ Innocentii, Eugenii, Anastasii, Alexandri, et Lucii Romanorum pontificum, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus.

B In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; domos quoque, terras, vineas, salinas, et C quidquid juris habetis in Clugia; molendinum et terras quas habetis in Barbano; in territorio Dese molendinum, mansum, cum vineis, silvis et aliis suis pertinentiis, sicut nobiles viri Leonardus, Philippus et Rigettus filii Q. Girardi de Inginulfo ecclesiæ vestræ donaverunt; terras de Liguentia, terras de Flumisello, terras de Marsiliaco et terras de Sacco; medietatem quoque decimarum, quas parochiani ecclesiæ vestræ persolvunt, sicut beatæ memoriæ prædecessor noster Eugenius papa mandavit, et bonæ recordationis Joannes Polanus quondam diœcesanus episcopus privilegio suo vobis indulsit, tam pro clericis, quam pro sartatectis reficiendis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Et ut in parochianos vestros qui vos de medietate ipsarum D decimarum defraudare præsumpserint, per priorem ecclesiæ vestræ excommunicationis sententia promulgetur, ei plenam concedimus potestatem, quemadmodum felicis recordationis prædecessores nostri Adrianus, Alexander et Lucius Romani pontifices scriptis suis indulsisse noscuntur. Indulgemus insuper vobis, sicut a prædictis antecessoribus nostris indultum esse dignoscitur, ut prior loci vestri, qui pro tempore fuerit, pro ipsis decimis libere possit securitatem, juxta morem terræ præstare. Liceat quoque vobis clericos et laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque alicujus contradictione in vestra ecclesia retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem,

sine prioris sui licentia fas sit de claustro discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Præterea sententiam quam venerabilis frater noster Henricus Gradensis patriarcha et bonæ memoriæ Ildeprandus, basilicæ XII Apostolorum presb. card. tunc apostolicæ sedis legatus super controversia inter vos, et Dominicum plebanum S. Bartholomæi de quibusdam parochialibus domibus, scilicet super domibus Justorum, Marocenorum, Gradonicorum, Græcorum, Leonardi Fradelli et Dominici Aurei quas quisque sui juris esse dicebat quondam diutius agitata rationabiliter protulerunt, sicut in authentico scripto illorum exinde facto noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Statuentes ut nullus sine vestro consensu parochianis vestris in infirmitate positis pœnitentiam dare, aut eos injungere, vel ad sepulturam recipere audeat, nisi salva justitia ecclesiæ vestræ sacris canonibus instituta.

Obeunte vero te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum, et B. Augustini Regulam canonice providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat Ecclesiam vestram temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Theod. Portuensis et S. Rufinæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Hierusalem ss.

Ego Meliorus presb. card. tit. Sanctorum Joannis et Pauli ss.

Ego Adelardus presb. card. tit. S. Marcelli ss.

Ego Arditio diac. card. S. Theodori ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus card. ss.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ego Rolandus Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Transmundi S. R. E. notarii, Nonis Febr., indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ tertii anno primo.

XVIII.

Privilegium pro monasterio P. Jacobi Pontidensi.

(Veronæ, febr. 5.)

[Lupus, *cod. diplom. Bergom.*, II, 1359.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Guidoni priori domini S. Jacobi de Pontida ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus, etc. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium Sancti Jacobi de Pontida in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Urbani, Innocentii, Cœlestini atque Lucii Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Dei et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cluniacensium factam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; unam capellam cum decimis et aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Zenonis in Prezate, S. Georgii et Sancti Alescii capellis cum decimis et aliis perti-

nentiis suis. In Medolaco ecclesiam Sanctæ Mariæ, A etc.; in Pompenico ecclesiam Sancti Michaelis cum pertinentiis suis; in Marne ecclesiam Sancti Bartholomei cum omnibus pertinentiis suis; in Morengo capellam Sancti Joannis de Rovedo, tertiam partem decimæ ejusdem loci et eam quæ dicitur..... Jus etiam quod bonæ memoriæ Gregorius episcopus Bergomensis in eadem ecclesia vobis pia concessione donavit; totam villam Morengi, castellum et curtem ejus, et quidquid ibi habetis sicut a quadraginta retro annis pacifice posseditis. Decimas et possessiones quas habet (*sic*) in Carpeneto, in Cerno possessiones et capellam Sanctæ Justinæ cum decima et aliis pertinentiis suis; in Montenusio capellam Sancti Georgii cum omnibus pertinentiis suis, et decima ejusdem curtis, quidquid habetis B in circuitu ejusdem; quidquid etiam habetis tam ex donatione bonæ memoriæ Joannis Laudensis episcopi, quam ex venditione vel etiam oblatione multorum fidelium, sicut in ejusdem episcopi scripto authentico continetur; transactionem quoque inter vos et Guidonem de Cuziago et fratrum ejus amicabili compositione facta, sicut in instrumentis publicis continetur et ab utraque parte recepta est; vobis nihilominus auctoritate apostolica confirmamus. In Paterno capellam S. Andreæ cum pertinentiis suis, S. Petri et S. Joannis ecclesias; in Clozago capellam S Mariæ cum pertinentiis suis; in Glarola monasterium S. Nazarii et Celsi cum pertinentiis suis; possessiones quas habetis in Arcii. C Jura quoque omnia et possessiones sive de feudis, sive de aliis quæ vel quas monasterium vestrum XL annis sine interruptione proprietario et libellario jure possidet et quorum vel quarum possessionem nunc habet. Privilegium insuper quod clarissimus in Christo filius noster Fridericus, Romanorum imperator semper Augustus, super libellis conscriptis præscripto monasterio tradidit vobis vestrisque successoribus, auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et absque contradictione D aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce officia celebrare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum quoque devotioni et Christianæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuere, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliis quibuslibet vexationibus perturbare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

(*Desunt subscriptiones pontificis, cardinalium, monogramma, et anni pontificatus*, etc.

....., Anno Domini 1185, VII Kalend. Martii, indictione quarta. Dat. Veronæ per manum Transcendili, sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii.

XIX-XX.

Privilegium pro ecclesia S. Mariæ Spoletanæ.

(Veronæ, Febr. 27.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, I, 1261.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis MATTHÆO præposito S. Mariæ Spoletanæ ecclesiæ, fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonice substituendis, in perpetuum.

Quoties a nobis petitur, quod religioni, et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Mariæ Spoletanæ, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri felic. memor. Alexandri II, Romani pontificis sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste, et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus, hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, plebem S. Joannis in Campo, et decimam S. Mariæ in Campo, cum decima Azzaninæ Fractæ, plebem S. Gregorii in Nido, curtim S. Angeli in Capite cum omnibus infra se habentibus, plebem de Verclano, plebem de Turino, plebem de Bernano, plebem de Lederano, et tres partes decimæ totius Spoletanæ civitatis, cum tribus partibus oblationum vivorum et mor-

tuorum. Ad hæc libertates, et immunitates a regibus, principibus et ab aliis personis tam ecclesiasticis quam mundanis eidem concessas ecclesiæ, et antiquas, et rationabiles consuetudines integras illibatasque manere præsenti decreto sancimus. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam præterea ejusdem ecclesiæ liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire præsumpserit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax D. N. J. C. quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Urbanus, catholicæ Eccl. episc.
Ego Theodin., Portuen. S. Rufin. sedis episc.
Ego Henricus, Albanen. episc.
Ego Theobaldus, Ostien. et Veletren. episc.
Ego Joannes, presb. card. tit. S. Marci.
Ego Laborans, presb. card. S. Mariæ Trans. et Callixt.
Ego Pandulfus, presb. card. tit. XII Apostolorum
Ego Albinius, tit. S. Crucis in Hierusalem, presb. card.
Ego Melchior, presb. card. SS. Jo. et Pauli, tit. Pammachii.
Ego Adelardus, tit. Sancti Marcelli, presb. card.
Ego Arditio, diac. card. Sancti Theodori.
Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac. card.
Ego Soffredus, S. Mariæ in Via lata diac. card.
Ego Petr., diac. card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
Ego Rodulphus, S. Gregorii ad Vel. Aureum diac. card.

Datum Veronæ, per manum Transimundi S. R. E. notarii, III Kal. Martii, indict. IV, Incarn. Dominicæ, anno 1185, pontificatus vero D. Urbani papæ III anno primo.

XXI.

Monasterii S. Mariæ Civitaculensis protectionem suscipit, bonaque ac jura confirmat.

(Veronæ, Febr. 27.)

[Morioni, *Monumenta Aquensia*, I, 84.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis suis Nicolao abbati monasterii S. Mariæ de Civitacula, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, præfatum monasterium S. Mariæ de Civitacula, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dei et beati Benedicti Regulam, atque instituta Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones et bona idem monasterium juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propria duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis ; locum molendini, quem in flumine Urbe..., grangiam Castri Veteris cum pertinentiis suis, castagneta Noveleti, castagneta Gorreelli, domum, quæ in valle Marchionis sita est, cum pertinentiis suis, domum Caxæ cum pertinentiis suis, domum Campelli cum pertinentiis suis, castagneta Dondanine cum pertinentiis suis, cellarium de Varagine cum pertinentiis suis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, decimas a vobis nullus extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis clericos et laicos omnes e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine aliqua contradictione retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit sine abbatis licentia de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis eos forte retinere præsumpserit, liceat vobis in ipsos monachos vestros, sive conversos, sententiam regularem ex nostra auctoritate proferre. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, apostolica auctoritate prohibe-

mus, ne infra clausuras locorum sive grangiarum vestrarum, ullus rapinam, vel furtum committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, aliqua temeritate præsumat. Sane si episcopi aliquid ab abbatibus vestri ordinis, præter obedientiam debitam, vel principes terræ contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris et a nobis indultam expetierit, liberum sit eisdem abbatibus, auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista prædictus ordo, qui hactenus liber exstitit, ullatenus servitutis laqueo illigetur. Quod si ipsi episcopi aliquam propter hoc in ecclesias vestras, vel personas sententiam promulgaverint, eamdem sententiam, tanquam contra apostolicæ sedis indulta prolatam, statuimus irritandam.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur, etc.

Ego Urbanus, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Conradus, Sabinensis episcopus, et Moguntiæ sedis archiepiscopus.

Ego Theodinus, Portuensis et S. Rufinæ sedis episcopus.

Ego Henricus, Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes, presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans, presb. card. tit. S. Mariæ trans Tiberim, S. Calixti.

Ego Pandulfus, presb. card. tit. XII Apostolorum.

Ego Melchior, SS. Joannis et Pauli, tit. Pamachii, presb. card.

Ego Ardicio, diaconus card. S. Theodori.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diaconus card.

Ego Rolandus, S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Petrus, S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulfus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Veronæ, per manum Transmundi Romanæ Ecclesiæ notarii, III Kal. Martii, etc., pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno primo.

XXII.

Monasterii Cluniacensis protectionem suscipit et bona quædam ac privilegia confirmat, petente Hugone abbate.

(Veronæ, Mart. 4.)

[*Bibliotheca Cluniac.*, 1447.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati Cluniacensi, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Quanto specialius ecclesia vestra nobis est, nullo mediante, subjecta, tanto propensius ejus juri providere compellimur, ne super his, quæ rationabiliter noscitur possidere, processu temporis indebita molestatione gravetur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et beati Benedicti Regulam in vestro monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futuro concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentibus suis; prioratum S. Mariæ de Nazara cum omnibus pertinentiis suis; prioratum S. Trinitatis de Lentona cum omnibus pertinentiis suis, sicut eosdem prioratus ecclesia vestra canonice possidet, et de donatione prædicti prioratus S. Mariæ in scripto authentico continetur, vobis et eidem ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit, nisi arctiori religionis obtentu, absque abbatis sui licentia de eodem discedere, discedentem vero absque communium cautione nullus audeat retinere. Sepulturam præterea illius loci liberam esse decernimus, ut eorum quoque devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Quia vero decimæ tam veteri quam nova lege ministris ecclesiarum noscuntur esse concessæ, sub anathematis interminatione prohibemus ne ullus laicus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in

futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus, catholicæ Ecclesiæ episcopus, ss.

Ego Joannes, presbyter cardinalis tit. S. Marci, ss.

Ego Laborans, presbyter cardin, tit. Calixti, ss.

Ego Pandulphus, presbyter cardinalis basilicæ XII Apostolorum, ss.

Ego Albinus, presbyter card. tit. S. Crucis in Jerusalem, ss.

Ego Melior, SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii presb. card., ss.

Ego Adelardus, tit. S. Marcelli presb. card., ss,

Ego Conradus, Sabinensis episcopus et Mogontinus archiepiscopus, ss.

Ego Theodinus, Portuens. et S. Rufinæ sedis episcopus, ss.

Ego Henricus, Albanensis episcopus, ss.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletren. episcopus, ss.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diaconus card., ss.

Ego Rollandus, S. Mariæ in Porticu diaconus card., ss.

Ego Petrus, S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card., ss.

Ego Radulfus, S. Georgii ad Velum Aureum diaconus card., ss.

Datum Veronæ, per manum Transmundi S. Romanæ Ecclesiæ notarii, indict. IV, Incarn. Dominicæ anno 1185, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XXIII.

Compositionem factam inter episcopum Sanctonensem, et monachos Aienses, super ecclesia de Rupella et quibusdam aliis in episcopatu Sanctonensi, confirmat.

(Veronæ, Mart. 4.)

[*Ibid.*, p. 1449.]

Urbanus episcopus, servus servorum: Dei, dilectis filiis Hugoni abbati et conventui Clun., salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ rationis tramite non discordant, effectu prosequente, complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter monachos vestros Aienses, et Petrum archipresbyterum de Rochella, à bonæ memoriæ Bernardo quondam Sanctonensi episcopo factam, et ab utraque parte receptam, sicut in ejus scripto authentico continetur, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, quam ad majorem in posterum firmitatem præsentibus duximus litteris adnotandam, cujus tenor talis est :

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Bernardus Dei gratia Xanctonensis episcopus, notum fieri volo successoribus meis, et omnibus hanc chartam legentibus, qualiter discordia pacificata est, quæ inter Petrum archipresbyterum de Rochella, et monachos Aienses innata erat. Audieram enim multoties clamorem monachorum super Petro archipresbytero, quem Reignaudus Aiensis prior nobis præsentaverat in capellanum, Hic jura oblationum, quæ eis conpetere videbantur, ut ipsi asserebant, eis injuste subtrahebat. Quod amplius sufficere non valens, tum propter admonitionem domni Gaufridi archiepiscopi Burdegalensis, amici tamen Ecclesiæ Clun. tum propter jussionem Eugenii papæ, qui mihi hoc Remensi concilio viva voce injunxerat, satisfeci clamori et voluntati monachorum. Dicebant monachi, quod tempore Guillelmi Gardradi Xanctonensis episcopi, inter Arnaudum priorem de Ais, et Reginaudum Durannum capellanum, solebant dividere per medium oblationes, quæ in prædicta ecclesia fiebant. Hoc autem nobis testificati sunt viri fide digni, Giraudus videlicet de Alodio capellanus, Gaufridus Veritas capellanus de Castro Alione, Maurinus de Comnia, Stephanus Bernardi, et Stephanus de Fonte, ipsius ecclesiæ parochiani, Audoinus et Aimericus Aienses famuli, qui de manu ipsius capellani ad altare solebant oblationes suscipere. Horum testimonio animatus, statuimus et corroboravimus utriusque partis assensu ut oblationes, quoquomodo fierent in ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Comnia, inter capellanum et monachos per medium dividerentur. Excepto solo nummo, quem capellanus pro capellania accipiet, si fuerit ad missam quam cantaverit. Si qua oblatio in visitatione infirmi facta fuerit capellano, ut est solus nummus, ipsius erit. Si vero infirmus de pecunia sua, aut de aliquo censu nobili ecclesiæ de Ais, aut capellano aliquod beneficium conferre voluerit, per medium dividatur. Terræ, vineæ, domus atque alia ædificia monachorum sint. Confessiones parochianorum, sive aliorum adventantium, qui in Quadragesima, vel Adventu, seu alio tempore fuerint, per medium dividantur. De cera atque candelis, quæ in ecclesia offeruntur, à capellano et monachis ecclesia communiter serviatur. Quod vero cerei paschalis et candelarum residuum fuerit, per medium dividatur. Si vero monachi habere voluerint medietatem illius oblationis, quæ fit secunda feria post missam parochialem, non eis prohibeatur. Ipsi autem de procuratione episcopi communiter cum capellano provideant. Oblatio, quæ ad manum

sacerdotis offertur, si quis monachorum accipere voluerit, vel cui prior jusserit, accipiat : postea super altare palam ponatur, quousque post missam absentibus clericis per medium dividatur. Diebus festis, si prior Aiensis ibi adfuerit, vel prior de Rochella, commoneatur a capellano ut missam solemnem cantet : si quis illorum cantare voluerit, non eis prohibeatur. Diebus festis in quibus est consuetudo aliquid dare clericis, ne a capellano solummodo sine voluntate et assensu monachorum eis aliquid detur, prohibemus. Si monachi Matutinas, et alias horas diei sonare voluerint, sicut mos est illorum, sonabunt, cantabunt, absque impedimento clericorum. Cantabunt et clerici absque impedimento monachorum. Capellanus subcapellanos suos consilio prioris Aiensis in ecclesia introducat. Quod si aliquid commiserint, unde removeri debeant, prioris consilio removeantur, et alii in loco illorum restituantur. Porro, ne hoc decretum nostrum ita statutum, aliqua supervenientium capellanorum, seu monachorum posset cavillatione convelli, litterarum nostrarum adhibita est privilegialis auctoritas. Facta sunt autem hæc apud Gratiam-Dei x Kal. Octob., Dominicæ Incarnationis anno 1149, Romano pontifice Eugenio III, regnante in Francia rege Lodovico, eodem duce in Aquitania. Testes sunt prænominati viri, Arnaudus, abbas Gratiæ-Dei; Gaufridus, archidiaconus; Willelmus Aleardi eleemosynarius; Xanctonensis Jordanis, prior de Anesio; Aimericus, prior de Boeth.; de monachis Aiensibus : Stephanus Constantinus; Joannes de Moguir et alii complures.

Præterea concessionem a venerabili fratre nostro Ademaro Xanctonensi episcopo vobis canonice factam, sicut in ejus scripto authentico continetur, nihilominus auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, cujus authentica tenor talis est.

Ego Ademarus, Dei gratia Xanctonensis episcopus, precib. venerabilis domini Telbaudi abbatis Cluniacensis inclinati, paci et tranquillitati fratrum Cluniacensium intendentes, monasteria et ecclesias, atque capellas in nostro episcopatu sitas, nec non et omnes decimationes ecclesiarum vestrarum, et aliarum, si forte a laicis revocare poteritis, sive donationibus, sive transactionibus, sive commutationibus, vel emptionibus, seu aliis justis modis, ubicunque sint, nec non et universa omnia quæcunque, Deo propitio, acquirere poteritis. Insuper omnem donationem, largitionem, quam domnus Hisembertus de Castro-alione ecclesiæ Aiensi consilio virorum prudentium noscitur dedisse, sicut tenor authentici scripti sui declarat, vobis vestrisque successoribus habenda et tenenda in perpetuum pontificali auctoritate concedimus et confirmamus. Et, ut concessio atque confirmatio perpetuæ firmitatis robur obtineat, sigilli nostri munimine præsentem paginam fecimus communiri; ad majorem quoque cautelam, ut omnis quæstionis scrupulus de medio tollatur, damus et concedimus vobis decimas, quas a laicis acquisistis, vel acquirere poteritis. Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis laicis omnib., qui habent decimas in parochias vestras, ne aliquo titulo ad alias ecclesias transferre præsumant : quod si facere præsumpserint, sepultura et omni divino officio careant. Sicut supra scriptum est, fecimus consilio Henrici Aluiciensis archidiaconi. Porro ne hoc decretum nostrum ita statutum aliqua supervenientium posset cavillatione convelli, sigilli nostri impressione muniri fecimus. Facta est autem hæc charta apud Xancton. XIII Kal. Julii, Dominicæ vero Incarnationis anno 1182, Romano pontifice Lucio III, regnante in Francia rege Philippo, Henrico rege Anglorum gubernante ducatum Aquitaniæ per Richardum filium suum. Testes sunt, prædictus archidiaconus; magister Willelmus Testaudus, notarius noster; Willelmus Viviani; Arnaudus, monachus, nepos noster; Giraudus, archipresbyter de Archiaco, Bernardus, abbas Nantolii; magister Henricus, domni abbatis Cluniacensis socius; Siguinus; Robertus, ejusdem abbatis notarius; Helias de Fors; magister Columbus; Durannus Cambarlanqus; Hugo, marescalcus; Robertus, sacerdos, qui chartam scripsit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, IV Nonas Martii.

XXIV.

Parthenonis S. Petri de Luco protectione suscipit, bonaque ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Mart. 13.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, IV, App, p. 135.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ abbatissæ S. Petri de Luco ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis se præparant ire obviam Sponso, apostolicum debet esse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eas a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Quapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Petri, in quo divino estis obsequio mancipatæ ad exemplar felicis recordationis Eugenii papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, auxiliante Domino, poterit adipisci, firma vobis et iis quæ vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Quidquid est in oppido Luci, quidquid habetis in Larciana villa, possessiones in Filiano, et in Fortunio, et in Prata; partem de Cantamerulo, partem de Riofrigido, cum pertinentiis suis; partem de de Rivocornoclario cum pertinentiis suis, partem de villa Castri, et de villa Silvæ et Frenæ cum pertinentiis suis. Præterea ecclesias Sanctæ Mariæ de Riofrigido, Sancti Bartholomæi, et Sancti Nicolai, et Sancti Georgii de Luco, et Sanctæ Christinæ

prope castrum Septemfontium cum pertinentiis suis. Gubernationem earum a vobis per quadraginta annos et amplius libere et absque contradictione habetis, sicut eas juste et pacifice possidetis, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Sane ea quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Chrisma quoque, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, si catholicus fuerit, et gratiam et communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere; alioquin liceat vobis quemcunque malueritis, catholicum adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse statuimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, satisfiat, nisi forte, etc. (*Cætera ut in bulla Eugenii III, ann.* 1146, VII *Id. Febr.*)

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Cunradus archiepiscopus Moguntinus ss.

Ego Theobaldus episcopus Ostiensis ss.

Ego Joannes presb. card. tit. Sancti Marci.... ss.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Albinus presb. card. tit. Sanctæ Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melior presb. card. tit. Sanctorum Joannis et Pauli ss.

Ego Adelardus presb. card. tit. Sancti Marcelli ss.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via lata diac. card. ss.

Ego Rolandus Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Rodulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Actum Veronæ, per manum Transmundi sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarii, III Idus Martii, indictione quinta, anno Incarnationis Dominicæ 1185, pontificatus vero domini Urbani papæ III anno primo.

XXV.

Monasterii S. Apollinaris Classensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Mart. 15.)

[*Ibid.*, p. 137.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Bernardo abbati Sancti Apollinaris in Classe ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam vestram, in qua divino mancipati estis obsequio, felicis recordationis Alexandri papæ vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Camaldulensium fratrum in ecclesia vestra institutus esse disgnoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter servetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

In comitatu Perusino cellas quinque, S. Severi videlicet, capellam S. Margaritæ in massa Saliatica, monasterium Sancti Petri in Colle, Sancti Petri in valle de Ponte juxta Tiberim, monasterium Sancti Fortunati, situm ex ripa adversa Tiberis. In comitatu Eugubino massam quæ dicitur Bignoli, curtem quæ dicitur Prætorium, et aliam quæ dicitur Baroncelli, tertiam quæ vocatur Nartianula cum omnibus ad easdem pertinentibus. In comitatu Firmano curtem integram quæ vocatur Campum longum, et castrum quod vocatur Pausuli, et aliud quod vocatur Prætorium, medium castrum Casalis, et medium castri cum medietate ecclesiarum earumdem, curtem Sanctæ Mariæ in Cerbaria et Sancti Apollenaris de Potentia, monasterium Sancti Petri de Butrio cum fundo turris et cum palude quæ dicitur Rota, cujus Rotæ fines sunt ab uno latere fluvius Tenc, secundo littus maris, tertio terra Sancti Blasii, quarto terra Sanctæ Mariæ, et quidquid habetis in curte Sancti Elpidii et Sancti Juliani, et montis Luponis et Murrivallium, cum decimis et primitiis terræ vestri dominicati vestrorumque hominum concessis a beatæ memoriæ Azone Firmano episcopo, termini a primo latere Potentia, secundo Tenna, tertio littus maris, quarto Camerinus. In comitatu Senogalliæ massam Menolariam, et casale Mauri, et tres fundos Ingallati, Arillæ et Donatianum. Infra civitatem ecclesiam Sanctæ Mariæ Scotorum. In comitatu Fanensi locum integrum qui dicitur Raviniana, cum ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus, primo latere Suasanus fluvius, et terra Sancti Laurentii; secundo Sassobrata et fluvius qui dicitur Maturius; tertio terra Forosinfronati, quarto aqua quæ dicitur Albella; in eodem comitatu castrum Albinianum, et roccam Sambaticam; in civitate ecclesiam Sancti Apollenaris juxta

murum, ecclesiam Sancti Viti, ecclesiam Sancti Christophori. In civitate Pensauriensi monasterium Sancti Decentii cum omnibus quæ habet intra civitatem et extra, et villam quæ dicitur Fresuli, et locum qui dicitur Vallicella, castrum Florentii et fundum Ravignanum. In comitatu Ariminensi castrum Gaii cum curte sua et massam Uzani, et quidquid habetis in castro Lunziani, et in curte loçum qui dicitur Fontana Sabbatina et Faturia; curtem Sale cum terminis suis : a primo latere littus maris, secundo Pisatellus, tertio Vetretum et Paverianus, quarto limes qui dicitur Arzer, percurrens a prato usque in la Stratellam, et rivus Fabricæ decurrens in mare, et quod habetis in Castagneto : Branchise, Bulgaria et Bulgarnovo, et curtem Casalicli et castrum Pisatelli cum curte sua. In comitatu Feretrano fundum Ruscianum. In Saxenate curtem Sancti Angeli de Plano et castrum Livorii. In comitatu Cesenate massam Cazani cum ecclesia Sancti Michaelis, et quod obvenit a Rainulfo castri Gallisidii cum uxore sua infra idem castrum, et curtem suam constitutam in comitatibus Ariminensi et Cesenate; medietatem curtis Verignani constitutam in comitatu Ariminensi; quidquid etiam habetis in civitate Saxenate, et comitatu et curtem Succuniani cum ecclesia Sancti Apollinaris. In comitatu Populiensi curtem quæ dicitur Bagnolum cum castro suo et ecclesia. In comitatu Foroliviensi massam Barisani et curtem Pertusiaci cum ecclesia ibidem fundata. In comitatu Faventino curtem, quæ dicitur Quadrata, cum fundis et casalibus; fundum videlicet Frentula, Susiana, Pituli, Saltum majorem et minorem, Granariolum, Cerodum lacum, et Præsentianum, et castrum Pergule. In Corneliensi, monasterium quod dicitur Sancti Petri, massam quæ dicitur Quinta, et massam quæ dicitur Solustra. In territorio Ravennate ecclesiam Sancti Martini cum curte integra, quæ dicitur Aqualonga, et Sanctæ Mariæ in Beatiano, et Sanctæ Mariæ in Pratella cum omnibus suis pertinentiis, ab uno latere ripa Ursaria et ecclesiam Sancti Gervasii cum possessionibus juxta se positis usque ad littus maris, a secundo littus maris tribus milliariis infra ipsum mare usque in portum Classicanum, a tertio Classatellus et confinium inter vos et Sanctum Severum, perveniens ad duos masinæ in Stratella, quæ pergit ad puteum Tressi, et cursus antiquus aquæ Raphedenæ usque ad furcas, a quarto latere villa quæ dicitur Bagnolum et Saxanum, et sic pergit per Stadilianum usque Sapim. Infra civitatem Ravennatem ecclesiam Sanctæ Mariæ in Pace et Sanctæ Mariæ in Hortale cum casis et hortis, et Sanctæ Barbaræ, et Sanctæ Mariæ in Bononia cum suis pertinentiis. In comitatu Ficoclensi et civitate quæcunque habetis, scilicet salinas et tumbas, domos et terras, vineas et silvas. In comitatu Forosinfronati ecclesiam Sanctæ Sophiæ cum omnibus suis pertinentiis. In comitatu Bononiensi jus quod habetis in ecclesiam Sanctæ Mariæ in Cavalli, cum terris silvis, paludibus et piscationibus ad eamdem pertinentibus, et quidquid etiam obvenit a domina Arachele, videlicet Tumbam massam cum omnibus pertinentiis suis, et ab hominibus Petri Axonis, et a Bennone Liuciæ, et a Liuzo Hugonis Lucii; fundum in loco qui dicitur Palatiolo, quem reliquit filia Manfredi Wiciardi; decimas quoque, quas canonice possidetis, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas præsumat exigere.

Liceat quoque clericos et laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos sine contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, liceat de claustro vestro aliqua levitate discedere, discedentem vero, sine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Sepulturam ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti, nullus obsistat, salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates quoque et dignitates ecclesiæ vestræ indultas, antiquas et rationabiles consuetudines ejusdem ratas habemus et firmas, easque perpetuis temporibus illibatas manere sancimus. Ad hæc sicut piæ recordationis l..., basilicæ XII Apostolorum presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, cui quæstionem quæ inter vos et monachos Sancti Apollinaris novi de corpore ipsius martyris suborta fuerat, felicis recordationis Alexander papa prædecessor noster audiendam commisit, provida deliberatione statuisse dignoscitur, ut corpus ejusdem martyris, quod apud monasterium vestrum invenerat, nullus in alio loco, tamquam ibi sit præsens, quam in monasterio vestro in Classe venerari præsumat: ita etiam constitutionem ipsius cardinalis ratam habemus et firmam, eamque auctoritate apostolica confirmamus. Insuper libertatem etiam a bonæ memoriæ Gualterio quondam Ravennate archiepiscopo indultam monasterio vestro, sicut in ejus scripto authentico continetur, et prædecessores vestri et vos ipsi eatenus usi estis, auctoritate vobis apostolica duximus confirmanda.

Decernimus ergo, ut nulli, etc. Si qua igitur, etc. L. S.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presbyter card. tit. Sancti Marci ss.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. XII Apostolorum ss

Ego Albinus presb. card. tit. Sanctæ Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melior presb. card. Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pamachii ss.

Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli presb. card. ss.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via lata diac. card. ss.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Rodulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. E. presbyterii cardinalis et cancellarii, Idus Martii, indictione III, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero domini Urbani papæ III anno primo.

Locus sigilli plumbei.

XXVI.

Monasterii S. Salvatoris Berardingensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Mart. 15.)

[*Ibid.*, p. 141.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Guilielmo abbati Sancti Salvatoris Berardingorum, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Salvatoris Berardingorum, in quo divino estis obsequio mancipati, felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam et ordinem Camaldulensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum toto ambitu suo et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Martini, quæ est juxta monasterium; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Ripalta; ecclesiam Sancti Bartholomæi de Sextano; ecclesiam Sancti Laurentii de Quercitulo; ecclesiam Sancti Pauli super fluvium Bumba; ecclesiam Sancti Christophori de Giustrigono; ecclesiam Sancti Blasii de Cortina; ecclesiam Sancti Michaelis de Casprino; ecclesiam Sanctæ Luciæ de Casprenello; monasterium Sancti Vigilii de civitate Senensi; ecclesiam Sanctæ Christinæ in Luciniano Berardingo; ecclesiam Sancti Martini de Picis; ecclesiam Sancti Blasii de Palliario; ecclesiam Sanctorum Cosmæ et Damiani in Campis; ecclesiam Sancti Joannis de Arena; ecclesiam sanctæ memoriæ Alberti in monte Ilceto; ecclesiam in castro de Montirulo.

Liceat quoque vobis clericos et laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine contradictione qualibet retinere. Prohibemus, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, aliqua levitate, sine abbatis sui licentia fas sit de claustro vestro discedere; discendentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei inventi fuerint, ipse curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce officia celebrare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse concedimus . . . . . eorum devotioni et extremæ voluntati . . . . . sepeliri deliberaverint . . . . .

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ss

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presb. card. et cancellarii, Idus Martii, indictione III, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero Urbani papæ III anno primo.

XXVII.

(Hugoni), abbati Cluniacensi, asserit capellaniam ecclesiæ S. Viviani Brollettensis, Theobaldo, « nunc Ostiensi episcopo et tunc abbati Cluniacensi, » ab Ademaro episcopo Santonensi, tributam.

(Veronæ, Mart. 21.)

[*Bullar. Cluniac.* p. 82.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, capellaniam ecclesiæ Sancti Viviani de Brolletto cum pertinentiis ejus, quam Ademarus Santonensis episcopus venerabili fratri nostro Theobaldo nunc Ostiensi episcopo et tunc abbati Cluniacensi, et per eum successoribus ejus, de consensu dilectorum filiorum nostrorum J. decani, H. archidiaconi, et canonicorum ecclesiæ suæ rationabiliter assignavit, ita quod ipse et quicunque successores ipsius, vel per se vel per procuratorem suum, capellanum in ipsa ecclesia instituerent, sine controversia possideat, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, XII Kalendas Aprilis.

XXVIII.

Gerardo, archiepiscopo Ravennati, asserit procurationes a monasteriis Bononiensibus præstandas.

(Veronæ, Mart. 23.)

[Mittarelli, *Annal. Camaldul.*, IV, App., p. 144.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gerardo Ravennati archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Vidimus scriptum authenticum felicis recordationis Patris et prædecessoris nostri Lucii papæ, et ea tenore illius plenius intelleximus, quod cum inter te et monasteria Bononiensia tam monachorum quam monialium, exceptis Sancti Bartholomæi et Sancti Damiani, quæ contra te querelam minime referebant, super procurationibus, quas petebas ab eis, controversia fuisset diutius agitata, prædicta monasteria de communi fratrum consilio condemnavit ad procurationes secundum facultates eorum tibi tuisque successoribus exhibendas. Ut igitur ipsa sententia majorem habeat imposterum firmitatem, eam sicut in scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Ad majorem autem evidentiam ipsum authenticum de verbo ad verbum duximus exprimendum :

Lucius, servus servorum Dei, venerabili fratri Gerardo Ravennati archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Sopitæ judicio sedis apostolicæ quæstiones scripto ad perpetuam memoriam commendantur, ne per oblivionem processu temporis valeant suscitari. Ut autem majorem habeat sententia firmitatem, apostolici scripti munimine roboratur. Sane cum inter te et monasteria Bononiensia tam monachorum quam monialium super procurationibus, quas ab eis exigebas, controversia verteretur, eam venerabili fratri nostro Henrico Albanensi episcopo commisimus audiendam. Postmodum vero dilectus filius noster, Sancti Proculi abbas, aliorum omnium procurator, sicut ex litteris, quas portavit, apparuit, et ipse in manu jam dicti episcopi data fide firmavit, coram nobis et fratribus nostris pro suo et aliis, Sancti Bartholomæi et Sancti Damiani exceptis, quæ super hoc quæstionem minime referebant, diutius litigavit. Verum pro parte sua nulla privilegia Romanæ Ecclesiæ vel Ravennatis exhibuit, neque ostendit longa consuetudine se munitum, sed tu procurationes ipsas in aliis monasteriis tuæ provinciæ asserens sine contradictione præstari, eas prædecessoribus tuis in monasteriis civitatis Bononiensis exhibitas per testes idoneos probavisti. Inde utique fuit, quod deliberatione cum fratribus habita, vidimus intentionem tuam jure communi et prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari. Eapropter tuis justis postulationibus annuentes, monasteria supradicta de communi consilio fratrum condemnavimus ad procurationes secundum facultates eorum tibi, tuisque successoribus exhibendas, et adjudicantes eas vobis in jamdictis monasteriis universis, sententiam quam protulimus, nostra duximus et fratrum suscriptionibus roborandam. Decernimus ergo, ut nullus, etc.

L. S.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. tit. Sancti Marci ss.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Melior presb. card. Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pamachii ss.

Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli presb. card. ss.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via lata diac. card. ss.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Portica diac. card. ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis et cancellarii, x Kal. Aprilis, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno primo.

Visuntur foramina sigilli deperditi.

XXIX.

Decernit, « ne aliqui prælati a prioratibus monasterii Cluniacensis extra eos procurationes exigere præsumant. »

(Veronæ, Mart. 25.)

[*Bullar. Cluniac.*, p. 83.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Clun., salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto monasterium vestrum majori dudum religione floruit, et plures exemplo vestro Creatoris obsequio manciparunt, tanto vos et monasterium vestrum arctiori debemus charitate diligere, et a quorumlibet gravamine propensius defensare. Sicut autem ex parte vestra nostris est auribus nuntiatum, quidam Ecclesiarum prælati, qui ex consuetudine debent a vestris prioratibus procurari, sæpe, licet ad prioratus ipsos nequaquam accedant, exterius in quibusdam villulis procurationes sibi exigunt exhiberi, cum hoc facere minime consueverint, et sine gravioribus expensis eorum super hoc non possit satisfieri voluntati. Unde nos gravamini vestro in hac parte providere volentes, præsentis scripti pagina duximus inhibendum, ne aliqui prælati a prioratibus vestris malitiose, contra antiquam consuetudinem extra eos procurationes exigere, aut extorquere præsumant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, VIII Kal. Aprilis.

XXX.

Monasterii Cluniacensis bona ac privilegia confirmat, petente Hugone abbate.

(Veronæ, April. 2.)

[*Ibid.*, p. 83.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati monasterii Cluniacensis ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religionis monasticæ modernis temporibus speculum, et in Galliarum partibus documentum beati Petri Cluniacense monasterium ab ipso suæ fondationis exordio sedi apostolicæ in jus proprium est oblatum; proinde prædecessores nostri sanctæ recordationis Joannes XI, item Joannes XIX, Agapitus II, Benedictus VI; item Benedictus VII, Leo VII; item Leo IX, Gregorius VI; item Gregorius VII, Alexander II, Stephanus, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Gelasius II, Calixtus II, Honorius II, et Eugenius Ecclesiæ Romanæ pontifices locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis prærogativa donarunt, et universa ei pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus munierunt. Statutum est enim ut ecclesiæ omnes, cœmeteria, monachi, clerici et laici universi infra terminos habitantes, qui sunt a rivo de Salnay, et ab ecclesia Ruffiaci, et cruce de Lornant, a termino quoque molendini de Fornescach, per villam quæ dicitur Varenna, cum nemore Burserio et termino etiam qui dicitur Perois, ad rivum usque de Salnay, sub apostolicæ tantum sedis jure ac tuitione permaneant. Neque ipsius Cluniacensis loci presbyteri, aut etiam parochiani ad cujuslibet nisi Romani pontificis et Cluniacensis abbatis cogantur ire synodum vel conventum. Sane pro abbatis monachorum, seu clericorum infra prædictos terminos habitantium ordinatione, pro chrismatis confectione, pro sacri olei, altarium, cœmeteriorum consecratione, Cluniacense monasterium quem maluerit antistitem convocet. Cluniacenses monachos ubilibet habitantes nulla omnino persona, præter Romanum pontificem et legatum qui ad hoc a latere ipsius fuerit destinatus, excommunicet aut interdicat. Sane terminos immunitatis loci vestri qui a præfato antecessore nostro Urbano papa constituti sunt præsentis decreti pagina confirmamus: ne videlicet ullus homo, cujuscunque conditionis ac potestatis, invasionem, prædam aut rapinam facere, sive homicidium perpetrare præsumat infra ipsorum limites terminorum.

Itaque termini sacri banni sunt hi: versus Buziacum terminus est ad Rivium citra Sarratam, unde una via venit ad Cluniacum, altera ad Masillas. In strata versus Bellumjocum terminus est contra Carruvium, quod est desuper molendinum cellerarii Cluniacensis, citra Viengias ultra Cluniacum. Versus Masilias terminus est apud bivium, unde una via tendit ad Masilias, altera tendit ad Sanctam Mariam de Bosco. Super Rufiacum terminus est ad summitatem defensi ad bivium unde una via tendit ad Bezorniacum, altera ad Carellam. Versus Sergiacum terminus est infra Guarruvium citra locum, ubi dicunt ad Furgum. In strata, versus Cabilonensem pagum, terminus est ad Grossam Cassaneam super Marsia-

cum. Versus Brancedunum terminus est in via super Boscum Bannedum. Versus Trinorchium terminus est super rivulum quem dicunt Longam Aquam, inter Blanoscum et Donziacum. Versus Perronam vel Laysiacum, terminus est ad tres fagos, ubi partiuntur boscus de Cluniaco, et boscus comitatis. Versus Igiacum terminus est ad Carmos super montem medium.

In abbatiis quæ cum suis abbatibus ordinationi Cluniacensis monasterii datæ sunt; videlicet S. Martialis Lemovicensis, monasterii novi Pictavis, S. Joannis Angeriacensis, monasterii Lezatensis, Moysiacensis, Figiacensis, in Caturcensi pago; in Arvernia, Mauziacensis, Thiernensis, Menatensis; in Autissiodorensi episcopatu, S. Germani; in Rothomagensi, abbatia apud Pontisaram; in Tarvanensi S. Wlmari, sine Cluniacensis abbatis consilio, abbas nullatenus eligatur. Ad hæc adjicimus ut in omnibus prioratibus et cellis, quæ nunc sine abbate proprio vestro regimini subjectæ sunt, nullus futuris unquam temporibus abbatem ordinare præsumat: sed tam prioratus ipsi et cellæ, quam et cætera in quibuslibet locis omnia, quibus Cluniacensis Ecclesia Arvernensis concilii, quod per supradictum papam Urbanum celebratum est, tempore investita erat, de quibus tunc nulla quæstio mota est, tam vobis, quam successoribus vestris, in pace semper et quiete serventur. Pro altaribus, et ecclesiis, sive decimis vestris, nulli episcoporum facultas sit, gravamen aliquod vobis aut molestias irrogare, sed sicut eorum permissione quædam ex parte, quædam ex integro habuistis, ita et in futurum habeatis. Ecclesiarum vestrarum decimas, quæ a laicis obtinentur, si secundum Deum eorum potestati subtrahere vestræ religionis reverentia poterit, ad vestram et pauperum gubernationem, vobis licet possidere. Decimas laborum vestrorum, pro quibus tam vos quam alios monasticæ religionis viros inquietare episcopi consueverunt, illorum videlicet quos dominicaturas appellant, qui vestro sumptu a monasterii et cellarum vestrarum clientibus excoluntur, sine omni episcoporum et episcopalium ministrorum contradictione deinceps quietius habeatis, qui vestra peregrinis fratribus et pauperibus erogatis. Ecclesiæ omnes, quæ ubilibet positæ sunt, seu capellæ vestræ et cœmeteria libera sint et omnis exactionis immunia, præter consuetam episcopi partem, et justitiam in presbyteros, qui adversus sui ordinis dignitatem offenderint. Liceat quoque vobis seu fratribus vestris in ecclesiis vestris presbyteros eligere, ita tamen ut ab episcopis vel episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant; quam si committere illi, quod absit! ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex apostolicæ sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur. Ecclesiarum vero seu altarium consecrationes, si diœcesani episcopi gratis noluerint exhibere, a quolibet catholico suscipiatis episcopo. Nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam monachi ipsi quam et famuli eorum, et qui se monasticæ professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis diœcesanis, divinæ servitutis officia celebrent, et sepulturæ debita peragant. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: In Burgundia ecclesiam de villa Franca, ecclesiam de Balberiaco, monasterium de Prims, monasterium Sancti Joannis de Bosco, monasterium apud Belnam, in eleemosynam ducis Burgundiæ a vobis constructam. In Francia, monasterium Montisdesiderii, monasterium de Domna Petra, monasterium Sancti Arnulphi de Crispeio. In Cameracensi episcopatu, monasterium S. Salvii; in Provincia, monasterium juxta montem Pessulanum, monasterium de Tornac; in Tholosano episcopatu, ecclesiam Sanctæ Columbæ. In Hispania, Nazaram, Sanctum Isidorum, Sanctum Zoilum de Carrione, Sanctum Romanum de Pennis, Villam-viridem, Villam-francam, Vallem-viridem, Palumbarium Bodinum, Viminariam, Sanctum Martinum de Nebda, Sanctum Vincentium de Salmantica, Sanctum Columbam de Burgis, Cornilanam, quæ proprie Cluniacensi monasterio datæ sunt. Item in Nivernensi episcopatu, monasterium de Albaniaco, quod ad Charitatem. In Francia, monasterium de Causiaco, quod ad Sanctum Martinum de Campis, canonicalem ecclesiam de Abbevilla, item ecclesiam de Rua, quæ ad monasterium de Abbevilla pertinet.

Prohibemus autem ut infra parochias ad jus Cluniacensis monasterii pertinentes, absque Cluniacensis abbatis consensu, nullus ecclesiam vel capellam ædificare præsumat, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc., *ut in aliis.*

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tit. Sancti Marci.

Ego Laborans presbyter card. S. Mariæ trans Tiberim, tit. Calixti.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. XII Apostolorum.

Ego Albinus presbyter card. tit. S. Crucis in Jerusalem.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tituli Pammachii.

Ego Adelardus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via lata diaconus cardinalis.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, IV Nonas Aprilis, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero Domini Urbani papæ tertii, anno primo.

XXXI.

Monasterium Tegernseense tuendum suscipit et bona ejus confirmat.

(Veronæ, April. 2.)

[*Monumenta Boica*, VI, 189.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Roperto abbati monasterii S. Quirini juxta lacum Tegernsee ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Quirini, quod a nobilibus viris Adalperto et Otkario germanis fratribus illustribusque comitibus in suo fundo constructum est, et antiquis Romanorum imperatorum privilegiis, Pipini videlicet, Karoli et Ludovici decoratum, in quo denique corpus beati Quirini a prædecessore nostro sanctæ recordationis Zacharia Romano pontifice impetratum requiescere perhibetur, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; cellam beati Martini, quæ Dietramszelle dicitur; ecclesiam Gemunden, Egerden, Wacchergen, Rihberspowern, Waringew, Walde, Harpenningen, Holzchirchen, Pousenchaim, Pipurch, Hadelahingen, Harde, Ismpach, Chemenaten, Munchen, Charidewe, Phrumpach, Waterstetm, Walhstat, Itihingen, Uneholzingen, Chenepah, Funsingen, cum fundis et adjacentibus prædiis, et plebe. Libertates præterea seu immunitates, ab archiepiscopis, episcopis, sive regibus atque principibus monasterio vestro concessas rationabiliter, et scripto firmatas, vobis nihilominus confirmamus; et ne ullus eas infringere, seu inbeneficiare audeat auctoritate apostolica prohibemus. Interdicimus insuper ne liceat alicui archiepiscopo, episcopo ecclesias ad vestrum monasterium pertinentes aliquibus, sine vestra voluntate, conferre; sed fas sit vobis ad ecclesias ipsas vacantes presbyteros episcopis præsentare, quibus, si idonei fuerint, episcopi curam animarum sine pravitate conferant, salva constitutione Lateranensis concilii; ita quidem, ut eis de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Nihilominus etiam interdicimus ne cui archiepiscopo seu episcopo, vel alii ecclesiasticæ personæ, vos vel monasterium vestrum, absque manifesta et rationabili causa, excommunicationi vel interdicto subjicere liceat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum sive clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea vobis gratis et absque pravitate voluerit exhibere. Alioquin, liceat vobis quem malueritis catholicum adire antistitem, qui nimirum, nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Præterea, volentes te, fili abbas, ecclesiamque tuam speciali privilegio decorare, ad exemplar jam dicti prædecessoris nostri, tibi tuisque successoribus usum mitræ et annuli in præcipuis solemnitatibus infra missarum solemnia, et in processionibus ecclesiæ tuæ, nec non etiam in conciliis episcoporum, de consueta clementia et benignitate apostolicæ sedis concedimus, quatenus ex hoc beato Petro et nobis tenearis devotior permanere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur; nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo, etc. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis

percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus Ecclesiæ catholicæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Tebaudus Ostiensis et Velletrensis episcopus, etc.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri card. et cancellarii, III Non. Aprilis, indictione quarta, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno primo.

XXXII.

Archiepiscopis et episcopis interdicit « ne de cætero, nisi cum ad Cluniacensium fratrum prioratus visitationis causa venerint, procurationes ab iis aliquas requirant. »

(Veronæ, April. 5.)

[*Bullarium Cluniacense*, p. 8.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, in quorum parochiis prioratus et obedientiæ Ecclesiæ Cluniacensis existunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Sic est Ecclesiarum prælatis ex divina constitutione permissum spiritualia seminando, carnalia metendo et recipere, secundum illud : *Non alligabis os bori trituranti*, ut sibi commissis Ecclesiis oneri non existant. Intelleximus siquidem, quod hoc quidam vestrum nequaquam, sicut convenit, attendentes, cum suas diœceses circumeunt, a prioratibus et obedientiis Cluniacensium fratrum apud alios hospitati procurationes sibi faciunt exhiberi, licet ipsi parati essent, ut asserunt, in prioratibus suis eos benigne recipere, et prompta eis devotione deservire. Quia vero indignum est, ac vestræ pariter honestati contrarium, ecclesiasticæ charitatis obsequia ad gravamen trahere subditorum ; fraternitati vestræ præsentium auctoritate districtius inhibemus ne de cætero, nisi cum ad prædictorum fratrum prioratus visitationis causa veneritis, procurationes ab eis aliquas requiratis, nec eis super hoc gravamen aliquod, aut molestiam, inferatis : scituri quod, si secus egeritis, nos eisdem fratribus auctore Domino curabimus prohibere, ut alibi hospitatis procurationem nequaquam impendant.

Datum Veronæ, Nonis Aprilis.

XXXIII.

Monasterium Rupense tuendum suscipit et bona ejus confirmat.

(Veronæ, April. 7.)

[*Monastic. Anglic.*, I, 839.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Osmundo abbati de Rupe ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in Christo salutem.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium de Rupe, in quo divino estis mancipati obsequio, ad exemplar felicis recordationis prædecessoris nostri Lucii papæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Domini et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Ex dono Ric. de Builli et Richardi de Wikerestai, locum ipsum in quo abbatia vestra sita est. Ex dono domini Henrici regis II, centum acras in Lyndrie juxta eamdem abbatiam. Ex eorumdem dono grangiam Aggacroft cum pertinentiis suis. Ex dono ejusdem Ricardi de Builli et Hug. de de Drigwrt Lambecroft cum pertinentiis suis. Ex dono Leonis de Manners Brantecliva cum pertinentiis suis. Ex dono Radulfi Tortesmanse, Tatewit cum pertinentiis suis. Ex dono Willielmi Avenell, Anes..... cum pertinentiis suis. Ex dono Walteri de Scoteni, Rokesbye cum pertinentiis suis. Ex dono Symonis filii Symonis, terram in Issebye cum pertinentiis suis. Ex dono Hamelini Bardoufe et Roberti filii Eudonis, terram de Wintringtona cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti de Scalcebye, et Adæ de Novo-foro et Rogeri de Yar, Newsum cum pertinentiis suis. Ex dono Willielmi Vavassoris, Tirnesco cum pertinentiis suis. Ex dono Gervasii de Barneby grangiam in Barneby et Brawith. Ex dono Thomæ de Arneltorp, grangiam in eadem villa. Ex dono Roberti filii Pagani, Wellingleia cum pertinentiis suis, et totam terram quod habetis in territorio de Wadburthe. Ex dono Willielmi de Poles et Willielmi filii Gerardi, Sezacres cum pertinentiis suis. Ex dono Symonis de Plessai Ashoure cum pertinentiis suis. Ex dono Roberti filii Glai, terram et nemus de Cumresbruig usque apud Witewelle inter viam et rivulum. Ex dono Willielmi Flandrigene, totam terram quam tenuit Ligulf et quoddam essartum suum proprium quæ est inter Hestvelle et essartum Ormi hominis Adæ filii Swani cum omnibus pertinentiis. Ex dono Girardi de Stirap, quamdam turbariam in territorio ejusdem villæ. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere præsumat, etc.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, VII Idus Aprilis, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186; pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XXXIV.

Privilegii fragmentum pro Ecclesia Ravennatis.

(Veronæ, April. 8.)

[Rubei, *Hist. Ravennat.*, p. 357-58.]

Urbanus III, litteris suis Veronæ V Idus Aprilis datis, concessit Gerardo Ravennati archiepiscopo, ut Ravennatis Ecclesiæ possessiones procul positas et minus utiles, sicuti quæ Polæ, et in quibusdam aliis locis erant, accedente sacrorum hujus Ecclesiæ virorum consensu, alienaret, sic tamen ut Ecclesiæ meliora prospiceret, et quam pecuniam inde contraxisset, in ejus utilitatem converteret; earum hoc est litterarum initium:

Cum commissæ tibi Ecclesiæ, favente Deo, multa per studium tuum pervenerint incrementa, et non minus usque modo prodesse curaveris, quam præesse, sine dubitatione tenemus quod utiliter ei providere debeas in futurum.

XXXV.

Privilegium pro domo hospitali fratrum Cruciferorum S. Petri Boicensium.

(Veronæ, Maii 8.)

[Farlatus, *Illyricum sacrum*, IV, 216.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Matthæo rectori et fratribus Cruciferariis hospitalis S. Petri Boicæ, tam præsentibus quam futuris, communem vitam ducentibus, in perpetuam memoriam.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor postulat æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum hospitale S. Petri de Boisce cum omnibus quæ impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, ac præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut ea firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Possessiones autem istas duximus propriis nominibus exprimendas: Locum ipsum, in quo præfatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Boisce in partibus Sclavoniæ positam, quam Nonensis episcopus ordini vestro rationabiliter assignavit, sicut in authentico vobis ipsius scripto plenarie continetur, vobis et successoribus vestris auctoritate apostolica confirmamus, et quidquid habetis in loco qui dicitur Palatium. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, vel de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos, ad conversionem vestram recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum hospitale temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, aut diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione emendare correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic bonæ actionis fructum accipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.
Ego Henricus Albanensis episcopus.
Ego Paulus Prænestinus episcopus.
Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.
Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.
Ego Petrus presb. card. tit. S. Susannæ
Ego Laborans presb. card. S. Mariæ Trans Tiberim, tituli Calixti.
Ego Pandulfus presb. card. XII Apostolorum.
Ego Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Jerusalem.
Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tituli Pammachii.
Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card.
Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diac. card.
Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.
Ego Bobo S. Angeli diaconus cardin.
Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.
Ego Goffredus S. Mariæ in Via lata diac. card.
Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presb. card. et cancell., VIII Idus Maii, indict. IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XXXVI

Monasterium Vallumbrosanum tuendum suscipit, et ejus possessiones juraque confirmat.

(Veronæ, Maii 12.)

[Lami, *Eccles. Florent. Monum.*, I, 548.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Tertio abbati Vallumbrosano, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Vallumbrosanum in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Paschalis, Adriani, Alexandri, et Lucii Romanorum pontificum, quod, pro beatæ Mariæ Virginis reverentia, Deo dicatum est, in Romanæ Ecclesiæ proprietatem, tutelam, et protectionem apostolicæ sedis suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus

Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste ac canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo memoratum monasterium situm est, cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis, ecclesiis et aliis quæ ad idem monasterium pertinere noscuntur. Monasterium S. Salvii; monasterium S. Trinitatis de Florentia; monasterium Strumense; monasterium de Osella, et S. Jacobi de Castello. Monasterium de Passiniano, et S. Michaelis de Senis et de Alphiano. Monasterium de Cultubono, de Monte Pisis; monasterium de Monte Scalario et de Nerano; monasterium de Ficiclo; monasterium de Capiano; monasterium S. Pauli Pisarum, et S. Michaelis de Plajano, et S. Michaelis de Salvenere in Sardinia. Monasterium S. Angeli de Pistorio; monasterium de Pacciano; monasterium S. Mariæ de Prato; monasterium de Vajano; monasterium de Appleto et de Monte Plano. Monasterium de Fonte Thaonis; monasterium de Musceto; monasterium de Monte Armato; monasterium S. Ceciliæ; monasterium S. Reparatæ; monasterium de Trecento; monasterium de Crispino; monasterium de Razzolo; monasterium S. Sepulcri de Papia; monasterium de Rivo Cæsaris; monasterium de Coneo; monasterium de Turri; monasterium de Caprilia; monasterium Sancti Benedicti de Placentia. Monasterium de Cavanna; monasterium S. Mercurialis Fovoliviensis; monasterium de Navaria; monasterium de Vercellis; monasterium de Janua; monasterium S. Pauli Terdonensis; monasterium de Taurino; monasterium Brixiense; monasterium S. Vigilii; monasterium Bergomense; monasterium Mediolanense et S. Carpophori; monasterium Astense; monasterium S. Angeli Juniperiti; monasterium S. Sigismundi, et monasterium S. Mariæ de Flumana.

Libertates et immunitates a prædecessoribus nostris felicis recordationis Victore, Gregorio VII, Urbano II, Paschale, Innocentio, Eugenio, Alexandro atque Lucio Romanis pontificibus, vobis indultas, et usque ad hæc tempora pacifice conservatas, ratas habemus, et auctoritate apostolica confirmamus. Porro fructuum vestrorum decimas, quas ubilibet propriis sumptibus laboribusque colligitis, absque episcoporum vel episcopalium ministrorum, seu etiam plebanorum contradictione, monasterio vestro reddendas, possidendasque sancimus.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione qualibet retinere. Nulli quoque liceat aliquod vestræ religionis monasterium a loci sui stabilitate revellere ac movere, sine abbatis et congregationis communi consensu. Sancimus insuper ut nulli episcoporum fas sit, in vos excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare; ut qui in speciales estis filios apostolicæ sedis assumpti, nullius alterius judicium subeatis. Statuentes ut omnium præfatorum monasteriorum caput, quod in Valle Umbrosa situm est, monasterium habeatur. Sane cum terminus vitæ pastori vestro divina dispensatione contigerit, qui ejus loco substituendus fuerit, quia vobis et aliis omnibus præesse debebit, omnium, qui cæteris præsunt monasteriis, consensu et judicio eligatur. Quod si forte ex ipsis abbatibus quilibet, Domino disponente, ad hoc generale regimen electus fuerit, ad vestrum principale cœnobium transeat et ejus mox judicio, sicut in diebus venerabilis memoriæ Joannis primi abbatis vestri factum constat, cætera omnia unita vobis monasteria disponantur. Sepulturam quoque vobis liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic deliberaverint sepeliri, nisi excommunicati fuerint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum et monachorum vestrorum, a quocunque malueritis suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate voluerit impartiri. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia

illibata et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Ostiensis et Veliternus episcopus subscr.

Ego Joannes presb. card. tit S. Marci subscr.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Susannæ subscr.

Ego Laborans presb. cardinalis S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti subscr.

Ego Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Hierusalem subscr.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii subscr.

Ego Adelardus presb. card. tit. S. Marcelli subscr.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin subscr.

Ego Gratianus diac. card. SS. Cosmæ et Damiani subscr.

Ego Bobo diac. cardinalis S. Angeli subscr.

Ego Petrus diac. card. S. Nicolai in Carcere Tulliano subscr.

Ego Rodulphus diac. card. S. Georgii ad Velum Aureum subscr.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. Eccl. presbyteri cardinalis et cancellarii, IV Idus Maii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III anno primo.

XXXVII.

Privilegium pro monasterio S. Salvatoris Papiensi.

(Veronæ, Maii 22.)

[Margarini, *Bullar. Casin.*, II, 209.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Leoni, abbati monasterii Sancti Salvatoris secus Papiam siti, ejusque successoribus regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecte fili in Domino, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sancti Salvatoris in quo Domino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessorum felicis memoriæ Joannis, Benedicti et Eugenii atque aliorum Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse cognoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; curtem Olonæ, cum capella Sancti Anastasii, et capella Sancti protomartyris Stephani; capella Sancti Georgii, et omnibus sibi pertinentibus; curtem Baseregutiæ cum baptismali ecclesia Sancti Andreæ constructa et capella una, et omnibus suis pertinentiis; curtem Frisinariæ cum capella una et omnibus suis pertinentiis; curtem Mellariæ cum plebe Sancti Michaelis et cella Sancti Stephani et capella Sancti Martini et omnibus pertinentiis; curtis Herberiæ medietatem et plebem Sancti Faustini cum omnibus ad ipsam medietatem et plebem pertinentibus; in cujus parochia et territorio sunt capellæ tres, videlicet Sancti Michaelis, Sancti Fabiani et Sanctæ Agathæ; viridarium infra portam Sancti Joannis prope Palatinam portam situm, cum duabus capellis, una videlicet in honore Sancti Laurentii, et altera in honore Sanctæ Mariæ constructa; curtem Garlaschi cum capella una Sanctæ Mariæ, et cum omni honore et districtu per duo milliaria in circuitu, in Morinco plebem unam in honore Sancti Martini, et capellam in honore Sanctæ Mariæ constructam cum omnibus suis pertinentiis; curtem Blondi cum duabus capellis et omnibus suis pertinentiis; curtem Cocomati cum omnibus suis pertinentiis; curtem Mociani cum omnibus suis pertinentiis; medietatem curtis Corianæ cum capella una in honore Sanctæ Mariæ et cum districtu totius præfatæ curiæ; curtem Antellami cum omnibus pertinentiis, curtem Armentarii cum capella una et omnibus suis pertinentiis; in Rongaria capella Sancti Mauritii. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium decimas a vobis nullus exigere aut extorquere præsumat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat

vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare. Præterea novas, et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu diaconis aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis omnino prohibemus, ad hæc libertates et immunitates a regibus et a principibus maxime et ab aliis personis, tam ecclesiasticis quam mundanis eidem monasterio indultis, et antiquas et rationabiles consuetudines integras, illibatasque manere præsenti decreto sancimus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum sive canonicorum vel horum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quo malueritis suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua voluerit exhibere. Porro in ecclesiis eidem monasterio pertinentibus, videlicet in ecclesia Sancti Martini de Marinco, et in ecclesia Sancti Faustini de Herbaria, et in ecclesia Sancti Michaelis Mellariæ, in ecclesia Sancti Anastasii Ollonæ, et in ecclesia Sancti Salvatoris Monticelli baptismum auctoritate apostolica concedimus, et in aliis ecclesiis eidem monasterio pertinentibus, in quibus usque ad hæc tempora constat esse celebratum; usura quoque caligarum, sandaliorum, chyrothecarum et mitræ, sicut per prædecessorum nostrorum authentica privilegia tibi tuisque successoribus concessum esse dignoscitur, et nos ex liberalitate sedis apostolicæ tibi concedimus. Ad hæc, præsenti capitulo adjicimus, ut supradictum cœnobium cum omnibus supradictis, sub nullius ecclesiæ ditione permaneat, sed soli sanctæ apostolicæ sedi obnoxium existat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et B. Benedicti Regulam providerint eligendum; electus autem ad Romanum pontificem benedicendus accedat.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. tit. eccles. S. Marci ss.

Ego Petrus de Bono presbyter card. tit. Sanctæ Susannæ ss.

Ego Laborans presb. card. tit. Sanctæ Mariæ Transtyberim ss.

Ego Pandulphus presbyter cardin. tit. Basilicæ XII Apostolorum ss.

Ego Albertus presb. card. tit. S. Crucis in Hierusalem ss.

Ego Melior presbyt. cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pammachii ss.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter cardin. ss.

Ego Jacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus tit. Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis ss.

Ego Bobo diaconus cardinal. tit. S. Angeli ss.

Ego Octavianus diac. card. tit. Sanctorum Sergii et Bacchi ss.

Ego Petrus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Pandulphus tit. S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ss.

Datum Veronæ per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, XI Kalendas Junii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno I.

XXXVIII.

Monasterium S. Mariæ Magdalenæ Lundense (in Anglia) tuendum suscipit et ejus possessiones juraque confirmat.

(Veronæ, Maii 28.)

[*Monasticon Anglic.*, I, 663.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et monachis Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ de Lunda tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in memoriam.

Cum simus ad regimen universalis Ecclesiæ, licet immeriti, providentia supernæ dispositionis assumpti, si quando postulantur a nobis quæ ad ecclesiarum tuitionem pertineant, petentium desideriis clementer nos convenit condescendere et eorum vota effectu complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ de Lunda, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione sus-

cipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in ecclesia vestra dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum aut principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum pertinentiis suis. Ex donatione Adæ filii Swani, Bretton cum omnibus pertinentiis suis et molendina de Derna et Lundam patris sui et Karletonam cum pertinentiis suis; ecclesiam de Roriston cum pertinentiis suis et Neuhale, et Ramebergam et Lunthewait, et quantum habebat in Bramton et moendinum de Neuhale, et omnia quæ ad præfatas terras pertinent; et in Halethun dimidiam carucatam terræ, et molendinum de Chirmktschalyc, et duodecim denarios in Wdehusun. Ex donatione Roberti de Stapleton terram de Chudewrda. Ex donatione Adæ de Flyisthil quatuor acras terræ in eadem villa. Ex donatione Swani de Derfeld octo acras terræ in Erdesleia. Ex donatione Henrici filii Swani octo solidos de dimidia carucata terræ in Wrangbrock. Ex donatione nobilis viri W. de Nefvilla et Amabilis uxoris suæ, molendinum de Langedenedale. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper ne alicui fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit de eodem loco sine prioris sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Libertates etiam et immunitates ab ecclesiasticis sæcularibusve personis vobis, ecclesiæ vestræ, aut hominibus vestris rationabiliter indultas, et consuetudines quoque rationabiles in ecclesia vestra hactenus observatas ratas habemus, easque futuris temporibus illibatas permanere sancimus, etc.

Datum..... per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis, v Kal. Junii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XXXIX.

Ecclesiam Cannensem tuendam suscipit et bona ac jura episcopalia confirmat, petente Bonifacio episcopo.

(Veronæ, Maii 31.)

[Ughelli, *Italia sacra*, VII, 793.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Bonifacio Cannen. episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Ex injuncto nobis apostolatus officio fratres et coepiscopos nostros... debemus charitatis affectu diligere, et ecclesiis, in quibus militant suam dignitatem, et jura integre conservare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et Ecclesiam Cannensem, cui, auctore Domino, præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et pacifice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Ecclesiam S. Jacobi in civitate Cannen. cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Luciæ, ecclesiam S. Salvatoris in Castello, ecclesiam S. Georgii, ecclesiam S. Mercurii, ecclesiam S. Mariæ in mari cum casali, et tenimentis suis, ecclesiam S. Mariæ in Pecto, ecclesiam S. Mariæ in Campo grasso juxta casale S. Cassiani positam, ecclesiam S. Mariæ in Burgo de Ponte, ecclesiam S. Nicolai in Baldetta, ecclesiam S. Clerici, ecclesiam S. Petri in Ancello, ecclesiam S. Anastasiæ, ecclesiam S. Felicis, ecclesiam S. Apollinaris, ecclesiam S. Panti, ecclesiam S. Mariæ de Salinis, ecclesiam S. Stephani, ecclesiam S. Trinitatis, ecclesiam S. Viti, ecclesiam S. Nicolai de Petra, homines etiam, quos habent in Cannis, casale sancti Cassiani una cum tenimentis et possessionibus suis, casale S. Eustachii cum omnibus possessionibus, et pertinentiis suis. Prohibemus autem ut infra fines tui episcopatus nullus sine assensu tuo, capellam sive oratorium, salvis privilegiis Romanorum pontificum, construere de nove præsumat. Statuimus insuper ut hi, qui parochianorum tuorum apud aliquam religiosorum ecclesiam voluntate ultima elegerit sepulturam, canonica ecclesiæ tuæ portio testamenti conservetur. Inhibemus autem ne interdictos aut excommunicatos tuos ad officium, vel communem ecclesiam recipere quisquam præsumat, nisi forte periculum mortis immineat, ut dum præsentiam tuam habere nequiverit per aliam formam Ecclesiæ satisfactione præmissa oporteat absolvere. Consuetudines etiam antiquas, libertates et immunitates eidem ecclesiæ rationabiliter concessas, et hactenus observatas ratas habemus, et futuris temporibus illibatas per-

mnnere consemus. Decernimus ergo ut nullus omnino hominum possit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Barensis Ecclesiæ debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus hic, et fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus, catholicæ Ecclesiæ episcopus.]

Ego Henricus, Albanensis episcopus.

Ego Paulus, Prænestinus episcopus.

Ego Theobaldus, Ostien. et Velletren. episcopus.

Ego Joannes, presbyter cardinalis tit. S. Marci.

Ego Petrus, presb. cardinalis tit. S. Susannæ.

Ego Laborans, presbyter cardinalis S. Mariæ Transtyberim tit. Callisti.

Ego Pandolfus, presb., card. tit. XII Apost.

Ego Albinus, presb. card, tit. S. Crucis in Jerusalem.

Ego Melior, presbyter cardinalis sanctorum Joannis et Pauli, tit. Pammachii.

Ego Jacobus, S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diaconus card.

Ego Bobo, S. Angeli diaconus cardinalis.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Datum Veronæ per manum Alberti S. R. E. presb. card. et cancellarii II Kalend. Junii, indict. IV, Incarnationis Dominicæ an. 1187, pontificatus vero Urbani papæ tertii anno primo.

XL.

Ecclesiam Gradensem, petente Henrico patriarcha, tuendam suscipit ejusque privilegia confirmat.

(Veronæ, Maii 31.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, V, 1131.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, ven. fratri HENRICO Graden. patriarchæ, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Apostolicæ officium dignitatis et creditæ nobis dispensationis debitum utiliter exsequi comprobamur, cum collatam unicuique dignitatem Ecclesiæ provida sollicitudine custodimus, et singulis Ecclesiis jura sua illibata studemus, et integra conser-

A vare. Sicut enim non est concedendum alicui quod injuste requirit, ita nemini quod sui juris est a nobis convenit denegari. Eapropter, ven. in Christo frater Henrice patriarcha, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, Gradensem Ecclesiam, cui, auctore Deo, præesse dignosceris, sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Igitur prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Pelagii, Alexandri, Urbani II, Adriani, et Alexandri III, et Lucii vestigiis inhærentes, illius præcipue constitutionis tenorem servantes, quam prædecessor noster Leo IX, papa, sancivit, et synodali judicio, et privilegii pagina confirmavit, tibi tuisque successoribus canonice substituendis patriarchalem concedimus dignitatem, et magisterium Graden. Ecclesiæ gerendum in his tantum finibus confirmamus, qui per supradictos prædecessores nostros eidem noscuntur Ecclesiæ constituti. Crucem quoque ante te ferendam esse concedimus, nisi cum Romæ fueris, aut in præsentia, vel comitatu Romani pontificis. Pallium etiam, plenitudinem videl. pontificalis officii fraternitati tuæ ex apostolicæ sedis liberalitate largimur, quo intra ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda uti memineris, eis diebus quibus prædecessores tuos usos fuisse cognoscis, vid. in Nativitate Domini, Epiphania, Ypopanti, tribus festivitatibus S. Mariæ, Cœna Domini, Sabbato sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecostes, in natalitio S. Jo. Baptistæ, et omnium C apostolorum, in festivitatibus quoque S. Marci, S. protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Martini, in solemnitate omnium Sanctorum, et principalibus ecclesiæ tuæ festivitatibus, nec non ecclesiarum, episcoporum, et cæterorum clericorum consecrationibus, et anniversario consecrationis tuæ die. Cujus utique dignitatem in bonis per omnia te volumus vendicare, ut vid. in corrigendis subditis plus apud te possit ratio, quam potestas, atque te boni dulcem, mali vero pium sentiant correctorem, personas diligas, et subjectorum vitia persequaris, ne se aliter agere forte volueris, transeat in crudelitatem corrrectio, et perdas quos desideras emendare: sicque vulnus debes abscindere, D ut non possis quod sanum est ulcerare, ne si ferrum plusquam res exigit, imprimatur, noceat cui prodesse festinas; sed sic alterum condiatur ex altero, quatenus et boni habeant amando quod caveant, et mali metuendo quod diligant. Præterea ne commissa regimini et dispensationi tuæ præfata Graden. Ecclesia, quæ de benignitate apostolicæ sedis prærogativa gaudet honoris, ex brevitate patriarchatus inferior, et abjectior valeat apud simpliciores haberi, ad ampliandam dignitatem ipsius, prioratum ei super Jadertinum archiepiscopatum, et episcopatus ejus apostolica auctoritate concedimus, et tam te quam successores tuos Jadertino archiepiscopo, et episcopis ejus, qui pro tempore fuerint dignitate primatus statuimus præsidens, et conse-

erationis munus eidem archiepiscopo impartiri, Romano quidem pontifici traditione pallii reservata. Statuimus etiam ut quæcunque bona, quascunque possessiones eadem Graden. Ecclesia impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Porro ecclesias a religiosis viris ipsi Graden. Ecclesiæ oblatas per episcopatum tuum constitutas, tibi tuisque successoribus libere confirmamus, ita ut nulli episcopo, absque tuo assensu, in eis liceat consecrationes celebrare, aut sacerdotibus in eisdem Domino servientibus, donec in locis ipsis fueris, divina officia prohibere. Decernimus ergo ut nulli, etc. Si qua, etc. Cunctis autem, etc.

Ego Urbanus, catholicæ Ecclesiæ episc., ss.

Ego Henricus, Albanen. episc., ss.

Ego Paulus, Prænestinus episc., ss.

Ego Theobaldus, Ostien. et Velletren. episc., ss.

Ego Jo., presb. card. tit. S. Marci, ss.

Ego Petrus, presb. card. tit. S. Savinæ, ss.

Ego Laborans, presb. card. S. Mariæ Transtyberim, tit. Calisti, ss.

Ego Pandulfus, presb. card., tit. XII Apostolorum, ss.

Ego Melior, presb. card. SS. Joa. et Pauli, tit. Pammachii, ss.

Ego Adelardus, tit. S. Marcelli presb. card., ss.

Ego Jacobus, diac. card. S. Mariæ in Cosmedin, ss.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac. card., ss.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card., ss.

Ego Sofredus, S. Mariæ in Via Lata diac. card., ss.

Ego Rolandus, S. Mariæ in porticu diac. card., ss.

Ego Petrus, S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card., ss.

Ego Radulfus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card., ss.

Datum Veronæ per manum Moysis vicem agentis cancellarii, II Kalen. Junii, indict. IV, Incarn. Dom. an. 1186, pontificatus vero D. Urbani papæ III, anno I.

XLI.

Ordinis Aridagamantini (Aroasiensis) instituta ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Jun. 2.)

[Wurdtwein, *Subsid. diplom.*, XII, 139.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Galtero abbati ecclesiæ Sancti Nicolai de Arroasia, et ejus societatis et ordinis abbatibus et fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Proprium est ecclesiasticæ disciplinæ ab illicitis prohibere, et excessuum culpas salubriter resecare, quæ si torpente magistro negligitur, cuncta in confusionem deveniunt: nam si alter destruit, alter ædificat, sive aliquis propriam sequens voluntatem minuit, alius addit, non solum regularis ordo dissolvitur, sed etiam ex hoc perditionis materia ministratur. Curæ ergo vobis sit, dilecti in Domino filii abbates, ut personas diligatis, vitia persequamini, boni dulces, mali vos sentiant correctores; culpæ enim est, in culpa omnino debitam relaxare vindictam, et sic alterum condiatur ex altero ut boni habeant omnino amando quod caveant, et mali metuendo quod diligant. Cæterum tunc Deo placens religio dirigitur et vigor ecclesiastici ordinis indissolubiliter conservatur, si ad ejus custodiam certus modus et propria censura ponatur. Quidquid igitur per operationem sancti Spiritus in ecclesia Sancti Nicolai de Arroasia fervor canonici ordinis secundum beati Augustini Regulam acceptabiliter custoditur, placuit nobis propositum vestrum ad instar felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri sedis apostolicæ auctoritate firmare, et ut in eo firmiter persistatis piis exhortationibus commonere.

Statuimus igitur ut in ecclesiis vestris, in quibus fratres vitam canonicam professi degunt, nulli omnino hominum liceat secundum B. Augustini Regulam ibidem constitutum ordinem commutare. Nullus etiam episcoporum futuris temporibus audeat ejus religionis fratres de ecclesiis vestris, abbatibus propriis invitis autjinconsultis, expellere, nec professionis canonicæ quispiam ex ecclesiis eisdem aut claustris audeat sine communi congregationis permissione discedere; discedentem vero nullus episcoporum, nullus abbatum, nullus monachorum sine communi litterarum cautione suscipere. Quia vero nonnulli de regulari observantia ad regimen ecclesiarum assumpti, eo sæpius per prava opera dissolvuntur, quo adversus eos antiqui hostis invidia perniciosius astutiam suæ fraudis exercet, apostolica nihilominus auctoritate statuimus, ut si quis abbas vestri ordinis infamis vel sui ordinis prævaricator, sive commisso sibi monasterio inutilis vel perniciosus exstiterit, nisi a patre abbate secundo tertiove commonitus suum curaverit emendare delictum, idem abbas adjunctis sibi aliis discretioribus et gravioribus ordinis ejusdem abbatibus, de ipsorum consilio et assensu cum canonica et regulari correctione castiget. Quod si eorum correctioni rebellis fuerit, districtione canonica per te, fili Galtere abbas, et successores tuos, nec non et quatuor coabbates, qui arbitri tecum ad corrigendos excessus ordinis in generali capitulo statuuntur, si sponte cedere noluerit, deponatur. Si quis vero de judicio vestro pro culpa sua fuerit de ratione depositus, ad ecclesiam unde assumptus fuerat, vel ad aliam ejusdem ordinis revertatur, ibique sub obedientia abbatis regulariter conversetur.

Verum si qui canonicorum ecclesiæ ad vestrum se ordinem, de antistitis sui consensu transtulerint, vestris institutionibus informandis, ecclesiæ de

Arrasia et ordini, sicut alias ecclesias vestri ordinis in regulari observantia decernimus subjacere; ita tamen ut ad illam ecclesiam tanquam filiæ ad matrem habeant, sine refragatione, respectum, in qua vestrum noscuntur ordinem assumpisse. Cum vero aliquis abbas vestrarum ecclesiarum decesserit, vacans ecclesia sub patris abbatis provisione consistat, ne videlicet ex pastorali defectu grave dispendium patiatur, donec de ipsius et duorum vicinorum abbatum consilio abbas alius a fratribus eligatur, nisi illa ecclesia a patre abbate tam remota fuerit, ut ipsam sine magno dispendio vocare non posset.

Si autem inter fratres monasterii de substituendo abbate fuerit suborta contentio, nisi ad concordiam potuerint revocari, pater abbas de consilio et assensu coabbatum suorum, illum sine contradictione ibi præficiat, qui approbatione majoris et sanioris partis capituli et laudabilioribus meritis viderit adjuvari; substitutus vero sicut moris est, diœcesano episcopo præsentetur, qui si secundo tertiove cum humilitate debita requisitus benedictionem ei aliqua occasione conferre distulerit; ne ipsa ecclesia interim sustineat detrimentum, liberam electus administrationem obtineat, donec interventu generalis capituli vestri per eumdem episcopum vel metropolitanum suum, sive de mandato summi pontificis, canonice quod postulat assequatur. Benedictus vero de observantia ordinis monasterio vestro sicut suo capiti cum humilitate respondeat et statuta ejus salubria suscipiat et observet. Ad hæc auctoritate præsentium inhibemus, ne in aliqua ecclesia vestrarum, nisi de assensu capituli generalis, vel de mandato Romani pontificis, persona alterius ordinis ad abbatis officium assumatur. Nec abbas in qualibet ecclesia vestri ordinis instituta capituli generalis minuere, vel in deterius mutare præsumat. Præterea visitationem sive citationem annuam ecclesiarum ipsarum quam tenentur abbates in capitulo generali designati, prædictis ecclesiis de consuetudine vestra impendere vobis, et eidem ordini auctoritate apostolica confirmamus. Nulla sane persona ecclesiastica vel etiam sæcularis pro benedictione vel intronizatione abbatum vestrorum palefredum aut aliquid aliud exigere. Nullus etiam abbatum vestrorum, si exigatur, dare præsumat, quia exigenti et danti nota simoniacæ pravitatis et periculum noscitur imminere.

Decernimus ergo ut nulli, etc.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci ss.

Ego Petrus cardinalis tituli Sanctæ Susannæ ss.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Transtyberim tituli Calixti ss

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tituli duodecim Apostolorum ss.

Ego Albinus presbyter cardinalis tit. S. Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tituli Pammachii ss.

Ego Adelardus presbyter cardinalis tit. Sancti Marcelli ss.

Ego Jacintus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis ss.

Ego Bobo Sancti Angeli diaconus cardinalis ss.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis ss.

Ego Rolandus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis ss.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ss.

Datum Veronæ per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, IV Nonas Junii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XLII.

Ecclesiarum SS. Joannis et Pauli, S. Martini, S. Stephani Majoris et S. Stephani Minoris, sustentationi canonicorum ecclesiæ S. Petri (Romanæ) destinatarum, possessiones et privilegia confirmat.

(Veronæ, Jun. 13.)

[*Bullarium Vaticanum*, I, 68.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis basilicæ Principis apostolorum, et rectoribus quatuor monasteriorum Sanctorum Joannis et Pauli, Sancti Martini, Sancti Stephani Majoris, et Sancti Stephani Minoris tam præsentibus quam futuris canonice instituendis, in perpetuum.

Liquet omnibus fidei Christianæ cultoribus beatum Petrum ab ipso Salvatore Domino nostro Jesu Christo apostolorum fore principem constitutum, eique potestatem ligandi atque solvendi animas cœlesti privilegio traditam. Unde ei etiam dicitur : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis. » Nos igitur qui, licet indigni, ejusdem cœlorum Clavigeri vicarii sumus, et ejus loco in sancta Dei Ecclesia residemus, speciales ipsius ministros sive patrimonia sedis apostolicæ debemus patrocinio confovere, et a pravorum hominum incursibus defensare. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris petitionibus benignitate debita impertimur assensum, et sacrosanctas ecclesias beatorum martyrum Joannis et Pauli, Sancti Martini, Sancti Stephani Majoris et Sancti Stephani Minoris, vestris usibus ac sustentationibus destinatas, ad exemplar prædecessorum

nostrorum felicis memoriæ Sergii II, Leonis IV, Leonis IX, Innocentii II, et Adriani IV Romanorum pontificum præsentis scripti pagina communimus. Statuentes ut, quascunque possessiones, quæcunque bona eisdem venerabilibus locis canonice pertinent, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Ecclesiam S. Mariæ in Caterina cum parochia et omnibus ad eam pertinentibus a bonæ memoriæ Alexandro papa prædecessore nostro vobis confirmata (3); ecclesiam S. Mariæ de Palazolo cum omnibus ad eam pertinentibus; ecclesiam S. Salvatoris juxta Ferriones, quæ constructa est a prædicto Leone papa IV, ad sepulturam omnium Ultramontanorum cum omnibus usibus, et pertinentiis suis; ecclesiam S. Justini, quæ constructa est ad sepulturam omnium Longobardorum et Italorum, cum omnibus usibus et pertinentiis suis; ecclesiam S. Peregrini, ecclesiam S. Mariæ Virgariorum, ecclesiam S. Salvatoris de Cossa Caballi. Ad castrum Buccejæ, ecclesiam Sanctorum Marii et Marthæ, et ecclesiam S. Laurentii ejusdem castri. Castrum Buccejæ cum fundis et casalibus et omnibus suis pertinentiis; scilicet Atticiano, Colle, et Pauli fundum; Olivetum cum suis et aliis vocabulis, cum ecclesia diruta Sanctorum Cosmæ et Damiani; qui scilicet fundi positi sunt in territorio Silvæ Candidæ. Castrum Luterni cum fundis, casalibus et omnibus suis pertinentiis; ecclesiam Sanctorum Joannis et Pauli infra ipsum castrum; ecclesiam S. Nicolai quæ est in Mesangia (al. Mesagna) ipsius castri; ecclesiam S. Andreæ extra ipsum castrum cum omnibus suis pertinentiis; fundum Sessani majoris, et fundum Sessani minoris; massam pretoriolam cum casis et terris et cum omnibus suis pertinentiis, qui fundi positi sunt in territorio Cerense juxta castrum Luterni, tricesimo milliario ab urbe Roma. Ecclesiam S. Anatoliæ in Portuense civitate vetere cum piscatoria juxta eam, cum terris et manicis suis in Trajano; ecclesiam S. Silvestri de Sutrio, cum valle quæ vocatur Frictilli, cum molendinis suis. Hospitale de Ferento cum oratorio S. Laurentii et omnibus pertinentiis suis; hospitale de Narnia cum capella S. Thomæ, et omnibus suis pertinentiis; monasterium S. Benedicti de Scalocia cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam S. Martini de Spello (4); ecclesiam S. Stephani de Runceja (5), positam in episcopatu Assisiensi cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale de Traversa cum oratorio S. Nicolai positum in Campania in episcopatu Assisiensi cum omnibus pertinentiis suis. Castrum Cassi cum ecclesia S. Petri, et ecclesia S. Mariæ cum fundis, villis et casalibus suis; capellam novam S. Joannis sitam intra castrum Coccorano (6); aream ad ecclesiam ædificandam, quam habetis in colle de Mansi (7), cum

(3) Ecclesia isthæc, quæ modo appellatur S. Caterina della Rota, posita in regione Arenulæ, ab Adriano IV in superiori diplomate an. æræ comm. 1158 inter sacras ædes Vaticanæ basilicæ subditas recensetur. Alexander hic laudatus est pontifex hujus nominis III, cujus sententiam ad rem, de qua agimus, spectantem Anibaldus Almæ urbis senator in autographo diplomate pro Vaticana S. Petri basilica an. 1224 edito, in hunc modum enuntiat : « Sancimus quoque decreto et auctoritate sacri senatus sententiam a domino Alexandro papa III inter ipsos canonicos (Vaticanæ basilicæ) et clericos S. Laurentii in Damaso latam super ecclesiam S. Mariæ et S. Catherinæ, et quæcunque ab ipso, vel ab aliis catholicis pontificibus Romanis, seu aliis pro eisdem facta vel scripta sunt, rata et inconvulsa perpetuis temporibus permanere, et inviolabiliter observari. » Lata ab Alexandro III sententia, ob ortum quoddam inter duo memorata capitula dissidium super ecclesia SS. Mariæ et Catharinæ, procul dubio subindicat. Quænam vero peculiaris controversia? Eadem, ni fallimur, quæ proximo elapso sæculo in sac. Rom. Rot. Synedrio agitata est : utrum scilicet ecclesia isthæc D. Catherinæ sit filialis S. Laurentii in Damaso, an potius Vaticanæ basilicæ. At quodcunque fuerit vetus dissidium, illud certe composuit Alexander, et S. Petri canonicis causam adjudicavit. Pontificis maximi sententiam exsecutioni mandatam non dubitamus; quandoquidem in vetusto ecclesiarum Catalogo quem exhibet Chartaceus codex A. Demetrii Lucensis opera coordinatus, pag. 65 terg. ita legitur : « Item ecclesia SS. Mariæ et Catherinæ spectat ad ipsam basilicam (S. Petri) pleno jure cum tota parochia sua, facit obedientiam, reverentiam, subjectionem; debet venire ad scrutinium, baptisma, chrismatis confectionem et processiones; habet ibi jus ordinandi, instituendi, destituendi, capitulum ipsius basilicæ corrigendi et ad tempus privandi, et archipresbyterum confirmandi electum a clericis. In festo S. Catherinæ debent ire septem ex canonicis cum septem scutiferis seu septem famulis, qui canonici, seu alii quibus placet committere, debent vigilias cantare. Qui omnes cum scutiferis post vigilias debent cœnare, quibus in ipsa cœna debent clerici bona fercula cum bonis vinis ministrare; et quibus placet remanere, debent bonos lectos præparare. In mane cantata ibi missa et prædicato, prandent ibi omnes, quibus præparent bona cibaria, et diversa vina bona. Debet postmodum archipresbyter rogare, quod si defectus fuit in cibis debeant parcere, alioquin parati sunt satisfacere in octavum; et prior canonicorum qui est ibi, si bene fuit eis in prandio et cœna, regratientur, alioquin eos ad tempus ab officio et beneficio suspendet. »

(4) In Spoletana diœcesi pone Ispelli castrum sita est hæc D. Martini ecclesia, olim parochialis, nunc beneficium simplex a capitulo conferendum; uti monet Corradus, qui anno 1599 ipsam visitavit.

(5) Ecclesia S. Stephani de Runceja juxta civitatem Assisiensem in loco qui dicitur Mollicola, statuitur; et basilicæ nostræ a nobili Perjurio dono dato enuntiatur in antiquis censualibus.

(6) Castrum Cocoranum sive Coccoranum inter Perrusium, Assisium et Augubium statui debet. Legesis Ludov. Jacobill. Chronic. monasterii de Sassovivo cap. 27.

(7) Collem de Mansi nuncupatum, ipsi Coccorano castro adjacentem intelligimus ex ipso diplomatis contextu.

omnibus pertinentiis suis; aream quam habetis in castro Cocorrano, ubi est ecclesia S. Petri, quam ignis combussit; hospitale cum ecclesia juxta castrum Dirutæ in episcopatu Perusino; hospitale cum crypta S. Michaelis positum in loco, qui dicitur Sasso di Rapina, quod ædificavit Dopna Bethelleem Malvangiata, filia Malvagi, in territorio Summati juxta fluvium, qui dicitur Trunto (8). Hospitale Turricelle cum ecclesia S. Gualterii, positum in territorio castelli Fortiliani, quod ædificavit Maradianus et Hugo filii, comitis Conradi et Henricus et Oderisius filii comitis Thebaldi, juxta flumen quod dicitur Tenna (9) et in manus presbyteri Theodini pro vestra canonica tradiderunt. Ecclesiam S. Mariæ de Pacignano positam in Marsia prope castrum Celan; hospitale de Anatella cum ecclesia S. Bartholomæi ibidem positum; ecclesiam S. Joannis in Orfocle positam in episcopatu Valvensi (10); hospitale de Pretonico cum ecclesia S. Laurentii positum in episcopatu Pennense (11); ecclesiam S. Michaelis de Revere Scriniolis (12) cum hospitali, capellis et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Cataldi cum ponte Saraballis positam in episcopatu Terdonensi. Castrum Capracorum cum terris, fundis et casalibus suis, cum ecclesia S. Joannis diruta, cum aquimolis et molaria sua. Fundum S. Cassiani, fundum Vicoli, fundum Memorien., fundum Taliani majoris et Taliani minoris, fundum Casanilli, fundum Casapindole, fundum Cucumelli, fundum Rotule, fundum Procelaris, fundum Pritanelle, fundum qui dicitur Casa Lardaria, fundum Cleandris cum ecclesia S. Agathæ diruta, fundum Canutoli, fundum Aquæ frigidæ, omnes invicem cohærentes; fundum Bravi, fundum Pallini cum suis omnibus vocabulis. Monasterium S. Cornelii, quod est positum in territorio Vegentano cum omnibus suis pertinentiis. Sex pedicas terrarum in fundo qui dicitur Vallis de Pertica; terram de Macerano positam ad Petram Pertusiam; omnes possessiones terrarum, quas a canonica vestra monasterium S. Sabæ tenet in territorio Galeriæ; possessiones et pensiones domorum S. Mariæ in Turri; tertiam partem oblationum, quæ venit ad manus Portuensis episcopi, in Dominica Palmarum, in Cœna Domini, in Parasceve, in Sabbato sancto, in Resurrectione Domini et in die Natalis Domini; sextam partem oblationum, quæ offeruntur in altare S. Petri in Dominica Palmarum ex quo pulsantur campanæ in nocte ad Matutinas usque ad Matutinas finitas, et ex quo pulsantur ad missam usque ad finem missæ; similiter in Cœna Domini et in Parasceve, et in Sabbato sancto, et ex quo pulsantur campanæ ad scrutinium faciendum per totum diem, et noctem quousque sequenti die Dominicæ Resurrectionis missa completa fuerit. Montem S. Petri cum castello et cum ecclesia S. Petri juxta civitatem Osmi (13); hospitale de Montotto cum ecclesia S. Petri positum in territorio castelli, quod vocatur Cecilia juxta flumen Asu (14) in episcopatu Firmano, quod ædificavit Transmundus Uberti (*al.* Iberti), et in manus fratris vestri Theodini pro vestra canonica tradidit. Ecclesiam S. Scuderæ positam inter duo flumina Farma et Farmolla prope castrum Torgnallis. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum in vestris ecclesiis existentium a diœcesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint et gratiam sedis apostolicæ habuerint, et sine ulla pravitate voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis adire antistitem, qui, nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Statuimus præterea ne quilibet episcoporum, absque conscientia Romani pontificis, in ecclesiis vestris, nisi quando generale fuerit interdictum, divina officia interdicat, et aliquid in eis exigere nulla ratione præsumat, sed liberæ ipsæ Ecclesiæ sub nostra protectione consistant.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prædictam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine

(8) Alias Truentus, qui ex Apennino monte oritur in ipso Ubriæ limine : deinde Picenum alluens ad Asculum castellano amni recipitur.

(9) Nunc Tinia ; ex Apennino monte apud Nuceriam ducit primordia, et Fulginii mœnia alluit.

(10) Nunc Sulmonensi, cui Valvensis ecclesia quæ a Sulmone non longe distat, jampridem adnexa fuit.

(11) In Vestinis; Ecclesiæ Pennensis et Atriensis modo sunt unitæ.

(12) Ecclesiam hanc juxta Padum in episcopatu Ferrariæ collocat vetustissimus ecclesiarum Catalogus in lib. serm. pro Matut.; aliud Censuale ponit in Adriensi diœces., et Innocentii III bulla satis illustrat.

(13) Hæc prope Auximum Italice Osimo posita D. Petri ecclesia insignis perhibetur. In Arch. Capitul. exstat instrumentum, quo sacram hanc ædem uti et castrum S. Petri an. 1261 Silvestro priori et fratribus Eremi montis Fani sub certo pensionis onere Vaticanum capitulum concessit. *Adeas* lib. Demetrii, tit. A. fol. 108.

(14) Seu Clasius vulgo Chiascio ex monte Apennino manans.

districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura servantibus sua, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. ecclesiæ S. Marci ss.

Ego Petrus de Bono presb. card. ecclesiæ S. Susannæ ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ Transtyberim ecclesiæ Calisti ss.

Ego Albertus presb. card. ecclesiæ S. Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli ecclesiæ Pammachii ss.

Ego Adelardus ecclesiæ S. Marcelli presb. card. ss.

Ego Hiacynthus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Bobo S. Angeli diac. card. ss.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card. ss.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, Idus Junii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XLII *bis*.

Privilegium pro monasterio Sancti Petri Exlonzensi.

(Veronæ, Jun. 17.)

[Yepes, *Coronica general*, etc. IV, 456.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Martino abbati Sancti Petri de Eslonca ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenter concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementius annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, villam Sanctæ Eulaliæ cum ecclesia sua; villam Bermuti cum ecclesia sua, et Barrium, et Baldeferreru, et villam Revolar, cum ecclesia sua, villam Alvellam cum ecclesia sua; has villas cum omnibus pertinentiis suis, et prioratum Sanctæ Mariæ de Algadefe, cum ecclesiis et possessionibus quas habetis in Legionensi civitate, et possessiones quas habetis in Ruydellozo et in Villabent et in valle Sancti Vassei et in valle de Fontecha, et aliis locis ad prædictam ecclesiam spectantibus cum omnibus pertinentiis suis; possessiones et jus quod habetis in villa et in ecclesia de Mellancos, et possessiones quas habetis in villa Retal, et in Brat Reond, et in Prat Cegat; et in Valleio et in castro et in Macarieses et in Sopenna, et in Torre; possessiones et jus quod habetis in villa et in ecclesia de Villela et ecclesiam Sancti Joannis de Villasacharío et ecclesiam Sancti Michaelis in Mansela; ecclesiam Sanctæ Mariæ in Majorica, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Villafesila cum possessionibus quas in prædictis villis habetis, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Bartholomæi in Rebelinos et possessiones, et jus alterius ecclesiæ quas in eadem villa habetis; possessiones quas habetis in val Rodrigo, et in villa Quixada, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Villarabines et ecclesiam Sanctæ Mariæ, ecclesiam Sancti Romani, ecclesiam Sancti Thomæ de castro Ferrer, et possessiones quas in prædictis villis habetis cum omnibus pertinentiis suis et villarei cum ecclesia sua et possessiones quas habetis in Pieros, et in Sancto Vicentio cum ecclesia sua; possessiones et jus quod habetis in villa et ecclesia de Moral; possessiones quas habetis in villa Morchiel et in Villamoros, ecclesiam de Morales, et ecclesiam de Malbarget, et ecclesiam de Villamuderesu, ecclesiam de Cannones, et ecclesiam de Valdealiso, ecclesiam de Palaseo, et ecclesiam de la Debesa, et possessiones quas in prædictis villis habetis, cum omnibus pertinentiis suis; possessionem et jus quod habetis in villa et ecclesia de Cerezales, et possessiones quas habetis in Poiadiella, in Willaatent, et in Villafanne, et in villa Varsula et in Quintanori et in Vegas et in Sancta Eulalia de Lugam et in Vega de Bermar, et in villa quæ dicitur Barrio quæ est in Rianio, et in Ria de Ponhlios, et in Larana, et in caso cum ecclesia Sancti Salvatoris et Sanctæ Mariæ de Velarda, ecclesiam Sanctæ Eulaliæ

de Pesquera cum possessionibus quas in eadem villa habetis, ecclesiam Sancti Joannis de Verbio cum sua villa et cum possessionibus quas habetis in Lazana, et in aliis locis ad prædictam ecclesiam spectantibus, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiani et possessiones quas habetis in S. Michaele de Ripamaris. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem nisi arctioris religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, vel interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce omnia officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, seu monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem sedis apostolicæ habuerit, et ea vobis gratis et absque pravitate aliqua voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcunque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Consuetudines etiam antiquas, libertates et immunitates eidem monasterio rationabiliter concessas et hactenus observatas, ratas habemus et futuris temporibus illibatas permanere censemus. Inhibemus quoque ne quis in vos, vel in ecclesiam vestram sine manifesta et causa rationabili excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgare præsumat. Obeunte vero te ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu aut fratrum pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, etc.

Si qua igitur in futurum etc. Cunctis autem eidem loco, etc.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Transtyberim.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tituli XII Apostolorum.

Ego Albinus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem.

Ego Melior presbyter cardinalis tituli Sanctorum Joannis et Pauli.

Ego Adelardus presbyter cardinalis tituli Sancti Marcelli.

Ego Jacinthus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Sanctæ Rufinæ episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Gratianus diaconus cardinalis SS. Cosmæ et Damiani.

Ego Bobo diaconus cardinalis S. Angeli.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, XV Kalend. Julii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XLIII.

Ad Fridericum imperatorem. — De injuriis, Ecclesiæ Romanæ illatis ab eo, conqueritur.

(Veronæ, Jun. 18.)

[Mansi, *Concil.*, XXII, 504.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio F. illustri Romanorum imperatori semper Augusto salutem et apostolicam benedictionem.

Si datum esset desuper et cœlesti prudentia stabilitum, ut inter Ecclesiam et imperium ad salutem Christiani populi tanta esset connexio charitatis, quod adversus eam nec susurronum et malignantium studia prævalerent, nec ab alterutra partium aliquid in præjudicium alterius vel dispendium ageretur, gratum nobis existeret et acceptum, et universis Deum timentibus, sicut credimus, complaceret. Cum ad hoc sapientia Dei duorum statuerit censuram gladiorum, ut dum alter alteri cohæreret, iniquorum malitiam districtio unius compesceret, et contemnentes alterius potentia refrenaret. Quod nos piis, sicut convenit, affectibus intuentes ab ipsis nostræ promotionis initiis firmum concepimus propositum, et tenemus inter Ecclesiam et imperium, si per tuam serenitatem pacem perpetuam et concordiam reformare, et ut, salva conscientia, loquamur, nequaquam occasionem quæsivimus vel quærimus ab hoc proposito desistendi. Sane imperiales apices ea qua decuit benignitate suscepimus, eorumque serie plenius intellecta, ut tuæ celsitudini de nostra conscientia certius innotescat, serenitati tuæ per

singula duximus capitula respondere. Recolimus siquidem nec sine multimoda commendatione referimus, quod in promotione nostra pacem ecclesia tua excellentia prosecuta debita reverentia et devotione suscepit, quocirca nos manus Domini noluit non ex nostris meritis, sed ex sua misericordia operari. Attendentes, sicut credimus quod, sicut princeps es ex divina institutione catholicus, ita in Ecclesia Dei revereri et servare debeas catholicam unitatem. Postquam fatemur nos a tua magnitudine per litteras et nuntios accepisse, quod patrimonium Ecclesiæ, sicut ad tuum spectat officium, sub tua volebas protectione recipere, et ad hoc sine nostræ consistere beneplacito voluntatis, Heinricum illustrem regem excellentiæ tuæ filium destinare. Bona utique et commendanda promissio, si debita efficacia compleretur, sed quod sine admiratione non ferimus, res in contrarium versa est, cum idem illustris filius tuus non ad defensionem terræ nostræ, sed potius videatur ad oppressionem intendere, et a civitatibus et aliis locis, quæ nostræ jurisdictionis existunt, Narnia videlicet, Viterbio, Verusio, [*f.* Perusio] et quibusdam aliis, forum et alia indebita servitia exigat, et quibusdam denegantibus, quæ postulat, pro suæ voluntatis arbitrio comminetur. Placuit ergo promissio, placuit et affectus, et quia contrarius effectus existit, grave gerimus, nec tuæ credimus excellentiæ convenire. Quod autem Novarianis pro culpa sua a Christi corpore, quod est Ecclesia, separatos tua serenitas evitavit, debita commendatione prosequimur, nec aliter saluti et honori tuo, qui universos extollentes se adversus Deum et Ecclesiam ejus accepta debes potestate reprimere, et statuta ecclesiastica firmiter observare, congrue providisses. Ex eo vero quod nobis super facto Cremonensi intimasti, eo gravius admiramur quo affectum tuum ad hoc cognoscimus aliena forte suggestione inductum, ut pro his quæ gratiarum deberes prosequi actione concepisse in contrarium videaris. Nam cum Cremonenses ipsi sæpius ad nostram præsentiam accessissent, humiliter postulantes ut eos sub apostolicæ sedis protectione deberemus recipere, licet id salva conscientia potuerimus admisisse, qui universis ad nos devote clamantibus favorem tenemur apostolicum impertiri; ne tamen contra tuam excellentiam de favore nostro insolentiores existerent, petitionem ipsorum nequaquam admisimus. Et ut tua providentia non ignoret, quod inter te et ipsos pacem et concordiam noluerimus disturbare, quod si forte voluissemus, aliter negotia processissent. Venerabili fratri nostro, Cremonensi episcopo, cum ad tractatum ipsius pacis intenderet, dedimus in mandatum ut de reformanda concordia, omni qua posset, sollicitudine laboraret. In quo, si quam habeas materiam conquerendi, serenitas tua consideret, quod nos id, recurrentes ad conscientiam, non videmus. Episcopis autem vel civitatibus Lombardiæ nequaquam nos prohibuisse meminimus, ne magnitudinis tuæ impugnatione Cremon. ipsorum [*f.* ipsos] assisterent, et consilium et auxilium debitum ministrarent. Licet episcopos ab initio potuerimus prohibuisse, cum ecclesiis Italicis nequaquam hactenus fuerit consuetum, hanc servitutem imponere, et imperialibus privilegiis expresse, sicut tua serenitas non dubitat, habeatur, quod ipsis ecclesiis novas conditiones propterea non debeat inducere altitudo, (15) non grave excellentiam tuam gerere volumus vel molestum, si eas qui sibi commissas ecclesias tam indebitæ conditioni subjicere præsumpserunt, auctore Domino, pastorali officio compescimus. Quibusdam tamen pro certo injunximus, ut possessiones et bona ecclesiarum Cremonensis diœcesis in imperialis collatione auxilii non vastarent, quod quidem injuncti nobis officii debitum requireret, quod tenemur ecclesiarum omnium statui providere. Si quæ vero alterius tenore litteræ emanarunt, eas nobis libenter volumus præsentari, et si de nostra conscientia processerunt, cum nonnullæ sicut a serenitate tua, ita et a nobis litteræ subreptitiæ impetrentur, nequaquam denegabimus veritatem. In his omnibus et aliis, dum conscientiam et affectus nostros sollicita investigatione discutimus, nil in nobis varium contra tuam excellentiam invenimus, ex quo justam habeas materiam conquerendi, nisi forte occasionem divertendi postules ab amico. Nos vero quot et quanta a te et excellentiæ tuæ ministris, contra constitutionem divinam et ecclesiasticam libertatem impune hactenus sustinuimus, attentare, nequaquam sine conscientiæ damno recolimus et imperialem providentiam non credimus ignorare. Nam, ut cætera transeamus, nuper in Taurinensi et Hiponensi [*l.* Eporediensi] diœcesibus ministeriales tuos diceris statuisse, quod ecclesiasticos viros indebitis exactionibus et molestiis pergravantes eos ad sæcularia judicia pertrahant; et suis compellant jussionibus obedire. Memoratus etiam filius tuus et Bertholdus ecclesias Tusciæ congregati exercitus mole devastant, eisque collectas pro sua voluntate statuunt. Dux Spoletanus ita statum ecclesiarum, circa quas de mandato tuæ celsitudinis commoratur, in spiritualibus et temporalibus noscitur attulisse [*f.* abstulisse], eas viris ecclesiasticis pro suo conferens et auferens voluntate, capiens clericos et ad redemptionem compellens, qui viri ecclesiastici, qui in terra commissa suæ potestati consistunt, propria coguntur tecta deserere, et in opprobrium ecclesiastici ordinis vitæ stipendia mendicare. Id idem Galterus ministerialis in Marchia Tusciæ et alii per regiones alias perpetrare non cessant.

(15) Locus mendosus.

XLIV.

Monasterium Vallumbrosanum tuendum suscipit, juraque ejus confirmat.

(Veronæ, Jun. 26.)

[Lami, *Eccles. Florent. Monum.*, I, 550.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Tertio Vallumbrosano abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regulariter substituendis in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Vallumbrosanum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus monasteriis sibi subjectis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus : statuentes, ut omnis immunitas et omnis libertas, quæ a prædecessoribus nostris felicis memoriæ Victore, Gregorio VII, Urbano, Paschale, Innocentio et Adriano Romanis pontificibus, jam dicto monasterio concessa est, futuris perpetuo temporibus firma vobis, vestrisque successoribus, ac Vallumbrosanæ congregationi, illibataque permaneant. Adjicimus etiam ut quascunque possessiones, quæcunque bona jam dictum monasterium, Vallumbrosanaque omnis congregatio, juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Monasterium S. Salvii ; monasterium S. Trinitatis de Florentia ; monasterium Strumense ; monasterium de Osella et S. Jacobi de Castello. Monasterium de Passiniano, et S. Michaeli de Senis et de Alphiano. Monasterium de Cultubono, de Monte Pisis ; monasterium de Montescalario et de Nerano ; monasterium de Ficiclo et de Capiano ; monasterium S. Pauli Pisani ; monasterium de Plajano et S. Venerii in Sardinia. Monasterium S. Angeli de Pistorio, de Pacciano et S. Mariæ de Prato ; monasterium de Vajano, de Oppleto, de monte Plano ; monasterium de Fonte Thaonis ; monasterium de Musceto, de Monte Armato et S. Ceciliæ ; monasterium S. Reparatæ ; monasterium de Forolivio, de Trecento, de Crispino, de Razzuolo, de Rivo Cæsaris, de Cuneo, de Turri. Monasterium de Caprilia ; monasterium Placentinum, Papiense, Cremonense ; monasterium de Capanpa, de Novaria, de Vercelis, de Janua, de Terdona, de Taurino. Monasterium Brixiense, Veronense et S. Vigilii ; monasterium Bergamense, Mediolanense, S. Carpophori et Astense.

Sane nulli omnino hominum liceat conversos, aut monachos jam dicti monasterii, seu et totius congregationis, ausu temerario capere, vel captos retinere, seu aliquibus fatigationibus infestare.

Sancimus insuper, ut decimas fructuum vestrorum, quos ubilibet propriis sumptibus laboribusque colligitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis exigere vel extorquere præsumat.

Liceat etiam vobis clericos et laicos liberos et absolutos ad conversionem, absque cujuslibet interdictione suscipere, et Christianæ tradere sepulturæ eos, qui se apud vos devoverint sepelire et tam ipsorum quam cæterorum fidelium oblationes, sine aliarum ecclesiarum præjudicio recipere. Præsentis etiam decreti auctoritate sancimus, ut, si quando urgente necessitate, commune vel speciale interdictum ab episcopo diœcesano processerit ; clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, et exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce a vobis vestrisque tantum fratribus, divina in vestris monasteriis vobis liceat officia celebrare. Et quoniam apostolica sedes nulli debet delinquenti præstare materiam, vel favorem, adjicientes statuimus, ut abbates sive fratres vestræ congregationis, qui cum occasione protectionis, apostolicæ sedis, minus regulariter quam ordo monasticus, vel consuetudo Vallumbrosanæ congregationis exigat, vivere cupiunt, Vallumbrosanus abbas canonice illos corrigendi liberam habeat facultatem, et ut nullis fratribus ejusdem congregationis liceat constituere sibi abbatem, sine consensu ejus, sicut a tempore bonæ memoriæ Joannis primi abbatis ejusdem congregationis noscitur observatum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci subscripsi.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ transtyberim tit. Calisti subscripsi.

Ego Pandulphus presb. card. [tit. XII Apostolorum subscripsi.

Ego Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Hierusalem subscripsi.

Ego Melior presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii subscripsi.

Ego Adelardus presb. card. tit. S. Marcelli subscripsi.

Ego Jacobus diaconus card. S. Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Gratianus diac. card. SS. Cosmæ et Damiani subscripsi.

Ego Bobo diaconus card. S. Angeli subscripsi.

Ego Octavianus diac. card. SS. Sergii et Bacchi subscripsi.

Ego Siphredus diac. card. S. Mariæ in Via Lata subscripsi.

Ego Rolandus diac. card. S. Mariæ in Porticu subscripsi.

Ego Petrus diac. card. S. Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Ego Rodulphus diaconus card. S. Georgii ad Velum Aureum subscripsi.

Datum Veronæ per manum Alberti S. R. E. card. et cancellarii, VI Kalendas Julii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XLV.

Fratribus Grandimontensibus concedit ut iis in generali terræ interdicto pulsare unam campanam liceat.

(Veronæ, Jul. 14.)

[*Gall. Christ. nov.*, Inst. 191.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Grandimontis salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto major et gratior per religiosos viros Deo dependitur famulatus, tanto libentius et eorum utilitati debemus intendere, et preces affectuosas exaudire. Cum igitur locus vester longe ab hominum sit habitatione semotus, vobis de sedis apostolicæ benignitate duximus indulgendum, quod cum generale terræ fuerit interdictum, liceat vobis unius campanæ pulsatione competentibus horis fratres vestros de laboribus ad ecclesiam convocare. Hoc autem et in locis vestris ad instar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri præcipimus observari, quæ a civitatibus, castris ac vicis adeo separantur, ut sonus campanæ vestræ in locis illis minime audiatur.

Datum Veronæ, II Idus Julii, pontificatus nostri anno primo.

XLVI.

Ad Guillelmum priorem Grandimontensem. — Varia statuit pro pace et quiete monachorum Grandimontensium.

(Veronæ, Jul. 15.)

[MARTEN., *Thesaur. Anecdot.*, I, 627.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis GUILLELMO priori Grandimontis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Quanto per infusionem sancti Spiritus cœlestis subditi magisterio disciplinæ odorem religionis in vestro ordine hactenus observatæ latius expandistis, ut secundum Apostolum conversatio vestra sit vitæ in vitam (*Phil.* III), tanto nostro imminet officio sollicitius attendendum, ne inimicus humani generis, qui semper circuit quærens quem devoret (*I Petr.* V), piis invidet studiis perfectorum, per suæ calliditatis astutiam adversus vos, Domino resistente, prævaleat, et propositum religionis et ordinis sub quo laudabiliter militatis, virulenta suggestione immutet aliquatenus, vel perturbet, in vobis fraternæ pacis gratiam violando. Inde siquidem est, quod cum inter vos, permittente ipso qui fideles suos tentari non patitur supra id quod portare possint (*I Cor.* X), seminarium scandali subortum fuerit, quod sollicitudine plurimorum adhibita, hactenus sedari nequiverit; ad nostram præsentiam quidam ex utraque parte fratrum litigantium accesserunt coram nobis et fratribus nostris, plurima de institutione vestri ordinis, et illatis hinc inde injuriis, preponentes. Nos vero, auditis omnibus diligenter quæ in nostro duxerunt auditorio proponenda, ut de cetero inimico virtutum omnium nocendi aditus clauderetur, et in ordine vestro fraternæ pacis concordiam tam facile ipsius calliditas non turbaret, in his quæ generare videbantur materiam jurgiorum, manum correctionis apostolicæ de fratrum nostrorum consilio duximus apponendam. Imprimis siquidem statuentes ut qui, relicto sæculo, ad ordinem vestrum confugiunt, priori qui pro tempore fuerit, et successoribus ejus catholicis, vel capitulo, si prior non fuerit, obedientiam, et reverentiam promittant absolute. Fratribus autem singulis in his quæ ad commodum et honorem domus pertinent, fraternæ caritatis officium, et auxilium debitæ subventionis impendant. Majores se invicem, secundum Apostolum, arbitrantes (*Phil.* II), quatenus juxta apostolicam evangelicamque doctrinam se invicem honore præveniant, et qui forte major est meritis, non erubescat amore Domini fieri minoribus ministrator (*Luc.* XXII). Paci vestræ præterea providentes, statuimus ut ad recipiendum alterius religionis hominem nemo vos cogat invitos, ne dum instituta relicti ordinis qui ad vos confugerit æmulatur, a vestræ observantia disciplinæ animos simpliciorum avertat, et aliis vos contingat injuriosos et molestos existere, si professos eorum volueritis retinere. Priori autem, tam in spirituali

bus, quam in temporalibus, plenam concedimus auctoritate apostolica potestatem: ita ut uni conversorum, qui magis idoneus fuerit in cellis vestris temporalia disponenda committat, qui de ipsius prioris mandato, eleemosynas depositaque recipiat, et eas in pios usus ac necessitatem domus provida consideratione convertat. Cura vero spiritualium libere de mandato prioris circa clericos ipsos resideat: ita quod nullus laicorum fratrum in confessionibus, pœnitentiis, divinis officiis celebrandis, et corrigendis excessibus clericorum, ullam sibi auctoritatem usurpet: sed hæc omnia per priorem jam dictum, vel de mandato ipsius, per clericos expleantur.

Ad hæc, ad instar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Alexandri et Lucii Romanorum pontificum, omnibus regulam vestram servantibus, sicut in vestro ordine, et suprapositis nostræ correctionis capitulis salubriter continetur, laborem loco pœnitentiæ, et in peccatorum suorum remissionem injungimus, quem in ipsa observantia patiuntur. Institutionem quoque quam ad castigationem vestram post confirmationem felicis recordationis Adriani papæ prædecessoris nostri salubriter addidistis, auctoritate apostolica confirmamus, et perpetuis decernimus temporibus valituram, statuentes ut liberum vobis sit, secundum regulam vestram, atque instituta ordinis, absque aliquorum gravaminibus vel molestiis, Domino famulari, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Præterea domum et loca vestra, cum omnibus quæ in præsentiarum juste et pacifice possidetis, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus: statuentes ut ea firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam domum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Johannes tituli Sancti Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus le Bon presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Transtyberim tituli S. Callixti ss.

Ego Pandulfus presbyter cardinalis tituli duodecim Apostolorum subscripsi

Ego Albinus presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem subscripsi

Ego Melior presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli tituli Pammachii subscripsi.

Ego Adelardus tituli S. Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Jacinthus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Bobo Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi

Ego Rad. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Veronæ, per manum Moysis, Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, Idibus Julii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XLVII

Privilegium pro ecclesia S. Joannis Baptistæ Ratisponensi

(Veronæ, Jul. 20.)

[Ried, *Cod. dipl. Ratisp.* I, 268.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ekkolpo præposito Sancti Joannis Baptistæ in civitate Ratispona, ejusque fratribus ibidem commorantibus tam præsentibus quam futuris, canonice substituendis in perpetuum

Quoties a nobis petitur quod juri et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatam ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis ve-

strisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, ejus, quod habetis in ecclesia Winkelsæzze, et in ecclesia Aschoizhusen, curias ad præbendam vestram pertinentes, scilicet Windeheim cum omnibus appenditiis suis, molendina in Ahdorf et decimationem tam frugum, quam vinearum de vineis plantatis et plantandis, scilicet inter Wisent et Teufental, Werd, Hungersdorf, Teufental et Owe cum decimatione frugum, curiam in Erling (hodie *Langenerling*) et tertiam partem decimarum per totam villam, curiam Metzing, et tertiam partem decimarum in eadem villa, et decimationem in Harthusen, curiam Schæssendorf, molendinum in Vihta et decimationem per totam parochiam ; decimationem per totam parochiam Haybach, decimationem in Ratenberg, curiam in Anger cum decimatione et omnibus appendiciis suis : decimationem de parochia Chunzell, decimationem de claustro monachorum, quod dicitur superius Altach, decimationem de Ghritzenkirchen, decimationem de Pfœling, decimationem in Tegernbach, porcum maturum de curia Geisling, quæ pontificis est, decimas in Truchtlving, quas tradidit episcopus Chuno ad altare Sanctæ Mariæ, curias ad oblationem fratrum pertinentes Gutzelhusen, molendinum et curiam cum suis appendiciis in Nisse, curiam in Windeheim, curiam Chruchenberg, mansum in Menzenbach, curiam Berhartshusen, mansum in Gependorf, molendinum et mansum in Susenbach, curiam Paldwinsdorf, tres curias Prizzat, mansum et decimationem per totam parochiam Rattiszell, curiam in Charein, vineam in Muln, vineam in Willifs, duas vineas cum agris attinentibus in Schwæblwis, vineam dictam Chobel, tres curias ad vestitum fratrum pertinentes in Podlungsvelden, curiam in parochia Adratshusen.

Obeunte vero te nunc ejusdem loci præposito, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel major pars fratrum sanioris consilii secundum Dei timorem de choro S. Petri Ratisponen. providerint eligendum, sicut a prima fundatione (1127) in eadem ecclesia est obtentum, ei vero non liceat curias, decimas et mansos alicui dare vel alienare sine communi consensu fratrum ; nec præpositus aliquid de oblationibus fratrum sibi vindicare præsumat, sed camerarius a fratribus constitutus oblationes debita provisione dispenset. Ecclesias quoque fratrum sine ipsorum assensu concedendi alicui nullam habeat præpositus potestatem, sed sicut hactenus factum est, ordinatio earum canonica fratrum provisione procedat

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostram constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum debita satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Ihu Xpi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat ; cunctis autem eidem ecclesiæ sua jura servantibus sit pax Domini nostri Ihu Xpi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Veronæ per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis et cancellarii, XIII Kal. Augusti, indict. IV, anno Incarnationis Dominicæ 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ tertii anno primo.

Plumbum. Urbanus PP. III.

XLVIII.

Privilegium pro ecclesia S. Joannis Leodiensi.

(Veronæ, Jul. 26.)

[MARTEN. *Ampl. Collect.*, I, 972.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis ecclesiæ beati Joannis Evangelistæ quæ est in insula Leodii, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.

Commissæ nobis apostolicæ sedis nos hortatur auctoritas ut locis et personis, ejus auxilium devotione debita implorantibus, tuitionis præsidium impendere debeamus; quia sicut injusta petentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima et justa postulantium non est differenda petitio. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, villam Emurch cum piscatione, montem Roberti, villam Eymalam cum ecclesia et pertinentiis suis, ecclesiam sancti Adalberti in insula Leodii cum decimis ejusdem insulæ et pertinentiis suis, villam Gestele cum familia et appendiciis ejus, ecclesiam de Engle, ecclesiam de Heudecusa, ecclesiam de Hosden, curtem Coma-

bhiam cum ecclesia sua, in villa Jupelella allodium solvens annualiter triginta solidos, quartam partem villæ Hoydre, jus quod habetis in villa Ferires, villam Fleniz, Romercurt, Bushone, medietatem villæ Bovingestir, curtem Goe cum ecclesia et pertinentiis ejus, quartam partem decimæ, et allodium quod habetis in villa Holong, Masnil, ecclesiam de Gengiehey, et quidquid in allodio ejusdem villæ et in Waleove habetis, villam de Tillires, et Rosires, villam Meredorp, Jusanam villam Raulcurt, quidquid juris habetis in ecclesia de Monte Thyenes cum dote sua, et in pleno dono ecclesiæ ejusdem, ecclesiam de Atteroda, jus quod habetis in Sleduwez, et mansum allodii in eadem villa in loco qui dicitur ad Montem, curtem Nerhenes cum ecclesia et pertinentiis suis, et adjacente silva de Miradal, Holdrin, Fennache, villam Hulgrehes, cum piscatione innuosa, in oppido Hoio, tres libras de teloneo, villam de Sarto Colnois, ecclesiam de Corbion, villam Ferires, et jus quod habetis in Morelmeis, Ronredines, allodium in Halembail, et in Here Rokelenges, Hers et Formala, medietatem decimæ de Bubaz, villam Samerey cum appenditiis suis, Desdorp cum appenditiis suis, Allekenrode, vineas in Noweroit, mansum in Bubenben. mansum in Sescay, allodium in Falla, decem solidos in Falmin, et decem in Rumines, sex mansos in Rongese, et decem in Brida, teloneum de foro Visati, in Leodio molendinum et allodium Parvitorrentis, curtem in Roberti monte, in Vingiz terram annualiter solventem quinque solidos, ad Taynires et Seraing pratum et terram solventem quinque solidos et sex denarios, ad Londos quinque solidos, allodium Hastaples, ecclesiam de Hares Wistrewich, item in Hoio possessionem solventem duodecim solidos, et sex denarios. Prohibemus autem ut nec præposito nec alicui omnino personæ bona ipsius ecclesiæ absque communi fratrum vel sanioris partis assensu, quoquo modo alienandi licentia pateat, et ecclesiæ prædictæ liceat decanum libere eligere et præpositum, sive de sua, sive de alia ecclesia de toto Leodiensi episcopatu. Et quia bona ad stipendia fratrum communiter pertinentia, in parte deficere, et in parte abundare accepimus, statuimus ut defectus unius villæ alterius abundantia suppleatur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Leodiensis episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sangnine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli S. Marci ss.

Ego Petrus de Bononia presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ ss.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ Trans Tyberim tituli Calixti.

Ego Pandulfus presbyter cardinalis tituli Duodecim Apostolorum ss.

Ego Albinus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melior presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli tituli Pammachii ss.

Ego Adelardus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis ss.

Ego Jacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin ss

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis ss.

Ego Bobo Sancti Angeli diaconus cardinalis ss.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis ss.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis ss.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus card. ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis ss.

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ss.

Data Veronæ per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, VII Kal. Augusti, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186 pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

XLIX.

Ad Willelmum regem Scotiæ. — In causa Hugonis Sancti Andreæ et Joannis Dunkeldensis episcoporum.

(Veronæ, Jul. 31.)

[Mansi, *Concil.*, XXII, 497.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, Willelmo illustri Scotorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in injuncto nobis a Deo administrationis officio ad universas ecclesias proximas nobis et longe positas aciem nostræ teneamur considerationis extendere, et, si qua in eis vel ministris earum irrationabiliter attentata noverimus, ad factum congruum revocare: non debent ex eo sæculi principes

commoveri, si quando ad correctionem eorum quæ perperam facta fuerint manus nostras duxerimus extendendas : cum et ipsi secundum sibi traditam potestatem auxilio nobis in his esse debeant, et cum necesse fuerit, aliquorum pertinacia exigente, contumacium nequitiæ fortius obviare. Regia siquidem excellentia non ignorat quam gravis inter venerabiles fratres nostros Joannem Dunkeldensem et Hugonem Sancti Andreæ episcopos fuerit exorta dissensio. Et licet magnos utraque pars labores subierit et expensas, et tempore felicis memoriæ Lucii papæ prædecessoris nostri apud sedem apostolicam diutius litigaverint, negotium tamen non potuit finem habere. Unde cum iidem episcopi nuper ad nostram præsentiam accessissent, et contendissent super hoc aliquandiu in auditorio nostro, de consilio fratrum nostrorum, prædicto Dunkeldensi episcopo agendi licentiam super episcopatum Sancti Andreæ tribuimus contra illum, et eidem Sancti Andreæ episcopo ad propria revertendi ad nostram præsentiam sufficienter instructo in constituto sibi termino redituro; ita quod si tunc non venerit, venerabilis frater noster Jocelinus Glascuensis episcopus, et dilecti filii de Melros, et de Neubotle, et de Dunfermelin abbates, eum extunc ab officio episcopali suspendant; et, si postmodum contumax fuerit, vinculo excommunicationis astringant, nec relaxent sententiam, donec nostro se conspectui repræsentet. Nolumus enim ut negotio ipso diutius in suspenso manente, præscripta Sancti Andreæ ecclesia grave rerum suarum detrimentum incurrat, sed potius, cognita veritate, per nos finem congruum, auxiliante Domino, sortiatur. Præcipimus etiam præfatis Glascuensi et collegis suis, quod dilectos filios nostros Ajulfum decanum de Lodonejo, et Odonem senescallum, et Rogerum de Fedic, et alios clericos, et amicos præfati Dunkeldensis episcopi, a qualibet molestia, nostra freti auctoritate, defendant; et possessiones vel alia bona eorum, seu reditus ipsius episcopi, non permittant a quoquam invadi. Si qui vero contra ipsorum prohibitionem super his venire præsumpserint, censura eos canonica, nulla appellatione obstante, compescant. Ut igitur quæ mandamus valeant sine difficultate qualibet adimpleri, monemus regiam excellentiam, et hortamur in Domino atque in remissionem peccatorum injungimus, quatenus pro amore justitiæ, et reverentia beati Petri, et nostra, in negotio illo juxta mandati nostri tenorem procedi permittas, et prædictos decanum, senescallum, et Rogerum de Fedic, atque alios consanguineos et amicos prædicti Dunkeldensis episcopi, et episcopatum, et alios reditus ejus, regia protectione defendas, et nec tu ipse illos in aliquo aggraves, nec sinas ab aliis aggravari; ita quod causa ipsa valeat sine impedimento terminari, et regia magnificentia de justitiæ opere, apud Deum præmium indeficiens, et nomen bonum apud homines consequatur. Noveritis autem memoratis episcopis in virtute obedientiæ nos injunxisse, ut nec ab ecclesiis, nec a clericis sibi subditis, accipiant aliquid expensarum intuitu, quas in prosecutione memorati negotii sunt facturi, sed de propriis solummodo reditibus sibi procurent necessaria providere. Nolumus enim ut facto ipsorum, Ecclesiæ, vel personæ aliæ regni tui, debeant incurrere detrimentum. Regiam insuper excellentiam volumus non latere, quod supradictus Dunkeldensis ita honeste suum est negotium prosecutus, et honori regio detulit, quod nihil omnino proposuit, quod in derogationem regii nominis valeat redundare, vel quo tua serenitas adversus eum debeat commoveri. Unde si quid ab æmulis ejus in contrarium fuerit celsitudini tuæ suggestum, talium verbis aurem regiam non apponas.

Datum Veronæ secundo Kalendas Augusti.

L.

Joscelino, episcopo Glascuensi, et Melrosensi, Neubotlensi et Dunfermelinensi abbatibus mandata dat superiore epistola significata.

(Veronæ, Jul. 31.)

[Manrique, *Annal. Cisterc.*, III, 165, ex *Annalibus* Rogeri Hovedeni.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joscelino, Glascuensi episcopo, et dilectis filiis de Meilros, Neubotle, et de Dunfermelin abbatibus, salutem, et apostolicam benedictionem.

Cum ex injuncto nobis a Deo administrationis officio, etc., *nam pene eadem eis verba, quæ regi, scribit, dum negotium proponi; sed mox ad ipsos :* Ne igitur præscriptum negotium diutius maneat in suspenso, et ecclesia S. Andreæ per hoc rerum suarum detrimentum incurrat, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, et in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus ea quæ vel per vos, vel per alios de ipsius negotii tenore scire poteritis, redigentes in scriptum, nobis sub sigillorum vestrorum munimine designare curetis : ut nos ex vestra insinuatione instructi, consilio fratrum nostrorum adhibito, sicut procedendum fuerit, in negotio procedamus. Si quis vero in prædictum decanum, Odonem, seneskallum Robertum de Fedic, vel alios Dunkeldensis amicos episcopi, et possessiones, seu alia bona ipsorum, aut episcopatus, vel aliorum reddituum ipsius episcopi ausu temerario manus injecerint, per censuram eos canonicam, auctoritate nostra suffulti sine appellationis obstaculo compescatis. Prædictis autem episcopis ex parte nostra vetetis, quod et nos fecimus viva voce, ne ab ecclesiis, vel clericis sibi subditis accipiant aliquid expensarum intuitu, quas in prosecutione memorati negotii sunt facturi; sed de propriis solummodo redditibus sibi necessaria subministrent. Nolumus enim ut facto ipsorum ecclesiæ vel aliæ ipsius regni personæ debeant incurrere detrimentum. Præfato autem episcopo S. Andreæ, auctoritate nostra districtius injungatis, ut in termino quem utrique parti statuimus, sufficienter instructus, ad præsentiam nostram accedat. Quod si non

venerit, ex tunc eum ab episcopali officio, appellatione postposita suspendatis. Quod si nec sic acquieverit, excommunicationis vinculo eum innodetis; nec sententiam relaxetis, donec nostro se duxerit conspectui præsentandum. Regiæ insuper excellentiæ intimetis quod supradictus Dunkeldensis episcopus ita honeste suum est negotium prosecutus, et honori regio detulit, quod nihil omnino proposuit, quod in derogationem regii nominis valeat redundare, vel quo adversus eum debeat commoveri. Unde ipsum instanti exhortatione curetis inducere, ut si ab æmulis ejus in contrarium fuerit suggestum, eorum verbis aurem regiam non apponat.

Datum Veronæ, secundo Kalendas Augusti (16).

LI.

Henrico Angliæ regi, scribit, se Balduino archiepiscopo Cantuariensi, apostolicæ sedis legato, mandasse ut Savaricii archidiaconi « redditus colligi faceret et penes se cum integritate reservaret. »

(Veronæ, Jul.)

[Benedictus Petroburg., *De vita et gestis Henrici II et Ricardi I*, pag. 1186.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, charissimo filio Henrico, illustri regi Angliæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum personam tuam sicut charissimi regis et magnifici principis, cujus devotio circa Romanam Ecclesiam manifestis rerum indiciis enituit, specialiter et præcipue charitatis brachiis amplectamur, et petitiones tuas in omnibus, secundum Deum velimus admittere; verum ubi vobis innotuit, non est voluntatis vel propositi nostri quidquam facere, in quo regia magnitudo gravari videatur. Ex litteris tuæ celsitudinis et diligenti relatione nuntiorum tuorum collegimus, sublimitati tuæ grave nimis existere quod Savaricii archidiaconi mandaveramus redditus colligi, et ei per venerabilem fratrem nostrum Baldewinum, Cantuariensem archiepiscopum, apostolicæ sedis legatum, pro solvendis debitis, quibus astrictus, assignari; volentes magnificentiæ tuæ in hac parte deferre, ad preces tuas et ad instantiam nuntiorum tuorum, eidem archiepiscopo dedimus in mandatum, ut redditus ipsos colligi faciat, et penes se cum integritate reservet. Credimus siquidem et speramus in Domino, quod ex moderantia mandati nostri, ad aperienda ei viscera pietatis, regia magnitudo debeat facilius inclinari; cum nihil in rege, vel in principe, gloriosius quam suis subditis parcere, et eos, solo divinæ retributionis intuitu, ad suam gratiam revocare.

LII.

Præpositis, scabinis, juratis, majoribus et populo castri Valentianensis significat, se Rugero episcopo Cameracensi mandasse, ut ecclesiæ S. Salvacii parochiam in partes tres divideret.

(Veronæ, Aug. 2.)

[Miræus, *Opp. diplom.*, II, 834.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præpositis, scabinis, juratis, majoribus et populo castri Valentianensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi dilecti filii nostri prior S. Salvii Valentianensis et Joannes presbyter ecclesiæ S. Gaugerici, super eo quod prædictus prior parochiam ipsius ecclesiæ in tres partes contra voluntatem ipsius presbyteri dividere nitebatur, ad nos litigaturi venissent; postmodum tamen ipse presbyter recognoscens, quod sine gravi periculo parochianorum nostrorum remanere non poterat indivisa, per seipsum quæstioni libere cessit, et ut in tres partes ipsius parochiæ fieret divisio, acquievit.

Quod autem, conspectis periculis quæ pro penuria sacerdotum populus ipsius parochiæ sustinebat, ad divisionem sicut præfatus prior asserit, fideliter laborastis, et circa profectum ecclesiæ cui estis parochiali jure subjecti, diligentem sollicitudinem adhibetis, gratum gerimus, ut debemus, et devotionem vestram in hac parte non immerito commendamus.

Unde venerabili nostro fratri Cameracensi episcopo prædictam parochiam commisimus dividendam. Monemus universitatem vestram, et hortamur in Domino, atque in remissionem peccatorum vobis injungimus, quatenus cum parochia in tres partes ab eodem episcopo divisa fuerit, singuli vestrum parochiæ cui deputati fuerint, debitam reverentiam et subjectionem impendant, et ecclesiæ S. Salvii sua jura (quæ quidam vestrum in suæ salutis periculum detinere dicuntur) certis temporibus integre persolvatis, et, restitutis quæ sunt injuste subtracta, prædicto priori et ecclesiæ suæ devotionem, sicut convenit, impendatis, ita quod ex hoc et ab omnipotente Deo præmium indeficiens consequamini, et nos providentiam vestram possimus plenius, cum audierimus, de bonis operibus commendare.

Datum Veronæ, IV Nonas Augusti, anno 1186.

LIII.

Monasterii S. Mariæ Salinæ-Vallis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Aug. 9.)

[Hugo, *Annal. Præmonstrat.*, Pr., p. 461.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Cononi abbati ecclesiæ Sanctæ Mariæ Salinæ-Vallis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam

(16) Hactenus pontifex. Subdit vero Rogerius hæc ipsa scribens: Joscelinus et collegæ sui supradictis episcopis apostolicas litteras notificaverunt. Joannes profectus est obtemperans; episcopus autem S. Andreæ terminum sibi datum transgressus, ire distulit, et præfati judices delegati suspenderunt eum ab episcopali officio, et deinde propter suam contumaciam excommunicaverunt, secundum formam apostolici mandati.

futuris, regularem vitam professis, in perpetuam rei memoriam.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatam ecclesiam beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ, in qua divino estis mancipati obsequio, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti titulo communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam, atque Præmonstratensium fratrum institutionem in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, *et cætera bonorum enumeratione completa, ut in bulla Alexandri III, pro eodem monasterio sic suam prosequitur constitutionem.*

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere præsumat.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia, de eodem nisi arctioris religionis obtentu, discedere; discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus violentiam, vel rapinam sive furtum committere, aut ignem apponere, seu hominem capere, vel interficere audeat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis quatuor aut tres, ad minus, de fratribus vestris ponere, quorum unus diœcesano episcopo præsentetur, ut ab eo curam animarum suscipiat, et ipsi de spiritualibus respondeat, vobis vero de rebus temporalibus debitam subjectionem impendat.

Auctoritate quoque apostolica districtim inhibemus ne quis pro abbate benedicendo, seu chrismate, seu aliis ecclesiasticis sacramentis, sub obtentu consuetudinis aut quocunque modo a vobis aliquid præsumat exigere. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres, communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerit eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire temere tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui potestate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Joannes presbyter cardinalis ecclesiæ Sancti Marci cum parapho.

Ego Petrus de Bon presb. card.

Ego Laborans presb. card. ecclesiæ S. Mariæ trans Tiberim S. Calisti.

Ego Pandulphus presb. card. ecclesiæ XII Apostolorum.

Ego Albinus cardinalis ecclesiæ Sanctæ Crucis in Gerbin.

Ego Melchior presb. card. SS. Joannis et Pauli ecclesiæ S. Pammachii.

Ego Adelardus ecclesiæ S. Marcelli presb. card.

Et in medio pergameni :

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis ecclesiæ episcopus.

Ego Paulus Prænestensis episcopus.

Ego Hyacinthus diaconus cardinalis ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Bobo S. Angeli diaconus cardinalis.

Ego Siffridus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Petrus in Erne S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis. *Omnes cum paraphis.*

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, v Idus Augusti, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno primo.

LIV.

Ecclesiam S. Vincentii Bergomatem tuendam suscipit ejusque bona et jura confirmat.

(Veronæ, Aug. 11.)

[Lupi, *Cod. diplom. Bergom.* II, 1363.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Adelardo archidiacono ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, in matrice Pergamensi ecclesia canonice viventibus, in perpetuam memoriam.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequenti compleri ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et Beati Vincentii martyris ecclesiam in qua divino estis obsequio mancipati ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Innocentii, Lucii, Adriani et Alexandri Romanorum pontificum, una cum vestræ congregationis collegio, et cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus sub apostolicæ sedis tutelam protectionemque suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ est in castello de Calcinate, ecclesiam Sancti Martini quæ est in ejusdem loci villa, ecclesiam Sancti Michaelis de Carpeneto, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Gorlo, ecclesiam Sancti..... de Spalanico, ecclesiam Sanctæ Christinæ de Albigno, ecclesiam Sancti Cassiani in civitate Pergami. Statuimus etiam ut in omnibus locis Pergamensis episcopatus in quibus eadem ecclesia decimationem solita est habere, ita decimæ de novalibus factis citra quadraginta annos et de rebus aliis de quibus decimæ hucusque exhibitæ non fuerunt vobis de cætero conferantur sicut eadem ecclesia solet de aliis antiquis decimationibus exhiberi, decimam quoque Artolæ et Brosetæ et novellum omnium et terrarum in vestro plebatu consistentium nos volumus perpetuo nihilominus obtinuatis decimas, præterea novalium in Serengo et in Belbiaco et in omnibus locis de Calcinate, salvis in omnibus privilegiis apostolicæ sedis ad instar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate præsentium confirmamus.

Decernimus ergo ut quandiu in canonicæ disciplinæ observantia permanseritis, nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum condigna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jura sua servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

In Circulo: Ad te, Domine, levavi animam meam.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci subscripsi.

Ego Petrus de Bono presb. cardinalis tituli Sanctæ Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tiberim, tit. S. Calixti subscripsi.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. XII Apostolorum subscripsi.

Ego Albinus presbyter cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem subscripsi.

Ego Melchior presb. cardinalis tit. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii subscripsi.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli subscripsi.

Ego Jac. diacon. cardinalis S. Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Gratian. diacon. cardinalis Sanctorum Cosmæ et Damiani subscripsi.

Ego Bobo Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diacon. cardinal. subscripsi.

Ego Rolland. Sanctæ Mariæ in Porticu diacon. cardinalis subscripsi.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. cardinalis subscripsi.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, III Idus Augusti, indict. IV, Incarnationis Dominicæ

1186. pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

LV.

Monasterii S. Mariæ Seitenstettensis patrocinium suscipit et possessiones jnraque confirmat.

(Veronæ, Aug. 30.)

[*Monumenta Boica*, XXIX, II, 34.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Chunrado abbati monasterii Sanctæ Mariæ de Sitanstetin ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Licet omnibus Ecclesiis et ecclesiasticis personis, ex injuncto nobis Deo appellatus [appellatis?!] officio debitores nos fore cognoscamus, illos tamen paternis affectibus nos convenit specialius confovere, qui, postpositis rebus sæcularibus, omnipotentis Dei servitio se arctius alligarunt. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus, et præfatum Sitanstetin monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsenti scripto privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seû aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Ex dono nobilis viri Ulschalci fundatoris ejusdem cœnobii fundum ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum omnibus pertinentiis suis et quæ circa Urla fluvium et apud Grunpach et Stille et Hefte idem fundator vobis contradidit. Ex dono Helenæ nobilis matronæ et filii ejus Hertivici ac filiæ Richardæ prædia juxta Frevinich et ad Lanzendorf, Zelkingen et Aheim. Ex dono nobilium Eginonis de Urle curtem et molendinum in vicinia claustri et Udalrici de Ohsenbach curtem ad Frevinich. Ex dono Reinberti nobilis prædium ad Elsarn et capellam cum omni jure suo, sicut eam Dipoldus Pataviensis episcopus privilegio vobis commendavit. Prædium quod dedit vobis Heilwig matrona de Pirboum permissione et manu domini sui Heinrici ducis Austriæ per manum delegatoris Conradi comitis de Pilstein. Mancipia quæ Alrammus nobilis de Urle et Benedicta de Adelhartsperge Ecclesiæ Sanctæ Mariæ contradiderunt. Ex dono bonæ memoriæ Udalrici Pataviensis episcopi parochiam Aspach cum omnibus suis titularibus ecclesiis, scilicet Adelhartsperge et Piperbach et Chrebstetn, et aliis capellis in ea ædificatis et ædificandis cum jure sacerdotali, et tota in eis decimatione, exceptis aliquibus decimis beneficio innodatis, et decimationes novalium quæ vel in præsenti vel deinceps exculta fuerint, ex utraque parte fluminis Yps usque ad. Karintsgeschcide, sicut privilegium ejusdem continet. Capellas ad Clusam et Waidhoven cum decimis et omnibus pertinentiis suis. Ex dono Reinberti Pataviensis episcopi parochiam Wolfspach cum suis titularibus ecclesiis et in loco scilicet Sitanstetn et in monte Sancti Michaelis et decimationes in Sunnilburch cum ipsa curte quas in concambio ab eo accepistis pro prædio Pfafenstetn.

Statuimus itaque ut, sicut in privilegio prænotati episcopi habetis, abbas prædicti monasterii electus, altaria semper cum ipsa abbatia de manu episcopi accipiat, et ad arbitrium suum et utilitatem libere deinceps eisdem ecclesiis sacerdotes provideat, qui tamen episcopo pro excessibus in capitulo ejus respondeant. Ex dono Conradi Pataviensis episcopi decimas apud Rubnih. Ex dono Geronis comitis de Glueze prædium ad Urle ; ex dono filii ejus Ekkeberti comitis prædium ad Dahspach. Ex dono Wichmanni Magdeburgensis archiepiscopi prædium ad Ibsize cum ecclesia quam construxistis. Ex dono Liutkarde advocati Ratisponensis prædium ad Flatze et Huenen cum mancipiis. Ex dono Alberti de Livprameschirchen et filii ejus prædium ad Bretingen juxta Vilse. Ex oblatione fidelium prædia ad Piperbach, Risenberge, Tulbingen, Chaetzlinsdorf, Ydungestorf. Præterea apostolica auctoritate statuimus ut, secundum tenorem et jus fundationis, abbas et fratres ejusdem monasterii liberam in perpetuum habeant potestatem eligendi sibi advocatum de cognatione fundatoris. Idem quoque advocatus si fuerit inutilis et monasterium per aliquam violentiam oppresserit, abbas et fratres nihilominus habeant potestatem eumdem advocatum submovere, et alium de prædicta cognatione utilem et bonum sibi constituere, qui nec hæreditatis appellatione, nec beneficii jure, sed nec alicui temporalis emolumenti gratia, sed divinæ retributionis intuitu monasterium tueatur. Pataviensis quoque episcopus si quando prædictum monasterium per vim et injusto dominio oppresserit, cognati fundatoris in altare sancti Stephani aureum ponant secundum jus fundationis et secundum privilegium Vodalrici Pataviensis episcopi, et jam deinceps liberam habeant potestatem idem monasterium ad aliam ubi eis placuerit transferendi Ecclesiam. Nec episcopo, nec abbati ipsi, nec personæ alicui facultas sit bona ejusdem cœnobii in feodum et beneficium, sine consensu meliorum et discretorum fratrum aliquibus dare, nec modis aliis alienare.

Sane sepulturam ipsius loci liberam esse censemus, ut qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati sint vel interdicti, extremæ voluntati eorum nullus obsistat, salva justitia matricis ecclesiæ. Laicos sive clericos sæculares ad conversionem suscipere, nullius episcopi vel præpositi vos inhibeat contradictio. Prohibemus quoque ut nulli fratrum præter factam professionem, absque abbatis totiusque congregationis permissione, liceat ex eodem claustro discedere nisi ad districtiorem ordinem, discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Nulli quoque liceat monasterio angarias vel alias exactiones monasticæ quieti et religioni contrarias imponere. Chrisma et oleum dedicationis ecclesiarum, ordinationes monachorum ab episcopo Pataviensi accipietis, siquidem catholicus fuerit et gratiam sedis apostolicæ habuerit; sin autem, a quolibet alio catholico liceat ea vobis expetere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum timorem Dei et beati Benedicti Regulam, providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Pataviensis episcopi canonica reverentia, cui tamen omnino non liceat ei vexationem aliquam vel consuetudinem quæ regularium quieti noceat irrogare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, circa (*f.* contra) eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, III Kal. Septembr., indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III anno primo.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Heinricus Albanensis episcopus.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Petrus de Bono presb. card. tit. S. Siclarin [*f.* Susannæ.]

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim, tit. S. Calisti.

Ego Pandolphus presb. card. tit. XII Apostolorum.

Ego Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Jerusalem.

Ego Melchior presb. card. tit. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Adelhardus presb. card. tit. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Hyacinthus diac. card. tit. S. Marcelli.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Bobo S. Angeli diac. card.

Ego Octavus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Rollandus S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

LVI.

Ecclesiæ Augustensis protectionem suscipit et possessiones confirmat, petente Volscalco episcopo.

(Veronæ, Sept. 4.)

[*Monum. Boic.*, XXXIII, 1, 44.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Volscalco, Augustensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuam memoriam.

In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, fratres et coepiscopos nostros, tam propinquos quam longe positos, fraterna debemus charitate diligere, et Ecclesiis quibus Domino militare noscuntur, suam dignitatem et justitiam conservare. Eapropter, venerabilis in Domino frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Augustensem ecclesiam, in qua, Deo auctore, præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus.

Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Villicationem in Bozan, cum omnibus appendiciis suis; Staphense, Denchelingen, Mantechingen, Waringen, Maizelstein, et Majorem villicationem et Westendorf; Gunzeburc, Taigenhusen, Nawen et Offingen. Jus etiam quod habes in præposituris, archidiaconatibus seu aliis dignitatibus concedendis, et in eligendis præpositis et archidiaconis, aut etiam confirmandis. Monasterium etiam Sancti Vodalriçi cum integritate justitiæ et servitii, quæ prædecessores tui usque ad tempus tuum rationabiliter habuerunt, te quoque auctoritate apostolica statuimus obtinere : prohibentes ne idem monasterium, aut alia quæ ad episcopale jus pertinent, sine tuo vel successorum tuorum consensu a subjectione et potestate ipsius ecclesiæ tuæ, quisquam alienare præsumat. Quod si præsumptum fuerit, nullam habeat firmitatem. Prohibemus etiam ne interdictos, vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine consensu tuo quisquam admittat; nisi

forte periculum mortis immineat, ut, dum præsentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesiæ, satisfactione præmissa, oporteat ligatum absolvi, metropolitano tuo canonica auctoritate servata.

Possessiones etiam seu quælibet bona Augustensis Ecclesiæ, vel quæ ab ipsa in feudo vel alio modo tenentur, nulli personæ seu ecclesiæ, sine tuo vel successorum tuorum assensu, conferre liceat, seu cuilibet dare, vel quolibet alio titulo alienare.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Joannes presb. cardinalis tit. S. Marci ss.

Ego Petrus de Bono presb. card. tit. S. Susannæ ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Jerusalem ss.

Ego Melchior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii ss.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card. ss.

Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card. ss.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ego Rollandus S. Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, II Nov. Septembr., indictione IV, Incarnationi Dominicæ 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

LVII.

Monasterii S. Mariæ Tongerloensis protectionem suscipit, disciplinamque, possessiones, privilegia confirmat.

(Veronæ, Sept. 6.)

[Miræi, *Opp. dipl.*, I, 550.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hermanno abbati ecclesiæ B. Mariæ de (17) Tongerloo, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, religiosam vitam professis, in perpetuum.

Cum simus ad curam et regimen universalis Ecclesiæ, licet immeriti, providentia supernæ dispositionis assumpti, si quando postulantur a nobis quæ ad Ecclesiarum tuitionem pertineant, petentium desideriis clementer nos convenit condescendere, et eorum vota effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam B. Mariæ Tongerloensis, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Eugenii papæ prædecessoris nostri, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus

In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et B. Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensium fratrum, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Totam decimam Tongerloensis parochiæ et dominicaturam, videlicet quadraginta bonaria cum molendino uno; totam Giselberti terram, fundatoris ejusdem ecclesiæ, quam tam in Tongerloo, quam in Wimple et in Lanchem et in aliis quibuscunque locis possiderat; terram in Ovete; terram quam suscepistis ab Engelberto de Casterloo, cohærede videlicet prædicti Giselberti, fundatoris ecclesiæ; omnem possessionem Huberti in Ewen, tam in allodio quam in hæreditate vobis collatam; curtem eamdem scilicet Ewen cum omnibus pertinentiis suis; Calm-

(17) Tungerloo, illustris abbatia ordinis Præmonstratensis in campania Brabantiæ et diœcesi Sylviducensi, haud procul ab Herentalia oppido. Vide *Codicem donationum piarum*, cap. 87.

pthout ex dono Arnoldi, et quidquid ibi possidetis; terram quam vobis contulit Conradus tam in Lifterde, quam in Schoonenbroeck; omne allodium Arnoldi in Nile; terram in Hille, terram in Werbeche, terram in Holenchem ex dono Berneri Escheden cum molendino, et cum palude et nemore Eschendonck, in Ecclesia de Endeschit quidquid juris in ipsa canonice obtinetis; terram Arnoldi et Alberti fratris ejus, et Arnoldi cognati ipsorum in Budincrode; totum allodium Arnoldi de Ranst in Nile, et tertiam partem decimæ totius villæ; terram vestram in Furnhout, terram in Loon cum dimidia parte decimæ totius villæ et jure fundatoris dimidio; terram in Beverlo, terram in Donresto, quam vobis contulit Arnoldus de Velpa; terram de Ravensloo et in Hele, terram in Bosenchem, et in Martensele, ex dono Henrici de Hosterhoven et Walteri de Villa; terram de Herentholt; terram in Vorsla; terram in Gersecha; ecclesiam Bruchem cum suis appendiciis, Olenchem videlicet (18), Aldire et Winenchem, cum tertia parte decimæ et nono manipulo tam in Bruchem quam in Olenchem, et tota decima in Winenchem; ecclesiam Nispe, et ecclesiam Sundere cum tota utriusque ecclesiæ decima; ecclesiam de (19) Alphen, quam de monasterio S. Willibrodi in Epternacho tenetis, salvo ipsius monasterii jure de (20) Diest, ecclesiam quoque de Diest, cum universis decimis et tribus mansis terræ, et quinque curtilibus, et cæteris quæ in eadem villa ad ecclesiam Tongerloensem pertinent. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus seu sumptibus colitis, seu de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere præsumat.....

Datum Veronæ, VIII Idus Septembris, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno primo.

LVIII.

Privilegium pro monasterio S. Cornelii Ninoviensi.

(Veronæ, Sept. 6.)

[De Smet, *Corpus chronic. Flandr.*, II, Append., p. 792.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Arnoldo abbati monasterii S. Cornelii Ninivensis ecclesiæ, filiisque fratribus, tàm præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim cum petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium S. Cornelii, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Innocentii, Eugenii et Alexandri Romanorum pontificum, A sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus propriis duximus exprimenda vocabulis: Totam decimam ejusdem ecclesiæ cum B appendiciis suis; Herlinchovem cum tota decima, Lidekerkensem ecclesiam cum tota decima et appendiciis suis, scilicet Lumbeca et Strithem ab omni jure speciali et exactione liberam, duas partes decimæ totius parochiæ de Menz; piscationem in aquis de Lidekerka ubique præterquam in vivario advocati, et usum memoris ad quælibet expedientia; curtim Nederwic cum prato, piscationem in Tenera, cum advocato; molendinum cum mansis juxta ecclesiam Ninivensem; terram cum molendino et silvam quam dedit vobis Willelmus de Merbena; terram quam dedit Gerardus de Curia super Gidenghem et Guavestratam; curtim Rubroc cum circumjacentibus terris, pratis, silvis; terram Hugonis Cautis et fratris ejus Gisleberti; silvam C Mentogh a Gerardo advocato emptam, hæreditatem Henrici conversi de Herlinchoven; allodium quod dedit vobis Herbrandus de Merbena, et terram cum; silva quam vendidit Walterius de Curia et quam dedit Theodoricus de Inferno; duas partes decimæ de Florsenghem et attractum; terram quam dedit vobis Gerardus advocatus et Henricus Warlans apud Scoram, de qua decimam sumat Ninivensis ecclesia; terram quam dedit Clarebaldus juxta Scoram; terram quam dederunt Walterus et Balduinus, de Poleka apud Okenghem; partem Querceti, et terram quam dedit Amelricus de Stenhusen; terram quam dedit idem Amelricus et Hugo Rampart; in parochia de Idrenghem molendinum; pratum cum pascuis et omnibus pertinentiis suis, quæ D Henricus et Willelmus liberi Valrani dederunt in ecclesiam, ut liberum allodium, censum et quintum manipulum agri qui jacet in parochia de Herlinchoven prout vobis dederunt Geraldus et Arnulfus, frater ejus, pro anima matris suæ Mathildis; hospitale de Polensele cum omnibus possessionibus suis; terram et silvam quam dedit Henricus de le Roes et uxor ejus apud Lidkerkam; terram et nemus quæ Simon de Ledeberga dedit; altare de Pamella cum decima et censu, debitisque pertinentiis; tertiam partem decimæ totius de Ockenghem

donationum piarum.

(18) Aldire nunc Alliere vicus.

(19) Alphen, olim Alphejm in pago Taxandrio, ut habetur in testamento S. Willibroodi, cap. 8, *Codice*

(20) Diest, oppidum ad Demerum fluvium.

et attractum; curtim de Roslar cum circumjacentibus' terris, nemoribus, silvis quas dederunt Gosuinus et Hegericus et Alix de Scindelbena et quam dederunt Sygerius de Bosca et Gisel; terram etiam et silvam quam Lambertus et Sygerius fratres de Horenbecca, dederunt et Rozo de Gavera; terram Abonis apud Lideckerkam; terram quam castellanus Bruxellensis dedit assensu dominorum suorum Widonis et Walteri de Horden apud Senefiam; ibidem terram quam dedit Macarius assensu Arnoldi de Fellu et eam quam idem Arnoldus de Fellu dedit; terram quam dedit Hugo Pauper assensu fratris sui Giraldi apud Archen; et terram quam dedit Albericus cum silva in eadem parochia assensu dominorum suorum; silvam et terram quam Henricus de Rut dedit; omnimodum usum nemoris de Carbonirs et pascua prout se extendit parochia de Senefia; in parochia de Merbecca, terram, nemus et pratum prout tenetis ad censum a Nivellensi ecclesia et molendinum et exclusam; juxta curtim de Cathem et in gyro, totam terram et nemus cum suo procinctu quam tenetis ad annuam pensionem ab ecclesia de Haspera, et aliam quam ibidem obtinuistis in eleemosynam a Rolino; integram medietatem totius villæ de Stritthem quam dedit vobis Willelmus per manus dominorum suorum in censum et quinto manipulo omnium fructuum qui excoluntur in agro et mansuris. In parochia de Sanctis curtim de Hartbecca cum terris, pratis, silvis, suisque pertinentiis, prout Joannes dedit in eleemosynam cum filio suo Waltero quem ad conversionem reddidit.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus excolitis, seu de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas extorquere audeat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere; prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere; discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis vel interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Pro chrismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum et ordinationibus clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, sive abbate benedicendo seu reducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis sacramentis, nullus a vobis vel sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quidquam audeat postulare; novas quoque et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis seu aliis ecclesiasticis, sæcularibusve personis in ecclesiis vestris omnino fieri prohibemus. Insuper autem apostolica auctoritate duximus inhibendum ne illius loci advocatiam ullus usurpet vel quæ ad eam pertinent gravare, seu quibuslibet indebitis exactionibus fatigare præsumat; sed his qui antiquitus eidem monasterio concessa sunt et ad justitiam suam pertinent, contentus existat. Si quis autem laicus decimas quas detinet, sine præjudicio alterius ecclesiæ, de consensu episcopi vobis duxerit pietatis intuitu indulgendas, recipiendi et retinendi liberam vobis tribuimus facultatem. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem communi fratrum consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam, providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, sive ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam condigna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Veronæ per manum Alberti S. Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardin. et cancell., VIII Idus Octobris, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno primo.

LIX.

Parthenonem S. Gratæ Bergomatem tuendum suscipit ejusque possessiones ac privilegia confirmat

(Veronæ, Sept. 20.)

[Lupi, *Cod. diplom. Bergom.*, II, 1367.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Eugeniæ abbatissæ sanctæ Gratæ ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, regulariter substituendis, in perpetuam memoriam.

Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se

præparant ire obviam Sponso, sedes apostolica debet præsidium impertiri ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet aut robur, quod absit! sanctæ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium Sanctæ Gratæ in quo divino estis obsequio mancipatæ, ad instar felicis recordationis Leonis papæ prædecessoris nostri, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Calvenzano cum omnibus possessionibus et pertinentiis suis; curtem quoque ac castrum de Saranica cum omnibus ad eamdem curtem et castrum pertinentibus. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas ad conversionem recipere, et eas sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne alicui sororum vestrarum fas sit post, factam in C monasterio vestro professionem, nisi arctioris religionis obtentu de ipso sine licentia suæ abbatissæ discedere, discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Antiquas quoque ac rationabiles consuetudines et libertates in ecclesia vestra hactenus observatas ratas habemus easque perpetuis temporibus illibatas decernimus permanere. Nihilominus etiam auctoritate apostolica districtius inhibemus ne quis in vos vel monasterium vestrum excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulgare, vel novas aut indebitas exactiones præsumat imponere. Obeunte vero te ejusdem loci abbatissa vel earum aliqua quæ tibi successerint, nulla ibi quælibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel sororum pars consilii sanioris, secundum Deum et B. Benedicti Regulam, prævideriut eligendam. Sepulturam præterea ipsius monasterii liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. A

Paci quoque ac tranquillitati vestræ paterna inposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne quis infra ambitum domorum earum furtum rapinamve committere, ignem apponere... capere vel interficere, seu violentiam aliquam exercere, qualibet temeritate præsumat.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione vel sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolicæ auctoritate, et Pergamensis episcopi canonica justitia. B

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. C

In circulo: AD TE, DOMINE, LEVAVI ANIMAM MEAM.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci subscripsi.

Ego Petrus presbyter cardinalis tit. Sanctæ Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presb. cardinalis tit. S. Mariæ trans Tiberim subscripsi. D

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. duodecim Apostolorum subscripsi

Ego Albinus presbyt. cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Jerusalem subscripsi.

Ego Melchior presb. cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pammachii subscripsi.

Ego Hyacinthus diac. cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. cardinalis subscripsi.

Ego Boso diaconus cardinalis Sancti Angeli tit. Calixti subscripsi.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Rolland. Sanctæ Mariæ in Porticu diacon. cardinalis subscripsi.

Ego Petrus diac. cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card. subscripsi.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, XII Kalendas Octobris, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

LX.

Ad Balduinum episcopum Cantuariensem, — De ecclesia in honorem sanctorum Stephani et Thomæ construenda.

(Veronæ, Oct. 1.)

[MANSI, *Concil.*, XXII, 498.]

Præsentium tibi auctoritate mandamus ut liceat tibi ecclesiam in honorem beatorum martyrum Stephani et Thomæ construere, et de idoneis eam ornare personis, quibus beneficia, quæ ad eorum sustentationem constitueris, canonice debeas assignare. Item fraternitati tuæ mandamus ut quarta parte oblationum, quæ ad reliquias beati Thomæ martyris offeruntur, monachorum usibus concessa, quarta fabricis ecclesiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam portionem liceat tibi in alios usus bonos pro tuæ voluntatis arbitrio erogare.

LXI.

Constitutionem de redditibus præbendarum decedentium canonicorum usque ad annum restitutioni ecclesiæ deputandis confirmat.

(Veronæ, Oct. 9.)

[Petri Blesensis Opp. ed. Gussanv., p. 770.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Bajocensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, constitutionem quam de redditibus præbendarum decedentium in ecclesia vestra canonicorum usque ad annum restitutioni vestræ ecclesiæ deputandis fecistis, sicut a vobis et venerabili fratre nostro Henrico episcopo vestro noscitur instituta, et scripto authentico confirmata; electionem quoque decani, sicut ad vos de jure pertinet, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Veron. VII Idus Octobris.

(21) Marcus Nicolai episcopus Castellanus.

LXII.

Episcopo Castellano (Veneto) mandat ut parochialia capellæ S. Severi jura tueatur.

(Veronæ, Oct. 17.)

[CORNELIUS *Eccl. Venet.* t. II, p. 145.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili Castellano episcopo (21) et dilecto filio JOANNI plebano S. Bartholomæi, salutem et apostolicam benedictionem.

Significavit nobis dilecta in Christo filia abbatissa S. Laurentii, quod licet Georgii Laurentii boni Joannis de Morzano, et quorumdam aliorum domus in parochia S. Severi, quæ est capella prædictæ abbatissæ, consistant, habitatores tamen domorum ipsarum eidem capellæ jura parochialia non exsolvunt. Quoniam igitur nostræ sollicitudinis est et officii singulis Ecclesiis suam justitiam conservare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, inquisita plenius veritate, si rem ita per se habere constiterit, habitatores domorum illarum, ut præscriptam capellam pro audiendis quotidianis officiis adeant, et eis tam in obsequiis mortuorum, quam in aliis reverentiam debitam exhibeant, et parochialia jura persolvant, contradictione et appellatione cessante, ecclesiastica districtione cogatis; verum si aliquid super hoc emerserit quæstionis, id a vobis diligenter audiri volumus, et sine appellationis diffugio mediante justitia, terminari.

Datum Veronæ, XVI Kal. Novembris.

LXIII.

Ubaldo, archiepiscopo Pisano, primatum Sardiniæ asserit, an. 1186, indictione V, XIII Kal Nov. (Oct. 20), sub dat. « Veronæ per manum Alberti S. Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii. »

[UGHELLI, *Italia Sacra*, III, 408.]

LXIV.

Absaloni archiepiscopo Lundensi asserit castrum Hafnense, post ejus mortem Roschildensi ecclesiæ obventurum.

(Veronæ? Oct. 21.)

[THORKELIN, *Diplom. Arna-Magnæan.* I, 57.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ABSALONI Lundensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Fratres et episcopos nostros tam propinquos quam longe positos sincera tenemur charitate diligere, ipsosque in his quæ juste requirunt, libenter et efficaciter exaudire. Eapropter tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu castrum de Hafn quod illustris memoriæ Waldemarus, olim rex Daciæ, tuæ fraternitati contulit et tu tali conditione interposita Roskildensi ecclesiæ pia consideratione dedisti, ut ipsum debeas quoad vixeris detinere post decessum tuum ad ecclesiam ipsam libere devolvendum sub jam dictæ conditionis tenore, sicut ipsum juste et sine controversia possi-

des cum omnibus pertinentiis suis auctoritate apostolica confirmamus et præsenti scripti patrocinio communimus.

Videlicet villam ipsam de Hafn. Oterslef cum omnibus pertinentiis suis, scilicet Særeslef, Solbiergh, Wanlosæ, Wigheslef, Walby mansum unum, Brunshôw, Ymbrethorp, mansionem de Gefnetofte cum omnibus pertinentiis suis, Myrthigæ cum omnibus pertinentiis, Baksuerthe, Wigherom, Husfrucôp, Awerthe, Burgheby, Mertherom cum omnibus pertinentiis suis, præterea universam partem eorum quæ acquisivit Nicolaus castellanus tuus juxta tenorem pacti, quod inter vos convenit.

Nulli igitur omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Witerbi (22), XII Kal. Novembr.

LXV.

Canonicorum Ecclesiæ Pisanæ possessiones et privilegia confirmat.

(Veronæ, Nov. 7.)

[UGHELLI, *Italia Sacra*, III, 413.]

Anno 1186, *quo Ubaldus Pisanam Ecclesiam gerebat, Villanus archipresbyter, et metropolitanæ sedis canonici ab Urbano III papa, ut privilegia, et immunitates, quibus hactenus potiti essent, sua auctoritate fulciret, eblanditi sunt, qui ipsorum votis, lato diplomate, iisdem fere verbis alterius Anastasii supra recitati* (23), *benevolum se impertiit.*

Datum Veronæ, per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, VII Idus Novembris, indict. IV, Incarnat. Domin. ann. 1186, pontif. D. Urbani papæ III anno primo.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Petrus presbyter card. tit. Sancti Silvestri ss.

Ego Laborans presb. card. tit. S. Mariæ, trans T. suscripsi.

Ego Pandulphus presb. tit. SS. XII. Apost. ss.

Ego Melchior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii ss.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter card. ss.

Ego Gratianus diac. card. tit. SS. Cosmæ et Damiani subscripsi.

Ego Lofredus diac. card. tit. S. Mariæ in Via Lata subscripsi.

Ego Petrus diac. card. tit. S. Nicolai in Carcere Tul. subscripsi.

Ego Rodulphus diac. card. tit. S. Georgii in Velabro subscripsi.

LXVI.

Decreta concilii a Petro archiepiscopo Spalatino et ejus suffraganeis celebrati, emendati et confirmati.

(Veronæ, Nov. 11.)

[FARLATUS, *Illyricum sacrum*, III, 219.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri PETRI Spalatensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ a fratribus et coepiscopis nostris rationabiliter pertractantur, firma debent, illibata permanere; et ne processu temporis per alicujus malitiam immutentur, apostolico præsidio communiri. Eapropter tuis justis postulationibus gratum impertientes assensum, divisiones parochiarum, quos ad suffraganeorum tuorum assensus fecisse dignosceris et redigi fecisti in scriptum, pro eo quod ex confusione ipsarum quæstiones difficiles sæpius consurgebant, sicut rationabili de illorum suffraganeorum conscientia factæ sunt, et in scripto authentico continentur, et constitutiones alias, quæ pro corrigendis quorumdam excessibus et aliis honestis causis congregato concilio deliberatione provida statuistis cum additionibus et determinationibus quæ ipsis capitulis inferius apponuntur, auctoritate apostolica confirmamus. Ut officium B. Mariæ ab omnibus communiter celebretur. Præterea canonici, qui redditus canonicos habent in nigris (24) cappis, vel albis (25) superpelliceis (26) ad divina officia celebranda conveniant, et dormiant (27) in dormitorio uno, et si aliquis ex canonicis ecclesiæ tuæ de mandato archiepiscopi, qui pro tempore fuerit, vel capituli processerit aliquorsum, donec extra permanserit, exigente necessitate, fructus prebendæ suæ, seu alios redditus suos integre consequatur. Prohibuisti etiam ne conventicula fierent (28) quæ frater-

(22) Aut falsa est bulla, aut pro *Witerbi* legendum *Veronæ*.

(23) Vide *Patrologiæ* tom. CLXXXVIII, in Anastasio IV.

(24) Nomine cappæ intelligitur cappa magna, seu longa cum capucio, pellibus vel serico, secundum temporum exigentiam, subsuto... Antiquitus canonicorum cappa erat nigri colorisad instar religiosorum, ex parte anteriori aperta, et unita tantum inferius eo modo, quo a Nicolao III in aliquibus constitutionibus ms. Ecclesiæ Vaticanæ his verbis refertur: « A vigilia scilicet Omnium Sanctorum usque ad Sabbatum Sanctum superpelliceas lineas deferant, cappas nigras de *sagia* simplices, vel si voluerint fœderatas a cingulo, ex parte anteriori fixas inferius et apertas. » Dominicus Macrus in *Hierolexico*.

(25) Hic particula *vel* non disjungendi sed conjungendi vim habet, valet idem atque *et* conjunctio.

(26) Superpelliceum ecclesiasticum indumentum, quod italice *cotta*, ex græco vocabulo χιτών tunicam significante dicitur, sive ex Arabico *Kiltan*, id est linum, ex qua materia superpelliceum conficitur, Dom. Mac. in *Hierolex.* Durandus vero, libro III, cap. I: « Superpelliceum eo quod antiquitus super tunicas pelliceas de pellibus animalium induebatur; quod adhuc in quibusdam ecclesiis observatur, repræsentantes quod Adam post peccatum talibus vestitus sit pelliciis. »

(27) Erat siquidem olim inter canonicos domicilii et vitæ, victusque communitas. Ædesque, in qua simul habitabant, *canonica* vocabatur.

(28) Sodalitia piorum hominum qui certis peculiarium legum vinculis inter se conjuncti, statis festisque diebus, ad quædam religionis et charitatis offi-

nitate appellantur; et ne comes (29), vel alius quicunque laicus, cum tuam ecclesiam rectore vacare contigerit, de domo vel aliis rebus ecclesiasticis se intromittere ullo modo præsumat, vel personam aliquam præficere... (30) clericus de communi vel majoris et sanioris partis suffraganeorum consilio duxerit ordinandum. Statuisti etiam ut nullus in sacerdotio ducat uxorem, nec ad sacerdotis ordinem assumatur, nisi se victurum promiserit continenter, quod volumus etiam in diaconatus ordine (31) observari. Ad hæc insuper statuisti ut nullus episcopus presbyterum seu clericum alterius (diœcesis (32) accipere, sine proprii episcopi litteris, vel ordinare præsumat; et ut nullus clericus ecclesiam obtinere per laicos (33), vel accipere ab aliquo investituram ecclesiæ non vacantis attentet; quod si fecerit, officii sui beneficiique pœna mulctetur. In causa ecclesiastica, nisi parva sit, nullius sine juramento testimonium admittatur, quod in qualibet etiam ecclesiastica causa (34) ducimus observandum. Ita vero de monialibus decrevisti, quod post annum suæ probationis velamen accipiant, aut egrediantur de claustro; quod sic tantum volumus observari, ut expulsæ in aliquo loco votum suum (35), ne redarguendæ transgressionis videantur. Abbatissa vero infra mensem electionis suæ benedictionem accipiat vel, remota eadem, alia subrogetur; et neque lineo (36) vestimento, neque carne utantur, nisi forte fuerint infirmitate detentæ. Et quia multi passim legitimis dimissis uxoribus superinducunt alias, statuisti, ut si quis dimissa propria uxore acceperit aliam, nisi se correxerit, nec in vita, nec in morte sepultura vel alia ei sacramenta ecclesiastica impendantur. Quid etiam de imponendis decimis (37) decrevisti decernimus observandum; illud vero quod de usurariis (38), et de contractu matrimonii ante

cia obeunda conveniunt (pias fraternitates vocant), et olim usitata fuerunt, et nunc ubique vigent ac summopere probantur. An hujusmodi fuerint conventicula illa, quæ Petrus archiepiscopus fieri vetuit, mihi non liquet. Sed quæcunque et cujuscunque generis fuerint, jure ac merito prohibenda ac dissolvenda esse censuit, quod a primævo instituto degenerassent, in iisque plus mali quam boni reperisset.

(29) Huic interdicto causam fortasse præbuit Miroslavus comes qui Raynerii archiepiscopi et martyris pecuniam interverterat.

(30) Quamvis aliqua desint, ex iis tamen quæ supersunt, satis perspicue intelligi potest quæ sit hujus canonis sententia. Si quid præterea desideretur, in codice Spalatensi expressum est his verbis : Neminem ad ordinem, archiepiscopus promoveat, nisi per archidiaconum aut per canonicos S. Domnii præsentatum. In quibusdam manuscriptis Donii de Gaudentiis e Spalatensi canonico paulo aliter descriptum sive latius explicatum invenio : Item etiam de clericis parochiæ, qui volunt ordines recipere ; archipresbyter de Clissa debet præsentare omnes clericos de Cetina, et de Massaro cum notitia archidiaconi de urbe; et sic de cæteris totius parochiæ.

(31) Nondum lege universali stabili, et ubique recepta, votum continentiæ annexum erat ordini subdiaconatus. Hunc Innocentius III in numero sacrorum ordinum haberi decrevit. Exinde subdiaconi in Ecclesia universa, æque ut diaconi, lege cælibatus obstringi cœperunt.

(32) Hic canon plane ad normam primævæ ecclesiasticæ disciplinæ et in antiquis ac recentioribus conciliis sæpe renovatus.

(33) Ad coercendam laicorum temeritatem atque audaciam, qui jus tradendi sacerdotia temporibus illis sibi arrogabant.

(34) Hujus interdicti vim latius extendit pontifex vetatque non solum in gravioribus, sed etiam in qualibet causa ecclesiastica, testes nisi iuratos, admitti.

(35) Deest verbum *observent*. Vult igitur pontifex, virgines illas quæ post annum, sive post tempus probationis, cum nolint se Deo solemni et irrevocabili professione obstringere, e claustris emittendæ sunt segregandæque a contubernio sacratarum virginum, in ædibus seorsum ab hominibus mundique illecebris ac periculis habitare, ut ibidem servare possent votum simplex castitatis, quo scipsas cum prima et privata susceptione vel impositione veli habitusque monachalis, tacite quodammodo et implicite obligaverant. Nam ut præclare docet Thomassinus Parte I lib. III, *Vet. et nov. Ecclesiæ disciplinæ*, « Professio virginum duplex erat, alia solemnis qua scilicet ab episcopo die quodam solemni inter missarum solemnia, spectante populo, virgo velabatur et consecrabatur; et alia non solemnis, hæc quæ prioribus sæculis fiebat per solam vestis mutationem, et sine veli assumptione, postea vero facta fuit et ista non solemnis cum velo, isque jam usus erat sæculo octavo. Illud autem velum non solemne vel sibi ipsæ imponebant virgines, seu in ædibus paternis, seu in claustris, vel ipsis a præposita, vel presbytero, aut in æde etiam paterna a parentibus imponebatur. Ex quo fiebat, ut iisdem virginibus duplex velum imponeretur: primo velum commune sine pompa, scilicet in eorum professione communi ; secundo velum illud solemne, quod et consecrationis velum appellabatur, dum videlicet annum huic consecrationi destinatum adeptæ, vel deinceps volebant ab episcopo consecrari. » Hæc Thomassinus in indice rerum præcipuarum tit. *Professio virginum*, quæ Patrum et canonum auctoritate confirmat. Propius ad rem nostram pertinet quod ibidem subjecit : *Porro quoquo fieret modo earum professio, solemnisve esset necne, perinde illis erat ad castitatis servandæ necessitatem*. Nam ipsamet prima susceptio veli habitusque monachalis, licet matrimonium postea initum non dirimeret, iniri tamen vetabat, ut decrevit Alexander III : « Sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contractum; ita sine professione (id est solemni) et propriorum renuntiatione habitus susceptio, ne contrahatur impedit, sed consummatum nequaquam dissolvit. » In App. concil. Later. part. 45, cap. 6. Itaque vestitus monachalis sponte susceptus sine ulla solemni consecratione vim habebat voti simplicis; quod in ædibus ab hominum consortio separatis sancte custodiri volebat Urbanus ab illis virginibus, quæ cum habitum religiosum sumpsissent, a proposito vitæ ac professionis monasticæ resilirent.

(36) Id referendum est ad omnes *moniales;* quod verbum hic desideratur. Jubentur autem, ad normam primævi instituti Benedictini, tum a carnibus, tum a lineis vestibus abstinere.

(37) De imponendis et exigendis decimis quid præscripserit synodus Spalatensis, non expressit Urbanus, sed quod præscriptum fuerat approbavit.

(38) Item quid de pœna constitutum fuerit in usurarios neque in hac epistola pontificia, neque in exemplaribus concilii Spalatensis explicatur. Sed concilii decretum videtur fuisse mitius, aut indul-

quintum (39) consanguinitatis vel affinitatis gradum lineam statuisti, ne videantur in aliis gradibus indulgeri, non decernimus confirmandum, vel usuram in aliquo casu permitti. Præterea vinculo anathematis innodasti, qui auferret ecclesiæ privilegia (40), vel ex eis utile aliquod ex sua iniquitate abradunt, quod quidem observari jubemus. Reliquum vero capituli, ut videlicet quicunque rem mobilem vel immobilem ecclesiæ auferunt, et præsertim ecclesiæ S. Bartholomæi, eadem pœna plectantur, quia nimium severitatis esse videtur, non decernimus confirmandum; nolentes tamen auctoritati tuæ per hoc aliquatenus derogari. Nulli igitur hominum liceat hanc paginam infringere nostræ confirmationis, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, in Idus Novembris.

LXVII.

In ecclesia S. Georgii Brinatensi, « in alodio suo paterno fundata, » partem canonicorum Crescentiacensium collocat eamque possessionibus ac privilegiis donat. Jus patronatus vero fratribus suis eorumque hæredibus reservat.

(Veronæ, Nov. 25.)

[Ex Bullario Lateranensi, pag. 55.]

LXVIII.

Monasterii S. Mariæ de Carcere protectionem suscipit et bona juraque confirmat.

(Veronæ, Nov. 25.)

[Mittarelli, *Annal. Camaldul.*, IV, 153.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Livaldo priori ecclesiæ S. Mariæ de Carcere, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim cum petentium voluntatem et pietas adjuvat, et veritas non relinquitur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Alexandri et Lucii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, præfatam ecclesiam S. Mariæ de Carcere, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, et oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Andreæ de Curtarodulo cum pertinentiis suis; et decimas novalium omnium totius loci, qui Caracetulum vocatur, sicut privilegium Alexandri prædecessoris nostri plenius continet, et in Agnelano; et novalium in tota Scudachia, in Prata, in Montaniana et in Vigezolis. Quidquid habetis in Cavallili, in Craterolo, in Carpo, in Portu, in Minervio, in Bonadico, Urbana, Casali, Altadura, Merlaria, villa Placentiæ, Montaniana, Miliarino, Palso, Vigezolo, Este, in plebe de Villa, in Montesilicis, Bavono, et quidquid Gerardus Paduanus episcopus rationabiliter vobis concessit. Quidquid habetis in Spaxano, Cona, in Tribano, in valle Pantena, in Montagnana, in Albertone. Quæcunque a bonæ memoriæ Bellino et Senebaldo, Paduanis quondam episcopis, vobis canonice data sunt, nihilominus confirmamus. Ecclesiam Sancti Salvatoris cum omnibus possessionibus, pertinentiis et aliis, quæ ad Ecclesiam spectare noscuntur, terris cultis et incultis, cum silvis et sine silvis, sicut juste et pacifice possidetis. Terram quam habetis in vico Tinioso et in Gazolo; ecclesiam Sancti Joannis in Vighizolo cum omnibus possessionibus, adjacentiis et aliis, quæ ad eamdem Ecclesiam pertinere noscuntur, terris videlicet paludibus, piscationibus et decimis. Decimationes etiam totius paludis de Baone, sicut vobis a Paduano episcopo rationabiliter concessæ sunt, et ejus instrumento plenius continetur. Decimam quoque de territorio villæ, quæ dicitur Cavallile. Sententiam vero illam quam præfatus Bellinus super contentione, quæ inter vos et clericos Sanctæ Theclæ de Este de persona Hugonis Ballistarii et filii ejus, et bonis ipsius agebatur, legitime promulgavit, ratam habemus et auctoritate apostolica confirmamus. Præterea venditionem quam vobis archipresbyter de Runcho cum fratribus suis de quadam terra in Minervio rationabiliter fecit vobis, quæ ad vos proprietatis titulo pertinet, illibatam decernimus permanere. Statuentes ut de possessionibus, quas habet Ecclesia vestra nunc, vel in posterum est

gentius, quam rei gravitas postulabat; in eoque vel necessitatis causa, vel mediocre aliquod lucrum ex mutuo permitti. Contra vero pontifex nullum genus usurarum excipi, atque in omnes ecclesiasticis censuris animadverti jubet.

(39) Ex antiqua disciplina ecclesiastica impedimentum quod matrimonium dirimebat, ultra quintum affinitatis et consanguinitatis gradum extendebatur. Noluit igitur pontifex ratum habere decretum illud, quod hujusmodi impedimenta arctioribus terminis circumscribuntur.

(40) Graviori scelere se obstringit qui sua ecclesiis privilegia subripit, vel malitiose corrumpit, quam qui aliquid ex bonis ecclesiasticis aliquid usurpat; qui enim suis privilegiis ecclesias exspoliat, quantum in ipso est, bonis ac prædiis omnibus exspoliat, quorum possessio illorum auctoritate nititur. Non videtur igitur æquum esse, crimen utrumque eadem pœna puniri.

habitura, nullus laicus decimas præsumat exigere; et novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, seu ad nutrimentum victualium vestrorum, nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eo loco professionem, fas sit absque prioris sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem discedere; discedentem autem, absque litterarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Antiquas quoque et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ concessas, et usque ad hæc tempora observatas, et decimas, quas a quadraginta retro annis usque nunc pacifice possidetis, auctoritate apostolica vobis roboramus. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum, *etc.*

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis et cancellarii, VII Kal. Decembris, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno primo.

LXIX.

Bulla pro abbatia Exaquiensi.

(Veronæ, nov. 30.)

[*Gall. Christ. nov.*, XI, Instr., 245.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Thomæ abbati monasterii sanctissimæ Trinitatis de Exaquio ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam posteritatis memoriam.

Monet nos apostolicæ sedis auctoritas, cui, licet immeriti, præsidemus, pro statu omnium Ecclesiarum provida circumspectione satagere, et ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis patrocinium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium sanctissimæ Trinitatis de Exaquio in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum scilicet ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ex dono Turstini Haldup et Eudonis filii ejus, et concessione et confirmatione Roberti de Haia, et Murieldis uxoris suæ, et Ricc. et Radulphi filiorum eorum, in villa sanctæ Opportunæ, in qua sita est præfata ecclesia, totam partem quam præfatus Turstinus et Eudo filius ejus ibi habebant in terris, silvis, aquis, molendinis, piscariis et salinis; et in villa de Favilleriis totam partem quæ fuit Adelais de Balta, et silvam quæ appellatur Cavilleium, cum omnibus terris et molendino, cum aqua et molta de manerio de Crienciis, exceptis tantum servientibus suis, et omnia quæ ad præfatam silvam pertinent, sicut ipsi eam habebant; et quidquid habebant in Orevilla et in Awarvilla et in omnibus maisnillis ad Orvillam pertinentibus. Apud Longamfamem terram ad unam carrucam; apud Coesnerios terram ad unam carrucam, et unum vavassorem cum eo quod tenet in eadem villa, et quidquid habebant in Bosevilla in plano, et in Appavilla, et in Oso villa, et in maisaillis ad Appavillam pertinentibus, in terris, silvis, et in omnibus aliis pertinentiis, et duas dimidias piscarias in vivia quæ est juxta Hulmum; et extra parcum de Plesseio omnibus bestiis et porcis monachorum, et animalibus servientium seu custodientium pastum et pasturam; et si infra parcum mittuntur porci ad pastum, habeatis in eodem parco centum porcos a festo sancti Martini usque ad Quadragesimam quietos; et si ibi non mittuntur porci de foris ad pasnagium, tantum habeatis quinquaginta quietos usque ad prædictum terminum, cum eisdem consuetudinibus in nemore de Foilleia, et extra parcum ligna ad ecclesiam et domos suas, et omnia necessaria facienda de eadem foresta, et homines animalia sua custodientes similiter; et in eadem foresta partem quamdam per loca et divisas quas inde habetis determinatas in chartis, cum cæteris terris et pertinentiis sicut præfati donatores habuerunt et vobis concesserunt; terram trium famulorum in Balteis, scilicet, Ravenoti et Wimundi porcarii et Saraceni quam ipsi de eis tenuerunt; apud Criencias unum vavassorem cum terra sua, et in eadem villa terram ad duas carrucas et tres salinas et unam piscariam in mari, terram duarum bercariarum, sex suburbanos cum alodiis suis, et de teloneo ejusdem villæ sexaginta solidos, in maresco de Cressoneres, sex acras terræ; apud Montem-catonis terram ad unam carrucam, liberam et

quietam ab omni servitio et auxilio, et redditu, et saumones qui ibi capiuntur in noctibus sabbatorum totius anni; apud Argenceium terram ad duas carrucas cum masnagio de Rovreio cum suis pertinentiis; ea etiam quæ Hugo de Valseio apud Valseium de eis tenuit, quidquid idem Hugo apud Martringneium tenuit ab illis. Ex dono Roberti de Haia terram Pippini liberam et quietam ab omni servitio et auxilio, et unam bovariam terræ apud Brottebecum. Ex dono Renaldi de Aurea-valle, clausum quod vocatur vinea, et totam partem landæ juxta Torkenvillam, et pasnagium porcorum vestrorum quietum in silva sua, et ligna ad ædificia vestra apud Auream-vallem, et ibidem communem pasturam animalibus vestris, et sagrimentum; in Guerevilla duas acras terræ; in Lutearia unam acram terræ; tres acras terræ de feodo Rogerii de Monasteriis; terram juxta clausum, terram Hersendis et Annoti, et clausum Lecelinæ cum domo sua. Ex dono Hugonis filii ejus de Rikevros terram quam dedit vobis Robertus Baumer; ex dono Roberti filii ejus terram apud Asambvillam; et in Baltesio unam acram terræ, et omnia quæ idem Renardus ecclesiæ vestræ dedit, et omnia quæ de kalengiis suis relaxavit infra burgum Exaquii et in vicinia tota, et in aliis locis et villis eidem pertinentibus, libera et quieta. Ex dono Willelmi de Aurea-valle molendinum Sanctæ-Opportunæ cum omnibus consuetudinibus, et molta, et omnibus aliis ad idem molendinum pertinentibus. Ex dono Willelmi de Abrincis apud Sanctum-Salvatorem, viginti et sex acras terræ, et hominibus ejusdem eleemosynæ communem pasturam et focum sicut suis; apud Vivefossam ex dono Gaufridi Outremer tres acras terræ, liberas et quietas ab omni servitio et auxilio, et unum masnagium et terram ad id pertinentem. Ex dono Willelmi et Richardi de Pirou, et ex concessione et confirmatione hæredum eorumdem Radulfi de Pirou et fratrum ipsius Gaufridi, Rogerii et Stephani, quadraginta quatuor acras terræ; et brociam juxta landam, et unam piscariam in mari, et terram in qua domos ædificastis et hortos, pratum de Broc, pratum de Mela, unam acram terræ juxta crucem, et acram quam Robertus filius Osmundi et virgatam terræ quam Giroldus de Pirou vobis donavit, et concessione et confirmatione quam Radulfus filius et hæres Ricardi de Pirou et fratres sui vobis fecerunt, videlicet ut in voluntate vestra sit decimas vestras et cætera beneficia ad abbatiam vestram deferre et expendere, et quemcunque custodem volueritis apud Pirou, vestrarum rerum habere, et talem quietantiam in molta quam charta dividit. Ex dono Rogerii de Albingneio et Willelmi patris ejus, totam terram quam tenuit in Kereavilla et Francavilla Osmundus clericus, et sexaginta quatuor acras terræ in Livervilla, et quidquid filii Radulfi Espec tenuerunt in Alno et in Astella, et in marcisseio, unum ortulanum eum terra sua, et quidquid Anicia uxor prædicti Rogerii dedit vobis in monte famelico et in maisnillo Ogis. Ex dono Willelmi de Brikevilla dimidium molendinum de Matun. Ex dono Thomæ filii ejus unam acram terræ in Alno et alteram in Verleio, et partem quam habebat in piscaria de Matun. Ex dono Roberti de Monasteriis et filiorum ejus Willelmi et Herberti duodecim acras terræ in Glatigneio, et quidquid Jordanus de Barnevilla ex dono patris et matris suæ, vobis concessit et confirmavit, scilicet totum feodum unius vavassoris in Bretevilla, et quamdam terram in Gerseio, et confirmationem Roberti Bertranni de libertate et quietantia quam vobis fecit de eleemosyna vestra de Sotowast quam perpetuo vobis concessit acquietare. Ex dono Willelmi de Asnevilla quamdam domum juxta cœmeterium, et totum marescum a cœmeterio usque ad aquam. Ex dono Ric. Avenel, tres acras terræ in Frevilla et aliam terram. Ex dono Willelmi de Mercato, masuram Pontof in Crienciis. Ex dono Ricardi de Haia unam carrucam terræ in Ansgovilla et circa, et triginta acras terræ circa Haiam, et totum terram et redditum cum parte molendini quæ apud Turvillam habetis, et apud boscum Rogerii, et totam terram et redditum cum molendino quæ habetis apud Sotowast, et nundinas apud Exaquium in festo sanctæ Crucis. Ex dono Alex. de Lievilla, trecentas anguillas apud Flamnigeart; prioratum de Boxgrava cum omnibus pertinentiis suis, et tres marcas argenti quas tantum habetis; et ecclesiam de Felingham, et ecclesiam de Rison, et ecclesiam sanctæ Opportunæ cum decimis et pertinentiis suis; capellam S. Mariæ de Landa; ecclesiam de Crienciis cum decimis et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Pirou cum decimis et cæteris pertinentiis suis, et quidquid habetis in ecclesia de Ginefossa: ecclesiam de Torvilla cum pertinentiis suis; ecclesiam de Heugevilla cum pertinentiis suis; ecclesiam de Aurea-valle cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Rocca cum decimis et pertinentiis suis; ecclesiam de Felgeriis cum decimis et pertinentiis suis, et quidquid habetis in ecclesia Sancti-Salvatoris cum decimis et cæteris pertinentiis suis; ecclesiam de Folleia cum decimis et cæteris pertinentiis suis; ecclesiam de Cleis cum decimis et pertinentiis suis; ecclesiam de Plesseio cum decimis et suis pertinentiis; heremitagium sancti Hemelandi; ecclesiam de Peretot cum decimis et omnibus ad eam pertinentibus; ecclesiam S. Georgii de Balteis cum decimis et omnibus ad eam pertinentibus; ecclesiam Sanctæ Susannæ cum decimis et aliis pertinentiis, et quidquid habetis in ecclesia de Appevilla cum decimis et cæteris quæ ibidem habetis; ecclesiam de Cogneis cum decimis et cæteris pertinentiis suis; ecclesiam de Warengebech cum decimis et aliis pertinentiis suis; ecclesiam sancti Michaelis de nemore cum decimis et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Haia a puteo cum decimis et suis pertinentiis; ecclesiam de Gerevilla cum decimis et aliis ad ipsam spectantibus; eccle-

siam de Alno cum decimis et omnibus appendiciis ejus; ecclesiam de Verleio cum decimis et cæteris pertinentiis ejus; ecclesiam de Ansgovilla cum decimis et aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Bretevilla cum decimis et aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Surevilla, et ecclesiam de Glattegneio, et ecclesiam de Baudrevilla, et ecclesiam de Osmunvilla, ecclesiam de Orvilla, et ecclesiam de Merbec, et ecclesiam de Porbail; ecclesiam Sancti Georgii de Rivaria, et ecclesiam de Torgisvilla; ecclesiam de Maisnillo; ecclesiam de Aumevilla; hermitagium de Sancto Jovino; ecclesiam de Sotowast, ecclesiam de Wisel, ecclesiam de Ansnevilla, ecclesiam de Revilla, ecclesiam de Gerovilla cum decimis et omnibus ad ipsas pertinentibus; ecclesiam de Agenceio, ecclesiam de Coesneriis, et quidquid habetis in ecclesia de Valseio, et in ecclesia de Martringneio cum decimis et omnibus ad ipsas pertinentibus. Præterea ecclesiam de Suavetona, ecclesiam de Bisvigetona, ecclesiam de Karletum, ecclesiam de Berlinges, ecclesiam de Cambringham, ecclesiam de Brotebi, ecclesiam de Subroc, cum decimis et omnibus ad ipsas pertinentibus; ecclesiam Sancti Symphoriani de Haia cum decimis et pertinentiis suis; obedientiam de Aurea-valle cum pertinentiis suis; decimam quam habetis apud Longamfamem et apud Vivofossam; decimam de nemore de Plesseio et de parco in venditione, in pasnagiis et venatione, in pecudibus et avibus, in molendinis et piscariis et aliis minutis decimis, et in omnibus lucris quæ ibi fiunt, et decimam de redditibus omnibus illius manerii; decimas quas similiter habetis in bosco de Fulleia; totam decimam de Crienciis, decimam Tangue et molendini, decimam molendini de Fulleia, decimam redditus frumenti domini ejusdem villæ de Crienciis, et decimam salis et nundinarum, arietum, porcorum et anserum, et decimam de omnibus exitibus illius manerii; decimam molendinorum de Monte-catonis et piscariarum et de omnibus exitibus illius manerii; et decimam quam habetis apud Awarvillam, et apud Osovillam; decimam molendinorum de Monteacuto et de Bertavilla et Eudonisvilla; decimam telonei de Haia, decimam de parco, decimam molendinorum desuper aquam de Bo, de Hardi, de Ceminio, de Baril, de Pelemusca, de Surtran, et decimam molendini de Vado; decimam denariorum quos habetis apud Brotebium et Felingehan, et Risun et Suavetona, et Lutona, et Scortona, et dimidiam decimam cujusdam molendini apud sanctum Salvatorem cum aliis minutis decimis; decimam frumenti et avenæ quam habetis in Brettevilla, et decimam quam habetis in Pirou, in garbis et molendinis, et in anguillis et in omnibus quæ contingit decimari; et decimam nundinarum de Albigneio et de foro ejusdem villæ, et decimam quam habetis apud Millerias; decimam molendinorum de Anschetervilla, et duas partes decimarum de feodo vestro de Torvilla, et viginti quartaria hordei quæ habetis de ecclesia de Groevilla; decimam molendini de Rocca, decimam quam habetis apud Sanctum Sebastianum.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere; discedentem vero, sine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus quoque ecclesiis quas habetis, liceat vobis clericos vel sacerdotes eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Interdicimus etiam ne quis in vos vel ecclesias vestras novas et indebitas exactiones præsumat imponere, aut excommunicationis vel interdicti sententiam, sine manifesta et rationali causa proferre.

Sepulturam præterea ipsius monasterii liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates etiam et immunitates ac rationabiles consuetudines in ecclesia vestra hactenus observatas, ratas habemus et eas futuris temporibus illibatas permanere sancimus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi cujuslibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, præviderint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum, ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo

corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus fructum et hic bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus catholicæ ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus.... episcopus.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Petrus Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis.

Ego... presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Trans Tiberim, cancellarius.

Ego Pandulfus presbyter cardinalis Sanctorum Duodecim Apostolorum.

Ego.... presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli.

Ego Adelardus Sancti Marcelli presbyter cardinalis.

Ego... cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego.... Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego.... Sancti Angeli diaconus cardinalis.

Ego Gaufredus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego... Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Petrus Sancti Nicolai in... diaconus cardinalis.

Ego... Sancti Georgii.... diaconus cardinalis.....

Per manum Alberti... cardinalis et cancellarii, pridie Kalendas Decembris, indictione v, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus..... Urbani papæ III anno secundo.

LXX.

Privilegium pro ecclesia S. Castoris Cardonensi.

(Veronæ.)

[Gunther, *Cod. diplom. Rhen.-Mosell.* I, 449.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis decano ecclesiæ Sancti Castoris Cardonensis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonice substituendis, in perpetuum.

...In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, totam usui fratrum, decimas de Tris quarum duæ partes ad canonicos pertinent, et tertia ad præpositum, decimas de villis circa locum, qui vocatur Vostra, quarum villarum duæ ad præpositum, et aliæ ad canonicos pertinent, et curtem ejusdem loci cum pertinentiis suis, de qua curte dimidiam marcam et unam hospitationem debet percipere præpositus annuatim. Locum qui dicitur Massenpret, ecclesiam de Afflone, cum curte et appendiciis suis, de qua præpositus decem solidos percipit annuatim. Ecclesiam de Bucha cum pertinentiis suis. Locum qui dicitur Rode. Locum qui dicitur Savirtshusen. Mathena, Limene, ecclesiam de Beltena in qua præpositus tantum habet quantum canonici, ecclesiam de Kirricha cum pertinentiis suis, quæ pertinet ad jus præpositi. Decimas de Elenze quarum duæ partes ad scholasticum pertinent, et tertia ad illum presbyterum qui servit in ecclesia, villam de Bittellesdorf, cum appendiciis suis, in qua præpositus habet marcam dimidiam annuatim. Possessiones quas habetis in Dicheset, in Pumera et Cumdeda, cum jure et libertate, quam præpositus seu decanus, scholasticus, seu capitulum in his habent ex antiqua et rationabili constitutione ecclesiæ hactenus observata. Præterea novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, seu decanis aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis omnino fieri prohibemus. Libertates etiam et immunitates ecclesiæ vestræ juste collatas, sicut hactenus observatæ sunt, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Prohibemus insuper ne infra fines parochiæ vestræ ullus sine assensu diœcesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Auctoritate quoque apostolica interdicimus, ne quis in vos vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulgare præsumat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Petrus presbyter cardinalis titulo Sanctæ Susannæ.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Trans Tiberim titulo Calixti.

Ego Pandulfus presbyter cardinalis titulo XII Apostolorum.

Ego Melior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli titulo Pammachii.

Ego Adelardus titulo Sancti Marcelli presbyter cardinalis.

Ego Hyacinthus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Bobo Sancti Angeli diaconus cardinalis.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tull. diaconus cardinalis.

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et..... 1183 pontificatus vero domini Urbani papæ III anno secundo.

LXXI.

Monasterii S. Petri Gandensis sive Blandiniensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Dec. 3.)

[MIRÆUS, *Opp. diplom.*, III, 63.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis GERARDO abbati et fratribus monasterii S. Petri Gandensis sive Blandiniensis, etc.

Præfatum monasterium S. Petri sub nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio munimus In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et S. Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter servetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum istum, in quo dictum monasterium situm est, cum pertinentiis suis.

In Tornacensi episcopatu altare S. Mariæ in Atrio S. Petri constitutum cum appendiciis suis; capellam S. Joannis Baptistæ in Burgo; capellam S. Jacobi; capellam S. Nicolai; capellam de Swynaerde; altare de Bostburch cum appendiciis suis; altare de Eka; altare de Ondeghem; altare de Olzene; altare de Wettrem; altare de Lovendighem; altare de Bergina; altare de Themseca; altare de Kemseca; altare de Coesfoorde; altare de Calloo; altare de Wracene; altare de Beverna; altare de Byghem; altare de Desselghem; altare de Anseghem; altare de Autrive; altare de Avelghem; altare de Coteghem; altare de Bossuyt; altare de Hollain; altare de Baugille; altare de Annetiennes; altare de Werpes; altare de Camphinio; altare de Carvin, a personis et ab omni personali successione libera sint, ut a Tornacensibus episcopis vobis canonice sunt concessa et scriptis suis firmata.

In Cameracensi episcopatu altare de Meerlebeke(41) cum appendiciis suis, altare de parvo Houthem; altare de Materna; altare de Bost cum appendiciis suis; altare de Hilleghem; altare de Woubrechteghem; altare de Dulciaco cum appendicio suo; altare de Elinghen; altare de Fleursighem; altare de Ydeghem; altare de Steenhuyse; altare de Smeerebbe; altare de Lecuwerghem; altare de Dickele. In Morinensi episcopatu altare de Boesinghen; altare de Terdighem. In Attrebatensi episcopatu altare de Harnes cum appendiciis suis. In Roffenenensi (42) episcopatu altare de Gevisham; altare de Grenewich.

Sive novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum decimas a vobis nullus extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, laicos a sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversationem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare.

Insuper auctoritate apostolica prohibemus, ne quis in vos vel monasterium vestrum excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulgare, vel novas indebitas actiones irrogare præsumat. Ne quis infra clausuram domorum vestrarum spolium aut rapinam committere, ignem apponere, hominem capere aut interficere, seu aliquâm violentiam qualibet temeritate exercere præsumat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet obreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars sanioris consilii, secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Missas publicas a diœcesano episcopo in eodem monasterio fieri prohibemus, ne in servorum Dei recessibus ulla popularibus conventibus occasio præbeatur, vel mulierum fiat inusitatus accessus, nisi ab abbate et fratribus fuerit invitatus. Prohibemus insuper ne infra fines parochiæ vestræ ullus sine assensu diœcesani episcopi et vestro capellam vel oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Interdicimus etiam, ne parochiani vestri, contra inhibitionem felicis memoriæ Innocentii papæ prædecessoris nostri et consuetudinem hactenus observatam, apud alias ecclesias in præjudicium vestrum accipiant sepulturam.

Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, pro quorum gubernatione, sustentatione et usibus concessa sunt, etc.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, III Nonas Decembris, indictione V, pontificatus vero domini Urbani III. secundo, anno Domini 1187.

(41) Appendices de Meerlebeke sunt Bottelaere, Schelderode et Munte.
(42) Vulgo *Rochester* in Anglia.

LXXII.

Monasterii S. Mariæ Soroensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat

(Veronæ, Dec. 10.)

[THORKELIN, *Diplomatarium Arna-Magn.*, I, 273.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii S. Mariæ de Sora cum fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sanæ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, justis vestris postulationibus clementer annuimus et monasterium Sanctæ Mariæ de Sora, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam et institutionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum in quo monasterium memoratum situm est cum adjacentiis et pertinentiis suis; grangiam de Liunghe cum omnibus pertinentiis suis; grangiam de Slaglose cum omnibus pertinentiis suis; Othinstorp cum omnibus pertinentiis suis : grangiam de Aswarthabothæ cum omnibus pertinentiis suis; grangiam de Wanpose cum omnibus pertinentiis suis. Villam quæ dicitur Biarbii, quam ex donatione domini Esberni fratris domini Absolonis Lundensis archiepiscopi obtinuistis cum silvis, pratis, molendino, piscariis et cæteris pertinentiis suis; grangiam de Guthem cum universis pertinentiis suis. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e sæculo fugientes ad conversionem recipere et eas absque contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, sine abbatis sui licentia fas sit de eodem loco discedere; discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum terminos nullus rapinam seu furtum committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere audeat, seu violentiam aliquam exercere. Insuper etiam A sancimus apostolica auctoritate ut, quemadmodum a prædecessoribus nostris statutum est, nullus episcopus neque alia persona ad synodos vel ad conventus forenses vos invitos ire compellat. Sed nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, chrisma conficiendi, causas tractandi, vel aliquos publicos conventus convocandi, quisquam vobis invitis præsumat accedere. Sancimus etiam ut, si episcopus, in cujus parochia domus vestra fundata est, tertio per intervalla temporum cum humilitate et devotione qua convenit requisitus substitutum abbatem benedicere forte noluerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere et alia quæ ad officium per ipsum pertinent exercere, donec idem episcopus duritiem suam recogitet et benedicendum abbatem benedicere non recuset. Sane si episcopi aliquid ab abbatibus vestri ordinis præter obedientiam debitam vel principes terræ contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris et a nobis indultam expetierint, liberum sit eisdem abbatibus auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista prædictus ordo, qui hactenus liber exstitit, humanæ servitutis laqueo alligetur. Illud adjicientes ut nullus episcopus regularem electionem vestri abbatis impediat, aut de instituendo, aut deponendo, aut removendo eo qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis et auctoritatem privilegiorum vestrorum se ullatenus intromittat. Quod si episcopi ipsi aliquam propter hoc in Ecclesias vestras vel personas sententiam promulgaverint, eamdem sententiam, tanquam contra sedis apostolicæ indulta prolatam, statuimus irritandam. Cum vero propriorum episcoporum copiam non potestis habere, si aliquem episcopum per vos transire contigerit de quo plenam notitiam habetis, ab illo et a coviciiis episcopis cum diœcesana sedes vacaverit, benedictiones vasorum et vestium, monachorum ordinationes, et altarium consecrationes recipere valeatis : sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Auctoritate quoque apostolica interdicimus ne quis vicinos vel mercenarios vestros, pro eo quod vos ad laborandum adjuverint in illis diebus in quibus laboratis et alii feriantur vel aliqua occasione eorum quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua beneficia vobis vel obsequia ex charitate præstiterint interdicere, aut vinculo anathematis audeat innodare. Quod si quis aliquem de familia vestra, donec in famulatu vestro permanserit, propter detentionem decimarum vel aliud aliquid a sede apostolica ordini vestro concessum, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverit, liceat vobis eos absolvere metu mortis, et si eorum presbyteri humiliter requisiti id efficere noluerint, vel malitiose distulerint illis ecclesiastica sacramenta conferre; liceat quoque vobis in monachos vestros sive conversos qui de claustro vestro sine licentia abbatis sui exierint, si forte, vobis in-

vitis, aliquis eos retinere præsumpserit, sententiam regularem ex nostra auctoritate proferre.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si quis autem, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo judicio divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Petrus de Bon tituli S. Susannæ cardinalis ss.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. Duodecim Apostolorum ss.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Hyacinthus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Bobo S. Angeli diaconus cardinalis ss.

Ego Rollandus S. Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, IV Idus Decembris, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1187; pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno secundo

LXXIII.

Privilegium de plenaria libertate monachorum Caræ insulæ.

[Langebek, *Script. rer. Danic.*, V, 253.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Absaloni Lundensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, et suffraganeis ejus et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis et presbyteris in eisdem episcopatibus constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia plerumque veritatis integritas per minorem intelligentiam aut malitiam hominum depravatur, non videtur incongruum, si ea etiam quæ manifeste dicta videntur, ad omnem ambiguitatis scrupulum removendum, evidentius exponantur, et turbatoribus veritatis omnis auferatur contradictionis occasio, qua ea quæ recte dicta sunt, aliqua valeant obumbratione fuscari. Accepimus autem, quod cum fratribus Caræ insulæ, sicut aliis omnibus Cisterciensis ordinis fratribus, a patribus et prædecessoribus nostris concessum sit, et a nobis ipsis postmodum indultum et confirmatum, ut de laboribus quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nemini decimas solvere teneantur, quidam ab eis nihilominus, contra indulgentiam sedis apostolicæ, decimas exigere et extorquere præsumunt, et prava et sinistra interpretatione apostolicorum privilegiorum capitulum pervertentes, asserunt de novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse inscriptum. Cum igitur manifestum est omnibus, qui recte sapiunt, interpretationem hujusmodi perversam esse, et intellectui sano contrariam, cum secundum capitulum illud a solutione decimarum tam de terris illis quas deduxerunt vel deducunt ad cultum, quam etiam de terris illis cultis, quas propriis manibus vel sumptibus excolunt liberi sunt penitus et immunes, nec ullus contra eos materiam habeat malignandi, vel quomodolibet ipsos contra justitiam molestandi, vobis per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus omnibus qui sunt vestri juris, auctoritate nostra prohibere curetis, ne a memoratis fratribus Caræ insulæ, vel a fratribus aliorum monasteriorum Cisterciensis ordinis, qui in episcopatibus vestris consistunt, de novalibus vel de aliis terris quas propriis manibus aut sumptibus excolunt, ullatenus decimas præsumant exigere, vel quomodolibet extorquere. Nam si de novalibus tantum vellemus intelligi, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus, sicut in privilegiis quorumdam aliorum apponimus. Quia vero non est conveniens vel honestum, ut contra instituta sedis apostolicæ veniatur, quæ obtinere debent inviolabilem firmitatem, mandamus vobis firmiterque præcipimus ut, si qui monachi, canonici, clerici, seu laici, contra privilegia sedis apostolicæ prædictos super decimarum exactione gravaverint, laicos excommunicationis sententia percellatis, monachos et canonicos, sive clericos, contradictione, dilatione et appellatione cessante, ab officio suspendatis, et tam excommunicationis quam suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari, nec litteræ illæ habeant firmitatem quas contra tenorem hujus scripti ab aliquo constiterit impetratas. Ad hæc vobis præsentium auctoritate præcipiendo mandamus, quatenus, si quis in monachos vel conversos præscripti monasterii Caræ insulæ, vel aliorum monasteriorum Cisterciensis ordinis, manus violentas injecerit, eum, candelis accensis, excommunicatum publice nuntietis, et faciatis sicut excommunicatum ab omnibus cautius

evitari, donec congrue satisfaciat prædictis abbatibus et fratribus et cum litteris diœcesani episcopi rei veritatem continentibus apostolico se conspectui repræsentet (43).

ANNO 1185-1187.

—

LXXIV.

« Consuetudines quibus Ecclesia Carnotensis a quadraginta retro annis sine interruptione usa est, » confirmat.

[*Theodori Pœnitentiale*, II, 434.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis..... decano et capitulo Carnotensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad universalis Ecclesiæ regimen, licet indigni, providentia supernæ dispositionis assumpti, pro universarum Ecclesiarum statu pastorali tenemur consideratione satagere, et earum quieti, quantum nobis Dominus dederit, justis postulationibus inclinati, et susceptæ ministerio servitutis inducti, libertatem et rationabiles consuetudines quibus ecclesia vestra a quadraginta retro annis sine interruptione usa est, et adhuc sine controversia uti dignoscitur, sicut prædecessorum nostrorum sunt nobis scriptis authenticis confirmatæ, ratas habemus eas, quas futuris temporibus manere decernimus illibatas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

LXXV.

Monasterium S. Sepulcri Placentinum tuendum suscipit ejusque bona et privilegia confirmat.

[CAMPI, *Hist. di Piocenza*, II, 370.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Sepulcri Placen. ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

.....Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædictum monasterium S. Sepulcri, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis quidem statuentes ut ordo monasticus in dicto monasterio institutus perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : Locum ipsum in quo memoratum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Nicolai; ecclesiam S. Nazarii, juxta ipsum monasterium positas; ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani et S. Vitalis Cremonæ positam cum pertinentiis suis, etc

Statuimus insuper, et præsenti decreto sancimus ut libertatem, quam bonæ memoriæ Dionysius quondam Placentiæ episcopus de assensu canonicorum suorum monasterio vestro concessit, et scripto proprio confirmavit, videlicet, ut sitis ab omni jugo episcopali et onere servitutis liberi, sicut hanc libertatem usque ad nostra tempora possedistis, ita sine contradictione alicujus deinceps habeatis, etc. Prohibemus autem ut infra fines vestræ parochiæ, nullus sine assensu diœcesani episcopi, et vestro, ecclesiam sive oratorium de novo construere audeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum præfatum monasterium temere turbare, etc.

ANNO 1186-1187.

—

LXXVI.

Universos fideles per archiepiscopatum Ravennatem et episcopatum Ferrariensem hortatur, ut fratribus S. Mariæ de Reno pecuniam dent ad pontem in Reno efficiendum.

(Veronæ, Jan. 22.)

[TROMBELLI, *Memorie di Reno*, 434.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Dei fidelibus per Ravennatem archiepiscopatum et Ferrariensem episcopatum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout gessimus in corpore, sive bonum sive malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire et æternorum intuitu seminare in terris quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis : firmam spem fiduciamque tenentes quoniam qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam. Inde est quod cum dilecti filii nostri Hu. prior et fratres Sanctæ Mariæ de Reno in ecclesia sua campanarium construere cœperint, et pontem supra fluvium Renum transeuntibus admodum necessarium reparare, saluti vestræ plurimum expedit, ut eis ad ejusmodi ædificia consummanda manum auxilii porrigatis, quatenus per suffragia vestra valeant, Domino juvante, perficere, quod nequeunt de propria facultate complere.

Monemus itaque universitatem vestram et hortamur in Domino, atque remissionem peccatorum injungimus, ut prædicto priori et fratribus, divino intuitu et vestræ salutis obtentu, de bonis a Deo vobis præstitis, charitatis beneficia misericorditer conferatis, ita quod ipsi suffragiis vestris adjuti ad dignum effectum perducere valeant quod cœperunt, et vos per hæc et alia bona quæ, Domino inspirante,

(43) Juxta Bartholinum, in *Annalibus*, datum est hoc diploma anno 1186.

feceritis ad æternæ felicitatis gaudia mereamini pervenire.

Datum Veronæ, XI Kal. Februarii.

LXXVII.

Universos episcopos de hoc fratrum S. Mariæ de Reno privilegio certiores facit, « ut a quocunque maluerint catholico antistite ordinentur. »

(Veronæ, Jan. 22.)

[*Ibid.*, p. 435.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis episcopis ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectis filiis nostris..... priori et conventui Sanctæ Mariæ de Reno ab episcopis Bononiensibus fuerit jam pridem indultum, et apostolico eis privilegio confirmatum, ut a quocunque maluerint catholico antistite ordinentur, providere volumus et debemus, ut eis libertas ista futuris temporibus servetur illæsa. Quapropter fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, cum ad vos aliquis eorum accesserit ordinandus, juxta tenorem privilegii nostri, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate apostolica ordinetis. Nolumus autem ut pro eo quod ab aliquo semel aut sæpius receperint ordines, facultas eis adeundi alium vel alios aliquatenus denegetur.

Datum Veronæ, XI Kal. Februarii.

LXXVIII.

Archiepiscopo Tarraconensi et episcopo Barcinonensi præcipit ne ab abbate fratribusque Sanctarum Crucum obedientiam poscant, quoad eorum de monasterio controversia dirimatur.

(Veronæ, Jan. 28.)

[Marca, *Marca Hispanica*, 1380.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Tarraconensi et episcopo Barcinonensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Significarunt nobis dilecti filii abbas et conventus de Sanctis Crucibus quod cum ipsorum monasterium in confinio parochiarum vestrarum sit fundatum, quæstione inter vos suborta ad quem de jure debeat pertinere, quilibet vestrum ab abbate obedientiam quæstione pendente requirit. Quia igitur æquum non est quod prædictus abbas, donec concordia vel judicio fuerit terminatum, cui prædictum monasterium competat, alicui vestrum ullam jure parochiali obedientiam debeat exhibere, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus, donec inter vos super hoc judicatum fuerit vel amicabiliter compositum, ab exactione obedientiæ vel aliis inquietationibus ipsius abbatis penitus existentes, monasterium ipsum in nullo aggravare tentetis.

Datum Veronæ, V Kal. Februarii.

LXXIX.

Sororibus S. Nicolai Furnensibus annuos solidos quinquaginta donatos a Gertrude quondam comitissa Maurianensi, asserit.

(Veronæ, Febr. 5.)

[Miræus, *Opp. diplom.*, III, 59.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Christianæ priorissæ et sororibus S. Nicolai Furnensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, quinquaginta solidos Flandrensis monetæ, quæ vos annuatim ex pia distributione nobilis mulieris Gertrudis quondam comitissæ Maurianensis, auctoritate apostolica roborata, contingunt, sicut in authentico nobilis viri Philippi comitis Flandrensis fratris ipsius, et suo plenius continetur, vobis et per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, Nonis Februarii.

LXXX.

Monachis et fratribus militiæ Templi et Hospitalis Hierosolymitani in urbe vel suburbio Aquensi commorantibus præcipit ne Ecclesiæ Aquensis jura infringant.

(Veronæ, Febr. 12.)

[Moriondi, *Monumenta Aquensia*, I, 84.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis monachis et fratribus militiæ Templi et Hospitalis Hierosolymitani in Aquensi urbe vel suburbio commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto de favore ecclesiastica commoda nobis majora proveniunt, tanto ne Ecclesiarum jura temere perturbetis nobis imminet sollicitius providendum. Ideoque præsentium vobis auctoritate mandamus, et districte præcipimus, quatenus terminos parochiæ Aquensis civitatis et suburbii, quæ Aquensi Ecclesiæ per sententiam D. bonæ memoriæ quondam Mediolanensis archiepiscopi adjudicata fuisse dignoscitur, nullatenus infringatis, nec aliquem de parochia illa in pœnitentiis publicis, et exsequiis defunctorum, vel aliis parochialibus admittatis, quia grave nobis existeret, et molestum, nec possemus æquanimiter sustinere.

Datum Veronæ, II Id. Februarii.

LXXXI.

Ad Reginaldum episcopum et capitulum Carnotense. — Ne domus in claustro laicis dentur, aut locentur a canonicis.

(Veronæ, Febr. 18.)

[D'Achery, *Spicil.*, III, 550.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri R. episcopo, et dilectis filiis decano et capitulo Carnotensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Audivimus, et audientes nequivimus non mirari, quod laici quidam in claustro vestro domos jure hæreditario possidentes, tales personas plerumque admittunt, per quas clericorum quies inhonesto strepitu sæpe turbatur, et devotio populi, ne divinis intendat officiis, præpeditur. Joculatoribus quidem, aleatoribus, cauponibus et mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur. Volentes igitur communi Ecclesiæ honestati consulere, auctoritate apostolica prohibemus ne domos canonicales ulterius laicis, per quos honestati ecclesiasticæ derogetur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacunque occasione locentur. Constituimus etiam de domibus quas laici in claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis mulieribus turpibus, inhabitare noluerint, ut nonnisi clericis, vel personis regularem vitam professis, gratis, vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, XII Kal. Martii.

LXXXII.

Privilegium pro monasterio S. Mariæ de Campo-Martis Romano.

(Veronæ, Febr. 26.)

[Montfaucon, *Diarium Italicum*, 243.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Agneti abbatissæ, ac sororibus S. Mariæ de Campo-Martis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ de apostolici auctoritate mandati concordia vel judicio terminantur, firma debent et illibata manere, et ne processu temporis in contentionis scrupulum denuo reducantur, litterarum memoriæ commendari, scriptoque apostolico communiri. Cum autem inter monasterium vestrum et ecclesias Sancti Triphonis, Sancti Salvatoris de Serra, Sancti Nicolai de Præfecto, et Sancti Blasii de Monte Acceptabili, super parochiali jure populi qui contineri dignoscitur a domo Pauli Joannis de Mitia, et infra a domo Bucacanum, et infra a via majore, quæ tendit juxta turrim Aimeldrigi de Scorza sancto, et infra ab utroque latere viæ a domo Monachi, et infra a domo Benencase de Romanello, et infra, A diutius fuisset agitata contentio : tandem felicis memoriæ Lucius papa, prædecessor noster, dilectis filiis rectoribus Romanæ fraternitatis eamdem causam fine commisit debito terminandam. Qui, audito quod monasterium vestrum jam dictum populum tanquam parochianos a quadraginta retro annis continue tenuerat usque ad tempus illud, et .... hinc inde propositis ab impetitione adversæ partis super eodem populo, vos et vestrum monasterium absolverunt, adjudicantes vobis et eidem cœnobio populum, ipsum prout antea noscebamini tenuisse. Ut igitur eadem sententia perpetuam habere valeat firmitatem, ipsam prout rationabiliter lata est, et in scripto exinde facto plenarie continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti B patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Veronæ, IV Kal. Martii.

LXXXIII.

Privilegium pro Ecclesia Concordiensi.

(Veronæ, Mart. 12.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 332.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ven. fratri Jonathæ Concordiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ordo rationis expostulat, et ecclesiasticæ utilitatis consideratio nos invitat fratres et coepiscopos C nostros ampliori charitate diligere, et commissas eorum gubernationi Ecclesias patrocinio sedis apostolicæ propensius communire, quo ex suscepti executione officii tanto valeant semper vigilantiores existere, quanto a pravorum incursibus securiores se viderint permanere. Hac igitur consideratione rationis inducti, et tuis nihilominus precibus inclinati, personam tuam, et Ecclesiam tuæ curæ commissam cum omnibus, quæ impræsentiarum rationabiliter possides, vel in futurum justis modis poteris adipisci, sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, specialiter autem civitatem Concordiæ, ubi episcopatus fundatus est, cum villa de Fratta, D et capella S. Leonardi, monasterium Summaquense cum omnibus pertinentiis suis, portum de Gruario cum molendinis cum omnibus ad se pertinentibus, curtem de Lugugnana cum villa, villam de Prato, villam de Cesardo, villam du Mortulo, in villa de Latisana decem mansos, villam de Rivago, villam de Cumirago, curtem de Fossalta, villam de Gurgo, villam de Cicolino, villam de Tileo, villam de Cintello, villam de Corderado, villam de Saccudello, villam de Saleto, et has omnes villas cum campulis, pascuis, silvis, paludibus, piscationibus, venationibus, aquis, aquarumve decursibus, cultis et incultis, omnia et in omnibus temporalia, et ad regiam potestatem pertinentia usque ad aquam; curtem de S. Joanne cum omnibus ad se pertinentibus, scili-

cet villa de Versia usque ad Caxarsam, et decimis A de S. Vito cum uno manso; curtem de Mircho cum omnibus pertinentiis suis; curtem de Turri cum omnibus pertinentiis suis; curtem, et villam de Arba cum omnibus pertinentiis suis; tertiam partem Mutæ, quæ exigitur de silva de Curto; castellum de Meduno cum villa, famulis et famulabus, campis, pratis, vineis, pascuis, montibus, silvis, venationibus, paludivis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus omnia et in omnibus etiam temporalia; villam de Sequals cum L. mansis, et ultra, et cum castellari uno, ubi est ecclesia S. Danielis, et cum montibus, et planitiebus; villam de Ciliaco, villam de Pino, villam de Summonte, villam de Portu veteri, et quidquid habes in villa de Toppo, et in villa de Trevegias, villam de Stepaso, quod habes apud B Almutium; castrum de Maglano cum pertinentiis eorum; castellare unum, et LX mansos, et ultra in plebe de Fana, in plebe de Barcis circa XXX mansos; et quod habes apud Calaresium, et apud Tefam, et apud Vivarium, et apud Pnicum; et quod habes in villa de Gallis, in villa de Durdago; et quod habes in villa de Pausis, villam de Paseglano, villam S. Andreæ; et quod habes in villa de Laurenciaco, duas partes villæ S. Steni; villam de Sauledo, villam de Grumelio, villam de S. Laurentio, curtem de Cusano cum omnibus pertinentiis suis; villam de Frassenedo, et exinde usque ad mare; curtem de Belgrado, et villam cum omnibus pertinentiis suis; in villa de Madrisio decem mansos; C villam de Arenvoluto cum omni integritate : plebem insuper episcopalis sedis, plebem de portu Gruarii, plebem de portu veteri, plebem de Tileo, plebem de Fossalta, plebem de Jussago, plebem de Ligugniana, plebem de Latisana, plebem de Corderado, plebem de Gruario cum capellis suis, plebem de Bagnarolis cum capellis suis, plebem de Azzano, plebem de Curto, plebem de Castellonio, plebem S. Georgii, plebem de Barbana, plebem de Gajo, plebem de Valeriano, plebem de Isonia, plebem de Grovero, plebem de Lestans, de Socole, plebem de Meduno, plebem de Tramontio, plebem de Fana, plebem de Maniaco, plebem de Barcis, plebem de Cavassio, plebem de Gallis, plebem de Poncinico, plebem de Riconovo, plebem de Pausis, D plebem de Turri, plebem de Naono, plebem de Zaupolis, plebem de Paseleano, plebem de Laurentiaco, plebem de S. Steno, plebem de Grumelio. Ex altera vero parte Taliamenti plebem de Ripis, et has omnes plebes cum capellis suis, et omnibus decimationibus, sicut hæc omnia juste et pacifice possides, auctoritate tibi apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ protectionis, et confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem contra hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, IV Idus Martii.

LXXXIV.

Ordinis Cisterciensis abbatum privilegia confirmat.

(Veronæ, Mart. 14.)

[MANRIQUE, *Annal. Cisterc.*, III, 111.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, abbati Cisterciensi, et universis coabbatibus ejus sub eodem ordine Deo servientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ordo vester per infusionem divinæ gratiæ longe lateque fidelibus Christi sit odor vitæ in vitam, in his, quæ juste requiritis, tanto facilius nostrum impartimur assensum, quanto plures vestro exemplo in Ecclesia Dei proficiunt ad salutem. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris justis postulationibus clementius annuentes, et sollicite providere volentes, ne ad id, quod vestram religionem dedeceat, aliorum possitis malignitate compelli, felicis memoriæ Lucii papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut si archiepiscopi, vel episcopi, in quorum parochiis domus vestræ fundatæ sunt, cum humilitate, et devotione debita requisiti, abbates substitutos benedicere, et cætera quæ ad officium episcopale pertinent, exhibere forte renuerint, eisdem abbatibus (si tamen sacerdotes fuerint) liceat proprios novitios benedicere, et cætera, quæ ad officium suum pertinent, exercere; et ab alio episcopo accipere, quæ a suo fuerint indebite denegata. Illud adjicientes, ut in recipiendis professionibus, quæ a benedictis, vel benedicendis abbatibus exhibetur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta, scilicet, ut abbates ipsi, *salvo ordine suo*, profiteri debeant, et contra statuta ordinis nullam professionem facere compellantur. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, hæc omnia a vicinis episcopis libere suscipere, et absque contradictione possitis; sic tamen ut ex hoc in posterum propriis episcopis nullum præjudicium generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non potestis habere, si aliquem episcoporum per vos transire contigerit, ab illo interim monachorum ordinationes, D benedictionem vasorum et vestium recipere valeatis. Paci quoque et tranquillitati vestræ providere volentes, districtius prohibemus ne quis vos ad sæcularia judicia provocet : sed, si quis sibi putaverit aliquid in vos de jure competere, sub ecclesiastico judice experiendi habeat facultatem. Nullus etiam vos, vel fratres vestros ad concilia, synodos, aut aliquos forenses conventus ire, vel judicio sæculari de substantia vestra propria, vel possessionibus subjacere compellat; nec ad domos vestras accedat causa ordines celebrandi, chrisma faciendi, causas tractandi, aut aliquos publicos conventus convocandi; adjicientes ut nulli infra milliare unum ab abbatiis, vel grangiis vestris ædificia, vel mansiones novas liceat facere. Quod si præsumptum fuerit

per episcopum diœcesanum, vel ejus officiales excommunicationis sententia arceatur. In causis autem propriis, sive civilem, sive criminalem contineant quæstionem, liceat vobis, fratrum vestrorum, quos ad hoc idoneos esse constiterit, testimoniis uti; ne ex defectu testium jus vestrum valeat deperire. Auctoritate quoque apostolica interdicimus ne quis vicinos vel mercenarios vestros, pro eo quod vos ad laborandum adjuverint, in illis diebus, in quibus laboratis, et alii feriantur; vel aliqua occasione eorum, quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod vobis aliqua beneficia, vel obsequia ex charitate præstiterint, interdicere aut vinculo anathematis audeat innodare. Quod si quis in aliquem de familia vestra, quandiu in famulatu vestro fuerit, propter detentionem decimarum, vel aliud aliquid a sede apostolica ordini vestro concessum, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverit, liceat vobis eos absolvere, et, si necesse fuerit, ecclesiastica sacramenta cum sepultura conferre. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, secundo Idus Martii.

LXXXIV *bis*.

Bulla ad cives Metenses.

(Veronæ, Mart. 22.)

[*Histoire de Metz*, III, Pr., p. 144.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis civibus Metensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in devotione nostra et Romanæ Ecclesiæ matris nostræ vos audiamus firmos et immobiles permanere secundum Deum, profectibus vestris tam communibus quam privatis libenter intendimus et justas petitiones vestras efficaciter exaudimus. Vestris itaque postulationibus annuentes, Scabinatum, sicut ipsum juste et sine controversia possidetis et in authentico scripto bonæ memoriæ Petri, quondam Tusculanensis tunc apostolicæ sedis legati, et venerabilis fratris nostri Metensis episcopi continetur, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam litteræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, XI Kal. Aprilis.

LXXXV.

Canonicorum Veronensium bona confirmat.

(Veronæ, Mart. 23.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 806.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Veronen., salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, præsentium auctoritate statuimus ut quæcunque vobis ex donatione imperatorum, vel regum, seu aliorum principum tam in possessionibus et dignitatibus quam aliis rationabiliter sunt et per devotionem concessa, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; sub interminatione anathematis prohibentes ut nullus ea temere surripere, perturbare, vel in vestrum præjudicium detinere præsumat. Decernimus ergo, etc.

Dat. Veron., x Kal. Aprilis.

LXXXVI.

Bulla pro canonicis Mutinensibus

(Veronæ, April. 5.)

[Tiraboschi, *Mem. Moden.*, III, 99.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis magistro Martino præposito et canonicis Mutinensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ ad conservandum statum consideratione provida statuuntur, firma debent et illibata consistere, et ne per alicujus malitiam violentur, scriptis apostolicis communiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus inclinati ordinationem, quæ inter vos et H. bonæ memoriæ quondam episcopum Mutinensem super receptione legatorum Romanæ Ecclesiæ et procuratione archiepiscopi Ravennatis de assensu et voluntate M. bonæ memoriæ Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, provide intercessit, videlicet ut sive absens fuerit episcopus vester, sive præsens, totam procurationem primæ diei, vos autem totam diei secundæ memorato archiepiscopo et legatis teneamini exhibere, sicut de assensu partium provide facta est et recepta, et a felicis recordationis Alexandro prædecessore nostro litteris postmodum apostolicis confirmata, ratam et firmam esse decernimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, Nonas Aprilis.

LXXXVII.

P. præpositi Regini possessiones confirmat.

(Veronæ, April. 9.)

[*Ibid.*, p. 100.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio P. Regino præposito, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia devotos et humiles

filios ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, et ne pravorum hominum molest..... suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecte in Christo fili, devotionem quam erga beatum Petrum et nos ipsos habere dignosceris attendentes, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis, quæ impræsentiarum juste et pacifice possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam Sanctæ Mariæ de Fabrica, quam per electionem fratrum ejus de assensu canonicorum Reginæ Ecclesiæ, per concessionem venerabilis fratris nostri Regini episcopi, longe ante obitum felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, fuisti adeptus et impræsentiarum sine controversia possides, devotioni tuæ apostolica auctoritate confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

Dat. Ver., Idus Aprilis.

LXXXVIII.

Henricum Bituricensem archiepiscopum per totam provinciam Bituricensem, excepto Dolensi monasterio, suum creat legatum.

(Veronæ, April. 13.)

[*Gall. Christ. nov.*, II, Instr., p. 18.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis, universo clero et populo per Bituricensem provinciam constitutis, S. et A. B.

Cum Bituricensem Ecclesiam inter alias ecclesias Galliarum, beneficiorum intuitu quæ jam pridem ab ea in minori officio constituti recepimus, specialiter et præcipue diligere teneamur, eam prærogativa nostræ dilectionis et gratiæ libenter volumus prout convenit honorare. Nihilominus etiam, ad exhibendam ei uberius gratiam apostolicæ sedis, venerabilis fratris nostri Henrici ejusdem ecclesiæ archiepiscopi experta devotio nos inducit, quem sicut virum providum, discretum, et moribus et genere nobilem circa nos et Romanam Ecclesiam tantam devotionem novimus exhibere, ut ejus meritis suffragantibus ab apostolica sede propensius diligi debeat, et attentius honorari. Inde est utique quod ipsius prudentia et honestate pensata, ei de consilio fratrum nostrorum per totam provinciam vestram, excepto monasterio Dolensi, apostolicæ commisimus legationis officium exsequendum, ut in ea vice nostra corrigat corrigenda, plantet quæ noverit esse plantanda, et vitiis extirpatis germina studeat propagare virtutum. Mandamus itaque universitati vestræ atque præcipimus, quatenus eumdem archiepiscopum, sicut legatum apostolicæ sedis, et virum tantæ dignitatis et nominis, reverenter curetis et devote recipere et ad vocationem ejus sine contradictione qualibet accedentes, salubribus statutis et mandatis ejus humiliter pareatis : ita quod ipse per providentiam suam et humilitatem vestram, injunctum legationis officium melius cum auxilio gratiæ cœlestis valeat exsequi, et nos devotionem et obedientiam vestram non immerito debeamus, cum audierimus commendare.

Datum Veronæ, Idus Aprilis.

LXXXIX.

Fratribus Carthusiensibus liberum prioris et procuratoris eligendi arbitrium asserit.

(Veronæ, April. 18.)

[*Privil. ord. Carthus.*, fol. 2ᵃ.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Carthusiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Tanto religiosa loca arctiori debemus dilectione amplecti et eorum commodis diligentius imminere, quanto in eis dignior impenditur Domino famulatus. Volentes igitur utilitati vestræ paterna sollicitudine providere, auctoritate præsentium duximus inhibendum, ne prior aliquis vel procurator eidem domo vera cujusque violentia vel astutia præponatur, nisi quem fratres de communi consilio vel majoris et sanioris partis secundum statuta ordinis duxerint eligendum.

Datum Veronæ, XIV Kalendas Maii.

XC.

Michaeli abbati monasterii S. Petri Mutinensis ejusque successoribus usum mitræ, sandaliorum, caligarum, chirothecarum concedit.

(Veronæ, April. 26.)

[Tiraboschi, *Memorie Moden.*, III, 100.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Michaeli abbati Sancti Petri juxta civitatem Mutinam siti, salutem et apostolicam benedictionem.

Eos Ecclesia Romana consuevit dilectione amplecti quorum devotionem in pluribus est experta. Hac igitur consideratione inducti, et tuis nihilominus precibus inclinati illius charitatis obtentu, qua te et ecclesiam tuam fuimus dum in minori essemus amplexati, usum mitræ, sandaliorum, caligarum, et chirothecarum tibi tuisque successoribus indulgemus, et sicut a quadraginta retro annis, tu et antecessores tui habuisse noscimini, præsentis scripti pagina confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, VI Kalendas Maii.

XCI.

Privilegium pro ecclesia S. Salvii Florentina.

(Veronæ, Maii 4.)

[Ughelli, *Italia sacra*, III, 99].

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gilberto abbati, et conventui Sancti Salvii Floren., salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam Sancti Jacobi, sitam in civitate Florentiæ, a bonæ recordationis Julio quondam ejusdem civitatis episcopo, de consensu capituli Florentini, ecclesiæ vestræ concessam, cum sepultura et parochia ejus, cum limitibus certis, qui in chartula quam idem episcopus de illa vobis et ecclesiæ S. Salvii donatione tradidit, leguntur expresse, sicut ea juste ac sine controversia possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnino hominum sit licitum hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum.

Datum Veronæ, IV Nonas Maii.

XCII.

Hugonem decanum Parisiensem et abbatem S. Germani de Pratis judices constituit inter canonicos Bellovacenses et monachos S. Luciani.

(Veronæ, Maii 21.)

[Louvet, *Hist. de Beauvais*, 503.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugo decano Parisiensi et abbati S. Germani de Pratis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum nostrorum canonicorum Belvacensium ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum sponte et devotione propria apud monasterium S. Luciani Belvac. consueverunt sepeliri, nunc monachi ejusdem Ecclesiæ, quod spontaneus hactenus exstitit, ad necessitatem trahere laborantes, prædictos canonicos alibi non permittunt eligere sepulturam; quod de institutione canonica universis Christi fidelibus est permissum. Quia vero super his quæ prædiximus non potuit de veritate constare; hujus inquisitionem discretioni vestræ duximus nec non sollicitudini committendam; discretioni vestræ mandantes, quatenus partibus ad vestram præsentiam convocatis, nisi a prædictis monachis aliquid rationabile ostensum fuerit et probatum, quod sepulturam canonicorum ipsorum de jure sibi valeant vindicare, eis appellatione remota liberam detis auctoritate apostolica facultatem eligendi sibi ubi voluerint sepulturam.

Datum Veronæ, XII Kal. Junii.

XCIII.

Canonicis S. Ursi asserit vineam ab episcopo Augustensi donatam.

(Veronæ, Maii 30.)

[*Historiæ patriæ Monum.*, Chartæ, I, 941.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Sancti Ursi, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, vineam quam venerabilis frater noster Augustensis episcopus, de assensu metropolitani sui et canonicorum suorum consilio, hospitali vestro ad domum pauperum construendam pia consideratione donavit, sicut eam juste ac sine controversia possidetis, vobis, et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc ostentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, III Kalendas Junii.

XCIV.

Sententiam inter monachos S. Savini et canonicos majoris ecclesiæ Placentinæ latam ab arbitris confirmat.

(Veronæ, Maii 30.)

[Campi *Hist. di Piac.*, II, 368.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et fratribus S. Savini, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum inter vos et dilectos filios nostros canonicos majoris ecclesiæ Placentiæ, super oblationibus festi S. Savini, et cereis, qui in altari ponuntur, et decimis quinque braidarum, aliarumque terrarum, et confinibus nemoris de Clavena, quæstio verteretur; ab utraque parte fuit in arbitros compromissum, qui sunt inter vos, auditis rationibus arbitrati, ut de oblationibus quæ veniunt ad manum presbyteri, qui canit missam, sint canonicorum; cerei vero ponantur in altari pro celebranda missa, et remaneant in monasterio. De decimis dixerunt, ut major ecclesia habeat decimam de braida de Mosiis; monasterium autem habeat decimam de braida de Turre episcopi, et de braida de Turricella, et de illa braida de Regello, et de illa braida de domo infirmorum, et de omnibus aliis terris monasterii, quæ continentur infra decimariam majoris ecclesiæ in circuitu civitatis, sive monasterium ad suam manum laboret, sive alii laborent, major ecclesia habeat decimam. De nemore de Clavena dixerunt, ut stent divisioni, et finibus, quas Erminulfus Pollonus, et Fulco et Oddo Polloni juramento fecerunt. Nos vero arbitrium ipsum sicut ab utraque parte receptum est ratum esse decernimus, et auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo, etc.

Datum Veronæ, III Kal. Junii.

XCV.

Ad abbatem et conventum Fiscanensem. — Ne filii in patrum Ecclesiis instituantur, imo removeantur.

(Veronæ, Jun. 1.)

[Mansi, *Concil.*, XXII, 502.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Fiscanensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a sacris sit canonibus alienum ut in Ecclesiis Dei patri filius, nullo mediante, succedat, nec sanctuarium Dei possit jure quasi hæreditario possideri, mirabile gerimus et indignum quod, in quibusdam ecclesiis monasterio vestro utroque jure subjectis, nonnulli, sicut accepimus, suis parentibus successerunt, easque contra disciplinam canonicam detinent in scandalum plurimorum. Ideoque auctoritate vobis præsentium indulgemus ut eos, qui taliter memoratas ecclesias detinent, liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem ab ipsis ecclesiis removendi; ita tamen quod eædem ecclesiæ, sine dilatione congrua canonice de personis idoneis ordinentur, nisi forte ibi tanto tempore fuerint, et taliter conversati, quod videantur merito sustinendi. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Datum Veron. Kal. Junii.

XCVI.

Canonicis S. Opportunæ Parisiensibus asserit ecclesiam SS. Innocentium.

(Veronæ, Jun. 3.)

[Felibien, *Hist. de Paris*, III, 35.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Sanctæ Opportunæ salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam SS. Innocentium, sicut eam juste et sine controversia possidetis, et in confirmatione felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri continetur, vobis et pro nomine Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus noverit se incursurum.

Datum Veronæ, III Nonas Junii.

XCVII.

Ad abbatem et conventum Fiscanense.— Ut nullus in Ecclesiam vel personas eorum excommunicationis possit vel interdicti sententiam promulgare.

(Veronæ, Jun. 4.)

[*Neustria pia*, 242.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Henrico abbati et conventui monasterii Fiscanensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vobis a sede apostolica sit indultum, ut nullus in Ecclesiam vel personas vestras excommunicationis possit vel interdicti sententiam promulgare, quia venerabilis frater noster Rothomagensis archiepiscopus, nuper quemdam monachum vestrum excommunicationi supposuit, et eum postmodum pro sua voluntate absolvit, ex hoc vestræ timetis Ecclesiæ præjudicium generari: unde nos vestræ volentes tranquillitati prospicere, apostolica auctoritate statuimus ut ex hoc nullum vobis vel Ecclesiæ vestræ libertati præjudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, etc.

Datum Veronæ, II Nonas Junii.

XCVIII.

Universos fideles per Ravennatem provinciam constitutos et omnes per pontem S. Mariæ de Reno transeuntes hortatur, ut in consummandum pontem conferant.

(Veronæ, Jun. 13.)

[Trombelli, *Memorie di Reno*, 435.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus per Ravennatem provinciam constitutis et omnibus per pontem Sanctæ Mariæ de Reno Bononien. transeuntibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Si quando pietatem vestram ad pietatis opera exercenda litteris apostolicis invitamus, tanto alacrius id debetis efficere, quanto per largitiones eleemosynarum venia peccatorum citius creditur obtinenda, sacra Scriptura protestante, quæ ait: « Sicut aqua ignem, ita eleemosyna peccatum extinguit. » Cum igitur multa fuerint in prædicto ponte Sanctæ Mariæ de Reno Bononien. tempore transacto expensa, nec adhuc ad consummationem debitam sit deductus, universitatem vestram rogamus in Domino, quatenus cum illius nuntii ad vos pro eleemosynis quærendis accesserint, eis benigne receptis, manum misericordiæ porrigatis, ut per hæc et alia bona quæ Domino inspirante feceritis, a peccatorum vestrorum sordibus emundari et eorum tandem numero possitis adjungi de quibus in Evangelio dicitur: « Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. »

Datum Veronæ, Id. Junii.

XCIX.

Privilegium pro monasterio Sancti Pauli de Parma.

(Veronæ, Jun. 26.)

[Affo, *Storia di Parma*, II, p. 394.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Romanæ abbatissæ et sororibus monasterii Sancti Pauli de Parma, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ a fratribus et coepiscopis nostris pro cultu religionis augendo deliberatione provida statuuntur in sua volumus firmitate consistere et favoris apostolici robore communire. Intelleximus autem

ex rescripto venerabilis fratris nostri G. Mantuani episcopi quod ecclesiam Sanctæ Mariæ de Castello Godo quondam sub regularibus sanctimonialium observantiis institutam, nunc autem peccatis exigentibus tam ordinis dissolutione quam improvida temporalium administratione dilapsam ad ordinis reformationem cum omnibus pertinentiis suis pia monasterio vestro deliberatione subjecit et scripti sui munimine roboravit. Cujus rescripti tenorem ab eodem episcopo nobis oblati, prout in præsentia nostra fecimus recitari, ne forte ipsum in posterum abolere possit oblivio, præsenti pagina duximus adnectendum :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno a nativitate ejus 1185, indictione III, die Veneris quarto intrante mense Januarii, Garsendonio non suffragantibus meritis, sed divina gratia largiente, Mantuanus episcopus Romanæ Sancti Pauli de Parma venerabili abbatissæ ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, sub beati Benedicti Regula ibi devote Deo servientibus et servituris, in perpetuum : Considerantes attentius et perspicaci veritate noscentes quantum vobis religionis vigorem, charitatis ardorem, hospitalitatis largitionem, honestatis et divinæ laudis observantiam de Domini beneficio susciperetis, omnium creatorem provide jugiter collaudamus spem firmam fiduciamque tenentes quod hæ quæ nobis successerint personæ eamdem gratiam de Domini largitione consequentur. Ideoque, sorores in Christo charissimæ, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Castello veteri de Godo quæ per venerabilem Hug. sanctæ recordationis prædecessorem nostrum in ordine sanctimonialium noscitur instituta, nunc autem peccatis exigentibus ab ordine eodem satis elapsa cum omnibus quæ impræsentiarum possidet quæque ad eam pertinent aut futuris temporibus justis fuerit modis adepta tibi memoratæ Romanæ donamus, concedimus et præsenti pagina confirmamus, et per te præfato monasterio Sancti Pauli ad eumdem ordinem in eodem loco servandum omni nostro nostrorumque successorum obedientia et honore servato et pactis inter archipresbyterum Sancti Martini et eamdem ecclesiam Sanctæ Mariæ ratis firmisque manentibus sicut in concessione domini Hug. nostri prædecessoris institutum habetur, ita ut nec nobis, neque nostris successoribus liceat aliquo tempore contra hanc donationis paginam ulla ratione venire. Hoc quoque necessario duximus adnectendum quod nobiles viri milites de Godo ad nos sæpe ac sæpius accessere instanter et humiliter postulantes ut per nos deberet ibidem religio in melius reformari. Quorum preces tanto alacriori mente suscepimus quanto eas de charitatis fonte cognovimus provenire. Præterea ne inter archipresbyterum Ambrosium qui modo est vel pro tempore fuerit in ecclesia Sancti Martini, et abbatissam monasterii Sancti Pauli præsentem vel futuram aliqua malignandi occasio valeat suboriri, pacta inter ipsum et ecclesiam Sanctæ Mariæ roboramus et præsenti scripto firmamus : ut videlicet mulieres quæ modo sunt in ecclesia Sanctæ Mariæ vel tempore procedente fuerint, presbyterum si in præfata ecclesia fuerit idoneus, ab archipresbytero suscipiant. Si vero in prædicta ecclesia talis non fuerit presbyter aut ad id officii promovendus idoneus clericus consensu ambarum partium inveniri non poterit, mulieres ibidem pro tempore commorantes presbyterum catholicum sibi provideant et consensu archipresbyteri catholici aut episcopi eum habeant. Presbyter autem qui in præfata steterit ecclesia nullam habeat in curte Godi licentiam pœnitentiam dandi, visitationem infirmorum faciendi, mortuos sepeliendi aut quemlibet baptizandi, nisi eis omnibus qui in præfata steterint et devoti fuerint ecclesia absque consensu majoris ecclesiæ archipresbyteri. Si quis vero ad obitum mortis venerit ex his qui in curte Godi habitaverit et præfatæ ecclesiæ aliquid de suo judicare voluerit et apud ecclesiam suum corpus humari, judicio majoris ecclesiæ præcedente, infirmo placuerit, per clericos et sacerdotes majoris ecclesiæ ad præfatam ecclesiam deportetur, et quidquid in missarum celebratione aut illius ecclesiæ sacerdotis vel majoris ecclesiæ oblatum fuerit per medium dividatur. Et altera pars sororibus ibidem commorantibus relinquatur. Per quatuor præterea anni principales festivitates, videlicet Nativitatis et Resurrectionis Domini et Sanctæ Mariæ atque Sancti Laurentii, quidquid in missarum celebratione aut illius vel majoris ecclesiæ presbyteri oblatum fuerit, per medium dividatur, et media præfatæ ecclesiæ pars dimittatur. Si vero prædictus presbyter in criminalibus offenderit præsente parte sanctimonialium atque cleri eorum ibidem commorantium, per archipresbyterum rationabiliter et regulariter emendetur. In capitulo et in letaniis atque baptismo cum fratribus majoris ecclesiæ.... Quia vero hæc quæ superius dicta sunt satis sufficere omnibus visum fuit . . . . . vel in aliquo tempore oblata fuerint ab omnibus conditionibus liberam atque..... responsione tam in oblationibus quam in cæteris rebus solutam cum consensu archipresbyteri Ambrosii et fratrum majoris ecclesiæ videlicet..... alii et duci. Statuimus et immutabiliter firmamus atque hoc memoriale scriptum exinde fieri jussimus. Ut autem hoc statutum firmum et inviolabile in perpetuum permaneat et a nostris successoribus tam episcopis quam illius majoris ecclesiæ archipresbyteris atque clericis præfata ecclesia aut ibidem commorantes nullam molestiam aut conditionem ulterius patiantur, pœnam decem librarum Mediolanen. ponimus et immutabiliter firmamus, hoc tamen scripto in suo robore et firmitate in perpetuum permanente. Quod ut verius credatur et firmius ab omnibus habeatur nostro sigillo jussimus insigniri et nostræ propriæ manus inscriptione firmavimus. »

Ipsam igitur ecclesiam Sancti Pauli cum omnibus ad eam pertinentibus sub beati Petri et nostra

protectione suscipimus, et concessionem ipsam sicut ab eodem episcopo rationabili providentia facta est et in præscripto ipsius authentico continetur ratam esse volentes, eamdem ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis sicut ea juste et sine controversia possidetis, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre aut hanc paginam nostræ protectionis et confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ protectionis et confirmationis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem prædicto monasterio sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Veronæ, VI Kal. Julii.

C.

Monasterio Cluniacensi monasterium S. Germani Altissiodorense asserit.

(Veronæ, Jun. 27.)

[*Bullarium Cluniacense*, p. 85.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati et conventui Clun., salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto specialius cœnobium vestrum beati Petri juris existit, et ad nostram provisionem nullo mediante pertinet et tutelam, ac vos, et prædecessores vestri in eo cœlestis magisterio subditi disciplinæ, per infusionem sancti Spiritus odorem honestatis et religionis in vestro hactenus ordine observatæ latius expandistis, tanto ad conservandum jura vestra illæsa, et justas devotionis vestræ petitiones benignius admittendas tenemur existere promptiores. Quia igitur, sicut ex rescriptis S. quondam comitis Blesensis, et A. uxoris ejus, et felicis recordationis Urbani II et Paschalis Romanorum pontificum, sub sigillis dilectorum filiorum nostrorum B. Sancti Angeli, et S. S. Mariæ in Via Lata diaconorum cardinalium apostolicæ sedis legatorum, ad præsentiam nostram transmissis, nobis innotuit : monasterium S. Germani Altissiodorensis, in quo adeo per negligentiam provisorum regularis observantia perierat disciplinæ, et terrenæ defecerant facultates, quod ejus custodia abjectis traderetur personis, ad preces prædicti comitis monasterii ejusdem patroni, et bonæ memoriæ Hubaldi tunc Altissiodorensis episcopi, et aliorum plurium, prædictus Urbanus II antecessor noster beato Hugoni, tunc monasterii vestri abbati et successoribus ipsius provida deliberatione concessit secundum beati Benedicti regulam reformandum, et sub ordinatione monasterii Cluniacensis futuris temporibus perpetuo possidendum; sic tamen quod monasterium ipsum abbatis non deberet provisione carere; quam concessionem et prædicti comitis donationem Paschalis antecessor noster postmodum confirmavit. Nos prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ad exemplar eorum eamdem concessionem ratam esse decernimus, et præsentis scripti pagina confirmamus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, VII Kalendas Julii

CI.

Abbati Vizeliacensi et ejus successoribus usum mitræ, chirothecarum, annuli asserit.

(Veronæ, Jul. 5.)

[LAUNOII Opp. II, 1, 288.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui S. Mariæ Magdalenæ Vizeliacensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad ecclesiastici decoris argumentum insignia reperta sunt dignitatum, quæ sacrosancta Romana Ecclesia congrua in singulos liberalitate distribuit, et devotis filiis, prout dignum judicat, suscipienda pariter et obtinenda concedit; unde nos pro reverentia beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus sacrum corpus in vestra ecclesia requiescit, et vestræ devotionis merito provocati, usum mitræ, chirothecarum et annuli tibi, fili abbas, tuisque successoribus indulgemus, et auctoritate apostolica confirmamus.

Nulli ergo, etc.

Datum Veronæ, III Non. Julii.

CII.

U[berto] episcopo Aquensi mandat ne canonicorum jura violari a monachis S. Petri patiatur.

(Veronæ, Jul. 6.)

[MORIONDI, *Mon. Aqu.*, I, 86.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, ven. F. U. Aquensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Conquerentibus dilectis filiis nostris canonicis tuis, de dilectis filiis nostris abbati et monachis S. Petri Aquen. meminimus mandavisse, ut terminos parochiæ Aquensis civitatis, et suburbii, quæ Aquensi Ecclesiæ per sententiam bonæ memoriæ Algisii quondam Mediolanensis archiepiscopi adjudicata esse dignoscitur, nequaquam invaderent, nec aliquem de parochia illa in pœnitentiis publicis, et defunctorum exsequiis, vel aliis parochialibus deberent admittere, vel quolibet alio modo super eamdem parochiam eis injuriam vel gravamen inferre. Quia igitur, sicut ex eorum replicata querela accepimus, mandatum apostolicum contemnentes a

perturbatione juris ipsorum hactenus non cessarunt, fraternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus præfatos abbatem et monachos S. Petri sententiam jam dictam juxta tenorem mandati apostolici observare, et ab ipsorum fratrum inquietatione super parochia illa desistere, auctoritate apostolica, appellatione remota, compellas.

Datum Veronæ, II Non. Julii.

CIII.

Canonicorum Ecclesiæ Placentinæ constitutionem confirmat, « ut canonici, dum honeste in scholis ac studiose permanserint, tertiam partem proventionum omnium, quas perciperent in ecclesia ipsa præsentes, debeant ad sustentationem suam habere et, relicta fratribus una tertia, alia pars communi usui applicetur. »

(Veronæ, Jul. 7.)

[Campi, *Hist. di Piacenza*, II, 369.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capitulo Placentino, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea, quæ a ministris Ecclesiæ rationabiliter statuuntur, firma debent, et illibata manere, et ne ab aliquo valeant temere immutari, apostolico præsidio communiri. Cum autem consideratione communis utilitatis deliberatione provida statueritis, ut canonici Ecclesiæ vestræ dum honeste in scholis ac studiose permanserint, tertiam partem proventionum omnium, quas perciperent in ecclesia ipsa præsentes, debeant ad sustentationem suam habere, et relicta fratribus una tertia, alia pars communi usui applicetur : eamdem constitutionem sicut provide facta est et recepta, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo, etc.

Datum Veronæ, Nonis Julii.

CIV.

Archipresbytero et canonicis Bononiensibus interdicit ne fratribus S. Mariæ de Reno injurias inferant.

(Veronæ, Jul. 15.)

[Trombelli, *Mem. di Reno*, 380.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... archipresbytero et canonicis Bononiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectos filios nostros Hugonem priorem et fratres Sanctæ Mariæ de Reno, suæ religionis et devotionis obtentu, præter commune debitum specialiter diligamus, pati nec volumus nec debemus, ut a vobis qui eis in jure suo debetis adesse, indebite molestentur. Eapropter, auctoritate vobis apostolica prohibemus, ne illos super decimis vel aliis rebus ab episcopis Bononiensibus et archiepiscopis Ravennatensibus datis, et a prædecessoribus nostris et a nobis ipsis postmodum confirmatis, præsumatis aliquatenus infestare, quia grave nobis plurimum et molestum existeret, nec possemus relinquere diutius incorrectum.

Datum Veronæ, Id. Julii.

CV.

G. decano et capitulo Carnotensi concedit, « ut, si quisquam res Ecclesiæ eorum rapuerit et excessus ejus fuerit manifestus, raptori non liceat per appellationis diffugium disciplinam ecclesiasticam declinare. »

(Veronæ, Jul. 15.)

[*Theodori Pœnitentiale*, II, 563.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis G. decano et capitulo Carnotensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum appellationis remedium in oppressorum auxilium, non ad defensionem male agentium sit inventum, providere volumus et debemus ne malefactores ad bona ecclesiastica sub appellationis prætextu violentas impune manus extendant. Hac itaque ratione inducti auctoritate apostolica constituimus ut, si quisquam res Ecclesiæ vestræ rapuerit et excessus ejus fuerit manifestus, aut coram episcopo vel archidiacono, in cujus archidiaconatu malefactor exstiterit, assertionem vestram canonice probaveritis, raptori non liceat per appellationis diffugium disciplinam ecclesiasticam declinare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire ; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronæ, Idus Julii

CVI.

Hugoni abbati et canonicis Ecclesiæ Præmonstratensis possessiones quasdam asserit.

(Veronæ, Jul. 21.)

[Le Paige, *Biblioth. Præm.*, 640.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Præmonstratensi, et cæteris abbatibus et canonicis Præmonstratensis ordinis, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, et ad virtutum spectant ornatum ; quatenus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secura, et a jugo mundanæ oppressionis servetur illæsa, cum apostolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo religio et ordo vester multa refulgens gloria meritorum, et gratia redolens sanctitatis, palmites suos a mari usque ad mare extenderit; ipsum ordinem et universas domos ejusdem ordinis apostolicæ protectionis præsidio duximus confovendas, et præsenti privilegio muniendas. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus benignius annuentes, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Lucii prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, universas regulares institutiones et dispositiones quas de communi consensu, vel majoris et sanioris partis fecistis, sicut inferius

denotantur, auctoritate apostolica roboramus, et præsentis scripti privilegio communimus. Videlicet ut ordo canonicus quemadmodum in Præmonstratensi Ecclesia secundum beati Augustini regulam et dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstratensis ordinis institutoris, et successorum suorum in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes ejusdem ordinis Ecclesias perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Idem quoque libri qui ad divinum officium pertinent, ab omnibus ejusdem ordinis Ecclesiis uniformiter teneantur, *et cætera, prout jacent in privilegio seu diplomate Lucii III pro iisdem, usque ad ea quæ sequuntur.*

Ego Urbanus Ecclesiæ catholicæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ Trans Tiberim tituli Calixti.

Ego Hyacinthus Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconus cardinalis.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, pridie Kalendas Julii, indictione v, Incarnationis Dominicæ 1187, pontificatus domini nostri Urbani papæ III, anno secundo.

CVII.

Domni S. Thomæ Parisiensi asserit possessiones quasdam, a Roberto comite donatas.

(Veronæ, Jul. 22.)

[Dubois, *Hist. eccl. Paris.*, II, 182.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Wilelmo presbytero provisori domus S. Thomæ martyris Parisius, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum principes sæculi divinitus inspirati aliqua de bonis suis piis usibus applicant, in bono debemus eos proposito confovere; et, ne factum illorum per alicujus malitiam valeat immutari, apostolicum eis patrocinium impertiri. Sicut autem in audientia nostra est propositum, electus filius noster nobilis comes Robertus divinæ pietatis amore quasdam domos, quas habebat Parisius, provisioni pauperum clericorum cum quibusdam redditibus de uxoris et filiorum suorum conniventia deputavit, religiosis personis in eodem loco auctore Domino constitutis, quæ secum pariter in eodem laudabili opere debeant exerceri. Quia igitur postulavit a nobis benignus in Christo filius noster Philippus illustris Francorum rex, et regina uxor ipsius, postulavit etiam et jam dictus comes, ut donationem ejus nostra debemus auctoritate firmare; ipsam, prout pie et laudabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuimus autem ut per diœcesanum episcopum ad opus fratrum et familiæ ipsius, atque infirmorum decumbentium, cœmeterium debeat benedici. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, hortorum vel domorum fructibus, nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus noverit se incursurum.

Datum Veronæ, XI Kalendas Aug.

CVIII.

Ad Walterum Rothomagensem archiepiscopum. — Ut post appellationem nihil innovetur.

(Veronæ, Jul. 31.)

[Mansi., *Concil.*, XXII, 301.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Galtero Rothomagensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

His qui ad tuitionem sui vocem appellationis emittunt, propensius adesse compellimur, et ne appellatione pendente quorumlibet malignitate graventur, pastoralem sollicitudinem adhibere; quia, cum appellationis remedium inventum fuerit ad subsidium oppressorum, eorum indemnitati, quantum ordo juris exposcit, vobis imminet præcavere. Inde est quod, cum in provincia tua, sicut audivimus, plerumque contingat, quod tam ecclesiastici quam sæculares viri, post appellationem possessionibus vel rebus aliis spolientur, præsentibus tibi litteris indulgemus, ut si quid circa statum aliquorum de provincia tua post objectum appellationis obstaculum, in eorum præjudicium tibi constiterit innovatum, id in eum statum appellatione postposita reducendi, in quo tempore appellationis exstiterat, de auctoritate nostra liberam habeas facultatem, ne appellantes sui juris dispendium patiantur. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Veronæ, XI Kal. Augusti.

CIX.

Universos abbates Præmonstratensis ordinis in terra Teutonica et Saxonia constitutos ad capitulum generale Præmonstratense singulis annis accedere jubet.

(Veronæ, Aug. 1.)

[Hugo, *Annal. Præm.*, II, 128.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus Præmonstratensis ordinis in terra Teutonica et Saxonia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Transmissa nobis Præmonstratensis ordinis relatione comperimus quod, in ordine vestro, ab ipsa

sui origine sit statutum, et per privilegia Romanorum pontificum auctoritate sedis apostolicæ confirmatum, ut abbates ejusdem ordinis semel in anno apud Præmonstratum ad capitulum generale conveniant, in quo de observantiis ordinis habita simul collatione pertractent et emendanda corrigant, et quæ fuerint ordinanda disponant. Quia vero plures ex vobis tempore quo in partibus illis tempestas præteriti schismatis latius inundavit, generali capitulo se substraxerunt, extunc, sicut audivimus, quasi in consuetudinem deduxistis ut ad præfatum capitulum aut nunquam aut rarissime veniretis; quod utique tanto grave magis gerimus et indignum, quanto ex majori cernitur tepiditate contingere, si quid pro disciplinæ fuerat custodia stabilitum, per vestram debeat negligentiam deperire. Ut igitur vos etiam non substractionis filios, sed obedientiæ filios comprobetis, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, et districte præcipimus quatenus, omni appellatione et contradictione postposita, squalorem præteritæ negligentiæ manu promptæ sollicitudinis detergatis, ita quod splendor redivivi fervoris elucidet, quidquid in ordine supradicto nubes quædam præcedentis tepiditatis obscurat.

Quapropter præcavere vos volumus et præcipimus observare, ut, non obstante aliquo rescripto, per suppressionem veritatis elicito pro correptione ipsius ordinis ad Præmonstratensem Ecclesiam, sicut statutum est, et antiquitus observatum, ad generale capitulum annis singulis concurratis, nisi forte illa vos impedimenta detineant, pro quibus, secundum paternas traditiones vestras, possitis regulariter excusari. Alioquin sententiam, quam prædictum generale capitulum promulgaverit in absentes, ratam esse volumus et præcipimus inviolabiliter observari.

Datum Veronæ, Kal. Augusti.

CX.

Ad Turonensem archiepiscopum. — Ad precem Philippi Francorum regis inducias ei concedit, ut amice cum Dolensi Ecclesia componat.

(Veronæ, Sept. 4.)

[Marten., *Thesaur.*, III, 911.]

Licet negotium quod inter tuam et Dolensem Ecclesiam vertitur, ex induciis tibi ab apostolica sede concessis diutius sit protractum, unde ad decisionem ipsius jam esset merito procedendum, præsertim cum a recolendæ memoriæ Alexandro papa, dum moram faceret Tusculani, nonnulli fuerint pro Dolensi Ecclesia testes recepti et examinati, et deinde secundum ipsius papæ seriem litterarum de mandato piæ recordationis Lucii papæ, prædecessoris nostri, coram dilectis filiis decano Cenomanensi, J. de Veteriponte, archidiacono Rothomagensi, et magistro Hugone Januensi, præposito S. Mariæ de Castello, testes fuerint ab utraque parte producti, et attestationes conscriptæ apostolico conspectui præsentatæ. Exspectantes tum quod inter te et prædictam Ecclesiam controversia diutius habita de assensu partium concordia terminetur, ad preces charissimi filii nostri Philippi illustris Francorum regis, cui, quæcunque cum Deo possumus, facere volumus et debemus, adhuc a mense Martio proxime venturo, usque ad annum inducias peren..... tibi et prædictæ commissæ tibi Ecclesiæ duximus prorogandas; ita quod si infra præscriptum terminum controversia ipsa non fuerit concordia terminata, ipse per te vel per responsales idoneos et sufficienter instructos præfatæ Dolensi Ecclesiæ responsurus, et sententiam secundum Deum et veritatem recepturus, apostolico te conspectui repræsentes, non obstantibus litteris quas nuntii tui præpropere sine conscientia jam dicti electi et canonicorum dictæ Dolensis Ecclesiæ reportarunt, quarum tenorem adhuc eisdem nuntiis in nostra præsentia constitutis secundum præsentem formam præcepimus immutandum. Tua siquidem fraternitas studiose provideat ne occasione induciarum istarum, te in compositione facienda durum exhibeas et remissum, quia si id rei veritate constiterit, nos easdem inducias revocabimus, et ad id quod justum fuerit, auctore Deo, procedemus.

Datum Veronæ, Kalendis Septembris.

CXI.

Privilegium pro Parthenone Sancti Petri Cremellensis.

(Veronæ, Sept. 12.)

[Frizi, *Memorie di Monza*, II, 73.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ et sororibus Sancti Petri Cremellensis monasterii, salutem et apostolicam benedictionem.

Oblato nobis authentico instrumento piæ recordationis Robaldi quondam Mediolanensis archiepiscopi quod super controversia quæ inter monasterium vestrum et ecclesiam Sancti Joannis Modœtiæ super septem capitulis in eodem instrumento evidenter expressis emerserat, factum stat; manifeste advertimus propositas quæstiones per definitivam fuisse sententiam terminatas. Unde nos sententiam ipsam, sicut ab eodem archiepiscopo canonice allata est et in scripto authentico cujus supra mentionem fecimus continetur, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Veronæ, II Idus Septembris.

CXII.

Abbati et conventui S. Dionysii concedit, « ne aliquis archiepiscopus vel episcopus in eos vel aliquem ex monachis eorum, in capite vel membris, absque auctoritate Romani pontificis vel legati a latere ipsius transmissi aut speciale super hoc mandatum habentis, vel etiam abbatis mandato, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare. »

(Veronæ, Sept. 12.)

[Doublet, *Hist. de Saint-Denys*, 523.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii S. Dionysii, salutem et apostolicam benedictionem.

Dignum est et consonum rationi, ut his qui specialiter B. Petri et nostri juris existunt, signa majoris benevolentiæ ostendamus, et eis contra gravamina molestantium clementius assistere procuremus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, præsentis scripti pagina duximus inhibendum, ne aliquis archiepiscopus vel episcopus in vos vel aliquem ex monachis vestris in capite vel membris, absque auctoritate Romani pontificis, vel legati a latere ipsius transmissi, aut speciale super hoc mandatum habentis, vel etiam abbatis sui mandato, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

Datum Veronæ, II Idus Septembris.

CXIII.

Fines parochiales ecclesiarum S. Pauli et S. Vitalis Veronensium, a duobus cardinalibus constitutos, confirmat. C

(Veronæ, Sept. 22.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 806.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Adrian. archipresbytero, et canonicis Veronensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ pro pace et quiete Ecclesiarum de providentia sedis apostolicæ statuuntur, firma decet et illibata consistere, et ne cujuscunque malitia depraventur, litterarum memoriæ commendari et scripti nostri pagina communiri. Unde quoniam post multas discrepationes quas inter vos et dilectos filios nostros fratres militiæ Templi de parochialibus terminis duarum ecclesiarum S. Pauli et S. Vitalis diutius contigit agitari, placuit utrique parti dispositionem nostram eligere : nos dilectis filiis nostris Soff. S. Mariæ in Via Lata et R. S. Mariæ in Porticu diac. card. ad hujus rei cognitionem inspectoribus destinatis, designationem eorum, quam de parochiis utriusque ecclesiæ fecisse noscuntur, ratam habemus, et præcipimus inconcusse servari, videlicet, ut totum quod est a domo Alioci de Monte Cleda, et ipsa domus per rectam lineam usque ad domum Tridentin, et ipsa domus per rectam lineam usque ad domum Lanfranchi Muxolin. et ipsa domus versus ecclesiam S. Pauli sint de parochia S. Pauli, et totum ab illis domibus et terminis versum ecclesiam S. Vitalis de parochia S. Vitalis libere et A absque contradictione qualibet censeatur. Ut autem hæc definitio perpetuis temporibus inviolata permaneat, eam sicut rationabiliter facta est auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, etc.

Datum Veronæ, X Kal. Octob.

ANNO 1187.

CXIV.

Suenoni Arusiensi episcopo permittit ut, episcopatu abdicato, monasterium capessat.

[Langebeck, *Dipl. Suenon.*, V, p. 255.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Suenoni Arusiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ea requiruntur a nobis quæ de salutis videntur consideratione procedere, non debemus nos difficiles ostendere, sed facilem potius petentibus præbere consensum. Sicut autem ex tua est nobis parte propositum, episcopalis administrationis difficultatem attendens, quæ multis sæpius occupationibus est implicata, ad claustralem te quietem proposuisti transferre, et super hoc auctoritatem duxisti apostolicam requirendam, sine qua id tibi facere non liceret. Volentes igitur in hac parte tuis postulationibus acquiescere, præsentis tibi scripti pagina duximus indulgendum, ut cedendi eidem episcopatui et transferendi te ad locum quietis, cum volueris, liberam habeas facultatem (44).

CXV.

Monasterii S. Nicolai in littore Veneti bona et jura confirmat.

(Veronæ, Jan. 6.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 1247.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Matthæo abbati monasterii S. Nicolai, quod in Rivoaltensis portus littore situm est, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter innotescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium S. Nicolai, quod bonæ memoriæ Dominicus Contarenus Venetiarum dux, una cum Dominico Gradensi patriarcha, et Dominico Olivolensi episcopo, et cuncto clero, et populo Venetico in prædio sui juris in littore Rivoaltensis portus ædificari concessit, atque in loco ipso monastici ordinis fratres in posterum manere decrevit, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Callisti, Alexandri et Lucii Rom. pontificum, sub beati Petri et nostra devotione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut possessiones, et bona, ac jura, quæ ab eodem duce, aut ab aliis fidelibus in imperio Constantinopolitano, Corintho, Dyrrachio, Rhodo, Almiro, Hierosolyma, Accarone, in regno Italico,

(44) Non potest serius esse datum hoc diploma quam anno 1187; tunc enim obiit Urbanus papa.

in Bononia, in Padua, Histria Marchæ, atque infra provinciam Venetiæ, vel in quibuslibet locis eidem loco oblata sunt, rationabiliter, et quæcunque alia in possessionibus vel in aliis de liberalitate regum vel principum, seu oblatione fidelium de jure præscriptum monasterium poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illabata permaneant. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, et B. Benedicti Regulam præviderint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva apostolicæ sedis auctoritate, et Olivolensis episcopi debita justitia in abbatum duntaxat consecratione, et in prandio indicto vestro monasterio in nativitate S. Nicolai annis singulis persolvendo. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo et tertio commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, C et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus, Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Paulus, Prænestinus episc., subsc.

Ego Petrus de Bono, presb. card. tit. S. Susannæ, subscr.

Ego Laborans, presb. card. S. Mariæ in Trans-Tiberim, subscr.

Ego Pandulphus, presb. card. tit. XII Apostolorum, subscr.

Ego Adelardus, tit. S. Marcelli presb. cardin., subscr.

Ego Jacintus, S. Mariæ in Cosmedin diac. card., subscr.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diacon. card., subscr.

Ego Bobo, S. Angeli diac. card., subscr.

Ego Gofredus, S. Mariæ in Via Lata diac. card., subscr.

Ego Rolandus, S. Mariæ in Porticu diac. card., subscr.

A Ego Rodulphus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card., subscr.

Datum Veronæ, per manum Moysis Later. canonici vicem agentis cancel., octavo Idus Januar, indict. IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero Domini Urbani papæ III anno II.

CXVI.

Monasterii Morimundensis privilegia confirmat.

(Veronæ, Jan. 7.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, IV, 169 (45).]

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Petrus de Bon. tit. S. Susannæ presb. card. subscr.

B Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. S Callisti subscr.

Ego Pandulphus presb. card. tit. XII Apostolorum subscr.

Ego Melchior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii subscr.

Ego Jacinthus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin subscr.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. subscr.

Ego Bobo S. Angeli diac. card. ss.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diac. cardin. subscr.

C Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. subscr.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. E. presb. card. et cancellarii, VII Idus Januarii, indict. V, Incarnationis Dominicæ 1186, pontificatus vero Domini Urbani papæ tertii anno II.

CXVII.

Privilegium pro monasterio Vallis Altæ.

(Veronæ, Jan. 12.)

[LUPI, *Cod. diplom. Bergom.*, II, 1355.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ISRAELI abbati et fratribus monasterii Altævallis in Pergamensi parochia tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis, in perpetuum.

D Commissæ nobis apostolicæ sedis auctoritas nos hortatur ut locis et personis religiosis auxilium devotione debita implorantibus tuitionis præsidium impendamus. Quia sicut injusta petentibus nullus sit tribuendus effectus; ita legitima et justa postulantibus non est differenda petitio. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et monasterium Altævallis in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, atque præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eo

(45) Ubi subscriptiones tantum exhibentur. Adeat lector privilegium ab Alexandro III eidem indultum monasterio, quod verbotenus Urbani bullam repræsentat. Exstat *Patrologiæ* tom. CC.

noscitur institutus perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur.

Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc duximus exprimenda vocabulis:

Ab oriente terram de Gaverino et Apelliano et Milonio et Tercio; montem qui dicitur Pelsinus; ab occidente vero sicut trahit Vallicula quæ dicitur Vallis Jumella; a montibus viam de Altino; villam quæ dicitur Pellianus cum possessionibus suis; villam novam cum possessionibus suis, capellam Sanctæ . . . . . de Campania cum possessionibus suis; capellam Sancti Salvatoris Pergamensis cum possessionibus suis. Montem qui dicitur Armentaticus; montem qui dicitur Cardenianus; montem qui dicitur Mallia; donationes etiam a bonæ memoriæ Gregorio Girardo Vulla Pergamensibus episcopis de consilio et assensu capituli sui, vobis et monasterio vestro factas, et eas præterea quas venerabilis frater noster Joannes Brixiensis episcopus super Ecclesiam Sancti Georgii de Tegio et bonæ memoriæ Altemanius Tridentinus episcopus super Ecclesia Sancti Laurentii de Tridento vobis de canonicorum suorum assensu fecerunt et scriptis perpetuis roboraverunt, sicut in scriptis illis continetur et vos juste et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio auctoritate apostolica confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi sub qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres de communi assensu . . . . . consilii sanioris, secundum Dei timorem et B. Benedicti Regulam duxerint eligendum. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Decernimus ergo ut nulli hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

In circulo: AD TE, DOMINE, LEVAVI ANIMAM MEAM.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episc subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Jacobus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Bobo diaconus card. S. Angeli, subscripsi.

Ego Petrus de Boi . . . . . Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans-Tiberim titulo Calixti subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter cardinalis titulo XII Apostolorum subscripsi.

Ego Melchior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tituli Pammachii subscripsi.

Datum Veronæ, per manum Alberti Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, II Idus Januarii, indict. IV, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno secundo

CXVIII.

Parthenonis S. Zachariæ Veneti possessiones et privilegia confirmat. (*Fragmentum*).

(Veronæ, Febr. 17.)

[CORNELII *Ecclesiæ Venetæ*, XI, 377.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus CASOTÆ abbatissæ monasterii S. Zachariæ de Venetiis, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum, etc.

. . . . Firma vobis, et eis quæ vobis successerint, et illibata permaneant, in quibus hæc propriis ducimus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo monasterium præfatum situm est, cum omnibus pertinentiis suis; curtem sitam in loco qui Petriolo vocatur cum ecclesia S. Thomæ, et omnibus pertinentiis suis; curtem positam in loco qui dicitur Cona, cum ecclesia S. Mariæ et omnibus pertinentiis suis. Curtem positam in loco qui dicitur Runco, cum omnibus pertinentiis suis et cum ecclesia S. Mariæ. Curtem positam in loco qui dicitur Clugia, cum omnibus suis pertinentiis, et omnia alia sicut habetur in bulla felicis recordationis Alexandri papa tertii.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

L. S. Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Petrus de Bono presb. card. tit. S. Susannæ.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. tit. XII Apostolorum.

Ego Melchior presb. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Et sex alii.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. E. presb. card. et cancellarii, XII Kal. Martii, indictione quinta, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno secundo.

CXIX.

Ad Wichmannum Magdeburgensem archiepiscopum. — De injuriis Ecclesiæ Romanæ a Friderico imp. illatis, et ut sequestrem pacis sese intervenat.

(Veronæ, Febr. 24.)

[MANSI. *Concil.*, XXII, 506.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Magdeburgensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Firmum in corde nostro propositum habendi te sincerius in visceribus Jesu Christi charitas illa fundavit, quæ diffusa per Spiritum in cordibus electorum (*Rom.* v), ita corpus Ecclesiæ compage suæ virtutis adnectit, ut et caput membris ineffabili junctura cohæreat, et membrorum officiosa diversitas ab unitate capitis non recedat. Noverit ergo tua fraternitas quod nos circa te et commissam tibi Ecclesiam charitatis hujus ardore ferventes, fiduciam de te gerimus spiritualem, quod sicut paternitatem tuam nexu quodam singularis dilectionis amplectimur, ita etiam recompensatione laudabili a tua devotione suscepta copiosus semper in tuis affectibus oblectemur. Hac ergo suadente fiducia, materiam tibi nostræ immodicæ turbationis exponimus, ut nostris te participante molestiis, de prudentia et subsidio tuo majus in Domino solatium capiamus. Commonita, inquam, frequenter a nobis imperialis culminis altitudo, ut Ecclesiæ Romanæ restituat possessiones ejus, quas detinet occupatas, non ea qua debuit serenitate respondit, nec videtur velle perficere, per quod inter Ecclesiam et imperium firma possit pax et concordia provenire. Unde hoc ipsum per litteras tibi duximus apostolicas intimandum, rogantes attentius et mandantes quatenus cum ad partes illas accesserit, in quibus ejus alloquio tua fraternitas potiatur, suadere sibi et consulere non omittas, ut Ecclesiam Dei, sicut ad suam spectat gloriam et salutem, oculo benigniori respiciat, et materiam fomitemque discordiæ, sicut decet ejus magnificum principatum, funditus e medio laudabili pietate præcidat. Quod si forsitan, te commonente, non fecerit, culpam dissensionis et odibilis simultatis in eam partem noveris esse refundendam; quæ culpam videtur præstare discidii, cum in manu ejus potestas hæreat et facilitas emendandi.

Dat. Veronæ VI Kal. Martii.

CXX.

B(alduinum), archiepiscopum Cantuariensem, reprehendit, quod priorem fratresque Ecclesiæ Cantuariensis variis affecerit injuriis, neque appellationem ad sedem apostolicam factam curaverit. Præcipit, ut « suspensionum sententias, tam in priorem quam in alios fratres promulgatas, infra 10 dies publice denuntiet non tenere, et quod post primam appellationem in juris illorum præjudicium attentaverit, in statum pristinum reducat. » De ea quæ sequitur epistola significat.

(Veronæ, Mart. 1.)

[TWISDEN, *Hist. Anglic. Script.*, t. I, 1491.]

URBANUS, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. Cantuariensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Dum ad mentem reducimus religionis tuæ fervorem et locum regiminis quem in Ecclesia Dei ad procurandam salutem fidelium suscepisti, non possumus non dolere, si quid nobis de tuæ fraternitatis actibus proponatur, quod gravitati tuæ et pontificali officio contradicat. Dignum siquidem est et consonum rationi, ut sicut te speciale videlicet membrum Ecclesiæ sincera in Domino charitate diligimus, ita de conversatione tua et moribus specialem sollicitudinem habeamus, quia vestram non modicam crederemus læsionem, si laudabilis religionis tuæ opinio occasione qualibet, quod Dominus avertat, læderetur. Sane veniens ad nostram præsentiam dilectus filius noster prior ecclesiæ tuæ cum quibusdam ex fratribus suis, reverenti nobis insinuatione monstravit quod, post promotionem tuam, in qua sui conventus statum crediderunt ad honorem Dei omnimodis augmentandum, a te enormia gravamina sint perpessi, et quotidie sustineant graviora. Pro quibus, cum ad sedem apostolicam appellassent, ut ad præsens cætera transeamus, Dominica qua cantatur « Lætare Jerosolyma » terminum præfigentes, tu quod mirabile gerimus et indignum, ipsi appellationi non deferens, in exsecutione ipsius quemdam ex fratribus suspendisti, qui etiam de præcepto tuo postmodum, sicut dicitur, ab ipsa Ecclesia est remotus. Post eamdem etiam appellationem, licet prior et fratres se et sua sub apostolica protectione posuerit, priorem nihilominus suspendisti, objiciens ei quod unum ex fratribus suis ad præsentiam nostram venire permiserat, et quemdam alium qui appellaverat, in Ecclesia et consortio fratrum suscepit. Postquam autem ob prædicta gravamina iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, in basilica quam in eorum gravissimum detrimentum construere proponis, quosdam sæculares canonicos appellantibus et reclamantibus fratribus, diceris statuisse, eisque ipsorum ecclesias assignasti, et universos qui appellaverant ab altaris officio suspendisti.

Quia vero licet super principalibus quæstionibus in termino appellationi præfixo tuos responsales nuntios exspectemus, ea tamen quæ in contemptum sedis apostolicæ dicuntur peracta, quantumcunque tuæ velimus fraternitati deferre, relinquere nolumus incorrecta, apostolica tibi auctoritate mandamus atque præcipimus, quatenus prædictarum suspensionum sententias tam in priorem quam in alios fratres ejusdem ecclesiæ, post appellationem ad nos interpositam promulgatas, infra X dies

post susceptionem præsentium publice denunties non tenere, et quod post primam appellationem in juris eorum præjudicium attentasti, in statum pristinum reducere non omittas. Sciturus quod si infra præscriptum terminum exsequi distuleris quod mandamus, nos nequaquam super hoc poterimus injurias Ecclesiæ sustinere, jamque dilectis filiis nostris de Bello, de Feuresham. et Sancti Augustini abbatibus dedimus in mandatis, ut id, appellatione remota, auctoritate apostolica exsequantur; nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus, a sede apostolica impetratis obstantibus.

Data Veronæ, Kal. Martii.

CXXI.

Abbatibus de Bello, de Fauresham et S. Augustini significat superiore epistola quid archiepiscopo Cantuariensi præceperit. Mandat hæc : « Si præfatus archiepiscopus infra præscriptum terminum exsequi distulerit quod mandamus, vos id exsecutione mandetis. »

(Veronæ, Mart. 1.)

[*Ibid.*, 1492.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Bello, de Feuresham, et Sancti Augustini abbatibus salutem et apostolicam benedictionem.

Veniens ad apostolicam sedem dilectus filius noster prior Cantuariensis Ecclesiæ cum quibusdam ex fratribus suis, diligenti nobis insinuatione monstravit, quod a venerabili fratre nostro B. Cantuariensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, post promotionem suam, enormia gravamina sint perpessi et quotidie sustineant graviora. Pro quibus cum ad sedem apostolicam appellassent, Dominica qua cantatur « Lætare Jerosolyma » terminum præfigentes, idem archiepiscopus appellationi non deferens, in exsecutione ipsius quemdam ex fratribus ipsis suspendit, qui etiam postmodum de præcepto suo, sicut dicitur, ab ipsa Ecclesia est remotus. Post eamdem etiam appellationem licet prior et fratres se et sua sub apostolica protectione posuerint, nihilominus priorem suspendit, objiciens ei quod unum ex fratribus suis ad præsentiam nostram venire permisit, et quemdam alium qui appellaverat, in Ecclesia et consortio fratrum suscepit. Postquam autem jam dictus prior ob prædicta gravamina iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, præfatus archiepiscopus in basilica quam in eorum gravissimum detrimentum dicitur construxisse, quosdam sæculares canonicos, appellantibus et reclamantibus fratribus dicitur instituisse, eisque ipsorum ecclesias assignasse, et universos qui appellaverant ab altaris officio suspendisse. Quia vero licet super principalibus quæstionibus in termino appellationi præfixo responsales et nuntios ipsius archiepiscopi exspectemus, ea tamen quæ tam manifeste in contemptum sedis apostolicæ sunt peracta relinquere nolumus incorrecta, eidem archiepiscopo auctoritate apostolica præcepimus, quatenus suspensionum sententias tam in priorem quam in alios fratres ejusdem ecclesiæ post appellationem ad nos interpositam promulgatas, infra x dies post susceptionem litterarum nostrarum, publice denuntiet non tenere, et quod post primam appellationem in juris eorum præjudicium factum est, in statum pristinum reducere non omittat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus, si præfatus archiepiscopus infra præscriptum terminum exsequi distulerit quod mandamus, vos id, omni dilatione et appellatione postposita, executioni mandetis, nullis litteris veritati et justitiæ præjudicantibus, si quæ apparuerint a sede apostolica impetratæ.

Quod si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Veronæ Kal. Martii.

CXXII.

Ecclesiam S. Petri Bononiensem tuendam suscipit ejusque bona et jura confirmat.

(Veronæ, Mart. 2.)

[Savioli, *Annal. Bologn.*, II, 149.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gerardo archidiacono, Huberto archipresbytero et canonicis Ecclesiæ S. Petri Bonon. tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod rationi et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis supplicationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Petri Bononiæ, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri felicis recordationis Alexandri papæ sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis, adjuvante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum pertinentiis suis; ecclesiam S. Joannis Baptistæ; ecclesiam S. Mariæ de Montovallo; ecclesiam S. Jacobi cum hospitali, quod est in loco S. Rofilli; hospitalis juxta crucem de Prestribardo; hospitalis in Ucula; ecclesiam S. Michaelis de foro medio; ecclesiam S. Donati; ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ in Talnisi. Ecclesiam S. Egidii juxta Savinam; ecclesiam S. Petri et Savinii in Castaniolo; ecclesiam S. Michaelis de Argelata et plebem Medicinæ; ecclesiam S. Mariæ de Vineis, et ecclesiam S. Laurentii, et ecclesiam S. Michaelis quæ sunt in Medicina, cum omnibus prædictarum ecclesiarum pertinentiis. Ecclesiam S. Thomæ et S

Mariæ in Garda, et S. Joannis in Fontana; terram etiam cum domibus et sine domibus quæ est circa ecclesiam S. Petri vestri episcopatus, scilicet a meridie, vespere et septentrione positis infra murum civitatis in loco qui Hospitale vocatur, et extra murum, usque ad viam S. Thomæ apostoli et a platea quæ pergit ad eamdem ecclesiam usque ad trivium qui dicitur Avesa. Omne dominicatum quod habetis et tenetis; tres quoque partes decimationum totius vestræ plebis, scilicet S. Petri episcopatus, cum omnibus primitiis et oblationibus vivorum et mortuorum et quidquid in sancta vestra episcopali ecclesia offertur, sive in altare aut in pavimento ponitur; decimationes totius plebis de Buida.

Præterea quemadmodum bonæ memoriæ G. Bononiensis episcopus ab onere expensarum quas solebatis facere in eundo Ravennam ad synodum et redeundo, vos absolvit, sicut in authentico scripto exinde facto noscitur contineri, vos auctoritate apostolica absolvimus, et in posterum tam vos quam successores vestros absolutos manere censemus. Libertates quoque et immunitates a regibus et principibus et ab aliis personis tam ecclesiasticis quam mundanis rationabiliter Ecclesiæ vestræ indultas, et antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas integras illibatasque manere præsenti decreto sancimus. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare.

Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra et illibata serventur eorum pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Bonon. episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit secundo tertiove commonita, nisi reatum suum debita satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Petrus de Bona presb. card. tit. S. Susannæ ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit Calisti ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Melchior presb. card. SS. Joannis et Paulitit. Pamachii ss.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card. ss.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gerardus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Rodulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, VI Non. Martii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno secundo.

CXXIII.

Privilegium pro abbatia S. Gisleni.

(Veronæ, Mart. 7.)

[Reiffenberg, *Monuments du Hainaut*, VIII, 401.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Lamberto abbati monasterii Sancti Gisleni ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium Sancti Gisleni in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucii prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et Sancti Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; villam Hornut, cum pertinentiis suis; in villa Logia (*Slogia* Edit.) curtem dominicatam et carrucatam terræ arabilis, cum curtibus et omni decima tam ipsius terræ quam omnium feodorum ejusdem villæ; decimas quas habetis in terris Sancti Petri; decimam de vinea Hugonis; villare quod dicitur Ultra montes, cum pertinentiis suis et ejusdem loci ecclesiam

cum appendiciis suis Harminiaco et Beweniis; decimam de Curte et de terris Sancti Landelini; in Novella terram arabilem unius carrucatæ; quartam partem villæ Blelgiis cum pertinentiis suis et districto; in villa quæ dicitur Wamia, allodium Gonteri et Ægidii filii ejus, de Cing, terramque Hugonis de Aengien, cum aliis terris, curtilibus, redditibus, pratis et silvis; partem villæ Darni cum villa et districto; villam Vaberias et curtem dominicatam ab omni advocatione et decima liberam; ecclesiam quam sub annuo censu centum solidorum, Cameracensis monetæ ab ecclesia Sancti Gaugerici possidetis; in villa Chavren, curtem dominicatam cum terris, aqyis, pratis, silvis et curtibus et portione decimæ ab omni dominio libera et ab aliis partibus divisa; in villa quæ dicitur Harcheis tres fertones ad pondus Flandriæ quos Alnensis debet ecclesia pro terra Heluidis; in Resbaco, curtem dominicatam et tres partes totius allodii, tam in terris quam in silvis, in aquis, pratis et redditibus cum districto; apud Roncherias, sex marcas argenti ad pondus Coloniæ quas debet Camberonensis ecclesia sub annuo censu pro ejusdem loci terris et altari cum capella de Herieriponte; altare de Cella, cum appendiciis suis Hornut et Quaternione; ecclesiam de Durno cum appendiciis Blelgiis, Hercana, Astices et Slogio; ecclesiam de Villari cum appendiciis suis Harminiaco et Bewengiis; ecclesiam de Wamia, cum suis pertinentiis; Altregium cum capella de villa, cum pertinentiis suis; apud Imbrecies, curtem et terras dominicatas cum pratis et aquis; duas partes communis allodii, altare de Bossut cum pertinentiis suis; altare de Baldurno cum appendicio suo Vilerot; altare de Elignies et de Tumaides; capellam de Ramigniis cum appendiciis suis; Abecias cum appendiciis suis Belehi, Molembais. Popiola Piereweiz et aliis cum appendiciis suis; altaria quoque a bonæ memoriæ Nicolao, quondam Cameracensi episcopo vobis collata et ejus privilegiis confirmata; Ilarcies cum appendiciis suis Grandi-Ecclesia, Strabursia et capella de Equicampo; altare de Blatum; capellam de Wieres; altare de Tulin cum appendicio suo Henin; altare de Hunchignies, altare de Hersella, altare de Rascengien, altare de Humberges, altare de Goy cum terra et aliis appendiciis suis; altare de Lovigniis cum appendiciis suis Dolziis et capella de Squeri; capellam Delfait, et capellam de Herieriponte; in villa Alemannis, curtem dominicatam et decimam ipsius curtis et terræ ad eamdem curtem pertinentis, in terris, vineis, pratis, silvis et capellam ad usus familiæ; curtem et terras dominicatas apud Altregium et partes communis allodii in terris, aquis, pratis silvis et redditibus; villam Bassecles cum omnibus appendiciis suis et villicatiónem ejusdem villæ in eleemosynam monasterio vestro concessam. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, decimas a vobis nullus extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit de eodem monasterio discedere; discedentem vero, absque litterarum communione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clausis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, sepulturamque hujus loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Consuetudines, etiam antiquas libertates et immunitates, rationabiliter monasterio vestro et ecclesiæ vestræ concessas et hactenus observatas ratas habemus easque futuris temporibus illibatas manere censemus. Inhibemus insuper ne quis in vos vel ecclesias vestras sine manifesta et rationabili causa excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam audeat promulgare.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qùa igitur ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire præsumpserit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem monasterio sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actiones percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. XII Apostolorum.

Ego Major presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli tituli Pamachii.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Jacintus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diac. card.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Rolandus Sanctæ Mariæ in Porticu diacon. cardinalis.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card.

Ego Radulphus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, Nonis Martii, indictione v. Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno secundo

CXXIV.

Monasterium S. Salvatoris de Trebia tuendum suscipit et ejus bona juraque confirmat.

(Veronæ, Mart. 12.)

[Campi, *Hist. di Piac.*, II, 370.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Salvatoris de Trebia ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Monet nos apostolicæ sedis, cui licet immeriti præsidemus, auctoritas pro statu omnium Ecclesiarum, provida circumspectione satagere, et ne malignorum rapinis, vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis patrocinium exhibere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Salvatoris de Trebia, in qua estis divino obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam, atque institutionem Pulsanensis ordinis, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; pontem Trebiæ et piscationem ipsius aquæ a Goxolengo, usque ad eumdem pontem et duos rivos, qui de alveo ipsius fluminis extrahuntur, cum moendinis et utilitatibus suis, terras, vineas et domos quas habetis in Gragnano; molendina, domos, vineas et terras in Guxaligio; vineas terras et domos in Arcellis, terram de Lorentiano; vineas, terras et domos de Passiano, terras de Castronovo, terras de Trejano; vineas, terras et domos de Momiano; terras de Baldinico; vineas et terras in rivo Ceredano, sicut Berardus abbas S. Sixti vobis scripto proprio confirmavit; terras de Caxali, et terras et silvas de Calendasco, silvam de Sarmada, terras in Campremaldo superiori, terras in Mamogo, et terras in curte Goxolenghi, partem quarum prædictus abbas vobis nihilominus confirmavit; terras in curte Valeriæ, terras in Valle; terram juxta stratam Romeam cum ecclesia et ædificiis suis; domos quoque quas in civitate Placentina habetis, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium prædictorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, decimas a vobis nullus extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere; prohibentes insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in loco vestro professionem, nisi arctioris religionis obtentu fas sit, sine abbatis sui licentia, de eodem loco discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipiant episcopo, si quidem Catholicus fuerit, et gratiam apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua ea voluerit exhibere; alioquin ad quemcunque malueritis, recurratis antistitem, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et B. Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, etc.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subsc.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscr.

Ego Petrus presb. cardin. tit. S. Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presb cardinalis S. Mariæ trans Tiberim tit. Calisti subscripsi.

Ego Pandulfus presb. cardinalis tit. XII Apostolorum subscr.

Ego Melchior presb. cardinalis SS. Joan. et Pauli tit. Pamachii.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. cardinalis.

Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Rolandus S. Mariæ in Porticu diac. cardinalis subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. cardinalis subscr.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. cardinalis subscr.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. R. E. presb. cardinalis et cancellarii, IV Idus Martii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno (46) 1186, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno secundo.

CXXV.

Ad magistrum et fratres cruciferos Hospitalis Bononiensis. — Approbat eorum ordinem.

(Veronæ, Mart. 26.)

[Mansi, *Concil.*, XXII, 499.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ben. magistro et fratribus cruciferis, Hospitalis domus Bononien. tam præsentibus quam futuris, communem vitam ducentibus in perpetuum.

Cum antecessor tuus, fili prior, a prædecessore nostro fel. mem. Alexandro papa lapidem primarium ad ecclesiam construendam acceperit, in territorio Bononiensi, ubi domus vestra nunc constructa dignoscitur, non vestris postulationibus inducti, eamdem ecclesiam in qua divino estis et pauperum obsequio mancipati, in jus et proprietatem beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem ecclesia vestra cum Hospitali impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda, vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum hospitale, et ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis : etc.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive ad vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis personas liberas, et absolutas, e sæculo fugientes, ad conversionem et pauperum Christi servitium recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere.

Inhibemus autem ne aliqua ecclesiastica sæcularisve persona, in domum vestram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum vestrorum de ipsa domo audeat ejicere violenter. Clerici etiam, qui ad domos vestras ordinati fuerint, et assumpti, nulli alii, quam tibi, fili prior, præstare obedientiam compellantur. Prohibemus insuper ne cui liceat vos, aut domos vestras, interdicto vel excommunicationi, sine manifesta et rationabili causa, et legitima citatione, subjicere, præsenti pagina decernentes, ut nullus Ecclesiarum prælatus a domibus vestris quidquam exigere, præter libram ceræ, audeat, vel etiam extorquere; salvis censibus illis, qui nunc in quibusdam domibus vestris constituti sunt de consensu episcoporum annuatim percipiendi.

Nihilominus etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus vestris, ubi tot fratres assidue commorantur, quibus sit ecclesia necessaria, liceat vobis oratoria erigere et cœmeteria fabricare. Quorum sepulturam liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Chrisma quoque, oleum sanctum, dedicationes ecclesiarum, ordinationes clericorum, qui ad sacras fuerint ordinationes promovendi, et cætera ecclesiastica sacramenta, a quocunque malueritis catholico recipiatis episcopo, qui nostra fultus auctoritate quod postulatur impendat.

Ad indicium autem quod eadem domus vestra specialiter beati Petri existat, duodecim imperiales nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam, et hospitale temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integre conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judiciem præmia pacis inveniant. Amen.

Ad te, Domine, levavi animam meam.

Ego Urbanus, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus, Albanensis episcopus.

(46) 1187 a Nativitate.

Ego Paulus Prænestinus, episcopus.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Petrus, presbyt. card. tit. S. Susannæ.

Ego Laborans, presbyt. card. S. Mariæ trans Tiberim, tit. S. Callisti.

Ego Pandulfus, presbyt. card. tit. XII Apostolorum.

Ego Melchior, prebyt. card, SS. Joannis et Pauli, tit. Pammachii.

Ego Adelardus, tit. S. Marcelli presbyt. card.

Ego Jac., diac. cardin. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac. cardin.

Ego Roland., S. Mariæ in Porticu diac. cardin.

Ego Petrus, S, Nicolai in Carcere Tulliano. diac. cardin.

Ego Rad. [*forte*, Radulfus], S. Gregorii ad Velum Aureum diac. cardin.

Datum Veronæ, per manum Moysi Lateranensis canonici, vice agentis cancellariæ, VII. Kalend. Aprilis, indict. V, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontific. vero D. Urbani papæ III anno II.

CXXVI.

B(alduino) archiepiscopo, Cantuariensi, apostolicæ sedis legato præcipit, ut ædificationem novæ ecclesiæ abjiciat, quam monachi Cantuarienses detrimento sibi fore, cum ipso questi sint.

(Veronæ, Maii 8.)

[Twisden, *Hist. Angl. Script.*, I, 1318.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. Cantuariensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri prior et quidam fratres ejus monachi ecclesiæ tibi commissæ ad nostram præsentiam venientes de ecclesia, quam ædificare cœpisti, tantum sibi et eidem ecclesiæ proposuerunt dispendium proventurum, quod nisi ab ejus fuerit constructione cessatum, præscripta ecclesia suæ dignitatis et status miserabile suscipiet detrimentum. Sane cum per Dei gratiam litteratus sis, et in religione diutius conversatus, ignorare non debes, sicut nec te credimus ignorare, quomodo propter scandalum a bonis est interdum operibus abstinendum. Nos autem sollicite providere volentes ne inter te et fratres tuos maneat materia jurgiorum, cum non possint convenienter obsequiis divinis intendere qui sunt contentionibus dediti, de consilio et deliberatione fratrum nostrorum monemus fraternitatem tuam, mandamus et districte præcipimus, quatenus donec causa cognita statuamus quid de ipso ædificio fieri debeat, occasione, contradictione et appellatione postposita, ab illius novæ ecclesiæ constructione et canonicorum institutione desistas et etiam ab exactione fraternitatis quam ob favorem ipsius operis diceris statuisse, aliis litteris non obstantibus a sede apostolica impetratis. Si quid autem contra hanc prohibitionem nostram fuerit attentatum, nos id auctoritate apostolica irritamus.

Datum Veronæ, VIII Id. Maii.

CXXVII.

Episcopis, abbatibus et aliis Ecclesiarum prælatis per Angliam constitutis de superiore ad archiepiscopum Cantuariensem epistola significat.

(Veronæ, Maii 9.)

[*Ibid.*, 1319.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis abbatibus et aliis Ecclesiarum prælatis per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilecti filii nostri prior et fratres Cantuariensis Ecclesiæ de constructione novæ ecclesiæ, quam venerabilis frater noster Cantuariensis archiepiscopus apostolicæ sedis legatus de novo extra Cantuariam incœpit, gravia se querantur dispendia subituros, nos eorum juri volentes, prout tenemur, ex officio providere, ex deliberatione fratrum nostrorum ipsi archiepiscopo districte præcepimus, ut in constructione præscriptæ novæ ecclesiæ vel in institutione canonicorum, donec cognita causa statuamus quid ex hac fieri debeat, non procedat. Mandamus itaque universitati vestræ atque præcipimus, quatenus fraternitatem aut prædicationem, quam occasione illius Ecclesiæ prædictus archiepiscopus de novo constituit, usque ad decisionem causæ in parochiis vestris nullatenus admittatis, nec prædicatores, si qui ad hoc destinati fuerint, in ipsis parochiis patiamini prædicare, vel a fidelibus beneficia quærere, sed eos potius ab his desistere, sublato appellationis obstaculo, auctoritate nostra, ecclesiastica districtione cogatis.

Datum Veronæ, VII Idus Maii.

CXXVIII.

B(alduino) archiepiscopo Cantuariensi exprobrat, quod mandata sua (die 1 m. Martii data) non fecerit.

(Veronæ, Maio?)

[*Ibid.*]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, B. Cantuariensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto majoris es religionis, honestatis et nominis, tanto amplius tuæ detrahitur gravitati, si quando apostolicæ jussioni resistis, cui teneris in omnibus prompta devotione deferre. Cum enim per alia scripta tibi dederimus in mandatis, ut, si quid circa statum ecclesiæ tuæ in personis vel rebus in præjudicium dilectorum filiorum nostrorum prioris et fratrum ejusdem ecclesiæ, post appellationem ab ipsis ad nos interpositam, vel postquam idem prior cum quibusdam fratrum suorum iter arripuit ad sedem apostolicam veniendi, fecisti in statum pristinum revocares, non sine ratione miramur, quod sicut nobis innotuit, mandatum nostrum exsequi noluisti, cum non ignores quomodo et hi qui appellant et qui ad Romanam Ecclesiam

veniunt, donec de controversia cognoscatur, nullum sui status sentire debeant detrimentum. Credentes autem quod hac vice facere debeas quod hactenus neglexisti, fraternitati tuæ per iterata scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus quidquid circa statum prioris et fratrum ipsius ecclesiæ, in personis vel rebus, in eorum præjudicium commisisti postquam ad nos appellarunt, vel postquam idem prior et quidam de suis aggressi sunt iter ad nos veniendi, dilatione et appellatione postposita, in statum pristinum reducere non postponas, eosque in personis vel rebus contra juris ordinem desinas amodo fatigare. Si vero id infra xv dies post harum susceptionem non expleveris, dilectis filiis nostris de Bello, de Fauresham, et S. Augustini Cantuariæ abbatibus id, appellatione remota, commisimus exsequendum. Ita ut si omnes his exsequendis interesse noluerint vel nequiverint, duo ex ipsis ea nihilominus exsequantur.

A

B

CXXIX.

Abbates de Bello, de Fauresham et S. Augustini redarguit, quod sua mandata neglexerint.

(Veronæ, Maio?)

[*Ibid.*, p. 1495.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis de Bello, de Fauresham et S. Augustini Cantuariæ abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Grave admodum gerimus et molestum quod venerabilis frater noster Cantuariensis archiepiscopus et apostolicæ sedis legatus adversus dilectos nostros priorem et fratres suos post appellationem, reverentia sedis apostolicæ prætermissa, commiserat, nec ad mandatum nostrum nec ad commonitionem vestram voluit, sicut accepimus, revocare. Quod autem in exsecutione mandati quod super hoc vobis dedimus licet nimis tepide processistis, gratum nobis est, sed multo gratius esset si tenorem mandati nostri taliter fuissetis exsecuti, quod non cogeremur vobis super eodem iteratas litteras destinare. Verum quia super gravaminibus et molestiis ipsius prioris et fratrum suorum non possumus non moveri, nos incorrectum sustinere nolentes quod in eorum præjudicium non sine contemptu sedis apostolicæ constat esse commissum, memorato archiepiscopo mandatum iteratum dedimus et præceptum ut, quidquid circa statum ipsius prioris et fratrum suorum in personis vel rebus, in eorum præjudicium attentavit postquam ad nos appellarunt, vel per eumdem priorem et quosdam de suis aggressi sunt iter ad nostram præsentiam veniendi, id in statum pristinum dilatione et occasione cessante reducat, eosque contra juris ordinem in personis vel rebus desinat amodo fatigare. Ne igitur frustra toties super eodem negotio scribere videamur, dilectioni vestræ per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus, si præfatus archiepiscopus infra xv dies post susceptionem litterarum nostrarum non impleverit quod mandamus, contradictione quoque, dilatione et appellatione cessante, id efficaciter exsequamini, provisuri ne plus ei videamini quam nobis in hac parte deferre, quia non possemus adversum vos non moveri, si alicujus gratia vel obtentu mandatis negligeritis apostolicis obedire, et ad corrigendam inobedientiam vestram manum nostram extendere cogeremur. Cæterum si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

C

D

CXXX.

Privilegium pro Ecclesia Pistoriensi (47).

(Veronæ, Maii 21.)

[Zacharia, *Anecdota medii ævi*, 244.]

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Paulus Prænestinus episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Petrus Debono presbyter cardinalis tit. S. Susannæ.

Ego Laborans presbyter cardinalis tit. Calisti ss.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. xii Apostolorum.

Ego Melchior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter cardinalis ss.

Ego Jacinthus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Rollandus S. Mariæ in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, xii Kalendas Junii, indictione v, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domni Urbani papæ tertii anno secundo.

CXXXI.

Bulla pro monasterio B. M. de Voto.

(Veronæ, Maii. 22.)

[*Gallia Christiana nova*, XI, Instr., 250.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Beatæ Mariæ de Cæsarisburgo ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam.

Monet nos apostolicæ sedis cui licet immeriti deservimus auctoritas, pro statu omnium Ecclesiarum provida circumspectione satagere; et ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis

(47) Hujus bullæ exemplar, cujus subscriptiones tantum hic exhibentur, vide *Patrologiæ*, t. CLXXIX, in Innocentio II, sub an. 1134, xii Kal. Januar.

patrocinium impertiri. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris, postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cæsarisburgo, in qua divino estis obsequio mancipati, ad instar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio annuimus. Imprimis siquidem statuimus ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam atque institutionem fratrum sancti Victoris in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione B fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum, scilicet insulam Ulmi, in qua præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; Novam-villam cum omnibus pertinentiis suis ..... terram magistri Joannis in Coqueurdrevilla, tres partes molendini Ihioul in eadem villa..... monasterium Sancti Helerii de insula Gerseio, sicut idem monasterium et ecclesiæ vestræ a bonæ memoriæ Rotrodo Rothomagensi archiepiscopo est concessum, et tam suo quam venerabilis fratris nostri Gualterii successoris sui scripto authentico C confirmatum assensu principis terræ in cujus eleemosyna..... mansuram quam Robertus miles dedit vobis apud Cæsaris burgum..... propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ullus fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem possit de eodem loco, sine licentia sui abbatis, discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et D interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, et diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei sint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritalibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Inhibemus quoque ne in presbyteris præsentandis, aut ecclesiis ordinandis, quilibet vos absque manifesta et rationabili causa gravare aut molestare præsumat. Prohibemus insuper ne ecclesias aut terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare, sive alio modo alienare, sine consensu totius capituli, aut majoris et sanioris partis A ejusdem. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Inhibemus etiam ne infra parochias ecclesiarum vestrarum aliquis ecclesiam vel oratorium sine diœcesani episcopi et vestro assensu ædificare præsumat, salvis tamen privilegiis Romanæ ecclesiæ. Interdicimus quoque ne aliquis in vos vel ecclesias vestras excommunicationis vel interdicti sententias sine manifesta et rationabili causa promulgare præsumat. Omnes præterea libertates et rationabiles consuetudines et immunitates, quas illustris rex Anglorum Henricus, et bonæ memoriæ Mathildis imperatrix mater ejus, advocatrix et fundatrix præfatæ ecclesiæ, aut eorum successores, vobis et ecclesiæ vestræ pia largitione donarunt, et scriptis suis authenticis firmaverunt, firmas et illibatas permanere sancimus. Præterea novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis vel episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisve omnibus ecclesiasticis personis omnino fieri prohibemus: pro chrismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum, sacramentis a vobis aut solo obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo, nemo quidquam audeat postulare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres omnium consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire temere tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisve sui careat dignitate, reamque se Domini judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat..... Cunctis vero eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, etc.....

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis episcopus.

Ego Petrus de Bono presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim, tituli Calisti.

Ego Rainerius presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli, tituli Pammachii.

Ego Hyacinthus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Gratianus sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, xi Kal. Junii, indictione v, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Urbani papæ tertii anno secundo. (*Sub sigillo plumbeo.*)

CXXXII.

Alienationes ab episcopis Boloniensibus cum Ecclesiæ damno factas, irritas esse jubet.

(Veronæ, Maii 25.)

[Savioli, *Annal. Bologn.*, II, II, 151.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Boloniensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Ideo nobis est, licet indignis omnium Ecclesiarum cura et sollicitudo superna dispositione commissa ut et earum profectui debeamus vigilanter intendere et indemnitati pastorali studio præcavere. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, commissi nobis officii debitum persequentes et justis postulationibus grato concurrentes assensu alienationes, locationes, infeudationes et contractus alios si qui ab antecessoribus tuis in præjudicium ecclesiæ tuæ illiciti facti sunt viribus carere censemus, eosque legitime revocandi liberam tibi concedimus facultatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum.

Datum Veronæ, anno Incarnationis Dominicæ 1187, viii Kal. Junii, anno pontificatus secundo.

CXXXIII.

Decernit ut ordo S. Benedicti perpetuis temporibus in Admontensi monasterio conservetur; confirmat etiam omnia ejusdem bona, et immunitati loci cavet.

(Veronæ, Mai 26.)

[Pez, *Thesaur. Anecdot.*, III, III, 674.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Isenrico abbati monasterii S. Blasii quod Admuntis dicitur, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Officii nostri nos admonet et invitat auctoritas pro Ecclesiarum statu satagere et earum quieti et tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque et honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen sumus Domino disponente assumpti, eas et a pravorum hominum nequitiis tueamur, et B. Petri atque apostolicæ sedis patrocinio muniamus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Blasii, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar bonæ memoriæ prædecessorum nostrorum Paschalis, Innocentii, Lucii, Alexandri et Lucii Romanorum pontificum sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis quidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ex dono bonæ memoriæ Gebehardi Salzpurgensis archiepiscopi fundatoris ejusdem cœnobii in Valle Admontensi fundum Ecclesiæ S. Blasii, etc., *ut in bulla Alexandri III pro eodem monasterio.*

Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus violentias vel rapinas seu furtum committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere aliqua temeritate præsumat.

Decernimus ergo, etc., *ut loco citato.*

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus subscripsi.

Ego Petrus de Bono presbyter card. tit. S. Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presbyter card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calisti subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter card, tit. xii Apost. subscripsi.

Ego Melchior presbyter card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii subscripsi.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter card. subscripsi.

Ego Jacinthus diaconus card. S. Mariæ in Cosmidin subscripsi.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diacon. card. subscripsi.

Ego Rolandus. S. Mariæ in Porticu diacon. card. subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card. subscripsi.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus card. subscripsi.

Datum Veronæ, per manum Alberti S. Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, VII Kal. Junii, indictione V, Incarnationis Dominicæ an. 1187, pontificatus vero Domini Urbani papæ III anno II.

CXXXIV.

Bulla Urbani III data monialibus Sanctæ Gratæ anno 1187.

Ex archivo M. S. Gratæ.

Parthenonem S. Gratæ Bergomatem tuendum suscipit et ejus bona confirmat.

(Veronæ, Jun. 2.)

[Lupi *Cod. diplom. Bergom.*, II, 1379.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Eugeniæ abbatissæ monasterii Sanctæ Gratæ ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuam memoriam.

Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis per opera sanctitatis jugiter se præparant ire obviam Sponso, apostolicum debemus patrocinium impertiri ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sanctæ religionis infringatur. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Gratæ in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus, imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis et eis quæ vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Gervasii cum curte de Saranica et aliis pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ de Calventiano cum pertinentiis suis, possessiones de Albenio; ecclesiam Sancti Michaelis cum pertinentiis suis ac bonæ memoriæ Ambrosii secundi vobis scripto authentico confirmatam. Sane novalium vestrorum etc. *Omnia ut in bulla anno* 1186 *relata supra num.* 59.

In circulo : AD TE, DOMINE, LEVAVI ANIMAM MEAM.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus subscripsi.

Ego Pederbonus presbyter cardinalis tit. Sanctæ Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti subscripsi.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis tit. XII Apostolorum subscripsi.

Ego Melchior presb. cardinal. Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pamachii subscripsi.

Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli presb. cardinalis subscripsi.

Ego Jac. diacon. cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. cardinalis subscripsi

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diacon. cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. cardinalis subscripsi

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. cardinalis subscripsi

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, IV Nonas Junii, Indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domni Urbani papæ III, anno secundo.

CXXXV.

Parthenonem S. Euphemiæ Mutinensem tuendum suscipit ejusque bona ac privilegia confirmat.

(Veronæ, Jun. 2.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, III, 207.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Mariæ abbatissæ Sanctæ Euphemiæ Mutinensis, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris monasticam vitam professis in perpetuum.

Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis se jugiter præparant ire obviam Sponso, sedes apostolica debet præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Euphemiæ in qua divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Propterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione

fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; possessiones quas habetis in civitate et extra civitatem, scilicet domos, casamenta et hortos cum omnibus pertinentiis; molendinum quod est in porta Bajoariæ; decimas quoque molendini episcopi, quod est in porta Citanove; braidam, quam olim tenuit Joannes Bonifacii; braidam vineatam, quam tenent domini de Marano in locatione; braidas etiam et redditus quos habetis extra civitatem; terras quas olim tenuit Hugolinus et Pincerna de Gisano; possessiones et redditus quos habetis apud Sanctum Petrum de Insula, et in Sulignano; decimas et redditus quos habetis in Sorbaria; et quidquid habetis in Vignola et in cæteris aliis locis; decimas etiam quas a quadraginta annis ecclesia vestra rationabiliter et pacifice tenuit, vobis nihilominus auctoritate apostolica confirmamus, privilegiis nostris ex hoc nullum præjudicium habituris. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum decimas a vobis nullus extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas e sæculo fugientes liberas et absolutas ad conversionem recipere, et eas sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli sororum vestrarum post factam in eodem loco professionem fas sit sine abbatissæ suæ licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne quis in vos vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulget, aut novas et indebitas exactiones vobis vel hominibus vestris imponat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem ecclesiæ abbatissa, vel tuarum qualibet succedentium, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel sororum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam providerint eligendam.

Decernimus ergo ut nulli, etc, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum, etc.

A Bene valete.

Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Prænestinus episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus subscripsi.

Ego Petrus de Bon. presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti subscripsi

Ego Pandulfus presbyter cardinalis titulo XII Apostolorum subscripsi.

Ego Melchior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli titulo Pamachii subscripsi.

B Ego Adelardus titulo Sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Jacintus Sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis subscripsi

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi.

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Veronæ, per manum Alberti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, C secundo Nonas Junii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno secundo.

Pendet bulla plumbea.

CXXXVI.

Ordinis Præmonstratensis privilegia quædam confirmat.

(Veronæ, Jun. 10.)

[Le Paige, *Bibl. Præm.*, 639.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Præmonstratensi et coabbatibus ejus et fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter instituendis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

D Cum ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio universis Dei fidelibus existamus in promovendis eorum justis petitionibus debitores, religiosorum petitiones tanto libentius debemus admittere ac providere, quæ ad pacem eorum pertinent ac quietem, quanto magis ex vita ipsorum Christi adornatur Ecclesia, et qui in sæculo morantur addiscunt qualiter in via recta per opera Dei gradiantur. Sane propositum est nobis per venerabilem fratrem nostrum concordem Evactunensem episcopum, quod quidam ex clero, vel ex ordine monachorum eo vos intuitu super novalibus decimarum exactione fatigant, quod hominibus illis a quibus exstirpanda nemora, vel alia loca inculta recipitis

excolenda, censum seu partem aliquam frugum, pro rei proprietate confertis, et ex eo libertatem ab Ecclesia Romana vobis indultam, quæ vos a decimis novalium præstandis absolvit, infringere moliuntur. Quia igitur talis eorum instantia ratione non nititur, auctoritate apostolica interdicimus ne quisquam vos ex hujusmodi causa, super decimis vestrorum novalium, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, audeat infestare.

Ut autem firma inter vos disciplina servetur præsenti capitulo inhibemus, ne contra canonicam disciplinam claustralis quisquam appellare præsumat, et correctionem suorum eludere prælatorum. Quod si facere forte tentaverit, nihilominus exerceatur in eum correctio regularis. Et ordini quidem est et saluti contrarium, ut qui ex vita regulari et prælati sui se supposuit voluntati, sub appellationis obtentu ad motum animi sui sequendum redire sinatur, et dissolutionis licentia inde proveniat, unde correctio debet provenire delictorum.

Præterea quia tollenda est a religiosis discurrendi necessitas, et convenit eis, quæ ad salutem pertinent sine difficultate conferri, hoc etiam de apostolica benignitate duximus indulgendum, ut si episcopis vestris, aut non volentibus, aut volentibus ordines celebrare, aliquem vos episcopum hospitem habere contigerit, de cujus officio et potestate sit vobis plena notitia, liberum sit vobis ab eo et ordines et ecclesiastica recipere sacramenta, dum tamen talis sit, de quo proprius episcopus nullum sibi debeat præjudicium formidare.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si qua igitur, etc.

Datum Veronæ per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, IV Idus Junii, indictione V, Incarnationis Dominicæ 1187, pontificatus domini nostri Urbani III, anno secundo.

CXXXVII.

Ordinis Præmonstratensis leges confirmat.

(Veronæ, Jun. 30.)

[*Ibid.*, 640.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Præmonstratensi, et cæteris abbatibus et canonicis Præmonstratensis ordinis tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti, quæ ad incrementum religionis pertinent, et ad virtutum spectant ornatum, quatenus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secura, et a jugo mundanæ oppressionis servetur illæsa, cum apostolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo religio et ordo vester multa refulgens gloria meritorum, et gratia redolens sanctitatis, palmites suos a mari usque ad mare extendit, ipsum ordinem et universas domos ejusdem ordinis apostolicæ protectionis præsidio duximus confovendas, et præsenti privilegio muniendas.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus benignius annuentes, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Lucii prædecessorum nostrorum romanorum pontificum, universas regulares institutiones et dispositiones quas de communi consensu, vel majoris et sanioris partis fecistis, sicut inferius denotantur, auctoritate apostolica roboramus, et præsentis scripti privilegio communimus, videlicet ut ordo canonicus quemadmodum in Præmontratensi Ecclesia secundum beati Augustini Regulam et dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstratensis ordinis institutoris et successorum suorum in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes ejusdem ordinis Ecclesias perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Iidem quoque libri, qui ad divinum officium pertinent ab omnibus ejusdem ordinis Ecclesiis uniformiter teneantur, etc. *Prout jacent in privilegio seu diplomate Lucii III, usque ad ea quæ sequuntur.*

Ego Urbanus Ecclesiæ catholicæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus,

Ego Paulus Prænestinus episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tiberim tit. Calisti.

Ego Hyacinthus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, pridie Kalendas Julii, indictione V, Incarnationis Dominicæ 1187, pontificatus domini nostri Urbani papæ III anno secundo.

CXXXVIII.

Ecclesiæ Bononiensis bona, petente Gerardo episcopo, confirmat.

(Veronæ, Jul. 2.)

[Savioli, *Annal. Bologn.*, II, II, 152.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gerardo Bononiensi episcopo ejusque successoribus substituendis in perpetuum.

Sacrosancta Romana Ecclesia Bononiensem Ecclesiam speciali semper prærogativa dilexit, et eam inter alias studuit propensius honorare. Inde est quod nos qui, licet minus sufficientes, in ejusdem sumus Ecclesiæ specula collocati, præfatam Bononiensem Ecclesiam consueta benignitate diligimus et tuis justis postulationibus, venerabilis frater episcope, gratum cupimus impartiri assensum. Quocirca, frater episcope, personam tuam et commis-

sam tibi Ecclesiam, plenis charitatis brachiis amplectentes omnia quæ tam in civitate, quam in comitatu Bononiensi tam minora quam majora, ut massam Prunarii, massam Vulpini Mozularii Bonalbergiscatii, massam de loco Frefortese, massam de Nucifatico, massam Nespulini et alias massas et fundos in eodem comitatu. Præter hoc quod de patrimonio nobilis mulieris comitissæ Mathildæ in eodem comitatu habemus, quidquid est excepto Banno, quod in civitate Bononiensi ex parte Romani pontificis prout hactenus ita et deinceps indicetur, sicut piæ recordationis Anastasius, papa prædecessor noster bonæ memoriæ Gerardo quondam Bononiensi episcopo antecessori tuo, receptis ab eo centum libris affortiatorum, quas pro utilitatibus Romanæ Ecclesiæ expendit in emphiteosim sibi suisque successoribus de communi fratrum suorum consilio concessisse et locasse dignoscitur. Nos tibi tuisque successoribus et per nos Bononiensi Ecclesiæ ad exempla felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri titulo locationis in emphiteosin perpetuam concedimus atque locamus, et locationem ipsam præsentis scripti pagina communimus. Pro ipsa vero locatione tu tuique successores nostris successoribus duas libras puri argenti annis singulis in mense Junio debetis exsolvere. Porro quemadmodum tunc institutum est præsenti paginæ duximus adnectendum ut tibi vel alieni tuorum successorum nullatenus liceat hanc locationem alicui Ecclesiæ vel personæ vendere vel alienare nisi nobis nostrisque successoribus. Nos vero et nostri successores præfatam locationem ab omni homine tibi tuisque successoribus defendere cogimur, quod si aliqua partium quod suum erit, quemadmodum supra dictum est, adimplere neglexerit, centum libras auri parti alteri sub nomine pœnæ exsolvet, et eadem locatio indissolubiliter permanebit. Nulli ergo hominum fas sit hanc nostræ locationis paginam temerario ausu contraire se ipsi modis quibuslibet infringere. Si quis autem attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Petrus de Bon. card. presb. tit. S. Susannæ ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calisti ss.

Ego Pandulphus presb. card. tit. XII Apostolorum ss.

Ego Melchior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii ss.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card. ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin. ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Rodulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Veronæ, per manum sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis et cancellarii, VI Nonas Julii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Urbani papæ III, anno secundo.

CXXXIX.

Privilegium pro canonicis Ecclesiæ Tarvisinæ. (Fragmentum) (48).

(Veronæ, Aug. 25.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 535.]

. . . . . .

Datum Veronæ per manum Alberti S. R. E. presb. card. et cancellarii, VIII Kal. Septembris, indict. V, Incarnationis Dominicæ an. 1187, pontificatus vero D. Urbani papæ anno II.

CXL.

[Petro] electo Regino præscribit ne sine speciali mandato apostolico ulli mortalium, nisi archiepiscopo [Ravennati] in consecratione accipienda juramentum præstet.

(Veronæ, Sept. 10.)

[Tiraboschi, *Mem. Moden.*, III, 101.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Regino electo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum te sicut devotum Ecclesiæ filium paternis affectibus diligamus, de tua promotione gaudemus et ad honorem tuum libenter ubi cum Deo poterimus favorem apostolicam impendemus. Quia vero studendum tibi est et agendum, ut circa initia tuæ promotionis honorem Dei et sacrosanctæ sedis apostolicæ incipias totis viribus promovere, devotionem tuam rogamus attentius, mandamus et in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus nulli mortalium nisi forte archiepiscopo tuo dum largiente Domino, munus consecrationis acceperis, te absque speciali mandato nostro obliges juramento, et de honore nostro et Ecclesiæ sollicitus et studiosus existas, securus quod si quis hoc tempore secus ad præstandam aliquam fidelitatem procederet, eum non Ecclesiæ filium sed manifestissimum judicaremus hostem.

Datum Veronæ, IV Idus Septembris.

CXLI.

Privilegium pro ecclesia Cerviensi.

(Ferrariæ, Sept.-Oct.)

[Fantuzzi, *Monum. Raven.*, IV, 285.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Theobaldo Cerviensi episcopo ejusque

(48) Eadem est verbotenus hæc bulla cum illa quam iisdem canonicis indulserat Lucius papa III, anno 1184, Octobr. 1. Vide *Patrologiæ* tom. CCI.

successoribus canonice substituendis in perpetuum

In apostolicæ sedis specula licet immeriti, disponente Domino, constituti fratres nostros episcopos tam propinquos, quam longe positos in fraterna tenemur charitate diligere, et commissas eorum gubernationi Ecclesias contra malignorum incursus apostolicæ protectionis præsidio communire. Quapropter, venerabilis in Christo frater Theobalde episcope, tuis justis postulationibus annuimus et, felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, præfatam ecclesiam Cerviensem cui, auctorante Deo, præesse dignosceris sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in posterum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum qui vulgo vocatur *Padule* cum salinis, terris, vineis, pratis, pasculis, venationibus et piscationibus suis, qui protenditur a rivo qui vocatur *Pisatellus* usque ad *milliarum Album* et a *decimano usque in mari*. Plebem S. Vitalis quæ vocatur Fiscalii, cum capellis, decimis..... et aliis pertinentiis suis quæ protenditur ab aggere de Corlungo et fossa piscaria et rivo de Rodaldo percurrente ad medium domorum, ab alio medium Verginese, a tertio sancto Elia percurrente ad medium lacum sanctum, ea quarto Padus; decem mansos terræ, quos ibi dederunt homines massæ Fiscaliæ positos in rivo majori in loco qui dicitur *canale mortuum* et in aliis congruis locis in prædicto rivo. Tenimentum quod fuit plebis S. Thomæ cum portu et aliis suis pertinentiis. Tenimentum quod fuit plebis S. Peregrini cum decimis et aliis pertinentiis suis. D. p. Arimundus vendidit de bonis positis in S. Gervasio, ecclesiam S. Gervasii cum pertinentiis suis, ripam de Terra Firma cum teloneo suo et aliis pertinentiis suis et ripam de *Mari* cum ipso littore et teloneo et aliis pertinentiis suis. Portum cum teloneo suo et aliis pertinentiis suis. In territorio Raven. castrum Pastellionis cum pertinentiis suis et fundum Varignani. In territorio Pesenæ quidquid Candolus habet in fundo fabrice, et in Modale et in Arturiano et in Montale qui dicitur de Laurentio et duos integros fundos Ceulam et Assignanum, quos detinet ab ecclesia sua monasterium S. Mariæ montis Mauri. In territorio Cornelien., et comitatu Ymolen, castrum unum integrum quod vocatur Plancaldoli et aliud castrum quod vocatur Vicli, et aliud quod vocatur Saxum Gattarum cum omnibus appendiciis suis. In territorio Fanen. et Pensauren. castrum quod vocatur Monterianus cum districtu et curte sua, et omnibus suis pertinentiis, et duos mansos terræ intra Marchisanum et ripam altam, quos detinet Ugolinus Guidoti, et unum mansum in lupara quem detinent Petrus Sophie, et filii Petri, et unum mansum in Casale quem detinent filii Guidutii, et Rogerius, et unum mansum in Bulgum, quem detinet Branchaleonus; ecclesiam S. Andreæ in fossa putrida in civitate Ravennæ cum omni jure suo et ripis de terra, et de mari, et portus, tulliam, vel aliquam collectam contra consuetudinem antiquam auctoritate apostolica prohibentes. Statuimus ut semper in tua, et successorum tuorum potestate consistant sicut usque ad moderna tempora permanserunt.

Statuimus etiam ut infra tuam diœcesim absque assensu tuo, vel successorum tuorum nullus ecclesiam, vel oratorium de novo construere aliqua occasione præsumat, salvis tamen privilegiis Romanorum pontificum. Compositionem præterea, quæ intra te et canonicos tuos mediante venerabili fratre nostro Ger. Raven. archiepiscopo intervenit, seu rationabiliter facta est sibi ab utraque parte suscepta, ut in scripto ejusdem archiepiscopi plenius continetur ratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus. Obeunte vero te nunc ejusdem ecclesiæ episcopo vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia proponatur, nisi quem canonici ejusdem Ecclesiæ communi consensu, vel canonicorum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem providerit eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur..... quorum gubernationem ac sustentationem concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et Raven. archiepiscopi debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque, seu dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat, cunctis auctoritate eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ paeis inveniant.

Ego Petrus de Bono presbyter cardinalis titulo S. Susannæ ss.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tiberim titulo S. Calixti ss.

Ego Melchior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli titulo Pamacchii ss.

Ego Adelardus titulo S. Marcelli presb. cardinal. ss. etc., etc...

CLXII.

B[alduinum] archiepiscopum Cantuariensem, apostolicæ sedis legatum, acerrime reprehendit, quod et injurias inferre monachis Cantuariensibus, et sua præcepta negligere pergat.

(Ferrariæ, Oct. 3.)

[Twisden, *Hist. Script.*, I, 1320.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei. venerabili fratri B. Cantuariensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Si usque modo fraternitati tuæ detulimus, et licet provocati plurimum, nequaquam tamen processimus in gravamen tuum, illa præcipua causa fuit, quod cum vir religionis fueris et ordinis, et nunc in Ecclesia Dei ad summum dignitatis apicem sis assumptus, cor tuum ab oppressione conventus commissæ tibi Ecclesiæ, etsi non pro nostra reverentia quam, aliter quam te deceat, visus es in hoc contempsisse, saltem metu credidimus divini judicii revocandum; speravimus equidem et suadente nobis conscientia credebamus, quod postquam illum quem obtines in Anglicana Ecclesia celebrem locum adeptus esses, tu obedientiæ et reverentiæ sacrosanctæ sedi apostolicæ ab omnibus viris ecclesiasticis exhibendæ forma fieres aliis et exemplum; unde te circa nostræ et tuæ pariter promotionis initia inusitato hactenus et novo modo curavimus honorare, credentes nos pro honore nostro Ecclesiæ virum fidelissimum invenisse; sed, quod sine gravi admiratione non dicimus, frustrati sumus in cogitationibus nostris, et quem fidum tutorem honoris nostri esse credidimus, nunc in membris nostris oppugnatorem sentimus. Multoties enim pro quiete fratrum Ecclesiæ tibi commissæ litteras nostras transmisimus, ut ab eorum inquietatione desisteres, et jura ipsorum saltem pro nostra reverentia non turbares. Sed tu non solum in hoc, sed etiam in aliis, sicut ubique fama divulgante fere ab omnibus prædicatur, litteras nostras et appellationes ad sedem apostolicam interpositas parvipendens, quid contra eos post multiplices appellationes et prohibitiones nostras feceris, nos enarrare confundimur, sed tu ipse revolve in animo, et si benefeceris in conscientia tua deliberes et decernas. Nos vero, quia clamores ipsorum fratrum et contemptum sedis apostolicæ pertransire surdis auribus, nec possumus, nec debemus, adhuc licet in vanum videamur jussiones nostras effundere, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus et in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus, eo etiam non obstante si ab Ecclesia tua absens fueris, quidquid post appellationem ad nos factam vel inhibitionem nostram in opere capellæ, quam erigere in destructionem Cantuariensis monasterii statuisti, actum est, tuis expensis non differas demoliri, revocans et deducens prorsus in irritum, quidquid de instituendis canonicis et aliis quæ circa capellam factum et enormiter innovatum, locum etiam illum habens maledictum et profanum, et eos qui celebraverunt in capella ipsa post inhibitionem nostram habeas et teneas pro suspensis ab officio et beneficio, donec nostro se conspectui repræsentent, demolitis universis operibus, quæ inibi facere præsumpserunt. Ministros etiam conventus, quos post appellationem ad nos interpositam amovisti quos nos restituimus, habeas restitutos; et eos quos pariter post appellationem excommunicare vel suspendere præsumpsisti, habeas nihilominus absolutos, et universa quæ post appellationem ipsam in eorum gravamen attentata sunt, in invasione videlicet villarum et possessionum suarum, redditumque et aliorum quæ ante appellationem habuerunt et ablatione nihilominus aliarum rerum in statum pristinum appellatione cessante reducas, illicitos invasores possessionum eorumdem fratrum, nisi satisfecerint, vinculo excommunicationis astringens, usque ad emendationem debitam facias manere ligatos. Sententias etiam excommunicationis et interdicti, quas in quosdam ipsorum fratrum temere promulgasti, publice nunties non tenere, ac de cætero pendente lite circa statum monasterii nil immutes. Sciturus quod si Deo et nobis hac vice inobediens fueris et rebellis, et ultra xxx dies post susceptionem præsentium præceptum nostrum distuleris adimplere, nos universa quæ prædiximus alios exsequi faciemus, et suffraganeis tuis districte præcipiemus ut, sicut nobis obedientiam debitam subtrahis, ita ipsi tibi, absoluti a nobis omnem obedientiam et reverentiam denegent et honorem.

Datum Ferar., v Non. Octobris.

CXLIII.

(Reginaldo) Batoniensi et (Seffrido) Cicestrensi episcopis atque abbatibus de Bello et Fauresham mandat hæc: « Si archiepiscopus Cantuariensis præceptum nostrum ultra xxx dies distulerit adimplere, vos universa exsecutioni mandetis. »

(Ferrariæ, Oct. 3.)

[*Ibid.*, 1508.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Batoniensi et Cicestrensi episcopis, et dilectis filiis de Bello et de Fauresham abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet fratres et coepiscopos nostros et præcipue qui in Ecclesia Dei locum obtinent digniorem speciali teneamur charitate diligere, et in quantum cum Deo possumus, honorare, cum tamen ab eis aliquod enorme committitur, tanto ad correctionem ipsorum propensiori cura debemus intendere quanto in ipsorum culpis pro eminentia dignitatis ecclesiasticæ honestatis sinceritas amplius denigratur. Sane clamores dilectorum filiorum, nostrorum prioris et fratrum Cantuariensis Ecclesiæ contra gravamina quæ a Cantuariensi archiepiscopo patiuntur, jam dudum recepimus; et licet eidem archiepiscopo libenter velimus in quantum

possumus cum ratione deferre, quia tamen posita reverentia mandatorum nostrorum nimis videtur in incœptæ oppressionis proposito perdurare, jam sustinere nec possumus nec debemus, quin tranquillitati prædictorum fratrum pro nostri officii debito consulamus.

Cum igitur in grave detrimentum ejusdem Ecclesiæ quædam capella a memorato archiepiscopo incœpta fuerit, et post appellationem ad nos factam et inhibitionem nostram ne ulterius progrederetur opus, sit in fraudem prohibitionis ejus prout credimus, consummata, ita quod quidam canonici circa eam sua dicuntur habitacula construxisse et in ipsa pariter divina officia celebrasse, eidem archiepiscopo in obedientiæ virtute præcepimus ut, eo etiam non obstante si absens ab Ecclesia sua fuerit, quidquid post appellationem ad nos factam vel inhibitionem nostram in opere capellæ actum est, suis expensis non differat demoliri, revocans et deducens prorsus in irritum quidquid de instituendis canonicis et aliis circa capellam factum est et enormiter innovatum. Locum etiam illum maledictum habeat et profanum, et eos qui celebraverunt in capella ipsa post inhibitionem nostram habeat pro suspensis ab officio et beneficio, et donec nostro se conspectui repræsentent, sic teneat pro suspensis, demolitis universis operibus quæ inibi facere præsumpserunt; ministros etiam conventus quos post appellationem ad nos factam amovit, quos nos restituimus, habeat restitutos; et eos quos pariter post appellationem suspendere vel excommmunicare præsumpserit, habeat nihilominus absolutos, et universa quæ post appellationem ipsam in eorum gravamen attentata sunt, in invasione videlicet villarum et possessionum suarum, reddituum quoque et aliorum quæ ante appellationem habuerant et ablatione nihilominus aliarum rerum, in statum pristinum appellatione cessante reducat. Sententias etiam excommunicationis et interdicti quas in quosdam ipsorum fratrum temere promulgavit, publice nuntiet non tenere, ac de cætero pendente lite circa statum monasterii nil immutet. Ideoque discretioni vestræ præsentium auctoritate mandamus, et in obedientiæ virtute præcipimus, quatenus, si memoratus archiepiscopus præceptum nostrum ultra XXX dies post susceptionem litterarum, quas ei direximus, distulerit adimplere, vos universa quæ prædiximus omni appellatione, dilatione quoque et excusatione cessante, auctoritate nostra exsecutioni mandetis. Illicitos invasores possessionum eorumdem fratrum, nisi satisfecerint, vinculo anathematis innodantes, quousque ad emendationem dignam faciatis manere ligatos. Provideatis autem ut taliter in his omnibus apostolicam exsequamini jussionem, ut videamini potius deferre Deo quam homini, et ne ullius transgressionis faciat vos non sine gravi indignatione sedis apostolicæ efficiat transgressores. Quod si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, tres vestrum vel duo ea nihilominus exsequantur.

Datum Ferrariæ, V Non. Octobris.

CLXIV.

Priori et conventui Cantuariensi concedit, « ut pendente lite inter eos et B (alduinum) archiepiscopum hic nullam in ecclesiam vel personas eorum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam audeat promulgare. »

(Ferrariæ, Oct. 3.)

[*Ibid.*, 1319.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui Cantuariæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster B. archiepiscopus vester, sicut ex multiplici vestra conquestione didicimus, tranquillitatem vestram crebra molestatione perturbet, et statum monasterii vestri multis modis inquietet, dignum est et consonum rationi, ut qui ex injuncto nobis officio tenemur ab oppressis injuriam propulsare, vobis contra indebita gravamina ipsius favorem protectionis apostolicæ impendamus.

Eapropter auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut pendente lite quæ inter vos et eumdem archiepiscopum habere dignoscitur, archiepiscopus ipse nullam in ecclesiam vel personas vestras excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam audeat promulgare, vel Ecclesiæ, hominibus aut possessionibus vestris aliquod gravamen inferre; quod si memoratus archiepiscopus in vos aut in Ecclesiam vestram aliquam prædictarum sententiarum promulgare præsumpserit, sententiam ipsam, sicut contra indulgentiam apostolicam promulgatam, vires decernimus non habere, et in nullo penitus observari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Ferar., V Non. Octobris.

CLXV

Henricum Anglorum regem rogat ne injurias Ecclesiæ Cantuariensi inferri a Balduino archiepiscopo patiatur, quæque judices a sese constituti censuerint, jubeat.

(Ferrariæ, Oct. 2.)

[*Ibid.*, 1509.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, illustri regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet universos principes et minores libenter velimus ad semitas rectitudinis provocare, et pro nostri officii debito ad viam salutis inducere, id tamen excellentiam tuam tanto propensius exsequi volumus et debemus, quanto personam et regnum tuæ sublimitatis majori amplectimur charitate et tuis profectibus tam spiritualibus quam temporalibus abundantius congaudemus. Regalis siquidem solertia non ignorat, quod inter cætera quibus potes gratiam promereri, conservatio sta-

us Ecclesiarum regni tui et pro illarum præcipue quæ religionis et ordinis titulo decorantur, non modicam tibi adaugent gloriam et salutem. Cum igitur Cantuariensis Ecclesia antiquæ privilegio dignitatis et meritis novi martyris glorioși non solum in regno tuæ celsitudinis, sed fere per totum orbem celebris habeatur, quam expediat regiæ bonitati eam semper immutabili pietate respicere, manutenere pariter et augere, tuæ discretionis prudentia non ignorat. Multum etiam expedit regno tuo ut dictum gloriosum martyrem continuum intercessorem habeas apud Deum, quod procul dubio, si quantum in te fuerit, ipsius permiseris reverentiæ derogari, nequaquam in cœlis obtinere poteris. Et quidem quot gravamina et oppressiones ab archiepiscopo suo illa Ecclesia pertulerit, sicut tuam sublimitas nescire non potuit, ita dissimulare non debuit, sed tota intentione studere, ad eumdem archiepiscopum ab oppressionis incœptæ proposito revocandum. Verum quia hujus querelæ, materia excrevit pariter et ascendit nimis, nos licet ei sæpedicto archiepiscopo velimus in quantum possumus cum ratione deferre, nequaquam ruinam ipsius Ecclesiæ clausis possumus oculis pertransire, sed quibusdam personis regni tui correctionem eorum quæ enormiter attentata sunt duximus committenda. Quo circa serenitatem tuam hortamur in Domino, rogamus attentius et in remissionem tibi peccatorum injungimus, quod sicut pius et catholicus princeps ad ipsius Ecclesiæ tranquillitatem intendas, ne ipsam permittas, quantum in te fuerit, indebite molestari, et quod jam dicti judices a nobis delegati statuerint observari facias, et nequaquam impedias vel a tuis impediri permittas, ita quod ex hoc de zelo rectitudinis tua serenitas commendari valeat, et ab omnipotenti Deo gratiam promereri.

CXLVI.

Sententiam a constitutis judicibus, latam inter ecclesiam S. Michaelis Nonantulanam et S. Martini Causinensem, confirmat.

(Ferrariæ, Oct. 8.)

[Tiraboschi, *Storia di Nonantola*, II, 314.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Henrico archipresbytero Nonantulano, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum controversiæ ab apostolica sede commissæ judicio vel concordia finiuntur, ut in futuro valeant in contentionem adduci, ipsarum sententiæ in scriptum sunt authenticum reducendæ, et sedis apostolicæ patrocinio roborandæ. Cum autem inter plebem S. Michaelis tuæ curæ commissam et ecclesiam S. Martini de Caucin. controversia verteretur super tota decima, quam plebs ipsa tenebat inter Bisentulum et flumen Pontilonge, limitem Musonem et Panarium vetus ac Cenosam, et super viginti blavæ modiis de quadam terra in villa S. Theodori posita, a cujus orientali parte quidam capitanei sua prædia possident, a meridiana vero præscripta S. Martini ecclesia, tandem dilecti filii nostri abbas S. Petri Mutinensis et magister Rolandus Brixiensis canonicus idem ex delegatione vestra susceperant negotium finiendum, in quorum arbitrium partes statuta pœna unanimiter convenerunt. Unde judices ipsi, auditis rationibus hinc inde positis, statuerunt ut plebs vestra totam decimam illam et blavam et terram de cætero pacifice possideret, procuratori ecclesiæ S. Martini nomine ipsius ecclesiæ super his perpetuum silentium imponentes. Ut igitur sententia ipsa inviolabilem obtineat firmitatem, eam, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patricinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Ferrariæ; VIII Id. Octobr.

CXLVII.

Privilegium pro monasterio L. Zenonis Veronensi.

(Ferrariæ, Oct. 13.)

Ughelli, *Italia sacra*, V, 810.]

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati monasterii S. Zenonis Veronen. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis, præsertim, etc. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et felicis recordationis prædecessorum nostrorum Innocentii et Lucii, Alexandri ac Lucii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes monasterium Beati Zenonis Veronen. in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis. Siquidem, etc., ecclesiam S. Proculi cum omni honore et districtu, ut a bonæ memoriæ Brunone Veronensi episcopo vestro monasterio canonice concessam, et ab ejusdem episcopi successoribus, et bonæ memoriæ Peregrino, et ven. fratri nostro Gottofredo patriarchis Aquileien. sedis, vestro monasterio confirmata sunt et in ejus authenticis continetur, etc. (*Omnia deinde bona et eccl. describuntur cum subscriptione ejusdem pontificis ac* XII *cardinalium.*)

Datum Ferrariæ per manum Alberti sanctæ Roman. Eccl. cardinalis et cancellarii III, Id. Octobris, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontif. domini Urbani papæ III, an. II.

BALDUINI Cantuariensis archiepiscopi epistola ad Urbanum papam. — Gratulatur quod post Lucium III unanimi consensu electorum in pontificem fuerit subrogatus, eique pro pallio recepto gratias agit.

(Anno 1185.)

[*Epistola Petri Blesensis*, ed. GILES, I, 309.]

Sanctissimo Patri URBANO, Dei gratia summo pontifici, BALDUINUS, Cantuar. Ecclesiæ minister humilis, salutem et debitum devotionis obsequium.

Domus Dei, quæ in lapide adjutorii super fundamentum apostolorum et prophetarum stabilita est, a Petro et successoribus ejus formam semper eruditionis et statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod radi soli, quod fonti rivuli, hoc apostolicæ sedis eminentiæ debent Ecclesiæ omnes, quas ubique terrarum religio Christiana fundavit. Inde est quod beatæ recordationis Lucio tertio papa viam universæ carnis ingresso (mortis enim tributarii omnes sumus, mortisque responsum habemus in nobis, et fœdus cum ea percussimus), erant et lugebant apud nos filii sine sponso. Cumque munus exsequiale defuncto et pios affectus impenderent, electionis vestræ nuntius supervenit, qui nubilum publici mœroris auferens corda omnium festiviore lætitia serenavit. Communis enim fama est quod Dominus qui, juxta verbum Amos, suscitat de filiis prophetas, et de juvenibus Nazaræos; ipse in specula celsitudinis apostolicæ talem nunc filiis suis per gratiam suam collocare dignatus est, qui prodesse velit, et præesse sciat, qui prudentia et moribus præeminens cathedram sanctorum meritis implere sufficiat. In commune itaque desiderium cedit, verboque celebri, et votiva gratiarum actione publice recensetur, qualiter Dei sapientia suaviter universa disponens, vos de gradu in gradum, de virtute in virtutem, de honore in honorem promoverit. Nec illud deesse permittit ad plenitudinem gaudiorum, quod tanta fuit eligentium vos unanimitas, nullumque sustinuit rete Petri scissionis, aut rupturæ dispendium : sed, juxta verbum Isaiæ, quod Dominus exercituum decreverat, quis poterit infirmare? nec variat casualis eventus, quod consilii cœlestis altitudo disposuit. Quia ergo ex hominibus assumpti estis a Domino pontifex, et pro hominibus constituti in his quæ sunt apud Deum, ipsi, qui vos elegit, cum multa gratiarum actione preces affectuosas offerimus, quatenus is qui segregavit et vocavit vos ad dandam scientiam salutis plebi ejus, ipse in bonis dies vestros continuet, atque in faciem testamenti, vel Christi sui respiciat, Ecclesiam ab omni errore purgatam sub vestra provisione tranquillet. Ad hæc non quantas volo, sed quantas valeo vobis gratiarum referens actiones, minorem me profiteor cunctis miserationibus vestris : nam meorum exigentiam meritorum multipliciter vestrorum beneficiorum magnitudine prævenistis. Non sufficio tantæ gratiæ respondere ad meritum. Ille pro me respondere dignetur qui secundum divitias bonitatis suæ suorum insufficientiam supplet. Ego enim vir videns paupertatem meam præ munificentia et magnificentia indultæ mihi gratiæ vestræ, me vobis totum debere profiteor, quidquid debere servus domino, magistro discipulus, filius patri potest. Precor igitur ut imperfectum meum videant oculi vestri, et in ea plenitudine potestatis, quæ vobis cœlitus data est, meam insufficientiam sustentare velitis. Juvate me, Pater, orationibus vestris, ut quod possibilitas nostra non obtinet, in hac administratione vestræ orationis et eruditionis suffragio suppleatur. Vale.

GREGORIUS VIII

PONTIFEX ROMANUS

NOTITIA HISTORICA

(MANSI, *Concil.*, XXII, 526)

Gregorius VIII, patria Beneventanus, cui nomen fuerat Albertus, cardinalis presbyter tituli Sancti Laurentii in Lucina, altero die post obitum Urbani communi omnium consensu electus est anno Domini 1187, tempore Friderici imperatoris. Initio pontificatus Christianos principes legationibus litterisque pro subsidio Terræ Sanctæ et de agenda pœnitentia ad diversos scriptis sollicitavit, ut exercitu terra marique comparato ad recuperandam Hierosolymam sese colligerent. Ut vero facilius id quod suadebat consequeretur, Pisas se contulit, ut ejus loci populos cum Genuensibus fœderis novi vinculo religaret, ac sic conjunctis copiis, quibus plurimum mari valebant, ad hanc expeditionem sanctissimam animarentur. Verum inopinatus vitæ illius exitus sanctæ expeditioni et voluntati Pisis finem imposuit. Obiit enim decimo septimo Kalendas Januarii, pontificatus sui die 57. — « Successit, inquit Vispergensis, Urbano in sede apostolica Gregorius octavus, natione Beneventanus. Sedit menses duos. Hic primum litteras transmisit in orbem pro liberatione Terræ Sanctæ, multa statuens de correctione morum tam in clero quam in populo, utpote de superfluitate vestium et choreis et aliis vanitatibus vitandis. » Hæc Urspergensis.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(Philippus JAFFÉ, Regesta pontificum Romanorum, p. 866.)

Gregorius VIII cuivis epistolæ indictionem subjecit. In bullis ejus habes hanc sententiam : DIRIGE ME, DOMINE, IN VERITATE TUA.

Testes subscripserunt :

ep. Albanensis	Henricus . .	a 31 Oct.	ad 2 Nov. 1187
« Ostiensis et Velletrensis	Theobaldus	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« Prænestinus	Paulus . .	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
pr. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti	Laborans . .	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« « SS. Joannis et Pauli tit. Pamacchii	Melior	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« « tit. S. Marcelli	Adelardus . .	a 31 Oct.	ad 2 Nov. 1187
« « « S. Susannæ	Petrus de Bono	a 31 Oct.	ad 2 Nov. 1187
diac. card. SS. Cosmæ et Damiani	Gratianus . . .	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« « S. Georgii ad Velum Aureum	Radulfus	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« « S. Mariæ in Cosmidin . . .	Jacinthus . . .	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« « S. Nicolai in Carcere Tulliano	Petrus	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187
« « SS. Sergii et Bacchi	Octavianus . . .	a 31 Oct.	ad 11 Dec. 1187.

Datæ bullæ sunt p. m.

Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii a 31 Oct. ad 11 Dec. 1187.

GREGORII VIII PAPÆ EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

Germano clero electionem suam nuntiat, et ad expeditionem pro recuperanda Palæstina, animum ut adhibeant, hortatur.

(Ferrariæ, Oct. 27.)

[Mansi, *Concil.*, XXI, 531.]

Gregorius archiepiscopis, episcopis, abbatibus et prælatis Ecclesiarum in Teutonia.

Inter divinæ dispensationis arcana quæ Deus in hominibus operatur, magna causa admirandi et stupendi nobis existit, quod prælationes, et subjectiones hominum ita dispensat, ut is qui ponendus est in imo, constitui videatur in summo, et e converso. Hoc ipse quoque Salomon admirabatur, dicens: *Vidi servos in equis, et dominos quasi servos ambulantes super terram* (*Eccle.* x). Hoc autem, utinam nobis admirari et videre solummodo datum esset, et non etiam experiri! qui cum ad minorem locum vocati fuissemus a Domino, et nunquam fideliter, sicut oportuit, egissemus in eo, ad sublimitatem celebrioris loci repente assumpti sumus, et debilibus humeris nostris tantum est onus impositum, ut, quantum distant cœli a terra, tantum distare vires ab onere videantur. Prædecessore siquidem nostro Urbano XIII Kal. Novemb. in bona confessione viam universæ carnis ingresso, et tradito sepulturæ, convenimus sequenti die in unum, et missa in honorem sancti Spiritus, sicut moris est, celebrata, processimus seorsum in unum locum, nos episcopi, presbyteri, et diaconi canonibus [*f.* canonice], et, postpositis diversis ecclesiasticis negotiis, et præcipue calamitatis Orientalis Ecclesiæ, quæ diebus illis audita fuerat, ad electionem pontificis visum est procedendum, ne, si forte dilationem acciperet, detrimentum ex tarditate per diversas partes Christiano populo proveniret. Cum autem requisitæ fuissent civium voluntates, placuit omnibus mediocritati nostræ onus ecclesiasticæ provisionis imponere, et tantum instare, ut non una excusatio mea, cum multæ mihi suppeterent, audiretur. Non satis occurrebat mihi quod agerem, dum nec contradicendo, nec acquiescendo erat tuta libertas, hinc me multo defectu virtutis et scientiæ deficiente, hinc me concordi fratrum voluntati, et instantia provocante. Tandem vero considerantes quod non sint hominis viæ ejus, nec in eo est ut ambulet et dirigat gressus suos, et quod Christus pro nobis mortuus est et resurrexit, divinæ misericordiæ nos commisimus, et fratrum acquievimus voluntati, non quod nos ministros idoneos credideri-
A mus, et tantum onus a nobis bene portari, sed ne multum videremur abundare in sensu nostro, et non satis de Domini Dei nostri confidere pietate. Quoniam igitur in Romanæ Ecclesiæ nos decet reverentia permanere, universitatem vestram præsentium significatione credimus admonendam, quatenus in ipsius Ecclesiæ devotione persistatis, sicut justum est vestræ expedire saluti. Super negotio autem et contritione Orientalis Ecclesiæ per apostolica scripta vos sollicitos reddimus et attentos, rogantes, monentes, et exhortantes in Domino, ut ad liberationem illius terræ per vos ipsos, sicut expedire cognoscitis, intendatis, et charissimum in Christo filium nostrum Fridericum, illustrem Ro-
B manorum imperatorem semper Augustum, et proceres et Teutonici regni populum universum curetis monere diligentius et exhortari ut pium Omnipotentis obsequium taliter attendant, ut ex hoc vobis et eis æternæ vitæ retributio debeat a tributore omnium in se sperantium augmentari. Ad hoc dilectos filios nostros B. subdiaconum nostrum et priorem de Pontid. latores præsentium, litteratos viros, provisos et honestos, quos pro vocatione nostra nuntianda transmittimus, et charitatis vestræ reddimus propensius commendatos.

Data feria [*leg.* Ferrariæ], VI Kal. Novembr., indict. VI.

II.

C *Ad omnes prælatos Ecclesiarum. — Pro justitia facienda et litibus componendis.*

(Ferrariæ, Oct. 27.)

[*Ibid.*]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, omnibus prælatis Ecclesiarum ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam ad episcoporum maxime spectat officium afflictis et laborantibus subvenire, unumque illorum, licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit, prospicere tenemur et volumus ne quis, ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem Ecclesiæ, laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit quod nos, multorum prospicere volentes expensis
D et allevare labores, de consueta sedis apostolicæ misericordia duximus statuendum ut litteræ prædecessoris nostri domini Urbani, a tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro facienda justitia et litigiis dirimendis, quæ tamen manifestum alicujus

præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eumdem habeant tempore nostræ administrationis effectum, quem habere, si adhuc viveret, debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite quod mandavit agendum, ut nemo ad nos, pro excusatione hujusmodi, accepta per illum justitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus aberrare.

Datum Ferrariæ, sexto Kalendas Novembris.

III.

Ad omnes fideles. — De jejunio servando ac peccandum Deum offensum.

(Ferrariæ, Oct. 29.)

[*Ibid.*]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Nunquam melius superni Judicis ira placatur quam cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria exstinguuntur. Proinde quia Hierosolymitanæ terræ discrimen, quod irruentibus Saracenis nuper evenit, ex peccato maxime habitatorum terræ et totius populi Christiani accidisse non dubitamus, nos de fratrum nostrorum communi consilio, multis episcopis approbantibus, statuimus ut omnes usque ad quinquennium, saltem per omnes sextas ferias, in cibo quadragesimali jejunent; et missa, ubi cantanda fuerit, ad Nonam cantetur : quod ab Adventu Domini usque ad Natale Domini statuimus observandum; feria vero quarta et Sabbato omnes indifferenter, qui bene valent, a carnibus abstineant. Nos autem et fratres nostri in secunda quoque feria nobis et familiis nostris esum carnis interdicimus, nisi forte aut infirmitas, aut magna solemnitas, vel alia evidens causa, visa fuerit impedire, sperantes quod sic nobis ignoscet Dominus et relinquet post se benedictionem. Hoc igitur adeo statuimus observandum, ut quicunque transgressor exstiterit, quasi prævaricator quadragesimalis jejunii habeatur.

Datum Ferrariæ, quarto Kalendas Novembris.

IV.

Ad omnes Christi fideles. — De clade Hierosolymitana. Omnes ad pœnitentiam agendam admonet : et proficiscentibus ad bellum contra fideles plenariam indulgentiam concedit.

(Ferrariæ, Oct. 29.)

[*Ibid.*, col. 527.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Audita tremendi severitate judicii, quod super terram Jerusalem divina manus exercuit, tanto sumus nos et fratres nostri horrore confusi, tantisque afflicti doloribus, ut non facile nobis occurreret, quid agere aut quid facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat, et dicit : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, coinquinaverunt templum sanctum tuum : posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam : carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, et escas volatilibus cœli*, etc. (*Psal.* LXXVIII.) Ex occasione quippe dissensionis quæ malitia hominum ex suggestione diaboli facta est nuper in terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas, et occurrentibus eis rege, et episcopis, et Templariis, et Hospitalariis, baronibus ac militibus cum populo terræ, et cruce Dominica (per quam ex memoria et fide passionis Christi, qui pependit, et genus humanum redemit, certum solebat esse tutamen, et contra paganorum incursus desiderata defensio), facta congressione inter eos, et superata parte nostrorum, capta est crux Dominica, trucidati episcopi, captus est rex, et universi fere aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita ut paucissimi per fugam dicantur elapsi. Ipsi quoque Templarii et Hospitalarii in ejus oculis decollati. Superato autem exercitu, qualiter subsequenter invaserint et rapuerint universa, ita ut non nisi pauca loca remansisse dicantur, quæ in eorum non devenerint potestatem, non credimus nostris litteris explicandum. Nos autem, licet cum propheta dicere habeamus : *Quis det capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo nocte ac die interfectos populi mei?* (*Jer.* IX) non tamen adeo dejicere nos debemus, ut in diffidentiam decidamus, et credamus Deum ita populo iratum, ut quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non cito per misericordiam pœnitentia placatus alleviet, et post lacrymationem et fletum exsultationem inducat.

Quisquis sane in tanta lugendi materia, si non corpore, saltem corde non luget, non tantum fidei Christianæ, quæ cum omnibus dolentibus docet esse dolendum, sed ipsius est humanitatis nostræ oblitus : cum ex ipsa periculi magnitudine ac feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hac apponente virtutem, ut profanare sancta, et titulum Dei valeant auferre de terra, quod nos tacemus, discretus quisque valeat æstimare. Sane cum prophetæ toto prius studio laboraverunt, postmodum apostoli, et sequaces eorum, ut divinus cultus esset in terra illa, et ad omnia climata mundi ex ea defluret, imo, quod maximum et ineffabile est, Deus, qui voluit incarnari, per quem facta sunt universa, per ineffabilem sapientiam et incomprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis esuriem, sitim, crucem, et mortem et resurrectionem, salutem nostram ibi voluit operari, juxta quod dicitur : *Qui operatus est salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXIII) : per seipsum ad hoc dignatus est laborare, nec lingua dicere, nec sensus cogitare potest, quantum nobis et universo dolendum sit populo Christiano, quod id nunc perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus quod ex injustitia Judicis fe-

rientis, sed ex iniquitate potius populi delinquentis, ista provenerunt, cum legamus quod, quando populus convertebatur ad Dominum, persequebatur unus mille, et duo fugabant decem millia : imo, ipso populo quiescente, exercitum Sennacherib angelica manu consumptum. Sed et terra illa devoravit habitatores suos', et nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis divinæ potuit retinere : doctrinam et exemplum tribuens illis qui ad cœlestem Jerusalem intenderent, quod non possunt ad eam nisi per exercitium boni operis et per tentationes plurimas pervenire. Potuerunt autem ista timeri jampridem, quando Arroasia (1), et alla terra in potestatem transiit paganorum, et fuisset bene provisum, si populus qui remansit, ad pœnitentiam rediisset ; et Deum, quem prævaricatione offenderat, conversione placasset. Nec enim subito venit ira ejus, sed et ultionem differt, et tempus tribuit pœnitenti. Tandem vero, qui in misericordia judicium non amittit, vindictam suam ad pœnam transgredientium et cautelam salvandorum exercet.

Porro nos, qui in tanta terræ illius contritione non solum peccatum habitatorum illius, sed et nostrum et totius populi Christiani debemus attendere ac vereri, ne quod reliquum est illius terræ depereat, et in alias etiam potestas eorum desæviat regiones, cum ex omnibus partibus inter reges et principes, civitates et civitates dissensiones audiamus et scandala, ut lugere cum propheta et dicere valeamus : *Non est veritas, non est scientia Dei in terra : mendacium, homicidium et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem contigit* (*Ose.* IV). Unde hoc universis est cogitandum, imo et agendum, ut peccata nostra castigatione voluntaria emendantes, per pœnitentiam et opera pietatis convertamur ad Dominum Deum nostrum, et in nobis primo quod male gessimus emendemus ; deinde feritatem et malitiam hostium attendamus ; et quod illi contra Deum tentare non timent, nos pro Deo, agere nullatenus hæsitemus. Cogitate itaque, filii, qualiter in hunc mundum venistis, et qualiter exituri estis, et qualiter transeant universa, et pariter transeatis et vos ; et pœnitendi ac bene agendi tempus, quantum spectat ad vos, cum gratiarum actione recipite, et date vestra, date post vos ipsos, quia non estis ex vobis, nec quidquam a vobis habetis, qui nec culicem unum potestis facere super terram. Nec dicimus : Dimittite, sed : Præmittite in cœleste horreum quæ habetis, et deponite apud eum, apud quem ærugo ea non demolitur, aut tinea, nec fures effodiunt, et furantur ; laborantes ad recuperationem terræ illius, in qua pro salute nostra veritas de terra orta est, et sustinere pro nobis crucis patibulum non despexit ; et nolite ad lucrum vel gloriam temporalem attendere, sed voluntatem Dei, qui pro fratribus animas in seipso docuit esse ponendas, et ei vestras commendate divitias, quas, sive volentes, sive nolentes, nescitis tandem quibus hæredibus sitis relicturi. Non est equidem novum, quod terra illa judicio divino percutitur, sed nec insolitum, ut flagellata et castigata misericordiam consequatur. Poterit Dominus quidem sola eam voluntate servare, sed non habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim forsitan experiri, et in notitiam ducere aliorum, si quis sit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum sibi pœnitentiæ tempus hilariter amplectatur, et animam ponendo pro fratribus consummetur in brevi, et compleat tempora multa. Attendite qualiter Machabæi zelo divinæ legis accensi, pro fratribus liberandis extrema quæque pericula sunt experti, et non solum substantias, sed et personas pro fratrum docuerint salute ponendas, exhortantes seipsos atque dicentes : *Accingimini, et estote filii potentes, quoniam melius est nobis mori in bello quam videre mala gentis nostræ et sanctorum* (*I Machab.* III). Et quidem illi sub una constituti lege fuerunt, vos per incarnationem Domini nostri Jesu Christi ad lucem veritatis adducti, et multis exemplis instructi sanctorum, sine trepidatione aliqua faciatis, et non timeatis dare terrena et pauca, et breviter duratura, quibus illa bona promissa sunt, et reposita, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, de quibus dicit Apostolus : *Quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII).

Eis autem qui corde contrito et humiliato spiritu, itineris hujus laborem assumpserint, et in pœnitentia peccatorum et fide recta decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, et vitam pollicemur æternam. Sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, impositæ satisfactionis relaxationem de omnipotentis Dei misericordia, et apostolorum Petri et Pauli auctoritate et nostra, se noverint habituros. Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acceperint, cum suis familiis, sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non et archiepiscoporum, et episcoporum, et aliorum prælatorum Ecclesiæ Dei protectione consistant ; et nullam de his quæ in susceptione crucis quiete possederunt, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quæstionem, sed bona eorum integra interim maneant et quieta. Ad dandas quoque usuras, si tenentur alicui, non cogantur. Nec eant in vestibus pretiosis, et cum canibus, sive avibus, aut aliis quæ ostentationi potius et lasciviæ, quam necessariis videantur usibus deservire ; sed in modesto apparatu, et habitu, in quo pœnitentiam potius agere quam inanem affectare gloriam videantur.

Datum Ferrariæ quarto Kalendas Novembris, indictione sexta.

(1) Nempe *Rohes*, sive *Edessa*. H

V.

Monasterii Lucellensis protectionem suscipit et possessiones juraque confirmat.

(Ferrariæ, Oct. 31.)

[Schœpflin, *Alsat. diplom.*, I, 286.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Wizelo abbati monasterii de Lucella, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium de Lucella in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illabata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum decimis et omnibus ad ipsum pertinentibus. Grangiam de Alnofontaine cum terris, decimis, primitiis, pascuis, pratis aquæductibus, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus tenimentis suis. Grangiam de Liboveler cum terris, decimis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Courtmatrut, cum terris, decimis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus tenimentis suis. Grangiam de Cbesas cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Plaigne, cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus tenimentis suis. Grangiam de Wenckeles cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Mosa cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis, et omnibus tenimentis suis. Grangiam de Annevirre cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis, et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Herbeim cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus tenimentis suis. Grangiam de Wigehim cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis, et omnibus appendiciis suis. Cellarium de Steinbach cum terris, vineis, decimis, pascuis, aquæductibus, pratis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Cellarium de Hastath cum terris, vineis, decimis, pascuis, aquæductibus, pratis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Hircewelde cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Mutrisseim cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Hadmanswiler cum terris, decimis, primitiis, pascuis, aquæductibus, pratis, silvis, nemoribus, usuariis et omnibus appendiciis suis. Grangiam de Bures cum terris, decimis, pascuis, nemoribus, usuariis, et omnibus appendiciis suis. Ecclesiam de Wincheles cum appendiciis suis; ecclesiam de Hadmanswiler cum appendiciis suis.

Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit sine abbatis sui licentia de ipso discedere; discedentem vero absque communi litterarum cautione, nullus audeat retinere. Quod si quisquam eos forte retinere præsumpserit, liceat vobis in ipsos monachos vel conversos vestros sententiam regularem ex nostra auctoritate proferre.

Inhibemus etiam ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, sive aliquo modo alienari, absque assensu totius capituli, aut majoris et sanioris partis. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc insuper prohibemus ne aliquis monachus vel conversus, sub professione domus vestræ adstrictus, sine consensu et licentia abbatis et majoris partis capituli vestri pro aliquo fide jubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere quisquam præsumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea vobis sit in causis propriis, sive civilem, sive criminalem contineant quæstionem, fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio, sicut justum fuerit, et propulsare violentiam et justitiam vindicare.

Insuper etiam auctoritate apostolica sancimus, quemadmodum a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vestro ordini est indultum, ut nullus episcopus, aut alia quælibet persona ad sy-

nodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio sæcularis de propria substantia vel possessionibus subjacere compellat; illud adjicientes, ut nullus regularem electionem abbatis vestri impediat, vel de instituendo, seu deponendo vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis et auctoritatem privilegiorum vestrorum, se ullatenus intromittat. Quod si episcopus, in cujus parochia domus vestra fundata est, tertio cum humilitate et devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere forte renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, et alia quæ ad officium suum pertinent, exercere, donec idem episcopus duritiam suam recogitet, et abbatem sine pravitate aliqua benedicat. Cumque benedicendus abbas vester ad episcopum venerit, ea professione contentus sit episcopus, quæ in ordine vestro solet impendi, nec aliam de novo requirat. Sane si episcopus aliquid a vobis vel monasterio vestro præter obedientiam debitam, vel principes terræ contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris, et a nobis indultam expetierint, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista prædictus ordo, qui hactenus liber exstitit, humanæ servitutis laqueo vinciatur. Quod si episcopi aliquam propter hoc in personas vel ecclesiam vestram sententiam promulgaverint, eamdem sententiam, tanquam contra apostolicæ sedis indulta prolatam, statuimus irritandam. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna inposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne quis intra clausuras domorum seu grangiarum vestrarum furtum, rapinamve committere, ignem opponere, hominem capere vel interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Gregorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus, Albanensis episcopus.

Ego Paulus, Prænestinus episcopus.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episc.

Ego Petrus de Bono, titulo Sanctæ Susannæ presbyter cardinalis.

Ego Laborans, presbyter card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Melior, presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Adelardus, tit. S. Marcelli presb. card.

Ego Hiacynthus, S. Mariæ diac. card.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Baschi diac. card.

Ego Petrus, S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Ferrariæ, per manum Moysis Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, II Kal. Novembris, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Gregorii papæ VIII anno primo.

VI.

Privilegium pro monasterio de Caritate Fuliensi.

(Ferrariæ, Oct. 31.)

[*Gall. Christ. nov.*, XIII, Instrum., 158.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii de Caritate Fuliensi, ejusdemque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium de Caritate Fuliensi in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam et institutiones Cisterciensium fratrum ibidem noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, adipisci poterit, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In primis hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfata abbatia sita est, ex dono Bernardi comitis Convenarum, assensu filii sui Bernardi, et omnium hæredum suorum quidquid ibidem habetis cum decimis, primitiis, usurariis et pascuis, et omnibus tenimentis loci ipsius, grangiam de Lenerents cum omnibus appendiciis suis, grangiam de Montursis cum omnibus appendiciis suis, territorium de Aiguas, territorium sancti Lupi, territorium quod vulgo vocatur Ad quatuor fratres, et terram de Fita Hieronymi cum omnibus appendiciis suis, decimis et primitiis, usurariis, pascuis, aquis, silvis et omnibus tenimentis suis, sicut in chartis ipsius ecclesiæ continetur; molendinum de Tog, ex dono Fortinerii et omnium hæredum suorum, et molendinum de Loge in territorio de Ravidan situm cum omnibus aquis suis et

viis ad præfata molendina tendentibus, ex dono Ramundi comitis S. Ægydii pedagium per totam terram suam ; domos apud Tolosam. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas vel primitias extorquere præsumat, liceat quoque vobis clericos et laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de ipso discedere, discedentem vero sine conventus litterarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine B providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne quis infra ambitum domorum vestrarum vel grangiarum furtum rapinamve committere, ignem apponere, hominem capere aut interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere. Inhibemus etiam ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat aliquid personaliter dari sive aliquo modo alienari, absque assensu totius capituli aut majoris aut sanioris partis ejusdem. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, irritas esse censemus.

Licitum præterea vobis sit in causis propriis, sive civilem, sive criminalem continentes quæstionem, C fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio, sicut justum fuerit, et propulsare violentiam et justitiam vindicare. Insuper etiam apostolica auctoritate sanximus, quemadmodum a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vestro ordini est indultum, ut nullus episcopus neque alia quælibet persona ad synodos vel ad conventus forenses vos ipse vel judicio sæculari de propria substantia vel possessionibus subjacere compellant, illud adjicientes ut nullus regularem electionem abbatis vestri impediat, aut de instituendo vel deponendo, seu removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statutam Cisterciensis ordinis auctoritatem, privilegiorum vestrorum se nullatenus intromittat ; quod si episcopus in cujus pa- D rochia domus vestra fundata est, tertio cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere forte renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, et alia quæ ad officium suum pertinent exercere, donec idem episcopus duritiam suam recogitet et abbatem sine pravitate aliqua benedicat; cumque benedicendus abbas vester ad episcopum venerit, ea professione sit contentus episcopus quæ in ordine vestro solet impendi nec aliam de novo requirat; sane si episcopi aliquid a vobis vel monasterio vestro præter obedientiam debitam, vel principes terræ contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris et a nobis indultam, expe- A tierint, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista prædictus ordo qui hactenus liber exstitit, humanæ servitutis laqueo vinciatur. Quod si episcopi ipsi aliquam propter hoc in personas vel ecclesias vestras sententiam promulgaverint, eamdem sententiam, tanquam contra apostolicæ sedis indulta prolatam, statuimus irritandam.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

DIRIGE ME, DOMINE, IN VERITATE TUA, SANCTUS PETRUS, SANCTUS PAULUS. GREGORIUS PAPA OCTAVUS.

Ego Gregorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Henricus, Albanensis episcopus.

Ego Paulus, Prænestinus episcopus.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Petrus de Bono, presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ.

Ego Laborans, presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Trans-Tiberinæ tituli Cablon.

Ego Melior presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tituli Pammachii.

Ego Adelardus, tituli S. Marcelli presbyter cardinalis.

Ego Jacobus, diaconus cardinalis S. Mariæ in Confond. [Cosmed.]

Ego Gratianus, cardinalis diaconus Sanctorum Cosmæ et Damiani.

Ego Octavianus, Sanctorum Sergi et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Petrus, S. Nicolai in Car. Juliani diaconus cardinalis.

Ego Radulphus, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Datum Ferrariæ, per manum Moysis Lateranensis D canonici, vicem agentis cancellarii, II Kal. Novembris, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octogesimo septimo, pontificatus vero domini Gregorii papæ octavi anno primo.

VII.

Ordinem Calatravæ ejusque possessiones confirmat.

(Ferrariæ, Nov. 4.)

[*Calatravæ Diffinit.*, an. 1652, p. 39, teste SAMPER, *Montesa illustrada*, Valencia 1669, fol. 1, 131.]

VIII.

Monasteriorum Savigneiensium jura vetera, e obtentu

monachorum Cisterciensium qui ibi sunt instituti, » vetat imminui.

(Ferrariæ, Nov. 5.)

[*Neustria pia*, 685.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in quorum parœchiis Savigniacensia monasteria vel ecclesiæ habentur, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Monasterium Savigniacense ab antiquo alterius ordinis fuerit, nolumus ipsum suo jure, quod in monasteriis vel in ecclesiis habet, obtentu monachorum Cistercii ordinis, qui ibi sunt instituti, fraudari; sed eidem monasterio, eorum intuitu, volumus, sicut debemus in suis justitiis, specialiter et diligenter adesse, etc.

Datum Ferrariæ, Nonis Decemb., [*leg.* Nov.] indictione VI, ann. 1187.

IX.

Canonicis ecclesiarum S. Vincentii et S. Alexandri Bergomatum primam proximæ Quadragesimæ diem Dominicam (6 Martii 1188) constituit, qua eorum controversia sese dirimatur.

(Ferrariæ, Nov. 10.)

[Lupi *Cod. dipl. Bergom.* II, 1381.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Sancti Vincentii et Sancti Alexandri Bergomensis canonicis et P. presbytero Sanctæ Agathæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum causa quæ inter vos supra diversis quæstionibus noscitur agitari in auditorio prædecessoris nostri diutius ventilata non potuerit fine debito terminari, et nos ad præsens definitioni ipsius intendere non possumus, vobis a prima Dominica instantis Quadragesimæ terminum duximus statuendum. Ideoque per apostolica scripta mandamus quatenus tunc nostro vos sine occasione conspectui præsentetis, vel sufficientes responsales mittatis. Sciturі quod si aliqua partium absens fuerit, nos nihilominus, auctore Domino, quantum de jure poterimus in negotio procedemus.

Datum Ferrariæ, IV Idus Novembris, indictione sexta.

X.

Clero, potestati et populo Bergomati. — Lanfrancum electum episcopum commendat.

(Ferrariæ, Nov. 10.)

[*Ibid.*, 1383.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero, potestati et populo Pergamensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet super vestra devotione dubitatio nullatenus videatur habenda, non tamen superfluum duximus dilectum filium nostrum Lanfrancum electum Ecclesiæ vestræ vobis litteris apostolicis commendare, quas profuturas credimus ad devotionis augmentum. Monemus igitur universitatem vestram attentius et rogamus per apostolica nihilominus scripta, mandantes quatenus ipsum devotione quæ convenit admittatis, et ei reverentiam et obedientiam humiliter impendatis. Sane quod exortam inter dilectos filios nostros Sancti Vincentii et Sancti Alexandri super electione ac jure cathedræ quæstionem, multis occupati negotiis diebus istis, non potuimus commode definire, nullus vestrum moleste sustineat, quam etsi rem ad tempus differimus, non est nostri propositi ut justitiam suam alterutri partium denegemus. Quia tamen ecclesia Sancti Vincentii sine dubitatione cathedralis habetur, ipsam et illius canonicos matricis ecclesiæ volumus prærogativa gaudere, ita tamen ut nullum ex hoc causæ præjudicium generetur, quominus clerici Sancti Alexandri de jure suo, cum oportunum fuerit, valeant experiri et quod justum fuerit obtinere. Cæterum si qui tumultuose interim agendum duxerint nos eidem electo coercendi eos per excommunicationis sententiam, appellatione remota, dedimus facultatem.

Datum Ferrariæ, IV Idus Novembris indictione sexta.

XI.

Ad *canonicos ecclesiæ S. Vincentii Bergomatis.*

(Ferrariæ, Nov. 11.)

[*Ibid.*, 1385.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis S. Vincentii Pergami, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum discussioni negotii quod inter vos et dilectos filios nostros canonicos Sancti Alexandri vertitur nobis, sicut nosti, commoda vacatio non occurrerit his diebus, id ad tempus duximus differendum. Quia vero tantum laborem vestrum nolumus infructuosum existere, vos quæ ad servitium electi pertinent et cætera, quæ cathedralium ecclesiarum canonicis de jure debentur, volumus in totum ministrare. Sane si vestræ civitatis laici per seditionem quod litteris istis disponimus voluerint perturbare aut in electi vel ecclesiæ vestræ injuriam aliquid tumultuose moliri, coercendi eos per excommunicationis sententiam appellatione, postposita, nos eidem electo dedisse noveritis facultatem.

Datum Ferrariæ, III Idus Novembris, indictione sexta.

XII.

Duobus canonicis Brixiensibus mandat ut alteruter electum episcopum Lanfrancum ad sedem suam comitetur.

(Ferrariæ, Nov. 11.)

[*Ibid.*, 1385.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis J. vice domino Brixiensi, et Al. de Palatio, subdiaconis nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet opera data fuerit tempore domni Urbani papæ prædecessoris nostri ut causa quæ inter dilectos filios nostros Sancti Vincentii et S. Alexandri Pergamensis ecclesiæ canonicos vertitur per com-

positionem amicabilem sopiretur, ad effectum optato rei non potuit perveniri. Nos quoque inter nostræ promotionis initia circa discussionem hujus litigii, multis impediti negotiis, insistere non valentes, commode illud ad tempus duximus differendum. Cum autem non sit conveniens nec securum ut pro prædictorum dissensionibus clericorum ecclesiæ illius et episcopatus Pergamensis utilitas periculis exponatur, dilectum filium nostrum L. electum civitatis illius ad locum cathedræ suæ scilicet ecclesiæ Sancti Vincentii volumus remeare. Cæterum nolentes aliquid donec idem negotium finiatur in partis alterutrius præjudicium immutari, providentes etiam ne dum memoratus electus ad ecclesiam suam accedet, aliqua possit suboriri seditio, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus alter vestrum quem electus duxerit requirendum ei dum ad ecclesiam ingrediatur assistat ipsum a latere sinistro deportans. Cum autem supra litigium moveatur quod clerici Sancti Alexandri dicunt se sinistrum ipsius obtinere debere, alii quique proponant contrarium, sic rem providimus moderandam ut per aliquem nomine nostro locum de quo contenditur, teneat, et ita utrique partium indignandi malitia subtrahatur. De loco autem clericorum Sancti Vincentii nulla dubitatio vertitur quia dextram debent sine contradictione qualibet obtinere.

Datum Ferrariæ, III Idus Novembris, indictione sexta.

XIII.

Episcopum castellanum (Venetum) hortatur ut canonicis S. Salvatoris ecclesiam S. Bartholomæi concedat.

(Ferrariæ, Nov. 11 (2).

[Cornelius, *Ecclesiæ Venetæ*, XIV, 114.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo castellano (3), salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosis locis pacem et tranquillitatem prospicere, et jura sua integra conservare cura suscepti regiminis suggerit, et debitum postulat charitatis. Cum igitur inter dilectos filios..... priorem et canonicos S. Salvatoris de Rivoalto, et plebanum S. Bartholomæi nonnunquam scandalum sit exortum, pro eo videlicet quod vicini præfatæ ecclesiæ S. Bartholomæi parochialia jura persolvunt, prædicti canonici jam pridem, ad te vel prædecessorem tuum litteras impetrarunt, ut ecclesiam ipsam salvis omnibus justitiis castellanæ ecclesiæ de episcopali munificentia obtinerent. Quod quia impletum usque modo non existat, nosque de tua devotione spem gerimus quod commodum ipsorum fratrum libenter, nobis etiam tacentibus, exsequereris, fraternitatem tuam hortamur in Domino, et mandamus quatenus præfatam ecclesiam S. Bartholomæi divino intuitu et pro reverentia beati Petri et nostra, præfatis canonicis pia liberalitate concedas post mortem plebani ejusdem ecclesiæ pacifice possidendam salvis tibi et successoribus tuis jure pontificali, et aliis justitiis, quas inde consuevistis habere, ita quod idem canonici propter hæc tibi possint devotiores existere, et pro te apud Dominum assiduis orationibus intercedant, et nos de divinis operibus teneamur gratias promereri.

Datum Ferrariæ, III Idus Novembris, indictione VI.

XIV

Canonicos ecclesiæ S. Salvatoris Venetæ solvendis decimis liberat.

(Ferrariæ, Nov. 16.)

[*Ibid.*]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... priori et canonicis S. Salvatoris de Venetia, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sitis regularem ordinem, Domino inspirante, professi, communi et speciali debito vobis volumus, sicut debemus, adesse, et in his quæ juste requiritis favorem apostolicum efficaciter indulgere. Eapropter, dilecti in Domino filii, præsentibus vobis litteris indulgemus, ut de laboribus vestris nullus laicus a vobis exigendi, vel extorquendi decimas habeat facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Ferrariæ, XVI Kal. Decembris, indictione VI.

XV.

Ad *universos episcopos* etc. *archidiaconos.*

(Bononiæ, Nov.)

[Mansi, *Concil.*, XXIII, 418.]

Gregorius octavus, universis fratribus episcopis, et archidiaconis ad quos litteræ istæ pervenerint.

Vel ex dolo, vel ex malitia litigantium, vel ex defectu nostro credimus provenire, quod tanta negotiorum frequentia diebus singulis perurgemur, ut imbecillitate proprii corporis laborantes, minori etiam diligentia impediti, omnibus non possimus commode superesse, aut undique contradicentium clamores aut murmura sustinere. Hinc etiam evenit quod, negotiis minoribus occupati, majoribus intendere non valemus, prout necessitas ecclesiastica postularet, et quæ diffiniri vel disponi per nos brevi tempore potuissent, exspectatione diutina plusquam oportet, multis pariter irruentibus producuntur. Quocirca per generalem epistolam

(2) Licet in apographo documento nulla legatur chronica anni nota, attamen certum est datum fuisse anno 1187; siquidem Gregorius VIII electus die 21 Octobris ejusdem anni expletis nondum in pontificatu duobus mensibus, obiit die XVI Decembris.

(3) Marcus Nicola.

remedium huic rei duximus providendum, ne multimodo impediamur incursu, vel sua injuriam patientibus possit justitia deperire. Eapropter universitati vestræ per apostolicam sanctionem præsentibus mandamus quatenus, si forte de modicis rebus, quæ infra summam viginti marcarum subsistunt, in auditoriis vestris causa ventiletur, et alteruter litigantium delusorie putaverit appellandum, ejus appellatione contempta, infra fines vestrorum episcopatuum eos eligere judices, qui suspicione careant, compellatis : si tamen idonei ibi fuerint inventi, in quorum præsentia jurgium sopiatur : a quibus si qua partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum sive primatem vocem appellationis emittat. Si vero tale negotium sit, quod summam contineat aliquatenus ampliorem infra fines vestrarum diœceseon, si sponte noluerint, inviti non cogantur ; cognitores tamen de vicinis episcopatibus aliquos eligere compellantur, juxta formam quam præmisimus, negotium tractaturos, in majoribus causis et obscurioribus articulis appellandi ad sedem apostolicam copia servata. Non enim videtur malitiæ suspicione carere, quod plerique suos adversarios ad præsentiam nostram laborare compellunt. Cæterum, si qui litigantium a proximo festo Purificationis super causis, de quibus episcopus cujus jurisdictioni saltem is qui convenitur, non subjacet, non fuerit requisitus, vel judices clerici supradicto modo non fuerint electi, et litteras a nobis duxerint impetrandas, per quas examinatio jurgiorum vel diffinitio judicibus non ordinariis committatur, careant impetratis, et ad suorum audientiam judicum ordine debito negotia revertantur. Sic enim subterfugiis occurrere disceptationum volumus, ut dum eorum calliditatibus obviamus, eis alium ad justitiam aditum reseremus. Cum vero aliqui justam causam habuerint nostram præsentiam adeundi, litteras eis dimissorias non negetis, seriem negotii continentes. Hoc autem de factis ad nos appellationibus disponentes, super illis quæ ad archiepiscopos vel primates fieri contigerit, antiquorum ordinem canonum non mutamus.

XVI.

Ecclesiam S. Salvatoris Venetam tuendam suscipit, ejusque privilegia confirmat.

(Mutinæ, Nov. 22.)

[Cornelii, *Ecclesiæ Venetæ*, XIV, 115.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gregorio priori ecclesiæ S. Salvatoris de Rivoalto, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit !) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Salvatoris in qua divino estis mancipati obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Innocentii, Eugenii, Anastasii, Alexandri, Lucii et Urbani, Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum beati Augustini Regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, domos quoque, terras, vineas, salinas, et quidquid juris habetis in Clugia, molendinum et terras quas habetis in Barleana in territorio Dese; molendinum, mansum cum vineis, silvis, et aliis suis pertinentiis, sicut nobiles viri Leonardus Philippus, et Rigetus filii q. Girardi de Inginulfo ecclesiæ vestræ donavit; terras de Liguentia, terras de Flumizello, terras de Marsiliaco, et terras de Sacco. Medietatem quoque decimarum quas parochiani ecclesiæ vestræ persolvunt, sicut beatæ memoriæ prædecessor noster Eugenius papa mandavit, et beatæ recordationis Joannes Polanus, quondam diœcesanus episcopus, privilegio suo vobis indulsit, tam pro clericis, quam pro sartatectis reficiendis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Et ut in parochianos vestros, qui vos de medietate ipsarum decimarum defraudare præsumpserint, per priorem ecclesiæ vestræ excommunicationis sententia promulgetur, ei plenam concedimus potestatem, quemadmodum felicis recordationis prædecessores nostri Adrianus, Alexander, Lucius et Urbanus Romani pontifices scriptis suis indulsisse noscuntur. Indulgemus etiam nobis, sicut a prædictis antecessoribus nostris indultum esse dignoscitur, ut prior loci vestri qui pro tempore fuerit, pro ipsis decimis libere possit securitatem juxta morem terræ præstare. Liceat quoque vobis clericos et laicos, liberos et absolutos e sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque alicujus contradictione in vestra Ecclesia retinere.

Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam professionem, sine prioris sui licentia fas sit de claustro discedere; discedentem vero, sine litterarum communium cautione, nullus audeat retinere. Præterea sententiam, quam venerabilis frater Henricus Gradensis patriarcha, et bonæ memoriæ Ildebrandus, basilicæ Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis, tunc apostolicæ sedis legatus, super controversia inter vos et Dominicum plebanum

S. Bartholomæi, de quibus parochialibus domibus, scilicet super domibus Justorum, Maurocenorum, Gradonicorum, Græcorum, Leonardi fradelli, et Dominici Aurei, quas quisque sui juris esse dicebat, quondam diutius agitata, rationabiliter protulerunt, sicut in authentico scripto illorum exinde facto noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat: salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur: statuentes ergo ut nullus sine vestro consensu parochianis vestris in infirmitate positis pœnitentiam dare, aut eos inungere, vel ad sepulturam accipere audeat, nisi salva justitia ecclesiæ vestræ, sacris canonibus institutæ. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Augustini Regulam canonice providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat Ecclesiam vestram temere perturbare, ut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Gregorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Paulus, Prænestinus episcopus ss.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Laborans, presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calisti ss.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Radulfus, S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. ss.

Datum Mutinæ, per manum Moysis Lateranensis canonici, vice agentis cancellarii, x Kal. Decembris, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1186, pontificatus vero domini Gregorii papæ VIII anno primo.

XVII.

Privilegium pro ecclesia S. Apollinaris.

(Parmæ, Nov. 28.)

[Tiraboschi, *Memorie Moden.*, III, 104.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Jeronimo, priori Sancti Apollinaris, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod religioni et honestati convenire videtur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis apostolicum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et ecclesiam Sancti Apollinaris in qua divino estis obsequio mancipati, prædecessorum nostrorum felicis recordationis Alexandri, Lucii et Urbani Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante [deest Domino] poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo ecclesia memorata sita est cum parochianis et possessionibus universis ad eamdem ecclesiam pertinentibus quas habetis in curte Stagnani, Ciliani, quæcunque habetis in Gauzano et in curte Montisolongii, in Marano, in Parviliano, Badiano, Sancto Marco, Crispiliano, Pragatuto cum omnibus adjacentiis et pertinentiis eorum quæ de jure ad vos spectant; ecclesiam Sancti Michaelis de Sclavo cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus; ecclesiam Sancti Jacobi de Regio cum universa parochia sua et terra de Gaio et decimam quam dedit eidem ecclesiæ Reginus archidiaconus in eodem Gaio; terram quam habet de Gavascio, terram quam habet in prato de Fontana, in circuitu civitatis Reginæ et aliis omnibus quæ ad eamdem ecclesiam pertinent; ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ de Burano in Ferrariensi parochia sitam cum omnibus adjacentiis suis et pertinentiis; possessiones præterea a bonæ recordationis Ildebrando diacono cardinali Sancti Eustachii ecclesiæ vestræ legitime restitutas, sicut in ejus authentico continentur, ut eas rationabiliter possideatis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas audeat extorquere. Prohibemus quoque ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem sine prioris sui licentia de claustro vestro discedere; discedentem vero, absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Liceat vobis clericos et laicos liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere et eos sine contradictione qualibet retinere.

Ad hæc auctoritate apostolica constituimus ut nemini liceat novas vel indebitas exactiones vobis vel ecclesiis vestris imponere, aut in vos vel eccle-

sias vestras excommunicationis, suspensionis vel A interdicti sententiam, absque manifesta et rationabili causa, proferre. Chrisma quoque, oleum sanctum, dedicationes basilicarum, ordinationes clericorum diœcesano quidem episcopo, si tamen catholicus fuerit et gratiam atque communionem sedis apostolicæ habuerit, atque gratis et absque ulla pravitate vobis vestrisque successoribus præcipimus exhibere. Libertates etiam et immunitates, antiquas et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ a quadraginta annis usque ad hæc tempora pacifice conservatas auctoritate apostolica confirmamus. Porro sepulturam ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva B tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum et beati Augustini providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omni- C modis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ protectionis pro ecclesia vestra et obedientia Sancti Jacobi, duos solidos imperialium singulis annis, nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, etc.

Bene valete.

Ego Gregorius, catholicæ Ecclesiæ episcopus, subscripsi.

Ego Paulus, Prænestinus episcopus, subscripsi.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus, subscripsi.

Ego Laborans, presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ D Trans Tiberim tit. Calixti, subscripsi.

Ego Melior, presbyter cardinalis Sanctorum Joannis et Pauli tituli Pamachii, subscripsi.

Ego Jac. diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin, subscripsi.

Ego Gratianus, Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis, subscripsi.

Ego Rad. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacon. cardinalis, subscripsi.

Datum Parmæ, per manum Moysis Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, IV Kalendas Decembris, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domni Gregorii papæ VIII anno primo.

XVIII.

Ad Fridericum imperatorem. — Pacis consilia, et se in illum fovere, et probare quod eadem ipse nutriat, significat.

(Parmæ, Nov. 29.)

[Mansi *Concil.*, XXII, 533.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Friderico illustri regi Romanorum imperatori, semper Augusto, salutem et apostolicam benedictionem.

Venientes ad nos imperialis magnificentiæ nuntii, venerabilis frater noster O. Brandenburgensis episcopus et S. abbas Hersueldensis, qui ad antecessorem nostrum Urbanum fuerant destinati, honoraverunt nos præsentia corporali et decenti reverentia curaverunt et proposuerunt ea quæ ad prædictum antecessorem nostrum ab imperiali excellentia receperat in mandatis. Et quidem nos valde gratum habuimus, quod sententiam illam imperiali animo fixam cognovimus esse qua dicitur : *Persequimini pacem, et comprehendite eam.* Arbitramur autem quod de hac re non sit apud nos multa opus instantia, cum hujus rei bonum semper habuimus desiderium, et nunc tanto amplius habemus, quanto magis hujus et loci necessitas, quem tenemus, et communis utilitas Christiana deposcit. Cæterum non est nobis visum idoneum, ut, antequam ad Ecclesiam de vocatione nostra imperiales apices pervenirent, aliquem deberemus habere tractatum, per quem indecenter et contra honestatem sacerdotalis officii, favorem imperialem appetere videamur. Speramus enim secundum animum quem jam tribuit nobis Dominus, quod taliter in veritate sua nos diriget, et, quæ ad pacem sunt, faciet semper inquirere; ut nec magnitudo imperii, nec alii quoque reges ac principes Christiani occasionem justam ex nobis inveniant, quo minus devoti Deo minusque reverentes debeant Ecclesiæ apparere. Cognoscimus siquidem insufficientiam nostram, et scimus non nisi per magnorum auxilium impositum onus utiliter portare, ac malis illis occurrere, quæ hoc tempore in populo Christiano acciderunt. Imperiali ergo celsitudini Deus inspiravit, ut id, quod nuntiis ostendit et litteris, etiam per opera exsequatur, nec tam ex opinione colligat, quam ex opere, quod de nostra debeat excommunicatione sentire, quia Deo auctore taliter nos disposuimus habere, quod ex nostra culpa non debeat Ecclesia Dei in scandalo remanere.

Datum Parmæ, III Kal. Decembris, indictione VI.

XIX.

Ad Henricum imperatorem Romanorum electum. — Similis argumenti.

(Parmæ, Nov. 29.)

[*Ibid.*]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Henrico, illustri regi, electo Romanorum imperatori, salutem et apostolicam benedictionem.

Laborantibus nobis in hoc mari magno et spatioso, et diversis cogitationum fluctibus agitatis, consolatio ex litteris regiis nobis accessit, dum ita regium animum ad Ecclesiæ reverentiam didicimus inclinatum, ut non sine fructu laboraturos nos cum adjutorio Dei ad salutem populi Christiani æstimemus, si magnitudinis tuæ favorem, sicut pro certo speramus, contigerit nos habere. Monemus igitur et exhortamur in Domino, quatenus erga matrem tuam Ecclesiam in bono, quo cæpisti, proposito, perseveres, et gratum te Deo et ministris ejus per verba et opera studeas exhibere. Speramus enim quod in diebus ministrationis nostræ taliter circa celsitudinem regiam Rom., præstante Domino, se gerat Ecclesia, ut regia celsitudo honorem suum sibi gaudeat conservatum, et populus Christianus per contrarias voluntates eorum, quibus principaliter commissus est gubernandus, sperata non debeat utilitate frustrari. Nos sane multa et sublimia verba non solemus habere, nec volumus, sed a domino Deo requirimus, ut in veritate nos faciat et rectitudine ambulare, nec tam verborum foliis, quam pomorum fructibus mediocritatem nostram adornet. Noverit ad hæc magnificentia regia, quod nuntii, quos misisti, taliter se gesserint, ut bene in eis magnificentia regia debeat complacere.

Datum Parm., III die Kal. Decembris, indictione VI.

XX.

Ad F[olmarum] archiepiscopum Trevirensem. — De casu Orientalis Ecclesiæ. Spernit dura consilia et censuras adversus principes et præsules objurgatque ideo Trevirensem archiepiscopum, quod justo acrior fuerit.

(Apud Forum Novum, Nov. 30.)

[LUDEWIG, *Reliquiæ manuscriptorum diplomatum*, t. II, p. 428.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri F. Trevirensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Propositum vincit affectus et supervenientes causæ sæpe compellunt mutare, quod firma dispositum fuerat voluntate. Nec locus ex hoc reprehensioni relinquitur, cum Salomon dicat : *Omnia tempus habent, et est tempus loquendi et tempus tacendi.* Ex hoc siquidem est quod Ecclesia Dei sua interdum variat, pro filiorum necessitate, instituta, et cohibet aut differt sæpe vindictam, quam quieto et pacato tempore statuerat exercendam, juxta hoc quod Salomon dicit : *Sapiens videns malum declinat, stultus transilit confidenter.* Hæc vero cautela, etiamsi altero tempore potuerit intermitti, hoc vero tempore tanto circumspectius est tenenda, quanto ex casu Orientalis Ecclesiæ in majori turbatione videtur Christianus populus constitutus. Nec facile patet ex humana infirmitate successus, nisi ad hoc magnorum principum corda contigerit ex sancti Spiritus inspiratione moveri. Ex eo siquidem est, et ex aliis multis causis, quod nos corda sublimium principum et Ecclesiæ defensorum, imperatoris videlicet et filii ejus, ad bonum volentes per humilitatem Ecclesiæ provocare, in bona cum ipsis mansuetudine ducimus ambulandum, et non tam contra eos requirendum auxilium, quam divinum, si debitam, quod non credimus, Ecclesiæ reverentiam decreverint subtrahendam. Proinde quod tua fraternitas a domino Urbano prædecessore nostro recedens et provinciæ Trevirensis attingens durius, quam e re visum fuit, se cœpit in episcopos et personas alias exercere, et cum in scandalum multos miserit, paucos ad se provocavit in gratiam, nos ex consueto sedis apostolicæ moderamine providere volentes, ne in asperitate tua multorum a te facias animos alienos, et tandem ipsam etiam censuram ecclesiasticam, si servata non fuerit, contemptibilem reddas, litteris tibi præsentibus inhibemus ne ad excommunicationem vel depositionem personarum Trevirensis provinciæ sine conscientia et licentia nostra procedas, sed ita in omnibus modestiam teneas, ut ex animositate aliqua vel indignatione præterita Ecclesiæ causam et tuam [non] facias graviorem. Cum etenim non prorsus ignores quid nobis super negotio tuo visum fuerit a principio, bene, sicut credimus, tibi prospicies, si talem in omnibus exhibere te cures ut sinistram de te habere opinionem minime debeamus.

Datum apud Forum Novum, II Kal. Decembr., indictione VI.

XXI.

Abbatis Tegernseensis privilegium, ab Ottone episcopo Frisingensi constitutum, corroborat.

(Apud Fornoum, Nov. 30.)

[*Monumenta Boica*, VI, 192.]

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Tegrinsensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, privilegium, quod venerabilis frater noster Frisingensis episcopus super quodam monasterio in fundo Ecclesiæ tuæ et in sua diœcesi constituto, pia consideratione inductus cœnobio tuo concessit, sicut canonice factum est et usque ad hæc tempora pacifice observatum, tibi et Ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud Fornoum, II Kalendas Decembris, Indictione VI.

XXII.

Universis Christi fidelibus.

(Oct.-Dec.)

[Mansi, *Concil.* XXII, 535.]

Ex administrationis etc. (Quoniam igitur creditores ad usuras sibi solvendas in manifestum periculum animarum juramento debitores adstringunt; nos eorum saluti volentes, juxta debitum officii nostri, prospicere, et nequam grâvamen a debitoribus removere, et ab illis præcipue qui se, vel auxilium dederint ad succursum terræ Jerosolymorum parandum unius viri); mandamus quatenus creditores ipsos ad juramenta super usuris solvendis præstita relaxanda, sublatis contra et ap. obstaculis, districtionis ecclesiasticæ severitate cogatis.

XXIII.

Universis episcopis.

(Oct.-Dec.)

[*Ibid.*]

Statuimus ut clerici clausa deferant indumenta, cappis, sive mantellis rubeis aut viridibus non utantur, nec zendatum, vel aliud sericum pannum eis apponant, annulos non portent in manibus, nisi episcopus fuerit, qui habeat hoc ex officio. Coronam et tonsuram habeant congruentem; ludos alearum, et taxillorum prorsus, et venatoriam occupationem evitent, et se in officiis ecclesiasticis, et aliis hominis [*f.* humanis] studiis exerceant competenter. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, per episcopum suum, remoto ap. obstaculo, corrigatur; et immunitatis illius interim fiat extorris, quæ pro tutela clericorum, et coercenda violentia laicorum noscitur instituta. Viri quoque incisas vestes ab inferiori non habeant, et mulieres vestibus sumptuatis, et proprii corporis longitudinem excedentibus amodo non utantur; sed in habitu honesto et moderato incedant, qui nec lasciviam notet, nec jactantiam vanitatis ostendat. Quisquis vero vir, sive mulier talia fecerit amodo indumenta, et a communione Dominici corporis, donec se corrigat, reddatur extraneus, et ecclesiasticis non sinatur officiis interesse; graviorem quoque pœnam per sacerdotis officium subiturus, si nec sic levitatem suam curaverit emendare.

XXIV.

Privilegium pro monasterio S. Pauli Parmensis.

(Oct.-Dec.)

[Aff., *Storia di Parma*, II, 396.]

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Romanæ, abbatissæ monasteriii S. Pauli Parmensis, ejusque sororibus, tàm præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant ire obviam Sponso, sedes apostolica debet præsidium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat.

A Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium S. Pauli Parmensis in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem monasterio noscitur esse institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Domino præstante, poterit adipisci, firma
B vobis et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus domibus, vineis, hortis, molendinis, aquæductibus et omnibus pertinentiis suis; quidquid habetis in civitate Parmensi et districto suo; ecclesiam Sancti Barnabæ juxta Parmam, in ripa fossæ civitatis; ecclesiam S. Nicomedis de Glarola, ecclesiam Sancti Laurentii de Verlatica; ecclesiam Sancti Pauli de Rivola, cum omnibus earum pertinentiis; ecclesiam Sancti Blasii de Turrile, ecclesiam de Sinzanese; in episcopatu Mantuano ecclesiam S. Mariæ de Bosco cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sanctæ Mariæ
C Castri Godi veteris, cum castro, molendinis et aquæductibus in Minzio et omnibus eorum pertinentiis; quicquid habetis in Campitello; quidquid habetis in Sabloneta; quidquid habetis in Bajolis; quidquid habetis in Sancto Nazario et in Flexo; quidquid habetis in tribus casalibus; quidquid habetis in villa Sancti Pauli de Rivola; quidquid habetis in Gainago, et in Puteolisi et eorum pertinentiis; quidquid habetis in villa Ferraria, in terris et molendinis; quidquid habetis in villa Scolæ; quidquid habetis in villa Paradigni; quidquid habetis in Monterone; quidquid habetis in Rivarolo; quidquid habetis in Vigo polo; quidquid habetis in Massera, et in Vicopolo et eorum pertinentiis; quidquid habetis in Sparmatico et Minganzola, et in Meletulo et in clau-
D suris Sancti Leonardi et in omnibus pertinentiis eorum; quidquid habetis in casale Barunculi et in castello Walteroli et in castello novo ultra Lenzam; quidquid habetis in Povillo et in Coleredo, et in Bosseto; quidquid habetis in Casadego et in Molandriano, et in Albari, et in insula rivæ Padi; quidquid habetis in Fugnano et in Runculo, et in Elli, et in Fabrore; quidquid habetis in Guandalese, in Valeri, in Vigoferdili, et in Madrogulo, in Curia Collecti et in Tavernula; castrum Glarolæ cum omnibus terris, cultis et incultis, molendinis, aquæductibus, pratis, silvis, pascuis, planitiebus, montanis, vallibus et collibus et omnibus ad castrum ipsum pertinentibus; quidquid habetis in villa Opplani et ejus pertinentiis; quidquid habetis in Fi-

sano, in Coladula, in Azano, in Gallano, et in Segalaria; quidquid habetis in Sancto Andrea, in plano Caroli, in Verozano, in Mataledo, in Laterado, in Tefaga, in Puvilano et in insula cum omnibus eorum pertinentiis. Liceat autem vobis personas liberas et absolutas a sæculo fugientes ad conversionem recipere et eas sine contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper, ne ulli sororum vestrarum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatissæ suæ licentia, nisi arctioris religionis obtentu de ipso discedere; discedentem vero sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Ad hoc quia decimæ de institutione canonica ecclesiis sunt, et personis ecclesiasticis deputatæ, sub interminatione anathematis prohibemus ne quis laicus decimas a vobis extorquere præsumat: Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica interdicimus ne quis in vos vel monasterium vestrum excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam, sine manifesta et rationabili causa, promulget, vel novas vobis aut ecclesiis, sive hominibus vestris, vel indebitas exactiones imponat. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel qualibet sororum tuarum tibi ibidem succedente, nulla qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel sororum pars consilii sanioris, secundum Deum et B. Benedicti Regulam providerint eligendam. Inhibemus etiam ne aliquis infra fines parochiarum vestrarum ecclesiam vel oratorium de novo construere, sine vestro et diœcesani episcopi assensu, præsumat, salvis tamen privilegiis Romanæ Ecclesiæ. Paci quoque ac tranquillitati vestræ paterna inposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne quis infra ambitum domorum vel locorum vestrorum furtum, rapinamve committat, ignem apponere, hominem capere vel interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere; seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

XXV.

Abbati et archiepiscopo Nonantulan.,

(Circa Dec.)

[Mansi, *Concil.*, XXII, 535.]

Meminimus vobis olim pro pagano clerico vestro litteris apostolicis mandavisse, ut præbendam, quam ei subtraxeratis, ex occasione matrimonii, quod cum quadam muliere contraxisse dicebatur, restituere deberetis: vos pro litteris nostris illud facere non curastis, asserentes inde scandalum inter alios generari. Attendentes itaque ne prædictus clericus, beneficii ecclesiastici auxilio destitutus, ad turpia, et sæcularia lucra sectanda redire cogatur; cum multi concubinarii et adulteri de bonis Ecclesiæ sustententur, et in talibus sit ordinibus constitutus, in quibus legitime conjugatum a beneficio ecclesiastico sacri canones repellunt, discretionem vestram rogamus attentius, ac per apostolicam sedem mandamus quatenus ei beneficium percipiendum, unde sustentari valeat, extra fratrum consortia conferatis.

XXVI.

Canonicorum Ecclesiæ Januensis possessiones et privilegia confirmat (fragmentum.)

(Pisis, Dec. 11.)

[Ughelli, *Italia sacra*, IV, 875.]

Datum Pisis per manum Moysis Lateranensis vicem agentis cancellarii, III Idus Decembris, ind. VI, Incarn. Dom. anno 1187, pontificatus vero D. Gregorii papæ VIII anno I.

Ego Gregorius, catholicæ Eccles. episcopus, subsc.

Ego Paulus, Prænestinus episc. subsc.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletren. episc. ss.

Ego Laborans, presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti, subsc.

Ego Melior, presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii, subsc.

Ego Jacobus, diac. card. S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac. card. subsc.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card. ss.

Ego Petrus, S. Nicolai in carcere Tullian. diac. card. subsc.

Ego Rodulphus, S. Gregorii ad Velum Aureum diac. card. subsc.

XXVII.

Monasterio S. Mariæ Agnanensi ecclesiam S. Christinæ de Clano asserit.

(Pisis, Dec. 16.)

[Mittarelli, *Annal. Camaldul.*, IV, 158.]

Gregorius, servus servorum Dei, Saxoni abbati et conventui Sanctæ Mariæ de Agnano, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam S. Christinæ de Clano cum omnibus pertinentiis suis a bonæ memoriæ Hel, quondam Aretino episcopo, vobis et monasterio vestro concessam, sicut eam rationabiliter et pacifice possidetis, et eadem concessio legitime facta est, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, etc.

Datum Pisis, XVII Kal. Januarii, indictione VI.

GUIDONIS ARCHIEPISCOPI SENONENSIS

EPISTOLA AD GREGORIUM PAPAM.

Purgatur episcopus Laudunensis de impositis sibi criminibus.

(Epistolæ Petri Blesensis edit. Giles, Oxon. 1847, epist. 165.)

—

Sanctissimo Patri ac domino G. Dei gratia summo pontifici, G. divina permissione Senonensis Ecclesiæ minister humilis ejusque suffraganei quorum sigilla præsentibus litteris sunt appensa, devotissima pedum oscula beatorum.

Cum paternitatis vestræ prudentiam non lateat Ecclesiarum prælatos juxta diversorum exigentiam meritorum subditis suis existere debitores, ita quod alios oporteat dignis remunerationibus honorare, alios autem sine personarum acceptione pœna debita coercere, manifestum est quod omnibus placere non possunt qui necesse habent multos offendere, nec omnium possunt nec debent satisfacere voluntati. Et ideo, in medio hujus nationis pravæ et perversæ, illi etiam qui sunt sicut luminaria posita in firmamento continentia verbum vitæ, hodie tamen, propter invidentium malitiam et detrahentium, sunt quasi signum positum ad sagittam. De quibus recte dixit propheta : *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est* (*Jer.* 9). Et iterum : *Extenderunt linguam suam sicut arcum mendacii, et non veritatis* (*Ibid.*). Et dignum est quidem ut sagittæ parvulorum fiant plagæ eorum, et infirmentur contra eos linguæ eorum ; et mentiatur iniquitas sibi oppilans os suum ; et qui firmaverunt sibi sermonem nequam deficiant scrutantes scrutinio. Quorum studium et labor est prælatorum suorum pacem turbare ad ruinam capitis totius corporis, id est Ecclesiæ membra concutere, et ad palliandum malitiam suam prætextu falsi zeli, quem A erga Ecclesias suas se mentiuntur habere, per iniquas et subdolas suggestiones a sede apostolica inquisitionis scrutinium impetrare, non attendentes quod dicit Sapiens : *Non insidiaris nec quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus* (*Prov.* xxiv). Cum igitur venerabilis Pater Laudunensis episcopus inter prælatos Ecclesiæ Gallicanæ tot et tantorum claruerit prærogativa meritorum, confundimur et erubescimus super his quæ per iniquos contra ipsum disseminata sunt ; quæ nos, utpote qui a multis retro temporibus ipsius novimus honestatem, indubitanter credimus esse conficta, et propter hoc a sanctitate vestra nullatenus esse credenda, sed tanquam indigna penitus repellenda, maxime cum unanimiter testes simus quod B apud nos inter quos conversatus est, hactenus non sonuerit verbum sinistrum de ipso, sed potius serenitatis ejus et probitatis fama quasi odor cedri in utraque provincia circumquaque diffusa. Ut vere de ipso dicere valeamus quod legitur de Susanna : *Erubuerunt servi vehementer, quia nunquam dictus fuerat sermo hujusmodi de Susanna* (*Dan.* xiii). Et quod amplius est, non solum erubescunt clerici, sed sacerdotes et laici, claustrales et religiosi, principes et episcopi. Unde tanta est nobis securitas conscientiæ de ejus honestate, quod coram Deo et vobis, Pater sanctissime, parati sumus vestræ purgationis luce hujus depravationis conflictæ nebulam, si opus fuerit, dissipare.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

—

JOANNES BELETHUS THEOLOGUS PARISIENSIS.
Notitia historico-litteraria. 9
RATIONALE DIVINORUM OFFICIORUM. 9
Præfatio ad lectorem. 9
Procemium ac brevis totius operis partitio. 14
Cap. I. — De rebus specialiter Deo consecratis. 15
Cap. II. — De loco. 15
Cap. III. — De temporibus. 16
Cap. IV. — De solemnitate festivitatum. 17
Cap. V. — De festis. 18
Cap. VI. — De stationibus. 18
Cap. VII. — De processionibus. 20
Cap. VIII. — De jejunio. 20
Cap. IX. — De jejunii auctoritate. 21
Cap. X. — De distinctione jejunii. 22
Cap. XI. — De institutione Quadragesimæ, et reliquis jejunandi formis. 22
Cap. XII. — De personis. 25
Cap. XIII. — De personis ecclesiasticis. 27
Cap. XIV. — Quomodo personæ dignitatis a veteribus ad nos fluxerunt. 28
Cap. XV. — De rebus quæ Deo potissimum debentur. 28
Cap. XVI. — De votis et sacrificiis. 29
Cap. XVII. — De oblationibus et donationibus. 30
Cap. XVIII. — Quod officium et quotuplex. 30
Cap. XIX. — De officio generali. 31
Cap. XX. — De ipso officio. 31
Cap. XXI. — Cur ter nocte surgebant. 33
Cap. XXII. — De repræsentatione trium temporum 33

Cap. XXIII. — De ordinatione S. Benedicti. 35
Cap. XXIV. — De pulsu campanarum et matutini temporis initio. 35
Cap. XXV. — De hymno, et de iis quæ ad tertiam usque nocturnam fiunt. 37
Cap. XXVI. — De tertia nocturna. 38
Cap. XXVII. — De officio diurno. 39
Cap. XXVIII. — Cur septies in die laudemus Dominum. 39
Cap. XXIX. — De aliis sex horis. 40
Cap. XXX. — De psalmis qui hisce horis cantantur. 40
Cap. XXXI. — De hymno et aliis sequentibus. 42
Cap. XXXII. — De officio altaris. 43
Cap. XXXIII. — De confessione sacerdotis ante missam. 43
Cap. XXXIV. — De officio missæ. 43
Cap. XXXV. — De introitu, tropis et linguis quibus missa celebrari potest. 44
Cap. XXXVI. — De *Kyrie eleison*, etc. 44
Cap. XXXVII. — De oratione, et quoties se in missa vertat sacerdos. 45
Cap. XXXVIII. — De epistola, graduali, alleluia et prosa. 46
Cap. XXXIX. — De evangelio. 47
Cap. XL. — Quid symbolum, quando canendum, et quot sint numero. 49
Cap. XLI. — De offertorio. 50
Cap. XLII. — De sacrificio. 51
Cap. XLIII. — De secunda parte missæ. 51
Cap. XLIV. — De secreta. 52
Cap. XLV. — De præfatione. 53
Cap. XLVI. — De canone. 53
Cap. XLVII. — De Oratione Dominica. 54
Cap. XLVIII. — De pace. 54
Cap. XLIX. — De ultima parte missæ. 55
Cap. L. — Quibus horis celebretur missa. 56
Cap. LI. — Quæ missæ, quibus diebus debeant celebrari. 57
Cap. LII. — De vesperis. 58
Cap. LIII. — Quot psalmi canantur in completorio. 59
Cap. LIV. — Quomodo finiendæ sint orationes. 59
Cap. LV. — De diversitatibus officiorum. 60
Cap. LVI. — De cæteris temporibus. 62
Cap. LVII. — Quis ordinaverit officia ecclesiastica de quibusdam diebus. 63
Cap. LVIII. — Quomodo officia ecclesiastica fieri debeant, et qui sint eorum libri. 64
Cap. LIX. — De reliquis libris. 65
Cap. LX. — De quinque libris lectionum. 66
Cap. LXI. — Quid legi debeat in Septuagesima. 67
Cap. LXII. — Quid legi debeat ab octava Pentecostes usque ad Natale Domini. 67
Cap. LXIII. — De libris cantuum. 70
Cap. LXIV. — Quæ omittenda sunt in Adventu. 71
Cap. LXV. — De temporibus quibus non debent nuptiæ celebrari. 72
Cap. LXVI. — De festis et jejuniis Adventus. 73
Cap. LXVII. — De anniversariis mortuorum, et vigiliis sanctorum. 75
Cap. LXVIII. — De vigilia Natalis Domini. 75
Cap. LXIX. — De Nativitate Domini. 75
Cap. LXX. — De festis Nativitatem sequentibus. 77
Cap. LXXI. — De Circumcisione. 78
Cap. LXXII. — De festo hypodiaconorum. 79
Cap. LXXIII. — De Epiphania. 79
Cap. LXXIV. — De evangeliis Apparitionis. 80
Cap. LXXV. — De festis sanctorum. 81
Cap. LXXVI. — De Dominica post octavas Epiphaniæ. 81
Cap. LXXVII. — De Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima et Quadragesima. 81
Cap. LXXVIII. — De institutione prædictorum. 84
Cap. LXXIX. — De officio istorum temporum. 84
Cap. LXXX. — De variatione officiorum. 85
Cap. LXXXI. — De festis quæ sunt in principio Septuagesimæ, et primo de Purificatione B. Mariæ. 86
Cap. LXXXII. — De festo S. Blasii. 87
Cap. LXXXIII. — De Cathedra S. Petri. 87
Cap. LXXXIV. — De festis generaliter quæ tempore fiunt Septuagesimæ. 88
Cap. LXXXV. — De officio Quadragesimæ ac littera laicorum. 88
Cap. LXXXVI. — Quomodo sit pulsandum in Quadragesima. 90
Cap. LXXXVII. — Quare non jejunemus eo tempore quo Christus jejunavit. 90
Cap. LXXXVIII. — De diebus privilegiatis. 91
Cap. LXXXIX. — De prima quarta feria. 91
Cap. XC. — De secunda quarta feria et tertia. 92
Cap. XCI. — De quarta feria. 93
Cap. XCII. — De Sabbatis privilegiatis. 93
Cap. XCIII. — De Dominicis diebus privilegiatis. 94
Cap. XCIV. — De Dominicis in Ramis palmarum. 95
Cap. XCV. — De quinta feria. 95
Cap. XCVI. — De sexta feria privilegiata. 97
Cap. XCVII. — Cur non conficiatur corpus Christi in Parasceve et de ordine ejus officii. 99
Cap. XCVIII. — Quare ita hujus diei officium sit institutum. 100
Cap. XCIX. — De duabus partibus sacramenti. 103
Cap. C. — De officio tenebrarum. 103
Cap. CI. — De numero candelarum. 103
Cap. CII. — De expositione trium quæ præterea in ejusmodi officio observantur. 107
Cap. CIII. — De purgatione pavimenti. 108
Cap. CIV. — De nudatione altaris. 109
Cap. CV. — De Sabbato. 109
Cap. CVI. — De officio Sabbati. 110
Cap. CVII. — Quare hæc omnia fiant. 111
Cap. CVIII. — Quid per cereum paschalem significetur. 111
Cap. CIX. — De consecrando sive benedicendo cereo. 112
Cap. CX. — Cur tituli hic taceantur, et de baptismo. 113
Cap. CXI. — De reliquo officio in vigilia Paschatis. 116
Cap. CXII. — De tempore regressionis. 117
Cap. CXIII. — De officio hujus temporis. 117
Cap. CXIV. — Quæ circa hoc tempus sint observanda. 119
Cap. CXV. — De ornatu templi materialis. 120
Cap. CXVI. — De reconciliatione proximi. 121
Cap. CXVII. — De veneratione hujus temporis. 121
Cap. CXVIII. — De mensa corporis. 121
Cap. CXIX. — De parvo prandiolo. 122
Cap. CXX. — De quadam libertate Decembris. 123
Cap. CXXI. — Expositio quorumdam quæ cum circa hoc tempus, tum alibi etiam observantur. 125
Cap. CXXII. — De litaniis. 128
Cap. CXXIII. — De institutione et modo litaniarum. 129
Cap CXXIV. — De Inventione sanctæ Crucis. 131
Cap. CXXV. — De festo apostolorum Philippi et Jacobi. 131
Cap. CXXVI. — De sancto Joanne evangelista ante Portam latinam. 133
Cap. CXXVII. — De festo B. Mariæ ad Martyres. 133
Cap. CXXVIII. — Quare non celebremus festa sanctorum qui cum Christo surrexerunt. 134
Cap. CXXIX. — De sancto Michaele. 134
Cap. CXXX. — De varietatibus hujus temporis. 134
Cap. CXXXI. — De Pentecoste. 135
Cap. CXXXII. — De officio sabbati Pentecostes. 137
Cap. CXXXIII. — De jejuniis Quatuor Temporum. 137
Cap. CXXXIV. — De institutione jejuniorum Quatuor Temporum. 138
Cap. CXXXV — De tempore peregrinationis ac festis in eo contentis. 139
Cap. CXXXVI. — De Nativitate sancti Joannis. 140
Cap. CXXXVII. — De vigilia sancti Joannis. 141
Cap. CXXXVIII. — De festo apostolorum Petri et Pauli. 142
Cap. CXXXIX. — De divisione apostolorum. 143
Cap. CXL. — De festo sancti Jacobi. 144
Cap. CXLI. — De festo Petri ad Vincula. 145
Cap. CXLII. — De festo Machabeorum. 146
Cap. CXLIII. — De inventione sancti Stephani. 146
Cap. CXLIV. — De festo beati Sixti et transfiguratione Domini. 147
Cap. CXLV. — De sancto Laurentio, 147
Cap. CXLVI. — De Assumptione beatæ Mariæ virginis. 148
Cap. CXLVII. — De Decollatione sancti Joannis. 151
Cap. CXLVIII. — De sancti Augustini festo. 151
Cap. CXLIX. — De Nativitate beatæ Mariæ. 152
Cap. CL. — De sanctis Sapientia, Felice et Audacto. 152
Cap. CLI. — De Exaltatione sanctæ crucis. 152
Cap. CLII. — De beato Mauritio, ejusque sociis. 153
Cap. CLIII. — De sancto Matthæo. 154
Cap. CLIV. — De festo angelorum sive Michaelis. 154
Cap. CLV. — De sancto Remigio. 155
Cap. CLVI. — De sancto Luca. 155
Cap. CLVII. — De SS. Simone et Juda. 155

CAP. CLVIII, — De festo Omnium Sanctorum. 156
CAP. CLIX. — De officio mortuorum et ratione sepeliendi. 156
CAP. CLX. — De institutione Officii. 159
CAP. CLXI. — De celebratione Mortuorum Officii. 161
CAP. CLXII. — De festo Quatuor Coronatorum. 164
CAP. CLXIII. — De solemnitate beati Martini. 164
CAP. CLXIV. — De festo Andreæ et Thomæ apostolorum. 165

HUGO ETERIANUS.

Notitia. 166
LIBER DE REGRESSU ANIMARUM AB INFERIS. 168
Cleri Pisani epistola ad Hugonem. 168
Rescriptum Hugonis. 168
CAP. I. — XXVII. 169-224
DE HÆRESIBUS quas Græci in Latinos devolvunt libri tres sive quod Spiritus sanctus ex utroque Patre scilicet et Filio procedat contra Græcos. 227-228
Epistola Hugonis Eteriani ad Alexandrum III papam. 227-228
Rescriptum Alexandri papæ. 227-228
Hugonis epistola ad Aimericum Antiochenum patriarcham. 229-230
Rescriptum Aimerici ad Hugonem. 229-230
Hugonis præfatio. 231-232
LIBER PRIMUS. 233
CAP. I. — XX. 233-274
Præfatio in librum secundum ad Leonem Tuscum. 274
LIBER SECUNDUS. 276
CAP. I. — XX. 295-334
Præfatio in librum tertium. 334
LIBER TERTIUS. 335
CAP. I. — XXII. 335-396

PETRUS CELLENSIS.

Epistola nuncupatoria. 398
De Petro ejusque scriptis Præfatio. 400
Testimonia veterum de Petro abbate Cellensi. 401
Jacobi Sirmondi epistola ad Carthusianos de Monte Dei. 404
PETRI CELLENSIS EPISTOLÆ.
LIBER PRIMUS. — Eas continens quas scripsit cum abbas Cellensis ageret. 405
EPIST. I. — Ad Alexandrum III papam. 405
EPIST. II. — Ad eumdem. 406
EPIST. III. — Ad eumdem. 406
EPIST. IV. — Ad eumdem. 407
EPIST. V. — Ad eumdem. 408
EPIST. VI. — Ad Eugenium III papam. 409
EPIST. VII. — Ad Rolandum Ecclesiæ Romanæ cancellarium. 410
EPIST. VIII. — Ad Hugonem Senonensem archiepiscopum. 410
EPIST. IX. — Ad eumdem. 411
EPIST. X. — Ad Alanum Antissiodorensem episcopum. 412
EPIST. XI. — Ad Hugonem Senonensem archiepiscopum. 414
EPIST. XII. — Ad Theobaldum Cantuariensem archiepiscopum. 414
EPIST. XIII. — Ad Joannum S. Maclovii episcopum. 415
EPIST. XIV. — Ad eumdem. 415
EPIST. XV. — Ad eumdem. 416
EPIST. XVI. — Ad eumdem. 417
EPIST. XVII. — Ad eumdem. 418
EPIST. XVIII. — Ad eumdem. 420
EPIST. XIX. — Ad Theobaldum Parisiensem episcopum. 420
EPIST. XX — Ad Eskilum Lundensem archiepiscopum. 421
EPIST. XXI. — Ad Henricum Belvacensem episcopum. 423
EPIST. XXII. — Ad eumdem. 424
EPIST. XXIII. — Ad Balduinum Noviensem episcopum. 425
EPIST. XXIV. — Ad Thomam cancellarium regis Angliæ. 426
EPIST. XXIV *bis*, XXIV *ter*. — Ad eumdem. 426
EPIST. XXV. — Ad Petrum Venerabilem. 427
EPIST. XXVI. — Ad Hugonem Cluniacensem abbatem. 431
EPIST. XXVII. — Ad eumdem. 433
EPIST. XXVIII. — Ad eumdem. 434
EPIST. XXIX. — Ad Hugonem Cluniacensem abbatem. 437
EPIST. XXX. — Ad Henricum Campaniæ comitem. 438
EPIST. XXXI. — Ad A. Molismensem abbatem. 439
EPIST. XXXII. — Ad H. Pruliacensem abbatem. 441
EPIST. XXXIII. — Ad Robertum abbatem de Bullencurte. 442
EPIST. XCV. — Ad eumdem 543
EPIST. XCVI. — Ad Tasulanum episcopum. 562
EPIST. XCVII. — Ad Berneredum abbatem S. Crispini. 544
EPIST. XXXIV. — Ad Mathildem Fontis ebraldi abbatissam. 443
EPIST. XXXV. — Ad eamdem. 446
EPIST. XXXVI. — Ad priorem Cellensem. 446
EPIST. XXXVII. — Ad T. priorem Molismensem. 448
EPIST. XXXVIII — Ad fratres Caziacenses. 450
EPIST. XXXIX. — Ad fratres Caziacenses, 452
EPIST. XL. — Ad Carthusianos de Monte Dei. 453
EPIST. XLI. — Ad Carthusianos de Monte Dei. 455
EPIST. XLII. — Ad eosdem. 459
EPIST. XLIII. — Ad eosdem. 461
EPIST. XLIV — Ad eosdem. 463
EPIST. XLV. — Ad eosdem. 466
EPIST. XLVI. — Ad Simonem priorem et fratres Carthusianos de Monte Dei. 467
EPIST. XLVII — Ad eosdem. 470
EPIST. XLVIII. — Ad Basilium priorem et Carthusianos Montis Dei. 472
EPIST. XLIX. — Girardi de Perona, monachi Clarævallensis, ad Petrum de unita dilectione. 474
EPIST. L. — Nicolai Clarævallensis ad Petrum excusativa scribendi vel dictandi. 474
EPIST. LI. — Rualensi prioris Clarævallensis ad Henricum Trecensem episcopum pro abbate Cellensi recommendativa. 476
EPIST. LII. — Nicolai Clarævallensis ad Petrum exhortativa unitatis contra malos et de correctione. 476
EPIST. LIII. — Ad fratres Cellenses. 479
EPIST. LIV. — Ad Grandimontenses. 480
EPIST. LV. — Ad A. sacerdotem S. Petri Pruvinensis. 480
EPIST. LVI. — Ad G. sacerdotem Hastingiarum. 481
EPIST. LVII. — Ad H. superiorem, Thomam et Ascelinum Clarævallenses. 485
EPIST. LVIII. — Ad R. Clarævallensem. 485
EPIST. LIX. — Ad eumdem. 487
EPIST. LX. — Nicolai Clarævallensis in persona fratris Adæ ad Petrum. 488
EPIST. LXI — Ad Nicolaum Clarævallensem monachum. 489
EPIST. LXII. — Nicolai Clarævallensis ad abbatem Cellensem suspiciosa super traditione litterarum. 490
EPIST. LXIII. — Ad eumdem conquerentem cur aliquid longius non scriberet. Pulchra de miseria hominis. Homo natus, etc. 491
EPIST. LXIV. — Ad Nicolaum Clarævallensem monachum. 493
EPIST. LXV. — Nicolai ad Petrum, de Materia prædicta nihil affirmans. 498
EPIST. LXVI. — Ad Clarævallensem monachum. 503
EPIST. LXVII. — Ad Joannem Saresberiensem. 513
EPIST. LXVIII. — Ad eumdem. 513
EPIST. LXIX. — Ad eumdem. 513
EPIST. LXX. — Ad eumdem. 515
EPIST. LXXI. — Ad eumdem. 517
EPIST. LXXII. — Ad eumdem. 518
EPIST. LXXIII. — Ad eumdem. 519
EPIST. LXXIV. — Ad eumdem. 520
EPIST. LXXV. — Ad eumdem. 521
EPIST. LXXVI. — Ad P. monachum Norvicensem. 523
LIBER SECUNDUS. — Continens epistolas quas scripsit Petrus post susceptam S. Remigii Remensis abbatialem curam. 525
EPIST. LXXVII. — Ad Alexandrum III papam. 525
EPIST. LXXVIII. — Ad Alexandrum III papam. 525
EPIST. LXXIX. — Ad regem archiepiscopum et magnates Suenum. 526
EPIST. LXXX. — Ad Alexandrum III papam. 527
EPIST. LXXXI. — Ad Alexandrum papam. 529
EPIST. LXXXII — Ad eumdem. 529
EPIST. LXXXIII. — Ad eumdem. 530
EPIST. LXXXIV. — Ad eumdem. 531
EPIST. LXXXV. — Ad eumdem. In causa S. Thomæ Cantuarensis. 532
EPIST. LXXXVI. — Ad Albertum cardinalem. 532
EPIST. LXXXVII. — Ad eumdem. 533
EPIST. LXXXVIII. — Ad eumdem. 534
EPIST. LXXXVIII *bis*. — Ad eumdem. 535
EPIST. LXXXIX. — Ad eumdem. 536
EPIST. XC. — Ad eumdem. 537
EPIST. XCI. — Ad Petrum cardinalem S. Chrysogoni. 538
EPIST. XCII. — Ad eumdem. 539
EPIST. XCIII. — Ad Prænestinum episcopum. 540
EPIST. XCIV. — Ad eumdem. 541
EPIST. XCVIII. — Ad Berneredum abbatem et fratres conventus SS. Crispini et Crispiniani. 548
EPIST. XCIX. — Ad eumdem. 549
EPIST. C. — Ad fratres Cellenses. 550
EPIST. CI. — Ad Berneredum abbatem S. Crispini. 551

EPIST. CI *bis*. — Ad priorem et conventum SS. Crispini et Crispiniani. 552
EPIST. CII. — Ad abbatem S. Crispini. 553
EPIST. CIII. — Ad Eskilum Lundensem archiepiscopum. 554
EPIST. CIV. — Ad eumdem. 554
EPIST. CV. — Ad eumdem. 556
EPIST. CVI. — Ad eumdem. 557
EPIST. CVII. — Ad eumdem. 557
EPIST. CVIII. — Ad eumdem. 559
EPIST. CIX. — Ad archiepiscopum Lundensem. 560
EPIST. CX. — Ad eumdem. 561
EPIST. CXI. — Ad Henricum Remensem archiepiscopum. 562
EPIST. CXII. — Ad Joannem cancellarium et cantorem Compendiensem. 562
EPIST. CXIII. — Ad Philippum Coloniensem archiepiscopum. 562
EPIST. CXIV. — Ad Thomam Cantuariensem archiepiscopum. 563
EPIST. CXV. — Ad R. Cantuariensem archiepiscopum. 563
EPIST. CXVI. — Ad archiepiscopum Senonensem. 566
EPIST. CXVII. — Ad Willelmum Remensem archiepiscopum. 567
EPIST. CXVIII. — Ad Joannem Carnotensem episcopum. 568
EPIST. CXIX. — Ad episcopum Carnotensem. 569
EPIST. CXX. — Ad eumdem. 569
EPIST. CXXI. — Ad Joannem Saresberiensem et Richardum fratrem ejus. 570
EPIST. CXXII. — Ad eosdem. 571
EPIST. CXXIII. — Ad Joannem Saresberiensem et Richardum fratrem ejus. 572
EPIST. CXXIV. — Ad Joannem Saresberiensem. 573
EPIST. CXXV. — Ad eumdem. 574
EPIST. CXXVI. — Ad Avenionensem episcopum. 575
EPIST. CXXVII. — Ad B. episcopum Excestriensem. 575
EPIST. CXXVIII. — Ad episcopum Exoniensem. 576
EPIST. CXXIX. — Ad episcopum Cestrensem. 576
EPIST. CXXX. — Ad abbatem de Beldewas. 577
EPIST. CXXXI. — Ad H. abbatem S. Huberti. 578
EPIST. CXXXII. — Ad E. abbatem Stabulensem. 578
EPIST. CXXXIII. — Ad abbatem S. Eadmundi. 579
EPIST. CXXXIV. — Ad eumdem. 579
EPIST. CXXXV. — Ad abbatem Latiniacensem. 579
EPIST. CXXXVI. — Ad Petrum abbatem de Silva. 580
EPIST CXXXVII. — Ad abbatem de Majori Silva. 581
EPIST CXXXVIII. — Ad eumdem. 581
EPIST. CXXXIX. — Ad Theobaldum abbatem Molismensem. 582
EPIST. CXL. — Ad eumdem. 583
EPIST. CXLI. — Ad abbatem Sancti Richarii. 584
EPIST. CXLII. — Ad abbatem et conventum Villariensem. 584
EPIST. CXLIII. — Ad abbatem Villariensem. 586
EPIST. CXLIV. — Ad abbatem Sancti Ægidii. 587
EPIST. CXLIV *bis*. — Ad Basilium et alios priores Carthusienses. 588
EPIST. CXLV.—Ad Theobaldum Cluniacensem electum. 589
EPIST. CXLVI. — Ad H. abbatem Cluniacensem. 590
EPIST. CXLVII. — Ad Hugonem abbatem S. Amandi. 591
EPIST CXLVIII. — Ad abbates S. Medardi et S. Crispini. 592
EPIST. CXLIX. — Ad priorem Cantuariensem. 593
EPIST. CL. — Ad eumdem. 594
EPIST. CLI. — Ad priorem et fratres Cantuarienses. 595
EPIST. CLII. — Ad priorem Wigornensem.
EPIST. CLIII. — Ad eumdem. 596
EPIST. CLIV. — Ad Ing. priorem de Lapelée. 597
EPIST CLV. — Ad priorem de Valle S. Petri. 598
EPIST. CLVI. — Ad fratres Molismenses. 599
EPIST. CLVII. — Ad Grandimontenses. 601
EPIST. CLVIII. — Ad Grandimontenses. 602
EPIST. CLIX. — Ad Cluniacenses. 603
EPIST CLX. — Ad magistrum G. 604
EPIST. CLXI. — Ad magistrum presbyterum. 605
EPIST. CLXII. — Ad dominum Richardum. 605
EPIST. CLXII *bis*. — Ad eumdem. 606
EPIST. CLXIII. — Ad Richardum. 607
EPIST. CLXIV.—R. canonico Meritonæ. 607
EPIST. CLXV. — Ad R. canonicum. 608
EPIST. CLXVI. — Ad eumdem. 608
EPIST. CLXVII. — Ad monachum de S. Bertino. 610
EPIST. CLXVIII. — Ad monachum de Beddinges. 610
EPIST. CLXIX. — Ad Nicolaum monachum. 611
EPIST. CLXX. — Ad Nicolaum alium. 613
EPIST. CLXXI. — Ad Nicolaum monachum S. Albani. 615
EPIST. CLXXII. — Nicolai monachi S. Albani ad Petrum. 622
EPIST. CLXXIII. — Petri ad Nicolaum. 628
EPIST. CLXXIV. — Ad capitulum Cisterciense. 632
EPIST. CLXXV. — Ad Grandimontenses quosdam, ut in ordine Cisterciensi permaneant admonet. 633
EPIST. CLXXVI. — Ad eosdem ejus demargumenti. 634
EPIST. CLXXVII. — Ad Ludovicum regem. 636
Alexandri III papæ epistolæ LVI ad Petrum abbatem S. Remigii et alios. 636
(Harum epistolarum seriem, quam primus evulgavit Jacobus Sirmondus, jam edidimus inter Alexandri III Regesta, *Patrologiæ* tom. CC.)
PETRI CELLENSIS SERMONES. 637
SERMO I. — In Adventu Domini I. 637
SERMO II. — In Adventu Domini II. 641
SERMO III. — In Adventu Domini III. 644
SERMO IV. — In tempore Adventus IV. 647
SERMO V. — In tempore Adventus V. 648
SERMO VI. — In eodem tempore VI. 649
SERMO VII. — In vigilia Nativitatis Domini. 654
SERMO VIII.—In Nativitate Domini I. 658
SERMO IX. — In Nativitate Domini II. 661
SERMO X.—In Nativitate Domini III. 664
SERMO XI. — In Nativitate Domini IV. 666
SERMO XII. — In Nativitate Domini V. 669
SERMO XIII. — In Purificatione sanctæ Mariæ. 674
SERMO XIV. — In capite jejunii I. 677
SERMO XV. — In capite jejunii II. 680
SERMO XVI. — Dominica prima Quadragesimæ. 683
SERMO XVII. — Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimæ. 687
SERMO XVIII.—Dominica in medio Quadragesimæ I. 694
SERMO XIX. —Dominica in medio Quadragesimæ II. 695
SERMO XX. — Dominica in medio Quadragesimæ III. 699
SERMO XXI. — In festo sancti Benedicti abbatis. 702
SERMO XXII. — In Annuntiatione Dominica I. 705
SERMO XXIII. — In Annuntiatione Dominica II. 708
SERMO XXIV. — In Annuntiatione Dominica III. 711
SERMO XXV. — In Annuntiatione Dominica IV. 715
SERMO XXVI. — In Annuntiatione Dominica V. 718
SERMO XXVII. — In Annuntiatione Dominica VI. 720
SERMO XXVIII. — In Annuntiatione Dominica VII. 722
SERMO XXIX. — In Passione Domini I. 725
SERMO XXX. — In Passione Domini II. 728
SERMO XXXI. — In Passione Domini III. 731
SERMO XXXII. — In Passione Domini IV. 734
SERMO XXXIII. — Pro Dominica in Ramis Palmarum. 735
SERMO XXXIV. — In Cœna Domini I. 738
SERMO XXXV. — In Cœna Domini II. 742
SERMO XXXVI. — In Cœna Domini III. 748
SERMO XXXVII. — In Cœna Domini IV. 751
SERMO XXXVIII. — In Cœna Domini V. 757
SERMO XXXIX. — In Cœna Domini VI. 761
SERMO XL. — In Cœna Domini VII. 766
SERMO XLI. — In Cœna Domini VIII. 769
SERMO XLII. — De Resurrectione Domini. 770
SERMO XLIII. — De Resurrectione Domini II. 774
SERMO XLIV. — De Resurrectione Domini III. 777
SERMO XLV. — De Resurrectione Domini IV. 778
SERMO XLVI. — De Resurrectione Domini V. 779
SERMO XLVII. — De Resurrectione Domini VI. 780
SERMO XLVIII. — De Resurrectione Domini VII. 783
SERMO XLIX. — De Resurrectione Domini VIII. 785
SERMO L. — In Ascensione Domini I. 785
SERMO LI. — De Ascensione Domini II. 788
SERMO LII. — De Ascensione Domini III. 791
SERMO LIII. — De Pentecoste I. 795
SERMO LIV. — De Pentecoste II. 798
SERMO LV. — De Pentecoste III. 802
SERMO LVI. — De Pentecoste IV. 805
SERMO LVII. — In Nativitate S. Joannis Baptistæ I. 809
SERMO LVIII. — In ejusdem sancti Joannis Baptistæ Nativitate II. 813
SERMO LIX. — De S. Petro seu Cathedra S. Petri. 817
SERMO LX. — In festivitate sanctæ Mariæ Magdalenæ I. 822
SERMO LXI. — In festo sanctæ Mariæ Magdalenæ II. 825

Sermo LXII. — In festo S. Mariæ Magdalenæ III. 830
Sermo LXIII. — In festo S. Mariæ Magdalenæ IV. 834
Sermo LXIV. — In festo S. Mariæ Magdalenæ V. 836
Sermo LXV. — De Transfiguratione Domini I. 840
Sermo LXVI. — De Transfiguratione Domini II. 843
Sermo LXVII. — De Assumptione beatæ Mariæ virginis I. 848
Sermo LXVIII. — De Assumptione B. virginis Mariæ II. 850
Sermo LXIX. — De Assumptione B. Mariæ virginis III. 851
Sermo LXX. — De Assumptione B. virginis Mariæ IV. 860
Sermo LXXI. — In Assumptione B. Mariæ virginis V. 861
Sermo LXXII. — In Assumptione B. Mariæ virginis VI. 863
Sermo LXXIII. — In Assumptione B. Mariæ virginis VII. 864
Sermo LXXIV. — In Assumptione B. Mariæ virginis VIII. 867
Sermo LXXV. — De eadem beatissima Virgine. 869
Sermo LXXVI. — De sancto Bernardo abbate Claravallæ I. 873
Sermo LXXVII. — De eodem. 875
Sermo LXXVIII. — De sancto Nicolao I. 878
Sermo LXXIX. — De eodem II. 879
Sermo LXXX. — In festivitate Omnium Sanctorum. 880
Sermo LXXXI. — De apostolis. 882
Sermo LXXXII. — In Communi Confessorum. 886
Sermo LXXXIII. — Synodalis. 889
Sermo LXXXIV. — Synodalis. 892
Sermo LXXXV. — Synodalis. 894
Sermo LXXXVI. — Synodalis. 897
Sermo LXXXVII. — Synodalis. 901
Sermo LXXXVIII. — Synodalis 904
Sermo LXXXIX. — Synodalis. 908
Sermo XC. — Synodalis. 910
Sermo XCI. — Synodalis. 914
Sermo XCII. — Sermonis ejusdem materiæ fragmentum. 917
Sermo XCIII. — Aliud fragmentum. 918
Sermo XCIV. — Ad monachos. 920
Sermo XCV. — De lege naturali, scripta et evangelica. 924

PETRI CELLENSIS OPUSCULA. — Epistola Petri Cellensis abbatis, ad magistrum Joannem Salisberiensem de opere sequenti. 927-928
LIBER DE PANIBUS. 929
Cap. I. — De multiplici mensa et ejus apparatu. 929
Cap. II. — Rursum de triplici mensa, sacramentali, naturali et mystica : et de fidelibus illarum dispensatoribus, Mose et Paulo. 933
Cap. III. — De pane fermentato, et fermento veteri, per exomologesim expurgando. 938
Cap. IV. — De pane azymo. 943
Cap. V. — De pane parvulorum. 951
Cap. VI. — De pane perfectorum sive provectorum. 955
Cap. VII. — De panibus primitiarum. 958
Cap. VIII. — Rursum, de panibus primitiarum. 966
Cap. IX. — De panibus propositionis. 968
Cap. X. — De pane similagineo. 972
Cap. XI. — De pane hordeaceo. 977
Cap. XII. — De pane lugentium. 982
Cap. XIII. — De pane lætantium. 986
Cap. XIV. — De pane filiorum. 990
Cap. XV. — De pane servorum. 994
Cap. XVI. — De pane mercenariorum. 998
Cap. XVII. — De pane subcinericio. 999
Cap. XVIII. — De pane multarum specierum in Ezechiele prophetæ. 1004
Cap. XIX. — De pane plebeio et communi. 1009
Cap. XX. — De pane sanctificato et sacerdotali. 1012
Cap. XXI. — De pane qui coquitur in clibano. 1017
Cap. XXII. — De pane frixo in sartagine. 1022
Cap. XXIII. — De pane asso in craticula. 1027
Cap. XXIV. — De pane inuncto oleo. 1033
Cap. XXV. — De pane consperso. 1033
Cap. XXVI. — De pane frigido. 1040
Cap. XXVII. — De pane calido. 1044
MOSAICI TABERNACULI MYSTICA ET MORALIS EXPOSITIO. 1047-1048
DE CONSCIENTIA, ad Alcherum monachum Clarævallensem. 1083-1084
Quid sit conscientia, et unde dicatur. 1089
Descriptio quædam conscientiæ sub imagine cujusdam mulieris. 1091
De forma conscientiæ. 1092
De securitate conscientiæ. 1092
Quomodo cœlum efficiatur conscientia per verbum Domini spiritu oris ejus. 1093
Quod timor componat conscientiam. 1094
De linitione conscientiæ per observationem mandatorum. 1094
De pictura charitatis in conscientia. 1095
DE DISCIPLINA CLAUSTRALI, ad Henricum I Campaniæ comitem. 1097-1098
Præfatio. 1099
Præfatio altera. 1101
Cap. I. — De auctoribus disciplinarum. 1101
Cap. II. — De apostolica disciplina. 1101
Cap. III. — Comparatio inter Judaicum et nostram claustralem disciplinam. 1104
Cap. IV. — De disciplinæ claustralis observantiis. 1105
Cap. V. — Quod per disciplinam claustralem, prima separetur transgressio. 1108
Cap. VI. — Quod claustrum sit vicarium crucis. 1108
Cap. VII. — Qualiter claustrum institutum sit. 1111
Cap. VIII. — Comparatio inter disciplinam philosophi, Judæi, Christiani, et cujuslibet religiosi. 1113
Cap. IX. — De forma claustralis disciplinæ. 1115
Cap. X. — Claustrum esse stadium ostenditur. 1116
Cap. XI. — De claustri atrio interiori. 1117
Cap. XII. — Claustrum gazophylacium. 1118
Cap. XIII. — Claustrum est sanctum sæculare. 1118
Cap. XIV. — Claustrum regale cubiculum. 1118
Cap. XV. — Claustrum esse patibulum ostenditur. 1119
Cap. XVI. — Forum venale claustrum : quod et Tyro civitati moraliter assimilatur. 1121
Cap. XVII. — De silentio. 1124
Cap. XVIII. — De lectione. 1125
Cap. XIX. — De confessione. 1126
Cap. XX. — De vera confessione et ejus efficacia. 1128
Cap. XXI. — De oratione. 1129
Cap. XXII. — De meditatione mortis. 1131
Cap. XXIII. — De meditatione mortis Christi, hominis et diaboli. 1135
Cap. XXIV. — De communicatione corporis et sanguinis Domini. 1136
Epilogus. 1143
Adhortatio ad claustrales. 1143
GILBERTUS FOLIOT LONDINENSIS EPISCOPUS.
Notitia historica. 1145
EPISTOLÆ GILBERTI FOLIOT et variorum ad ipsum. 1146
EXPOSITIO IN CANTICA CANTICORUM.
Epistola nuncupatoria. 1147
Præfatio Gilberti. 1147
Cap. I-VIII. 1149-1205
Præfatio Gilberti in suam Homiliarum collectionem. 1305
ROBERTUS DE TORRINNEIO ABBAS S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS.
Notitia. 1305
LIBER DE GESTIS HENRICI I REGIS ANGLORUM. 1307
CONTINUATIO SIGEBERTI. 1307
Epistola Roberti ad Gervasium priorem S. Serenici. 1307
Epistola ejusdem ad Rogerium abbatem Beccensem. 1309
TRACTATUS DE IMMUTATIONE ORDINIS MONACHORUM.
Cap. I. — De origine Cisterciensium. 1309
Cap. II. — De origine Carthusiensium. 1311
Cap. III. — Monasterium casalis Benedicti. 1312
Cap. IV. — Monasterium Fontis-Ebraldi. 1312
Cap. V. — De monasterio S. Victoris Parisiensis. 1313
Cap. VI. — De canonicis regularibus Aronasiæ, et Præmonstrati. 1313
Cap. VII. — De reformatione quorumdam monasteriorum. 1313
Cap. VIII. — De antiquorum Normanniæ monasteriorum instauratione et fundatione. 1313
Cap. IX. — De Gemeticensi monasterio. 1313
Cap. X. — De monasteriis Fiscanni, Sancti Audæni, et S. Michaelis in Monte-Tumba. 1314
Cap. XI. — De monasterio S. Vandegesili, alias Fontanellæ. 1314
Cap. XII. — Monasterium Bernati. 1314
Cap. XIII. — Monasteria S. Taurini et Villariense. 1315

CAP. XIV. — De Beccensi monasterio. 1315
CAP. XV — Monasterium Cerasiacense. 1315
CAP. XVI. — Monasteria duo Cadomi. 1315
CAP. XVII. — De monasterio Uticensi sive S. Ebrulfi. 1315
CAP. XVIII. — Monasteria SS. Trinitatis sive S. Catharinæ et S. Amandi Rothomagi. 1316
CAP. XIX. — De S. Leufredi monasterio. 1316
CAP. XX. — De Conchensi monasterio. 1316
CAP. XXI. — Lyræ monasterium et Cormeliense. 1316
CAP. XXII. — Pratellense et S. Vigoris Bajocensis monasteria. 1317
CAP. XXIII. — Sagiense monasterium et Toarnense. 1317
CAP. XXIV. — De monasteriis S. Petri sive S. Mariæ Divensis et S. Petri Lexoviensis. 1317
CAP. XXV. — Monasterium Ulterioris-Portus. 1318
CAP. XXVI. — De S. Victore Caletensi et S. Salvatore Ebroicensi. 1318
CAP. XXVII. — Grestenense monasterium, 1318
CAP. XXVIII. — Monasterium S. Severi Constantiensis. 1318
CAP. XXIX. — S. Trinitatis Exaquii. 1318
CAP. XXX. — S. Salvatoris Constantiniensis. 1318
CAP. XXXI. — Fontanetum monasterium. 1319
CAP. XXXII. — De Monte-Burgensi monasterio 1319
CAP. XXXIII. — Monasterium de Ibreio. 1320
CAP. XXXIV. — De Lonlelensi monasterio. 1320
PROLOGUS ROBERTI in Abbreviationem Expositionis Epistolarum Apostoli secundum Augustinum. 1319
APPENDIX AD ROBERTUM DE TORINNEIO.
Chronicon Montis S. Michaelis in periculo maris. 1321
Aliud chronicon ejusdem montis. 1323
De abbatibus Montis S. Michaelis in periculo maris. 1325

URBANUS III PONTIFEX ROMANUS.

Notitia historica. 1329
Notitia diplomatica. 1329
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.
I. — Ecclesiæ S Evasii Casalensis protectionem suscipit possessionesque ac privilegia confirmat. 1331
II — Ad clerum et populum Spolatensem. — Significat se judicium propter vacantem archiepiscopatum Jaderensem protulisse. 1332
III. — Ad Petrum Spolatensem archiepiscopum. — Illi jus præferendæ crucis per totum regnum Hungariæ asserit. 1333
IV. — Privilegium per quod confirmat omnia bona, jura et possessiones prioratus S. Petri de Consiaco Suessionen. diœc. sub Cluniacensis monasterii obedientia et subjectione. 1333
V. — Privilegium per quod confirmat omnia bona et jura prioratus B. Mariæ Montis-Desiderii ord. Clun. Ambianensis diœcesis. 1338
VI. — Ad Sicardum electum Cremonensem et abbatem S. Laurentii. 1341
VII. — Assignationem decimarum factam ecclesiæ S. Silvestri Venetiæ, a Marco episcopo Castellano confirmat. 1342
VIII. — Radulpho, episcopo Andegavensi, Mauritio electo Nannetensi et abbati Foarciensi mandat, ut abbatem S. Melanii Redonensem, a comite creatum contra privilegium fratrum Salmuriensium expellant. 1342
IX. — Bulla qua confirmat sententiam latam per Robertum archiepiscopum Viennensem et Hugonem abbatem Bonævallis super controversiis existentibus inter Arduciam episcopum et Willelmum comitem. 1343
X. — Sententiam ab episcopo Laudensi et Martino præposito latam, ut duæ partes decimæ de terris, quæ sunt in curte Portus-Albaræ, canonicis Placentinis persolvantur, confirmat. 1346
XI. — Privilegium pro monasterio S. Trinitatis Lucernensis (diœc. Abrinc.). 1347
XII. — Ad omnes episcopos. — De sui electione. 1351
XIII. — Ad Balduinum Cantuariensem archiepiscopum. — Ejusdem argumenti et eadem verbotenus ac superior. 1352
XIV. — Episcopis et omnibus per Cantuariensem provinciam constitutis nuntiat, vices suas in eorum provincia Balduino archiepiscopo commissas esse. 1353
XV. — Privilegium pro monasterio S. Sixti Placentini. 1353
XVI. — Ecclesiam S Mariæ de Reno tuendam suscipit et ejus possessiones juraque confirmat. 1355
XVII. — Ecclesiam S. Salvatoris Venetam tuendam suscipit, ejusque possessiones et privilegia confirmat. 1357
XVIII.-XIX. — Privilegium pro monasterio P. Jacobi Pontidensi. 1360
XX. — Privilegium pro ecclesia S. Mariæ Spoletanæ. 1362
XXI. — Monasterii S. Mariæ Civitaculensis protectionem suscipit, bonaque ac jura confirmat. 1364
XXII. — Monasterii Cluniacensis protectionem suscipit et bona quædam ac privilegia confirmat, petente Hugone abbate. 1363
XXIII. — Compositionem factam inter episcopum Santonensem, et monachos Aienses, super ecclesia de Rupella et quibusdam aliis in episcopatu Santonensi, confirmat. 1367
XXIV.—Parthenonis S. Petri de Luco protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat. 1370
XXV. — Monasterii S. Apollinaris Classensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat. 1371
XXVI. — Monasterii S. Salvatoris Berardingensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat. 1373
XXVII. — Hugoni, abbati Cluniacensi, asserit capellaniam ecclesiæ S. Viviani Brolietensis, Theobaldo, nunc Ostiensi episcopo et tunc abbati Cluniacensi, ab Ademaro episcopo Santonensi, tributam. 1377
XXVIII. — Gerardo, archiepiscopo Ravennati, asserit procurationes a monasteriis Bononiensibus præstandas. 1377
XXIX. — Decernit ne aliqui prælati a prioratibus monasterii Cluniacensis extra eos procurationes exigere præsumant. 1379
XXX. — Monasterii Cluniacensis bona ac privilegia confirmat, petente Hugone abbate. 1379
XXXI — Monasterium Tegernseense tuendum suscipit et bona ejus confirmat. 1383
XXXII. — Archiepiscopis et episcopis interdicit, ne de cætero nisi cum ad Cluniacensium fratrum prioratus visitationis causa venerint, procurationes ab iis aliquas requirant. 1383
XXXIII. — Monasterium Rupense tuendum suscipit et bona ejus confirmat. 1385
XXXIV. — Privilegii fragmentum pro ecclesia Ravennatis. 1387
XXXV. — Privilegium pro domo hospitali fratrum Cruciferorum S. Petri Boicensium. 1387
XXXVI. — Monasterium Vallumbrosanum tuendum suscipit, et ejus possessiones juraque confirmat. 1389
XXXVII. — Privilegium pro monasterio S. Salvatoris Papiensi. 1391
XXXVIII. — Monasterium S. Mariæ Magdalenæ Lundense (in Anglia) tuendum suscipit, et ejus possessiones juraque confirmat. 1393
XXXIX. — Ecclesiam Cannensem tuendam suscipit, et bona ac jura episcopalia confirmat, petente Bonifacio episcopo. 1396
XL. — Ecclesiam Grandensem, petente Henrico patriarcha, tuendam suscipit, ejusque privilegia confirmat. 1397
XLI. — Ordinis Aridaquamantini (Aroasiensia) instituta ac privilegia confirmat. 1399
XLII. — Ecclesiarum SS. Joannis et Pauli, S. Martini, S. Stephani Majoris et S. Stephani Minoris sustentationi canonicorum ecclesiæ S. Petri (Romanæ) destinatarum, possessiones et privilegia confirmat. 1402
XLII *bis*. — Privilegium pro monasterio S. Petri Exlonzensi. 1407
XLIII. — Ad Fridericum imperatorem. — De injuriis, Ecclesiæ Romanæ illatis ab eo, conqueritur. 1410
XLIV. — Monasterium Vallumbrosanum tuendum suscipit, juraque ejus confirmat. 1413
XLV. — Fratribus Grandimontensibus concedit ut iis, in generali terræ interdicto, pulsare unam campanam liceat. 1415
XLVI. — Ad Guillelmum priorem Grandimontensem. — Varia statuit pro pace et quiete monachorum Grandimontensium. 1416
XLVII. — Privilegium pro ecclesia S. Joannis Baptistæ Ratisponensi. 1418
XLVIII. — Privilegium pro ecclesia S. Joannis Leodiensi. 1420
XLIX. — Ad Willelmum regem Scotiæ — In causa Hugonis S. Andreæ et Joannis Dunkeldensis episcoporum. 1422
L. — Josceline, episcopo Glascuensi, et Meibrosensi, Neubotlensi, et Dunfermelinensi abbatibus mandata dat superiore epistola significata. 1424
LI. — Henrico Angliæ regi scribit se, Balduino archiepiscopo Cantuariensi, apostolicæ sedis legato, mandasse ut Savaricii archidiaconi redditus colligi faceret et penes se cum integritate reservaret. 1425
LII. — Præpositis scabinis, juratis, majoribus et populo

castri Valentianensis significat se Rogero episcopo Cameracensi mandasse, ut ecclesiæ S. Salvacii parochiam in partes tres divideret. 1426

LIII. — Monasterii S. Mariæ Salinæ-Vallis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat. 1426

LIV. — Ecclesiam S. Vincentii Bergomatem tuendam suscipit ejusque bona et jura confirmat. 1429

LV. — Monasterii S. Mariæ Scitenstellensis patrocinium suscipit et possessiones juraque confirmat. 1431

LVI. — Ecclesiæ Augustensis protectionem suscipit et possessiones confirmat, petente Volscalco episcopo 1434

LVII. — Monasterii S. Mariæ Tongerloensis protectionem suscipit, disciplinamque, possessiones et privilegia confirmat. 1436

LVIII. — Privilegium pro monasterio S. Cornelii Ninivensi. 1437

LIX. — Parthenonem S. Gratæ Bergomatem tuendum suscipit, ejusque possessiones ac privilegia confirmat. 1440

LX. — Ad Balduinum episcopum Cantuariensem. — De ecclesia in honorem sanctorum Stephani et Thomæ construenda. 1443

LXI. — Constitutionem de redditibus præbendarum decedentium canonicorum usque ad annum restitutioni ecclesiæ deputandis confirmat. 1443

LXII. — Episcopo Castellano (Veneto) mandat ut parochialia capellæ S. Severi jura tueatur. 1444

LXIII. — Ubaldo, archiepiscopo Pisano, primatum Sardiniæ confirmat. 1444

LXIV. — Absaloni archiepiscopo Lundensi asserit castrum Hafnense, post ejus mortem Roschildensi ecclesiæ obventurum. 1444

LXV. — Canonicorum ecclesiæ Pisanæ possessiones et privilegia confirmat. 1445

LXVI. — Decreta concilii a Petro archiepiscopo Spalatino et ejus suffraganeis celebrati emendat et confirmat. 1446

LXVII. — In ecclesia S. Georgii Brinatensi, « in alodio suo paterno fundata, » partem canonicorum Crescentiacensium collocat eamque possessionibus ac privilegiis donat. Jus patronatus vero fratribus suis eorumque hæredibus reservat. 1449

LXVIII. — Monasterii S. Mariæ de Carcere protectionem suscipit et bona juraque confirmat. 1449

LXIX. — Bulla pro abbatia Exaquiensi. 1451

LXX. — Privilegium pro ecclesia S. Castoris Cardonensi. 1457

LXXI. — Monasterii S. Petri Gandensis sive Blandiniensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat. 1459

LXXII. — Monasterii S. Mariæ Soroensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat. 1461

LXXIII. — Privilegium de plenaria libertate monachorum Caræ insulæ. 1463

LXXIV. — Consuetudines quibus ecclesia Carnotensis a quadraginta retro annis sine interruptione usa est, confirmat. 1465

LXXV. — Monasterium S. Sepulcri Placentinum tuendum suscipit, ejusque bona ac privilegia confirmat. 1465

LXXVI. — Universos fideles per archiepiscopatum Ravennatem et episcopatum Ferrariensem hortatur ut fratribus S. Mariæ de Reno pecuniam dent ad pontem in Reno efficiendum. 1466

LXXVII. — Universos episcopos de hoc fratrum S. Mariæ de Reno privilegio certiores facit, ut a quocunque maluerint catholico antistite ordinentur. 1467

LXXVIII. — Archiepiscopo Tarraconensi et episcopo Barcinonensi præcipit ne ab abbate fratribusque sanctarum Crucum obedientiam poscant, quoad eorum de monasterio controversia dirimatur. 1467

LXXIX. — Sororibus S. Nicolai Furnensibus annuos solidos quinquaginta donatos a Gertrude quondam comitissa Maurianensi, asserit. 1468

LXXX. — Monachis et fratribus militiæ Templi et Hospitalis Hierosolymitani in urbe vel suburbio Aquensi commorantibus præcipit ne ecclesiæ Aquensis jura infringant. 1468

LXXXI. — Ad Reginaldum episcopum et capitulum Carnotense. — Ne domus in claustro laicis dentur, aut locentur a canonicis. 1469

LXXXII. — Privilegium pro monasterio S. Mariæ de Campo-Martis Romano. 1469

LXXXIII. — Privilegium pro ecclesia Concordiensi. 1470

LXXXIV. — Ordinis Cisterciensis abbatum privilegia confirmat. 1472

LXXXIV *bis*. — Bulla ad cives Metenses. 1475

LXXXV. — Canonicorum Veronensium bona confirmat. 1473

LXXXVI. — Bulla pro canonicis Mutinensibus. 1474

LXXXVII. — P. Præpositi Regini possessiones confirmat. 1474

LXXXVIII. — Henricum Bituricensem archiepiscopum per totam provinciam Bituricensem, excepto Dolensi monasterio, suum creat legatum. 1475

LXXXIX. — Fratribus Carthusiensibus liberum prioris et procuratoris eligendi arbitrium asserit. 1476

XC. — Michaeli abbati monasterii S. Petri Mutinensis ejusque successoribus mitræ, sandaliarum, caligarum, chirothecarum concedit. 1476

XCI. — Privilegium pro ecclesia S. Salvii Florentina. 1476

XCII. — Hugonem decanum Parisiensem, et abbatem S. Germani de Pratis judices constituit inter canonicos Bellovacenses et monachos S. Luciani. 1477

XCIII. — Canonicis S. Ursi asserit vineam ab episcopo Augustensi donatam. 1477

XCIV. — Sententiam inter monachos S. Savini et canonicos majoris ecclesiæ Placentinæ latam ab arbitris confirmat. 1478

XCV. — Ad abbatem et conventum Fiscanensem. — Ne filii in patrum ecclesiis instituantur, imo removeantur. 1479

XCVI. — Canonicis S. Opportunæ Parisiensibus asserit ecclesiam SS. Innocentium. 1479

XCVII. — Ad abbatem et conventum Fiscanense. — Ut nullus in ecclesiam vel personas eorum excommunicationis possit vel interdicti sententiam promulgare. 1479

XCVIII. — Universos fideles per Ravennatem provinciam constitutos et omnes per pontem S. Mariæ de Reno transeuntes hortatur, ut in consummandum pontem conferant. 1480

XCIX. — Privilegium pro monasterio S. Pauli de Parma. 1480

C. — Monasterio Cluniacensi monasterium S. Germani Altissiodorense asserit. 1483

CI. — Abbati Vizeliacensi et ejus successoribus usum mitræ, chirothecarum et annuli asserit. 1484

CII. — Uberto episcopo Aquensi mandat ne canonicorum jura violari a monachis S. Petri patiatur. 1484

CIII. — Canonicorum ecclesiæ Placentinæ constitutionem confirmat, « ut canonici, dum honeste in scholis ac studiose permanserint, tertiam partem proventionum omnium, quas perciperent in ecclesia ipsa præsentes, debeant ad sustentationem suam habere et, relicta fratribus una tertia, alia pars communi usui applicetur. » 1485

CIV. — Archipresbytero et canonicis Bononiensibus interdicit ne fratribus S. Mariæ de Reno injurias inferant. 1485

CV. — G. decano et capitulo Carnotensi concedit, « ut, si quisquam res ecclesiæ eorum rapuerit et excessus ejus fuerit manifestus, raptori non liceat per appellationis diffugium disciplinam ecclesiasticam declinare. » 1486

CVI. — Hugoni abbati et canonicis ecclesiæ Præmonstratensis possessiones quasdam asserit. 1486

CVII. — Domui S. Thomæ Parisiensi asserit possessiones quasdam, a Roberto comite donatas. 1487

CVIII. — Ad Walterum Rothomagensem archiepiscopum. — Ut post appellationem nihil innovetur. 1488

CIX. — Universos abbates Præmonstratensis ordinis in terra Teutonica et Saxonia constitutos ad capitulum generale Præmonstratense singulis annis accedere jubet. 1488

CX. — Ad Turonensem archiepiscopum. — Ad precem Philippi Francorum regis inducias ei concedit, ut amice cum Dolensi ecclesia componat. 1489

CXI. — Privilegium pro Parthenone S. Petri Cremellensis. 1490

CXII. — Abbati et conventui S. Dionysii concedit, « ne aliquis archiepiscopus vel episcopus in eos vel aliquem ex monachis eorum, in capite vel membris, absque auctoritate Romani pontificis vel legati a latere ipsius transmissi aut speciale super hoc mandatum habentis, vel etiam abbatis mandato, excommunicationis vel interdicti sententiam audeat promulgare. 1491

CXIII. — Fines parochiales ecclesiarum S. Pauli et S. Vitalis Veronensium, a duobus cardinalibus constitutos confirmat. 1491

CXIV. — Suenoni Arusiensi episcopo permittit ut, episcopatu abdicato, monasterium capessat. 1492

CXV. — Monasterii S. Nicolai in littore Veneti bona et jura confirmat. 1492

CXVI. — Monasterii Morimundensis privilegia confirmat. 1494
CXVII. — Privilegium pro monasterio Vallis Altæ. 1494
CXVIII. — Parthenonis S. Zachariæ Veneti possessiones et privilegia confirmat. (Fragmentum.) 1496
CXIX — Ad Wichmannum Magdeburgensem archiepiscopum. — De injuriis Ecclesiæ Romanæ a Friderico imperatore illatis, et ut sequestrem pacis sese interponat. 1497
CXX. — B (alduinum), archiepiscopum Cantuariensem, reprehendit, quod priorem fratresque Ecclesiæ Cantuariensis variis affecerit injuriis, neque appellationem ad sedem apostolicam factam curaverit. Præcipit, ut « suspensionum sententias, tam in priorem quam in alios fratres promulgatas, infra 10 dies publice denuntiet non tenere, et quod post primam appellationem in juris illorum præjudicium attentaverit, in statum pristinum reducat. » De ea quæ sequitur epistola significat. 1498
CXXI. — Abbatibus de Bello, de Fauresham et S. Augustini significat superiore epistola quid archiepiscopo Cantuariensi præceperit. Mandat hæc : « Si præfatus archiepiscopus infra præscriptum terminum exsequi distulerit quod mandamus, vos id exsecutione mandetis. » 1499
CXXII. — Ecclesiam S. Petri Bononiensem tuendam suscipit ejusque bona et jura confirmat. 1500
CXXIII. — Privilegium pro abbatia S. Gisleni. 1502
CXXIV. — Monasterium S. Salvatoris de Trebia tuendum suscipit, et ejus bona juraque confirmat. 1503
CXXV. — Ad magistrum et fratres cruciferos Hospitalis Bononiensis. — Approbat eorum ordinem. 1507
CXXVI. — Balduino archiepiscopo Cantuariensi, apostolicæ sedis legato, præcipit ut ædificationem novæ ecclesiæ abjiciat, quam monachi Cantuarienses detrimento sibi fore, cum ipso questi sint. 1509
CXXVII. — Episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum prælatis per Angliam constitutis de superiore ad archiepisc. Cantuariensem epistola significat. 1510
CXXVIII. — Balduino archiepiscopo Cantuariensi exprobrat, quod mandata sua (die 1 m. Martii data) non fecerit. 1510
CXXIX. — Abbates de Bello, de Fauresham et S. Augustini redarguit, quod sua mandata neglexerint. 1511
CXXX. — Privilegium pro ecclesia Pistoriensi. 1512
CXXXI. — Bulla pro monasterio B. M. de Voto. 1512
CXXXII. — Alienationes ab episcopis Bononiensibus cum Ecclesiæ damno factas, irritas esse jubet. 1513
CXXXIII. — Decernit ut ordo S. Benedicti perpetuis temporibus in Admontensi monasterio conservetur; confirmat etiam omnia ejusdem bona, et immunitati loci cavet. 1515
CXXXIV. — Parthenonem S. Gratæ Bergamatem tuendum suscipit et ejus bona confirmat. 1517
CXXXV. — Parthenonem S. Euphemiæ Mutinensem tuendum suscipit, ejusque bona ac privilegia confirmat. 1518
CXXXVI. — Ordinis Præmonstratensis privilegia quædam confirmat. 1520
CXXXVII. — Ordinis Præmonstratensis leges confirmat. 1521
CXXXIII. — Ecclesiæ Bononiensis bona, petente Gerardo episcopo, confirmat. 1522
CXXXIX. — Privilegium pro canonicis ecclesiæ Tarvisinæ. (Fragmentum.) 1524
CXL. — Petro electo Regino præscribit ne sine speciali mandato apostolico ulli mortalium, nisi archiepiscopo Ravennati in consecratione accipienda juramentum præstet. 1524
CXLI. — Privilegium pro ecclesia Cerviensi. 1524
CXLII. — Balduinum archiepiscopum Cantuariensem, apostolicæ sedis legatum, acerrime reprehendit, quod et injurias inferre monachis Cantuariensibus, et sua præcepta negligere pergat. 1527
CXLIII. — Reginaldo Batoniensi et Seffrido Cicestrensi episcopis atque abbatibus de Bello et Fauresham mandat hæc : « Si archiepiscopus Cantuariensis præceptum nostrum ultra XXX dies distulerit adimplere, vos universa exsecutioni mandetis. » 1528
CXLIV. — Priori et conventui Cantuariensi concedit, « ut pendente lite inter eos et B (alduinum) archiepiscopum hic quidem in ecclesiam vel personas eorum excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam audeat promulgare. » 1530
CXLV. — Henricum Anglorum regem rogat ne injurias Ecclesiæ Cantuariensi inferri a Balduino archiepiscopo patiatur, quæque judices a sese constituti censuerint, jubeat. 1530
CXLVI. — Sententiam a constitutis judicibus, latam inter ecclesiam S. Michaelis Nonantulanam et S. Martini Causinensem, confirmat. 1531
CXLVII. — Privilegium pro monasterio L. Zenonis Veronensi. 1532
Balduini Cantuariensis archiepiscopi epistola ad Urbanum papam. — Gratulatur quod post Lucium III unanimi consensu in pontificem fuerit subrogatus, eique pro pallio recepto gratias agit. 1533
GREGORIUS VIII PONTIFEX ROMANUS.
Notitia historica. 1535
Notitia diplomatica. 1535
EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.
I. — Germano clero electionem suam nuntiat, et ad expeditionem pro recuperanda Palæstina, animum ut adhibeant, hortatur. 1537
II. — Ad omnes prælatos ecclesiarum. — Pro justitia facienda et litibus componendis. 1538
III. — Ad omnes fideles. — De jejunio servando ad placandum Deum offensum. 1539
IV. — Ad omnes Christi fideles. — De clade Hierosolymitana. Omnes ad pœnitentiam agendam admonet : et proficiscentibus ad bellum contra infideles plenariam indulgentiam concedit. 1539
V. — Monasterii Lucellensis protectionem suscipit, et possessionem juraque confirmat. 1543
VI.—Privilegium pro monasterio de Charitate Fuliensi. 1546
VII. — Ordinem Calatravæ ejusque possessiones confirmat. 1548
VIII. — Monasteriorum Savigniacensium jura vetera, « obtentu monachorum Cisterciensium qui ibi sunt instituti, » vetat imminui. 1548
IX. — Canonicis ecclesiarum S. Vincentii et S. Alexandri Bergomatum primam proximæ Quadragesimæ diem Dominicam (6 Martii 1188) constituit, qua eorum controversia a sese dirimatur. 1549
X. — Clero, potestati et populo Bergomati. Lanfrancum electum episcopum commendat. 1549
XI. — Ad canonicos ecclesiæ S. Vincentii Bergomatis. 1550
XII. — Duobus canonicis Brixiensibus mandat ut alteruter electum episcopum Lanfrancum ad sedem suam comitetur. 1550
XIII. — Episcopum Castellanum (Venetum) hortatur ut canonicis S. Salvatoris ecclesiam S. Bartholomæi concedat. 1551
XIV. — Canonicos ecclesiæ S. Salvatoris Venetæ solvendis decimis liberat. 1552
XV — Ad universos episcopos, etc., archidiaconos. 1552
XVI. — Ecclesiam S. Salvatoris Venetam tuendam suscipit, ejusque privilegia confirmat. 1553
XVII — Privilegium pro ecclesia S. Apollinaris. 1555
XVIII. — Ad Fridericum imperatorem. — Pacis consilia, et se in illum fovere, et probare quod eadem ipse nutriat, significat. 1558
XIX. — Ad Henricum imperatorem Rom. electum. Similis argumenti. 1558
XX. — Ad Folmarum archiepiscopum Trevirensem. — De casu Orientalis Ecclesiæ. Spernit dura consilia et censuras adversus principes et præsules, objurgatque ideo Trevirensem episcopum, quod justo acrior fuerit. 1559
XXI — Abbatis Tegrinsensis privilegium ab Ottone episcopo Frisingensi constitutum, corroborat. 1560
XXII. — Universis Christi fidelibus. 1561
XXIII. — Universis episcopis. 1561
XXIV. — Privilegium pro monasterio S. Pauli Parmensi. 1561
XXV. — Abbati et archiepiscopo Nonantulan. 1563
XXVI. — Canonicorum ecclesiæ Januensis possessiones et privilegia confirmat. (Fragmentum). 1564
XXVII. — Monasterio S. Mariæ Agnanensi ecclesiam S. Christinæ de Clano asserit. 1564
Guidonis archiepiscopi Senonensis epistola ad Gregorium papam.—Purgatur episcopus Laudunensis de impositis sibi criminibus. 1565

FINIS TOMI DUCENTESIMI SECUNDI.



Imprimerie Migne, au Petit-Montrouge